inme
fura

Segunda parte
nfas bēdiciones. Y

POLYANTHEA.

HOC EST,

OPVS SVAVISSIMIS FLORIBVS CELEBRIORVM SENTENTIARVM TAM GRAECARVM QVAM LATINARVM, EXORNATVM, QVOS EX INNVMERIS FERE CVM SACRIS TVM PROPHANIS,

ijsq; doctissimis authoribus & vetustioribus & recentioribus summa fide collegêre ad communem studiosæ iuuentutis vtilitatem eruditissimi viri, Dominicus Nanus Mirabellius, atque Bartholomæus Amantius LL. Doctor.

QVID HOC IN OPERE NVNC PRAESTITVM, ET QVO consilio hi authores coniunctim nunc eduntur: quantumq; hæc editio alias hactenus editiones omnes superet, ex proxima insequenti epistola cognosces, in qua & de eius vtilitate & ordine quædam offendes.



COLONIÆ,
APVD MATERNVM CHOLINVM.
M. D. LXVII.

Cum gratia & priuilegio Cæsa. Maiest. in Decennium.

DOMINICI NANI AD Lectorem ELEGIA:

Tempora quisquis amas florenti ornare corona,
Atque cupis uario cingere flore comas,
Ingredere hos hortos, & odora rosaria, Nanus
Composita alacri dat tibi fronte rosas.
Hic est quod deceat pueros, iuuenesque, senesque:
His ornare potest sexus uterque caput.
Nulla Venus nobis, nulli hic cantantur amores,
Nec Iouis hic mœchi, furtaque Martis erunt.
Turpe quod est factu, quis dicere credat honestum?
Talia nam in fibras semina mortis agunt.
Si qua poëtarum recitantur carmina nobis,
Non ea sunt oculo despicienda graui.
Eruimus spurcis fuluum de sordibus aurum,
Lilia de medijs sentibus, & uiolas.
Ausonia hic lætus uel Hymettia rura peragrans
Collige: non tribulos, non aconita leges.
Hos matrona potest legere & uirguncula flores,
Nil ibi quo frontis ruga trahatur, erit.
Hos non pœniteat tetricos legisse Catones,
Hos probet Hippolyti Penelopesque pudor.
Ista monent frenis flagrantem arcere iuuentam,
Ne ruat in mores luxuriare malos.
Sydereo hic disces animas quid donet olympo,
Tartareis miseras quid quoque mergat aquis.
Vtere si qua placent, nostros lacerare labores
(Aut ede utilius) desine liuor edax.

Liber ad Lectorem.

Te nè iuuat terra thesaurus lectus ab omni?
En fero, præclaras si tenet orbis opes.
Sunt mihi prisca nouis latè permista, & ab omni
Orbe per immensas accumulata uias.
Vulgus opes fluxas perpaucos seruat in annos;
Ipse meas gazas in noua secla fero.
Ergo ades, exundans quem rerum copia ducit,
Tantis en opibus (spondeo) diues eris.

Matth. Agricius Vuitlichius.

REVERENDO ATQVE PIETATE ET DOCTRINA PRAESTANTI VIRO, D. IOANNI GEYR, LL. Licentiato, Collegij Diuorum Apostolorum Decano, & Reuerendiss. Archipræsulis atque principis electoris Colon. Consiliario, &c. Domino suo cum primis obseruando, Maternus Cholinus Salutem à Christo Iesu præcatur plurimam.

LITERAS ego, Reuerende D. Decane, ab ipsa vsq; pueritia & amplexus sum & colui semper, easdemq; propè solas, veras diuitias, modò ijs bene vtare, iudicaui semper, quę vix vllis nimirum periculis aut euentibus essent obnoxiæ: Ab ijsdem autē postquàm, conditionis atq; fortunæ nostræ ratione sic suadente et poscente, auulsus, atq; in typographicū hoc pistrinum coniectus sum, eas quidem porrò colendi & persequendi occasio mihi ferè omnis adempta est, at promouendi studium perpetuò mihi adhæsit, quod plurimæ illustrium scriptorum ex mea officina profectæ testantur lucubrationes. Verùm quum nuper cogitarem ijs vt cœpi voluminibus præla nostra cōtinenter occupare, quæ & officinæ nostræ ornamenti aliquid adferrent, & literarum studia multum iuuarent, occurrit imprimis mihi insigne hoc Polyanthee opus, quod ingenti desiderio, quum id aliquandiu hactenus præstare desijsset, ab omnibus seriò studia tractātibus appeti animaduertimus, propter præclara illa commoda, quæ studiosis affatim subministraret. Quum etenim id sit ceu locupletissimum atq; refertissimum insignium cum rerum tū sententiarum promptuarium, suppeditat lectori, ipso sedulò vtenti non contemnendam construendæ orationis materiam, quacunq; etiam de re dicenti & agenti. Theologus offendit in eo ex ipsa Theosophia depromptos, pietatem summam redolentes flosculos, quibus ad docendum instituatur, quibusq; conciones suas sic condiat, vt non mediocri cum auditorum tum fructu, tum etiam voluptate atque applausu eas habere possit. Iureconsulto suggerit ethica ea, quæ quancunq; etiam causam suam roborent, atq, oranti ipsi ornatum & splendorem adhibeant. Medicus etiam hinc artis suæ adiumenta quædam haurit. Philosophiæ verò candidatis, oratoribus, poëtis, πολιτοῖς, amantibus quid ferè prodijt vnquam vtilius? Politioris literaturæ omnis cultoribus quid propè cōscriptum necessariū magis? vt quod ipsis imprimis initio destinatum atq; confectum sit. Atqui opus hoc, Thesaurum disciplinarum & virtutum omnium tantum non iure meritoq; appellare possum, quod ad eas expetendas & colendas, ipsum studiosè euoluentes reuerà extimulet, idq; nō sine magna animi voluptate. Inscriptū ideoq, quàm aptissimè Polyanthea, vt quemadmodū amœnum pratum arboribus floribusq; odoriferis consitum largitur cultori suo non fructum tantum, sed & oculos etiam pascit, suauissimoque odore cultorem oblectat: sic hoc opus lectorem suum non erudit modò, non instituit solum cùm virtutum omnium suggestione, tum vitiorum detestatione atq; profligatione: non emolumentum tantùm adportat, sed mirifica iucunditate legentis animum etiam perfundit. Polyanthea autem græcum compositum vocabulum est, à πολὺ, multum & ἄνθος flos. Quid verò in hac æditione à nobis præstitum

sit, nosse operępretium est, vt quantū ea ęditiones alias omnes superet, lector possit intelligere. Primum curaui mendas omnes, quibus Nani opus fœdissimè hactenus conspurcatum fuit, sustolli, atq; versus Græcos genuinę suæ lectioni quantum licuit restitui. Deinde quum Bartholomæus Amantius Nano non absimile & tractatione, & argumēto, & ordine titulorum opus nuper edidisset, quod Flores celebriores inscripsit, curaui id totum in Nanum transportari, hac diligenti obseruata ratione, vt Amantij omnia Nano sub ijsdem titulis adiungerentur: & si apud illū titulus extaret, quem hîc præterijsset, eundē obseruato item cœpto ordine alphabetico, debito loco insereremus. Tertio vbi conspeximus ab vtroq; eadem adduci & tractari, sublatis ijs ex Amantio, semel tantum collocata sunt, ne vnius eiusdemq́; rei repetitione lectorem, cuius commodis studemus, tum sumptu grauaremus, tum fastidio afficeremus. Nano nihil ademptum, nec Amantij quicquam aliud prætermissum, nisi quod is cum Nano commune habebat. Ne Amantius autem debita iustaq; sua laude defraudaretur, in margine passim adnotatum, quid ex eo depromptum & huc translatum. In hisce verò omnibus iuuit me D. Petrus Lynnerus, vir vtriusq; linguæ peritia insignis, atq; publicus hic Latinæ linguæ professor. Fruitur ita nunc lector vnico volumine coniunctim vtriusq; authoris sudoribus & opera, tenui sumptu: qui authores alioqui seorsim ambo duplici sumptu comparandi veniebant. Candidum verò lectorem, vt quemadmodum ego maximis meis in hoc opus impensis sumptibus, suis commodis consulo & inseruio, sic & is me vt quantocunq; poterit fauore & beneuolentia prosequatur, præcor. Quòd verò, vir ornatissime, opus hoc sic exornatum, sic excultum, atq; ad studiosorum vtilitatem sic confectum, tibi inscribere volui, nō vna sum ratione adductus. Permouit me imprimis doctrina & pietas tua neutiquam vulgaris, tum zelus ille vero Decano dignissimus, qui te impellit, vt hoc procellosissimo & turbulentissimo seculo mirabilē impendas operam & curam iunioribus Canonicis collegij tui in vera pietate, & solida eruditione, atq; vitæ integritate probè instituendis, quem zelum tuum nemo est tam stupidus, quin videat summa laude prosequendum, præsertim cùm nihil tā deceat Decanum, hac præsertim incredibili rerum omnium confusione & perturbatione, quàm vt suæ curæ cōmissos omnes quàm rectissimè velit institui, & quàm inculpatissimè viuere. Tum verò permouit etiam me non semel explorata animi in me tui singularis propensio & beneuolentia, quæ cùm tanta sit, vt vnquam meritis eam assequi possim, volui operis huius nuncupatione, si non aliud, animum certè erga te gratum, & ad omnia gratitudinis declarandę obeunda officia, ita vt par est, paratissimum testari. Christus Deus te seruet ac tueatur cum tuis omnibus. Coloniæ calendas Septembris anni M. D. LXVI.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM GVLIELMVM MARCHIONEM Montisferrati, sacrique Romani Imperij Vicarium perpetuum, DOMINICI NANI Mirabellij in POLYANTHEAM Præfatio.

DIV multúmq; mecum cogitaui Illustrissime Princeps, quodnam præcipuè scriptorum genus hominum vitæ maximè conduceret. Videbam enim Poëtas (vt hinc initium sumam) dum vitia insectantur, dum virtutem laudibus in cœlum tollunt, miscentq; vtile dulci, optimè de hominum vita meritos: interdum tamen de turpi voluptate tam effusè tamque petulanter loqui, ita de superis ignominiosè fabulari, vt teneris lectorum mentibus non tantum prosint quæ bene, quantum quæ malè dicta sunt, obsint: dum pleraq; cantant & spurca, & à nostra sanctissima religione maximè abhorrentia. Non ignorabam historiæ potissimùm ope, rerum memoriam diutissimè conseruari, illiusque beneficio maiorum rectè aut perperam facta cum legeremus, eorumque consilia, varietates, euentus, perpenderemus, quid maximè nobis expediat admoneri. Illius tamen lectio longior plerisque videtur, quàm vt occupatis mentibus conueniat. Non me latebat, dicendi copiam, boni ne an mali hominibus plus attulerit, dubitari posse. Vnde non immeritò quidam gladio eloquentiam æquipararunt, quo & ad oppugnandum, & ad propugnandum tam malè quam benè vti possumus. Videbam nonnullos scripturam sacram irridentes, & quicquid Maroniano Ciceronianoq; careat lepôre, ita dedignantes, sola auriũ delectatione allectos, vt etiam cõtra catholicam veritatem interdum sentirent. Videbã multos Arestotelica scripta deuitantes, ipsius lectionis obscuritate ac difficultate perterritos. Ego verò cõmuni consulens vtilitati (cupio enim quamplurimis prodesse) rem perutilem facturum me existimaui, si hos omnes mihi proponerem, & quę ad communem vsum faciunt vndiq; eligerem, vt est apud Lucretium:

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem decerpsimus aurea dicta.

Primo igitur vt adolescentibus eloquentiæ candidatis opitularer, vocabula plurima declaraui, græcas dictiones illis annectens, diffinitiones seu descriptiones in principijs cuiusque materiæ addens: non quod omnia me diffiniturum pollicear, sed diffinitiones recitaturum. Diffinire enim proprium est sapientis. Ego verò nec sapiens, nec sapienti proximus, sed (vt Ciceronis verbo vtar) magnus sum opinator. Et vt prouectiori ætati in commune suffragarer, ipsa deinde præclara dicta, & primo quidem orthodoxorum, à veteri incipiens testamento, ad quatuor ecclesiæ doctorum scripta, multorumq; sanctorũ perueniens, quales fuerunt Ioannes Chrysostomus, Bernardus, Isidorus, Boëtius, alijq; multi, præclaras sententias accumulans, dicta philosophorum, historicorum, postremoque poëtarum, tam Græcorum, quàm Latinorum adiunxi, ita vt quid de ea re vnusquisque sentiat, siue virtus sit, siue vitium, facilè dignosci possit. Quæ autem Græca apposui, Latinis verbis exponenda curaui, vt verbum verbo respondeat.

Nec tamen omnia, quæ annotatione digna visa sunt, hîc inserenda institui, nullus enim operi ipsi finis inuentus fuisset: sed è maximo electorum aceruo, quæ potiora visa sunt elegi. Disposueram præterea omnem materiam in arboris modum. Verùm, cùm operis immensam magnitudinem animaduerterem, ea tantummodò redigenda censui, quæ essent in manibus & in quotidiano sermone, quales sunt virtutes tam cardinales, quàm theologicæ: item de anima & corpore, necnon septem vitia, quæ peccata mortalia dicuntur: quæ omnia Philosophiæ studiosis non parum profutura putaui. Opus hoc POLYANTHEAM nominaui, quod nomen florum multitudinem significat: etenim πολὺ multum, ἄνθος flos à Græcis dicitur. Has autem meas lucubrationes olim Diuo Bonifacio patri tuo dicare institueram, nisi ille morte præuentus, ad fœliciorem vitam migrasset. Verùm totus is hinc non abijt, quando te fratremque Georgium, Principes humanissimos, & à parente minimè degenerantes, ex Maria puella Imperiali, matronaque ac viragine prudentissima susceptos, nobis reliquit. Tuam enim fratrisque imaginem intuens, quis non arbitretur Diuum Bonifacium intueri? quandoquidem non tantum corpore, sed & animi dotibus illum apertissimè agitis. Nam vt ille clementissimus humanissimusque erat, omnesq; illius populi vt Deum colebant, nedum vt regem venerabantur: ita & tu tuorum quidem populorum abditis pectorum penetralibus reconditus es, vt omnes tibi incolumitatem annosque Nestoreos optent. Quod facillimè conspicitur, quum ad aliquam vrbem tuam vel oppidum accedis. Nam puerorum iuuenumque agmina certatim tibi occurrunt, & ab illis applaudentibus ita exciperis, vt resonet magnis applausibus æther: quod tanto est syncerioris affectus indicium, quanto puerorum ingenia sunt simpliciora. Nec hoc immeritò. Quando enim Montis ferrati regio, imo ipsa tota Italia (pace aliorum dixerim) Principem habuit, in quo puero tanta indoles virtutisq; argumentum tam apertè ostenderetur? Solent pleriq; Principes, quum primum infantiam egrediuntur, omnem armorum strepitum, equorumq; hinnitus pertimescere: tu verò Princeps eminentissime, qui nondum decimum annum attigeras, galeatus, armisq; militaribus à vertice vsq; ad plantam contectus, equum ascendisti, & non modò velocissimè currentem calcaribus stimulasti, sed hastatus in hasticis duris & laboriosis certaminibus, & quę veterani milites non sine maximo labore sustinent, in teneris vnguiculis te exercuisti, assistente Carolo Gallorũ rege, quo tempore ad Parthenopæam expeditionem properans cum totius Galliæ proceribus, Casale sancti Euasij se recepit: qui omnes te vnum, tanquam alterum Neoptolemum admirabantur, modò equum spumosum calcaribus stimulantem, modò hasta oppositorum armatorum caput pectusq; pulsantem. Quot eo tempore Galliæ proceres obstupescentes, quod ante annos animum gereres, curamq; virilem, dixere? Fœlices talem qui te genuêre parentes. Addamus & his, quæ anno proximè præterito in Gallia egisti. Nam quum Loduicus Gallorum rex, & idem Mediolani dux, ac rex Parthenopæus, Blesij se cõtineret, quo omnes non modò totius Galliæ proceres, sed & Archidux Burgundiæ cum plurimis Germaniæ primatibus, qui ipsum Archiducem ad Regiam maiestatem proficiscentem comitati fuerant, hasticum certamen institui mandasset, tibi etiam Princeps magnanime ab ipso rege iniunctum fuisset, vt in numero aliorum hastatorum artis militaris expertissimorum armatus & hastatus esses: Tu inquam, qui nondum annum decimum sextum attigeras, intrepidus in certamen descendisti, multas hastas modò in caput, modò in pectus oppositi hostis infregisti, imo & validissimum scutum aduersarij cum thorace lancea perforasti: & nisi hasta ipsi confracta fuisset, ipsum tuum antagonistam cum armis vtrinq; pertransisses: & demum in tanta pugilum fortiũq; viro-

virorum caterua adolescẽtulus, certamnis victoriã reportasti. Nec hoc in obscuro loco, nec paucis cernentibus, sed in media Gallia, sed spectãte rege Gallorum Christianissimo, Serenissimaq; regina, sed intuente virtutemq; tuam obstupescente Archiduce Burgundiæ, eiusque excellentissima vxore, sed videntibus & tuam virtutem admirantibus innumeris proceribus, non modò Gallicis & Germanis sed & Italis. Non possum Hercule contineri quin aliquos testes citem tam præclari facinoris, (licèt sat videri possit regem Galliæ archiducemque Burgundiæ nominasse: verùm huiusmodi fortia facta sunt scriptis mandanda, ne vlla vetustate obliterentur) vt aliquando minores tui hæc fortia præclaraq; gesta non cõticeant. Aderant inquã victoriæ tuæ spectatores & testes, Dux Borbonij cum vxore, Dominus Augulemi Delphin, Dux Lanssoni cum coniuge, Princeps Orengiæ, Comes Fuxi, Dominus Monpẽserij, Filius comitis Palatini, Filius Marchionis Badæ, qui ambo Principes Germani cum Archiduce eò venerãt. Aderant & Cardinalis Amboysæ, Cardinalis sancti Georgij, Cardinalis Lucẽburgi. Affuerũtq; huic spectaculo legati quàmplurimi, qui vndiq; illuc cõfluxerant, præsertim Sum. Pontificis, regis Hispaniæ, Venetorũ, Florentinorũ. Aderant & proceres Itali, Comes Ludouicus Conzaga, Carolus Vrsinus, Comes Musochi, Iulianus Medices, Nouariẽsis Episcopus, innumeriq; quos longũ esset numerare. Tu inquam in tantorũ procerum cõspectu tale virtutis tuæ præstitisti experimentũ, vt vnusquisq; dicere posset: Alius Latio iam partus Achilles.

Virtute tua motus serenissimus Rex, quàm non à fallaci rumore nuntiatam, non mendaci (vt fit sæpenumerò) fama illatam, sed quam regijs oculis ipse aspexerat, virginem regio sanguine natam tibi matrimonio copulauit. Additur fortitudini tuæ quædam innata humanitas atque clementia, qua Diuum Bonifacium parentem tuum apertissimè repræsentas. Et licèt idem domi militiæque princeps fuerit maximi nominis, multasque clarissimas adeptus fuerit victorias, cùm Veneti exercitus imperator existeret, cùm multa alia maximi ponderis bella fœliciter & maxima cum laude gesserit: tu profectò parentem gloria superaturus es, quo pacto Tydeum Diomedes, Peleaq; Achilles virtute antecessit, & non modò patrem, sed & quotquot Montisferrati Marchiones hactenus fuerunt. Nam quanquam Diuus ille Gulielmus prudentissimus patruus tuus multa amplissima & altissima egerit facinora, quibus memoriam apud nos reliquit immortalem. Is enim Casale, quod oppidum vile magalibusque confertum fuerat, in vrbem reformauit, & quam vrbem? quæ alijs Italiæ vrbibus & palatiorum & ædium sacrarum magnificentia, murorumque ac propugnaculorum munimentis, ciuium numerositate, diuitijs & præclaris moribus, non facilè cedat, Licet & in ipsa vrbe Diui Dominici templum eminentissimum, & extra vrbis muros, templum Sanctæ Mariæ ad angelos, cum suis sumptuosissimis cœnobijs condiderit, suæ in superos pietatis maxima argumenta: licèt arces multas Montisferrati tutissimas erexerit, licèt multas erectas etiam instaurauerit, & (vt artis militaris erat callentissimus) ita munierit, vt nullos tormentorum ictus pertimescant: licèt ad illum ex totius orbis partibus, tanquam ad Apollineum oraculum confugeretur, vtpote qui omnem & pacis & belli gloriam consecutus fuisset) nunquam tamen in pueritia, nunquam in adolescentia sua tale probitatis specimen de se patefecit, quale tu ipse in tua tenera ætate præstitisti. Quare cùm optimè institutus sis, acrique ac prope diuino emineas ingenio, facilè ostenditur quàm optimam frugem hæc spondeat seges. Quæ autem prudentiæ tuæ argumenta ostendas, quis non videt? Quis tuam, licèt adolescentulus sis, in incessu grauitatem, in colloquio venustatem, in audiendo affabilitatem, in respondendo facilitatem non

admiratur? Quid, quod in hac tua adoleſcentia, conſulta ſenatus tui non ſolum audis, ſed & diuino tuo ingenio multa agenda ſapentiſsimè perpendis. Fœlices Montisferrati populi tanto principe ſe arbitrantur. Vident enim, te præcipuum iuſtitiæ tutorem fore, Reipublicæ fortiſsimum propugnatorem, ſcelerum terrorem, nequitiæ frenum, & denique bonorum ſuauem ac tutiſsimum portum, ſceleratorumq; ſcopulum. Et quoniam in iuuenibus quædam ſunt vitia fere omnibus communia, quæ ab Horatio enumerantur, inter quæ dicit adoleſcentiam monitoribus aſperam, in te nihil tale conſpicitur. Es enim familiaribus tuis bene monentibus indulgentiſsimus, in omnesq; facilimus. Optimorum teſtis eſt morũ tuorum, Alexander de ſancto Georgio comes Blandratæ, Apoſtolicus protonotarius, vir magnificentiſsimus, ac tuæ gloriæ ſtudioſiſsimus, qui cum equitas, peregrinaris, diu noctuq; verſaris, qui alter tibi Typhis alterq; Achates eſt. Teſtis eſt Camillus eiuſdem Alexandri frater, cum iuris Pontificij Cæſarijq; laurea decoratus, tum omni virtutum genere illuſtratus, tui ſacri ſenatus meritiſsimus præſes, reliquiq; fratres viri magnanimi, & à Guidone parente maximi nominis viro, & qui ab illuſtriſsimis maioribus tuis plurimi ſemper factus eſt, non degenerantes. Teſtis eſt Beneuenutus eques Hieroſolymitanus, ciuilis canoniciq; iuris peritiſsimis, ipſius familiæ de ſancto Georgio, & Comitum Blandratæ immenſus ſplendor, quæ quidem familia à ſereniſsima Poloniæ regum propagine (vt antiqua narrat hiſtoria) originem trahit: quo equite, ſplendidiſsimi equitis Ioannis filio, & oratore vehementiſsimo, illuſtriſsimi parentes tui in maximis legationibus, modò, apud ſereniſsimum Romanorum Imperatorem, aliosq; reges Chriſticolas, modò, apud Summum pontificem, maxima cum gloria vſi ſunt: quibus nauis tuæ clauum regentibus, nõ eſt vlli pertimeſcendũ. Teſtes ſunt reliqui ſenatores tui viri iuſtiſsimi et prudentiſsimi, quorum conſilio adoleſcentia tua (licet plurima per ſe ſapiat diuini ingenij perſpicacitate) verũ quia ſeris venit vſus ab annis, glorioſe vtitur. Et (ne epiſtolæ modum excedam) tu inclyte Princeps accipe precor benigno animo has meas lucubrationes: accipe POLYANTHEAM, meæ erga Diuum Bonifacium patrem tuum obſeruantiæ pignus immortale, cuius tu ipſe es oſſa, caro, effigies & ſimilima imago. Nec tamen ignoro, hos meos labores morſibus detractorum ſubijciendos fore. Noui enim nonnullorum vaniloquentias ſibi multum aſcribere arbitrantium, ſi vel optimè factis allatrent. Verum hoc floccifacio. Nam ſi indoctis non placeo, nihil eſt quod quærar, habeo enim quod optaui, bonam de ingenio meo ſpem: ſin doctis quoq; non probabor, eſt (fateor) quod doleam, non quod mirer. Nam quis ego? Atlas non ſum, Nanus ſum. Qui me mordebunt, clauam de manu Herculis non ſubtraxerint. Quid eſt prætereà quod in tanta iudiciorum varietate mihi blandiar aut arrogem, cùm videam detractorum linguas ne ipſis quidem Latinæ linguæ fontibus Ciceroni & Virgilio peperciſſe? Tu vale Princeps illuſtriſsime, & Dominici Nani tui ſerui memor, diutiſsimè & fœliciſsimè viue. Saône Idib. Febr. M. D. III.

DEFINITIONES VIRTUTUM AC VITIORUM, HINC INDE EX CLASSICIS AUTORIBUS GRAECIS ac iuxta latinis ab Amantio exquisitæ.

TRIA esse expetendorum ac fugiendorum genera, certissimo cō sensu omniū philosophorum constitū est: vnum in anima, alterū in corpore vel natura insedit, vel ascititiū est: tertiū, quod extrinsecus adueniens externum nominamus.

Quod in anima positum, eius tria sunt genera: veritas, virtus & affectus.

VERITAS, vt nunc accipimus, vis est animæ se ex seipsa statim ꝓferens, vnde infinitæ animi vires propagantur, Dei Max. Opt. munere homini concessæ.

Vel hoc modo: Veritas est rerum, quæ diuinitus sub animum cadunt, qualitas essentialis.

VIRTUS vis animæ est, quæ corpori moderatur, quæ affectus excipit, cognoscitq;, & quo iusserit recta ratio, perducit ac dirigit, in eoq; perseuerās habitum animæ comparat optimum quidem: deniq; Deo fruitur.

Vel: Virtus est animi habitus, rationi rectæ cōsentaneus. Recta ratio, cognitio est tum legum, tum sententiarum, quæ natura omnium animis inditæ sunt. Phocylides ait virtutem esse mediam: extrema vtrinq; vitiosa.

AFFECTUS est (vt Zeno inquit) irrationalis ac redundans animę commotio, in animi naturam irrumpens.

Alij sic: Affectus est auersa à recta ratione aduersus animi naturam commotio, vt Aristoteles inquit: Ipsum ægrimonia voluptasq; comitatur reprehendenda.

Veritatis partes sunt.

Mens, ratio, intellctus, iudicium, consilium, ingenium, opinio: nam vt voluntas de appetitu ac ratione nasci videtur, ita ex ijs reliqua.

Mens igitur est, quæ in anima eminens ac in Lunæ modum, quæ à Græcis μήνη appellatur, modo quasi perficitur in sese residens, nunc diuina, nunc humana, nunc summa nunc infima sua lustrans acie, nūc sese inspiciendo cuncta sibi cogitatione proponit: modo etiam hebescit, & quasi obtunditur, hinc dementes: modo prorsus obcæcatur ac sepelitur, vnde insani.

Ratio est mentis aspectus, qui bonum malumq; discernit, virtutes eligit, Deum diligit. Augustinus de spiritu & anima.

Vel: Ratio est discursus intellectus, quo applicantur vniuersalia principia agibilium ad particularia varia & incerta agibilia. Macrobius ex sententia Platonis.

Intellectus est vis animi, quæ sub visum non cadentia percipit, quemadmodum ipsa quoq; anima sensus adminiculo corporatas formas intuetur.

Vel: Intellectus est habitus principiorū. Aristoteles in lib. Moralium magnorū, & in 6. Ethicorum. Augustinus de spiritu & anima. Græcis dicitur σύνεσις.

Iudicium vis est animi, qua quod se nobis ostendit, in eo quid persequendum, quidq; declinandum ac fugiendum, aut nos ipsos, aut alios docendo definimus, verisq; falsa redarguimus.

Consilium est animi ratio quædam altè petita, & plærunq; plura perpendens & ponderans, latentia inueniens atq; iudicans: differens à iudicio, quòd iudicium ostendentibus rebus adhibetur, consiliū latentibus, & aut omnino nec dum repertis aut dubijs: iudicium autem frequentissimè certum est.

Ingenium est animi vis, qua se extendit & exercet ad incognitorum cognitionē: Græcis dicta εὐφυΐα: & significat aliâs naturam vnicuiq; ingenitam.

Opinio opinatioq; est cunctorum, ad quę ancipiti ferimur sententia, vni pluribusúe propensior æstimatio: vel, vt alij, imbecilla est assensio.

Chalcidius opinionis species credulitatem & existimationem videri voluit. Sanè non defuerunt, qui ijs scientiam annecterent principijs, quod Aristoteli

minus placet: nec ſanè iniuria, cùm non poſsint demonſtrari quidem principia. at ſcientia per demonſtrationem comparatur. Proinde tam ſcientia quàm experimentum, experientia & ars ex ingenio intellectuq; & ſenſu orta eſt. Sunt qui ex intellectu & memoria naſci maluerint: inde Muſas Iouis & Mnemoſynes filias, commenti ſunt poëtæ.

SCIENTIA eſt intelligentiæ, ingenijq; viribus excitata, ex vniuerſalibus principalibusque veris ac neceſſarijs, & primis ac immediatis.

ARS rei cuiuſcunq; cognitio, vſu vel traditione percepta, ad vſum tendens aliquem vitæ neceſſarium.

IMAGINATIO eſt eorum, quæ ſunt reſtitutio, & ſenſuum reciprocatio &c.

Nunc ad virtutē redibimus, quæ quidem ſub tribus collocata generibus eſt, verùm de duobus nihil hic neceſſe eſt recēſere: Tertiū igitur adgrediemur, quod morale nominarunt philoſophi. Diuiditur autem in quatuor ſpecies: Iuſtitiā, fortitudinem, temperantiam, & ſanctitatē, quam vocauit Ariſtoteles heroicam, & principem omnium aliarum virtutum.

PRVDENTIA virtus eſt de rationali parte manans, ad ea, quæ ad felicitatem tendunt, conſtituenda idonea.
Vel: eſt recta ratio agibiliū. Ariſtoteles 6. Ethicorum.
Vel: eſt rerum bonarum ac malarum ſcientia. Cicero lib. 2. Rhetoricorum.

Eius proprium eſt, vt omnia ratione atq; conſilio agitentur, inde conſulta naturæ tranſigantur. Item munus eius eſt, in conſilio res ahibere, bona malaq; diſcernere, & omnia, quæ in humana vita deligenda fugiendaq; ſunt, præſentibus omnibus bonis honeſtis vti, opportunitates percallere, ſermone & opera ſagaciter vti, rerum omnium vtilium habere experientiam & memoriam.

Prudentiæ contraria ſtultitia & dementia,

ASTVTIA mentis eſt, qua rebus induſtrijs cautum captatur cōſilium, & acutè deſpicitur atq; iudicatur, quid bonum, quid malū, quid vtile, quid incommodum ſit. Verſutiæ nomē aſſumit, quū in malum ſeſe contulerit.

Species prudentiæ.

MEMORIA, qua repetit animus quæ fuerunt. Cicero in Rhetoricis. Secundum Ariſtotelem de memoria & reminiſcentia, eſt iterata reſumptio alicuius apprehenſi ſenſu vel intellectu.
Vel: ſecundum eundem, eſt pars integralis prudentiæ. Non eſt autem futurorum nec præſentium, ſed præteritorum tantum: ſenſus præſentium, ſpes futurorum.

INTELLIGENTIA eſt, per quam ea perſpiciuntur, quæ ſunt, à qua ſunt. Qui id ſeiungunt, calliditatem, per quam mentes quid cuiq; tractandū conueniat, callent. Cuius contrarium ignorantia vel ſocordia.

PROVIDENTIA eſt, per quam futurum aliquid ſpectatur, antequam factum eſt.

Ex cunctis prudentiæ partibus, induſtriæ omnes actionesque ſolerter tractatæ cognoſcuntur, & officij nomen aſſequuntur, & deniq; tria prudentiæ tempora deputantur: vt præterita meminerit, præſentia conſideret, futura connectat: ſed veritatis partibus hæc adſcribi ſolēt, & non iniuria: cunctis ſiquidem virtutibus moralibus moderatur prudentia, vt ſine ipſa nomen ullū continere non poſſit, &c.

IVSTICIA eſt virtus vnicuiq; ſua ſecundum dignitatem diſtribuens. Iuſticia eſt iuſtè adminiſtrare, patrios mores ſeruare, legibus ſcriptis obſequi, in controuerſijs vera proloqui, pacta & conuentus cuſtodire. At prima ac præcipua erga Deum iuſticia: ſecunda erga patriam & parentes: tertia erga domeſticos, in quibus etiam delectus eſt & reuerentia adhibenda.

Eius partes ſunt.

Religio, pietas, gratia, vindicatio, obſeruantia, veritas, fides.

RELIGIO eſt, quæ diuinæ naturæ cultum & ceremonias offert. Cicero lib. 1. de natura Deorum. Item lib. 2. Rhetoricum. Græcis θρησκεία.
Vel: eſt ſtudium ſapientiæ: Auguſtinus de vera religione: Extrema ſuperſtitio, & Dei neglectus.

PIETAS eſt, per quam ſanguine coniunctis, patriæq; beneuolis, ac principibus officium ac debitus tribuitur cultus. Cuius contrarium tum impietas, tum ſcelus:

lus: si quidem scelus ad interitum aut excogitatum, aut perfectum.

GRATIA est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Cuius contrarium, ingratitudo.

VINDICATIO est, per quam vis aut iniuria, & omnino omne quod obfuturum defendendo aut vlciscendo propulsatur. Cuius contrarium, abiectio, suique contemptio.

OBSERVANTIA est, per quam homines antecedentes & claros cultu aliquo & honore dignamur. Cicero in Rhetoricis. Estq; ea sub pietate, sicut pietas sub religione. Græcis appellatur παρατήρησις. Contrariū, despicientia, inobseruantiaq;, cum quadam animi auersione.

VERITAS est, per quam immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Cicero in Rhetoricis. Vel: Veritas est adæquatio rei ad intellectum, Aristoteles lib. 2. Methaphysices. Græcis ἀλήθεια. Cuius contrarium linguæ vanitas. Extrema quodammodo bina: dissimulatio, & iactantia. Huic cōtrariū dissimulator, pauciora & minora sua esse simulans, quæq; nouit diffitetur, occultatq; quæ cognoscit.

FIDES est dictorum, conuentorumq; constantia & veritas. Cuius contrarium, fraudatio. Vel, fides est opinio vehemēs. Aristoteles 4. Topicorum. Cicero in officijs: dicta, quòd fieri debeat, quod dictum est.

De fortitudine, quæ secundum tenet locum.

FORTITVDO est animi affectio, legi summæ in percipiendis rebus obtemperans. Vel, conseruatio stabilis iudicij in eis rebus, quæ formidulosæ videntur subeundis vel repellendis. Ita Sphærus definiuit. Chrysippus verò inquit: Fortitudo est scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo ac tolerando, summæ legi obsequens sine timore.

Fortitudinis officium siue effectus.

Fortitudinis est, de morte intrepidū, minimeq; meticulosum esse, & periculis confidere, & audacter, quæ sustineri posse videantur, & vt laus exoriatur committere, nec non honestè mori deligere potius, quàm turpiter viuere, & ad gloriam semper aspirare.

Partes eius sunt.

Magnanimitas, magnificentia, indignatio, fidentia, patientia, acrimonia, firmitudo, alacritas, perseuerantia, constantia, velocitas, sedulitas, probitas.

Magnanimitas virtus est, ob quam felicitatem & infelicitatem, honorem & decus ferre animus potest. Eius est honestè sustinere quę ad gloriam ferāt omnia, necnon obuenientia contraria: neq; admirari & obstupescere aliorum rebus, non clientelis moueri, non rerum affluentia, non victorijs, quæ de bellis & prælijs relatæ sunt: sed excellentem tollere animum & magnum ad omnia fortunæ bona parui facienda. Est etiam magnanimus, qui vitam producere longissimam non magnipendit, quiq; de sua vita anxius non est, moribus vnus ac simplex & generosus, qui vbi inferre possit iniuriam, uitet, vbi vlcisci negligat. Comitatur magnanimitatem, simplicitas & veritas. Huius extrema, ambitio & pusillanimitas.

Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione agitatio, atque administratio ipsa in sumptibus, vt Aristoteles censet. Cuius extrema: Luxuria & parcitas, nisi quod parcitas aliquando loco virtutis ponitur, vt parsimonia ac dilapidationis deuitatio, id est Græcis μεγαλοπρέπεια. Cicero & Aristoteles in Rhetoricis.

Indignatio est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus immerito alicui bona vel mala euenisse ægrè fert. Cuius extrema, derisio & inuidia. Secundum Aristotelem, est dolor perturbans propter res secundas indignè collocatas. lib. 2. Rhetoricorum. Græcis dicta ἀγανάκτησις.

Fiducia est, per quam magnis & honestis in rebus plurimum animus in se spei collocauit, ducente prudentia. Cuius extrema sunt: confidentia & diffidentia, id est: fiducia est omnium bonorum. Græcis παῤῥησία. Spes futuri auxilij, concepta ex dictis aliorum, vel ex his, quę sunt in se vel alio.

Patientia est honestatis vtilitatisque causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diurna perpessio. Cuius extrema: mollicies & furor, seu impatientia.

Vel: est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans. Cicero in Rhetoricis. Græcis ὑπομονὴ. Vel, est suas & suorum iniurias ac cætera mala æquanimiter ferre.

Acrimonia animorum quidam vigor est, quo non atroces, sed ad vim postulandam, inferendamúe sunt acres & feroces. Cuius extrema, torpor et insultatio. Vel est viuacitas animi, acumen ingenij, & mẽtis seueritas. grçcè δεινότης nominatur.

Firmitudo est, qua deliberatæ mentes quamcunq; illatam vim, honesti vtilisúe causa obnixissimè sustinent. Cuius contrarium Cicero infractionem nominauit: licet infractum animum rebus aduersis minimè cedentem dicamus aliquando. Vel, est virtus faciens permanentia in opere: constantia verò in proposito. Græcis στερεότης.

Alacritas est, qua erecti sensus vniuersi vt suo quisq; loco degat, quasi minimè lacer, dictus alacer: sed honesti tuendi causa sublimis, vultu animum promittente. Cuius extrema, segnities & proteruitas. Græcis dicta φαιδρότης.

Perseuerantia est ratione bene instituta stabilis & perpetua permansio. Cuius extrema, pertinacia & leuitas.

Constantia est, per quam animi stabiles in proposito nulla in parte titubant. Huius cõtrarium, vacillatio, vt quidam verò, vanitas. Vel, est stabilitas animi firma, & in proposito perseuerans. Græcè dicitur βαιβαίωσις.

Velocitas est, qua expediti sunt animi ad celeriter aliquid obeundum, matureq; trãsigendũ: quæ laus habetur propter animi multarũ rerum breui tempore perceptionem: nam corporis celeritas ferè dicitur, vt Quintus Curtius ostendit. Velocitati contrariũ, tarditas. grçcis βραδύτης.

Sedulitas est, qua animi ad rem aliquã transigendam inhærent indefessi. Contrarium, desidia.

Probitas est prudens bonitas, qua mentes à se omnem extrarium prohibent rationis motum. Cuius cõtrarium, facinus vel improbitas, vt opinantur quidam, flagitium, quoniam mentem solam tangit.

De temperantia.

Temperantia, inquit Aristoteles, virtus est, de concupiscibili nascens parte, ob quam animi turpibus non subijciuntur voluptatibus.

Temperantiæ officium.

Temperantiæ proprium est, corporis voluptates non suspicere, turpisq́, voluptatis vsus nequaquam cupidam esse, ac iustam etiam vereri licentiam, cõponiq; animo in paruis, vt in magnis, quæ ad vitam humanam pertinent, rebus. Ad temperantiam verò accedit animi compositio, munditia, verecundia, reuerentia.

Quidam sic diffiniunt.

Temperantia est ratio in libidinem atque in alios non rectos motus animi firma & moderata dominatio. Cuius extrema sunt, intemperantia & insensibilitas. Græcis σωφροσύνη vocatur.

Aristot. in magnis Moralib. Cic. lib. 2. de Inuentione Rhetoricæ, & lib. 2. de finib. bonorum & malor.

Partes eius sunt.

Mansuetudo, liberalitas, grauitas, tristitia, seueritas, verecundia, vrbanitas, amicitia, beneuolentia, concordia, amor, pax, continentia, clementia, pudor, castitas, pudicitia, honestas, moderatio, taciturnitas, frugalitas, parsimonia, bonitas, puritas siue innocentia. Hanc tamen virtutem Cicero modò temperantiam, modò moderationẽ, modò modestiã vocat.

D. Aurelius Augustinus de libero arbitrio ita definit: Temperantia est affectio coercens & cohibens appetitum ab his: quæ turpiter appetuntur. Item, de moribus Ecclesiæ dicit, munus temperãtiæ esse in coercendis sedandisq; cupiditatibus, quæ nos à recto & bono auertunt. Eius officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemq́; popularem.

Mansuetudo est verborum suauitas, erga aliquos lenitatem mentis ostendens, morũq; facilitas, obuiaq; voluntatis suæ in aliquem ostensio. Cuius extrema, irritatio & incommobilitas.

Partes mansuetudinis sex sunt.

Comitas est, cum animi verborum suauitate quadam vultus hilaritate, non grauatè aliquid se agere aut acturos ostendunt, aut pollicentur.

Benignitas est, cùm animi excitantur ad facilè excipiendum, quæ ab alijs dicãtur. Hinc Plautinum illud: mihi ad argumentum hoc enarrandum est comitas: si ad auscultandum vestra erit benignitas: quũ benignè alicui operam nostrã præstamus

ſtamus, planeq́; iuuamus. Cuius contrarium, malignitas.

Facilitas eſt animi quædam ingenuitas, qua ſeſe ſummittunt, acquieſcuntq́; alterius ſentētiæ, nihil elatum de ſe ſignificantes. Cuius contrarium eſt, peruicacia.

Humanitas eſt, qua animi, humana id natura poſtulante, erga omnes iuuandos aliqua in re cōmouentur, pręſertim quos videant calamitoſos. Cuius contrarium, inhumanitas, tum etiam inſolentia. Eſt tamen etiam videre vbi humanitas pro eruditione ſumatur: quod diſcere proprium ſit hominis.

Humilitas eſt, qua animi, vbi expediat, honeſtumq́; ſit, tum verbis, tum corporis geſtu prudenter ſe ſuaque ſummittunt, nihil de ſe aut arrogāter fieri, aut dici volentes. Cuius contrarium, ſuperbia.

Tranquillitas eſt, qua mites ac ſedati ab omni perturbatione animi ſunt, ſumpta tranſlatione à fluctibus. Cuius contrarium eſt atrocitas, vel fluctuatio.

Liberalitas virtus eſt, ingenuè, vbi honeſtas exigit, impendens. Liberalitas, inquit Ariſtoteles, eſt delectum pecuniarũ in rebus laudabilibus adhibere: impenſas vbi decor poſtulet inſumere, auxiliũ ferre vbi res poſtulet, non auferre, vnde non decet. Eſt autem, inquit, liberalis amictu mundus ſi non lautus, & domicilio ornatus, & præparatus circa ea, quæ honeſta, quæq́; viuendo ſuauitatem habeant, vnde etiam nulla expectetur vtilitas: qui alit animalia, vnde capiatur animus delectatiōe, aut aliqua naſcatur admiratio. Liberalitatem comitatur humilitas, benignitas, humanitas, & eſſe miſericordem, amicis iucundum, hoſpitabilem, honeſtum, & honeſti amatorem: deniq; ad ſumptum faciendũ vbi oporteat, & quando neceſſe ſit, nihil grauatè faciētis ac liberè liberalis. Cuius extrema, auaritia & prodigalitas. Partes autem, benignitas, de qua ſuprà dictum, munificentia, hoſpitalitas, beneficentia, abſtinentia, Græcis appellatur ἐλευθεριότης. Egregium librum de liberalitate ſcripſit Iouianus Pontanus ad Actium Sincerum. Verſatur autem in eroganda rectè pecunia.

Partes liberalitatis ſunt quatuor.

Munificētia eſt, qua animi vbi & quando opus eſt, & quanta, & quibus conuenit, erogant munera. Cuius extrema, largitio & tenacitas.

Hoſpitalitas eſt, quum vltrò & miti & humano inducti animo, nullo noſtro allecti commodo hoſpites accipimus. Cuius extrema, hoſpitandi oſtentatio, & in hoſpites odium: quo vitio ferè viliſsimi quiq; in ciuitatibus & domibus flagrant, idq́; præcipuè, ſi quid ex ipſorum ſententia ceſſerit, qui hoſpitio admittuntur. Græcis ξενία vocatur.

Beneficentia eſt, qua mitis animus ad cuiuis benefaciendum, nulli malefaciendum commouetur. Cuius extremum vel contrarium eſt maleficentia: & qui ei vitio allegatur, maleficus appellatur. Græcis vocatur ευεργεσία: dicta quod alijs benefaciendo proſit.

Abſtinentia eſt, qua inducuntur animi, vt ab alienis abſtineant rebus. Cuius contrarium, rapacitas. Vel eſt, ſecundum quoſdam, cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis & ſuperfluitatis. Græcè ἐγκράτεια.

Grauitas eſt, per quam loco, tempori, ac perſonæ animus conſentaneus inter moroſitatem & delectationem verſatur, talem etiam corporis ac ſermonis habitum gerit cum dignitate. Cuius extrema, moroſitas & abiectio, vt Apuleius fingit, placentia. Partes ipſius triſtitia & ſeueritas. Vel: grauitas eſt firmitas ac conſtantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam ſeueritas. Græcè σεμνότης nominata.

Partes grauitatis duæ.

Triſtitia eſt habitus ſiue totius corporis quidã (ſi ſic fas eſt loq) vultus, nec in ſecundis rebus gaudibundus, nec aduerſis concuſſus in dolorem: nempe nullo tempore ſe immutans aut attollendo, aut ſubmittendo. Cuius contrarium, laſciuia.

Seueritas eſt mentis quædam iuſta duritia, & corporis facie, & factis, tam in ſe quàm in alios, prout res poſtulare videatur, nulli delictum remittens, legibus nimium atrociter obtemperans, legum, iuriſq́; vim victo nullis precibus animo cō-

plectens. Cuius contrarium, licentia.

VERECVNDIA est, per quam vt tempus, locus, personæq; postulāt, animi se vereri ac rationem habere iudicāt. Cuius extrema, procacitas vel petulantia, vel animi confusio: vel (secundum Ciceronem) est dolor quidam ac perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut futuris infamiam inferentibus proueniens. Græcis vocata αἰδώς. Cicero de Partitione oratoria, appellat verecundiam custodē omnium virtutum, dedecus fugientem, laudemq; maximè consequentem: estq; medietas inter impudentiam & stuporē, in actionibus colloquijsq; constitutam, agit, & loquitur, vbi, quando, & quæ expedit, Aristoteles in Magnis moralibus. Vrbanitas est lepor vultu, gestu, & verbis ad facetè incessendum demonstratus, cuius extrema: dicacitas & rusticitas: vel prodecantata conuitiatio, est in moderatè incessendo, & aliorum scommata perferendo, media inter scurrilitatem & rusticitatem. Scurra omnes incesit: rusticus non incesit, sed excandescit. Aristoteles in Magnis moralibus.

De Amicitia.

Amicitia est mens eadem in duobus, pluribusúe, inter se inuicem ad aliquid obeundum, cuius extrema sunt, inimicitiæ & assentatio. Partes verò: beneuolentia, concordia, amor, pax.

Amicitia est media inter assentationē & inimicitias, & versatur in actione, sermoneque. Assentator est qui plura quàm sit par, adsintque cuiquam, sibi arrogat, aut scire fingit, quę non nouerit. Infensus inimicus, qui derogat etiam quæ adsunt, quorum neuter iure laudandus accedit; inter quos medius accedit amicus: quippe qui nec plura quæ præsentibus cuiquā astruit, neq; minimè conueniant laudauerit, neque è contrario imminuit, neque aduersatur, præterquam existimetur tribuendum.

Amicitia, secundum Ciceronem de Amicitia siue in Lælio, est humanarum diuinarumq; rerum cum beneuolentia & charitate consensio, idem August. epist. 45. Vel, est voluntas erga aliquem bonarum rerum, illius ipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate. Cicero 1. Rhetoricorum. Vel, est beneuolentia pacis non latens. Aristoteles libro 8 Ethicorum. Vel, est studiorum omnium voluntatumq; consensus.

Partes amicitiæ quatuor.

Beneuolentia est bene aliquo sentiens & illi beneuolens opinio, cuius contrarium est maleuolentia. Vel, est bonorum erga proximum voluntas: Græcis εὔνοια. Plutarchus opposita dicit esse, inuidiam & odium, in libello de differentijs odij & inuidiæ. Maleuolentia dicitur à Græcis κακόνοια, id est, vt beneuolentia, bona voluntas, ita hæc mala voluntas dicitur.

Concordia est animorum aliquibus in rebus consensus, & imperādi alterius, & alterius obediendi (vt inquit Aristoteles) voluntas. Cuius contrarium, seditio, vel, vt alij, defectio: vel, est vnio appetituū velut eiusdem cordis: Græcè ὁμόνοια dicitur.

Amor est animi deuinctio erga quidpiam, siue id animatum siue inanimatum sit, honesti vel vtilis causa aut iucundi excitatus: cuius contrarium, odium.

Pax, qua pactis alligatæ mentes iure Gentium omni abacto odio saltem infesto, inter se vinciuntur: cuius contrariū discordia: vnde plerunq; bella oriuntur, sicut eadem per pacem sedari solent. At amicitiā inter externa locauimus, quod alterius in alterum magno sit plærunque vsui atque adiumento, idq; fortuitu.

Continentia est virtus, inquit Aristoteles, de concupiscibili parte nascens, ob quam animi turpibus sese non inmergunt voluptatibus. Continentiæ suum est, cupiditatem ratione compescere posse in abusus & malas procurrentem voluptates: & sufferre, & tolerantem esse egestatis ac ægrimoniæ, quas ipsas ingerat natura. alij ita definiunt.

Continentia est, per quam cupiditas consilij viribus regitur, per quam est iter ad temperantiam. At ipsa necdum, vt tam Hieronimus, quàm Aristoteles inquit, perfecta est virtus, cui tum nihil admodum deest: nempe cùm nulla cupiditate animus commouetur, tum demum est temperantia. *Cicero lib. 2. de Inuentione Rhe.*

Tres

In magnis Ethicis.

Tres species incontinentiæ.
- Vna ab ægritudine nascens, nempe ob corporis languorem, velut cùm quis per morbum ea agit, quæ sunt (vt Aristoteles autor est) propemodum dementis.
- Altera, à natura.
- Tertia, à Consuetudine.

Cicero. Clementia virtus est, qua animi ad irã accensi comitate retinentur, vel est lenitas superioris erga inferiorem in constituendis pœnis.

Seneca de Clementia. Clementię est mediocres reprehensiones, & mediocria tolerare conuitia, nec confestim ad vlciscendum proruere, nec in iram è vestigio irritari: comem verò & virtute & morib. ac minimè litigiosum esse conuenit: contra, sedatum animo & pacatum esse decet. grecis ἀνεξικακία vocatur.

Clementia. Alij sic definiunt. Clementia est per quã animi temerè & inconsultò alicuius iniectione facta irritati, comitate retinentur. Cuius contrarium, immanitas, à clementia non admodum abest.

Lenitas. Lenitas, quæ morũ quædã placabilitas est, cuius contrarium asperitas est.

Pudor. Pudor, quo verentur animi id agere, qđ minimè deceat, honesti reuerentia commoti. Cuius contrarium est impudentia, vel, vt Cicero, petulantia.

Pudor est timor iustæ vituperationis, qui affectus est honestissimus, & vt Aristoteles definit αἰσχύνη ἐστὶ φοβός δικαίου λόγου.

Castitas. Castitas est quum mens ab omni libidine est immunis, ac Venere religiosa mũditia, ac puritas. Cuius contrarium est libido, dictaq; à castigatione concupiscentiæ. Græcis ἁγνεία.

Pudicitia est, per quam ab omni illicita & turpi Venere mens est libera. Cuius cõtrariũ est stuprũ, vel incestus, à græco verbum, vnde incestare, receptum. Differunt aũt castitas & pudicitia: hæc enim est circa signum Venereorũ, vt tactus, oscula & huiusmodi: castitas verò circa Veneream cõmixtionem. Diuus Aurelius Augustinus in libello de definitionibus, ita castitatem definit: est virtus sub iugo rationis, impetum refrenans. Vel, est per domitas vitiorũ furias nuda, & honesta totius corporis habitudo.

Honestas est habitus mentis, per quem ad virtutẽ capessendã, religioso amore animi promouentur. Cuius contrarium est turpitudo. Cicero lib. 2. de finib. bonorũ & malorum definit honestum quod tale est, vt detracta omni vtilitate, vllis præmijs, fructibusq;, per seipsum possit laudari. Græcis. σεμνότης. Honestum propriè dicitur quod honore dignum est, & idem est cum virtute.

Moderatio est, qua animi sibi temperant, ac (vt Marcelli vtar verbo) aurigant modos, in quibus morati factis & dictis, & id genus alijs, quæ agendi officia, impotentias, & temeritatis incursus in se ferri non patiuntur: huius contriariũ, immoderatio.

Tres Moderationis species.

Taciturnitas est, qua mentes circumspicientes quid deceat, & quid non, silent cogitabundæ, nec putant proferendum antequam maturè cuncta examussim disputarint, ne ex ore magis quàm ex pectore erumpat oratio: huius extremũ lingua citas, vnde dicaces locutulei bãbaliones & futiles à veteribus sunt nominati. Græcis σιωπὴ appellatur.

Frugalitas est cibi potusq;, mentis frugi ac benè compositæ moderatio. Cuius cõtrarium voracitas. Vnde helluones & nebulões. Dicta est à fruge, qua nihil melius è terra oritur. Dicta græcis λιτότης Frugi homines appellantur, quos græci χρησίμους vocent, quòd scilicet in omni re motus animi moderẽtur: hinc frugalitas à nõnullis ita definita est: virtus, quæ motus animi regit & sedat, moderatamque in omni re nouit seruare constantiã. Media est inter prodigalitatem & auaritiam: quum nec nimis parcè rebus vtimur, nec nimis luxuriosè: Est igitur moderata parsimonia cibi & potus.

Parsimonia est, qua animi honesti & vtilis causa, ne dispendium faciant, & bona sua opum vel facultatum nomine appellata inutiliter inhonesteq; decoquãt, sed tueantur atq; custodiant, prudenter considerant: Cuius contrarium, luxuria & bonorum suorum dilapidatio, græcè φειδώ. Differt à frugalitate: quod parsimo-

nia est, quid generalius. Phocylides ἀρχόμενος φειδῦ ἁπάντων μὴ τέρμ' ἐπιδεύῃς in initio parsimonia vtere in omnibus, ne in fine indigeas.

Hesiodus.

Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι
Μεσσόθι φείδεσθαι· δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ.
Incipiente dolio & finiente satiare,
Sed in medio parce: grauis enim in fundo Parsimonia.

Puritas mentis innocentia est, qua nullo animi insontes vitio alligantur, & ne cogitatione quidem mala exæstuant. Cuius contrarium, versutia.

Bonitas bonum est, quo mentes nulla perturbatione quatiuntur, à natura ita instructæ, vt mali nihil cogitent aut etiam norint, confingere nesciunt. Cuius cõtrariũ, malitia: vel vt græco vtar verbo δόλος. De virtutibus hæc, nunc de vitijs.

De affectibus.

Cum binas humana anima, tam Aristotelis quàm Platonis sentẽtia, partes sortita sit, rationalẽ & rationis expertem: sicut ex rationali parte omnis honorabilis ac laudabilis emanat sensus, ita ex irrationali nascitur affectus, quod græci πάθος appellant: sed nostri modo affectum, modo affectionem, modo perturbationem, aliquando morbum: Neoterici passionem, & appetitum dicunt.

πάθος. *Affectio.*

Constituunt aũt genera affectuum, excandescẽtiam & cupiditatem, secuti Platonem & Aristotelem. rursus excãdescentiæ duas tribuunt species: de præteritis rebus dolorem, de futuris metum: totidẽq; cupiditati: nam de præteritis ei lætitiam deputant, de futuris spem ascribunt. Sunt autem qui pro dolore ægritudinẽ, pro spe libidinem ponãt. Cæterum his affectibus cõtrarias & aduersantes Stoici opposuerunt, quas vocant ἀπαθείας, Cicero constãtias nominauit, quas aiũt pro tribus perturbationibus siue affectibus in animo esse sapientis: pro spe voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem: pro ægritudine vel dolore, quam Neoterici tristitiam vocant, negauerunt aliquid posse in animo sapientis: stulti quippe aiunt esse, in malis affici opinatis, animosque demittere & contrahere rationi non obtemperantes. Voluntas porrò, inquiunt, expetit bonum, quod facit sapiens: quam ita diffiniunt.

ἀπάθεια.

Voluntas est, quæ cuiq; cum ratione desiderat: si quidem quæ à ratione diuersa est, incitata vehementius ea libido est, vel cupiditas, quæ effrenis in stultis hominibus inuenitur.

Libido uel cupiditas.

Gaudium, vt aiunt, de bono adepto, quod vbiq; adipiscitur sapiens, vt cum ratione animus mouetur placidè & clementer atque constanter: quum autem inaniter & effusè animus insurgat, tum ea lætitia, quam diffiniunt, sine ratione animi elationem.

Lætitia.

Cautio deuitat malum, quod debet sapiens deuitare: nam cum bona à natura appetimus & à malis declinamus, si declinatio cum ratione fiat, cautio appellabitur: quæ autẽ sine ratione & cum examinatione humili atq; fracta, metus nominatur, vt sit metus à ratione auersa cautio.

Declinatio cum ratione facta dicitur Cautio. *Metus.*

Dolor porrò quia de malo est, quod iã accidit: nullum autem malum existimãt posse accidere sapienti, nihil in eius animo pro illo esse posse dixerunt.

Ægrimonia, vel vt alij ægritudo, quæ opinio recens mali præsentis in quo demitti, contrahiq; animo rectum esse falso videatur, est (vt quidam inquiunt) irrationalis motus, omnem ex animo auferens delectationem: Vel, est animi aduersante ratione contractio. Apud Platonem Timæus, qui affectuum bina facit genera: ægritudinẽ & voluptatem ita diffinit: Aegritudo est bonarum rerum fuga, sicut voluptas malorum omnium esca, atq; illecebræ. alij: Aegritudo est opinatio recentis mali, in quo animus substernitur. græcis nominata ἀῤῥωστία. ἀῤῥωστέω ægroto ἄῤῥωστος ægrotus, imbecillis.

Cicero in quæstionibus Tusculanis.

Aegrimoniæ species decem & septem.

Seneca de clementia.

Misericordia est ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis. Nemo enim parricidæ aut proditoris supplicio misericordia ferè commouetur. vel vt alij: Misericordia est ægrimonia, cum animi digna vel indigna passum aliquem miserantur. Græcis ἔλεος vel ἐλεήμων.

Aemulatio est ægritudo, si eo, quod cõcupierit, alius potiatur, spe careat: quæ & in laude, & in vitio nomen habet: nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur: verũ

ad hoc

ad hoc nihil attinet, est siquidem laudis.

Inuidentia est ægritudo suspecta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti: nam si quis doleat eius rebus secundis, à quo ipse lædatur, non rectè dicitur inuidere: vt si Hectori Agamẽnon. Qui aũt cui alterius cõmoda nihil noceãt, tamen quũ doleat his frui, hic ꝓfectò inuidet. Græcis φθόνος appellatur.

Mœror est ægrimonia, quæ cũ animo penitus insederit, ipsum vehementer affligit. Alij sic: Mœror est ægrimonia flebilis.

Morositas est animi quædam displicentia, cum rudi & subrustica asperitate cõmouetur, quando non ita ad vnguẽ & ex eius sentẽtia actũ est, quod postulabatur. Hinc morosus peruersis moribus: moratus bonis moribus. græcis ἀνθάδεια.

Amentia est tam insignis ægrimonia, vt citra omnem rationis cogitationẽ deducatur atq; erumpat, vel secundũ Aristotelem, est vitium irrationalis animæ partis malè viuendi causa atq; principium. Ipsius proprium est res malè discernere, malè consultare, malè consuescere, malè præsentibus vti bonis, opinione falli in ijs, quæ ad vitæ cultum honesta bonaque pertineant.

Comites Amentiæ { *Inscitia, inexperientia, incontinentia. Execratio, Dei contemptus, obliuio.*

Amentia vel dementia (sine discrimine enim dici perhibent) est affectio lumine mentis carens.

Obtrectatio ægritudo ex eo, quod alter quoq; potiatur eo, quod ipse concupierit, quę riualitas etiam dici potest. Græcis ζηλοτυπία. Oritur ex amore non patiente consortiũ in re amata. Vel, secundum Chrysippũ, est ægritudo animi ex eo proueniens, quod timeas ne adsit alij, quod cum nemine velis habere commune, qui igitur ita amat, vt sit solicitus, ne quis amore suo perfruatur, zelotypus est.

Solicitudo est ægrimonia cũ cogitatione, q̃d osci, vt græci ὅλον vniuersum dixerint, mutata aspiratione in s. & citari, quasi totum commoueri, solicitum dicas: ἀκρίβεια græcè.

Confusio est ægrimonia mentem tam acri commotione perfundens, vt ob mentis caliginem & vehementem agitationẽ ne oculis quidem exposita, cõtra obtueri plerũq; ea agitati hominis possunt. Augustinus confusio, inquit, quæ mordet conscientiam, quam Hebræi Basun vocant.

Angor est ægrimonia premens.

Luctus est ægritudo ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo.

Ærumna, ægritudo laboriosa.

Dolor, ægritudo crucians.

Lamentatio, ægritudo cum eiulatu.

Molestia, ægritudo permanens.

Afflictatio, ęgritudo cum vexatione corporis.

Desperatio, ægritudo sine vlla rerum expectatione meliorum.

De metu.

Metus est opinio impẽdẽtis mali, quod intolerabile esse videatur, animi recessus & fuga. Aristoteles, metus, inquit, vitium irascibilis partis est, ob quem formidant, terrore presertim imminente: vtrunq; maximum animi malum.

Alij porrò ita definiunt.

Metus propriũ est, ad incidẽtes imminentesq; timores mobilẽ esse, præcipue q̃ mortẽ prætendere videantur, & corporales timere inflictus, & melius arbitrari vtcunq; saluum esse. q̃ perdi vel honestè.

Comites Metus. { *Mollities. Effœminatio. Laboris fuga. Vitæ nimia Cupiditas.*

Subest & huic vitio cautio quædam, et lites fugiendi consuetudo.

Metus est mali alicuius futuri suspiciosus cruciatus.

Oritur autem metus per totius caloris ex frigore contractionem, ad cor ipsum vndiq; decurrentis, vtpote ad suam sedẽ, tanq̃ in regiam vel arcem. Cæterum ægrimoniæ instrumentũ & excãdescentiæ est os ventris: nam huius affectus vim sese sentire significat: velut etiam Galenus medicus nobilissimus in tertio de demonstratione inquiens, mœrentibus nobis nõ parum flauæ bilis in ventrem defluit, quod planè modestiam exhibet, vt non prius à mœstitia & cruciatu cessemus, quàm bilẽ euomuerimus. Gignitur enim grauitas infernè per medium pectus chondri xiphidis nuncupante, quod ensis faciem referat.

Alij ita definiunt.

Metus est animi torpor circa census omnes sparsus, ex mali imminentis opinione.

Sub

Sub metu comprehenditur.	1 *Pusillanimitas*	8 *Socordia*	
	2 *Timor*	9 *Pudor*	
	3 *Pigricies*	10 *Verecundia*	
	4 *Terror*	11 *Formido*	
	5 *Pauor*	12 *Tumultus*	
	6 *Exanimatio*	13 *Trepidatio.*	
	7 *Conturbatio*		

Pusillanimitas animi, inquit Aristoteles, vitiũ est, quo impotẽtes videntur animi ad felicitatem infelicitatẽq;, honorẽ & dedecus sustinendum. Pusillanimitas igitur est, non honorẽ, non dedecus, non felicitatem, neq; infelicitatẽ posse sustinere, sed honoratum quidem obstupescere, aut inhonorari, ne in minima quidẽ parte posse viriliter & animosè satis obsistere: verùm latitare, attoniti planè animi est, infelicitatẽ magnã à parua neutiq̃ discernere in cũctis suspirare, ingemere & ægrè odiũ ferre. Huiusmodi est pusillanimitas, vt omnia conuitia contumelias vocet, et iniurias & honores auferri sibi queratur, etiamsi ignoratione, alteriusúe obliuione cõtigerint. Comitatur pusillanimitatem, paruis de reb⁹ habere sermonẽ, factũ vel fortunã incusare, despatio & summissio.

Timor est metus hominem aliqua de causa reddens meliorem, quod ab honestate ferè non absit. Vnde & nomen à quibusdam habuisse creditur: τιμὴ enim honor græcis dicitur.

Pigritia est metus consequẽtis laboris.

Terror est metus concutiẽs, ex quo fit, vt pudorem rubor, terrorẽ pallor, & tremor & dentium stridor consequatur.

Pauor metus est mentẽ è loco mouẽs, ex quo illud enim tum pauor omnem mihi sapientiam ex animo expectorat. Cicero in oratore allegat. Est autem, vt suspicor, Ennij Poëtæ.

Exanimatio est metus subsequens & quasi comes pauoris. Plautus, quid huc exanimatus currit Saurea?

Conturbatio est metus excutiens cogitata.

Socordia est, cũ quod animo agi oportuit, animi ipsi subueriti temerè ac inscitè, quod minus id efficiant, retinentur.

Pudor, quanquam aliquando virtutis locum obtinet, est tamen etiam metus admissi mali & pœnitentia.

Diuus autem Augustinus: pudor, inquit, est qui facit ingenuã frontem, etiam de falsi criminis obiectione. Rubore suffundi non est crimen, etsi est crimen, non est illius, cuius obijcitur.

Nemesius. Pudor est, inquit, metus de expectatione vituperationis excitatus, qui affectus est honestissimus.

Verecundia est metus in turpitudine cõmissa. Differunt sanè pudor & verecũdia: quod verecundia ob ea quæ deliquit cõfunditur atq; contabescit: pudibũdus autem de præclara opinione, atq; adeò gloria, in qua sic veretur planeq́; metuit excidere: licet plæriq; sæpenumero pudorem verecundiam, & verecundiam pudorem indifferenter vocent.

Formido est de re aliqua insolenti aut improuisa, ingens animi consternatio, & imaginarius cum tremore metus. Alij sic: formido est metus permanens.

Tumultus est, vt cũ Cicerone Quintilianus inquit, timor multus. Vt aũt zeno, vocis complosæ per metum eruptio.

Trepidatio est animo offusus horror, gestu, motuq́; corporis festinando vltrò citroq́; incursando demonstratus.

De cupiditate.

Cupiditas vel libido est appetitus, ac citra rationem auiditas.

Alij sic: Cupiditas est opinio venturi boni, quæ scitur ex vsu tam præsens esse.

Vel, cupiditas est effrenatus immoderatusq́; appetitus.

Partes cupiditatis 14.	*Auaritia*	*Iracundia*
	Superbia	*Inimicitia*
	Odium	*Discordia*
	Simultas	*Indigentia*
	Peruicatia	*Desiderium*
	Ira	*Feritas*
	Cupido	*Sæuitia.*

Superbia est cupiditas fastus & excellentiæ, atq; incessu præ se insolentiam ferens, socij & æqualis impatiens, inani de se existimatione, ab aliorum se consuetudine seiungens.

Odium est ira inueterata. Cicero lib. 4. quæstionum Tusculanarum. Vel, odium est vetus ira ex causis pluribus collecta, diuturno tempore perseuerans. August. in libris definitionum.

Simultas est occulta ac simulata vlciscendi cupiditas, verbis aliud ostẽtans et in animo aliud recondens. Vel est mendaciũ in signis factorum exteriorum. Græcis appel-

appellatur hoc vitium ὑπόκρισις.

Ira, est repetinus ac subitarius impetus & auiditas vlciscendi. Alij sic. Ira est libido puniendi, eius qui læsisse videatur iniuria. Aristoteles aût ira, inquit, est vlciscendi appetitus. Et rursus, ira est feruor sanguinis. Aut, sanguis circa cor incensus. Altera definitio materiam, altera speciē vel rationem spectat.

Cupido est libido circa res studiosas. Est nāq; acris affectatio ex irratiōali excitata affectu vel appetitu, vt Veneris aut honesti imagine decepta.

Iracundia est ira, quæ quum nata est desinere videtur, & placari: at tanquam sub cinere ignis exæstuans, quoad perfecerit. quamobrem cum incensa est, non cessat. Aristoteles autem inquit.

Iracundia est vitiū partis irascibilis, ob quam commobiles fiunt ob iram animi.

Tres species iracundiæ { *Bilis succensio*, *Acerbitas*, *Socordia.*

Est planè iracūdi, neq; posse omnino ferre exigua conuitia, neq; summisiones: esse verò trucem & vltorem, in iram mobilem, vbi sermo aut opera inciderunt.

Auaritia est vehemēs opinatio de pecunia, quasi valdè expetenda, inhærens et penitus insita.

De auaritia.

Aristoteles auaritia, inquit, est animæ auiditas, ob quam omnifariam congerēdarum opum crescit appetitus.

Tres species auaritiæ.

Lucri turpitudo est, qua ad omne lucellū aucupandum addicuntur animi, lucrum cuicunq; pudori præponentes.

Parcitas est, qua retinētur animi pecuniarū auiditate, vt q̃ parcisimos, etiā vbi decor secus postulet, sumptus faciant.

Animi angustia est, qua impendūt quidem animi, sed pauxillatim ac frigidè & malè administrantes, atq; adeò plus absumentes, quòd nō vbi occasio tulerat adhibitæ sunt: & nullum putare opprobriū, vtcūq, facientibus lucrū. Comitatur auaritiā, sermonem habere de rebus exiguis, anxietas, pusillanimitas, abiectio, immodestia, vilitas, humanum odium.

Inimicitia est ira vlciscendi, tempus obseruans. Ita enim Cicero.

Discordia est ira acerbior, intimo odio & corde concepta.

Indigētia, inquit Cicero, est libido inexplebilis, estq; rerum ipsarum, vt honorum & pecuniæ.

Desiderium est libido eius, qui nec dū adsit videndi.

Feritas est atrocisimæ cupiditatis rabies: vis in anima adeò accensa, & tam animo quàm corpori imperitans, vt omnē prorsus rationis motum extinguat, feris & bestijs simillima.

Sæuitia est seueritatem excedens, & feritate minor: cupiditas id efficere gestiens crudeliter, quod iure fieri posse videatur: vel est cupiditas ad immanitatem prorumpens.

De uoluptate.

Voluptas est citra rationē ad oblectandum cōmotio, & animi, vt Zeno inquit, ad oblectandum cū proposito motus.

Plato voluptatem omnium malorum escam vocat.

Aristoteles, voluptas, inquit, est eorū, quæ à nobis demum abfuerunt, cupiditati accesio, nō eādem cuiuis afferens suauitatis rationem.

Voluptatum aliæ. {
- Animales, quę per sese animę deputātur: quēadmodū quæ circa disciplinas atq; inspectionem omnem versantur.
- Corporales, quæ excommunicatione corporis atq; animæ gignuntur, ob idq; corporales appellatæ: sicut quæ circa cibos & coitus existunt.

Necessariæ pariterq; naturales, sine quibus viuere imposibile est, vt cibi, potus: necessaria indumenta.

Naturales ac non necessariæ, Legitimæ Veneres: quod ad generis humani propagationem faciant.

Comites uoluptatis 13. {
Incontinentia, *Intemperantia*, *Declaratio*, *Derisio*, *Petulantia*, *Dissolutio*, *Maleuolentia*, *Desidia*, *Injuria*, *Obliuio*, *Lætitia*, *Iactatio*, *Gloriæ uanitas.*

Intemperantia concupiscibilis partis vitium est, qua habitu, delectu, pernitiosis capiuntur animi voluptatibus.

Intemperantię proprium est, voluptatū perniciosarum, turpium, ac flagitiosarum oble-

oblectamenta deligere: idq; felicitatẽ arbitrari, & fucrrã esse, & dictis semper aliquẽ incessendi cupidum, nõ vrbanitatis, sed scurrilitatis & dicacitatis nimiũ amatorẽ, facileq; perfusum & proiectũ ad loquendum, actibus quoq; consimilem.

Comites intemperantiæ.	*Nocentia* *Impudentia* *Immunditia*	*Contemptus* *Conuitium* *Dissolutio.*

Incontinẽtia partis cõcupiscibilis vitiũ est, ob quam perniciosas voluptates præpedita parte rationali deligunt animi sibi consectandas. Porrò incontinentiæ est suarũ voluptatũ oblectationes repugnare, in ratione deligere, & ipsarum expertẽ esse, melius tamen arbitrari, nihilominus tamen eas sequi, & melius existimare, honesta & vtilia tractare, sed voluptate illectum ab honestate deficere. Comitatur incõtinentiam, mollicies, incuria, & plurima quæ etiam intemperantiam.

Delectatio est voluptas suauitate auditus animũ deliniens & remittens, & quasi qualis hęc aurium, tales sunt oculorum & tactionum & olfactionum, & quæ ex saporibus fiunt, quæ omnis generis vnius sunt ad perfundendum animum, tanquã ita exortæ voluptates.

Derisio est voluptas, quæ ex alienis orta est malis, obiectione et opprobrio erecta.

Petulãtia est voluptas mentẽ à ratione ad Venerem reuocãs, & cæteros illicitos trahens motus. Vel lasciua subsultatio, et sine modestia, proterua ac procax loquẽdi, vel potius blaterandi consuetudo.

Dissolutio est à virtute disiũctio: voluptas ad corporis flagitia ꝓcliuis, imbecillũ & mancum obeundis munijs corpus præstans: vnde chiragræ, & podagræ, & mala alia complura, quæ tamen alijs de causis & honestis oriri quidem possunt.

Maleuolentia est ex malo alterius voluptas sine emolumento suo. Græcè χαιρεκακία nominatur.

Desidia est ignaua quædam voluptas, omne quod laboriosum sit subterfugiẽs, animum ab artibus atq; honestis disciplinis ad mores pessimos deducẽs. vnde laudis & honoris contemptus, optimarumque rerum nascitur obliuio: quamobrem vt inquit Horatius, hæc vitanda est pessima Siren desidia.

Iniuria est maledicendi aut malefaciendi cuipiam voluptas.

Obliuio est præteritorum aut futurorum laborum per laudem compositorũ aut componendorum voluptuaria & voluntaria ac grata iucundaq; prętermissio omniumq; honestarum rerum ignauia, perditaq; negligentia.

Lætitia est præteritorum flagitiorum voluptuaria recordatio, & præsentiũ fruitio. Nam bonis in rebus gaudium, vt dictum est, Stoici esse volunt. Alij sic.

Lętitia est opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectũ esse videatur, Vel. Lætitia est profusa hilaritas.

Iactatio est voluptas de se multa inaniter prædicando, immodestè procaciterq; effutiendo. Alij sic.

Iactatio est voluptas gestiens, & se efferens insolentius.

Vana gloria est voluptas stultè ostentando quæ sua non sint, aut iactando quæ minime vera sint, et imprudẽter mẽtiẽdo: quod sanè vitium est summæ stultitiæ argumentum.

De uirtute & uitio in uniuersum, & est uelut Epilogus quidam harum definitionum.

Virtus est affectio animi constans cõueniensq;, laudabiles efficiens eos in quibus est, & ipsa per sese sua sponte, separata etiam vtilitate, laudabilis.

Ex ea proficiscuntur honestæ voluntatis sententiæ, actiones, omnisq; recta ratio: quanquàm & ipsa virtus breuissimè recta ratio definiri potest.

Huius virtutis contraria est vitiositas, quam græci κακία vocant: ita enim potius licet, quàm maliciam appellare, quæ certi vitij nomen est.

Vitiositas omnium vitiorum est, ex qua cogitantur perturbationes, quæ sunt turbidi animorum concitatiq; motus, auersi à ratione, & inimicissimi mentis, vitæq; tranquillę hostes. important enim ægritudines anxias & acerbas, animosq; affligunt & debilitant metu: ita inflammant appetitione nimia impotentemq; animum faciunt, à temperantia & moderatione plurimum dissidentem. Omniũ autem perturbationum fontem esse dicunt Stoici intemperantiam, quæ est tota à mente & à recta ratione defectio.

FLO-

DOMINICI NANI MIRABELLII, CIVIS ALBENSIS, ARTIVM DOCTORIS, POLYANTHEA.

A ET Ab, & Abs, Apud Latinos idē significant quod apud Græcos ἀπό, in significatione verò eandem vim habent. Nonnunquam pro post accipiuntur. Plinius: Et virus equi à coitu statim collectum: hoc est, statim post coitum collectū. In compositione aliquando priuationem significant, vt Amens, quasi sine mente: Absimilis, dissimilis. Abstemius, sine temeto. Ab re, præter rem, præter propositum. Nonnunquam ablationem significant, vt abduco. Differūt autem sic inter se, quòd A nunquā iungitur cum dictionibus incipientibus à vocali: Ab verò cum omnibus his iungitur, & sæpissimè cum duabus liquidis, & i cōsonante, vt ab lege, ab re, ab Ioue. Virgil. Ab Ioue principium Musæ. Abs cum te: vt abs te. Interdum cum q. Terentius: Abs quiuis homine beneficium accipere gaudeas.

Abactor, qui & abigeus, Græcè ἀπελάσις. τȣ. ὁ. dicitur & ἀπελάυω abigo. Est autem abactor, pecuariorum animalium fur. Ouid. Arte sua syluis occultat abactas. Vlpianus: Abigei sunt, qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur. Differt autem abigeus à fure: Quoniam Fur generale nomen est, Abigeus verò speciale. Nam si quis ouem vnam aut scropham in solitudine relictā abduxerit, fur dicetur, non abigeus: Qui verò greges ipsos aut armenta surripuerit, vel clàm, vel palàm, abigeus dicetur. Hinc crimen ipsum, Abigeatus.

Abacus Græca dictio est, nā ab illis ἄβαξ, ακος. ὁ. dicitur. Significatq; mensam super qua comedere consueuimus. Vel (vt alijs placet) super qua potoria vasa locantur. Iuuen. Lectus erat Codro Procula minor, vrceoli sex, Ornamentum abaci. Auson. Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem, Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto. Abacus etiam (vt testatur Hermolaus Barbarus in castig. Plinianis) significat planitiē ad sedendum habilem, factam è ligno, marmore, vel alia structura. Vnde & columnarum abacos & podiorum apud Vitruuium legimus. Est prętereà abacus oblita gypso tabella, in qua arithmetici numeri describuntur. Persius: Nec qui abaci numeros & secto in puluere metas Scit risisse vafer. Dicimus insuper per diminutionem abaculos, calculos supputationum. Indeq; ipsa ars arithmetica à nonnullis abacus nūcupatur.

Abdicatio Gręcè ἀποκήρυσις. ιος. ἡ. & ἀποκυρύττω abdico dicitur. Et autem abdicatio ex familia abiectio. Differtq; ab exhæredatione. Quod abdicare est expellere à bonis filium dum viuit pater. Exhæredare verò post mortem. Abdicareq; grauius est, cùm exhæredationem quoque in se contineat.

Exhæredari aūt grauius est, quàm testamento pręteriri. Hinc est, quòd Exhęredati filij pręteritis peiores iuris præsumptione existimentur. Quamobrem iure veteri filius paterno testamento exhæres esse iussus, ingratus præsumebatur. vt est apud Alciatum lib. 4. Paradox. cap. 11. Abdicare generaliter pro amouere, vt abdicauit se consulatu. Quare abdicatio pro priuatione ponitur.

Abdicatio rerum temporalium, secundū animi præparationem, vt scilicet homo sit paratus, si opus fuerit, omnia dimittere vel distribuere, pertinet directè ad perfectionem, non autē abdicatio rerum actualis. Quia sic in ea non consistit essentialiter perfectio, sed est quoddā perfectionis instrumentum Secundum B. Thomam Secunda secundæ, quæst. 188. articulo septimo.

Abyssus Græca dictio est, ἄβυσσος ȣ ὁ. Et est aquarum immensa profunditas. Diciturque ab α quod est sine, & basis fundamentum, quasi sine fundamento, vt placet B. Thom. 2. Sent. dist. 12. & super Psalm. 32. col. 6. Vel dicamus quod βισσὸς. ȣ. ὁ. idem est quod profunditas, quæ & βυθὸς. οῦ. ὁ dicitur: Additur igitur α, quod fit in multis dictionibus, vt στάχυς, υος. ὁ. & ἄσταχυς, id est, spica, & βληχρὸς. ȣ. ὁ. & ἀβληχρὸς debilis, vt legitur quinto Iliados. Eadem igitur ratione & abyssus dicimus.

Abiuratio Græcè ἀπάρνησις. ιος. ἡ. & ἀπαρνήτις. τȣ. ὁ. abiurator dicitur. Est autem abiuratio rei creditæ cū periurio denegatio. Plautus in Curguli. Qui abiurant quod creditum est. Virgil. Abiurataq; rapinæ Cælo ostenduntur.

Abominatio Gręcè βδέλυγμα. τος. τὸ. & βδελυκτὸς. ȣ. ὁ. abominabilis dicitur. Est autem abominatio actus appetitus refugientis cognitionem alicuius rei. Vel est intensum odium, secundum B. Thom. super Psalm. 13. col. 2. & 3. Sen. dist. 26. quæst. 1. art. 3.

Abominor Gręcè βδελύττομαι dicitur. Et significat idem quod execror & fastidio, & quasi pro malo omine habeo, & sine aspiratione ꝓfertur.

Abortiuus Græcè ἐκτρωμα ατος τὸ & ἐκτρώσκω aborior dicitur: Est autem abortiuus, fœtus nascens ante tēpus debitum: vel fœtus vi eductus, vel non perductus ad debitam quantitatem, secundum Isidorum, & B. Thom. super 1. epistol. Pauli ad Corin. 15.

Abrogatio Græcè ἀποχύρωσις. ιος. ἡ. & ἀποκυ-

ῥόω abrogo dicitur. Est aũt abrogare legẽ, eam irritare atq; infringere. Derogare autem legi, est aliquid ex ea detrahere. Modestinus: Derogatur legi, cũ pars detrahitur: Abrogatur lex, cùm ꝓsus tollitur. Hinc derogatio & abrogatio deducũtur.

Absolutio Grecè ἀπόλυσις.ιος.ἡ. & ἀπολύω absoluo dicitur.

Absolutio criminis triplex est: Prima per dispensationẽ: secũda, per sententiã crimine nõ ꝓbato: tertia, per pœnitentiã. gl. in c. de his. De ac.

Absolutio, & relaxatio differũt. Quia absolutio respicit secundũ aliquos absolutionem pristinam cum solẽnitate, scilicet cum psalmo pœnitentiali, Miserere mei Deus, vt ponit Gui. Du. in Spe. inti. vna. Sed verbum relaxatio respicit absolutionẽ non solennem, vt dicit gl. Absolutio respicit iustam excõmunicationem: Relaxatio verò iniustam, quæ tamẽ tenet, sed venit relaxanda, iuxta c. Sacro. De sen. excom. vel absolutio respicit absolutionem ad cautelam, quando quis negat se excommunicatũ, sed tamen petit ab cautelam se absolui: vtrunq; secũdum Doct. potest saluari ex glo. in ca. Absolutionis de his, quæ vi metúsve causa fiunt, capitulo Vnico.

Absonus ἀπηχής.εος.ὁ ἡ dicitur. Et est absonũ parui & ferè nullius soni. Cicero: Sunt quidam aut lingua ita hæsitantes, aut ita voce absoni.

Abstemius is dicitur, qui à vino abhorret, ab abs, quod est sine, & temetum, quod est vinum grauius: sic dictum, quòd tentet, hoc est labefactet mentẽ, vt placet Donato. Inde temulentus, qui Græcè μέθυσος.ου.ὁ dicitur, ebrium significat. Terent. Pol temulenta est hæc mulier, & temulentia, quæ Græcè μέθη.ης.ἡ dicitur, ebrietas est. Hinc etiam temerè, quod Græci ἀβούλως dicitur, aliqui deductum volunt, quod significat stultè, inconsideratè, qualis est ebriorum conditio, qui nec timent quicquam, nec quid faciant vident. Inde etiã temerarius ἄβουλος.ου.ὁ ἡ, hoc est audax, & temeritas ἀβουλία.ας.ἡ, hoc est audacia.

Abstinentia est ciborum subtractio, quæ contingit sex modis.

- Abstinet. Eger. Egens. Cupidus. Gula. Simia. — Virtus.
- Propter solam sanitatem conseruandam, vel acquirendam. — Eger.
- Propter penuriam solùm. — Egens.
- Propter auaritiam — Cupidus.
- Propter delectationem sequentem comestionem. — Gula.
- Propter inanem gloriam, vel hypocrisim. — Simia.
- Propter Deum, & est duplex, scilicet Virtus
  - Discreta, quæ est ratione regulata moderatio ciborum. Quod fit cùm quis abstinet à cibis, vt oportet, congruentia personarum cum quibus viuit, & personæ suæ: & pro valetudinis suæ necessitate, nec pertinet ad regnum Dei, nisi cùm fit rationabiliter, & ex dilectione Dei, quæ secundum Archiepiscopum Florentinum
    - Causatur vel conseruatur in quatuor, quæ sunt
      - Assuefactio ad aliquod licitum.
      - Debita ordinatio, quã faciũt 5. conditiones, scil.
        - Expectatio conuenientis horæ manducationi.
        - Moderatio delitiarum in cibis pro personarũ statu & conditione.
        - Moderata ciborum sumptio in quantitate secundum complexionẽ
        - Non ardens, nec rapax edacitas.
        - Sĩplex & nõ accurata, nec studiosa ciborũ ꝑparatio.
      - Elongatio ab allicientibus ad gulam: quales sunt pingues mensæ.
      - Considera tio inducentium ad abstinentiam, quæ sunt:
        - Natura, q̃ secundũ Phil. li. animaliũ os paruũ & guttur arctũ hoĩni dedit.
        - Scriptura, qa initiũ vitæ hoĩs panis & aqua. Ec. 29.
        - Fortuna inducens ad vitæ parcitatẽ, cùm omnes homines habeant eandẽ naturæ parilitatem.
        - Mors futura, de qua Gre. Nihil sic valet ad carnis desideria domanda, sicut cogitare qualis sit futura mortua.
    - Efficit in homine
      - Quo ad animã, vel mentem
        - Eleuationem mentis.
        - Memoriæ tenacitatem.
        - Intellectus acuitatem.
      - Quo ad corpus
        - Corporalem vitam delectabilem & sanam facit.
        - Templum Dei efficit.
        - Munditiam corporis causat.
  - Indiscreta. Triplex secũdum B. Thom. 4. sententiarum, distinct. 15. q. 3. articulo primo.
    - Cùm licet natura paucis contẽta sit, subtrahũtur necessaria vitæ, de quo Hier. in Decret. de con. di. 5. Non mediocriter. De rapina holocaustũ offert, qui tẽporaliũ bonorũ, vel ciborũ nimia egestate, vel mãducãdi, vel somni penuria immoderatè corpus affligit.
    - Cùm subtrahuntur necessaria valetudini debita, circunstantia locorum, officiorum, & personarum.
    - Cùm per ea omittuntur vtiliora, vnde Hiero. de consec. dist. in. 5. Non mediocriter. Rationabiliter hono dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert.

Abstinentia quę Grecè ἐγκράτεια.ας.ἡ. nam & ἐγκρατὴς,έος.ὁ.ἡ.abstinens dicitur: & subtractio ciborum ratione regulata, vt placet Beato Thomæ Secunda secundæ, quæst.146.art.1.

Abstinentia est à cibo & potu, non quia aliqua Dei creatura mala sit, sed pro sola corporis castigatione cessatio, secundum Augustinum de fide ad Petrum.

Abstinentia est cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionisq́; & superbiæ, secundum Commentatorem super pri. Ethi.

Abstinentia (vt quidā volunt) sic differt à cōtinentia, quòd continentia est, cùm nos à voluptatibus continemus. Abstinentia autem pro iustitia accipitur, cùm scilicet abstinemus ab alienis, nulli vim inferētes, nihil cuiquā eripientes. Continentiæ poteris dare nomē abstinentię potius quàm econtrà. Continentia enim quid specialius est: Abstinentia verò generalius. Sicuti temperantia putatur sub iustitia esse, vel ab ea non posse separari. Illa verò sine hac frequenter est. Quare ritè cōtinentia vocatur abstinentia.

Ecclesiast.31.

Vtere, quasi homo frugi * his, quæ tibi apponuntur.

*Vulgata editio ijs.

Ibidem.

Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum: & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties * dolorem.

*Vulgata, laborem.

Ecclesiastici 37.

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram. Propter crapulam multi perierunt. Qui autem abstinens est, adijciet vitam.

Romanor.14.

Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculū manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut scādalizatur, aut infirmatur.

Aug. sup. Ioan & habetur de conse. dist.5.c. Ieiunium.

Ieiunium autem magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus seculi: quod est perfectum ieiunium in hoc seculo. Quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus, quum bene viuimus, cùm ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abstinemus.

August. sup. epist. Ioan. & habetur dist.41. Delitiæ.

Delitiæ quælibet si absque desiderio percipiantur, non officiunt. Et viles cibi appetenter accepti, impediunt profectum abstinentiæ. Dauid enim aquam malè concupitam effudit, & Helias carnem comedit.

August. lib. de doct. Christ. & hab. dist.41. Quisquis.

Quisquis rebus pretereuntibus restrictius vtitur, quàm sese habent mores eorum cum quibus viuit, aut intemperās, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorū, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido in culpa est. Quid igitur locis & temporib. & personis conueniat, diligenter attendendum est. Nec temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis preciosissimo cibo sapiens vtatur. Insipiēs autem, fœdissima gulę flamma in vilissimum olus ardescat. Et sanius quisq; maluerit more Domini, pisce vesci, quàm lenticula more Esau nepotis Abrahæ, aut hordeo more iumentorum. Non enim propterea cōtinentiores nobis sunt pleræq; bestiæ, quia uiliorib. aluntur escis. Nam in omnibus huiuscemodi rebus, non ex earum rerum natura quibus vtimur, sed ex causa vtendi & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum est quod facimus.

Aug. lib. q. Euan. & habetur dist.41. Quod dicit.

Quod dicit Dominus in Euangelio: Iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis, ostēdit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinēdo, nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerādi inopiam: & temperantia per abundantiam non se corrumpendi atq; opportunè sumendi vel non sumēdi ea, quorum non vsus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimētorum sumas, vt succurras necessitati corporis, dūmodo congruat in generibus alimentorum his, cum quibus tibi viuendum est. Neq; quantum sumas interest multùm, cùm videamus aliorum stomachum citiùs saturari cibis, & eos tamen illi ipsi paruo quo satientur, ardenter & intolerabiliter & omninò turpiter inhiare.

August. lib. quæstionum noui & ueteris Testamenti, & habetur 33. quæst.4. Christiano.

Christiano cū vxore sua aliquando conuenire licet, aliquando non licet. Propter processionis enim dies & ieiuniorū, aliquando non licet cōuenire. Quia à licitis etiam abstinendum est ad tēpus, vt * faciliùs impetrari possit, quod postulatur. Vnde Apostol. Ex cōsensu, ait, abstinendū est ad tēpus, vt expeditiùs vacetis orationi.

*al. às, expeditiùs.

August. de uerbis Domini, & hab. dist.41. Non cogantur.

Non cogantur diuites pauperum cibis vesci, vtantur consuetudine infirmitatis suæ. Sed doleant aliter se non posse sustentari. Si consuetudinem mutant, ægrotant. Vtantur superfluis, dent inopib. necessaria. Vtantur preciosis, dent pauperibus vilia.

August. de diffinitione rectæ fidei.

Bonum est in cibo cum gratiarū actione percipere quicquid Deus edendum præcepit. Abstinere autem ab aliquibus, non quasi malis, sed quasi non necessarijs, non est malum.

August. in sermone in Dominica 4. in aduentu.

Qui sic se carnibus temperant, vt alias escas difficilioris præparationis & precij maioris inquirant, multùm errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam.

Augustinus super illud ad Roman. 14. Noli propter escam destruere opus Dei.

Non propter porcũ, sed propter pomũ mortem primus homo inuenit. Et Esau primatum suum non propter gallinã, sed propter lenticulã perdidit. Scio enim Noë omne genus carnis quod cibo esset vsui, manducare concessũ. Heliam cibo carnis refectũ. Ioannẽ mirabili abstinentia præditũ, animalibus locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum, & Dauid propter aquę desideriũ à seipso reprehensum, & Regem nostrũ non de carne, sed de pane tentatũ.

Augustinus ad sacras Virgines.

Sobrietas est mentis & sensus, membrorum omnium corporisq́; tutela, castitatis pudicitięq́ue munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacisq́; serua, honestatiq́; semper coniuncta, criminum atq; vitiorum omnium profuga.

Augustinus ibidem.

Sobrietas temeritatem fugat, pericula cũcta declinat, mutuis officijs obtemperat, superbiã detestatur, domum familiamq́;, cum moderatione gubernat, fidem sibi comittentibus seruat.

August. lib. de adult. coniug. & hab. 27. q. 2. Si tu.

Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Hieron. contra Iouinianum epist. 8. cap. 1.

Quanto maior est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tãto maius est præmium.

Hieron. & habetur de consec. dist. 5. Ne tales.

Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comestos, magno paratos & perditos labore doleamus. Holerum, pomorum ac leguminum facilior apparatus est, & arte impendijsq́; coquorũ non indiget: & sine cura sustentat humanũ corpus, moderateq́; sumptus. (quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet) leuiori digestione concoquitur.

Ibidem.

Morbi ex saturitate nimia concitantur. Multiq́; impatientiam gulæ, vomitu medentur: & quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt.

Hieron. & habetur distin. 35. Ecclesiæ.

Ecclesiæ principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas atq; lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit: quod eijciendi sunt de spaciosis domibus, lautisq́; conuiuijs & multo labore epulis conquisitis. Et si vis scire quò eijciendi sunt propter malas cogitationes & opera sua, Euangelium lege: In tenebras .s. exteriores, vbi erit fletus & stridor dentiũ. An non cõfusio & ignominia est, Iesum crucifixũ pauperem & esurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaq́; ora proferre. Si in Apostolorũ loco sumus, nõ solum sermonem eorũ imitemur, verũetiam conuersationem & abstinentiã.

Hieron. & habetur de conse. distin. 5. Non dico.

Non dico hebdomadas, non dico ieiunia duplicata, sed saltem singulos dies absq; ciborum luxuria transigamus.

Hieronymus ibidem.

Sint tibi ieiunia pura, continua moderataq́;: id est, continuè esurire, & quotidie prandere. Apostolus inquit: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vtere vino ꝓpter infirmitates tuas, Curat enim vulnera delinquentis, curatosq́; sanctificat ieiunium.

Hieronymus ibidem.

Sint tibi quotidiana ieiunia & refectio satietatem fugiens. Nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso vacuum portare vẽtrem, si pòst pariter * obruatur. **aliàs, obstruatur.*

Hiero. & hab. de conse. dist. 5. Non mediocriter.

Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonũ. Nónne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, aut vigilias pręfert sensus integritati?

Hieron. ad Iouin. & hab. de con. dist. 5. Legimus.

Legimus quosdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse. Caruerãt enim solicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animam. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt pœnitentiam.

Hieron. in epist. ad Demetriaden.

Abstinentia tua, atq; ieiunium eò magis Deo grata sunt, quò cum moribus sanctis offeruntur. Vt quæ in alijs sunt vmbracula vitiorum, in te sint ornamenta virtutum.

Hieronymus in epistola ad Furiam.

Inde est, quòd nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium putãt: & leguminib. onerant stomachũ, Quę moderatè, parceq́; sumpta, innoxia sunt. Et vt quod sentio, loquar: nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructusq́; conuulsus.

Hieronymus ad Rusticum.

Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ vtilis est.

Hieronymus ad Lætam.

Ante annos robustæ ætatis periculosa est teneris, abstinentia grauis.

Hieronymus ad Celantiam.

Quid autẽ prodest tenuari corpus abstinentia?

tia, si animus intumescat superbia? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atq; odio inebriari?

Hieronymus ad Paulinum, de institutione Monachi.

Sit vilis & vespertinus cibus, holera & legumina; interdumq; pisciculos pro summis ducas delicijs. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere de quàm preciosis cibis stercus conficiat.

Hieronymus ad Eustochium.

Sponsa Christi vinũ fugiat pro veneno. Hæc aduersus adolescentiam prima arma sunt dæmonũ. Non sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile alijs caremus vitijs, hic hostis nobis intus est. Quocunque pergimus, nobiscum inimicum portamus. Vinum & adolescentia, duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignea ministramus?

Ibidem.

Sollicitè prouidendum est, vt quos saturitas à Paradiso expulit, esuries reducat.

Ibidem de seipso ait.

De cibo vero & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit.

Hieronymus ad filiam Mauri.

Carnis & vini species, quasi caloris fomenta, & libidinis incrementa fuge. Et tunc fortè vino exiguo vtere, cùm stomachi dolor & nimia corporis compellit infirmitas.

Ambro. in ser. de ieiunio, & hab. distin. 35. Sexto die.

Gula à paradiso regnantem expulit. Abstinentia ad paradisum reuocauit errantem.

Idem in sermone Quadragesimæ.

Fames amica virginitati est, inimica lasciuię. Saturitas verò ꝓdigit castitatẽ, nutrit illecebrã.

Ambrosius libr. de Ieiunio.

Initium vitæ hominis, panis & aqua. At nunc quicquid piscium natat, quicquid auiũ volitat, quicquid ferarũ discurrit, nostris vẽtrib. sepelit.

Ibidem.

Quũ ebrij fuerint, de continentia disputant. Ibi vnusquisque pugnas suas enarrat, ibi fortia facta prædicat. Vino madidus & somno solutus, nescit mente quid lingua proferat.

Ambrosius libr. de Virginitate.

Iuuenem veteres fabulę ferunt, cùm propter admirandam oris pulchritudinem in amorem incenderet fœminas, vultum exarasse stigmatibus, ne qua eum amare posset.

Ambrosius libr. de Viduis.

Propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerat, quàm coniugij oblectamenta nescire.

Gregor. Natali episcopo, & hab. di. 44. Conuiuia.

Conuiuia communia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, rectè vestra fraternitas in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt: cùm in eis nulla abstinentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehẽditur, nec in eis inanes secularium negotiorum fabulę: sed verba sacrę lectionis audiuntur: cùm non plus quàm necesse est seruitur corpori; sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. Hęc itaq; si vos in vestris cõuiuijs agitis, abstinentium (fateor) magistri estis.

Gregorius Tentitiæ patricio: & hab. 27. q. 2 Sunt qui. §. Duobus enim modis.

Duobus enim modis sancti viri etiam à licitis abstinere solent. Aliquando, vt merita apud Deum omnipotentem sibi augeant: aliquando, vt actæ vitæ culpas detegant.

Gregor. homil. 7. super illud Ezechielis: Scio abundare & penuriam pati.

Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, qui non solus possidet quod accepit, sed hoc indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur: sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit quàm necessitas petit, scit *satiari. Quid alimentorũ inopiã sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, vnde anima laqueum peccati incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantia superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati.

*aliàs, saturari.

Gregor. homilia 25. super Euangelium.

Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. Et qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debet & concessa: & se reprehendat in minimis, qui meminit in maximis deliquisse.

Idem libro 5. Moralium.

Solis in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit.

Gregorius libro 9. Moralium.

Discretionis moderamine cura carnis seruanda est. Et minimè principetur, ne quasi domina animum vincat: sed subacta mentis dominio, quasi ancilla famuletur.

Idem libro 20. Moralium.

Abstinentiæ virtus nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: Aut valde inordinata est, si atterit plus quàm valet.

Gregor. lib. 30. Moralium.

Ad conflictum spiritualis agonis non assurgitur, si non infra nosmetipsos prius hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur. Quia si non ea, quę sunt nobis viciniora, ꝓsternimus: inaniter ad ea quę lõgius sunt impugnãda trãsimus. Incassum namq; contra extraneos inimi-

cos in campo bellum geritur, si intra vrbis mœnia ciuis insidians habetur.

Ibidem.

Non cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerunq; sine culpa sumimus, & abiectiores nõ sine reatu cõscientię degustam⁹.

Gregorius lib. 30. Moralium.

Magnus discretionis labor est exactori, & aliquid impẽdere, & aliquid denegare: & non dando gulã restringere, & dando naturam nutrire.

Gregorius ibidem.

Per abstinentiã carnis vitia extinguẽda sunt, non caro. Sic necesse est, vt artem continentiæ quisque teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpè enim dum in illa hostem consequimur, etiam seuerè quem diligimus, trucidamus. Et sæpe dum quasi cõciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus.

Gregorius lib. 30. Moralium.

Eisdem alimentis vitia superbium, quibus nutritæ virtutes viuunt. Et cùm virtus alitur, plerunq; vires vitijs argumentantur. Cùm verò immensa abstinentia vitiorũ vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat.

Ibidem.

Dominante gulę vitio, omne quod homines fortiter egerunt, perdunt: & dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur.

Gregorius in Pastorali.

Incassum per abstinẽtiam corpus atteritur, si ordinatis morib. dimissa mens vitijs disputatur.

Ibidem.

Ieiunium sanctificare, est adiũctis bonis alijs dignam Deo carnis abstinentiam ostendere.

Gregorius in Pastorali.

Admonendi sunt abstinentes, vt nouerint quia tunc placentẽ Deo abstinentiam offerunt, cùm ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus largiuntur.

Gregorius in Registro.

Sanctius est modico vino vti propter infirmitatem, quàm multa aqua ingurgitari propter auiditatem.

Gregor. homil. 10. Cùm natus esset Iesus in Beth.

Nato regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, vt suaui odore per cæleste desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis desideria per abstinentiam mortificamus.

Gregor. in homil. Si quis uult uenire.

Duobus modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus.

Ioan. Chrysost. & hab. de con. dist. 5. Nihil enim sic.

Nihil enim sic iucundum est, sicut cibus bene digestus, aut decoctus: nihil salutem, nihil sic sensuum acumen operatur: nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento & sospitatẽ simul procreat, & voluptatem. Abũdantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo ciborum, magis autem & multo maiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat eum de hac vita pœnali. Excessus verò ciborum consumit, & computrescere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diurna, & tunc eum morte crudeli * consumit. *legas absumit aliàs.

Isidorus super Amos prophetam.

Qui cibis abstinent, & * mala agũt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus deest. * aliàs, prauè.

Leo Papa & hab. distin. 76. igitur.

Si quid fortè inter ipsa festiuitatis gaudia negligens libertas, & licẽtia immoderata præsumpserit, hoc religiosæ abstinẽtiæ cẽsura castiget.

Leo in sermone de ieiunio decimi mensis.

Semper virtuti cibus ieiunium fuit. De abstinentia quoque castæ prodeunt cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia. Et per voluntarias afflictiones, caro concupiscentijs moritur, & virtutibus spiritus innouatur.

Ioannes Cassianus de instit. Monachorum.

Melior est rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quàm per interualla arduũ longumque ieiunium. Nouit immoderata inedia, non solùm mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam.

Ibidem.

Quibuslibet escis refectus venter seminaria luxurię parit, nec præualet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consueuit, verùm etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem ac nutabundam eam reddit, omniq; integritatis ac puritatis contemplatione despoliat.

Boëtius lib. de Philosophica consolatione.

Si quod * naturę satis est replere indigẽtiam velis, nihil est quòd fortunæ affluentiam petas. Paucis enim minimisq; natura contenta est, cuius sacietatem si superfluis velis vrgere, aut iniucundum quod infuderis, fiet: aut noxium. * aliàs, natura.

Seneca ad Lucilium.

Multos morbos fercula multa ferũt. Innumerabiles morbos, innumerabiles coquos numera.

Ibidem.

Vna sylua pluribus elephantibus sufficit: homo verò pascitur vix terra & mari.

Seneca epist. octaua.

Hanc sanam ac salubrem formam vitę tene, vt corpori tantum indulgeas, quantũ bonę valetudini satis est. Cibus famẽ sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum

sit aduersus infesta corporis. Hanc vtrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest. Scito te hominem tam culmo quàm auro tegi. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.

Seneca ad Luci. epist. 21.

Venter præcepta non audit. Poscit, appellat, non est tamen molestus creditor, paruo dimittitur, si modò das illi quod debes, nò quod potes.

Ibidem.

Sine fastidio implẽdus est venter. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat perditurus quicquid acceperit.

Seneca epistol. 51.

Ventri obedientes, animalium loco numeremus, non hominum.

Seneca ad Lucil. epist. 75.

Multis tormentum est vino carere, & prima luce excitari. Non est summa felicitatis *nostrę in carne ponenda.

*aliàs vacat nostræ.

Seneca ad Lucilium epist. 85.

Ad vos deinde transeo, quorum profunda & insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras, alia hamis, alia laqueis, alia retium varijs generibus cum magno labore persequitur. Nullis animalibus, nisi fastidio pax est.

Seneca ibidem.

Infelices estis, qui intelligitis vos famem maiorem habere quàm ventrem.

Seneca epist. ad Lucilium 92.

Fastidiẽtis stomachi est multa degustare, quę vbi varia sunt & diuersa, inquinant, non alunt.

Ibidem.

Subtilitas animi ciborum copia impeditur.

Aristoteles lib. de sensu & sensato.

Esurientibus sapores & odores sunt delectabiles, sed plenis & nihil egentibus nec odores, nec sapores sunt delectabiles.

Aristoteles lib. de somno & uigilia.

Vinum bibere non conuenit pueris.

Idem libro secundo Politicorum.

Bonum est ab aliena muliere abstinere propter temperantiam.

Aristoteles libro 7. Politic.

Bonum est pueros esse sine vino.

Arist. lib. 3. secretorum sumptum ex Homero.

Sume cibum modicè, modico natura fouetur,
Sic mentem refice, mens ut ieiunia seruet.

Laërt. Diogenes de uita & moribus philosophorum.

Lycurgus philosophus, & princeps Lacedæmonius, iuuenibus non amplius vna veste toto anno vti permisit, nec aliquẽ cultius altero progredi, nec opulentius epulari.

Ibidem.

Quum Socrates quosdam hospites suos satis tenui cœna exciperet, ait: Si boni sunt, æquanimiter ferent: si mali, non est curandum.

Macrobius libro 2. Saturnalium.

Congrediendum est nobis, tanquam in acie quadam cum voluptuarijs rebus, cumq; ista vini licentia cominus decertandum, vt aduersus eas non fuga, nec absentia simus tuti, sed vigore animi & constanti præsentia, moderatoque vsu temperantia continentiaq; tueámur.

Macrobius libro 3. Saturnal.

Iustæ nimium causæ fuerunt, propter quas tot numero leges de cœnis & sumptibus ad populum ferebantur. Et imperari cœptum est, vt patentibus ianuis pransitaretur & cœnaretur. Sic oculis ciuium testibus factis, luxuriæ modus vt fieret. Prima autem omnium de cœnis lex ad populum Orchia peruenit. Summa autem eius præscribit omnibus numerum conuiuarum. At nisi pessimis effusissimisq; moribus viueretur, profectò opus ferendis legib. non fuisset.

Macrobius Saturnalium libro 7.

Ita etiam vitanda est ciborum varietas, vt varia solent vina vitari. Nam pulmentorũ varietas recipit varia condimẽta, quib. gula vltra quàm naturæ necesse est, lacessitur. Et fit inde congeries, dũ pruritu desiderij amplius, vel certè de singulis parua libãtur. Sic Socrates suadere solitus erat illos cibos potúsve vitandos, qui vltra sitim famemq; vitandã producũt appetẽtiam.

Aulus Gellius libro 17. cap. 19. Noctium Atticarum Epictetum dicere solitum ait:

ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id est, patere & abstine.

Cicero libro ultimo Tusculanarum quæstionum.

Paruo cultu natura cõtenta est. Etenim quis hoc non videt, desiderijs ista condiri omnia. Darius in fuga cùm aquam turbidam & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius, nunq̃ videlicet sitiens biberat.

Ibidem.

Persarum à Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter Nasturcium.

Ibidem.

Est præclara epistola Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptũ est his ferè verbis: Nullo modo placuit, bis in die saturum fieri.

Cicero lib. 1. de diuinatione.

Nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnijs, liberq; sensib. ab omni impeditione curarum, iacente & penè mortuo corpore, quia vixit ab omni ęternitate, versatusq; est cũ innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura rerum sunt, videt, si modò temperatis escis, modicisq; potationib. ita est affectus, vt sopito corpore ipse vigilet, hæc somniantis est diuinatio.

Cicero libro de Senectute.

Tantum cibi & potionis adhibendum est, vt reficiantur vires, non vt opprimantur.

Cicero lib. 4. Rhetoric. nouorum.

Esse * oportebit vt viuas, non viuere vt edas. *aliàs, oportet.

Idem lib. de finibus bonorum & malorum.

Socrates dixit esse condimentum escæ famẽ, potionis sitim.

Valer. Max. libr. 2. de institut. antiquis.

Bonæ valetudinis, quasi quædam mater est frugalitas, inimica luxuriosis epulis, aliena à nimia vini abundantia, & ab omni immoderato Veneris vsu auersa.

Ibidem.

Fuit illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul & continentiæ certissima index. Nam maximis viris, prandere & cœnare in propatulo, verecundię non erat. Nec sanè vllas epulas habebant, quas populi oculis subijcere erubescerent. Erant adeò continentiæ dediti, vt frequentior apud eos pultis vsus, quàm panis esset.

Valerius. Max. lib. 4. cap. de abstinentia & contin.

Ii demum penates, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, vbi minimũ viriũ Veneris, pecuniæq; cupido sibi vendicauerit. Nam quò istæ generis humani certissimę pestes penetrauerũt, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat

Valerius Maximus ibidem.

Quartum & vigesimum annum agẽs Scipio, quum in Hispania Carthagine oppressa maioris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, multosq; obsides, quos in ea vrbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ virginem, ętatis adultę, & iuuenis & cœlebs, & victor, postquam comperit illustri loco inter Celtibęros natam, nobilissimoq; gentis eius iuueni desponsatam, accersitis parentibus & sponso, inuiolatã tradidit. Aurum quoq;, quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit.

Valerius Maximus ibidem de M. Catone.

Ex eodem naturę vtero & continentia natus est & Cato.

Ibidem.

Age, si quis hoc seculo vir illustris pellib. hœdinis pro stagulis vtatur, tribusq; seruis comitatus Hispaniam regat, & quingentorum assium sumptu trãsmarinam prouinciam petat, eodem cibo, eodemq; vino, quo nautæ vti contẽtus sit, nónne mirabilis existimetur? Atqui ista patientissimè superior Cato tolerauit. Quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitæ cum summa dulcedine continebat.

Valerius Maximus ibidem.

Prætoris non solum manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere, dixit Socrates.

Pogius lib. 3. de uita Cyri ex Xenophonte traducta.

Is ergo cibus mihi sumẽdus videtur, qui neq; somno nos oppressos reddat, neq; insanos. *aliàs, incerti auctoris.

** Menander.*

γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν. id est.

Ventris autem conare omnem habenam continere. Idem.

ἡ κοιλία κ̓ πολλὰ χωρεῖ κ̓ ὀλίγα. id est,

Venter & multa capit & pauca.

Virg. in paruo tracta. de uino & Venere.

Nec Veneris, nec tu uini capiaris amore,
Vno namq; modo uina Venusq; nocent. Ibidem.
Compedibus Venerem, uinclis constringe Liæum,
Nec te muneribus lædat uterq; suis.
Vina sitim sedant: Natis Venus alma creandis,
Sed fines horum transilijsse nocet.

Ouidius metamor. lib. 15 fabula 2.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora. Ouidius ibidem.
Vnde fames homini uetitorum tanta ciborum est?

Ouidius epist. Helenæ ad Pariden.

Est uirtus placidis abstinuisse bonis.

Horatius sermonum lib. 2. Satyra 7.

Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusiq; pedes uitiosum ferre recusant
Corpus. Iuuenalis Satyra 11.
Hæc olim nostri cùm luxuriosa senatus
Cœna fuit, Curius paruo quæ legerat horto
Ipse focis breuibus ponebat olu scula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Iuuenalis Satyra 11.

Sicci terga suis rara pendentia crate
Moris erat quondam festis seruare diebus:
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente noua, si quam dabat hostia carne. Ibidem.
—Voluptates commendat rarior usus.

Dantes purgatorij Cant. 22.

Et le Romanæ antiquæ per lor bere
Contente furor dat aqua: & Daniello
Dispregio cibo. & aquisto sapere.
Le secol primo quanto oro fic bello,
Fe saporose cum fame legiaide.
Et nectare cum sete ogni ruscello,
Melle & locuste fudor le uiuande.
Che nutrire il Baptista uel deserto
Per che elli glorioso & tante grande.
Quanto per leuangelio ne aperto. Id est,
Et Romanæ antiquæ, pro earum potu
Contentæ fuerunt aqua: & Daniel
Spreuit cibum, qua re & sapientiam adeptus est.
Seculum primum instar auri pulchrum,
Reddidit sapidas cum fame glandes ipsas.
Et nectar cum siti ruris aquam.
Mel & locustæ dapes fuerunt,
Quibus est nutritus Ioannes in deserto.
Idcirco is tam gloriosus, & magnus est,
Quantum per Euangelium hominibus innotuit.

Franciscus Petrarcha soneto 7.

La gola, il somno, & le ociose piume
Hano del mundo ogne uertu sbandita
Et dal curso suo quasi smarrita

Nostra

Nostra natura & uicta dal costume. Id est.
Gula, somnus, & plumæ plenæ otio
Pepulerunt è mundo quamq; uirtutem,
Et est à cursu suo aberrans penitus
Nostra natura & uicta more reprobo.

Absurdum dicitur, quod propriè significat ineptum ac orationi repugnans, quasi non audiens rationem, vnde absurdior & absurdissimus veniunt. Surdus autem Græcè κωφός, & surditas κωφότης dicitur.

Amãtius ABstinentia est subtractio ciborum, ratione moderata.

Cicero lib.3. Quæstionum Tuscul. vbi de frugalitate disserens, inquit: Omnis abstinentia, omnis innocentia, quæ apud Grecos vsitatum nomen habet nullum, sed habere potest, εὐλάβειαν. Nam innocentia est talis affectio animi, quæ noceat nemini: reliquas enim virtutes frugalitas continet.

Temperantia, secundum Aristotelem 1. magnarum Moralium, est intemperantiæ & immobilitatis circa voluptates medietas.

Cicero lib.3. Quæstionum Tuscul. & ibi Beroaldus commentator, Temperantem, dicit, esse illum, quem Græci σώφρονα appellant: Temperantiam σωφροσύνην vocant: item moderationem, nonnũquam modestiam nominat, sed dubitat an rectè frugalitas dici posſit.

Temperantia est animæ partium mutua consensio: vel est vniuersale cognomen omnium virtutum.

Temperantia est rationis in libidinem dominatio: vel cõtinens moderatio cupiditatum: cuius partes sunt continentia, clementia, moderatio. Trapezuntius lib.4. Rhetor. inquit, esse rationis, in libidinem, atq; in alios non rectos impetus, dominium.

Aristoteles in 9. Ethic. ait: Temperantiam existere circa voluptates corporis: Idem in paruis Moralib. inquit, Temperantia versatur circa libidines compescendas: atq; vt fortitudo à fuga nos reuocat, sic tẽperantia ab insequendo coërcet: vt quodam modo cõtrariæ, vna ad prælium cohortari, altera receptum canere videatur.

Temperantia secundum Senecam, voluptatibus imperat, alias odit atq; abigit, alias regit & gubernat, & ad sanum modũ redigit. Græcis σωφροσύνη dicta, quoniam vt Plato interpretatur in Cratilo, salus & conseruatio est prudentiæ. Aristoteles eodem lib.6. Ethic. Hinc etiam Temperantiam hoc appellamus nomine, quasi conseruatricem prudentiæ, id est, σωτηρίαν φρονήσεως.

Hierax in libro de Iustitia.

Quàm diu sapit aliquis, & prudens est, cupiditates ad vitia ducẽtes emergere non permittet: vbi verò mens tanquam præstigijs sopita iacet, statim exurgere solet imprudentia, & comitem sibi vocare luxuriam. Quamobrem virtutem illam, quæ ambo illa vitia repellit, σωφροσύνην, id est, Temperantiam sapientes Græci vocarũt, vt quæ sit σωτηρία φρονήσεως, prudẽtię incolumitas.

Frugalitas est virtus quæ metus animi regit & sedat, moderatamq; in omni re nouit seruare constantiam: Cicero lib.3. Tuscul. Quæst. & ibi Philippus Beroaldus commentator.

Vel est virtus media, inter prodigalitatem & auaritiam, cùm nec nimis parcè reb. vtimur, nec nimis luxuriosè. Est igitur frugalitas moderata parsimonia cibi & potus, Græcis dicta λιτότης.

Frugalitas est mater cunctarum virtutum, dicta à fruge, i. fructu, propter animorũ quandam fœcunditatem, vt docet D. Augu. de vita beata.

Nequitia est contraria, mater omnium vitiorum, à nihilo dicta, sicut frugalitas à fruge nominata.

Cicero pro Deiotaro Rege.

Ego, inquit, frugalitatem, id est, modestiam & temperantiam virtutem maximam esse iudico. Idem in oratione ad populum.

Græci homines frugi χρησίμους dicunt, id est, vtiles ac omni virtute præditos: necessarios autem, Cic.3. Quæst. Tuscul. à frugibus, quòd his necessariò vtamur.

Seneca scribit, nullũ studiũ salutare fieri posse sine frugalitatis cura. Frugi homines, Teren.

Frugalitas est paupertas voluntaria: & ideo, secundum Senecã, luxurioso homini pœna est.

Sobrietas est moderatio intemperantis cibi ac potus, Græci vocant σωφροσύνην, & est eadem cum temperantia, & versatur circa voluptates. Dicta sobrietas quasi sine ebrietate, castratio luxurię. Hinc sobrius, temperans & moderatus in edendo & bibendo: Sobrius separatus ab ebrio, homo sanæ mentis.

Epicurus.

Continentia partem cupidam in malas voluptates ruentem refrænat. Continentiæ autẽ est, posse cohibere ratione cupiditatem, ferentem ad malas delectationes & voluptates, & pati & tolerare naturæ indigentiam & ægritudinem.

Continentia est temperantia à corporis illecebris, auctore Socrate philosopho: sic refert Stobæus in sermone de continentia.

Continentia Græcis vocatur ἐγκράτεια, est autem refrænatio omniũ rerum malarũ, D. Hieronymus in epistola ad Damasum. Vel est virtus, per quam cupiditas mala consilij administratione regitur ac gubernatur, Cicero in Rhetoricis.

Continentia est abstinentia à prauis cupiditatibus, & perseuerantia in ratione recta: estq; impropriè habitus, inuictus tamen à malis delectationib. & inhonestis concupiscentijs: & differt à Temperantia, in eo, quòd prauas cupiditates sentire potest, sed nec se vinci sinit. Temperantia verò tales cõcupiscentias non habet, ex quo habitus est, refrænans & abigens illas, ergo nec habitus est continentia.

Ari-

Aristoteles in paruis Moralibus.

Non est virtus inquit, sed quoddam finitimum, & proximum:

Continentia in cibo & potu.

Esdræ 1.cap.3.

Præualet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud, seducit mentem regis, & orphani facit mentem vanam.

Prouerb. cap.20.

Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunq; ijs delectatur, non erit sapiens.

Et 21.

Qui diligit epulas in egestate erit.

Qui amat uinum & pinguia, non ditabitur.

Et cap.23.

Nolite esse in conuiuijs potatorum. Quia vacantes potibus, & dãtes symbola, consumentur.

Ecclesiast.19.

Operarius ebriosus non locupletabitur.

Vinum & Mulieres faciunt apostatare sapientes.

Idem 31.

Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.

Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

Exultatio animæ & corporis, vinum moderatè sumptum.

Vinum multum potatum, irritatione & iram & ruinam multam facit.

Amaritudo animæ, uinum multum potatum.

Ebrietas est imprudentis offensio, imminuẽs virtutem & faciens vulnera.

In conuiuio vini non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius.

Ecclesiast. cap.23.

Cui ve, cui patri ve, cui rixæ, cui foueę, cui sine causa vulnera, cui suffosio oculorum? nónne ijs qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis.

Ezechielis 16.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & otium ipsius ac filiarum eius.

Esaiæ 5.cap.

Væ qui consurgitis manè ad ebrietatẽ sectandam, & potandum vsq; ad vesperum, vt vino æstuetis, & opus Domini non respicitis. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & miscendam ebrietatem.

Oseæ.

Fornicatio & vinum & ebrietas auferũt cor.

Abstinentiæ exempla.

Moses ieiunauit 40. diebus. Exod.34.

Helias item 40. diebus.

Ioannes Baptista vinum & siceram non bibit, commedens locustas. Matth.3. Luc.1.

Christus in deserto ieiunauit 40. dieb. Mat.4.

D. Paulus item ieiunauit frequenter.

Ieiunium moderatum res necessaria & præcepta omnibus.

Marc.10.cap.

Hoc genus Dæmonij non eijcitur, nisi ieiunio & oratione.

Luc.21.

Cauete ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, subitusque vobis ingruat dies: tanquam laqueus enim superueniet vniuerso orbi.

Ex epistolis Diui Pauli 2. Corinth.6.

In omnibus commendemus nos vt Dei ministros in ieiunijs.

Idem ad Galat. 5.

Quicunq; sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.

Ad Philippens. 3.

Ridentur, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum.

Petri 1.cap.4.

Sat est nobis, quod anteacto vitę tempore voluptatem gẽtium patrauimus, cùm versaremur in lasciuijs, concupiscentijs, vinolentijs, cómessationibus, compotationibus, & nefarijs simulachrorum cultibus.

1.Petri 2.cap.

Succincti lumbis mentis vestræ, sobriè, perfectè sperate, in eam quę ad nos defertur gratiã, non accõmodetis vos pristinis concupiscentijs.

Paulus ad Titum 2.capite.

Apparuit gratia Dei, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè viuamus in præsenti seculo.

Capite 3.

Eramus quondam & nos stulti, desiderijs seruientes ac voluptatibus varijs.

D. Augustinus ad rusticum.

Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ vtilis est.

D. Hieronymus.

Pinguis venter non gignit tenuem sensum.

Idem.

Plenus venter facilè de ieiunijs disputat.

Idem.

Melius est stomachum dolere quàm mẽtem.

Tantum tibi ieiunium impone, quãtum ferre potes: multoque melius est, quotidie parum, quàm rarò satis sumere.

Idem.

Nihil adeò confert Christianis adolescentibus ac esus olerum, ardorq; corporum sic frigidioribus epulis rectè temperatur.

Idem.

Parcus cibus semper ventri esurienti triduanis ieiunijs prefertur. Sic enim sensus exhibens Deo officium semper vigebit.

D. Ambro-

D. Ambrosius.

Ieiunia, vigiliæ, eleemosynæ, & cætera huiusmodi augere bonum nostrum debent, non velare peccatum. Ille enim abstinens vir credendus est, qui vitiorũ omnium liber effectus est. Neq; reputanda est abstinentia, vbi fuerit ventris saturitas subsecuta.

Ibidem.

Membra sua, quæ sunt supra terram, mortificant: quando insolens corpus ieiuniorum continuatione castigant.

Idem.

Nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinũ non ebrietate, sed tantum pro salute corporis percipiunt, nec hoc eis offert voluptas, sed permittit infirmitas.

Idem.

Abstinentia ciborum sola non sufficit, nisi opera ei bona etiam adiungantur.

D. Gregorius.

Plus est verbi pabulo victurã in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane saciare. Cibo corpus pascitur pio opere, & verbo spiritus nutritur.

Idem.

Abstinentes & arrogantes, per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ viuunt.

Idem.

Cùm mens de præcepto charitatis cogitat, & obseruat etiam, restat procul dubio, vt per abstinentiam caro maceretur. Non enim Deo, sed sibi quisq; ieiunat, si ea, quæ ad tẽpus ventri subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodo offerenda custodit.

Basilius Magnus.

Non bene possumus vigilare, cùm dapib. fuerit venter onustus.

Vigilijs stude, copulare ieiunia, vt cũctis virtutibus florere posis. Sicut equis fræna sunt imponenda: ita corda nostra ieiunijs sunt frænanda. Escæ plurimæ non solùm corda nostra, sed etiam corpus & animam lædunt.

Nihil prodest ventrem ab escis resecare, & animam obruere passionibus.

Talem te exhibe, fili, vt cùm volueris ieiunare, & te à cibis abstinere, linguam quoque tuam abstine ab illicitis cogitationibus, corpus exerceas ieiunijs, & mentem purges à vitijs.

Ad vigilandum multùm prodest ieiunium. Et sicut miles plurimo onere prægrauatus impeditur ad bellum: ita & impeditur monachus vigilijs, cùm escarum largite feruescit.

Sæpe per ciborum auiditatem franguntur stomachi vires: nec non abundantiam sanguinis, & choleræ, item plurimas ægritudines escarum largitate patimur.

Cæsarius.

Quid prodest, si carnem nostram ieiunijs, & vigilijs affligamus, & mentem tamen nostram non emendemus, aut quæ interiora sunt, non curemus?

In Collationibus.

Tantum sibi cibi vnusquisq; comedat, quantum sustentatio corporis, non quantum desiderium carnis exposcit.

Qui nimium cibis vtuntur, quantò magis vẽtrem corrumpunt, tantò amplius sensum obtũdunt.

In Vitis Patrum.

Quemadmodum flamma comburit syluam: sic visiones malas extinguit esuriens.

Qui continet ventrem suum, minuit vitia: & qui vincitur ab escis, augmentat vitia.

Incrementum ignis sylua, incrementum ventris esca multa.

Desideriũ escæ genuit inobedientiam: & gustus suauis expulit primũ hominẽ de Paradiso.

Multæ escæ delectant gulas, nutriunt autem vermem fornicationis.

Vacuus venter in orationibus vigilare facit, repletus verò somnum infert grauissimum.

Vapor Thymiamatis replet aërem, Abstinentis oratio adorat Deum.

Isidorus.

Illi autem à cibis bene abstinent, qui à malis actibus, vel à mundi ambitione ieiunant.

Idem.

Escis libido crescit, ieiunio luxuria superatur.

Hoc ieiunium est perfectum & rationabile, quando noster homo ieiunat exterior, interior verò orat.

Per ieiunium etiam occulta ministeriorũ reuelãtur, & diuini sacramenti arcana panduntur.

Ieiunia fortia tela sunt aduersus tentationes Dæmonum, & citò per abstinentiam aduersarij vincuntur. Immũdi spiritus ibi magis insistũt, vbi viderint plus potus & cibi superesse. Caro Deũ sitit, quãdo per ieiuniũ abstinet & arescit.

Abstinentia viuificat moderata, & occidit superflua, viuificat animam, corpus necat.

Corporis debilitas nimia vires animæ frangit, mentisq; ingenium facit inarescere, nec valet quicquam boni per imbecillitatem perficere. Quicquid cum modo & temperamento fit, salutare est. Quicquid autem nimium est & vltra modum, perniciosum fit, studiumq; suum in contrarium vertit. Corpus, quod abstinentia frangit, tentatio non vrit.

Sicut omnes cupiditates carnales abstinentia resecantur: ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. Neq; quisquam potest virtutem perfectionis attingere, nisi prius ventris edomuerit ingluuiem.

Spernitur ieiunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur.

Hermo-

Hermolaus Barbarus.

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti.

Sophocles in Electra.

Ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσι.
οὐ γὰρ δίκαιον ἄνδρα γενναῖον φρένας
Τέρπειν, ὅπου μὴ καὶ δίκαια τέρπετε.

Turpe est honesto loco natis turpiter uiuere,
Quippe non decet animi generosi uirum
Gaudijs non licitis delectarier.

Idem.

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἃ μηδὲ δρᾶν καλά·
ὅσοι δὲ φιλοσοφοῦντες ἐκμοχθοῦσί τι
Ἐνταῦθ' ὑπάρχει τοῦ βίου γαστρὸς κρατεῖν.
Διδάσκαλος γὰρ οὖσα ἡ εὐτέλεια σοφῶν,
καὶ τῶν ἀρίστων γίνεται βουλευμάτων. id est:

Inhonesta factu nec dictu quidem honesta sunt,
Quicunq; uerò Philosophicis se dedunt laboribus
Addiscunt per uitam compescere uentrem.
Videlicet frugalitas est magistra
Sapientium, optimorumq; consiliorum.

Ex Simonis epistola ad Aristippum.

Elegantissimū dictum. Μέμνησο μέντοι λιμοῦ καὶ δίψης, ταῦτα γὰρ δύναται μεγάλα τοῖς σωφροσύνην διώκουσι. id est:

Famis atq; sitis non obliuisci oportet. Multum enim potest apud sobrietatis ac prudentiæ studiosos.

Demosthenes.

Δεῖ τὸν εὖ φρονοῦντα, τὸν λογισμὸν τῶν ἐπιθυμιῶν τιρὶ τὴν πειρᾶσθαι ποιεῖν. id est:

Perpetuum hoc esse debet sapientis institutum, vt rationem cupiditatum dominam constituat.

Eiusdem.

Σωκράτης ἐρωτηθεὶς, τίνι τῶν ἄλλων Ἀνθρώπων διαφέρει, εἶπε, οἱ μὲν λοιποὶ ζῶσιν ἵν' ἐσθίωσιν, αὐτὸς δὲ ἐσθίω ἵνα ζῶ. id est:

Rogatus Socrates, quo nam à cæteris hominibus differret, respondit: Alij quidam viuunt, vt edant, ego edo vt viuam.

Pythagoræ dictum.

Τεθνάναι πολλῷ κρεῖττον ἢ διὰ ἀκρασίαν τὴν ψυχὴν ἀμαυρῶσαι. id est:

Satius est mori, quàm per intemperantiam animum obnubilare.

Idem.

Σωκράτης ἐγκράτειαν τὸ κρατεῖν τῆς ἐν τῷ σώματι ἡδονῆς, ἔφη. id est:

Socrates continentiam à corporis illecebris temperantiam vocabat.

Idem.

Ῥώμην μεγίστην καὶ πλοῦτον, τὴν ἐγκράτειαν ποίησαι.

Continentiam tibi vt robur ingens, diuitiasque parato.

Epicuri.

Χάρις τῇ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα οὐκ ἀναγκαῖα. id est:

Gratia habenda est naturæ beatæ, quæ res necessarias parabiles fecerit, difficiles autem paratu, non necessarias.

Eiusdem.

Εἰ βούλει πλούσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρήματα προστίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει. id est:

Si quem volueris diuitem efficere, non est, quòd augeas opes, sed minuas cupiditates.

Eiusdem.

Ἐγκράτεια δέ ἐστιν ἀρετὴ ἐπιθυμητικοῦ, καθ' ἣν κατέχομεν τῷ λογισμῷ τὴν ἐπιθυμίαν ὁρμῶσαν ἐπὶ τὰς φαύλας ἡδονάς. id est:

Continentia est virtus affectionis animi, per quam coërcemus ratione cupiditatem ruentem in prauas voluptates. Continentia quid.

Idem.

Ἐγκρατείας δέ ἐστι τὸ δύνασθαι κατασχεῖν τῷ λογισμῷ τὴν ἐπιθυμίαν ὁρμῶσαν ἐπὶ φαύλας ἀπολαύσεις ἡδονῶν, καὶ τὸ καρτερεῖν, καὶ τὸ ὑπομονητικὸν εἶναι τὴν κατὰ φύσιν ἐνδείας τε καὶ λύπης. id est:

Continentię autem est, posse cohibere ratione cupiditatem ferentem ad malas delectationes, & voluptates: & pati, & tolerare naturæ indigentiam & ægritudinem.

Eiusdem Epicuri sententia.

Βρύζω τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενος, καὶ προσπτύω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς, οὐ δι' αὐτάς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἐξακολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ. id est:

Turget mihi voluptate corpusculum, aqua & pane vtor; at sumptuosas voluptates expuo, non tam ipsarum causa, quàm sequentium ipsas incommodorum.

Idem.

Τότε χρείαν ἔχομεν τῆς ἡδονῆς, ὅταν ἐκ τοῦ μὴ παρεῖναι αὐτὴν ἀλγῶμεν, ὅταν δὲ τοῦτο μὴ πάσχωμεν, ἐν αἰσθήσει καθεστῶτες, τότε οὐδεμία χρεία τῆς ἡδονῆς· οὐ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἡδονὴ τὴν ἀδικίαν ποιεῖ ἔξωθεν, ἀλλ' ἡ περὶ τὰς κενὰς δόξας ὄρεξις. id est:

Tum opus habemus voluptate, cùm eam abesse dolemus: quum verò non ita afficimur, in tranquillo compositoq; sensu constituti, nihil nobis voluptate opus est. porrò naturalis voluptas non aliquid damni extrinsecus nobis accersit, sed quæ intra nos est, vanæ opinionis appetitio, ea verò lædit.

Idem.

Πλάτων πολλάκις διψῶν ἐκ τοῦ φρέατος ἀνιμᾶτο τὸ ὕδωρ, καὶ ἐξέχει τὴν κολάσας ἐπιθυμίαν. id est:

Plato sæpius siti laborans, è puteo hauriebat aquam, iterumq; effundebat, vt ita cupiditatem castigaret.

Idem.

Ἐπίκουρος ἐρωτηθεὶς, πῶς ἄν τις πλουτήσειεν, οὐ τοῖς οὖσι προστιθεὶς, ἔφη, τῆς δὲ χρείας τὰ πολλὰ περιτεμνόμενος. id est:

Epicurus cùm quęreretur, qua quis arte ditesceret, non si pręsentib. adiecit, respōdit: sed vsum & necesitatē sibi persuasam, circūciderit.

Palla-

Pallade.

Γαστέρα μισεῖ θεὸς καὶ βρώματα γαστρός;
εἵνεκα γὰρ τούτων σωφροσύνη λύεται. id est:
Ventrem Deus odit, uentrisque; epulas:
Propter ista enim soluitur temperantia.

Apollonij ad Eidomenem.

Ἐζηλώσαμεν μὲν τὴν αὐτάρκειαν οὐχ ὅπως τοῖς εὐτελέσι καὶ λιτοῖς πάντων χρώμεθα, ἀλλὰ ὅπως θαῤῥῶμεν πρὸς αὐτά. id est:

Commendauimus frugalitatem, non quòd tanti res viles ac minimè sumptuosas faciamus: sed vt hoc pacto animi magnitudinem augeamus.

Eiusdem ad familiares.

Μηδέν με δόξης ῥαδίως ἄλλοις παραινεῖν, αὐτὸς γὰρ ἐπὶ τῆς μάζης, καὶ τῆς ἄλλης τῆς ἀκολούθου ταύτῃ διαίτης ὤν, τοιαῦτα ὑμῖν παρεγγυῶ. id est:

Ne me alios facilè monere putaueris, ego enim maza vtens, alioq; consimili victu, ista vobis consulo.

Aristippi.

Κρατεῖ ἡδονῆς, οὐχ ὁ ἀπεχόμενος, ἀλλ' ὁ χρώμενος μὲν μὴ προεκφερόμενος δὲ, ὥσπερ καὶ νέως καὶ ἵππον, οὐχ ὁ μὴ χρώμενος. ἀλλ' ὁ μετάγων ὅποι βούλεται. id est:

Moderatur voluptati, non qui penitus abstinet, sed qui hoc modo vtitur, vt non abripiatur cum ipsa: vt naui & equo moderatur haud qui non vtitur, sed qui quò libuerit, ducit:

Aelianus in uaria historia.

Χρύσιππος ὁ σολεὺς ἐποιεῖτο τὸν βίον ἐκ πάνυ ὀλίγων. Κλεάνθης δὲ, καὶ ἀπὸ ἐλαττόνων. id est:

Chrysippus Solensis admodum paucis viuebat, Cleanthes etiam paucioribus.

Idem.

Ἐπίκουρος ὁ γαργήττιος κέκραγε λέγων, ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανὸν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. Ἔλεγε δὲ ἑτοίμως ἔχειν καὶ τὸ δὴ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι, μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ. id est.

Grauiter dictum. Epicurus Gargetius exclamabat: cui parum non est satis, nihil sufficere potest. Idem aiebat, cum quolibet se de felicitate certaturum, dummodo mazam & aquam haberet. Temperantia Epicuri Gargetij

Idem auctor.

Σωκράτης ἐρωτηθεὶς, πῶς ἂν γένοιτό τις πλούσιος; εἰ τῶν ἐπιθυμιῶν, ἔφη, εἴη πένης. id est:

Socrates interrogatus, quo quis pacto opulentus euaderet: si cupiditatum fuerit inops, respondit.

Democritus.

Τῶν ἡδέων τὰ σπανιώτατα γενόμενα, μάλιστα τέρπει. εἴ τις ὑπερβάλλοι τὸ μέτριον, τὰ ἐπιτερπέστατα ἂν γίγνοιτο. id est:

Dulcia, quæ rarissima sunt, maximè delectãt: si quis modum excesserit, iucundissima quæq; iniucundissima fient.

Eusebius.

Ἀνδρεῖος οὐχ τῶν πολεμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἡδονῶν κρατῶν. id est:

Fortis est, non tantum hostium, sed & voluptatum victor.

Abstemij.

Appollonius Tyanęus à vino & carnibus abstinuit. Dominicus auctor ordinis prædicatorũ toto decennio abstinuit vino.

Fulgentius Episcopus Ruffensis nulla vnquam necessitate adduci potuit, aut cogi, vt esitaret carnes, aut vinum biberet.

Iacobus minor vinum aut siceram non bibit, carnes nunquam manducauit, oleo nunquam vnctus est, nunquam vsus balneo, nunquam nouacula rasus.

Anchimolus & Moschus sophistæ Estienses tota vita hydropotæ fuerunt, solisq; ficis desiderio ventris satisfecerunt.

Emericus filius sancti Stephani Regis Pannoniæ, vinum tota vita non degustauit.

Locrenses Zepherij vino vti capitale ducebant.

Sobrij & Temperantes.

Porus Rex Indorum aqua & pane vixit contentus. Masinissa Rex Numidarum iam nonagenarius, semel tantum interdum vescebatur pulmento.

Mithridates Rex Ponti, iam senex cibum capturus, non accumbebat, verùm stans vescebatur.

Viriatus Princeps Lusitaniæ, vbi bellum aliquod mente conceperat, non prius accumbebat mẽsæ, aut in lecto acquiescebat, quàm propositum absoluisset.

Augustus breuissimi cibi fuit, ad medias interdum epulas satiatis iam conuictoribus accedebat, primusq; surgebat mensa.

Lacedæmonij nullam disciplinam abstinentia habuerunt potiorem, pinguis & obesi ventris adolescentes inedia macerabant.

Aegyptia iuuentus Mosis edicto, non prius cibum capiebat, quàm centum octoginta stadia percurrisset.

Platonis frugales erant cœnæ, propterea dicebat Timotheus, bene cum ijs fore, quos Plato excepisset conuiuio. Delicatiores epulas & opipera spreuit conuiuia, viuebat contentus oliuis academicis, pane item & aqua. Frugalitas Platonis.

Abstinentia & eius exempla.

D. Hieronymus annos ferè 90. durauit incredibili abstinentia.

Hilarius modicis ficubus aridis & exiguo pane, decrepitam fouit senectutem.

Nicolaus quidam apud Heluetios à Vualden, sutrinam exercens, sine vllo penitus cibo, multis annis durauit inter vastas solitudines, incredibili sanctitatis fama celeber. Hunc cùm Episcopus Constãtiensis coëgisset ad sumptionem Eucharistiæ, reuomuit, id quod fore prædixerat.

Columba virgo Perusina solis fructibus repressit famem.

Demetrius Chidonius vir Græcus abstinẽtia singulari multos dies persistebat ieiunus.

Socrates minimo viuebat sumptu, vescebatur pane & lacte.

Anacharsis apud Ciceronem, mihi, inquit, pulpamentum fames, cubile solum, vestis Scythanum tegmen.

Zeno pane dũtaxat vescebatur, pallium pertenue ferebat, aquam bibebat loco vini, vt discipulos suo exemplo ad Temperãtiam inuitaret, hinc exijt prouerbium, Zenone temperantior.

Telemachus Camensis victitabat fabis.

Socrates tanta fuit temperantia, vt omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit.

Rogatianus Senator semel tantùm interdiu dabat operam cibo.

Persarum Magi nihil in cibum præter farinam & olera recipiebant.

Indorum Gymnosophistæ alebantur pomis & farina.

Aegyptiorum Sacerdotes carnibus & vino abstinebant: pane etiam raró vescebantur, ne onerarent stomachum, oleum tantùm in oleribus nouerant, ouum & lac vitabant.

Diogenes nunquam pendebat de crastino, sed in præsentẽ modò horam sibi corrogabat cibum, ob id ἡμερόβιος dictus, id est, quotidianus.

Epaminundas victu fuit adeò paruo & tenui, *Thebas* vt à vicino in cœnam inuitatus, cùm dapsilem & affluentem delicijs mensam reperisset: iratus recesserit, dicens: Ego te opinabar rei diuinæ operam dare, non de contumelia cogitare. Sic infestus extitit obesis & corpulentis, vt quendam aqualiculo portentoso submouerit ab exercitu, quod ad tegendum eius corpus vix clypei tres sufficerent.

Lycurgus dicere solitus est, non esse vtendũ maiore cibo, quàm qui ad repellendam famem sufficeret, amota crapula.

Scribit Marcellinus Constantium Imperatorem, nunquam gustasse pomum, nunquam nares in puplico extersisse, nunquam expuisse. Idem superatus à Persis, frusto panis à quadam vetula porrecto inediam repulit.

Pericles Atheniensis à cœnarum & conniuiorum apparatibus abhorrebat, adeò vt nec apud amicos cœnitaret.

Abusio
- *Iuramẽti iurando, B. Thom. Secunda secun. q. 89. art. 2.*
  - *Sine necessitate, quia uidetur Deo paruã exhibere reuerentiam, qui ex leui causa Deum testem inducit, quod non præsumeret de aliquo uiro honesto.*
  - *Sine débita cautela, deficiente aliqua comitum quæ sunt*
    - *Iustitia*
    - *Iudicium*
    - *Veritas.*
  - *Imminente periurij periculo. Vnde Ecclesiast. 23. Iuramento non assuescat os tuum.*
- *Rei bonæ est peccatum B. Thom. 3. sent. dist. 38. art. 1.*
- *Potestatis ad regendum alios est pessima, sicut bonus est optimus. Vnde & priuilegium meretur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate, de regulis in libro 6.*

ABusio siue abusus dicuntur, cùm aliqua re per licentiam malè vtimur. Nam abuti, est perperám vti, siue nimis licenter vti. Vnde Cicero: Noli abuti nimis patientia nostra.

Abusio Græcè κατάχρησις. ιος. ἡ. & καταχράομαι abutor dicitur.

Deuteronomij 22.

Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea. Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc.

Prouerbiorum 19.

Non decent stultum delitiæ, nec seruum dominari principibus.

Prouerbior. 30.

Per tria mouetur terra, & quartum quod nõ potest sustinere. Per seruũ cùm regnauerit, per stultũ cùm saturatus fuerit cibo, & per odiosam mulierem, cùm in matrimonio fuerit assumpta. Et per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ suæ.

Ecclesiastici 25.

Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animę illorum: Pauperem superbũ, Diuitem mẽdacem, & senem fatuum & insensatum.

Bernardus in Apologia.

Magna abusio: Parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentiũ tristia reputatur.

Econtrà: Remissio, discretio creditur: loquacitas, affabilitas: cachinnatio, iucunditas: mollicies vestimentorum, & equorum fastus, honestas: lectorum superfluus cultus, munditia.

Bernardus ibidem.

Magna abusio. Vt corpus induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur.

Bernardus in epistolis.

Mira abusio. Domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, & hoc ab his, qui in incendio positi sunt.

Hugo de claustro animæ lib. 2.

Iustè puniuntur, qui licitis abutũtur: iustius verò puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Sathanas cęlum, sic Protoplastus perdidit Paradisum.

Hugo ibidem.

Duodecim sunt abusiones claustri, quibus tota religionis summa corrumpitur, scilicet: Prælatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus preciosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerentia iuxta altare.

Ibidem.

Ibidem.

Inter abuſiones huius ſeculi, ſola maior eſt ſenis obſtinatio, qui morti proximus, mortis non horret aduentũ, qui quaſi ad oſtium huius mundi poſitus, foris ſpectat, nec tamen vitæ præſentis attendit egreſſum, nec futura conſiderat.

Cyprianus de 12. abuſionibus.

Duodecim ſunt abuſiones ſeculi, ſ. ſapiens ſine operibus, ſenex ſine religione, adoleſcens ſine obediẽtia, diues ſine eleemoſyna, fœmina ſine pudicitia, dominus ſine virtute, Chriſtianus contentioſus, pauper ſuperbus, rex iniquus, epiſcopus negligens, plebs ſine diſciplina, populus ſine lege.

Lucius Apuleius de Magia lib. 2.

Neq; facundiæ oſtẽtatio rudi & indocto, neque gloriæ cupido ruſtico & barbaro, neq; inceptio patrociniorum ſeni congruit.

Cicero libro Topicorum.

Non debet ea mulier, cui vir bonorũ ſuorũ vſumfructũ legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. Vſus enim non abuſus legatus eſt. Ea ſunt inter ſe cõtraria.

Accentus Græcè προσωδία ας ἡ, venit ab accento frequẽtatiuo de accino, quod eſt, ad aliquid cano, quem quidam dicunt eſſe animam verborum: alij vocem eſſe ſyllabæ definierunt. Accentus veteres nunc moderamenta, nunc accẽtiunculas, nunc voculationes appellabant.

Acceptilatio, quam Iuſtinianus per interrogationem & reſponſionem fieri dicit, venit ab acceptum fero, hoc & habeo pro accepto, & fateor me accepiſſe, quod non accepi, cum nulla ſolutio interuenerit, acceptoq; προσδέχομαι dicitur.

Acceptio perſonarum in 8. maximè prohibetur.

In:
- *Pœnitentiæ impoſitione 26. quæſt. 7. Sacerdos.*
- *Pœnitentiæ diffinitione. 3. quæſt. 9. Neceſſe.*
- *Fidei prædicatione. diſtin. 96. Vbi.*
- *Hoſpitum receptione. diſt. 42. Quieſcamus.*
- *Eleemoſynarum largitione. 16. quæſt. 1. Si cupis.*
- *Dignitatum promotione. diſtin. 4. Multi.*
- *Iudiciorum declaratione. de reg. Iurg. libro. 6.*
- *Honoris exhibitione. 1. quæſt. 2. Viliſſimus.*

ACceptio perſonarum Græcè προσωποληψία ας ἡ. & προσωπολήπτης. ου. ὁ. acceptor perſonarum dicitur, eſt iniuſtitia, qua perſona perſonæ prefertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito iuſtitiæ, alteri eſt conferendum, ratione alicuius conditionis tranſitoriæ, non congruentis ad ipſam rem, exiſtentis circa perſonam, puta diuitiarum, poteſtatis terrenæ, vel cognationis carnalis: & non ob meritum eius ad ipſam rem: ſecundum Alexan. de Ales Secunda ſecundæ. tractatu de acceptione perſonarum.

Acceptio perſonarum, eſt attendere ad conditionem perſonæ nihil facientem ad illud negotium. Vel ſic:

Acceptio perſonarum, eſt inęqualitas iuſtitię diſtributiuæ, inquantum aliquid attribuitur alicui præter proportionem. ſecundum B. Thomam Secunda ſecundæ q. 83. artic. 4.

Leuitici 19.

Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultũ potentis. Iuſtè iudica proximo tuo.

Deuteronomij 16.

Non accipies perſonam, nec munera. Quia munera excæcant oculos ſapientum & mutant verba iuſtorum.

Prouerbiorum 18.

Accipere perſonam impij in iudicio, non eſt bonum, vt declines à veritate iudicij.

Prouerbiorum 24.

Cognoſcere perſonam in iudicio, non eſt bonum. Qui dicunt impio iuſtus es: maledicẽt eis populi, & deteſtabuntur eos tribus.

Prouerbio. 28.

Qui agnoſcit in iudicio faciem, non bene facit iſte, & pro buccella panis deſerit veritatem.

Sapientiæ 6.

Non ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit: Et æqualiter eſt illi cura de omnibus.

Eccleſiaſtici 5.

Iuſtifica puſillum & magnum ſimiliter.

Eccleſiaſtici 7.

Noli quęrere fieri iudex, niſi valeas virtute irrũpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.

Iſaiæ 1.

Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones pupillo, non iudicant, & cauſa viduę non ingreditur ad illos.

Iſaiæ 10.

Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes, iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

Hieremiæ 5.

Cauſam viduæ non iudicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperũ non iudicauerunt. Nunquid ſuper his non viſitabo dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſmodi non vlciſcetur anima mea?

Lucæ 11.

Et vobis Legiſperitis vę: quia oneratis homines oneribus quæ portare non poſſũt, & ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas.

Iacobi 2.

Nolite in acceptione perſonarum fidem habere.

Auguſtinus in epiſtola ad Parentium comitem Arrianum, & habetur 32. q. 6. Iniquum.

Iniquum eſt, vt quiſq; de alio iudicare velit, & iudicari de ſe nolit.

Augustinus, & est in glosa Iacobi super illud, Fratres mei nolite peccare.

Si hanc distantiam sedendi & standi ad honores ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore?

Augustinus in sermone.

Absit Domine, vt in tabernaculo tuo prę pauperibus accipiantur personæ diuitum, aut præ ignobilib. nobiles, quando potius infirma mundi elegisti, vt confunderes fortia.

Hieronymus in originali super Amos.

Quicunq; consanguinitate aut amicitia, vel ęconuersò hostili odio, vel inimicitijs in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi, qui est iustitia.

Hieronymus ad Fabiolam.

Multa nos facere cogit affectus, dum propinquitatem respicimus corporum, & corporis & animæ offendimus creatorem.

Hieronymus ad Pammachium.

Nec bonis aduersariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum: nec amicorum laudãda sunt vitia: & vnumquodq; non personarum, sed rerum pondere iudicandum est.

Hieronymus epistola ad Damasum Papam.

Alienũ te à personis omnium red de iudicio, ac propter iniustitiam in iudicio pauperem ne defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter assistas: aut si nõ potes facere, cognitionem respue causarum.

Ambrosius super Malachiam.

Inter omnia peccata sacerdotum est maximũ, quòd non causas, sed personas cõsiderant, & despecto iusto paupere, iniustos diuites honorãt.

Ambrosius officiorum lib. 2.

In iudicio gratia absit, causæ merita discernantur.

Gregorius, & habetur 11. q. 3. Summoperè.

Remota personarum acceptione, diffinitiua proferatur sententia.

Isidorus lib. 4. de summo bono.

Iudices iniqui errant à veritate sententię, dũ intendunt qualitatem personæ, & exulcerant sæpè iustos, dum improbè defendunt iniquos.

Isidorus ibidem.

Diues citò muneribus corrumpit iudicium: pauper autẽ dum non habet quod offerat, non solùm audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur.

Innocentius lib. 2. de uilitate conditionis humanæ.

Vos non attenditis merita causarum, sed personarum, non iura, sed munera. Non quòd ratio dictet, sed quòd volũtas affectet: non quòd sentiat, sed quòd mens cupiat: non quòd liceat, sed quòd libeat. Nunquam in vobis est ita simplex oculus, vt totum corpus lucidum sit: sed aliquid semper dimittitis fermenti, quo totam massam corrumpitis.

Ibidem.

Pauperum causam cum mora negligitis, diuitum causam cum instantia promouetis. In illis rigorem ostenditis, in istis ex mãsuetudine dispensatis. Illos cum difficultate respicitis, istos cum facinore tractatis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis.

Ibidem.

Si fortè pauperum causam suscipitis, illos remissè fouetis. Si autem diuitum causam suscipitis, illos pertinaciter adiuuatis. Pauperes despicitis, diuites honoratis: istis reuerenter assurgitis, illis despicabiliter communicatis.

Ibidem.

Clamat pauper, & nullus exaudit: loquitur diues, & quilibet applaudit. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsq; ad nubem perducunt. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hîc? & si offenderit, subuertent eum. Clamat vim patiens, & nullus exaudit: Vociferatur, & non est qui iudicet. diuiti dicunt: Tu sede hîc bene: pauperi verò, tu sta illîc, vel sede sub scabello pedum meorum.

Caßiodorus lib. 2. epistola 13.

Nescit personas respicere, qui meram cogitat æquitatem.

Seneca ad Lucilium epist. 88.

Prorsus persuasimus, quòd multi furto non erubescunt, quòd multi adulterio gloriantur. Nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.

Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum.

Amor & odium, & proprium commodum, sępe faciunt iudicem non cognoscere verum.

Laërtius Diogenes de uita & moribus philosophorum.

Interrogatus Solon quid esset lex, respondit: araneæ tela. Quia, si in eam inciderit quid debile, retinetur: graue autẽ, pertransit tela rescissa.

Ibidem.

Xenocrates videns quendam latronem ad patibulum duci, subrisit, dicens: quòd magni fures minores morte damnabant.

Cicero lib. 2. de Oratore.

Plura multò homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lętitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis: quàm veritatis, aut præscripto, aut in eis norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus.

Valerius Maxim. lib. 7. titu. Sapienter dicta ac facta.

Quàm porrò subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat. Nam vt illis infirmiora animalia retineri, valentiora transmitti: ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotentes non alligari aiebat.

Homerus 1. Iliados.

ἀντί νυ πολλῶν
Λαῶν ἐστὶν ἀνὴρ, ὅν τε Ζεὺς κῆρι φιλήσῃ.

Pro multis populis est uir, quem Iupiter corde amat.

Iuuenalis satyra 2.

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Ouid. Amorum libro 3.

Curia pauperibus clausa est, Dat census honores.

Accidens Græcè συμβεβηκός. Nam συμβαίνω accido dicitur, quod adest & abest præter subiecti corruptionem, secundũ Ari. lib. prædicament.

Accidens est, quod neq; est genus, neq; species, neque differentia, neq; proprium, sed semper est in subiecto subsistens, secundum eundem.

Accusatio Græcè κατηγορία ας ἡ. Nam & κατήγορος accusator dicitur. Est in causam tractio, hoc est, apud iudicem vel alium quemlibet, aliquem peccasse ostensio. Plerunq; pro reprehensione accipitur, Hinc & accusator & accusatrix deducũtur, & accusatio, & accusatiuncula eius diminutiuum.

Acedia secunda secundæ q. 35. B. Thom.

- Primo modo, est tristitia de bono spirituali, & sic est generale peccatum, & non vnum de septem. Quia omne peccatum refugit bonum spirituale virtutis ei oppositæ, vt superbia refugit bonum spirituale, quia est actus humilitatis, & luxuria bonum castitatis, B. Thom. & sic de alijs secunda secundæ q. 35. artic. 2.
- Secundo modo est horror spiritualis boni, inquãtum est laboriosum, vel molestum corpori, aut impedimentum delectationis eius, & sic à vitijs carnalibus non separatur, quibus quis quietem & delectationem corporis quærit, & sic non est vnum de septem.
- Tertio modo, est tristi de bono spirituali inquantũ diuinũ, & sic est speciale peccatum & vnum de 7. quia opponitur speciali virtuti, quæ est charitas, cuius est gaudere de bono diuino, & sic est peccatum articul. 2.
  - Capitale, quia ex ea prõptum est, vt alia vitia oriãtur secundum rationẽ causæ finalis, & hæc diuersimodè assignatur art. 4.
    - Secundum B. Gregoriũ 31. mor. ex acedia oriuntur 6. s. Desperatio, pusillanimitas, torpor, rãcor, malitia, euagatio, quia ex tristitia spiritualium & diuinorum fastidio eueniunt tria, scilicet
      - Recessus vel fuga spiritualium contristantium, quæ sunt finis, vel ea quæ sunt ad finem, & sic oriuntur ex acedia filiæ 3. s.
        - Desperatio, qua receditur ab vltimo fine.
        - Pusillanimitas, qua receditur ab his quæ sunt ad finem s. ab arduis, quæ subsunt consilijs.
        - Torpor, quo receditur à spiritualibus pertinẽtibus ad iustitiam communem, quæ subsunt præcepto.
      - Impugnatio spiritualium cõtristantium, & sic oriuntur secundum B. Gregor. ex acedia filiæ duæ, s.
        - Rancor, qui est indignatio in personas inducentes ad bona spiritualia, vt hîc sumitur.
        - Malitia, quæ est quãdo quis intantum tristatur super spiritualibus & diuinis, vt etiam ea detestetur.
      - Accessus ad delectabilia non spiritualia, & sic oritur secundum B. Gregorium
        - Euagatio mẽtis circa illicita, quæ est, quando propter tristitiam spiritualium, quis se transfert ad delectabilia exteriora fastidio spiritualium, quia secundum Philo. 8. Ethicorum. Homo diu nequit esse sine delectatione.
    - Secundum Isidorum li. de summo bono ponuntur 11. qui distinguit tristitiam ab acedia. Nam secundum eum propriè dicitur
      - Tristitia inquantum receditur à graui & laborioso opere, & ab Isidoro assignantur oriri 4, scil.
        - Desperatio, Pusillanimitas, Rancor. — De quibus suprà
        - Amaritudo, quæ non est speciale vitium, sed quidam effectus rancoris.
      - Acedia, inquantum quis accedit ad debitam quietem laboris tædio, & sic oriuntur septem filiæ, scil.
        - Otiositas cùm prætermittuntur præcepta, Somnolentia, cùm negligenter implẽtur præcepta. — Hæc duo sub corpore comprehenduntur.
        - Importunitas mentis, cùm vagatio mentis circa illicita residet in ipsa arce mentis volẽtis se diffundere ad diuersa. Curiositas, cùm indebitè vel immoderatè se diffundit ad diuersa cognoscenda. Verbositas, cùm indebitè & immoderatè vagatur in verbis. Inquietudo corporis, cùm per immoderatos mẽbrorum motus euagationem mentis indicat. Instabilitas, cùm diuersorum fit locorum mutatio vel propositi. — Quæ 5. ad mentis euagationẽ pertinent, quam ponit B. Gregorius suprà.
  - Mortale, quãdo cunq; talis tristitia pertingit vsque ad consensum rationis, quæ cõsentit in fugam & horrorẽ & detestationem boni diuini, carne cõtra spiritum omninò præualente, articul. 3.
  - Veniale, quandocunque non contingit vsq; ad consensum rationis, sed est in sola sensualitate, propter repugnantiam carnis ad spiritum, art. 3.

Acedia quæ & Græcè ἀκηδία.ας.ἡ dicitur, est tristitia de bono diuino inquantum diuinum, de quo charitas gaudet.

Ἀκηδία ἐσὶ πάρεσις ψυχῆς, καὶ νόος ἔκλυσις. ὀλιγωρία ἀσκήσεως, μῖσος τοῦ ἐπαγγέλματος, κοσμικῶν μακαρίστρια. θεοῦ διαβλήτωρ, ὡς ἀσπλάγχνου καὶ ἀφιλανθρώπου, ἀτονία ψαλμῳδίας, ἐν προσευχῇ ἀσθενοῦσα, ἐν διακονίᾳ σιδηρᾶ, ἐν ἐγχειρίῳ ὄκνος, ἐν ὑποχῇ ἀδόκιμος. Id est, *Acedia est remißio animæ & resolutio mẽtis, pusillanimitas exercitationis, odium profeßionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei quasi inuiscerosi & existentis sine benignitate, attonita in psalmodia, infirmans in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba.* Hæc ex Ioan. Climacho.

Acedia est tædium bene operandi, & tristitia de re spirituali: vel recessus mentis à bono spirituali diuino, cui oportet mentẽ inhęrere ex necessitate. Hæc ex B. Thom. secunda secun. q. 35.

Acedia est ex cõfusione mentis nata tristitia, siue odium, & amaritudo animi immoderata, vt ait Hugo lib. 2. de sacramentis.

Acedia est torpor mentis, bona inchoare negligentis, secundum Richardum.

Acedia est de virtutum laudabili exercitio vtriusq; hominis languida deiectio, secundum Gregorium in Homilia.

Acedia est tristitia aggrauans mentẽ, vt nihil boni ei agere libeat, secundum Ioan. Dama. li. 2.

Acedia est pigritia & inertia & fatigatio animi, qua quis bonum inchoatum fastidit, secundum Ciceronem libro Tuscul. quæst.

Acedia ab inuidia differt. Quia inuidia est de bono alieno. Acedia verò de proprio. Nec placet opinio eorum, qui scribunt per c geminatum, cùm breuiet primam syllabam.

Prouerb. 6.

Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius & disce sapientiam. Qui cùm nõ habeat ducẽ, nec præceptorẽ, nec principẽ, parat in æstate cibũ sibi, & congregat in messe, quod comedat.

Ibidem.

Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo.

Ibidem.

Si impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.

Prouerbiorum 10.

Qui enim colligit in messe, filius sapiens est, qui stertit æstate, filius confusionis.

Ibidem.

Sicut acetum dentibus & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum in via.

Prouerb. 12.

Qui operatur terram, satiabitur panibus, qui autem sectatur otium, stultissimus est.

Prouerbior. 13.

Vult & non vult piger, anima autem operantium inpinguabitur.

Prouerb. 18.

Pigrum deijcit timor. Animæ autem effœminatorum esurienti.

Prouerbiorum 20.

Propter frigus piger arare noluit. Mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

Ibidem.

Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Aperi oculos tuos, & saturare panibus.

Prouerb. 21.

Cogitationes robusti semper in abundãtia, omnis autem piger in egestate est.

Ibidem.

Desideria occidunt pigrum. Noluerũt enim quicquam manus eius operari.

Prouerbiorum 24.

Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti. Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

Prouerbiorum 28.

Qui operatur terrã suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

Ecclesiastici 4.

Stultus dicit: melius est pugillus cũ requie, quàm plena vtraq; manus cum labore.

Ecclesiastici 7.

Non oderis laboriosa opera, & rusticationẽ creatam ab altissimo.

Ecclesiastici 33.

Multam enim malitiam docuit otiositas.

Ecclesiastes 9.

Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

Ecclesiastes 11.

Qui obseruat ventũ non seminat, & qui considerat nubes nunquam metet.

Ezechielis 16.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodamæ sororis tuæ: Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otiũ ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me.

Matth. 20.

Quid hîc statis tota die otiosi?

Matth. 21.

Videns Iesus ficulneam habentem folia sine fructu maledixit, & statim aruit ficulnea.

Luc. 12.

Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

Romanor. 12.

Solicitudine non pigri.

2. ad Thessalonicen. 3

Si quis non vult operari, nec manducet.

Ibidem.

Ibidem.

Nolite deficere benefacientes.

Iacobi 4.

Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est ei.

Maximus de Charitate Centuria prima.

Πάντα τ᾽ ἄλλα πάθη, ἢ τοῦ θυμικοῦ μέρους τῆς ψυχῆς, ἢ τοῦ ἐπιθυμιτικοῦ μόνον ἐφάπτεται, ἢ καὶ τοῦ λογιστικοῦ, ὡς ἡ λήθη καὶ ἄγνοια, ἡ δὲ ἀκηδία πασῶν τῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων ἐπιδραττομένη, πάντα σχεδὸν ὁμοθυμαδὸν κινεῖ τὰ πάθι. διὸ καὶ πάντων τῶν ἄλλων παθῶν ἐστὶ βαρίτατον. καλῶς οὖν ὁ κύριος τὸ κατ᾽ αὐτῆς φάρμακον δεδωκῶς ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν λέγει, κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν.

Hæc græca non habētur in exemplaribus impressis Argētinę

Omnes alij affectus, aut iracundiam in anima attingũt, aut concupiscẽtiam, aut partem animæ rationalem, cuius generis est obliuio, aut ignorantia. At Acedia omnes animæ uirtutes depopulans omnes ferè unanimiter affectus commouet. Quapropter omnibus alijs quoq; affectibus est grauissima. Probè itaq; Christus aduersus hãc nobis præstitit pharmacũ. In patientia, inquit, uestra possidebitis animas uestras.

August. lib. 1. de Ciuitate Dei.

Deleta quippe Carthagine, magno videlicet terrore Rom. Reipub. extincto, tanta de prosperis rebus mala secuta sunt, vt corrupta concordia prius sæuis cruentisq; seditionibus, deinde mox malarum connexione curarum, bellis ciuilibus tantus sanguis effusus est, vt crudeliora paterentur à ciuibus, quàm ab hostibus.

Augustinus Confeßion. lib. 10.

Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui potuit fieri ex deteriore melior, non fiat ex meliore deterior.

Augustin. epist. ad Vercellenses.

Nullus fructus otij, imò magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere quàm quærere.

Hieronymus epistola ad Demetriadem.

Nihil in sancto proposito deterius est otio, quod non solummodo non acquirit noua, sed etiam peracta consumit. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit, & deficit. Quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendũ.

Hieronymus ad Rusticum monachum, & habetur de consecrat. distinct. 5. Nunquam.

Facito aliquid operis, vt semper Diabolus inueniat te occupatum.

Ioannes Chrysost. lib. de lapsu.

Radix desperationis est ignauia, & nõ solùm radix, sed nutrix eius & mater. Nam sicut vestimentũ & tineã generat & nutrit, ita ignauia nõ solũ gignit ex se desperationẽ, sed alit & fouet.

Isidorus soliloquiorum lib. 2.

Per torporem vires & ingenium defluunt.

Bernardus de consideratione lib. 2.

Fugienda est otiositas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares nugæ sunt. In ore sacerdotis blasphemiæ sunt.

Leo in sermone de Apparitione.

Non dormientibus prouenit regnum cælorum, nec otio & desidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur.

Ioannes Caßian. de instit. Monachorum lib. 10.

Experimento probatum est acedię impugnationem non declinando fugiendam, sed resistẽdo superandam.

Ibidem.

Acedia est solitarijs magis experta, & in eremo commorantib. infestior hostis ac frequens.

Boëtius lib. de scholastica disciplina.

Sicut in vnoquoque opere mater inuenitur constantia, ita vniuersæ doctrinæ & disciplinæ nouerca est negligentia.

Beda super prouerb. lib. 2.

Vult & non vult piger. Pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Deo, & non laborare pro Deo. Delectãt præmia, cùm pollicentur, deterrent certamina, cùm iubentur.

Seneca ad Lucilium epist. 8.

Nullus mihi per otium dies exit. Partem noctium studijs vẽdico. Non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentesque in opere, detineo.

Seneca ad Lucilium epist. 69.

Gloriari otio, iners ambitio est. Vitam in odium otium adducere solet.

Seneca ad Lucilium epist. 30.

Generosos animos labor nutrit.

Seneca ad Lucilium epist. 33.

Dormio minimum, & breuissimo somno vtor. Satis est mihi vigilare desijsse, aliquãdo non dormiuisse scio, aliquando suspicor.

Seneca ad Lucilium. epist. 68.

Demetrius vitam securam, & sine vllis fortunę incursionibus mare mortuum vocat. In otio inconcusso iacere non est tranquillitas, malitia est. Attalus Stoicus dicere solebat: Malo vt me fortuna in castris, quàm in delitijs habeat.

Idem epist. 72.

Luxurioso, frugalitas pœna est: pigro, supplicij loco labor est: delicatis, miseria est: desidioso, studere, torqueri est.

Ibidem.

Non putant desidiosi fieri quicquid facere non possunt. Ex infirmitate sua de virtute ferũt sententiam. Eodem modo hæc, ad quæ omnes imbecilles sumus, dura, atq; intoleranda credimus, obliti quàm multis tormentum sit vino carere, aut prima luce excitari. Non ista difficilia sunt naturâ, sed nos fluidi & enerues sumus.

Idem in prouerbijs.

Diu delibera, citò facito. Nil curare, hoc est insa-

insanum esse. Nil posse, hoc mortuum viuere.

Seneca ibidem.

Quies tibi, non desidia sit. Et cùm ab alijs luditur, tu sancti aliquid, honestiq; tractabis.

Ibidem libro de beneficijs.

Pigritia est nutrix egestatis.

Seneca libro de beneficijs.

Nullum beneficium dandum est negligenti.

Plato libro de Repub.

Pestis est mortalibus ignauia.

Aristoteles lib. 10. de animalibus.

Nullum ens naturale natum est otiosum.

Aristoteles lib. 10. Ethicorum.

Corrumpunt operantem propriæ tristitiæ.

Ibidem libro Oeconomicorum.

Impossibile est negligentibus dominis, seruos esse solicitos.

Salustius in Iugurtha.

Etenim ignauia nemo immortalis factus est, neq; quisquam parens liberis, vt ęterni fierent, ignauiam optauit, magis vt boni & honesti vitam suam agerent.

Salustius in Catilinario.

Summam lætitiam atque lasciuiam diuturna quies comparat.

Salustius ibidem.

Non votis neq; supplicijs muliebribus auxilia deorum parantur: sed vigilando, agendo, bene consulendo omnia prosperè cedunt. Vbi socordiæ atq; ignauiæ te tradideris, nec quicquã deos implores. Irati enim infensiq; sunt.

Valer. Maximus lib. 2. tit. de Institutis antiquis.

Massilia ciuitas omnibus, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt clausas portas habet, & mendacem & fucosam superstitionem summouendam esse existimans.

Q. Curtius de gestis Alexandri libro 6.

Parua sæpè scintilla contempta, magnum excitauit incendium.

Virgil. Aeneidos 11.

—Quæ tanta animis ignauia uenit?

Lucanus libro 1.

Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Ouid. Metamorph. libro. 8. fabula 6.

—Ignauis precibus fortuna repugnat.

Idem Artis libro 2.

—Amor odit inertes.

Ouidius Artis libro 3.

Venturæ memores iam nunc estote senectæ,
Sic nullum uobis tempus abibit iners.

Ouidius lib. 1. de Ponto elegia 6.

Cernis ut ignauum corrumpunt otia corpus?
Et uitium capiant, ni moueantur aquæ.

Ibidem.

—Non sum qui segnia ducam
Otia. Mors nobis tempus habetur iners.

Ibidem.

Cùm dedimus somno, quas tempus postulat horas,
Quo ponam uigilans tempora longa modo?

Tibullus libro 1. elegia 4.

At si tardus eris, errabis, transiet ætas,
Quàm citò non segnis stat, remeatq; dies?

Ibidem.

Vidi iam iuuenem, premeret cùm serior ætas,
Mœrentem tardos præterijsse dies.

Horatius lib. 1. epistol. 19.

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere uires.

Dantes Florentinus Inferni cap. 24.

Sedendo in piuma
In fama non se uien, ne sotto coltre,
Senza laqual chi sua uita consuma,
Cottal uestigio in terra di se laßia
Qual fumo in aëre, & in acqua la schiuma. id est:

Sedendo in pluma
Ad famam nequaquam peruenitur, nec sub culcitra,
At qui sine fama suam uitam conterit,
Tale sui post se in terra uestigium relinquit,
Quale aut fumus in aëre, aut in aqua spuma.

Dantes purgatorij cap. 2.

El perder tempo a chi piu sa, piu spiacce. id est,
Temporis amißio, ei, qui plus sapit, magis displicet.

Ibidem cap. 18.

Et studiose di ben far gratia rinuerde. id est,
Studium benefaciendi gratiam renouat.

Ibidem cap. 23.

I tempo che ni e imposto,
Piu ut il mente compar tir se uole. id est.
Tempus tributum nobis uult utilius impertiri.

Dantes Paradisi cap. 20.

Hora cognosce quanto caro costa
Non sequir Christo per lex perienza
Di questa dolce uita, & de loppostà.

Ibidem.

Hora cognosce che l iudicio æterno
Non si transinuta quando digno preco.
Fa crastino lagiu del hodierno. id est:

Nunc cognosce, quàm carè constet,
Non sequi Christum per experientiam
Huius dulcis uitæ, atq; oppositæ.
Iam nosce, quòd iudicium æternum
Facit ex hodierno crastinum.

Acerbus Græcè ὠμός. οῦ. ὁ. vnde ὠμόσιτος cruda comedens, propriè est incoctus & nondum maturus, vt poma acerba. Aliquãdo pro horrendo capitur. Virgilius: Et funere mersit acerbo. hinc acerbitas amaritudo saporis, cruditas sæuitiaq; est.

Acerra Græcè θυμιατήριον. ου. τὸ. dicitur, est thuris arcula, quæ & à Latinis thuribulum dicitur. Est etiam vrbs hoc nomine iuxta Neapolim, quam Clanius amnis præterfluit. Virgilius: Et vacuis

Clanius

Clanius non æquus Acerris.

Acies ab ἀκονάω, quod est acuo, descendit. Ita & ἀκόνη, cos cotis dicitur. Est autem acies cuiuscunq; rei acumé, & quasi summum, vnde aciem ferri dicimus, aciem oculorũ, aciem exercitus. & ab acuo, acutus venit notæ significationis, quod etiam ad incorporea transfertur: vt acutum ingenium, acutus visus.

Accliuis Græcè κατάντης. εος. ὁ. ἡ. dicitur. Et est arrectus, & in cliuum accuminatus, vnde accliuitas. Decliuis verò inclinatus & incuruus.

Aconitum Græcè ἀκόνιτον ȣ τό. dicitur, herba est maximè venenosa, spuma Cerberi canis tricipitis primùm in cotibus nata, vnde & nomẽ accepit. Nam ἀκόνη Gręcè, cotem significat Latinè.

Ouidius lib. 7. Metamorph.

Quæ quia nascuntur dura uiuacea caute
Agrestes aconita uocant.

Acrimonia Græcè δεινότης. ητος. ἡ. & δεινός acer dicitur. Et est viuacitas animi, acumen ingenij, & mentis seueritas, ab acer venit, quod ab acuo descendit.

Actor Gręcè πράκτης dicitur. Is est, qui aliquid agit, & actio omnis actus: vnde actionem Iurisconsulti vocant ius, quod cuiq; debetur in iudicio prosequendi, propter quod Vlpianus scribit duo esse actionum genera: in rem, quæ dicitur vendicatio: & in personam, quæ appellatur conditio. In rem actio est, per quam rem nostrã, quæ ab alio possidetur, petimus. In personam, actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum.

Differunt autem actor & author sic, quod actor est qui recitat: Author verò qui facit opus. Quare scriptores poëmatum & aliorum, authores dicuntur, & ita authores pacis, authores belli: Quomodo autem author scibatur, vide infrà in dictione Autor.

Ad aliquid Græcè πρός τι dicitur. Talia dicuntur, quęcunq; hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur: vel quomodolibet aliter ad aliud, secundum Aristotelem libro Prædicamentorum.

Ad aliquid sunt, quib. hoc ipsum esse est ad aliud quodãmodo se habere, secũdum eundem.

Adiuratio est duplex secundum B. Tho. Secun. secu. q. 9.
- *Deprecatiua per modum deprecationis, cùm scilicet non intenditur imponere necessitatem adiurato, sed tantùm per inuocationem, uel ob reuerentiam diuini nominis, uel cuiusuis rei sacræ intendimus aliquid ab aliquo obtinere, & est duplex, scilicet:*
  - *Licita, qua deprecando adiuramus*
    - *Deum.*
    - *Angelum bonum.*
  - *Illicita, qua deprecando adiuramus*
    - *Hominem tam superiorem quàm inferiorem.*
    - *Dæmones.*
- *Compulsa uel coacta, cùm intendimus necessitatem imponere adiurato, & est duplex, scilicet:*
  - *Licita, quãdo adiuramus p uirtutẽ diuini nominis*
    - *Dæmones ne nobis noceãt spiritualiter uel corporaliter.*
    - *Irrationalem creaturam, inquantũ regitur malo spiritu.*
  - *Illicita, cũ imperando adiuramus*
    - *Deum.*
    - *Angelum bonum.*
    - *Hominem non subditum.*
    - *Dæmões ut doceãt, auxiliẽt.*

Adiuratio Græcè ἐξορκισμός. ȣ. ὁ. nam ἐξορκίζω adiuro dicitur. Estq; adiurare per inuocationẽ diuini nominis, vel alterius rei sacræ obsecrando, vel imperãdo inclinare eas secundum se, vel in comparatione ad eas aliquid agẽdum vel patiendum, secundum Richar. in 1. di. 37. art. 3. q. 2.

Adiurare, est ordinare aliquid ad aliquid per diuina, secundum B. Thom. secun. secun. q. 90. art. 1. Vtentes huiusmodi artibus à Iurisconsultis dicuntur exorcizatores.

Admiratio ab admiror, quod Gręcè θαυμάζω, & est timor ex magna imaginatione, secundum Ioan. Damascenum lib. 2. cap. 15.

ADolescentia Græcè νεότης. & νεανίας. ȣ. ὁ. adolescens dicitur, & secundum Ciceronem in Topicis flos ætatis, vel, vt alij volunt, extrema pueritia, dicta ab adoleo, quod modò significat accresco, quia crescẽtes pueri, cùm primùm puberes fiunt, olere hircum incipiunt: propter quod hirquitali sunt appellati. hinc adolesco, vnde adolescens, cuius diminutiuum est adolescentulus, & adolescẽtia, cuius prima ętas ephebia dicitur. Vnde ephebus, qui in prima est adolescentia. Terent. in Andr. Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia. Ephebus dicitur, quòd iam sit in pube, quæ Gręcè ἔφηβος dicitur, hoc est, iam ad pubertatis annos peruenit.

Prouerbiorum 3.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilę in cęlo; viam colubri super petrã; viam nauis in medio mari; & viam viri in adolescentia.

Ecclesiastes 11.

Lętare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bonis sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in uijs cordis tui, & in intuitu oculorũ tuorum, & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.

Ecclesiastici 32.

Adolescens loquere in tua causa vix cùm necesse fuerit.

Ibidem.

In medio magnatum loqui non pręsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris.

1. Pet.

1.Petri 5.

Adolescentes subditi estote senioribus.

Hieronymus ad Nepotia.

Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia tentationibus & libidine impedita non explicat suum fulgorem, nisi labore & studio, & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur.

Ambrosius de Viduis lib.1.

Vicina est lapsibus adolescentia. Quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis.

Ambrosius lib. de Officijs.

Honor adolescentium est timorem Dei habere, parentibus deferre, honorem habere senioribus, castitatem tueri, humilitatem non aspernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta sunt iuuenili ætati. In senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, in adolescentibus verecundia commendatur.

Ambrosius lib.1.Officiorum.

Verecundia cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes iuuenilesq; annos maximè decet. Vt artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoq; corporis decore plus eminet. Ita tamen, vt etiam ipse non sit affectat[us] decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quàm ornatus, vel cultus, vel expeditus.

Gregorius in Pastorali.

Iuuenes plerunq; seueritas admonitionis ad profectum dirigit. Senes verò ad meliora opera deprecatio blanda componit.

Gregor. Columbo episcopo, & habetur q.1.Pueri.

Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant.

Bernardus super Can. sermone 87.

Quid amabilius verecundo adolescente? Quàm pulchra & quàm splendida gemma morum est verecundia in vita & vultu adolescentis? quàm vera & minimè dubia bonæ spei nuntia? bonæ indolis, virga disciplinę, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ. Specialis gloria conscientiæ. Famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti.

Bernardus ad Eugenium.

Adolescentulũ verbosum & eloquentiæ studentẽ, cùm sit sapientię inanis, non aliud quàm hostem iustitiæ reputa.

Bernardus ad Theobaldum militem.

Multos videmus iuniorem super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora præuenire meritis, & quòd deest ætati, virtutibus compensare. Quia iuxta Apostolum: Nemo contemnat adolescentiam bonæ indolis. senectus venerabilis non est numero annorum, sed magis merito morum computata.

Ioannes Chrysostomus in prologo super Matthæum.

Adolescentibus in ludo literarũ positis non tam placẽt solida, quàm picta: quare potius pulchra, quàm vtilia sectantur. Nec tam agentia diligũt, quàm sonantia: magis gaudent foliorum amœnitate conspergi, quàm fructuum vbertate nutriri.

Caßidorus in epistolis.

Indignè transacta adolescentia, odiosam efficit senectutem: Et honestè acta, superior ætas fructus capit auctoritatis. Quid enim senectus surripere valet, in quo iuuentus reprehensibilis non fuit?

Hugo in libro de claustro animæ.

In illa ætate quando crines flauescunt, caro nitescit eburnea, oculorũ gemmis facies rosea decoratur, valetudo corpori sumministrat, & ętas iuuenilis longioris vitę spatium repromitit. Quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior. Qui in hac ætate se domant, & Deo se sociant, præmium Ioannis Baptistæ expectãt. Tales enim offerunt hostiam viuentem, Deo placẽtem & immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non lingua carentẽ. Audiat hoc senum sera cõuersio: quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, vt breuiter cũcta perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum: Sed (vt ita dicam) porcum cruentatum. Sicut enim porcus in immundicijs, sic senex iacuit in vitijs. Et sicut porcus siliquis pascitur, sic senes fabulis & rumoribus delectantur.

Cyprianus de 12. abusionibus.

Sicut in sensibus sobrietas & morum perfectio requiritur, ita in adolescentib. obsequium & subiectio, & obedientia ritè debetur.

Cyprianus ibidem.

Sicut fructus nõ inuenitur, in arbore in qua flos prius non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non potuit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauit. Disciplina igitur absq; obedientia qualiter fieri poterit? Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est.

Lactantius Firmianus diuin. instit. lib.7.

Plato de anima differens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales atque diuinas, quòd in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia, quòd ea, quæ discant, ita celeriter capiant, vt non tunc primũ discere videantur illa, sed recognoscere atq; reminisci. In quo vir sapiens poẽtis ineptißimè credidit.

Plato in Thimæo.

Certè illud expertus sum, tenaciorẽ fore eorum memoriam, quæ prima ætate discuntur.

Aristo-

Aristoteles lib.1.Ethicorum.

Nihil differt ætate puer, & moribus puerilis.

Aristoteles lib.6. Ethicorum.

Iuuenes non possunt esse prudētes, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore, & multitudo temporis facit experiētiam.

Aristoteles Rhetoricorum libr.2.

Iuuenes non sunt maligni moris, sed facilis moris, propterea quòd nondum viderunt nequitias.

Aristoteles lib.7.Politicorum.

Iuuenes maximè ab ebrietate custodire oportet.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Pueros puberes non in forum, sed in agrum duci Lycurgus iussit, vt primos annos non in luxuria, sed in omni opere & labore agerent. Nihil eos causa somni substernere, & vitā sine pulmento agere. Neq; prius in vrbem redire, quàm viri facti essent, statuit.

Aulus Gellius noctium Atticarum lib. 4.

Pueros impuberes compertum est, si nimio cibo, nimioq; vino vtantur, hebetiores fieri: atque hinc elici surditatē, improceraq; fieri corpora eorum, minusq; adolescere.

Seneca ad Lucil.epistola 16.

Magnum expecta gaudium, quum puerilem animum deposueris, & te in virum philosophię descripseris. Adhuc enim nō pueritia, sed quod grauius est, puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, quòd authoritatem habemus senum: vitia verò puerorum, nec puerorum tātùm, sed infantium.

Seneca ad Lucillium epistol. 90.

Facile enim tenera conciliantur ingenia ad honesti rectiq; amorem.

Seneca Tragœdia 2.

Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.

Idem Tragœdia 9.

Teneris in annis haud satis clara est fides.

Cicero lib.1.Officiorum.

Est enim adolescētis maiores natu vereri, ex his eligere optimos & probatissimos, quorum consilio & authoritate nitatur.

Cicero ibidem.

Maximè hæc ætas à libidinibus est tollenda, in labore & patientia animi & corporis exercenda, vt in bellicis, & ciuilibus officijs eorum vigeat industria. Caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ, quod erit facilius, si huiusmodi rebus maiores natu velint interesse.

Cicero libro de Senectute.

Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senectutis.

Ibidem.

Libidinosa intemperansq; adolescentia, effœtum corpus tradit senectuti.

Cicero libro Rhetoricorum nouorum.

Qui adolescentium peccatis ignosci putant oportere, falluntur, propterea quòd ætas illa non est impedimēto bonis studijs. At hi sapienter faciunt, qui adolescētes maximè castigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in ætate maturissima velint comparare.

Idem libro de Senectute.

Sic vitam adolescentibus vis auferet, senibus maturitas.

Cicero in Rhetoricis.

Adolescentis officium sit maiores natu vereri, atque ex his probatissimos eligere, quorum consilio vtatur.

Homerus in γ. Iliados.

Αἰεὶ δ᾽, ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται. id est:
Semper autem iuniorum uirorum mentes pendent.

Homerus ψ. Iliados.

οἶσθ᾽ οἷαι νέου ἀνδρὸς ὑπερβασίαι τελέθουσι,
κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος λεπτὴ δέ τε μῆτις. i.
Scis quales iuuenis uiri operationes sunt,
Velox quidem, sed tenue consilium.

Idem η. Odissea.

αἰεὶ γάρ τοι νεώτεροι ἀφραδέουσιν. id est,
Semper enim iuniores insipiunt.

Menander.

Νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει. id est,
Iuuenem autem tacere magis quàm loqui decet.

Plautus in Bacchidibus.

Iuuenili ætati non conducit mulier, nec latebrosus locus.

Ibidem.

Isthoc illecebrosius fieri nihil potest, nox, mulier, uinum, homini adolescentulo.

Horatius in arte poëtica.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi.
Cæreus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris:
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix.

Horatius in Epodo Ode penultima.

Fugit iuuentus, & uerecundus color,
Reliquit ossa pellem amicta luridam.

Ouidius epist. Phædræ ad Hippolytum.

Sint procùl à nobis iuuenes, ut fœmina, compti,
Fine coli modico forma uirilis amat.

Iuuenalis satyra 13.

Credebant grande nefas & morte piandum,
Si iuuenis uetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer.

Iuuenalis satyra 14.

Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et læuo monitu pueros producit auaros,
Et qui per fraudem patrimonia conduplicari,
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculò, quem si reuoces, consistere nescit,
Et te contempto rapitur metisq; relictis.

Ibidem.

Ibidem.

Quum dicis iuueni, stultum quid donet amico.
Qui paupertatem leuet attollatq; propinqui,
Et spoliare doces & circunscribere, & omni
Crimine diuitias acquirere, quarum amor in te est.

Ibidem.

Plurima sunt, Fuscine & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntq; parentes,
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.

Adoptio Græcè θέσις. ιος. ἡ. & θετος. ȣ. ὁ. adoptiuus dicitur, est legitimus actus, per quem qui filius non est, pro filio habetur, pene naturã imitans.

Iustin. de adop. in glo.

Adoptio est extraneæ personæ in filium vel neptem & deinceps legitima assumptio, secundum B. Thom. 4. sen. dist. 42. q. 2. art. 1. Hanc ferè omnes definitionem canonistæ affirmant.

Adoptare est admittere ex gratia ad participandum hæreditatem, B. Thom. in 3. parte. q. 23. articul. 1.

Adoratio Græcè προσκύνησις. ιος. ἡ. & προσκυνέω adoro. Duplex est, scilicet interior deuotio mentis, & exterior humiliatio corporis: prima est principalior, ad quam & propter quam secunda fit.

Aduentus Christi, vide infrà Christi aduẽtus.

ADuersitas idem quod calamitas, quæ Græcè συμφορά. ᾶς. ἡ. dicitur δυστύχημα. ατος. τὸ. vel δυσχέρεια. ας. ἡ. infortunium & molestia.

Tobiæ 12.

Qui acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.

Iob 5.

Beatus qui corripitur à Domino.

Ecclesiastici 77.

Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.

Romanor. 5.

Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.

Hebræos 12.

Quem diligit Deus castigat.

Paulus 2. ad Timotheum 3.

Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Mali autem homines & seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.

Hebræ. 12.

Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus castigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit, in disciplina perseuerate, tanquam filijs vobis offert se Deus, quis enim filius quem non corripit pater?

Actuum 14.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Augustinus de uerbis Domini lib. 2.

Nemo frangitur aduersorum molestia, qui prosperorum delectatione non capitur.

Augustin. super Matth. sermone 18.

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax.

Augustinus in sermone ad Lippium.

Noli admirari frater, si postquam Christianus effectus es, mille te vndiq; tribulationes vexant. Quoniam Christus nostræ religionis caput est, nosq; eius membra sumus. Debemus ergo non solum eum, sed eius vitam cumulatissimè sequi, vita enim Christi respersa fuit angustijs plurimis, summa paupertate circundata, à Scribis & Pharisęis derisus, tandem propter nos peccatores morti turpissimæ traditus est. Vnde coniectura est, quum te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numero deputasse. Nam sine huiusmodi tribulationibus nequaquam ad Deum peruenire possumus. Omnes enim qui ad paradisum redire desiderant, oportet transire per ignem & aquã, siue fuerit Petrus apostolus, * cui datæ sunt claues regni cęlorum, * siue Paulus vas electionis, siue Ioannes, cui reuelata sunt secreta cælestia: necesse est vt omnes dicant, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. (* Hoc in alijs codicibus deest.)

Augustin. super Psalm. 21.

Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentũ esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem.

Augustinus super Psalm. 60.

In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur, & illud sordibus exuitur. Fornax, mundus: aurum, iusti: ignis, tribulatio: artifex Deus est. Quod vult ergo artifex, facit: vbi punit me artifex, tolero: * iubeor ego tolerare, * nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendũ me: illa quasi in cinerẽ vertitur, ego sordibus careo. (* Et hoc deest.)

August. de ciuitate Dei lib. 1.

Sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, sub eadem tribula stipula comminuitur, & frumenta purgantur.

Augustinus contra Faustum.

Nullus hominum sic iustitia præditus est, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam virtutem, vel confirmandam seu approbandam.

Hieronymus epistola ad Heliodorum.

Quis non tribulari velit? quis se non maledici de-

ci desideret, vt mereatur Christi voce laudari, & cælesti copiosaq; mercede munerari?

Ambrosius in libro de morte Satyri.

Quid in hac vita nō experitur aduersi? Quas non procellas tempestatesq; perpetimur? Quibus non exagitamur incommodis? cuius parcitur meritis?

Idem libro Officiorum.

Paupertas, fames, dolor, quæ putantur mala, non solùm impedimēta non sunt ad vitam beatam, sed etiam ad meritum adiuuant. Vnde dicitur; Beati pauperes spiritu: Beati qui esuriunt.

Gregorius lib. 3. Moralium.

Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum est, vtrum prosperitas, an persona diligatur: amissio enim felicitatis interrogat vim dilectionis. Nec prosperitas quippe amicum indicat: nec aduersitas inimicum celat.

Ibidem.

Iustis amplius placet ex aduersitate mala perpeti, quàm ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari.

Gregorius in Registro.

Facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta reuocamus, atque hæc iam non flagella, sed dona esse cōspicimus: si, quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus.

Gregorius lib. 5. Moralium.

Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat.

Idem lib. 10. Moralium.

Dolor flagelli temperatur, quum culpa cognoscitur. Quia quantò quisque ferramentum medici patientius tolerat, tantò magis putridū conspicit esse quod ferat.

Ibidem.

Mala vitæ præsentis tantò durius animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit. Nequaquam nos gratia in aduersitate deserit, quia quò nos durius ex dispensatione percutit, eò amplius ex pietate custodit.

Gregorius lib. 11. Moralium.

Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille verò patiens est, qui & aduersis cōteritur, & tamen à specie suæ rectitudinis non curuatur.

Idem 26. Moralium.

Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpè prosperitas huius mundi claudit.

Ibidem.

Sanctorum mentes æternitatis præmia præstolantes, vires ex aduersitatibus sumunt. Quia crescente pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Electorum desideria dum premuntur aduersitate, perficiunt: sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur.

Gregorius super Ezechielem.

Donis suis Deus flagella permiscet, vt nobis omne quod nos in seculo delectabit, amarescat: & illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cæleste desiderium inquietet & excitet, atque (vt ita dicam) delectabiliter mordeat suauiter cruciet, hilariter contristet.

Gregorius in Pastorali cap. 51.

De spe æternæ hæreditatis gaudium sumūt, quos aduersitas vitę temporalis humiliat. Quia non saluandos in perpetuū cerneret, si erudiendo sub disciplinę regimine dispensatio non frę naret.

Idem in Registro.

In omnipotenti Deo tunc certa est fiducia, quando pro bono opere aduersitas additur: in hoc mūdo recipitur, vt pulchrior merces in retributione æterna seruetur.

Ibidem.

Multi in hac vita dolores sunt, qui ad amorē cælestium quotidiè impellunt: qui in hoc vehementer solùm mihi placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.

Gregorius super illud Iob 3. Frater fui draconum.

Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est.

Gregorius Moralium 26. super illud Iob 25. Qui dat carmina in nocte.

Nihil iniustè patimur. Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione.

Ioannes Chrysostomus in sermone 18.

Faciamus de necessitate virtutem, seu voluntatem. Exempli gratia. Proprium quis amisit filium, substantiam alius omnem & fortunæ bona. Si noueris quod semel peractum est, nec deleri amplius, nec solui posse, licebit ex ea insanabili calamitate vtilitatis aliquid comparare, si magno ac virili animo aduersos tuleris fortunæ casus, proq; maledictis Domino laudem referas. Hoc pacto quæ præter spem obuenerint mala, in voluntatis officium commutabis.

Boëtius Philosophicæ consolationis lib. 2. prosa 4.

Nam in omni aduersitate fortunæ infelicissimum genus infortunij est, fuisse felicem.

Ibidem.

Quis enim est tam compositæ felicitatis, vt non aliqua ex parte cùm statu sui qualitate rixetur. Anxia enim res est humanorum cōditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, mallet esse ignotus. Ille vtroq; circunfluus, vitam cœlibem deflet: ille nuptijs felix, orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus, filij filiæúe delictis mœstus illacrhymat. Idcirco nemo facilè cum fortunæ suæ conditione concordat. Inest enim singulis,

quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat.

Boëtius ibidem.

Adde quod felicissimi cuiusq;, delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis aduersitatis insolens minimis quibusque prosternitur. Adeò perexigua sunt, quæ fortunatissimis summam beatitudinis detrahunt.

Isidorus de summo bono lib.3.

In aduersitatibus tuis non contristeris, in languoribus tuis Deo gratias age. Valere te magis anima opta, quàm corpore. Valere te magis mẽte opta, quàm carne. Aduersa corporis, remedia sunt animæ. Aegritudo carnem vulnerat, mentem curat. Languor vitia excoquit, languor vires libidinis frangit.

Isidorus soliloquiorum lib.1.

Semper Deus hîc hos vulnerat, quos ad salutem perpetuam præparat.

Isidorus ibidem.

Omnia aduersa ęquo animo tolera. Dum tibi aliena pericula memoras, mitiùs portas tua.

Isidorus de summo bono lib.3.

Discat non murmurare, qui mala patitur, etiam si ignorat cur patiatur. Per hoc quisque se iustẽ pati arbitretur, quia ab illo iudicatur, cuius nunquam iniusta iudicia sunt.

Bernardus super Cantica sermone 25.

Ad virtutes spectat, tribulationes fortiter sustinere: ad sapientiam, in tribulationib. gaudere. Conforta cor tuum, & sustine Dominum. Virtutis est gustare, & videre, quoniam suauis est Dominus sapientiæ.

Caßiodorus super illud Psal. Voluntariè sacrificabo tibi.

Voluntariè Deo sacrificant, qui inter augustias paßionum iugiter gratias agunt.

Lactantius lib.3. cap.24. diuinarum instit.

Vnde nemini mirum debet videri, si pro nostris delictis castigamur à Deo. Imò verò, cùm vexamur ac premimur, tum maximè gratias agamus indulgentisſimo patri, qui corruptelá nostrá non patitur lógiùs procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus esse Deó curę, quib⁹, cui, quãdo peccamus, irascitur.

Lactantius lib.3. diuinarum institutionum.

Beatus est igitur sapiens in tormentis, sed qui torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo, illa patientia doloris beatisſimum facit.

Idem lib.6. diuin. institution.

Nemo dubitat, qui timidi & imbecillis sit animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerẽ, aut mortem. Quę omnia, quisquis non exhorruit, fortisſimus iudicatur. Qui autem Deum metuit, illa vniuersa non metuit, ad quod probãdum, opus argumentis non est.

Seneca epistola 93.

Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea, quæ possunt euenire, firmandus; exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare.

Seneca in Hercule furente tragœdia 1.

Quæ fuit durum pati, meminisse dulce est.

Seneca Tragœdia 6.

Fletus ærumnas leuat. *Seneca ibidem.*

Aequior casum tulit in procellis,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui uidit, tabulaq; littus
Naufraga spargi.

Seneca libro de Prouidentia.

Quis vir est qui non est erectus ad honesta? qui non est laboris iusti appetens? qui non ad officia cum periculo paratus?

Sequitur.

Nihil infelicius (ait Democritus) eo, cui nil aduenit vnquam aduersi, non licuit illi se experiri, vbi ex voto illi fluxerunt omnia vt ante votũ. Malè tum de illo dij iudicauerunt. Indignus visus est, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignobilisſimum quenq; refugit, contumacisſimum,* id est fortiter obuiantem quenq; & rectisſimũ,* aggreditur, aduersus quẽ vim suã intendat. Ignẽ experitur in Mucio. Paupertatẽ in Fabritio. Exilium in Rutilio. Tormentum in Regulo, Venenũ in Socrate. Mortem in Catone.

* In aliis exemplarib⁹ hæc omissa sunt.

Seneca ibidem.

Miserum te esse iudico, qui nunquã fueris miser, traxisti sine aduersario vitã. Nemo scit, quid potueris, neq; tu quidem ipse. Opus enim est ad sui notitiam, experimento. Quid quisq; posſit, non, nisi tentando, didicit.

Macrobius lib.1. Saturnal. inquit.

Non omninò dijs exosos esse, qui in hac vita cum ęrumnarũ varietate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorũ poterit venire curiositas. *Valer. Max. lib.8.*

Neq; secundarũ rerum prouentu insolenter abuti, neq; aduersis propere debilitari oportet.

Terentius Comœdia 3.

Quamobrem omnes, quum secũdæ res sunt, tum maximè meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant.

Euripides in Medea.

Κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφοράς. id est,
Leuiter ferre oportet mortalem existentem calamitates.

Virgilius Aeneidos 1.

Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

Ouidius lib. ult. Metamorph. fabula 44.

—Nec enim fortuna querenda
Sola tua est, similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres.—

Ouid. Tristium lib. ult. elegia ult.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui nulla uigoris adest.

Iuuenalis Satyra 13.

—Dicimus autem
Hos quoq; felices qui ferre incommoda uitæ,
Nec iactare iugum uita didicère magistra.

Amatius ADuersitas est passio, vel ægritudo laboriosa egestatis, vel alterius alicuius mali, vel damni accidentis, vel illati, simulq; accepti. Ci. 4. Tuscul. Quæst. in dictione ærumna. D. Augu. in lib. Confessionum.

Baptista Mantuanus de fortuna Gonzagæ Mantuæ principis.

Quum fuero tecum paucis Gonzaga locutus,
Sors tua non debet censeri asperrima: quando
Non natos, non imperium, non abstulit annos:
Sic Deus errori solitus succurrere nostro:
Quos amat, emendat, sceleriq; imponit habenas.
Quos odit peccare sinit, neq; corrigit unquam.

Idem lib. 2. de patientia cap. 17. Quod uirtus crescat aduersis.

Hæ virtutes, quæ alijs præsident, in infirmitate corporis maximè pollent: dicente Apostolo, virtus in infirmitate perficitur, fit vt desiderabilis morbus sit, quò cum Apostolo dicere possimus: cùm infirmor, tum fortior sum. Et iterum. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me gratia Christi. Suscipiẽdus ergo gratanter est morbus, in quo tãti profectus est occasio: in quo tanta promerendi est oportunitas, tantus vsus, tanta commoditas. Vnde in psalmo legitur: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Quid hoc, quàm quòd ad Deum cucurrerunt? Est ergo infirmitas homini, quod calcar equo, quod stimulus boui. Nobis vt plurimùm accidit, quod iumentis: iumenta cùm in via cibũ reperiunt, voluptate pellecta trahere desinunt, & pastui tam diu inhærent, quamdiu bubulci stigma non sentiunt, tum demum accelerant, cùm verberãtur: tum se viæ accingunt, tum itineri student, cùm nihil quòd delectet, occurrit: nam dum non nisi in termino quietẽ expectant, gressu citatiore desudant, at qui sæpius in via quod tardat, offendit, ad finem viæ serius pergit.

Idem eo lib. cap. 19. Quòd aduersitas tollat mortis metum.

Est & aliud quoddam magnum infirmitatis bonum: liberat enim nos mortis metu, quo incommodo maximè laboramus, cuius memoria sic amarescit, vt si cũcta possideas bona: si vescaris semper ambrosia, quicquid gustatur reddit amarum. At sicut, cùm quis calceo nimium premitur, etsi perbellè ac perquam venustè pedem vestiat, discalciari optat: sic nimirum, cùm, qui hanc vitam experitur aduersam, & sine spe salutis affligitur, pro singulari remedio mortẽ expectat, & nonnũquam inuocat, & quòd sera sit, increpat, contra se vrget, sibi etiam consciscit, vitæ ipsius contemptor & prodigus. Vnde & ipse Iob patientiæ exemplar, quem carnis infirmitas in vitæ societatem adduxerat, clamat, dicẽs: cũctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Et iterum: quis det, inquit, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cepit, ipse me conterat. Felix igitur calamitas, quę id à nobis aufert incommodum, quo quasi absynthio generali voluptas omnis è vita discedit.

Cap. 14.
Cap. 6.

Aduersitas facit, ut nos ipsos cognoscamus. Deinde fert auxilium uirtuti. Idem eo lib. cap. 12.

Calamitas & aduersitates huius mundi, quæ nobis quotidiè in vita hac miserrima accidunt, oculos nobis aperiunt, & in meditationem perducunt nos, nihil esse vnde superbiamus, vel efferamur, scientes, omnia quæ hîc possidentur, esse vanissima ac inconstantissima, & omnes homines viuentes esse vanos, nos item quasi putredinem (vt inquit Iob) consumptum iri, & quasi vestimentum à tinea sic commestum iri, deniq; in puluerem redituram omnem carnem: inde cùm affligimur, nec opem aliunde speramus, tunc agnita nostra miseria & vanitate huius vitæ sub potenti manu Dei opt. ac max. humiliantes nos, illius auxilium inuocamus, ex hac valle lachrymarum discedere inenarrabilibus gemitibus exoptamus. Cap. 13: animaduersione dignum.

Si vim & naturam virtutis inspicimus, si legum & rationis memores, sumus soliciti ne libido in nobis dominetur, & vt appetitum redigamus in ordinẽ, aduersitatẽ inprimis amabimus, cuius ope efficitur, vt sensus obediat rationi. Aduersitas. Passio affectus.

Est enim Aduersitas domitrix passionum. Passio autem est motus appetitiuę virtutis sensibilis, cùm imaginamur bonum vel malum. Cicero affectum vocat, id est, animi & corporis ex tempore aliqua de causa mutationẽ. Tales sunt affectiones: gaudium, lætitia, misericordia, cupiditas, metus, molestia, affectus istos virtus quidem comprimit, sed magis aduersitas ob id nõ abigẽda, sed cùm quasi suppetias in hac militia nobis datura venerit, vt socia omnibus modis amplexanda erit. Perturbationes

D. Paulus in 2. Corinth. cap. 4.

In omnibus tribulationem patimur, sed non coangustamur: laboramus, at non destituimur: persecutionẽ patimur, at non in eo deserimur: deijcimur, at non perimus, semper mortificationem Dei Iesu in corpore circumferentes, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur.

D. Augustinus.

Qui in hoc mundo flagellari non merebitur, in inferno torquebitur: Cùm autem à Domino flagellamur, si patienter accipimus, & humiliter gratias agimus, si mali fuerimus, peccatorũ indulgentiam accipiemus: si autem boni, ęternam beatitudinem consequemur.

D. Hieronymus.

Qui semel recipit malũ in vita sua, non eosdem cruciatus patitur in morte, quos est passus in vita, & multò melius est stomachum dolere, quàm mentem.

Item.

Cauendum est vulnus, quod cum dolore curatur.

Item.

Magna misericordia est, quando peccantibus irascitur Deus.

Item.

Medicus si cessauerit curare, desperat.

Gregorius.

Diuina dispensatione agitur, vbi prolixiora vitia, ægrotatio prolixior exurat.

Isidorus.

Reuertens Deus hominem cruciat, quem peccantem deseruerat, flagellando iterum visitat.

Hæc ex opposito in uersus facta sunt, D. Amantio authore.

Ne contemne crucem Domini, charissime fili,
Dum te castigat, deficiasq; minus:
Quos amat omnipotens Deus, hos affligit, & ipse
Filiolos ueluti corrigit inde suos.
Crede Deo, confide Deo, spes omnis in ipso
Sit tua, quaq; habitas in regione mane.

Isidorus.

Ordinata est miseratio Dei, quæ prius hic hominem per flagella à peccato emendat, & postea ab æterno supplicio liberat. Electus enim Dei doloribus vitę istius atteritur, vt perfectionem vitæ futuræ lucretur.

Idem alibi.

Iustis tēporalia flagella ad æterna proficiunt gaudia: Ideoq;, & iustus in pœnis gaudere, & impius in prosperitate lugere debet.

Item.

Bonos hic per afflictionem Deus iudicat, vt illic remuneret per miserationem: malos autem hic tolerat per temporalem clementiam, vt illic puniat per æternā iustitiam, & hac in vita Deus parcit impijs, electis verò non parcit: in alia parcet electis, non tamen impijs.

Pictorius Poëta ad Polyxenam.

Sæpe uides alios alijs accedere uentos,
Ingerere & fluctus sese alijs alios.
Rebus in humanis ita duris dura uidemus
Subnecti, didicit qui tolerare, sapit.
Si petis hæc quorsum tibi, chara Polyxena, dicam:
Vt quod commune est omnibus, haud doleas.

Adulatio oppositum amicitiæ uel affabilitatis peccatum, B. Thom. secunda secundæ, q. 95.

- *Mortale tripliciter*
  - *Quum aliquem laudamus de aliquo peccato mortali. Esaiæ 5. Væ qui dicitis malum bonum.*
  - *Quum quis adulatur alicui, ut ei fraudulenter noceat, corporaliter, uel spiritualiter.*
  - *Meliora sunt uulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis. Prouerb. 27.*
  - *Quum quis adulatione sua alteri occasionem dat mortaliter peccandi.*
- *Veniale tripliciter*
  - *Quum exceditur laudando, sola auiditate placendi uel delectandi.*
  - *Quum exceditur, ut euitetur aliquod malum sine alterius detrimento.*
  - *Quum exceditur, ut consequamur in necessitate aliquod bonum sine alterius detrimento.*

ADulatio κολακία.ας.ἡ. & κόλαξ adulator dicitur. Et est fallaci laude seductio, secundum Augustinum super Psalmos. Adulatio est excessus delectandi alios, verbis vel factis, secundum Beatum Thomam Secunda secundæ quæstione 95. artic. 1.

Adulatio, est peccatum ex sermone vanæ laudis alicui exhibitæ intentione complacendi. Laudare enim aliquem, de quo non est laudandus, vel plus quàm est laudandus, vel non eo fine quo fieri debet, peccatum est, secundum Alexandrū Secunda secun. tractatu de adulatione.

Adulatio est peruersa laudatio, & videtur nomen sumptum à sono. Canes enim quorum mira est adulatio, ferè exprimunt hunc sonum. Vel dicatur quod adulor verbum (quod est voce vel gestu fauorem capio) dicitur quasi adaulor, quod hoc in aulis maximè fieri soleat. Sunt tamen qui hoc à Gręco deriuatum arbitrentur, hoc est ἀπὸ τοῦ δουλεύειν, quod est inseruire, & δοῦλος. ου. ὁ. seruus. Veteres etiam aulas dixêre, quas nunc dicimus ollas. Vnde aulicocia vocātur exta, quæ in ollis coquuntur, hoc est elixa. Plautus fabulam suam ab aula, hoc est, olla inuenta, aulu lariam nominauit. Adulor & adulo vsurpatum legimus. Valerius Maximus: Si Dionysium adulares, ista non esses. Imo, inquit, si ista esse velles, Dionysium non adulares. Et teste Prisciano, datiuo & accusatiuo iungitur, producitq; du syllabam.

Lucretius libro 5.

Longè alio pacto gannitu vocis adulant.

Psalmo 27.

Qui loquuntur pacem cum proximo; mala autem

autem in cordibus eorum. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum.

Prouerbiorum 1.

Fili, si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis.

Prouerbiorum 2.

Simulator ore decipit amicum suum.

Prouerbiorum 12.

Qui dissimulat iniuriam, callidissimus est.

Prouerbiorum 27.

Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.

Ecclesiastici 18.

Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.

Esaiæ 3.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.

Lucæ 22.

Iuda, osculo filium hominis tradis?

Augustinus ad Casulanum, & habetur 11. q. 3. Quisquis.

Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat. Quia magis timet hominem, quàm Deum.

Sequitur.

Vterq; reus est, qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.

Augustinus ibidem.

Nemo peritorũ aut prudentium putet, quòd minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. Melius est autẽ pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione beneficium.

Adulantium linguæ ligant homines in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator.

Augustinus super Psalm. 96.

Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium & adulantium: sed plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus persequentis.

Augustinus ibidem.

Falsa laus adulatoris, & simulata dilectio, mẽtes à rigore veritatis emollit.

Augustinus libro de doctrina Christiana.

Sicut sumenda sunt amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo.

Augustinus lib. 9. Confessionum.

Sicut adulantes amici peruertunt, sic inimici litigantes plerunq; corrigunt.

Augustinus lib. 2. cap. 1. de Trinitate.

Magis opto à quolibet reprehendi, quàm ab errante vel adulante laudari.

Et paulò infrà.

Amicus, si docet, audiendus est: laudator verò errans cõfirmat errorem: adulans allicit mœrorem.

Augustinus in epistolá ad Marcellam.

Nimis peruersè seipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat. Quàtò enim melius & vtilius vbi ipse errauit, alij non errant, quorũ admonitu errore careant. Vos qui me multũ diligitis, si talem me asseritis, vt nunquam me in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis, non bonã causam suscepistis: facilè in eo meipso iudice superamini: Quoniam non mihi placet, cùm à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt, si non, quod sum, sed quod non sum, diligunt.

Augustinus de Baptismo contra Donatistas.

Leuius non debet putari, quod gladio minãte, quàm quod lingua insidiante committitur.

Augustinus in Enchiridion lib. 2.

Mihi videtur omne mendacium esse peccatum. Sed multum interest quo animo, & de quibus rebus quisq; mentiatur. Non enim sic peccat, qui consulendi, quomodo qui nocendi voluntate mentitur.

Augustinus libro de mendacio, & habetur 22. q. 2. Primum. §. Non est.

Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas placendi causa hominibus enũcianda est. Quantò minus mentiendum, quod per seipsum, quia mendaciũ est, vtiq; turpe est.

August. lib. de mendacio, & habetur 22. q. 2. Primum.

Quisquis autem esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit, putauerit, dicipiet semetipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitretur aliorum.

Hieronymus super illud prouerbiorum cap. 1. Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Adulatores sunt hostes, & scintillæ Diaboli.

Hieronymus super illud Ecclesiastici: Verba sapientum quasi stimuli.

Notandum est quod dicuntur verba sapientium pungere, non palpare: nec molli manu attrahere lachrymam, sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens.

Hieronymus super illud Galat. 4. Ego inimicus uobis sum factus, uerum dicens.

Hæc est conditio veritatis, vt eam semper inimicitiæ persequantur, sicut per adulationem perniciosæ amicitiæ comparantur. Libenter enim, quod delectat, audimus, & offendit omne, quod nolumus.

Hieronymus super Matth. lib. 1.

Hoc intelligendum est, quòd tantæ paupertatis fuerit Christus, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inueniret mansionem.

Hieronymus ad Damasum Papam de filio prodigo, & habetur distin. 37. Nónne uobis.

Nónne vobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi: qui diebus ac noctibus in Dialectica arte torquetur: qui physicus perscrutator oculos trans cælos leuat, & vltra profundum terrarum, & abyssi quoddam inane demergitur: qui iambum feruet: qui tantam metrorum syluam in suo studiosius corde distinguit & congerit. Et (vt ad alteram partem transeam) qui diuitias per fas, & nefas quærit. Qui adulatur regibus, hæreditates captat alienas, & opes congregat, quas in momento, cui sit relicturus, ignorat.

Hieronymus epistola ad Demetriaden.

Beata mens, quæ nec adulatur aliquãdo, nec adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur, deniq; nec malum facit aliquando, nec patitur.

Hieronymus ad Celantiam.

Isto maximè tempore regnat vitium adulationis, quod est grauissimum, quia humilitatis, ac beneuolentiæ loco ducitur, & ita fit, vt qui adulari nescit, aut inuidus, aut superbus reputetur.

Hieronymus ibidem.

Rumusculos & gulosos & palpantes adulatores, quasi hostes fuge.

Hieronymus epistola ad Sabinum.

Naturali ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter fauemus, & quanquam respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora profundat, tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur.

Hieronymus super Psalm.

Nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum, sicut adulatio. Plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris.

Idem super Esaiam lib. 7.

Non sic adulãdum est principibus, vt sanctarum scripturarum veritas negligatur, nec generalis increpatio vnius personæ iniuria est.

Idem ad Rusticum monachum.

Ne credas laudatoribus tuis (imò irrisorib.) aurem ne libenter accõmodes, qui quum te adulationibus fouerint, & quũ te impotentis mentis effecerint, si subitò respexeris, deprehendes post te colla incuruari, aut manu auricolas agitari asini, aut æstuantẽ canis protendi linguam.

Hieronymus in epist.

Nos ad patriam festinantes mortiferos Syrenum cantus surda aure transire debemus.

Ambrosius lib. 1. Officiorum.

Emolliri adulationibus non solùm fortitudinis non esse, sed etiam ignauiæ videtur.

Ambrosius lib. 3. de Officijs.

Non est vera amicitia, vbi est fallax adulatio.

Ambrosius super 1. ad Corinth. 9. Vos nobiles, nos autem ignobiles.

Liberè enim & sine adulatione veritatẽ prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines.

Greg. lib. 18. parte 4. cap. 3. Moral. & habet. di. 46. Sunt.

Sunt nonnulli qui, dum malefacta hominum laudibus efferũt, augent, quæ increpare debuerant. Hinc enim per Prophetam dicitur: Vę his, qui cõsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersę ætatis. Ad hoc quippe sub cubito puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt molliter quiescat. Quisquis ergo malè agẽtibus adulatur, puluillum sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.

Idem, & habetur 11. q. 3. Inter uerba.

Inter verba laudantium siue vituperantium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non inuenitur bonũ quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquũtur, in magnã debemus lætitiam prosilire. Quid enim si non omnes laudant, & conscientia liberos nos demonstret? habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoq; dicit: Ecce in cælo testis meus.

Idem, & habetur. 6. q. 1. Sunt plurimi.

Sunt plurimi qui vitam bonorũ fortassè amplius, quàm debent, laudant, & ne qua elatio de laude subrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & obiurgationẽ prorumpere, vt si qua culpa ab ore laudãtium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est quod Doctor gẽtium, se in prędicatione currere testatur inter infamiam & bonam famam, qui etiam dicit, vt seductores & veraces.

Gregorius homelia 12. super Euangelijs.

Impinguat caput oleum peccatoris, cùm demulcet mentem fauor adulantis.

Gregorius super Ezechielem lib. 1. cap. 9.

Adulator scorpio est: qui palpando incedit, sed cauda ferit.

Idem Moral. lib. 4. super illud Iob: Cur lactatus uberibus.

Adulatores lactant eos, quos laudant, quasi præmio laudis.

Ioannes Chrysostomus in Policratio de uestigijs Philosophorum lib. 3.

Adulator omnis virtutis inimicus est, & quasi clauum figit in oculo illius, cum quo sermonem conserit, eoq; magis cauendus est, quo sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extinguat.

Isidorus soliloquiorum lib. 2. cap. 34.

Simulatio quidem & assentatio duæ virulentissimæ pestes sunt, quæ semper ab amicitia relegentur.

Bernardus super Cantica.

Qui de amore non venit, honor: non honor, sed adulatio est.

Hugo de S. Victore.

Adulator: amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad aduersa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatꝰ ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta.

Cassiodorus super illud Psalm. Oleum peccatoris non impinguet.

Oleum peccatoris est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus & blandimentis nostras mentes, velut olei piuguetudo, libenter ingrediens, rigoré veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti potius ostentatione perducit.

Alanus de complanctu naturæ.

Huius pestis pestilētia percutiunt principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis. Hi sunt qui magniloqua commendationis tuba in diuitum auribus citharizant, qui medicę adulationis fauos foras eructant, qui vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt, prælatorum auribus puluinaria laudum subijciunt, qui ab eorum pallijs, aut fictitium puluerem excutiunt, aut vestem fictitiæ deplumant implumem.

Ibidem.

Isti penes munera, laudes: penes dona, fauores: penes precium, præconia, fame blandimentis constituunt.

Ibidem.

Quid commendationis allusio? nisi prælatorum delusio: quid laudis arrisio? nisi eorundem derisio.

Ibidem.

Adulatores à voluntate, vultum: ab animo, verbum: à mente, linguam: ab intellectu, loquelam amplo dissensionis interuallo diffibulant. Plerunque enim exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria derisione defraudant. Foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis euomunt tempestates.

Beda super Lucam lib. 2.

Ipsa peccati nutrix adulatio, quę sicut oleum flammis in culpa ardentibus solet administrare fomentum.

Seneca ad Lucilium 43.

Adulatio apertis & proprijs auribus recipitur, in præcordia ima descēdit, venit ad me pro amico blandus inimicus.

Idem ad Lucilium epist. 53.

Aures claudendæ sunt adulatoribus.

Idem epist. 60.

Citò nobis placemus, si inuenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos, non sumus modica laudatione contenti. Quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prehendimus. Optimos nos esse & sanctissimos affirmantibus assentimus, quum sciamus sæpe illos mentiri. Adeò quoq; indulgemus nobis, vt laudari velimus in id cui contraria tamen maximè facimus.

Idem ibidem.

Alexander quum in obsidione cuiusdam vrbis circuisset muros ictu sagittæ percussus, cùm represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret, & crus obstupuisset, coactus absistere: Omnes, inquit, iurant me esse filium Iouis, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Idem nos faciamus, dicamus, vos quidē dicitis me esse prudentem, ego autem video, quòd multa inutilia concupiscam, nocitura optem.

Idem ad Lucilium epist. 77.

Intus teipsum considera, non qualis sis, alijs credas.

Idem ad Lucilium epist. 81.

Cassæ fidei sunt, qui iugiter blandiuntur.

Idem libro de beneficijs.

Venena non dantur, nisi melle circumlita.

Ibidem.

Monstrabo tibi cuius rei inopia laborent magna fastigia, & quid possidentibus omnia, desit: scilicet, qui dicat verum. Vnde vna contentio est, quis blandissimè fallat.

Seneca libro de moribus.

Bonum est laudari, sed præstantius est, esse laudabilem.

Seneca Tragœdia quarta.

Qui blandiendo dulce nutrit malum, serò recusat ferre, quod subijt iugum.

Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum.

Adulationem recipere, & adulari detestabile est, apparens enim admirator est.

Idem Rhetoricorum lib. 2.

Laudare præsentes adulatoris est.

Idem lib. 4. Ethicorum.

Omnes blanditores obsequiosi, seruiles, & humiles sunt.

Idem lib. 8. Ethicorum.

Amatores adulationis iniusti sunt.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Odi blandientes, tanquā decipientes, nam vterq; ęquanimiter iniuriatur, dicebat Isocrates.

Cicero Officiorum lib. 1.

Iisdem temporibus cauendum, ne assentatoribus patefaciamus aures, & ne adulari nos sinamus, in quo falli, facilè est, tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur, ex quo nascuntur innumerabilia peccata.

Ibidem.

Nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.

Ibidem.

Simulatio autē benignitatis vanitati est coniunctior, quàm, aut libertati, aut honestati.

Idem Rhetoricorum nouorum lib. 1.

Habet assentatio principia iucunda, eadem exitus amarissimos affert.

Cicero Ibidem.

Nolo esse laudator, ne videar adulator.

Cicero libro de Amicitia.

Cuius aures clausæ veritati sunt, vt ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est.

Valerius Maximus lib. 4.

Diogeni Syracusis, quum, olera lauanti, Aristippus dixisset: Si Dionysium adulare velles, ista non esses: Imò, inquit, si tu ista esse velles, Dionysium non adulares.

Homerus in Iliade.

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πυλῆσιν
ὅς ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρέσιν, ἄλλο δὲ εἴπῃ. id est:
Exosus enim mihi ille uelut inferni portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mētibus, aliud uerò
Ore profert.

Euripides in Hippolyto.

Τοῦτ᾽ ἔθ᾽ ὃ θνυτῶν εὐπόλεις οἰκουμένας,
δόμους τ᾽ ἀπόλλυς, οἱ καλοὶ λίαν λόγοι. id est:
Hoc est quod mortalium ciuitates bene habitatas.
Domosq; destruit, grati ualde, sermones.

Idem ibidem.

Οὐ γάρ τι τοῖς ὠσὶ τερπνὰ δεῖ λέγειν,
ἀλλ᾽ ἐξ ὅτου τις εὐκλεὴς γενήσεται. id est:
Non enim aures quæ mulceant loqui oportet,
Sed ea, ex quibus celebris aliquis fieri queat.

Phocylides.

Μὴδ᾽ ἕτερον κεύθης κραδίῃ νόον, ἄλλ᾽ ἀγορεύων. id est,
Noli aliam occultare in corde sententiam, & aliam proferre.

Plautus in Asinaria.

Pro monstro est, quando qui sudat, tremit.

Martialis epigram. lib. 2. ad Nasiccam.

Inuitas tunc me, quum scis Nasicca uocatum:
Excusatum habeas me rogo, cœno domi.

Martialis epigram. lib. 4. ad Gargilianum.

Munera quod senibus, uiduisq; ingentia mittis,
Vis te munificum Gargiliane uocem.
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes insidias dona uocare tuas.
Sic auibus fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare docebo
Si nescis, dona Gargiliane mihi.

Martialis epigram. lib. 12. ad Pontilianum.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane bibo:
Pedis, dissimulo: gemma uis ludere, uincor:
Res una est sine me quam facis, & taceo:
Nil tamen omninò præstat mihi, mortuus, inquis,
Accipiam bene te: nil uolo, sed morere.

Horatius epistolarum lib. 1. epist. 17.

Tu rectè uiuis, si curas esse, quod audis,
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum.
Sed uereor ne cui de te plus quàm tibi credas,
Néue putes alium sapiente bonoq; beatum,
Neu si te populus sanum recteq; ualentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Iuuenalis satyra 3.

Quid, quòd adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis Antæum procùl à tellure tenentis.
Miratur uocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat quo mordetur gallina marito.

Ibidem.

—Rides? maiore cacchinno,
Concutitur, flet, si lachrymas conspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit Endromiden: si dixerit æstuo, sudat.

Iuuenalis satyra 4.

—Nihil est quod credere de se
Non possit, cùm laudatur dijs æqua potestas.

Persius satyra 1.

—Non si quid turbida Roma
Eleuet, accedas, examénue improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiueris extra.

Ibidem.

Sed recti finemq; extremumq; esse recuso
Euge tuum: & bellè. nam bellè hoc excute totum,
Quid non intus habet?—

Ibidem.

Et uerum inquis, amo uerum mihi dicito de me.

Ibidem.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ quantum sitiat canis Appula, tantum,
Vos ô patricius sanguis, quos uiuere fas est.
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

ADulatio est peccatum ex sermone vanę laudis alicui exhibitæ, animo ac intētione placendi: vel est excessus delectandi alios verbis & factis: atq; dicta παρὰ τὸ δουλεύειν, quod est inseruire & emereri gratiam, quod sensetur seruile & turpe, Cic. 2. Quæst. Tuscul. Amātius

Assentatio, peruersa laudatio.

Assentatio est vitium, quo quis in vita atque omni verborum vsu placendi studio omnia laudat, nec in re aliqua aduersatur, putans oportere minimè se cuiquam esse molestum. Arist. in lib. Ethic.

Vel est ars, quæ docet nosse sermones & proferre accommodos, eaq; facere, per quæ in familiaritatem adiungitur, qui semet quàm beneuolentissimum suo alumno, esse ostensurus sit. Lucian. in parasito.

Adulatio principi inprimis fugienda: ex Pontano de instituendo principe.

Fugien-

Notatu dignum. Fugienda est omninò adulatio. Aures enim qui adulantibus præbet, omninò suus esse desinet, ex aliorũ assentationibus, quàm ex sua conscientia, seq; suaq; metiens.

De parasitis & adulatoribus.

Parasiti & adulatores differunt. Parasiti ab adulatoribus siue assentatoribus differunt, quod hi quauis causa, illi aut cibi, aut commodi gratia tantùm adulantur. De his itaq; Athenæus ex authoritate Clearchi Solensis ait: Parasitos vocabant antiquitus sacrorum conuiuiorum conuiuas, Græcè συνθοίνους: altera sacerdoti, altera parasito pars erat. Aristoteles in Politicis inquit, quòd Principibus olim Methoniensibus duo sigillatim parasiti fuerunt, Ducibus verò exercitus vnus, certosq; cibos & obsonia & ex piscibus sumebant: postea probro fuêre, adulatoresq; dicti sunt. Primus Homerus introducit Podem quendam asseclam Hector conuiuij, qua etiam de causa ipsum ponit Hectorem à Menelao vulneratum: quòd par fuerat, à viro Spartano ac sobrio hominem Troianum (quod genus in luxu & vino ac saltationib. viuit) feriri in vẽtre, qui mensis & parasitico luxui vacaret.

De Adulatoribus.

Apud Sonciates Gallorum populos Rex habet quosdam secum adulatores Siloarios, Græci euolimos vocant, qui vnà semper aderant, sectabantur quocunq; iuisset: idemq; faciebant, siue rideret, siue lugeret, seu aliqua caperetur voluptate, deniq; qui cum occumbentibus occumberent.

De nobilibus Parasitis & assentatoribus, ex Athenæo. Ex eodem.

Clisophus Philippi Macedonis parasitus, claudum se fingebat, quòd Philippus crus fractum haberet: os, oculosq; idem contorquebat, quoniam huiusmodi gestibus Dominum videbat. Nicesias, cùm Alexandrum magnum à muscis petitum videret, quanto, inquit, hæ cæteris pręstant, qui tuum sanguinem degustant. Cùm vulneratum semel conspiceret, illud Homericum protulit, ἰχὼρ ὅιον πέρ τε ῥέε μακαρέασι θεοῖς. Qualis diuorum percurrit corpora sanguis.

Carisophus Dionysij parasitus cùm videret eum separatim cum amicis ridentem, ipse procùl ridebat, interrogatusq; ab eo, quid rideret: quòd, inquit, existimem digna risu, quę dicitis.

Notatu dignum. Andromachus Carrenus Crassi adulator, cui ille omnia communicabat, Parthis eum prodidit. Patroclides item causa fuit, vt Philippus, cuius assentator erat, à Romanis vinceretur, vt auctor est Polybius. Demadem Oratorem missum ad Alexandrum, quòd eum Deum dixisset, 10. talentis Athenienses mulctauerunt. Euagoram verò, quòd Regem eundem adorauerit, interfecerunt. hactenus ille. Seneca in Declamationibus.

Cælius Orator. Cliens quidam cùm Cęlio Oratori omnia in sermone concederet: Ille iam longa assentatione fastiditus, dic, ait contrà, vt duo videamur.

Adulatoris proprium ex Eunucho Terentij.

Iram habeo, nec quicquam habeo: nihil cùm est, nihil desit tamen. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt: hos sector, hisce ego non paro me vt irrideant: Sed his vltrò arrideo, & eorum ingenia admiror simul: quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoq;: negat quis, nego: ait, aio: postremò imperaui egomet mihi omnia assentari. Is quæstus nunc est multò vberrimus.

Dicta contra parasitos & assentatores ex eodem authore. 58. 419.

Clearchus Solensis dicebat, Adulatorum mores humiles esse atq; seruiles: breui tempore eorum artem durare. Nemo enim parasitum canũ amat. Materiam quoq; fingendi tempore conse nescere. Anazilas (vt auctor est Theophrastus) assimilabat eos vermibus, qui triticũ nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint: sic illi apud diuites substantiam rodunt. Pulchra hæc.

Anthistenes.

Meretrices, quæ amatoribus omnia bona exoptant, præter mentem & pudorem.

Euripidis tres senarij.

Amicos minimè blandos possidè,
Qui tecum gratiæ causa loquuntur: malis
Claustra domus prohibeas tuæ.

Critias.

Qui cum amicis gratię causa conuersatur, postremò assentationis voluptatẽ in inimicitiam conuertit. Plautus.

Seneca.

Esto omnibus benignus, nemini blandus.

Lucanus.

Exeat aula, qui vult esse pius.

Hieronymus in epistolis.

Naturali ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter annuimus: & quanquã respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudẽ suã quisq; intrinsecùs lętaĩ.

Augustinus in epistolis.

Gratias agimus tibi vberes, quòd nos laudas, tanquam tales simus: magnopere hortaris, vt tales esse cupiamus.

Gregorius in Moralibus

Sicuti plantæ vigor aurę siccitate grandescit, sic bonarum mentium studia commendatione proficiunt.

Et alibi: multis laudari prodest, non nullis vituperari: vtrunq; tempestiuè factum, iuuabit.

Chrysostomus in Matthæum.

O stultum! quid enim illa tibi post mortem laudatio prodest, si vbi non sis, lauderis: vbi verò fueris, crucieris? proximis seculis primus qui in Italia hoc genus ineptum aluerit, Nicolaus Aestensis fuit, Petri Gonnellæ iocis delectatus. Eoque venit impurissimus vsus, vt iam non

solum

solũ voluptati, sed ambitioni res hæc principibus existat. Ex quo Plato inquit: Video sæpè in magnis opibus ac fastu viros domi nutrientes parasitos & adsentatores pernitiosos, quibus nihil potestas aut diuitiæ detestabilius habent.

Quantum malum Adulatio ex lib. 11. lectio. Antiquarum Cælij cap. 33.

Adulationem perpetuum esse malum Regũ, quorum opes adsentatio sæpius, quàm hostis euerterit. Q. Curtius scribit, abs quo proditum item scimus, id esse nationis Siculæ vitium proprium, germanumq́; Cynicum. Diogenem scitè admodum & verè solitum dicere accepimus, κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας, id est: præstare ad coruos redigi, quàm adulatoribus exponi. Quoniam illi morticina modo consectentur, hi etiamnum viuos bonosq; laniatu pestifero excarnificare non desinant. Et Anaxilas dixit, adulatores esse diuitum σκώληκας, id est, vermes. Monet Seneca adulatoribus non esse præbendum latus, qui artifices sint ad captandos superiores: habere enim hoc in se naturale blanditias, vt cùm reijciantur, etiam placeant, sæpeq́; exclusas nouissimè recipi. Remedium tanti mali est, nolle laudari. Et alibi Seneca: Pro sua quemque portione adulatio infatuat. Vos quidem dicitis me esse prudentem, ego autem video, quàm multa inutilia concupiscam, nocitura optem.

Adulatorum guttur dicitur in Psalmo sepulchrum patens. In præceptis ciuilibus Plutarchus scribit Demetrij adulatores indignum putasse, quo illum, opinor, arctius illaquearent, ac compeditum tenerent, cæteris regium nomen impertiri. Nam Seleucum Elephentarchen nuncupabant: Lysimachum verò Gazophylaca, at Ptolomæum Nauarchum: Agotoclea Nesiarchem. Idem alibi Plutarchus, nil intentius cauendum, quàm adulatores, monet. Quoniam nullum sit pernitiosius genus, quodq́; in præcipitium festinantius iuuentutem agat: quippe parentes ac liberos radicitus exterunt.

Cicero in Lælio, seu de Amicitia.

In Amicitijs nulla pestis maior est quàm adulatio, blanditiæ, assentatio, tum omnium rerum simulatio est vitiosa: tollit enim iudicium veri, idque adulterat. Assentatio vitiorum adiutrix procùl amoueatur, quæ non modò amico, sed ne libero quidem digna est: maxima culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur & in fraudẽ obsequio impellit.

Relatu dignum est.

Κροκοδίζειν verbum adulatoribus congruere, vbi subblandiendo floccos, pilosq́; ex vestibus legunt, quos vocant Græci κροκίδας, item γνάφαλα & τύλας. ex quo elegantissimè Galenus Phrenesios signa cõmonstrans, esse in ijs, inquit, stultam manuum iactationem, καὶ κροκιδισμὸν καρφολογίαν, id est, Crocidismum, & Carphologiam, i. festucarum collectionem. Crocylia verò nomẽ ciuitatis est. Scribunt Græci κερκωπίζειν esse adulatorum verbum, item proprium, translatione tamen à brutis dicta, quæ cauda motatia, quam dicunt κέρκον, subblandiri assueuerint: id verò nostris literis cercopisare rectè dicetur. Fuisse iuniori Dionysio adulatores legimus plures, quos etiam pleriq; Dionysicolas nominant: hi primùm se non acutè admodum videre assimulabant, quia sic afficeretur Dionysius. Expuenti quoq; faciem obijciebant, quam is conspueret. Nec satis, superfluitates oris collambebant etiã, quæ euomuisset, melle dulciora videri asseuerantes. At Apollophones Antigoni adulator, illius dicebat fortunam ἀλεξανδρίζειν.

Sunt qui ex adulãdi gestu adulatorem, nunc paranchonisten, nunc Schematotecen nuncupent: quoniam sit propemodum Protæus quidam. Et Psomocolax legitur. quanquam in veteribus libris esse is videtur, qui panis ac buccellæ gratia, quam vocãt Psomon, passim abblanditur. Qui verò etiam plagas pati potest, psomocolaphum, opinor, rectè dixeris. Nam & colax identidem sibi nomen vendicat, quoniam cibũ etiam colon vocent, vnde & Bucolas: quin Cælia quoque, id est venter, hinc originem ducit. Cyprias verò mulieres assentandi artificio pernobiles cùm in Syriam transmisissent, Climacedas legimus nũcupatas: quoniam acclinatę currum inscensuris Regum vxoribus gradũ struerent, ac velut scalam arrigerent, quam vocant Climaca lib. 7. cap. 53. Basilius Magnus in commentatione fol. 365. quam de gentilium librorum lectione concinnauit, scitè admodum & doctè Polypum vocat adulatorem, cuius verba mollia feriunt interiora ventris. Nam vt inquit, Polypus ad speciem subiecti soli colorem permutat, cõsimiliter & assentator ad voluptatem audientium variabit sententiam.

Aristoteles lib. 3. Ethicorum.

Qui delectat emolumenti sui causa, vt inde sibi proueniat in pecunijs, & ijs quæ pecunijs comparantur vtilitas, adulator vocatur. δοῦλος seruus, qui in omnibus ita se accommodare studet, vt fauorem emereatur quoquo modo, vel voce, vel gestu, id quod sanè seruile est, & indignum planè libero ingenio.

Adulatores amant Principum aulæ.

Adulatores plerunq; in principum aulis versantur.

Ex Aegloga B. Mantuani.

Est & apud Reges rudis, inuida, rustica turba,
Mimus, adulator, læno, assentator, adulter,
Histrio, scurra, quibus uirtus odiosa, poëtas
Mille modis abigunt: ut quando cadauera corui
Inuenêre, fugant alias uolucresq́; ferasq́;.

Exemplum de Augusto Cæsare.

Tarra-

Adulatio repulsa.

Tarraconensibus pro læto ostento nunciantibus, quòd in eius ara palma esset enata; apparet, inquit, quàm frequenter accendatis. quod illi dijs tribui volebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæsaris adolerent incensum.

Suetoni' in Augu.

Exemplum memorabile Alexandri Macedonis.

Erasmus in apop. Plutar. in eius vita. Politian. in Sueto.

Laudādus imprimis Macedo Alexander, qui Aristobulo historiam de suis rebus gestis sibi inter nauigādum recitanti, vbi homo adulator multa supra veritatem affinxerit, ereptū manibus librum in Hydaspen fluuium demersit, & tu, inquiens, ô Aristobule, eodem fueras pacto præcipitādus, qui isto modo solus pro me depugnas, qui vel iaculo ipso interficias elephantos.

Apophtegma.

Quousq; amicus obsecundet.

Phocion Antipatro petenti, vt in gratiā suam faceret quiddam pugnans cum iustitia, non potes, inquit, Antipater, Phocione simul & amico & adulatore vti: amicus obsecundat, quousque patitur æquum & honestum. Nec enim amicus ab amico, quod iniustum est, petere debet. Adulator autem ad quiduis obsequitur.

Aliud.

Ire in rē malam. Eras. li. 4. apoph.

Greci, si cui precantur exitium, iubent abire ad coruos, ἐς κόρακας. at Diogenes dicere solebat, multò periculosius esse incidere in assentatores, quàm in coruos. Dicti iucunditas perit nobis, quæ est in Græcarum vocum affinitate. Nam illi κόρακας appellant coruos, & vnica litera mutata κόλακας dicunt adulatores. Hoc dictum tribuitur & Antistheni.

Apologus.

Pastor quidam cani oues suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis, at ille sępè ouem aliquam occidebat: quod cùm pastor animaduertisset, canem capiens volebat occidere: cui canis, quid me, inquit, perdere cupis, sum vnus ex domesticis tuis, interfice potius lupum, qui continuò tuo insidiatur ouili. Imò, inquit pastor, te quàm lupum morte dignū magis puto, ille enim palàm se meum hostem profitetur: tu verò sub amicitiæ specie quotidiè meum imminuis gregem.

Hæc innuit fabula, longè magis puniendos, qui sub amicitiæ specie nos lædunt, quàm qui apertos se inimicos profitentur.

Simile.

Plutar. in mora.

Vt Patroclus in bellum proditurus reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsit, solam hastam, vt grauem ac prævalidam, non attigit: ita adulator omnia veri amici symbola imitatur, præter solam admonendi libertatem.

Aliud.

In Menandri Comœdia inducitur falsus Hercules clauam gestās non robustā, sed inanem ac leuē: sic adulatoris libertas mollis est & blanda.

Prouerbium.

Pithon formosus, πίθων καλός. Conuenit vbi quis per adulationem falsò laudatur. Pindarus in Pythijs hymno secundo.

Plilantia peculiaris simię.

Καλὸς ἐν πίθων παρὰ παισὶν ἀεὶ καλός.

Formosus Python semper pueros formosus.

Interpres ostendit sumptum à pueris adulantibus, Simiæ subinde dictantibus καλὸς πίθων. Est autem φιλαυτία peculiaris huic animanti, vt suos catulos contractari gaudeant, ipsique suos catulos complexu enecent.

Sententia Græca.

Menan. Fides vera.

Δεῖ τοὺς φιλοῦντας πίστιν, οὐ λόγους ἔχειν.

Oportet eos qui amant, fidem, non sermones habere.

Assentatio quàm similis est amicitię, non imitatur tantùm illam, sed vincit & præterit: apertis & propitijs auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eo ipso gratiosa quod lædit: quemadmodum hanc similitudinem dinoscere possim, venit ad me pro amico blandus inimicus, vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. Seneca lib. 6. epist. 45. ad Lucilium.

Latina.

Omne beneficium, si exprobretur, molestum est, ac gratiam perdit, nec ferri potest. At adulator non tam exprobrat beneficium, cùm præstiterit, sed iam quum præstat, protinus exprobrationem & pudorem admiscet.

Quò apertior est adulatio, quò improbior, quò magis frontem suam perfricuit, hôc citius expugnat: eò enim iam dementiæ venimus, qd qui parcè adulatur pro maligno sit. Seneca li. 4. Naturalium quæstionum. Idem. Cùm quis ad te adulator venerit vel accesserit, dicito, vis tu ista verba, quæ iam ab alio ad alium cum autoribus transeant, ferre ad aliquem, qui paria facturus, vult, quicquid dixeris, audire: ego nec decipere volo, nec decipi possum.

Adulterium
- *Spirituale.*
  - *Metaphoricum quod est quodlibet peccatum Christiani, quoniam quælibet anima Christiani, est Christo desposata.*
  - *Abusus alicuius sanctimonialis, qui est sacrilegium per modū adulterij, B. Thomas, Secunda secund. quæst. 154. art. 10.*
- *Carnale.*
  - *Simplex, quum alter tantùm est coniugatus.*
  - *Duplex, quum uterq; est coniugatus.*

ADulterium Græcè μοιχεία, ας, ἡ. vnde & μοιχός, οῦ, ὁ. adulter, est alieni thori violatio, & dicitur adulterium quasi ad alienum thorum accessio, 36. quæstion. 1. lex illa. §. Quum ergo, & 32. quæst. 5. Non mœchaberis.

Adulterium est illicitus concubitus coniugati vel coniugatę, B. Tho. Secun. secun. q. 44. ar. 8.

Adulterinæ claues, & adulterinæ literæ, quæ vulgo falsæ dicuntur, & alieno annulo signatæ, & claues aliarum ad similitudinem factæ dicuntur.

Exodi 20.

Non mœchaberis.

Ibidem.

Non desiderabis vxorem proximi tui.

Leuitici 20.

Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum cõiuge proximi sui, morte moriatur, & mœchus, & adultera.

Ibidem.

Si quis dormierit cum nuru sua, vterque moriatur: quia scelus operati sunt: Sanguis eorum sit super eos.

Deuteronomij 5.

Non mœchaberis.

Deuteronomij 22.

Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque moriatur, scilicet adulter, & adultera.

Ibidem.

Si puellam virginem desponsarit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate & cõcubuerit cum ea, educes vtrunq; ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit quum esset in ciuitate: vir, quia humiliauit vxorem proximi sui.

Deuteronomij 27.

Maledictus qui dormit cum vxore proximi sui, & dicet omnis populus Amen.

2. Esdræ 9.

Discedite à gentibus terræ, & ab vxoribus alienigenis.

Sapientiæ 3.

Filij autem adulterorum in consummatione erũt, & ab iniquo thoro semẽ exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine horrore erit nouissima senectus illorum.

Ibidem 4.

Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamẽtum collocabũt.

Et infrà.

Ex iniquis enim omnes filij, qui nascuntur, testes sunt nequitię aduersus parentes in interrogatione sua.

Ecclesiastici 23.

Omnis homo qui trãsgreditur lectum suum contemnens in animam suam, & dicẽs: quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus: & non intellexit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorẽ Dei hominis huiusmodi timor, & oculi hominũ timentes illum. Et non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circunspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominũ corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum, respicit omnia.

Ibidem.

Sic & mulier omnis relinquens virum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege altissimi incredibilis fuit: & secundò virum suum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur, non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum. Et dreelinquet in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur. Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quàm timor Dei, & nihil dulcius, quàm respicere in mãdatis Domini.

Idem 25.

Ne respicias mulierem alieni viri, & ne scruteris ancillam eius, neq; steteris ad lectum eius.

Iob 24.

Oculus adulteri obseruat caliginem.

Matthæi 5.

Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad cõcupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

1. ad Thessalonicenses 4.

Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vestrũm vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.

1. Corinthiorum 6.

Fugite fornicationem, quoniam fornicatores & adulteros iudicabit Deus.

Augustinus libro de sermone Domini in monte, & habetur 32. quæst. 6. Nihil.

Nihil iniquius est, quàm causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud: in quo alterum iudicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ tu iudicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abijcere vxorem suam, prior debet esse à fornicatione purgatus, & immunis: quod similiter etiam de fœmina dixerim.

Ibidem.

Fieri potest vt vir dimittat vxorem causa fornicationis, quam exceptam Dominus esse voluit. Iam verò si nec illi nubere conceditur viuo viro suo, à quo recessit: neq; huic alteram ducere viua vxore sua, quam dimisit: multò minus fas est, illicita cum quibuslibet stupra committere.

Ibidem 32. quæst. 7. Dominus.

Dominus ad illud confirmandum, vt non facilè dimittatur vxor, solã fornicationis causam excepit. Cæteras verò vniuersas & innumerabiles molestias, si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortiter sustineri. Et

mœchum dixit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est à viro.

Augustinus de uerbis Domini tractatu 48. & habetur 32. quæst. 6 Si ducturi.

Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Quis viuens est, qui non castam velit ducere vxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactā quæris, intactus esto: puram quæris, purus esto. Non enim illa potest, & tu non potes.

August. libro de adultc. coniugijs, & habetur 32. quæst. 6. Indignantur.

Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas: quum tanto grauius eos puniri oportuerit, quā to magis ad eos pertinet & virtute vincere & exemplo regere fœminas.

August. libro de adult. coniugijs libro 1. & habetur caus. 32. quæst. 7. Quemadmodum.

Qemadmodum non rectè dici potest, si nescit homo, non peccat. Sunt enim peccata ignorantium, quamuis minora, quàm scientium. Ita etiam non rectè dici potest, si causa fornicationis dimiserit vxorem vir, & aliam duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio, & eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationē prioribus. Sed vtique minor, quàm eorum, qui non propter fornicationem dimittunt. Sunt enim in fornicatione gradus, vt sicut grauius peccat adulter, quàm fornicator, sic grauius delinquit, qui nec sua dimissa, aliam ducit, eò, qui suam dimittens, aliam cognoscit. Grauius quoque qui vxorem suam habēs, ad coniugem proximi sui accedit, quam qui non habens vxorem, thorum alterius violat, vel vxoratus absolutam accedēs. Sed hos omnes incæstuosi transcendunt: quos vincunt contra naturam delinquentes.

Ibidem.

Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incæstu, Peius est enim cum matre, quàm cum aliena vxore concumbere. Sed omnium horum est pessimum, quod contra naturam fit, vt si vir membro mulieris, non ad hoc concesso voluerit vti. Vsus enim naturalis, si vltra modum prolabitur, in vxore quidem veniale peccatum est, in meretrice dānabile. Sed istud quod cōtra naturam est execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. Tantum enim valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum concessis, cùm modus exceditur, longè tolerabilius sit quàm in eis, quæ concessa non sunt, vel vnus, vel rarus excessus.

Ibidem libro 2. & habe: 33. quæst. 2. Si quod.

Si (quod verius dicitur) nō licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantū dimittere. Quis enim est tam demens, qui dicat ei: fac quod non licet, vt liceat tibi, quod non licet. Quum enim vtrunque secundum legem Christi illicitum sit, siue adulteram accidere, siue alteram ducere, ea viuente, ab vtroq; est abstinendum, non illicitum pro illicito faciendū. Si enim facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium, vt viuēte vxore sua alteram ducat & non humanum sanguinem fundat. Quod si est vtrunq; nefariū, non debet alterum per alterum perpetrare, sed vtrunq; vitare.

Ibidem, & habetur cau. 32. quæst. 5. Puto.

Puto Christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui vel diu languente, vel diu absente, vel continenter viuere cupiente vxori sua, alteri commixtus est fœminæ.

August. lib. de adulterinis coniugijs, & hab. 27. q. 2. Si tu.

Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinētiæ.

Ibidem libro 2. & habetur 32. quæst. 7. Licitè.

Licitè dimittitur vxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterij, quicunq; duxerit dimissam ob causam fornicationis.

Idem de bono coniug. & ha. 32. q. 7. Interueniente.

Interueniente diuortio non aboletur confœderatio nuptialis, ita vt sibi cōiuges sint etiam separati. Cum illis etiam committitur adulterium, quib. etiam fuerint post suum repudium copulati.

Ibidem, & hab. 31. q. 1. cap. Deniq;. §. Posse sanè.

Posse sanè fieri licitas nuptias ex personis illicitè coniunctis honesto placito subsequente, manifestum est.

August ad Vale. de nuptijs concupis. hab. ibid.

Deniq; mortuo eo, cum quo fuit verum connubium, fieri potest coniugium, cum quo præcessit adulterium.

Augu. libro de fide & operibus, & hab. 34. q. 2. Si uirgo.

Si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit si autem sciat, iam ex hoc adultera esse incipit, ex quo sciens cum alieno cubauerit, sicut in iure prædiorum, tamdiu quisq; bonę fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, quum verò s[c]ierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc iustè iniustus vocabitur.

Idem super epist. Paul. 1. ad Corint. 7. & hab. 32. q. 7.

Apostolus dicit: His, qui sunt in coniugio, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro suo non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut recōciliari viro suo, potest enim fieri, vt discedat ea causa, qua Dominus permisit. At si fœminæ licet virum suum dimittere propter fornicationis causam, quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius, & vir vxorem suam non dimittat? Quare non addit, excepta

causa fornicationis, quod Dominus permittit, nisi quod similem formam vult intelligi, vt si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur,) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. & post pauca: Dominus permisit causa fornicationis vxorem dimittere, sed quia permisit, non iussit.

Idem de decem chordis, & habetur 32. quæst. 6. Non mœchaberis.

Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam, præter vxoré tuam: tu autem exigis hoc ab vxore, & non vis reddere vxori, & quum debeas in virtute præcedere vxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricem esse, & tu victus iaces, & quum tu caput vxoris sis, præcedit te ad Deum cuius caput es: vis tuam domum capite deorsum pendere? caput enim mulieris vir est, vbi autem melius viuit mulier quàm vir, capite deorsum pendet domus, si caput est vir, melius debet viuere quàm mulier, & precedere in omnib. bonis factis vxorem suam.

Idem de bono coniugali, & habetur 32. q. 4. Sicut.

Sicut satius est fame mori, quàm idoloticis vesci: ita sanctius est defungi sine liberis, quàm ex illicito concubitu stirpem quærere.

Hieronymus ad Damascenum presbyterum. & habetur 32. q. 7. Omnes causationes.

Omnes causationes Apostolus amputãs apertissimè diffiniuit, viuente viro esse adulteram mulierem, si alteri nupserit. Noló mihi proferas raptoris violentiam, matris prostationem, patris authoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias, parentum contumelias, damna rei familiaris. Quamdiu viuit vir, licèt adulter sit, licèt Sodomita, licèt flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus tamen est reputandus eius, scilicet cui adulterum virum accipere non licet. Non hæc Apostolus propria autoritate decernit, sed Christo in se loquente Christi verba secutus est, qui ait in Euangelio: Qui dimittit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Et qui dimissam acceperit, adulter est.

Hiero. contra Iouinia. & habetur 32. q. 4. Origo quidem.

Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis, nihil auté interest, ex quàm honesta causa quis insaniat. Vnde Sextus Pythagoricus ait in sententijs: Adulter est, inquit, in suam vxorem ardentior amator. In aliena quippe vxore oẽis amator turpis est, in sua nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil est fœdius, quàm vxorem amare, quasi adulteram. Certè qui dicunt se causa Reipub. & generis humani vxoribus coniungi, & filios procreare, imitẽtur saltem pecudes, & postquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se vxoribus præbeant, sed maritos.

Ambrosius li. de Patriarchis. & hab. 32. q. 4. c. Nemo sibi.

Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab vxore debetur, castimonia. Quicquid in ea, quę non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij crimine damnatur.

Idem, & habetur ibidem c. Nemo §. Nulli licet.

Nulli licet scire mulierem, præter vxorem. Ideoq; coniugij datum est tibi ius, ne in laqueũ Diaboli incidas, & cùm muliere aliena delinquas. Tolerabilior est, si lateat, culpa, quàm si culpæ vsurpetur authoritas.

Ibidem, & habetur c. Dixit Sara.

Dixit Sara ad Abraham: Ecce conclusit me Dominus vt non pariam, intra ergo ad ancillam meam, vt filium facias ex ea. Et ita factum est. Sed considera primùm, quòd Abraham ante legem Moysi, & ante Euangelium fuit. Nondum ergo interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit. Nec ante legem vlla est rei damnatio, sed ex lege, non ergo in legem commisit Abraham, sed legem præuenit. Deus autem in Paradiso coniugium laudauerat, non adulterium damnauerat. Habes primam Abrahæ defensionem. Secũda illa est: quòd non ardore aliquo vagę succensus libidinis, non petulantis formæ captus decoræ, ancillæ contubernio coniugalem post habuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis & propagandæ sobolis.

Idem, & habetur 32. q. 4. c. Obijciuntur.

Obijciuntur Iacob quatuor vxores; quod quando mos erat, crimen non erat: sicut Patriarchæ coniugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed prouidentia propagandę successionis. Sic Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis.

Gregorius, & habetur 32. q. 1. cap. Apud §. Quod si.

Quod si in adulterio perseuerare elegerit, patronus turpitudinis, & lenocinij reus maritus habebit, nisi eam adulterij reã facere voluerit.

Ioannes Chrysostomus, & habetur 32. q. 1. cap. Si quis.

Si quis vxorem suam inuenerit adulteram, & postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat. Ideo, quia cum adultera mixtus sit, quæ adhuc crimine suo nõ est purgata. Aut abstineat se à matrimonio eius, donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ: Ideo, quia post satisfactionem pœnitentiæ, non meretur vocari adultera. Similiter si virum suum vxor inuenerit adulterum, non ad imparia iudicabitur.

Isidorus super illud Matt. 19. Quos Deus con.

Quos Deus coniunxit, homo non separet, subaudi violenter, sine lege, absq; ratione. Non enim homo separat, quos pœna damnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat.

Idem in epistola Elementorum.

Quid omnib. peccatis est adulterio grauius? Secundum namque in pœnis obtinet locum, quem quidem primum illi habent, qui aberrãt à Deo, etsi sobriè vixerint.

Innocentius Papa, & habetur 32. q. 5. Christiana.

Christiana religio adulterium vtroq; sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt. Et ideo mulieribus prodito crimine earum communio denegatur. Virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinet, qui vtique summouebitur, si eius flagitium detegatur. Quum enim par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit

Seneca in Agamemnone.

Vltimum malum est, palàm mariti possidens pellex domum.

Arist. libro Oeconomicorum.

Non debet homo sanæ mentis, vbique & ad quamcunq; mulierem mittere semen suum.

Ibidem.

Vir non debet iniuriari fœminæ, ne fœmina iniurietur sibi.

Ibidem.

Iniuriari fœminę, est coire cum extranea muliere, & econuersò.

Ibidem.

Maximus honor est sobriæ mulieri, si videt sibi virum castitatẽ seruare & de nulla alia muliere curare, sed præ omnib. propriam fidelem æstimare.

Ibidem.

Si mulier cognouerit sibi iustum & fidelem virum, & ipsa etiam iusta & fidelis erit.

Aristoteles lib. 2. Politicor.

Bonum opus est ab aliena muliere abstinere propter temperantiam.

Plutarchus in Apophteg.

In multam verò noctem, quum ad Alexandrũ puella, quo vnà quiesceret, adducta foret, interrogauit: Quid tam serò? Illa autem respondente: Expectaui enim quò vir cubaret: grauiter in seruos animaduertit, quoniam quantum in illis fuerat adulterium perpetrasset.

Valerius Maximus lib. 2.

Nulli enim tunc subsessurum alienorum matrimoniorum oculi metuebantur, sed pariter & videre sanctè, & aspici mutuo pudore custodiebantur.

Plautus in Cistellaria.

Matronæ magis conducibile est istud, vnum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta semel est. Verum enim meretrix fortunati est oppidi similima, non potest rem suam obtinere sine multis viris.

Plautus in Sicho.

Bonas mulieres, æquum est facere, vt absentes viros perinde habeant, quasi præsentes sint.

Ouidius in epistola Phedræ ad Hippolytum.

Peius adulterio turpis adulter obest.

Ouidius libro 3. Artis.

Nupta uirum timeat, rata sit custodia nuptæ,
Hoc decet, hoc leges, iusq;, pudorq; iubent.

Idem libro 2. Tristium.

Sed neq; me nuptæ didicerunt furta magistro.

Martialis epigram. libro 2. ad Gallum.

Subdola famosæ manto fuge retia mœchæ
Leuior ô conchis Galle cytheriacis.

Idem libro 6. de Telesina.

Quæ nubit totiens, non nubit, adultera lege est.

Horatius Carminum libro 4. Odæ 6.

Fœcunda culpæ secuta nuptias
Primum inquinauêre & genus & domos
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populumq; fluxit.

Idem Sermonum libro 1. satyra 2.

Audire est operæprecium procedere rectè,
Qui mœchis non uultis ut omni parte laborent,
Vtq; illis multo corrupta dolore uoluptas
Atq; hæc rara cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem cæsus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore numos,
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes, caudamq; salacem
Demeteret ferro.—

Idem Sermonum libro 1. satyra 2.

Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est quàm ex re decerpere fructus.

Ibidem.

Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo:
Ne numi pereant, aut pyga, aut deniq; fama,
Deprehendi miserum est.

Iuuenalis satyra 1.

Quem patitur dormire nurus corruptor auaræ?
Quem sponsæ turpes? & prætextatus adulter?

Idem satyra 6.

Antiquum & uetus est, alienum Posthume lectum,
Concutere, atq; sacri genium contemnere fulcri,
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas,
Viderunt primos argentea secula mœchos.

Iuuenalis satyra 10.

—Alea turpis
Turpe & adulterium mediocribus, hæc eadem illi
Omnia quum faciant hilares, nitidiq; uocantur.

Tibullus lib.3.epist.3.

Ah pereat didicit fallere si qua uirum.

Homerus libro 22.Iliados.

—Coniunx erepta marito
Tanti causa mali, & belli reddatur origo
Tyndaris, & quicquid cum pellice uexit adulter.

NANVS. ADuocatus Grecè παράκλητος.δ.δ. Nam παρακαλέω aduoco, ille qui in iudicio ei, qui iurisditioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit. Aduocatus à patrono sic differt: quòd aduocatus generalius nomen est. Siquidem quicunque adest alteri officij gratia, aduocatus appellatur, etiamsi nihil dicat, agatque, modò sit paratus defendere. Patronus autem propriè, qui agit causam, sed accusati, non accusantis.

Deuteronomij 27.

Maledictus qui peruertit iudicium aduenę, & pupilli, & viduæ, & dicet omnis populus Amē.

Isaiæ 5.

Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam aufertis ab eo.

Augustin.instit.ad Macedonium, & habetur 14. q.5.cap.Non sanè.§.Non ideo.

Non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verum testimonium, quia vēdit aduocatus iustum patrocinium, iurisperitus verum consilium. Illi enim inter vtranq; partē ad examē adhibentur: isti ex vna parte cōsistunt.

Augustinus epist.36.

Si iustitia sincerius consulatur, iustum dicitur aduocato: redde quod accepisti, quando cōtra veritatē fecisti, iniquitati astitisti, iudicium fefellisti, causam iustam oppresisti, de falsitate vicisti.

Ibidem.

Quis tandem aduocatus facilè reperitur, qui dicat suscepto suo. Recipe quod mihi, quū malè adessem, dedisti: & redde aduersario tuo, qđ me iniquè agente, abstulisti. Nisi fortè restituendum est alienum, quod furtim cláculo effertur: & restituendum non est, quod in ipso foro (vbi peccata puniuntur) decepto Iudice & circumuentis legibus, retinetur.

Gregorius super Ezechielem.

Iustus aduocatus à nullo iniustas causas accipit, nec verba dare pro iustitia consistit.

Isidorus lib.3.de summo bono.

Antiqui forensem eloquentiam caninam facundiam nūcupabant, eò quòd causidici in certaminibus causarum, omissis, quæ agunt veluti canes, alterutrum lacerant.

Bernardus ad Eugenium lib.1.cap.9.

Miror nanque quomodo religiosæ aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionem quàm ad inuentionē proficiunt, veritatis. Nihil enim ita absq; labore manifestā facit veritatē, sicut breuis, & pura narratio. præscinde ergo linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti aduersus iustitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt, vt faciant malum, eloquentes, vt impugnent verum.

Caßiodorus super Psalm.73.

Hi sunt, qui negant ciuitatibus inducias, mercatoribus nundinas, emptoribus mensuras, reuerentiam clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cūctis iura, distinctis priuilegia, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est.

Ibidem.

Hi sunt in conuiuijs scurræ, in exactionibus harpyę, in collocutionibus bestiæ, in quęstionibus statuæ: ad intelligendum saxei, ad iudicandum lignei, ad ignoscendū ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias vrsi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, & ad consumendum minotauri.

Ibidem.

Hi sunt, quorum si nares efflauerit cuiusquā rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngū vngues, cum eo & periuria Laomedontis, & Vlyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polymnestoris, & pietatem Pygmalionis adhiberi.

Ibidem.

Quomodo inter armatos, argutos, tumultuosos virtute, numero, contubernio, poterit ex æquo & bono solui inermis abiectus, peregrin⁹? pauper audiri? vbi est gurges de sutoribus fabularum, de concionatoribus carminum, de publicatorib. sinistrarum opinionum. Qui quum non habeant opera pro pomis, spargunt verba pro folijs, & quum non adsit medulla sensuum, abundat spuma verborum.

Ibidem.

Apud Causidicos, etiam ipsum silentium venale est, ac lingua eorum damnifica, nisi funib. argenteis ligetur.

Alanus de conquestione naturæ.

Si quis armatur pecunia, tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgurum incursus Hectoreos, robur virtutis Herculeę, versipelles Vlyssis vilipendit astutias. Intantum enim habendi fames incanduit, vt Dialecticę mutua sit subtilitas, Rhetoricæ languescat ciuilitas, vbi numorum perorat pluralitas.

Ibidem.

Si in aurem iudicis, vel aduocati susurret pecunia, Orphēi lyra, carmen Amphionis, Musa Virgilij voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? Vbi numus loquitur, Tulliani eloquij tuba raucescit: vbi numus militat, Hectoreæ militiæ fulgura compescuntur. Vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea. Numus vincit, numus

numus regnat, numus imperat vniuersis.

Origenes super illud Exodi 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis.

Ranæ significant clamosas aduocatorum allegationes, quæ inani & inflata modulatione velut ranarum sonis & cantibus immundæ deceptionis fabulas intulerunt: Ad nihil enim aliud vtiles, nisi quòd sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddunt.

Innocentius de uilitate conditionis humanæ.

Sæpè causas tantum differunt, vt litigantib. plus quàm totum auferãt, quia maior est expensarum sumptus, quàm sententiæ fructus. Nec terminantur negotia pauperum cœpta, quousque eorum marsupia sint euacuata. Quum tamen scriptum sit: Gratis accepistis, gratis date. Ipsi verò nec gratiam gratis dant, nec iustitiam iustè reddunt; lucrum in arca, damnum in conscientia. Sed quid prodest homini, si totum mũdum lucretur, animę verò suæ detrimentum patiatur?

Sidonius in epistola de iudicibus.

Hi sunt qui causas protendũt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliuiscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, iudicanda dictant, dictata conuellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes.

Cicero in prologo Rhetor.

Postquam commoditas quædam, praua virtutis imitatrix sine rationabili officio dicendi copiam consecuta est, tunc ingenio freta malitia, peruertere vrbes, ac vitas hominum labefactare consueuit.

Cicero libro de Oratore.

Sæpissime vidi in causis aliquod mali facere homines minimè malos.

Ouidius libro 1. Amorum.

Turpe reor miseros empta defendere lingua,
Quod faciat, magnas turpe tribunal opes.

Ouidius epistola Acontij ad Cydippen.

—Et mea quum sit
Optima, non ullo causa tuente perit.

Aedificatio Græcè οἰκοδομή. ῆς. ἡ. & οἰκοδομικός. ȣ. ὁ. architectus, & οἰκοδόμημα. ατος. τὸ. ædificium quod ex ædes & facio componitur. Dicitur autem ædificium omnis constructio, vtputa quadrigæ, currus, portus, pontes nauium, & aliorum huiusmodi. Aedificij quoq; appellatione non solùm superficiem significari, sed solum quoq; ipsum cui ædificium superpositum est, Vlpianus putat.

Aegritudo Græcè ἀῤῥωστία. ας. ἡ. & ἄῤῥωστος. οῦ. ὁ. ęgrotus dicitur, est opinio magni mali pręsentis, cui subijciuntur inuidentia, obtrectatio, æmulatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, solicitudo, molestia, afflictio, desperatio, &c. secundum Ciceronem lib. Tuscul. quæst.

Aemulatio Græcè ζῆλος. ȣ. ὁ. & ζηλόω æmulor, est dolor quidam: quoniam bona & honorabilia, quę ipse quoq; assequi posset, non similibus adesse videantur, non quoniam alijs sunt, sed quoniam non ipsis quoq; secundum Aristotelem libro 2. Rhetoricorum. Aemulatio dicitur dupliciter secundum Ciceronem in Rhetoricis, est enim hoc nomen & in laude & in vitio. Nam imitatio virtutis æmulatio dicitur, & tunc laudis est. Item æmulatio, ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur.

Hesiodus.

ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων. id est,
Aemulatur autem uicinus uicinum.

Aequalis Græcè ἴσος. ȣ. ὁ. & ἐπισος. ȣ. ὁ. dicitur. Et est medium inter defectum & excessum, secundum Aristotelem lib. 2. Ethicorum.

Aequalitas duplex, sc.
- *Quantitas, quæ requiritur in iustitia commutatiua, ut quisq; tantum accipiat quantum debeat, & econuersò.*
- *Proportionis, quæ requiritur in iustitia distributiua, & in merito respectu præmij, ex B. Thom. 4. senten. distin. 46. q. 1. artic. 1.*

Aequalitas Græcè ἰσότης. ητος. ἡ. dicitur. Et est proportio habentium vnam quantitatẽ, secundum B. Thom. 1. senten. dist. 19. quæst. 1.

Phocylides.

μοῖραν πᾶσι νέμειν, ἰσότης δ' ἐν πᾶσιν ἀρίστη. id est,
Partem omnibus tribue, æqualitas sanè in omnib. optima.

Aequanimitas Græcè ἰσοθυμία. ας. ἡ. dicitur, & est animi ęquitas, atq; sedatio, vnde ęquanimis, vir æqui, atq; sedati animi.

Aequanimitas in tolerandis tribulationibus est patientia propriè dicta ex B. Thom. super epist. Rom. lectione 5. co. 3.

Aequitas secundum Cyprianũ quæ Græcè ἐπιείχεια dicitur, seruatur in
- *Legum congrua ad opus applicatione, ut scili. potius legislatoris intentio seruetur, quàm eius uerba, unde Greg. & hab. 22. q. 5. Humanæ uerba deseruire intentioni debẽt, non intentio uerbis.*
- *Rerum iusta & debita commutatione. Leui. 19. Statera, ut iusta & æqua sint põdera.*
- *Bonorum proportionata participatione, ut in omni collegio æquitas seruetur in laboribus, & emolumentis, pro officiorum proportionata conditione, ex Archiepiscopo Floren. 4.*

Aequitas Grcęcè εὐθύτης. υτος. ἡ. & ισος æquus dicitur. Et est iustitia dulcore misericordiæ temperata.

Aequitas est pars iustitiæ, & continetur sub ἐπιείχεια secundum B. Thom. Secun. secun. q. 80.

Aequiuocum Græcè ὁμώνυμον. ȣ. τὸ. est cuius nomen tantum commune est, sed substantiæ ratio diuersa, vt canis, nepos, secundum Aristotelem libro Prædicamentorum in principio.

Aequus Græcè ἐπιεικής.έος.ὁ.ἡ.dicitur,& est æquum,quod præter legem scriptam iustũ est,secundum Aristotelem libro 1.Rhetoricorum.

Aequus vir est,qui exactè amplectitur ius in peiorem partem, sed de suis commodis detrahi patitur,& si lege se tueri posit:& hic habitus & hæc bonitas & æquitas Græcè ἐπιείκεια dicitur, nec aliud est,quàm iustitia quædam secundum Aristotelem libro 5.Ethicorum.

Aequus ab aqua deducitur, quia summa est aquæ æqualitas,dum quiescit, ita vt imaginem, tanquam speculum reddat. Significatq; æquus planum propriè & per metaphorã ponitua pro iusto,quia nullã in partem inclinat.Vnde æquitas dicta & æqualis.

Aër Græcè ἀήρ.έρος.ὁ. Estq́ue vnum quatuor elementorum tenuissimum,humidum,& calidum,igne quidem grauius,terra autem,&aquis leuius,respirationis, & vocis causa, incoloratũ, scilicet ex natura colorem non habens, lucidũ, transparibile, luminis enim est susceptiuum, & tribus sensibus nostris ministrans, per id enim videmus,& audimus,& olfacimus,Susceptiuum fomitis,& frigiditatis,siccitatis,& humiditatis, cuius omnes,qui secũdum locum sunt, motus, scilicet sursum, deorsum,intra, extra,dextrorsum,sinistrorsum,&circularis motus,ex se non habens lumen, sed à sole, & luna, & stellis igne illuminatus.

Aestimatio λογισμός.ȣ.ὁ.& λογζίομαι æstimo & cogito dicitur,ab æstimo venit,quod significat appretio,quasi ære taxo, & quoniam æstimatio sine speciali consideratione fieri non potest,æstimare quãdoq; pro considerare ponitur.Oui. Hæc quicunq; leget,si quis leget, æstimet antè. Aestimare autem putare,& iudicare est,prius enim rem æstimamus,hoc est,consideramus.Deinde æstimamus,hoc est,iudicamus. Ab æstimo fit æstimatiua vis,quæ est potentia apprehensiua conuenientis,& nociui. Ideo comparatur ad appetitũ sensitiuum, sicut intellectus practicus ad voluptatem,B.Thom.1.parte,quæstion.78. articu. 4.

Aestimatiua vis secundum Auicennam est virtus apprehẽdens intentiones sensibilium,sicut est in oue dijudicante, quod est à lupo fugiendum.

Aestimatiuæ sedes secundum B. Thomam & Auerroym est in brutis posterior pars capitis: in hominibus media cellula cerebri, vel in summo eius,quæ dicitur syllogistica:secundum verò Auicennam est summum concauitatis mediæ cerebri, de qua vide in arbore animæ. Ab æstimo venit existimo, diphthongo in i longa conuersa, quasi ex æstimatione statuo, atq; decerno:inde existimatio,quod ferè semper passiuè sumitur, vt vir magnæ existimationis,id est, de quo homines bene sentiunt, & quem magnum futurum omnes arbitrantur.

AEtas Græcè ἡλικία.ας.ἡ.dicitur,quasi æuitas. NANVT.
Aetates ab antiquis variè distinguebantur. Seruius Tullius rex Romanorum eos pueros appellauit,qui essent infra decimumseptimum annum.Indeq; ad quadragesimum sextum iuniores dixit,quos bello idoneos elegit: supra verò sextum & quadragesimum annum seniores nominauit. Varro autem diuisit ætatem in infantiam,adolescentiam,iuuentam,& senectã. Quarum singulæ trifariam diuidũtur,vt prima pars viridis,secunda adulta,vltima præceps dicatur. Virgilius:Iam senior,sed cruda Deo,viridisque senectus.

Ouidius lib.1.Metamorphoseos. AMANTIVS.

Aurea prima sata est ætas.Postea inquit. 1.
Subijtq; & argentea proles. 2.
Auro deterior fuluo,preciosior ære.
Tertia post illas successit ahenea proles, 3.
Sæuior ingenijs,& ad horrida promptior arma. 4. ætates quatuor
Non scelerata tamen de duro est ultima ferro.
Protinus irrupit uitæ peioris in æuum
Omne nefas:fugêre pudor,uerumq;,fidesq;.
In quorum subiêre locum,fraudesq;,doliq;,
Insidiæq;,& uis,& amor sceleratus habendi.
Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus: Fratrum gratia rara.
Non socer à genero:fratrum quoq; gratia rara est.
Victa iacet pietas,&c.

AETAS FVGIT.

Ouidius lib.3.de arte.

Vtendum est ætate,citò pede labitur ætas, Tempus volucre
Nec bona tam sequitur,quàm bone prima fuit.

Horatius lib.2.Carminum Ode 11.

Quid bellicosus Cantaber,& Scythes
Hyrpine Quinti cogitet & Hadria
Diuisus obiecto,remittas
Quærere,nec trepides in usum. Verum epitheto iuuentæ
Poscentis æui pauca.fugit retrò
Leuis iuuentas,& decor,& arida
Pellente lasciuos amores
Canicie,facilemq; somnum.

TEMPVS LABITVR.

Miserum est genus uitæ nostræ & nimis fluxum.

Iuuenalis satyra 9.

Vtile consilium modò,sed commune dedisti. Tempus labile.
Num mihi quod suades,post damnum temporis,& spes
Deceptas?festinat enim decurrere uelox
Flosculus angustæ,miseræq; breuißima uitæ
Portio:dum bibimus,dum serta,unguenta,puellas Senectus non preciosissima.
Poscimus,obrepit non intellecta senectus.

Horatius lib.1.Ode 11.

Spatio breui
Spem longam reseces:dum loquimur inuida Inuida ætas.
Aetas fugerit.

Erasmus in confabulatione Pia de precio temporis.

ER.Næ tu perparcus es Temporis.G A.Nec mirũ si parcus sum rei vt multò preciosissimæ, ita

ita irrecuperabilis. ER. At Hesiodus docet, in medio parcendum, in principio præproperam, in fine seram esse parsimoniam. G. Rectè Hesiodus de vino: sed ætatis nulla est intẽpestiua parsimonia. Doliũ si sinas, non exhauritur: at ætas nunquã non defluit, siue dormias, siue vigiles.

Aetas semper fluit.

Ouidius 6. Fastorum.

Tempora labuntur, tacitisq́; senescimus annis:
Et fugiunt, fræno non remorante, dies.

AETATVM DIVISIO, *secundum Varronem & Galenum atq; Hyppocratem.*

Doctißimus Varro quinq; ætatis gradus æquabiliter putat esse diuisos, ac vnum quenq;, præter extremũ, in annos 15. Propterea sectio prima annum quintũ decimum attingens, pueros habet: ex puritatis ratione ita nuncupatos. Secunda ad tricesimum porrecta, adolescentes: ab incrementi ratione nomẽ adeptos. Iuuenes sectionem faciunt tertiam, ad annos quinq; & quadraginta: quibus inde appellatio facta, quod in bellicis vsibus Reip. adiumento forent. Et inde huiusmodi ex catalogo esse dicuntur, sicut vltra catalogum, qui iam militiæ habentur inepti. Ad annorum decada sextam, seniores perueniunt. Reliquum vitæ tempus sectionem habet quintam, in qua qui agunt, iam vocantur senes. Ex hac Varroniana ætatum distributione comodior scitè admodum, & cõgruenter, uitæ tempora fabulis comparari. Nam & Cicero, qui hisce, inquit, authoritatis pręmijs splendidè vsi fuerint, ij mihi sunt visi fabulam ætatis peregisse, nec tanquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse. In fabulis verò actus seruari quinque, non arbitror esse quem fugiat, quam nec persona quinquies egressa vltra exire potest. In quo attentè animaduertendum vbi & quando scena vacua ab omnibus sit personis, vt in ea chorus, vel tibicen audiri poßit: id enim cum viderimus, ibi actum esse finitũ debemus agnoscere. Hyppocrates (sicuti libro de die natali prodit Censorinus) septem ætatis constituisse gradus deprehenditur. Ac primum quidem anno septimo terminasse: secundum, quarto decimo: tertium, duodeuicesimo: quartum, tricesimo quinto: quintum, duodequadragesimo: sextum, sexagesimo primo: septimum, ad vitæ coronidem protendit.

Pueri. Adolescentes. Iuuẽtus. Seniores Senes. Vitę tempora rectè fabulis conferuntur. Fabulã ætatis peragere. Hyppocrates. Aetatũ diuisio secundũ Hyppoc.

Galenus de definitionibus medicis.

In libro, cui titulus ὅροι ἰατρικοὶ ætates statuit omninò quatuor: ex quibus primam facit, τον νέων, id est, iuuenum. secundam τῶν ἀκμαζόντων, id est, vigentium. tertiam τῶν μέσων, id est, mediorum, postremam τῶν γερόντων, id est senum. Iuuenes postmodum esse, ait, temperatura calidos humidosq́;, veri præcipuè aßimiles, in vigore constitutos, calere simul, arescereq́; ætatis modo. Medios pronunciat esse frigidos, ac siccos, perinde ac autumnus est. Sunt verò humecti cum frigiditate senes, τῷ χείμωνι παραπλήσιοι. Effloreſcit in iuuenibus sanguis, in vigentibus ξανθὴ χολὴ, in medijs μέλαινα, in senibus τὸ φλέγμα. Et hæc caloris intimi ratione omnia.

Quatuor secundũ Galenũ ætates. Ver. Aestas. Autumnus. Hyems. Iuuenes sanguinei. Vigentes cholerici. Medij melancholici. Senes phlegmatici.

Aetas ex Menechmis Plauti.

Consitus sum senectute, onustum gero corpus, vires reliquêre, vt ætas mala est, mors mala est ergo. Nam res plurimas peßimas, cùm aduenit, adfert: quas si autumem omnes, nimis lõgus sermo est.

Senectus multa mala secum fert

Idem in Bachidibus.

Non omnis ætas ludo conuenit.

Idem.

Haud ætati optabile fecisti, cùm isthanc nactus es impudentiam.

Aetas florida, uigens, integra.

AETAS FLORIDA.

Petrarcha in 1. dialogo.

Multum vitæ superest. R. En prima mortaliũ vana spes, quę multa hominum milia & fefellit, & fallit. Inane gaudium & breue: flos ille, dum loquimur, arescit.

Aetas integra.

R. Quis integrum docet, cui & multum deesse constat, & quantulum sit quod restat, incertum est.

Aetas in ascensu est.

R. Insidiosißimæ rei fidis. Ascensus iste est descensus, vita breuis, tempus instabile, furtim nullo pedum strepitu inter somnum & iocos effluit. Et ô si hæc temporum celeritas, vitæque breuitas, vt in fine, sic in principio nota esset, nunc intrantibus infinitum quiddam, exeuntibus nihil, & quot secula videbãtur, vix totidem sunt momenta. Sic tum demum fraus noscitur, dum vitari nequit. Vnde est, quod sæpe frustra huic consulitur ætati, incredula simul & inexperta est, & contemptrix alieni consilij, inops sui. Itaq; iuuenibus errores, licèt innumerabiles, & immensos, his ipsi tamen occultos & incognitos, quorum sunt, nil melius, quàm senectus detegit, & dißimulantium conniuentiumq́; luminibus ingerit, nec prius quod esse debuistis, aduertitis, quã quod esse voluistis, effecti estis, fieri iam aliud non potestis. Quod si quis in tẽpore, aut per semetipsum intelligere posset, aut docenti credere, ille mihi vnus ex milibus præclarus ac felix surgeret adolescens, nec tam multis anfractibus ageret vitam, cuius vita tuta, & recta per virtutem via est.

Fraus cũ vitari non potest nescitur. Non agnoscũt iuuenes errores suos. Vitæ vnica tuta via per virtutẽ.

Aetas indecerpta est.

R. Quomodo indecerpta est, quæ ex quo cœperit, aßiduè carpitur, & quæ minutißimis portiunculis, dum datur, eripitur. Siquidem motu perpetuo cælum rotat momenta, horas: horæ diem rapiunt, is alium diem trudit, isq; alium, & nunquam quies: sic menses prętereunt, sic anni, sic & ætas currit, & properat, & (vt Cicer. ait)

volat: quodq; ait Maro, celeres neque commouet alas: ita ceu naui iter agentibus, nec sentientibus, qui vehuntur sæpe nec cogitatibus finis adest.

Aetas incipiens ab extremo procul est.

Intra breuis vitæ spacium, nihil est procul. G. Nulla pars à fine distantior, quàm principiū. R. Nulla quidem sed tunc rectè diceretur, quando omnes æquis spacijs viuerent. Nunc pluribus vijs, & sæpius prima ætas in mortem incidit: quo fit, vt plerunq; vicinior sit extremo, qui remotior videbatur.

Prima ætas in mortem sæpius incidit.

Seruus Tullius.

Romanorum Rex eos pueros appellauit, qui essent infra decimum septimum annum: indeq; ad sextum & quadragesimum, iuniores dixit, quos bello idoneos elegit: supra verò quadragesimum sextum annum, seniores dixit.

Certè floridißima est ætas.

R. Etsi ad hoc pauci animum aduertant, tamen ex quo loqui cœpimus, mutatio aliqualis incessit, & modo per singulos syllabarū tractus vitæ aliquid excidit, aliquid de caduco ætatis flore subtrahitur. Quid autem (quæso) plus habet hic mollis & nitidus adolescens, quàm ille durus & squamosus senex, præter hunc, quem loquimur, ætatis breuem scilicet, & caducū immò assiduè cadentem florem? Vbi quid tam dulce, tam iucundum, non inuenio: cùm sciat, dicto citius se futurum, quod ille nunc est, vel, si nescit, insoniat: nisi fortè è duobus aliàs capitali simul supplicio addictis, ille felicior est habendus, qui nouissimè iussus est dare securibus colla, qui mihi quod amodo ipsa dilatione miserior videatur: quanquam non est par hominum horū conditio, & illorū. Huic enim interuenire aliquid potest, vnde collegæ suppliciū euadat, & viuat: iuuenem senio eripere sola mors potest. Ad summum: paruo temporis in spacio nō stat magna felicitas, & ingentibus animis breue nihil optabile est. Expergiscimini consopiti, tempus est, caligantesq; oculos aperite: assuescite iam tandem æterna cogitare, & amare, & optare: simul autem peritura contemnere. Condiscite ab his spontè discedere, quæ nobiscum diu esse non possunt, & animo illa relinquere, antequam relinquamur.

Semper alius modo vitæ excidit.

Senectus nos omnes admonet.

Grauis adhortatio.

Aetas est stabilis uirensq;.

R. Mentiuntur, qui, nescio, quam ætatem, stabilem dicunt. Nihil volubilius tempore. Tempus est vehiculum ætatum omnium, & hoc stabile fingitis. O vanitas, nihil est stabile: nunc maximè raperis.

Nihil ætate volubilius.

Aetas fugax, ex Thebaide Senecæ Tragœdia tertia.

Aetate fruere, mobili cursu fugit.
Optimos uitæ dies,
Effluere prohibe.

Cuiq; æuo suus gradus.

Propria describit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, Frons decet tristis senem.

Aetas noui aliquid apportat, atq; ad scientiam confert. Ex 6. Metamorph. Ouidius Fab. 1.

Non omnia grandior ætas
Quæ fugiamus habet, seris uenit usus ab annis.

Terentius in Adelphis.

Omnia ætate magis alia rectius sapimus, ô Demea.

Ex Metamorph. lib. 14. Fab. 16.

Etenim mihi multa uetustas scire dedit.

Ex Trinumo Plauti.

Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est. Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.

Erasmus Chiliad. 3. Cent. 9. adagio 57.

Aetate prudentiores reddimur.

Odissee β.

Ἐγὼ δὲ ἔτι νήπιος ἦα.
Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμὶ, καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
πυνθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός. id est:
Eram adhuc puer, ast ubi iam sum
Grandior, & reddit me aliorum oratio doctum,
Ipseq; grandescit mi animus.

Aeternitas Græcè αἰωνία. ας. ἡ. & αἰώνιος. ου. ὁ. æternus, est interminabilis vitæ simul toto & perfecta possessio, secundum Boëtium libr. 5. de conso. Diciturq; quasi æuiternitas, & sempiternus, quasi semper æternus. Differunt autem æternum & perpetuū, quod æternū, sit id, quod sine principio est, & sine fine, vt Deus: perpetuū autem, quod habuit principium, sed finem non est habiturum, vt anima.

Aeuum Græcè αἰών. ῶνος. ὁ. dicitur & est mensuram habentium principium & finem, secundum Albertum Magnum super libris physicor.

Affabilitas Græcè εὐπροσηγορία. ας. ἡ. & εὐπροσήγορος. ου. ὁ. affabilis dicitur, est virtus, qua homo se habet ad cōuersationem in dictis & factis delectabiliter ad omnes non æqualiter. Cuius est principaliter cōuiuantes delectare, sed quando oportet, non veretur eos contristare, propter bonum promouendum, vel propter malū vitandum: & est media inter adulationem, & litigium.

Ecclesiast. 4.

Congregationi pauperū affabilem te facito.

Affectio Græcè διάθεσις. εος. ἡ. & διατίθημι afficio dicitur, & est raptus, & abstarctio animæ circa mores, secundum Arist. libro 8. Politico.

Affectio est animi & corporis, ex tempore, aliqua de causa mutatio, vt sunt gaudiū, lætitia, misericordia, cupiditas, metus, molestia, & alia, quæ à nostris, modo affectus, modo affectione dicuntur: Græci πάθος, hoc est, morbum vocant, hinc affectare, quod est nimio affectu, & anxiè quærere.

Virgi-

Vergilius.

—Viamq; affectat olympo.

Ouidius libro 1. Metamorph.

Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes.

Affinitas Græcè συγγένεια.ας.ἡ. & συγγενής. έος. ὁ.ἡ. affinis dicitur & est vinculum causatum ex carnis copula consanguineorum, hęc ex B. Thoma quarto Sententiarum, dist. 41. artic. 1.

Affines sunt viri & vxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur. & altera ad alterius cognationis finem accedit. Consanguinitas fit per carnis propagationem. Affinitas verò per coniunctionem ordinatā à Deo, hæc ex B. Tho. vbi supra.

Affinitas causatē ex omī coitu naturali & illicito.

Affirmatio Græcè κατάφασις. ιος.ἡ. dicitur, & est enunciatio alicuius de aliquo secundum Aristotel. libro 1. Περὶ ἑρμηνείας.

Afflictio Græcè θλίψις ιος.ἡ. & θλίβω affligo dicitur, & est ægritudo cum vexatione cordis secundum Ciceronem libro Tuscul. quæstio.

Agonia ἀγωνία ας ἡ. est timor mali extrinseci, cui resisti non potest propter improuisionem. B. Thom. Secunda secundæ quæst. 41. artic. 4.

Agnati & cognati differunt, vt placet Paulo Iurisconsulto, vt genus & species. Nam omnis agnatus cognatus est, non autem omnis cognatus agnatus est. Alterum enim ciuile, alterum naturale nomen est. Cognationis origo etiam per fœminas solas cōtingit. Agnationis autem ab vno patre per solos masculos contingit.

Phocylides.

Συγγενέσι φιλότητα νέμοις ὁσίην θ' ὁμόνοιαν. id est, *Affinibus amicitiam tribue, sanctamq; concordiam.*

NANVS. AGricultura Græcè γεωργία.ας.ἡ. & γεωργός ου ὁ. agricola dicitur, & est agrorum cultura. Inde agrestis, Gręcè ἄγριος ου ὁ. ἀγρίτης. τητος.ἡ. rusticitas. Est aūt agrestis, qui vitam agit syluestrē.

Exodi 22.

Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum, vt depascatur aliena, quicquit optimum habeat in agro suo vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.

Ibidem.

Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehenderit aceruos frugū, siue stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.

Exodi 23.

Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autē septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt commedāt pauperes populi tui, & quicquid reliquū fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea & olïueto tuo.

Hieronymus ad Rusticanum monachum, & habetur de conf. distin. 5. Nunquam.

Cur in vsus tuos successura non præparas? vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lētis plecte viminibus. Seratur humus, areolæ æquo limite diuidantur. In quibus, cum olerum iacta ta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ, hic pulcherrimorū versuum spectator assistas.

Ecce supercilio cliuosi tramitis undam
Elicit, illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet, scatebrisq; arentia temperat arua.

Inserantur infructuosæ arbores uel gemmis, uel surculis: ut paruo post tēpore laboris tui dulcia poma decerpas.

Aristot. libro 1. Politicorum.

Bos pauperibus est pro seruo.

Idem lib. 6. Politi.

Agricolæ magis appetunt lucrum, quam honorem. Et ideo delectabilius est ipsis laborare, quam principari.

Ibidem.

Agricolę qui non habent necessaria circa opera morantur, & aliena non concupiscunt.

Cic. li. 1. Offic.

Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.

Idem libro de Senectu.

Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, que nec vlla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitā proximè videntur accedere. Habet enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperiū, nec vnquam sine vsura reddit, quod accepit, licet alias minore, plerunq; maiore cum fœnore.

Ibidem.

Ergo in hac vita Marcus Curius, quum de Sānitibus, & Sabinis, & de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis.

Idem libro de Senectu.

A villa in senatum accerbantur Curius, & cęteri senes, ex quo qui eos accersebant, viatores nominati sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agricolatione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio hac an vlla vita beatior esse posśit, neq; solum officio (quod hominū generi vniuerso cultura agrorum est salutaris) sed & delectatione, quā dixi, & saturitate, copiaq; omnium rerum, quæ ad victum hominum, & cultum etiam deorum pertinent.

Cic. libro. de Senectu.

Semper enim boni assiduiq; Domini referta cella vinaria, olearia, mellaria, & penuaria est, & penaria est, villaq; tota locuples est abūdat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant. Tum conditiora facit hæc & superuacanei operis aucupium atq; venatio.

Idem ibidem

Agro bene culto nil potest esse, nec vsu vberius, nec specie ornatius, ad quem fruendum nō modo non retardat, verum etiam inuitat, atq; al

lectat

lectat senectus. Vbi enim potest illa ætas æquè calescere, vel apricatione melius, vel igni, vel vicissim vmbris aquísve salubrius refrigerari.

Valer. Maxim. lib. 4. tit. de Paupertate.

Illi etiam prędiuites, qui ab aratro accersebā tur, vt consules fierent, voluptatis causa, sterile, atq; æstuosissimum Pupiniæ solum versabant, delitiarumq; ignari vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant. Imò verò quos pericula Reipu. Imperatores accersebant, angustię rei familiaris. (Quid cesso proprium nomen veritati reddere) bubulcos fieri cogebant.

Ibidem.

Attilium autem, qui ad eum accersendum à Senatu missi erant, ad imperium populi Romani suscipiendum semen aspergentem viderunt. Sed illæ rustico opere attritę manus salutem publicā stabilierunt, ingentes hostium copias pessundederunt. Quæq; modò arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt. Nec fuit ijs rubor eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Attilius, sed multo magis docere locupletes, quàm nō sit necessaria solidæ laudis cupidini, anxia diuitiarū cōparatio.

Vitruuius de Architectura lib. 2.

Etenim natus infans sine nutricis lacte non potest ali, neq; ad vitæ crescentis gradus perduci: Sic ciuitas sine agris & eorum fructib. in mœnibus affluentibus non potest crescere, nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populúq; sine copia tueri.

Virgilius libro 1. Georgicorum.

Frigoribus parto agricolæ plerunq; fruuntur,
Mutuaq; inter se læti conuiuia curant,
Inuitat genialis hyems curasq; resoluit.

Idem libro 2. Georgicorum.

Nec uerò terræ ferre omnes omnia possunt,
Fluminibus salices, craßisq; paludibus alni,
Nascuntur steriles, saxosis montibus orni.
Littora myrtetis lætißima, deniq; apertos
Bacchus amat colles, aquilonem & frigora taxi.

Ibidem.

Primus humum fodito, primus deuecta cremato
Sarmenta & ualles primus sub tecta referto,
Postremus metito.

Ibidem.

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem uictum iustißima tellus.

Ibidem.

Fortunatus & ille Deus qui nouit agrestes,
Panaq; Siluanumq; senem, nymphasq; sorores.

Ibidem.

Interea pendent dulces circum ubera nati,
Casta pudicitiam seruat domus, ubera uaccæ
Lactea dimittunt pinguesq; in gramine læti.
Inter se aduersis luctantur cornibus hœdi.

Ouidius lib. 1. de remedio amoris.

Rura quoq; oblectant animos, studiumq; colendi.
Quælibet huic curæ cedere cura potest.
Colla iube domitos oneri supponere tauros,
Sauciet ut duram uomer aduncus humum.
Obrue uersata cerealia semina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.
Aspice curuatos pomorum pondere ramos,
Vt sua quod peperit uix ferat arbor onus.
Aspice labentes iucundo murmure riuos,
Aspice tondentes fertile gramen oues.
Ecce petunt rupes, præruptaq; saxa capellæ,
Vt referant hœdis ubera plena suis.
Pastor inæquali moduletur arundine carmen,
Nec desunt comites sedula turba canes.

Horatius in Epodo Odæ 2.

Beatus ille qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Neq; excitatur claßico miles truci,
Neq; horret iratum mare
Forumq; uitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Horatius Sermonum lib. 2. satyra 6.

O rus quando ego te aspiciam, quandoq; licebit
Nunc ueterum libris, nunc somno & inertibus horis
Ducere solicitæ iucunda obliuio uitæ.
O quando faba Pythagoræ cognata, simulq;
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo,
O noctes Oenæq; Deum quibus ipse meiq;
Ante larem proprium uescor.

Horatius epistolarum lib. 1. epistola 10.

Nouisti ne locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hyemes, ubi gratior aura
Leniat & rabiem canis & momenta leonis?
Quum semel accepit solem furibundus acutum,
Est ubi diuellat somnos minus inuida cura?

Alacritas Græcè φαιδρότης. ητος. ἡ. & φαιδρός. ȣ. ὁ. alacer dicitur, & est mutatio quædam vultus in aliquā spem gestientis, venitq; ab alacer, quod quandoque festinum significat, qualis acer. Terentius: Quid tu homo es tristis? quídve es alacris? Nonnunquam lætum & velut in aliquam spem gestientem significat.

Alecto Græcè ἀληκτώ. όος. ἡ. vna est trium furiarum infernalium, quas Orpheus in Argonauticis vnico versu comprehendit.

Τισιφόνη τε καὶ ἀληκτὼ, καὶ δῖα μέγαιρα. facitq; genitiuo alectus, & accusatiuo alecto. Virgilius 6. Aeneid. Luctificam alecto.

Alienatio Græcè ἀλλοτρίωσις. ιος. ἡ. & ἀλλοτριόω alieno dicitur, & ἀλλότριος. ȣ. ὁ. alienus. Est autem alienum quod est extraneum & dissimile secundum B. Thomam 1. parte, 31. artic. 2.

Alimenti-

Alimentum Græcè τροφή.ης.ἡ, & τρέφω alo dicitur, est quod præparat operationem nutritiuæ, secundum Aristotelem libro 2. de anima.

Altare Grece θυσιαστήριον.ου.τὸ. locus est in quo dijs sacrificia fiebant. Quod ita ab ara interesse quidam putant, quòd aræ superis & inferis dijs constituebantur. Altaria verò dijs superis tantum. Altare ab altitudine dictum est, quoniam veteres dijs superis in ædificijs à terra erectis sacrificabant. Dijs terrestribus in terra, dijs inferis in effossa terra: aræ verò dictæ sunt quasi ansæ, vasa enim erant, quæ tripodes dicebantur. Propter quod Varro in libris diuinarum rerum scribit aras primò ansas dictas, quod esset necessarium à sacrificantibus eas teneri. Quoniam ergo qui immolabant, non tantùm Deos voce precabantur, sed etiam manibus aras apprehendebant, primò ansæ dictæ sunt, deinde aræ literarum mutatione.

Virgilius.

Talibus orantem dictis, arasq; tenentem.

Idem.

Tango aras mediosq; ignes, ac numina testor.

Sunt qui velint aram esse vocabulum Græcum, nam ἀρὰ. τῆς ἀρᾶς.ἡ. est oratio, imprecatio, votum, prex.

Alteratio Græcè ἑτέρωσις.εως.ἡ. dicitur. Et est mutatio in contraria secundum Arist. lib. 8. Physicorum. Alteratio est mutatio alicuius subiecti secundum qualitates contrarias, vel medias, ipso subiecto manente eodem, secundum Aristotelem libro de generatione & corruptione.

Altercatio Græcè ἔρις.ιδος.ἡ. dicitur, & est idē quod obiurgatio. Ab altercor venit, quod iurgor, quasi aduersam partem tueor.

Amaritudo Græcè πικρία.ας.ἡ. & πικρός.οῦ.ὁ. amarus dicitur. Et est effectus rācoris & filia acediæ secundum B. Thom. secun. secun. q. 35. ar. 4.

Ambages, quę & ambago dici potest in vno significato, Gręcè περίοδος.ου.ἡ. & περιάγω circumago, est circuitus, vel dubia seu profusa locutio.

Lucanus libro 1.

—Multaq; regens ambage canebat.

NANVS. Ambitio Græcè φιλοτιμία.ας.ἡ. & φιλότιμος ου ὁ ambitiosus dicitur, & est appetitus potentiæ secundum Alexandrum Secunda secundæ tractatu de ambitione, quæstione 2.

Ambitio est dignitatis appetitus immoderatus ratione honoris, secundum B. Thomam secunda secundæ q. 131. artic. 2.

Ambitio venit ab ambio, quod propriè significat circundo. Virg. 6. Aenei. Qui rapidus flammis ambit torrentibus amnis. Et per metaphoram aliquando ambire est blandiri & circumuenire. Virg. Quo nunc reginam ambire furentem. Audeat affatu. Et quoniam Romani dum honores & magistratus affectarent singulos circuire, dextras prensare, rogareq; vt se suffragijs adiuuarent, factum est vt ambire capiatur pro eo, quod est honores & magistratus quęrere. Dicimus autem ambitus & ambitio, sed hoc interesse videtur, quòd ambitio propriè est honorum, & laudis immoderata cupiditas. Ambitus verò, quum ad publicos honores & magistratus turpibus ac inhonestis artibus, vtputa blanditijs, precibus, largitione, contendimus, qualis est, quæ nunc vulgo à Simone Mago Simonia dicitur. Quæcunq; autem ambitus facit, ambitio facere compellit.

Ad Galatas 6.

Non officiamur inanis gloriæ cupidi, inuicē prouocantes, inuicem inuidentes.

Aug. ad Eudoxium, & habetur 16. q. 1. Vos autem.

Si qua opera vestra mater ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis.

Aug. in sermone de die consecrationis.

Laudari à malè viuentibus nolo, & detestor, laudari autem à bene viuētibus, si dicam nolo, mentior, si dicam volo, timeo ne sim humanitatis plus quàm soliditatis. Quid ergo dicam? nec plenè nolo, nec volo. Non plenè volo, ne in laude humana pericliter, nec plenè nolo ne ingrati sint quibus prædico.

August. super Psalmos.

Non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam.

Idem super Psalmos.

Quoties hominibus præesse desidero, toties Deo meo præire, contendo.

August. de ciuitate Dei lib. 14. cap. 11.

Diabolus ruit, quia elegit potius pręesse, quā subesse.

Hieronymus, & habetur 8. q. 1. capit. Illud.

Illud inferendum est aduersus eos, qui de episcopatu intumescunt, & putant se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos. Quia non statim omnibus his meliores sunt, quicunque episcopi non fuerint ordinati, & ex eo, quod episcopi electi sunt, se magis æstimēt comprobatos. Si autem peccata filiorum ab episcopatu iustum prohibent, quanto magis se vnusquisque considerans & sciens quia potens potenter tormenta patietur, retrahit se ab hoc non tam honore, quàm onere, & aliorum locū, qui magis digni sunt, non ambigit occupare.

Idem epistola ad Eustochium.

Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quàm necesse est, negligentiam fugiendo quæras, plures enim in hoc ipso cupiunt placere quod placere contemnunt. Et mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur.

Ambrosius super Lucam libro 3.

Aerugo mentis est appetentia dignitatum, si in his suprema spes vitæ præsentis locetur. Resipiscat vnusquisque à furore secularium dignitatum

tum & cupiditatum, quæ mentem animumque perturbant, vt compos sui esse non possit.

Idem super Lucam libro 3.

Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda est consolatricula dignitatum, & sæpe, quos vita nulla delectat, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos.

Ibidem.

Prope omnium criminum frontes hæc tria monstrantur genera vitiorum, scilicet, gula, iactantia, & ambitio. Causæ autẽ cupididatis sunt carnis delectatio, species gulę, & auiditas potentiæ.

Gregorius in Moralibus, & habetur 8. q. 1. capitulo Sciendum §. Neq;.

Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis seruit.

Idem in pastorali, & in Moralibus.

Locus regiminis quum regendus offertur, in se prius necesse est quisq; discutiat, si loco vita congruat, si ab onere actio non dissentiat. Ne iustus omnium rector eo post in trbulatione preces non audiat, quo ipsa quoque eius, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat.

Grego. in Pastorali.

Pensandum valde est, ad culmen regiminis quisquam qualiter veniat. Atq; ad hoc ritè perueniens, qualiter viuat, & bene viuens, qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem suam quotidie cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita cõtradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat, virtutibus pollens coactus ad regimẽ veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat.

Gregorius in Pastorali.

Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus.

Gregorius in Registro.

Sicut is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus. Sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubiò repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profunda descendat?

Ibidem.

Ordinatè ad ordines accedendum est. Nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta ascensum quærit.

Ibidem.

Quisquis sacerdotium non ad elationis culpam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo quidem subiturus onere metiatur, vt & impar abstineat, & ad id cum metu, cui se sufficere existimat, accedat.

Grego. super Ezechielem.

Quantò quisque hîc altius erigitur, tantò curis grauioribus oneratur.

Idem Moral. lib. 33.

Manu humillimæ considerationis deprimendus est timor elationis.

Greg. Mora. libro secundo ante finem super illud Iob 30. Eleuasti me ualde, scio quod morti tradas me.

Ad hoc solum fugitiuæ fœlicitatis aura subleuat, vt repentè deterius in infimis sternat.

Idem Moral. ultimo super illud Iob 38. Ecce gigantes gemunt sub aquis.

Quisquis altius erigitur, ipsis populis mente & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate.

Ioán. Chrysosto. super Matth. homilia. 25.

Quicunque desideráuerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo. Nec inter seruos Christi computatur, qui de primatu tractauerit.

Ibidem.

Opus quidem desiderare bonum, bonum est. Primatum autem honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se onerat.

Bernard. in epist. ad Hen. Senonen.

Multi non tanta fidutia & alacritate currerent ad honores, si & se sentirent onere grauari, metuerent. Nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum.

Ibidem ad Eugenium libro 3.

An non limina apostolorum amplius ambitio, quàm deuotio terit.

Bernardus ibidem.

O ambitio ambitiẽtium crux, quomodo omnes torques? omnibus places? Nil acrius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negocijs eius.

Bernardus in sermone quadragesimæ.

Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans. ex medicina languorem generans.

Orig. super epist. ad Roma.

Omnis adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicandos potius quam iudicaturos ij, qui præesse volunt populis, cogitarent.

Innocentius de uilitate conditionis humanæ.

Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus, ne dicat, quod desiderat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatẽ ostendit, subsequitur & obsequitur, cũctos honorat, vniuersis inclinatur, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur. Vnde nouit illud poëticum: Et si nullus erit puluer, tamen excute nullum.

Ibidem.

Ibidem.

Ambitiosus,promptus & feruidus,vbi placere cognouerit.Remissus & tepidus,vbi putauerit displicere.Improbat mala,detestatur iniqua:sed alia cum alijs probat & improbat,vt iudicetur idoneus,vt reputetur acceptus,vt laudetur ab omnibus,vt à singulis approbetur.Sed ecce grauem intra se sustinet pugnam difficiléque conflictum,dum iniquitas pulsat animum, ambitio continet manum,& quod illa suggerit,hæc fieri non permittit.Colludunt adinuicem mater & filia,iniquitas & ambitio,hæc vendicat sibi publicum,illa secretum.

Ibidem.

Ambitiosus statim vt est ad honorem promotus,in superbiam extollitur,iactantia effrænatur, non curat prodesse,sed gloriatur præesse,præsumit se meliorem,quia cernit se superiorem,priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos,comites contemnit antiquos,vultum auertit, ceruicem erigit, fastum ostendit, grãdia loquitur, sublima meditatur, subesse nõ patitur,pręesse molitur,subditis onerosus,omnibus infestus,præceps,molestus,arrogans,grauis,& importunus.

Seneca ad Lucilium epist. 23.

Sic est de ambitione,quomodo de amica conqueruntur homines:Si verum affectum inspicias,non oderunt,sed litigant.Videbis voluntariam esse illis in eo moram,quod ægrè ferre ipsos & miserè loquuntur.Peccatores enim conquerũtur de molestijs amicæ,nec tamen dimittunt,& ambitionis,nec tamen eam dimittunt.

Idem ad Lucilium epist.48.

Cupiditas omnis ingrata, & nemo eorum, qui in Republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur,aspicit.

Idem epist.60.

Illud præcipuè nos impedit,quòd nobis placemus.Si inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes,qui sanctos,non sumus modica laudatione contenti,quicquid in nos adulatio sine pudore congesit,tanquam debitum prehendimus.Optimos nos esse,sapientissimosq; affirmantibus assentimus, quum sciamus illos sæpe multa mentiri.Adeò quoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria maximè facimus.

Seneca ad Lucilium epist.62.

Quantulum enim est quod naturæ datur,parua illa pars dimittitur.Non fames nobis ventris nostri magno constat,sed ambitio.Nos itaq;,vt ait Salustius,ventri obedientes animalium loco numeramur,non hominum.Quidam verò non animalium,sed mortuorũ.Viuit is,qui seruitur.

Idem epist.74.

Nullum habet maius malum cupiditas,quàm quòd grata est.Nemo quos vincit,sed à quibus vincatur aspicit.Et illis non tam iucundum est multos videre post se,q̃ graue aliquem ante se.

Ibidem.

Cupiditas felicitatem suam non intelligit, quia non,vnde venerit,respicit,sed quò tendat.

Seneca ad Lucilium epist.86.

Relinque ambitum:timenda res est,vana,ventosa,nullum habens terminum.

Ibidem.

Quæcunque videntur eminere in rebus humanis,quamuis pusilla sint in comparatione humilimorum,per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur.Confragosa in fastigia dignitatum via.

Idem epistola 95.

Qui virtutem suam publicari vult,non virtuti laborat,sed gloriæ.

Seneca lib.2.de beneficijs.

Nunquam improbæ spei quod datur satis est,& maiora cupimus,quo maiora venerunt. Multoq; concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata:vt flammæ acrior vis est,quo maiore incendio emicuit.Aequè ambitio non patitur quicquam in ea mensura bonorum quiescere,quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur quod non est ad præturã vsq; perductus.Neq; hęc grata est,si desit cõsulatus.Nec hoc quidem facit,si minus est, quod vltra se cupiditas porrigit,& facultatem suam non intelligit,quia non vnde venit,respicit,sed quò tẽdit.

Seneca Tragœdia 4.

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitq; luxu,semper insolita appetens:
Tunc illum magnæ dira fortunæ comes
Subit libido.

Ibidem.

Quod non potest,uult posse,qui nimium potest.

Seneca Tragœdia 10.

Pauci reges non regna colunt,
Plures fulgor conuocat aulæ,
Cupit hic regi proximus ipsi,
Clarusq; latas ire per urbes,
Vrit miserum gloria pectus,
Cupit hic gazis implere famem.

Ibidem.

Colit hic reges calcet ut omnes
Perdatq; aliquos nullumq; leuet,
Tantum ut noceat,cupit esse potens.

Seneca lib.de formula uitæ.

Non ascribas tibi,quod non es:nec maior, quàm es,videri velis.

Arist.libro Oeconomicorum.

Multo grauius fert aliquis si honore suo priuetur,quàm si bona sua auferantur.

Idem lib.6.Topicorum.

Omnes honorem appetunt.

Cicero libro 1. Officiorum.

Difficile est potestatem cupienti, seruare æquitatem.

Ibidem.

Facilimè impellitur ad res iniustas, qui gloriæ cupidus est.

Idem libro Officiorum 1.

Miserrima est omnino ambitio, bonorumque contemptio.

Cicero in Rhetoricis.

Prælatio simulationem aperit, illis enim difficilè est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se esse probos simulauêre: sunt enim non ex animo sed ex fortuna, modò humiles, modò elati. Omnium enim rerum nihil ad prælationes tenendas melius, quàm diligi, nec alienius, quam timeri.

Cicero lib. 1. Rhetoricorum ueterum.

Stultitia est immensæ gloriæ cupiditas.

Salustius in Iugurtha.

Homini potentiam quærenti egentissimus quisq; est oportunissimus.

Idem in Catil.

Ambitio multos mortales falsos fieri coëgit.

Euripides in Hyppolito.

ἔνεστι γὰρ δὴ κ' ἀν θεῶν γένει τόδε
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο, id est:
Inest enim sanè deorum generi hoc,
Honore affici gaudent ab hominibus.

Ouid. Tristium lib. 1. elegia 1.

Donec eram sospes tituli tangebar amore,
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.

Horat. sermonum lib. 1. satyra 4.

—Quemuis media elige turba,
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat.

Idem sermonum lib. 1. satyra 6.

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis.

Persius Satyra 1.

—Vsq; adeo'ne
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,
At pulchrum est digito monstrari & dicier hic est.

Ibidem.

—An erit qui uelle recuset
Os populi meruisse?—

AMentia Græcè ἄνοια. ας. ἡ. & ἄνους. ου. ὁ ἡ. amés dicitur, & est stultitia. Dicitur autem amens quasi sine mente. Differunt autem amens & demens, quòd demens minus est quàm amés. Nam demens est qui non cogitat, quid agat, aut loquatur. Amens verò, qui prorsus insanit.

AMANTIUS. AMentia, Græcè ἄνοια, Cicero libro 3. quæst. Tuscul. Nec minus illud acutè, quòd animi affectionem lumine mentis carentem, nominarunt amentiam, eandemq; dementiam. Ex quo intelligendum est, eos, qui hæc rebus nomina posueruut, sensisse hoc idem, quod à Socrate acceptum Stoici diligenter retinuerunt, omnes insipientes esse, non sanos. Qui enim animus est in aliquo morbo, morbos autem hos perturbatos motus philosophi appellant, non magis est sanus, quàm id corpus, quod in morbo est. Ita fit, vt sapientia sanitas sit animi, insipientia autem, quasi insanitas quædam: quæ est insania, eadenq; dementia,

Beroaldus in commentarijs in Cicero. Quæst. Tuscul.

Amentia ab à particula priuatiua, & mente dicta: quasi sine mente, hoc est, consilio animoque, quo sapimus.

Lucretius poëta: consilium quod nos animú mentemq; vocamus, eadem dementia dicitur: quia (de) est particula minuendi, vt desipio, decresco: differunt tamen amens & demens: hic enim non cogitat quid agat aut loquatur, amens verò qui prorsus insanit.

Eodem præfato loco, Cicero.

Nomen insaniæ significat mentis ægrotationem & morbum, id est, insanitatem & ægritudinem animi, quam appellarunt insaniam. Omnes autem perturbationes animi, morbos philosophi vocant, negantq; stultum quenquam his morbis vacare; qui autem in morbo sunt, sani non sunt: & omnium insipientium animi in morbo sunt. Omnes igitur insipientes insaniunt, sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaq; censebant. His rebus mentem vacuam, appellarunt insaniam: propterea quòd in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit.

Lodouicus Viues lib. 2. de anima.

Et quoniam mens nostra est actus, quiescere omninò ab actione sua nequit, nisi potestate validè retinente, hoc est, opposito obice in instrumentis: velut cum à mole obruitur in locis maternis, à crapula in ebrietate, ab inimicis vaporibus in attonitione: quæ omnia & similia violéta sunt, naturæque illius repugnantia. Vnde cùm emergit, cessante potestatis violentia, statim reducit se in actum suum: neque eam ad rem externæ vllius opis indiget, sed solùm impedimento submouendo, quòd si sit sublatum, non potest mens vllo pacto ociari: necesse est aliquid meditetur & secum voluat, eamque illius motionem si quis conetur sistere (vt sunt qui nihil prorsus volunt cogitare) perinde fecerit, ac si cohibere velit ignem, ne ardeat, conceptus in apta materia: alterutrum profectò sequetur, aut vt ignem extinguat, aut vt vis ignis validior ac violentior erúpat in obicem: sic vel corrumpetur vita tam violenta contentione, vel pro vna cogitatione, quam velis opprimere, magna cogitationum & visorum perturbatio cooritur, hoc est, planè amentia.

Idem 7. Ethi.

Amentes dicuntur, qui à natura expertes rationis,

tionis, solùm sensuum munus exequũtur, immanes quidẽ beluarumq; similes habendi sunt, vt quædam genera barbarorũ procul habitãtium.

Ecclesiast. 2.

Platonis hoc dictum est.

Stultorum infinitus est numerus.

Cicero libro 9. ad Papyrium Petum, epistola quæ incipit: Amo verecundiam.

Ecclesiast. cap. 15.

Homines stulti non apprehendunt sapientiã, & non videbunt illam.

Cap. 18.

Stultus acriter improperabit.

Cap. 19.

A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.

Ibidem.

Sagitta infixa in facie & in ore canis, sic verbum in ore fatui.

Cap. 20.

Natus insipientis non erit vtilis sibi. Oculi enim illius semper simplices sunt. Exigua dabit, & multa imperabit, & apertio oris illius infamatio est.

Ibidem.

Fatuo non erit amicus, & non erit gloria boni illius.

Ibidem.

Qui edunt panem fatui, falsæ linguæ sunt.

Ibidem.

Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim illa decent in tempore suo.

Cap. 21.

Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit narratio.

Ibidem.

Narratio fatui quasi sarcina in via. Compedes in pedibus stulto doctrina, &c.

Cap. 22.

Confusio patris est indisciplinatus filius.

Ibidem.

Qui docet fatuum, est quasi qui conglutinat testam.

Ibidem.

Cum stulto non multum loquaris, & cum insensato ne abieris.

Cap. 23.

Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatur, sic cogitatio stulti.

Cap. 41.

Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quàm qui abscondit sapientiam suam.

Cap. 21.

Labia insipientium narrabunt stultitiam: verba autem prudentium statera ponderabuntur.

Ibidem.

Non communices homini indocto, ne malè de progenie tua loquatur.

Prouerbiorum 11.

Qui stultus est, seruiet sapienti.

Cap. 13.

Qui fatuus est, aperit stultitiam suam.

Cap. 15.

Cor stultorum dissimile erit.

Ibidem.

Stultus pascitur imperitia.

Ibidem.

Stultitia gaudium stulto.

Cap. 17.

Non decent stultum verba composita: nec principem labia mentientis.

Ibidem.

Expedit magis vrso currere raptis fœtibus, quàm fatuo confitenti tibi stultitiam.

Ibidem.

Quid prodest habere diuitias stulto, cùm sapientiam emere non possit.

Ibidem.

Stultus, si tacuerit, putabitur sapiens: & si cõpresserit labia sua, intelligens.

Cap. 18.

Os stulti contritio eius, & labia illius ruinã animæ eius.

Cap. 19.

Stultitia hominis supplantat gressus eius, & contra Deum seruiet animo suo.

Cap. 26.

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.

Ibidem.

Veluti pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.

Ibidem.

Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

Ibidem.

Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem.

Cap. 27.

Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.

Cap. 28.

Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat.

Ibidem.

Qui confidit in cor suum, stultus est.

Matthæi 7.

Omnis qui audit verba mea, & non facit ea: similis est viro stulto.

Paulus 1. Corinthior. 1.

Quæ stulta sunt mundi eligit Deus, vt confundat sapientes.

2. Corinthior. 11.

Sustinetis enim insipiẽtes, cũ sitis ipsi sapiẽtes.

Esaiæ 19.

Stultus enim fatua loquetur.

D. *Hieronymus.*

Stultiloquium & scurrilitas non decent Christianum, sed sermonem eius sale conditum esse oportet, vt gratiã apud audientes habeat: quicquid enim amens loquitur, vociferatio & clamor est appellandum.

Gregorius in Moralibus.

Quicũq; stult⁹ est in culpa, erit sapiẽs in pœna.

Idem.

Sicut nec auris escas, nec guttur verba agnoscit: ita nec stultus quisq; sententiam sapientis intelligit.

Idem.

Fatuum cum sapientib. in prædicatione non suscipies, nec per eum qui implere non volet, illi qui præualet obsistas.

Isiodorus.

Nihil stultitia peius, nihil insipiẽtia deterius, nihil ignorantia turpius.

Idem.

Ignorantia vitiorum nutrix est. Ignorantia enim quid sit, culpæ indignum non sentit.

Idem.

Insipiens quotidie peccat: indoctus facilè decipitur. Stultus in vitia citò dilabitur.

Cicero de natura Deorum.

Miserius stultitia quid dicere possumus?

Ibidem.

Multa sunt incõmoda in vita, vt eam sapientes commodorum compensatione leniant. Stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre pręsentia.

De finibus bonorum & malorum.

Stulti malorum memoria torquentur.

Ibidem.

Igitur nec stultorum quisque beatus, neque non sapientium non beatus.

AMENTIA VEL STVLTITIA PARS *ægrimoniæ, mater & materies omnium malorum.*

Cicero in Nou. Rhetor.

Omnium malorũ stultitia est mater atq; materies, ea parit pręcęteris immẽsas cupiditates: immẽsæ porrò cupiditates infinitæ & immoderatæ sunt: hæ pariunt auaritiã maliciãq;: auaritia porrò hominẽ ad quoduis maleficium impellit. (Stultitia mater malorũ.)

Cicero in Veter. Rhetoricor.

Quò indignius rem honestißimam & rectißimam violat stultorum & improborum temeritas pro audacia summo cum Reipub. detrimento, eò studiosius illis resistendum est, & Reipu. consulendum.

Ibidem.

Si summopere sapientia petenda est, summopere stultitia fugienda, & vitanda est. (Sapiẽtia. Stultitia)

Ibidem.

Qui sæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum oratio in fidem non habere debemus. Si quid perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit propter nosmetipsos, quem iure accusare poßimus. Primùm decipi quidem incõmodum est, iterum stultũ, tertiò turpe. Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis. (Summa dementia fidere illis, à quibus decepti sumus.)

Libro 2.

Stulti scriptoris est, non posse omnibus de rebus cauere, quibus velit.

Ibidem.

Fortunam quidem laudare stultitia, vituperare verò superbia est.

Cicero libro 5. Quæstionum Tusculan.

Etenim vt stultitia, etsi adepta est quod concupiuit, nũquam tamen se satis consecutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neq; eam vnquam sui pœnitet. (Stultitia nũquam comparatis contenta.)

Lactantius libro 5. diuinarum institut.

Videamus, vtrum ne iustitia fœdus aliquod cum stultitia habere poßit, vt Carneades disputauit, cuius vt concludam disputationem, non posse eundem iustum esse ac stultum: eundem sapientem & iniustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit iustum ac bonũ nescit, & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captiuus à vitijs, nec resistere vllo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet, quod aliter facere nõ potest, quasi habeat recti prauiq; notitiam. Rectum autem discernere à prauo, quis potest nisi sapiens? Ita fit, vt nunquam poßit iustus esse, qui stultus est, neq; sapiens, qui fuerit iniustus. Ergo stultus est, qui ne sibi quidẽ parcit, dummodo non noceat alteri, quod est malum: quod quidem nobis & ratio & veritas ipsa pręscribit. (Iustitia: Stultitia. Stultus semper peccat. Stultus qui sit.)

Plautus in Sticho.

Stultitia est venatum ducere inuitos canes.

Ex Trinumo.

Nihil est profectò stultius, neq; stolidius, neque mendacius, neq; argutum magis, neq; periurius, quàm vrbani aßidui ciues, quos scurras vocant: quia omnia sese simulant scire, nec quicquam sciunt. (Vrbani scurræ.)

Ex Bacchidibus.

Stultè fecisse fateor: sed quæso pater, ne me in stultitia, si deliqui, deseras: ego animo cupido atq; oculis indomitis fui, persuasum est facere, cuius me nunc facti pudet. Prius te cauisse, quàm pudere æquum fuit.

Laërtius Diogenes.

Cùm in loco quodam multis loquentibus Solon non loqueretur, interrogatus à Periandro, vtrũ propter verborũ inopiam, an quia stultus esset, taceret? Qui ait: Nemo stult⁹ tacere potest. (Stultus tacere nõ potest.)

Cicero in Orat.

Sapientißimum eum esse dicunt, cui quod

opus

opus sit ipsi veniat in mentem, & proximè accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperaret. In stultitia contrà est: minus enim stultus est is, cui nihil in mentem venit, q̃ ille, qui quidẽ quod stultè alteri venit in mentẽ, cõprobat.

Petrarcha lib. 2. inuectiua. c. 1. in Gallum medicum.

Stultus tacendo latere potest, loquendo verò non potest. Lingua animi sera est: hanc tu nullo ad ostium pulsante, nescio cur mouisti, tenebrosam fœdamq; tui pectoris domum omnibus aperiens, quę melius semper clausa mãsisset, nisi quia dementiam diutius occultare difficile est. Credo, non legeras quod scriptum est: Stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia, intelligens.

Ecclesiast. cap. 17.

Bene Socrates cùm decorum adolescentem tacitum vidisset: Loquere (inquit) vt videam. Non tam in vultu putabat videri hominẽ, quàm in verbis.

Idem lib. 3. cap. 8.

Primum me parumper tacitum tenuit, sed cùm coëgit vt loquerer, frustra quidem, vt puto. Si enim desieris tibi sapiens videri, incipies esse fortè non stultus. Doctus fieri non potest, nisi qui se nouerit, atque oderit ignorantiam. Defectus proprij cum dolore notitia principiũ est profectus.

Amicitia duplex in B. Thoma, Secunda secundæ q. 113.

- *Affectu, de qua Arist. 8. Ethi. & Cicerõis opus est, qui Lælius dicitur.*
  - Requiritur in omni
    - *Fortuna*
      - *Bona, cõsistẽte in* — *Principibus*, *Potestatib.*, *Diuitibus* — *Necessaria ad* — *Vsum.*, *Conuersationẽ.*
      - *Aduersa, ut in paupertate & inopia.*
    - *Aetate*
      - *Iuuenili, ut habeant, à quibus corripiantur.*
      - *Senili, propter* — *naturales defectus.*, *debilitatem.*
      - *Perfecta, in* — *opere uel actione exteriori.*, *actu speculationis.*
  - *Distinguitur secundũ*
    - *Finem, qui est triplex, & sic amicitia triplex est, scilicet*
      - *Vtilis.*
      - *Delectabilis, qua amicus diligitur propter delectationẽ tantum.*
      - *Honesta, qua amicus diligitur propter seipsum.*
    - *Diuersam communicationem, quæ est quadruplex, secundum B. Thomam, 3. Senten. distinctione 29. articulo 6.*
      - *Naturalis, quæ est inter patrem & filium, cæterosq; consanguineos, inter quos debet esse communicatio pertinentium ad naturam.*
      - *Domestica uel œconomica, quæ est inter domesticos, in his quæ ad domus dispensationem pertinent.*
      - *Ciuilis uel politica, qua fit communicatio inter conciues, ut est conuersari & commemorari in operibus ciuilibus.*
      - *Diuina, qua omnes homines communicãt in uno corpore Ecclesiæ, actu uel potentia, & hæc dicitur charitas extensa usque ad inimicos.*
  - *Conseruatur quadrupliciter: scilicet*
    - *Permanentia in habitu, scilicet uirtutis.*
    - *Conuenientia in affectu.*
    - *Residentia in conuictu. Cui opponitur distãtia* — *Bonitatis.*, *Dignitatis*, *Loci.*
    - *Correspondentia in affectu. Quia idem uelle & idem nolle, ea demum firma amicitia est.*
    - *Hoc ex B. Thoma, & Alberto Magno.*
  - *Probatur tribus, scilicet*
    - *Beneuolentia in interiori affectu.*
    - *Concordia in multiplici actu.*
    - *Beneficentia in exteriori affectu.*
  - *Dissoluitur quadrupliciter: propter*
    - *Finis defectionem, quod maximè contingit in amicitia utili & delectabili.*
    - *Amoris simulationem, cùm deprehenditur simulatus amor.*
    - *Criminis commißionem, cùm crimen committitur incorrigibiliter.*
    - *Virtutis perfectionem, cùm alter amicorum in uirtute excedit, alio permanente in defectu, & tunc dissoluitur amicitia propter dißimilitudinem. Hæc ex dictis B. Thomæ, & Alberti Magni super lib. Ethicorum.*

Conuersatione, quæ à Macrobio super somnium Scipionis, dicitur Affabilitas. Quia non habet perfectam rationem amicitiæ, sed similitudinem eius. Et est media inter adulationem & litigium, & à Beato Thoma ibidem diffinitur. Est uirtus, qua homo se habet ad conuersationem in dictis, & factis delectabiliter, ad omnes non æqualiter. Cuius est principaliter conuiuantes delectare. Sed quando oportet, non ueretur eos contristare, propter bonum promouendum, uel propter malum uitandum. Cui opponitur per { *Excessum, adulatio. Defectum, litigium.*

NANVS

AMicitia Græcè φιλία.ας.ἡ. & φιλικός.οῦ.ὁ. amicus dicitur: Et est amor mutuæ beneuolentiæ, fundatus super aliqua communicatione. Quæ quadruplex est, secundum quadruplicem communicationem mutuam, scilicet, Naturalē, Domesticam, Ciuilem & Diuinam, hoc ex Beato Thom. secunda secundæ, q.23. artic. 1.

Amicitia est omnium humanarū, diuinarumque rerum, cum beneuolentia & charitate summa consensio, secundum Augustinum epist. 45. & Cicero lib. de Amicitia.

Amicitia est voluntas erga aliquem, bonarū rerum illiusipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate, secundum Cice. 1. Rhetor.

Amicitia est beneuolentia pacis non latens, secundum Aristot. lib. 8. Ethicorum.

Vel sic.

Amicitia est studiorum omnium, voluntatumq; consensus, cuius contrarium inimicię, in plurali, licet etiam in singulari inueniatur. Ennius: Amicitiam, atque inimicitiam in fronte promptam gero.

Amicus est, qui amat, & reamatur, secundum Aristotelem libro 2. Rhetoricorum.

*Sunt enim amici οἱ ἀλλήλοις βούλοντες τ' ἀγαθὰ, μὴ λανθάνοντες, ἢ δι' ἀγαθὸν, ἢ διὰ χρήσιμον, ἢ δι' ἡδύ.

[*Græca hæc sententia in alijs exemplaribus non habetur.]

Amicus & amator, vt placet Donato super Terent. differunt, quòd amicus animi est, amator verò corporis.

Leuitici 19.

Diliges amicum tuum, sicut teipsum.

Prouerbiorum 3.

Ne moliaris amico tuo malum, cùm ille in te habeat fidutiam.

Prouerbior. 11.

Qui despicit amicum suum, indigens corde est.

Ibidem 12.

Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.

Ibidem 18.

Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.

Ibidem 18.

Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico. Omni tempore erit exprobrabilis.

Ibidem.

Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater.

Prouerbiorum 19.

Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi, quos habuit, separabuntur.

Ibidem.

Multi colūt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.

Ibidem.

Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procùl recesserunt ab eo.

Prouerbiorum 27.

Amicū tuū & amicū patris tui, ne dimiseris.

Ecclesiastici 6.

Amico fideli nulla est comparatio.

Ibidem.

Amicus fidelis protectio fortis: qui inuenit illum, inuenit thesaurum.

Ibidem.

Verè enim est amicus mensæ, & non permanet in die necessitatis.

Ibidem.

Noli fieri pro amico, inimicus proximo.

Ecclesiastici 9.

Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum, amicus nouus, veterescat, & cum suauitate bibes illud.

Ecclesiastici 27.

Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus.

Ibidem.

Non credas inimico tuo in æternum.

Ibidem 22.

Mittens lapidem in volatilia *deijciet illa. Sic & qui conuitiatur amico, dissoluit amicitiam.

[*aliàs, deijcit sæpius, deijciet.]

Ibidem.

Fidem posside cum amico in paupertate illius, vt & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt & in hæreditate illius cohæres sis.

Ecclesiastici 24.

Beatus, qui inuenit amicum verum.

Ecclesiastici 27.

Qui denudat arcana amici, fidem perdit: & non inueniet amicum ad animum suum.

Iob 7.

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Dei derelinquit.

Augustinus ad Vincen. Donatistam, & Rogatistam, & habetur 5.q.5.

Non omnis, qui parcit, amicus est: nec omnis, qui verberat, inimicus est: meliora enim sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Melius est enim cum seueritate diligere, quàm cùm lenitate decipere.

August. super epistol. Ioannis, & hab. 23.q.5. Non putes.

Non

Non putes te nunc amare seruum tuum, quãdo eum non cędis: aut tunc amare filium tuum, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis. Non est ista charitas, sed languor. Ferueat charitas ad emendandum & ad corrigendum.

Aug. Fausto, & hab. 23. q. 4. Quid faciet.

Quid faciet ecclesiæ medicina, salutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phræneticos & læthargicos æstuans: Nunquid contemnere, nũquid desistere, vel debet, vel potest vtrisque si necesse est, vt sit molesta quæ neutris est inimica? Nam & phrænetici nolunt ligari, & læthargici nolunt excitari. Sed perseuerat diligentia charitatis phræneticum ligare, læthargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur. Ambo molestari, quamdiu ægri sunt, indignantur: sed ambo sanati, gratulantur.

Augustinus epistola ad Hieronymum.

Nescio vtrum Christianæ amicitiæ putandæ sint, in quibus magis valet vulgare prouerbiũ:
Pro. 27. Obsequium amicos, Veritas odium parit: quàm ecclesiasticum: Meliora sunt vulnera diligẽtis, quàm fraudulenta oscula odientis.

Idem de uera religione.

Hæc est perfecta amicitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. Sapientem animam & perfectam diligat talem, qualem videt ille stultam. Non talem, sed quia esse perfecta & sapiens potest. Quia non seipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam. Nec fiet quisque, qualis cupit esse, nisi se oderit, qualis est.

Augustinus libro 38. Quæstionum.

Nullius repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non vt statim recipiatur, sed vt recipiendus optetur, atque ita tractetur, vt recipi possit. Illum enim in amicitiam recipere debemus, cui omnia nostra consilia refundere audeamus.

Ibidem.

Nihil sic probat amicum, quemadmodũ oneris amici supportatio. Nemo nisi per amicitiam cognoscitur, & ideo amicorum mala firmiter sustinemus.

August. libro. 3. Confeßionum.

Qui amat, non laborat: omnis enim labor nõ amãtibus grauis. Solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit.

Ibidem.

Amicitia est dulcis propter vnitatem in multis animis.

Ibidem.

Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, & animam amici mei vnam fuisse, animam in duobus corporibus, propter vim scilicet amoris. Et ideo illo mortuo horrori mihi erat vita, quia nolebam viuere diutius. Sed ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur.

Augustinus. lib. 4. Confeß. alloquens Christum.

Non est vera amicitia, nisi eam conglutines inter hærentes tibi vera charitate.

August. libro nono Confeßionum.

Sicut amici adulantes conuertuntur, sic inimici litigantes plerunq; corriguntur.

Augustinus libro Confeßionum.

Amor non sentit amaritudinem, sed dulcedinem. Quia soror amoris est dulcedo, sicut soror odij est amaritudo.

Augu. libro 1. Soliloqiorum.

Amicitiæ legẽ iustißimam esse arbitror, qua præscribitur, vt non minus, nec plus quisq; amicum, quàm seipsum, diligat.

Augustinus de uerbis Domini in monte.

Omnia sæua & immania, facilia, & propè nulla efficit amor.

Hieronymus ad Paulinum, & habetur in prolo Biblior.

Vera enim illa necessitudo est & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & diuinarũ scripturarum studia, conciliant.

Hierony. super Michæam Prophetam.

Amicitia parem aut facit, aut accipit. Vbi inæqualitas, & alterius eminentia, alterius subiectio, ibi non tam amicitia, quàm adulatio est. Vnde & alibi legimus: Sit amicus eadem anima, & Lyricus pro amico precans: Serues, inquit, animæ dimidium meæ.

Ibidem.

Delicata est amicitia, quæ amicorum fœlicitatem, & diuitias sequitur.

Hieronymus ad Rufinum.

Obsecro te, ne amicum, qui diu quæritur, vix inuenitur, difficilè seruatur, pariter cum oculis mente amittas.

Idem ad Demetriaden.

In amicis non res quæritur, sed volũtas. Quia & alterum ab amicis sæpe præbetur, alterum sola charitas tribuit. Eadem velle & eadem nolle firma amicitia est.

Idem epist. 88.

Concursus sensuum & vnitas voluntatum, quasi riuuli amicitiæ scaturizant.

Ambrosi. lib. 1. Officio.

Beneuolentia communis quædam pars est omnium, quæ amicitiam connectit & copulat: In consilijs fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta. Vnusquisque beneuolentis se magis, quàm sapientis, credit consilio.

Ibidem.

Beneuolentia circa morum similitudinẽ versatur. Inter dispares mores & studia compugnantia beneuolentia esse non potest.

Idem Officiorum libro 3.

Solatium huius vitæ est, vt habeas, cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas: Vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Facilis vox & communis: tuus sum totus, sed paucioris est effectus.

Ibidem.

Virtus est amicitia, non quæstus: quia non pecunia paratur, sed gratia & concertatione beneuolentiæ. Meliores sunt amicitiæ inopũ plerunque, quàm diuitum. Et frequenter diuites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est vera amicitia, vbi est fallax adulatio.

Ibidem.

Obiurget amicus amicum non iactantiæ studio, sed affectu charitatis. Neq; admonitio aspera sit, neque obiurgatio contumeliosa.

Ibidem.

Si quid vitij in amico cognoueris, corripe occultè. Si non audierit, corripe palàm errantem: amicum incorrigentem animo deseras.

Ibidem.

Defer amico vt æquali. Nec te pudeat, si præuenias amicum in officio. Amicitia enim superbiam nescit. Nam sicut amoris est deferre, ita qui odit, quæstiones mouet: & qui amat, defert reuerentiam.

Ibidem in fine.

Pietatis custos amicitia est, & æqualitatis magistra: vt superior inferiori, & æqualem se exhibeat, & inferior superiori.

Gregorius in Pastorali.

Cùm incautè malorum amicitijs iungimur, eorum culpis ligamur. Ab illo, qui summè rectus est, eo ipso iam discrepat, quò malorum amicitijs vita nostra concordat.

Gregorius Moralium libro septimo.

Cùm quis in prosperitate diligitur, incertũ valde est: vtrum prosperitas, vel persona diligatur. Amissio verò fœlicitatis interrogat vim dilectionis. Nec prosperitas quippe amicum iudicat: nec aduersitas inimicum cælat: quia & ille sæpe prosperitatis nostræ reuerentia tegitur, & iste ex confidentia aduersitatis aperitur.

Ioan. Chrysost. in Polycratico libro 3.

Philosophus sic inter hostes viuendum censuit, tanquam inter amicos: & sic inter amicos, ac si medijs hostibus viueretur.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Vbi amicitia permanet, nil facilè creditur, nil facilè recipitur, quod dissidium possit operari. Si verò semel inimicitiæ occupauerũt animos, omnia quæ sunt, quæ dicuntur, quę audiuntur, ita recipiuntur, vt ad maiores proficiant inimicitias.

Isidorus lib. 3. de summo bono

Non sunt fideles in amicitia, quos munus, nõ gratia copulat. Nam citò amicitiam deserunt, nisi semper accipiant. Dilectio enim quæ munere glutinatur, eodem suspẽso dissoluitur. Illa vera est amicitia, quæ nihil quærit ex rebus amici, nisi solam beneuolentiam, scilicet, vt gratis amet amantem.

Isidorus ibidem.

Nonnunquam accidit, vt inter amicos, aliqua redargutionis nutrita discordia, maiorem postea charitatem parturiat, vtpote cùm corriguntur ea, quæ displicere in amico videntur.

Ibidem.

Amicitia & prosperas res dulciores facit, & aduersas cõmunione temperat, & leuiores reddit. Quia dum in tribulatione amici consolatio adiungitur, nec animus frangitur, & minus eadem patitur.

Ibidem.

In prosperitate incerta est amicitia, nec scitur vtrũ persona, an fœlicitas diligatur. Sæpe etiam per honores quorundam mutantur & mores. Et quos antè conglutinatos charitate habuerint, postquam ad culmen honoris venerint, amicos habere despiciunt.

Bernardus sermone 2.

Sit fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Amemus affectuosè, circunscriptè & validè.

Bernardus ibidem.

Noli abduci blanditijs, nec seduci flagitijs, nec frangi iniurijs. Tota anima, toto corde, tota virtute est diligendum.

Hugo lib. 1. de Claustro animæ,

Viro bono necesse est habere quatuor: Primum, vt omnes sibi amicos faciat: Secundum, vt si non potest amicos facere, non faciat sibi inimicos: Tertium, vt si non illud, discedat: Quartum, vt si quis discedentẽ persequitur, non vindicet.

Petrus Rauennas in serm. de Spiritu sancto.

Nil durum, nil amarũ, nil graue computat verus amor. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quę mortes, amorem perualent separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica. Respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet. Si igitur amor est, vincit omnia.

Boëtius de Consol. libro 2. metro 8.

O fœlix hominum genus,
Si uestros animos amor
Quo cælum regitur, regat.

Ibidem.

Amicorum tibi fidelium mentes aspera horribilisque fortuna detexit. Hæc tibi certos sodalium vultus ambiguosque secreuit.

Idem de Consol. libro 3. prosa 5.

An præsidio sunt amici, quos non virtus, sed fortuna conciliat. Sed quem fœlicitas amicum facit,

facit, infortunium faciet inimicum. Quæ verò pestis efficatior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.

Ibidem libro 3.

Amicorum quidem sanctissimum genus est, quod non in fortuna, sed in virtute inuenitur.

Boët. in Musica libro 1. cap. 1.

Amica est similitudo, odiosa dissimilitudo atque contraria: amorem dilectionemq; similitudo conciliat.

Cyprianus de Compunctione cordis.

Is amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant: Sed necessarijs suis & charis suis efferunt & produnt, & flammas infra pectus cohibere non possunt.

Seneca ad Lucilium.

Hæc amicitia est preciosissimum genus diuitiarum.

Ibidem.

Post amicitiam, credendum est, ante iudicandum. Illi verò præposterè officia permiscent, qui cùm amauerint, iudicant: & nõ amant, cùm iudicauerint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte. Tam audacter cum illo loquere, quàm tecum. Cum amico omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaueris, facies.

Ibidem.

Si aliquem amicum existimas, cui non tantũ credis, quantum tibi, vehementer erras & non satis nosti vim veræ amicitiæ.

Seneca ad Lucilium epistola 6.

Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine. Si vis amari, ama. Iucundius est amicum facere, quàm habere, quomodo artifici iucundius est pingere, quàm pinxisse.

Ibidem.

Nullius rei sine amico iucunda est possessio.

Idem ad Lucilium epistola 9.

Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat. Quemadmodum cœpit, sic desinet. Necesse est vt initia inter se, & exitus congruant: qui enim vtilitatis causa assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac reflorentes, amicorum turba circumsedit: circa euersos, solitudo est. Non veri amici fugiunt, vbi probantur.

Idem ad Lucilium epist. 21.

Aliquis vrbanus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt illo spectante viuamus, & omnia tanquàm illo vidéte faciamus.

Idem ad Lucilium epist. 29.

Qui amicus est, amat. Qui amat, non vtique amicus est. Amicitia semper prodest. Amor, aliquando nocet. Non est, quod amicum tantum vel in foro, vel in curia quæras, si diligenter attenderis, domi inuenies. Errat enim, qui amicũ in atrio quærit, & in conuiuio probat: Pectore enim amicus, non in atrio inuenitur.

Idem epist. 76.

Nihil æquè ægrum reficit, sicut amicorũ affectus. Non video me mori, cùm illos superstites reliquero. Puto inquam me victurum non cum illis, sed per illos.

Idem epist. 82.

Solus sapiens scit amare. Solus sapiens amicus est.

Idem epist. 96.

Scias amicitias sanctas colendas esse.

Idem epistola 111.

Prętereà illud dulcissimum est, honestissimũque, idem velle, & idem nolle.

Seneca in Prouerbijs.

Amici vitia si feres, facis tua. Ita amicum habeas, vt facilè hunc inimicũ putes. Ita crede amico ne sit inimico locus.

Ibidem.

Nulla pusilla domus, quæ multos recipit amicos.

Ibidem.

Talem diligentiam exhibe in amicitijs comparandis, vt incipias amare, quem deinde possis odisse.

Idem in Prouerbijs.

Quanti tales amicos habere voluerunt. Et ipsi tales esse non possunt. Tu primùm exhibe te bonum, & sic quære alterum similem tui.

Seneca libro de Beneficijs.

Amicus tardè acquiritur, sed citò amittitur.

Seneca libro de Moribus.

Amicos secretò mone, palàm autem lauda.

Ibidem.

Vires tuas amici magis sentiant beneficijs, quàm iniurijs.

Ibidem.

Quid tibi dulcius, quàm habere amicũ, cum quo omnia sicut tecum loqui audeas.

Seneca libro de Tranquillitate animi.

Nihil tam æquè oblectat, quàm amicitia fidelis & dulcis.

Seneca in Hercule furente, Tragœdia 1.

Odit uerus amor, nec patitur moras.

Idem in Tantalo, Tragœdia 2.

Reparatq; uires iustus amissus amor.

Senca in Tanalto, Tragœ. 2.

Quos amor uerus tenuit, tenebit

Ira cum magnis agitata causis.

Idem Tragœdia 7.

Amor timere neminem uerus potest.

Idem Tragœdia 8.

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Aristot. lib. 1. Ethicorum.

Duobus amicis existentibus, sanctum est honorare veritatem.

Idem

Idem libro 8 Ethicorum.

Nullus eligeret viuere sine amicis, habens omnia alia bona.

Ibidem.

Duo simul viuentes, & intelligere & agere sunt potentiores, quàm vnus.

Ibidem.

In infortunijs refugium est ad amicos.

Ibidem.

Generantis ad genitum naturaliter est amicitia.

Ibidem.

Homines eiusdem gentis naturaliter sunt amici magis, quàm reliqui.

Ibidem.

Amicitia est beneuolentia mutua, in qua est passio non latens.

Ibidem.

Triplex est amicitia: propter bonum vtile, delectabile, & honestum. Amicitia propter bonũ vtile, maximè videtur fieri in senibus: quia non curant delectabile, sed tantum vtile. Amicitia verò, quæ est propter bonum delectabile, iuuenum est. Amicitia bonorum honestorum, permanens est & stabilis.

Ibidem.

Sola amicitia bonorum honestorum intransmutabilis est.

Ibidem.

Non est facilè alicui credere de amico suo, qui multo tempore probatus est ab ipso, nec vnquam sibi iniustum fecit.

Ibidem.

οἱ τόποι οὐ διαλύουσιν τὴν φιλίαν, ἀλλὰ τὴν ἐνέργειαν. i.

Distantia loci non separat amicitiam, sed operationem. Nam Amicitia animorum est coniunctio, non corporum.

Ibidem.

Mutua concordia & colloquia, factiua sunt amicitiæ.

Ibidem.

Perfecta amicitia non est nisi per vnum. Quia quod est perfectum, non potest fieri ad plures, sed ad vnum.

Ibidem

τὰ τῶν φίλων πάντα κοινά. id est,

Amicorum omnia sunt communia.

Ibidem.

In quibus nihil est commune, in his nec est amicitia, nec iustitia.

Ibidem.

Domini ad seruum non est amicitia secundũ quod seruus, sed secundum quod homo. Quia secundum quod seruus, est dissimilis: secundũ quod homo, est sibi similis.

Ibidem.

Multis esse amicum secundum perfectam amicitiam, non contingit.

Ibidem.

In communicatione omnis amicitia est.

Aristot. libro 9. Ethicorum.

Difficile fit, & cõgaudere & condolere multis familiariter. Non contingere videbitur multis esse amicum valde: propter quod nec amare plures.

Ibidem

οἱ φίλοι τὸ συζῆν μάλιστα ἐπιθυμοῦσιν, id est,

Amicis eligibilissimum est conuiuere: communicatio enim amicitia est

Ibidem.

Amici existentes propter bonum vtile & delectabile: his cessantibus, cessat amicita.

Ibidem.

Qui fingit se amicum & non est, peior est eo, qui facit falsam monetam.

Ibidem.

Simile simili est amicum. Et ideo bonus malum amare non potest.

Ibidem.

Amicus debet se habere ad amicum, sicut ad seipsum. Quia amicus est alter ipse.

Ibidem.

Beneuolentia non est amicitia, est tamẽ principium amicitiæ: vnde ex beneuolentia diuturna fit amicitia.

Ibidem.

Concordia ad amicitiam pertinet.

Ibidem.

Amicus se debet habere ad amicum sicut genu ad tibiam.

Ibidem.

Amicitia est maxima bonorum exteriorum.

Ibidem.

Felix amicis honestis indiget.

Ibidem.

Amicitia bonorũ, augetur bonis colloquijs & operibus, quibus vtuntur: vnde à bonis bona fiunt.

Aristot. libro 2. Politicorum.

Amicis auxiliari, vel delectari, delectatissimum est.

Ibidem libro 5. Politicorum.

Regnum seruatur per amicos.

Aristot. libro 1. Rhetoricorum.

Pulchrius est esse amatorem sociorum, quàm amatorem pecuniarum.

Aristot. libro 3 Topicorum.

Amicitia melior est diuitijs.

Plutarchus in uita Aristidis.

Ὁ μὲν οὖν θεμιστοκλῆς εἰς ἑταιρείαν ἐμβαλὼν ἑαυτὸν, εἶχε πρόβλημα καὶ δύναμιν οὐκ εὐκαταφρόνητον. ὥστε καὶ πρὸς τὸν εἰπόντα καλῶς αὐτὸν ἄρξειν ἀθηναίων, ἂν περίσος ᾖ καὶ κοινὸς ἅπασι. μηδέποτε εἶπεν εἰς τοῦτον ἐγὼ καθίσαιμι τὸν θρόνον, ἐν ᾧ πλέον οὐδὲν ἕξουσί οἱ φίλοι παρ᾽ ἐμοὶ τῶν ἀλλοτρίων. Hoc est:

Quocir-

Quocirca Temistocles facilitatis artibus instructus, adeò grandem ac popularem potentiam est assecutus, cuipiam eum admonenti, optimo iure principem Atheniensium futurũ, si cunctis æqualis ac communis esset, responderit: Nunquam profectò in ea sella sedere statuissem, ex qua mei studiosi nihil amplius à me, quàm alieni habituri essent.

Idem in Apophte. regum, de Philippo Macedonum rege.

Ιππάρχου τοῦ εὐβόεως ἀποθανόντος δῆλος ἦν βαρέως φέρων, εἰπόντος δέ τινος, ἀλλὰ μὲν ὡραῖος ὢν ἐκεῖνος ἀποτέθνηκεν, ἑαυτῷ γε εἶπεν, ἐμοὶ δὲ ταχέως, ἔφθη γὰρ τελευτῆσαι, πρὶν ἢ παρ᾽ ἐμοῦ χάριν ἀξίαν τῆς φιλίας ἀπολαβεῖν.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Citius ad calamitates amicorũ docebat Chilo, quàm ad prosperitates, ire.

Idem ibidem.

Amico benefac, vt amantior fiat, dicebat Cleobulus: inimicum verò amicum facere stude.

Ibidem.

Magis amicorum inuidiam, quàm inimicorũ insidias cauere debemus. Illud enim apertum, hoc cælatum est malum, nocendique fraus, quę non speratur, potentior est.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophor.

Amicis felicibus & infelicibus idem sis, dicebat Periander.

Ibidem.

Neminem amicum concilies, prius quàm percõcteris quo pacto se gesserit erga priscos amicos, credas & erga te huiusmodi futurum, cuiusmodi erga illos fuit.

Ibidem.

Aurum in igne probamus: amicos autem in aduersitatibus decernimus.

Ibidem.

Interrogatus Aristoteles, quid est amicus? Ait, σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία. Id est: Vna anima in duobus corporibus cohabitans.

Idem ibidem.

Semper bonus amicus grauius irascitur.

Ibidem.

Amicum lædere, nec ioco quidem oportet.

Ibidem.

Pro amico occidi plus expedit, quàm cum inimico viuere. Vis experiri amicum? calamitosus fias.

Ibidem.

Quid est amicitia? æqualitas animorum, dicebat Secundus philosophus.

Cicero libro de Amicitia.

Ego vos hortari tantum possum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil est enim tam naturę aptum, tam conueniens ad res secundas vel aduersas.

Ibidem.

Qui autem summum bonum in virtute ponunt, præclarè illi quidem: siquidem hæc ipsa virtus amicitiam gignit & continet. Nec sine virtute amicitia vllo pacto esse potest.

Ibidem.

Cui potest esse vita vitalis (vt ait Ennius) qui non in amici mutua beneuolentia conquiescat?

Ibidem.

Quid dulcius, quàm habere, cum quo omnia audeas sic loqui, vt tecum?

Ibidem.

Aduersas verò res ferre difficile esset sine eo, qui illas grauius etiam, quàm tu, ferret.

Ibidem.

Amicitia plurimas res continet: quoquò te verteris, præstò est: nullo loco excluditur, nunquam intempestiua, nunquam molesta est.

Ibidem.

Secundas res splendidiores facit amicitia, & aduersas partiens communicansq́; leuiores.

Ibidem.

Quòd si exemeris ex natura rerũ beneuolentiæ coniunctionem, nec domus vlla, nec vrbs stare poterit, nec agri quidem cultus permanebit.

Ibidem.

Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma ciuitas est, quæ non odijs & dissidijs funditus possit euerti?

Ibidem.

Agrigentinum doctum quendam virum carminibus Gręcis ferunt vaticinatum, quę in rerũ natura, totoq́; mundo constarẽt, quęq́; mouerẽtur, ea cõtrahere amicitiam, dissipare discordiã.

Ibidem.

In amicitia vera nihil fictum, nihil simulatũ, & quicquid in ea est, idem verũ & voluntarium est.

Ibidem.

Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaueris.

Ibidem.

Ab amicis honesta petamus, & amicorum causa honesta faciamus.

Ibidem.

Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.

Ibidem.

Nihil enim appetentius similium sui, nihil rapacius quàm natura.

Ibidem

Nihil enim remuneratione beneuolentiæ, nihil vicissitudine studiorum, & officiorum iucundius.

Ibidem.

Vbi enim istum inuenias, qui honorem amici anteponat suo?

Ibidem.

Ait Enni. In re incerta, certus amic⁹ cernitur.

Ibidem.

Firmamentum autẽ stabilitatis constantiæq́; est

est eius, quam in amicitia quærimus, fides: Nihil enim stabile, quod infidum est.

Ibidem.

Apertè enim vel odisse est magis ingenuum, quàm fronte occultare sententiam.

Ibidem.

Nihil enim turpius, quàm cum eo bellum gerere, quo cum familiariter vixeris.

Ibidem.

Verus amicus est alter idem.

Ibidem.

Qui ex amicitia tollit verecundiam, maximum eius tollit ornamentum.

Ibidem.

Sine virtute, nec amicitiam, nec vllam rem expetendam consequi possumus.

Ibidem.

Natura solitarium nihil desiderat.

Ibidem.

Molesta est veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ.

Ibidem.

Aliter cum tyrãno, aliter cum amico viuitur.

Ibidem.

Cùm autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim iudicium veri, idq; adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè.

Ibidem.

Valet verum, si modò id patefactum & illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur?

Ibidem.

Nulla est igitur hæc amicitia, cùm alter audire verum non vult, alter ad mentiendum paratus est.

Cicero libro 1. Officiorum.

Nam vt prçclarè scriptum est à Platone: Non nobis solùm nati sumus, ortusq; nostri partem patria vendicat, partem amici.

Ibidem.

Videndum est, vt ea liberalitate vtamur, quç prosit amicis, noceat nemini.

Ibidem.

Primum illud est in officio, vt ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur.

Ibidem.

Magnum est enim habere eadem monumenta maiorum, eisdem vti sacris. Sed omnium societatũm nulla prçstantior, nulla firmior, quàm cùm viri boni moribus similes familiaritate cõiuncti sunt.

Ibidem.

Nihil enim amabilius, nihil copulatius, quàm morum similitudo bonorum.

Ibidem.

Est ea iucundissima amicitia, quàm similitudo morum coniugauit.

Ibidem.

Atq; etiam in secũdis rebus maximè est vtendum consilio amicorum, hisq; maior, quàm antea, tribuenda est authoritas.

Ibidem.

At mea quidem sententia omnis ratio & institutio vitç, adiumenta hominum desiderat. In primis vt habeat, quibus cum posit familiares conferre sermones, quòd est difficile, nisi speciem præ te viri boni feras.

Ibidem.

Nam si omnia facienda sunt quæ amici velint, non amicitiæ tales, sed coniurationes putandæ sunt.

Cicero libro 1. Rhetoricorum ueterum.

Maximè bonum est amicitia, plurimæ enim delectationes sunt in amicitia.

Cicero libro 4. Rhetoricorum nouorum.

Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, hi simul ac fortuna delapsa est, euolant omnes.

Ibidem.

Cùm enim recesit ea res, quæ fuit consuetudinis causa, nihil superest quare posint in amicitia retineri.

Ibidem.

Quẽ in amicitia perfidiosum cognoueris, ũe quare putas inimicitias cum fide habere posse?

Ibidem.

Ita vt hirundines æstiuo tempore sunt, frigore pulsç recedunt, ita ficti amici sereno vitç tempore, præstò sunt: simul ac hyemem fortunæ viderint, euolant omnes.

Cicero libro 1. de natura Deorum.

Carum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiæ nomen est ductum, quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum suarum. Prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quòd fructus ex eis capiuntur: hominum charitas & amicitia gratuita est.

Cicero libro 1. de Finibus bonorum & malorum.

Omnium rerum quas ad beatè viuendum sapientia comparauit, nihil esse maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius. Neq; verò hoc oratione solũ, sed multò magis vita, & factis, & moribus, comprobauit. Quod quàm magnum sit, fictæ veterum fabulæ declarant. In quibus tam multis, tamq; varijs ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, vt ad Orestem peruenias, profectus à Theseo.

Plutarchus περὶ πολυφιλίας.

Ἐν ᾧ κατὰ ζεῦγος φιλίας λέγονται θησεὺς καὶ πειρίθους. ἀχιλλεὺς καὶ πάτροκλος ὀρέστης καὶ πυλάδης. φιντιας καὶ δάμων. ἐπαμινώνδας καὶ πελοπίδας.

Intercessit & familiaritas maxima P. Scipioni cum Lælio, id quod testatur Cicero de Amicitia, inquiens: Accepimus

pimus à patribus, maximè memorabilem, C. Lælij & P. Scipionis famliaritatem fuisse.

Cicero lib. 1. de finibus bonorum & malorum.

Nam cum solitudo & vita sine amicis, insidiarum & metus plena sit: Ratio ipsa monet, amicitias comparare. Quibus partis, confirmatur animus & à spe pariendarum voluptatum sciungi non potest. Lætamur amicorum lætitia æquè ac nostra, & pariter dolemus angoribus.

Ibidem.

Cum autem vsus progrediens, familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantùm, vt etiam si nulla sit vtilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter seipsos amentur.

Ibidem.

Sunt autem qui dicunt fœdus quoddam esse sapientiæ, vt ne minus amicos quidem quàm se ipsos diligant.

Idem lib. 2. dd finib. bon. & mal.

Amicitiæ verò locus vbi esse potest, aut quis amicus esse cuiquam, quem nõ ipsum amet propter ipsum? Qiud autem est amare, ex quo nomen amicitiæ ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quàm maximis: etiam si ad se ex ijs nihil redeat?

Ibidem lib. 2.

Vadem te ad mortem tyrranno dabis pro amico, vt Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno? aut Pylades cum sis, dices te esse Orestem, vt moriare pro amico? aut si esses Orestes, Pyladen refelleres, te indicares?

Ibidem.

Meipsum igitur ames oportet, non mea: si veri amici futuri sumus.

Cicero pro Roscio Amerino.

Idcirco amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis beneficijs gubernetur.

Ibidem.

Amicitia & fides, duæ res sanctisimæ.

Ibidem.

Qui amicitiæ fidem lædit, is obpugnat omnium commune præsidium, & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem.

Salustius in Iugurtha.

Qis est amicitior, quam frater fratri? Aut quẽ alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris?

Ibidem.

Non exercitus, neq; thesauri, præsidia regni sunt, verum amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur.

Ibidem.

Cupere eadem, eadem odisse, eadẽ metuere, homines in vnum cogunt: Sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est.

Ibidem.

Copia amicorum nulli vnquam satis fuit.

Salustius in Catilinario.

Idem velle atq; idem nolle, ea demum firma amicitia est.

T. Liuius libro 4. deca 4.

Amicitia duobus istis potissimum rebus uiolatur, si socios quis amici pro hostibus habeat, & cum hostibus se coniungat.

Et ea causa fuit, cur à Nabiorum amicitia recesserint Romani.

Hoc significauit & Pompeius, cum oblata benignitate Mitylenæorum in sua tristi fortuna uti non vellet, dicens, Satis Mitylenæos conciliasse sibi inuidiæ & odij à Cæsare, ꝗ suam uxorem Corneliam, dum in Thessalia gereretur bellum ciuile, hospitio acceperant, etiam si ad eam inuidiam nihil ipse suo hospitio & mora adijciat. Sed iam (inquiens initiò libro octauo apud Lucanum) satis est fecisse nocentes.

Val. Maxi. libro 4. tit. de Amicitia.

Proh, magnum & inexuperabile tuum numen, Amicitia,

Euripides in Alcesti.

φίλον πρὸς ἄνδρα χρὴ λέγειν ἐλευθέρως. Id est, *Amicum uirum oportet alloqui liberc.*

Idem in Andromache.

—ἐντε τοῖς κακοῖς,
οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρέισσον οἰκίου φίλου. id est,
—*In aduersis*
Nihil est præstantius noto amico.

Periander.

φίλοις χρῶ. Id est, Amicis utere.

Ibidem.

εὐφραίνου φίλοις. Id est, Delectare amicis.

Pittacus.

φιλῶν κριτὴς μὴ γίνου. Id est, Amicorũ iudex ne sis.

Menander.

Δεῖ τοὺς φιλομένους πίστιν, οὐ λόγους ἔχειν. Id est,
Oportet eos qui amant fidem, non sermones habere.

Ibidem.

ἐν τοῖς δὲ δεινοῖς, χρημάτων κρείττων φίλος. id est,
In aduersis autem, pecunijs præstantior amicus.

Ibidem.

Μισοῦντα φίλει, καὶ φιλοῦνθ' ὑπερφίλει. id est,
Qui te odio habet, ama: & qui te amat, deama.

Ibidem.

Νόμιζ' ἀδελφοὺς τοὺς ἀληθοὺς φίλους. id est,
Puta fratres, ueros amicos.

Ibidem.

Φίλους ἔχων νόμιζε θησαυροὺς ἔχειν. id est,
Amicos habens, puta thesauros habere,

Theognis.

Μήποτε τὸν παρεόντα μεθεὶς φίλον, ἄλλον ἐρεύνα,
Δειλῶν ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος. id est,
Nunꝗ priori posihabito amico alium quæras,
Sontium hominum uerbis persuasus.

Plautus in Amphitryone.

Iræ interueniunt hominibus. Redeunt rursum in gratiã.
Verum iræ si quæ fortè eueniunt huiusmodi,

Inter eos rursum si reuentum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se, quàm prius.

Plautus in Epidico.

Is est amicus, qui in re dubia iuuat, vbi re opus est.

Plautus in Sticho.

Nam hoc tu facito cogites, vt cuiq; homini res parata est, firmi amici sunt: si res labat, itidẽ amici collabascunt.

Ibidem.

Næ amicum castigare ob meritam noxiam, immane est facinus, verùm in ætate necessariũ.

In eandem sententiam disputat Cicero libro 1. Officiorum, in fine: Obiurgationes, inquiens, etiam nonnunquam necessariæ, in quibus vtendum est fortasse & vocis contentione, & verborum grauitate maiore, & cætera.

In eandem sententiam sunt quædam apud Chrysostomum, in fine libri 1. περὶ ἱερωσύνης.

Plautus in Trinumo.

Deserere amicum & non iuuare in rebus aduersis, pudet.

Terent. in Andr.

Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.

Terent. in Eunucho.

Errat longè mea quidem sententia, qui imperium credit grauius esse aut stabilius, quod vi fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.

Terent. Comœdia 5.

Nam vetus verbum hoc est, communia esse amicorum inter se omnia.

Ouid. de Arte amandi libro 1.

Tuta frequensq; uia est, per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licèt sit uia, crimen habet.

Idem libro 2. artis.

Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis esto.
Quod tibi non facies soláue forma dabit.

Ouid. Trist. libro 1. elegia 4.

Si tamen hæc nauis uento ferretur amico,
Ignoraretur forsitan ista fides.
Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
Si non infernas uiuus adisset aquas.
Vt foret exemplum ueri Phocæus amoris,
Fecerunt furiæ tristis Oreste tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidæ Nisi gloria nulla foret.

Ibidem.

Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum iuuat, & uultu ridet fortuna sereno.
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit: fugiunt nec noscitur ulli,
Agminibus comitum, qui modò cinctus erat.

Ouid. Trist. libro 1. elegia 7.

Illud amicitiæ sanctum & uenerabile nomen,
Nunc tibi pro uili sub pedibusq; iacet.

Idem lib. 1. Trist. elegia 8.

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis, ut ueniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aues.
Horrea formicæ ueniunt ad inania nunquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Ouid. Trist. libro 3. elegia 4.

Viue sine inuidia, mollesq; inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

Ouid. libro 2. de Ponto.

Turpe quidem dictu, sed si modò uera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prior est, quàm quid sit honestum:
Et cum fortuna statq; caditq; fides.
Nec facilè inuenies multis è millibus unum.
Virtutem precium qui putet esse sui.

Ibidem.

Illud amicitiæ quondam uenerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

Ibidem.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit uelis aura secunda meis:
Vt fera nymboso tumuerunt æquora uento,
In medijs lacera naue relinquor aquis.

Martialis Epigr. lib. 5.

Extra fortunam est quicquid donatur amicis:
Quas dederis solas semper habebis opes.

Idem libro 6. ad Marcum.

Vt præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit uerbis Marce, ut ameris ama.

Horat. car. libro 1. Ode. 13.

Fœlices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citius soluet amor Dei.

Horat. Ser. lib. 1. Satyra 3.

Stultus & improbus hic amor est, dignusq; notari,
Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum?
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Ibidem.

Vellem in amicitia sic erraremus, & isti
Errori nomen uirtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit uitium non fastidire.—

Ibidem.

Nam uitijs nemo sine nascitur. optimus ille est
Qui minimis urgetur. Amicis dulcis, ut æquum est,
Cùm mea compenset uitijs bona, pluribus hisce:
Si modò plura mihi bona sunt, inclinet: amari
Si uolet, hac lege in trutina ponetur eadem.

Ibidem.

Quanto

—Quanto hoc furiosius atq;
Maius peccatum est? Paulum deliquit amicus:
Quod nisi concedas, habeare insuauis, acerbus.

Ibidem.

—Et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccauero stultus, amici.

Ibidem Satyra 4.

—Absentem qui rodit amicum:
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis.
Fingere qui non uisa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Idem Sermonum libro 2. Satyra 5.

—Tibi me uirtus tua fecit amicum.

Ibidem.

Nil ego contulerim iucundo sanus amico.

Horatius epistolarum lib. 1. epist. 22.

Vilis amicorum est annona bonis, ubi quid deest.

C. Manilius Astronomiæ suæ libro 2.

Idcirco nihil ex semet natura creauit
Pectore amicitiæ maius, nec rarius unquam.
Vnus erit Pylades, unus qui mallet Arestes
Ipse mori: leuis una fuit per secula mortis,
Alter quòd raperet fatum, non cederet alter:
Et duo qui potuëre sequi uix noxia pœnis.
Optauitq; reum sponso non posse reuerti:
Sponsoremq; reum timuit: ne solueret ipsum.
Per totq; ætates hominum, tot tempora, & annos,
Tot bella, & uarios etiam sub pace labores,
Cùm fortuna fidem quærat, uix iuuenis * unquam.

* aliàs, vsquam.

Aristoteles lib. 8. Ethicorum.

AMANTIVS. Amicitiæ genera plura sunt: primùm autem eam nominamus, quę inter bonos est, quia boni sunt: reliquos autem ex similitudine. Amici sunt idcirco, quia in eis est aliqua boni significatio, & similitudo. Etenim iucunditas bonũ ijs videtur, qui studiosi sunt iucunditatis, cumque in hæc genera distributa sit amicitia: improbi quidem amici sunt futuri vtilitatis, voluptatisq; causa, quia similes sint: boni aũt per se amici sunt, quia ꝓbi. Hi ergo amici absolutè amici nominãtur: illi fortuitò, & qa illis sunt similes.

Idem Ethi. 9. ex translat. Ioachimi Perionij Galli sumpta.

Beneuolentia non eadẽ cum amicitia. Beneuolentia, quanquam videtur, tamẽ non est idẽ quod amicitia. Nam beneuolentia etiam cum ijs coniuncti sumus, quos ignoramus, eademque occulta est, amicitia non est. Nec amor quidem est, pręsertim cùm nec sit desiderij, nec cupiditatis particeps, quæ amorem cõsequitur. Præterea consuetudine amor suscipitur, beneuolentia etiam citò: quod in certaminibus contingit: eos enim quodammodo spectatores diligunt, & in eis est eadem voluntas, cùm interim nullis officijs, nullisque actionibus coniungi queant. Nam & repentè (vt dixi) beneuolentia coniunguntur, & leuiter diligunt: atq; etiam videtur, vt amatoriarum leuitatum, sic amicitiæ principium ab ea ductum esse voluptate, quę ex sensu oculorum aspectuq; capitur. Etenim nemo quẽquam insanè amat, nisi forma capiatur: & quia forma capitur, non continuò diligit, sed tum deniq; cùm & absentis desiderio tenetur, & pręsentem concupiscit. Sic inter nullos amicitia esse potest, nisi antè coniuncti sint beneuolẽtia. At qui beneuolẽtia coniuncti sunt, cum quopiam, non ij continuò etiam diligunt: eos enim duntaxat volunt bonis affici, in quos bene animati sunt: nec vllis officijs coniungi vellẽt, nec vllam propter eos suscipere molestiam. Quocirca fontem amicitiæ eam licet dicere, quam tempore confirmatam, cùm auxit consuetudo, tum amicitia nascitur: non quæ vtilitatis, aut suauitatis causa fingitur: quandoquidem eorum causa nemo cum alio beneuolentia coniungitur, &c.

AMICI VERI.

Amici non sunt, nisi qui re ipsa probant.

Marullus poëta.

Quî fit Petruti, ut si quis est mihi uisus,
Si quem saluto, si cui manum porxi,
Caput ue moui, protinus mare, & montes,
Aut si quid usquam est impudentius, iactent:
Et se patronos offerant, uel inuito.
Idem rogati, certa postulat cùm res,
Mirantur unde tam audiant nouum nomen,
Nec iam Marullum, uerba nec agnoscunt sua,
Homines crepitui quàm simillimi uentris,
Pontanus illos, ut meus bene appellat.
Tu solus à me cultus unicè, quicquam
Nec pollicens, uana nec mihi iactas:
At cùm uidetur postulare res, ultrò
Imples parentis munus, atq; agis metum.
Non ut patronum, sed pium ut decet patrem,
Nimirum amasq; solus, & tibi constas.

Pictorius in Epigrammat.

Semper enim non est, qui percutit, hostis habendus
Nec ferulæ gaudens parcere semper amat.
Diligat, est melius, nos Zeno seuerus amicus,
Quàm lenis facili pectore decipiat.

AMICI QVI VERI.

Pam. Saxus.

Inter si ueros tibi quis numeretur amicos
Scire cupis, monitis crede Ligiste meis.
Non illum poscas claræ quòd laudis honorem
Det tibi, quòd famæ cædat ubiq; tuæ:
Quilibet hoc faceret claræ nunc gloria laudis
Nihil ualet, est clari nullus honoris honor.
Non quòd te spernant fratres, spernantq; parentes: Nullus honor honoris.
Non fratrem nostro tempore frater amat.
Non natus patrem, non quòd tibi fœdera lecti
Præbeat, uxoris gratia nulla uiro est.
Sed dic de plena sextantem tradat ut arca
Vnam, de multis uestibus atq; togam.
Hæc tibi qui dederit, uerum laudabis amicum:
Nisi diuitias nunc quia mundus amat. Mundus solas diuitias amat.

Amicitia in magno olim pretio fuit, nunc deserta iacet.

Iacobus Micyllus.

Quondam magna fuit uirtus, ac æthere digna
Præbuit infractum pectus amicitiæ.
Cùm pietas & cana fides regnabat in orbe,
Et precio dignus, qui bonus esset, erat.
Boni olim in precio fuerunt. *Tum Iouis aspexit redeuntem Castora coniunx,*
Alterius stygias fratre petente domos.
Tum pius extremum socij comitatus ad orbem,
Desertor Pylades noluit esse sui:
Sed ueluti teneræ iunguntur amore columbæ,
Iunctus erat lateri fidus Oresta tuo.
Tanta fuit socijs æuo reuerentia prisco,
Tantus erat quondam cultus amicitiæ.
Nunc iacet ante pedes contempta uilior alga,
Vixq; ipsum nostro nomen in orbe manet.
Scilicet ex omni mundus iam parte senescit,
Intereunt urbes, intereunt homines.
Rarescit uirtus: omnis iacet ardor honesti:
Corrupit mores ipsa senecta bonos.
Actum de pietate nunc. *Cessauit pietas, rectum cessauit, & æquum,*
Et stat in extremo iam ruitura fides.
Quin etiam tellus iactum lassata recusat,
Raraq; de multis spica refertur agris.
Et iam confectæ præcludunt brachia uires,
Et minus à prælis musta frequenter eunt.
Vaticinium verissimũ. *Vndiq; deficimus: quidnam nisi tempora restant,*
Quæ uideant flammis cuncta perire suis?

Euripides in Ioue.

Σὺν τοῖς φίλοισιν ἡδὺ μὲν πράσσειν καλῶς:
εἰ δὲ ἄρα συμβαίνοι τι δυσχερέστερον,
εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς ἐμβλέψαι γλυκύ.
Cum amicis prosperè agere iucundum est,
Si quid autem, quod absit, malè contingat,
Viri beneuoli faciem coràm intueri iuuat.

Amicitia. Cæcus & claudus.

Thomas Morus.

Vtilius nihil esse potest, quàm fidus amicus,
Qui tua damna suo leniat officio.
Fœdera contraxêre simul mendicus uterq;
Cum Claudo solidæ cæcus amicitiæ.
Claudo cæcus ait: collo gestabere nostro,
Rettulit hic, oculis cæce regêre meis.
Alta superborum fugitat penetralia regum,
Inq; casa concors paupere regnat amor.

AMICITIA INTER PARES contrahenda.

Ouid. ex lib. tertio de tristibus.

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria uita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt, potius plurimum obesse solent.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Lataq; plus paruis uela tumoris habent.
Qui cadit in plano, uix hoc tamen euenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo.
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,
Occurrit regi flebilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic altè, demissius ille uolabat:
Nam pennas ambo non habuêre suas.
Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.
Non foret Eumenides orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma uidisset in arbore natus,
Cœpisset genitor si Phaëtonta Merops.
Tu quoq; formida nimium sublimia semper,
Propositiq; memor contrahe uela tui.
Viue sine inuidia, mollesq; inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

Erasmus lib. 5. apohpthegmat.

Marcum Lucullum, quod Bruti & Casiij partes secutus fuerat, M. Antonius occidit. Huius mortem cùm Volumnius, qui viuum familiariter coluerat, sine fine deploraret, ad Antonium pertractus, ait: iube me protinus ad Luculli corpus ductum occidi, neque enim illo extincto superesse debeo, cùm & infelicis militię author extiterim.

Ille amicus certus, qui rebus aduersis iuuat.

Ex Plauto, & ex tristibus Ouidij.

Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusq; animæ debitor huius ero:
Spiritus hic uacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo:
Quàm subeant animo meritorum obliuia nostro,
Et longa pietas excitat ista die.
Dij tibi sint faciles, & opis nullius egentem
Fortunam præstent, dissimilemq; meæ.

Qui uerus amicus, ex Tullio de amicitia, siue in Lælio.

Verus igitur amicus nunquam reperitur: est enim is amicus quidem, qui est tanquam alter idem: qui & se ipse diligit, & alterum acquirit, cuius animum ita cum suo coniungit, vt efficiat penè vnum ex duobus, &c.

Franciscus Petrarcha de remedijs prosperæ fortunæ, de uero amico.

Gaudeo: scio certè me amicum multis ac magnis exercitatum casibus certissimum habere. Respondeo: habes ergo rem dulcissimam, sanctissimamq;, qua vna post virtutem solam, homini nihil melius in hac vita contingere potest. Fateor, dulces sunt parentes, dulces filij, dulces fratres, possunt tamen amarescere: nec parentes ideo esse desinunt, nec filij, nec fratres, cùm dulces esse desierint. At amicus solus, dum sit verus, dulcis & charus esse non desinit, &c.

Amicus

Amicus firmus.

Qua potes excusa, nec amici desere causam,
Quo pede cœpisti, sic bene semper eas.

Amicitiæ partes:	Beneuolentia, Concordia, Amor, Pax.	Inimicitiæ partes:	Maleuolentia, Seditio, Odium, Discordia.

Amicia est mens eadem in duobus pluribúsue, inter se inuicem ad aliquid obeundum.

Exemplum.

Quàm venerabile sanctumque amicitiæ nomen, resque ipsa sit, & quanti verus amicus fieri debeat, permultis experimentis cognosci potest: verùm quàm rara & sæpe non intellecta sit, sola aduersæ fortunæ facies ostendit. Nam quẽadmodum igne aurum excoquitur, & per eum quod reprobum est detegitur, & purum perfectius fit: ita sæuis temporibus amicitia, quæ vera est, declaratur: cuius in eo vel præcipua est, vt vera nisi inter bonos esse non possit: nam in alijs rem nomenq́; permutat.

De Epaminunda & Pelopida. Thebanis.

Adeò inter Epaminundam atque Pelopidam Thebanos arcta fuit amicitiæ necessitudo, vt cùm ambo in eo prœlio essent apud Mantineam, quod Lacedæmonij Thebani, socijq́; eorum aduersus Arcades commiserunt, & iam inclinante Thebana acie, humi vulneribus confossus Pelopides iaceret, quanquam omnes mortuum esse putarent, Epaminundas tamen, vt erat pectore brachioq́; saucius, deserere eum noluit, donec à Lacedęmonijs lata ope vnà cum Pelopida tutum se in locum recepit. Quantum igitur credendum est, Epaminundam annixurum fuisse, si Pelopidam viuum esse credidisset, cùm pro defuncto corpore, tanta fide amoreq́;, non sine vitæ discrimine saucius depugnauit.

Apopthegma.

Eras. li. 1. apopht. Namertes quum legatione fungens, à quodã eius gentis, ad quam erat missus, beatus prędicaretur, eò quod multos haberet amicos, interrogauit, quomodo qui multos haberet amicos, periculum faceret, an amicum haberet syncerum ac probum: id cum alter fassus se nescire, cuperetq́; discere: per aduersam, inquit, fortunam.

Apologus.

Iustus amicus. Annum se natalem celebrare adsimulat vultur: auiculas ad cœnam inuitat: veniunt pleræq; omnes: venientes magno applausu, fauoribusque accipit, acceptas laniat vultur.

Morale.

Nõ sunt amici oẽs, q̃ blãdè dicũt, aut benignè se facere velle simulãt: latẽt sub hoc melle venena.

Blandis amicis non fidendum.

Cicero in Lælio.

Nemini fidendum, nisi cum quo prius modium salis absumpseris. Ingeniũ enim hominis non potest perspici rectè, nisi diurno conuictu.

Simile.

Cassiteris stannum vel plumbum album ęsq́; ruptum ferruminat, vtrunque contingens propter affinitatẽ, quam habet cum vtroq;: ita amicus amicitiam ac beneuolentiam disruptam reconciliare debet, vtriq; se accõmodans ex ęquo.

Parœmia.

Amicus certus in re incerta cognoscitur. M. Tullius in Lælio, senarium hunc ex Ennio citat, prouerbij vice: quo significatum est, amici fidẽ in rebus aduersis explorari. Nam quod cum periculo coniunctum sit, id dubium appellant: pro quo Ennius posuit incertum affectans ἐναντίωσιν & προσονομασίαν, quibus schematis impendiò delectatus est, atq; adeò non ipse solum, sed & omnis ætas vsq; ad Marcum Tullium. Ennius.

Sententia Græca.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου.

Non est amicorum melior possessio.

Philosophica.

Maximum donũ amicitia: plures enim delectationes sunt in ea. Cicero inuen. Rheto. lib. 1.

Poëtica.

Nil agit, diffidẽtem verbis consolatur suis. Is est amicus q̃ in re dubia te iuuat, vbi re opus est.

Exemplum.

Quo tempore triumuirorum proscriptio durabat: proposita ijs graui pœna, qui proscriptos re aliq̃a iuuissent, aut non accusassent, ingentibus præmijs: cùm inter proscriptos Varro philosophus esset Caleni peramicus: eum domi suę Calenus aliquod tempus cælauit. In quam domum, cùm persæpè Antonius spaciatum se conferret, nunquam territus est, aut amicum mutauit Calenus, etsi assiduè vel animaduerti vel præmia dari, pro vt edictum, aut violassent homines, aut ei paruissent, cernebat. Plaut. in Cistella. Baptista Fulgos.

Apophthegma.

Darius rex cùm aperuisset pręgrande malum punicum, & quidam ab eo sciscitaretur, cuius rei tantum numerum habere optaret, quantus illic granorum inesset: respondit Zopyrorum: is erat vir bonus, ac Dario fidus amicus. Significans regi nihil prius aut charius esse debere probis ac fidis amicis. Libro 5. Erasmus apopht.

Apologus.

Duo amici faciunt iter occurrit in itinere vrsus, vnus arbore concensa, pericula euitat: alter cum spes fugæ nõ esset, collidit se humi: accedit besua, contrectat iacentem, os explorat & aures, homine spiritũ continente, ac motum: Vrsus, quia mortuis parcit, ratus cadauer esse, innocuus discedit. Percontanti postea socio, quídnã in aurẽ bestia clã insusurrasset iacenti: hoc monuisse, ait, ne vnq̃ cum illiusmodi amicis iter faceret. Vrsus mortuis parcit.

Mythologia.

Rara auis in terris, nigroq́; simillima cygno, Fides est. rara auis Fides.

Verum amicum res aduersæ, & pericula monstrant.

Plutarchus in uita Platonis tria facit genera amicitiæ
- *Vnum naturale, quod sanguinis uinculo nobiscum nascitur, ut parentum, filiorum, fratrum, consanguineorumq́.*
- *Aequale, quod gignit consuetudo, uitæq́; societas, accedente præsertim morum similitudine, nulla generis propinquitate: quales Pylades & Orestes.*
- *Hospitale, generat comitatus, epistolæ, & mutua inter absentes officia.*

Quinq́; paria amicorum Priscorum memoria maximè celebrata.

Philelphus li. 1. Epistola ad Maurum.

Theseus & Perithous. Achilles & Patroclus. Orestes & Pylades. Phytias & Damon. Epaminundas & Pelopides. Addunt iuniores apud Latinos, Scipionem & Lælium: item & Ciceronē, & Magnum Pompeium.

Exemplum. Valer. lib. 4. ca. 7. de amicitia.

Damon & Pythias Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam iunxerunt, vt cùm alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atq; is tempus ab eo, quo priusquam periret domum profectus, res suas ordinaret, impetrauisset: alter quidem se pro reditu eius tyranno dare non dubitauit. Solutus erat periculo, qui modò gladio ceruices subiectas habuerat: idemq́; caput suum subiecerat, cui viuere securè licebat. Igitur omnes & imprimis Dionysius nouæ atq; ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquante deinde finita die, nec illo redeunte, vnusquisq; stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat. At is nihil se de amici constantia metuere prædicabat. Eodem autem momento & hora à Dionysio cōstituta, qui eam acceperat, superuenit, admiratus amborum animum Tyrannus supplicium fidei remisit: insuperq́; eos rogauit vt se in societatem amicitiæ tertium sodalicij gradum, vltima culturum beneuolentia, reciperēt.

Cicero 3. officio. lib. idem exemplum ita refert.

Pythagoreos ferūt hoc animo inter se fuisse, vt quum eorū alteri Dyonisius Tyrannus diem necis destinasset, & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorū causa postulauisset, vas factus est alter eius sistendi, vt si ille non reuertisset, moriendū esset ipsi, qui cū ad diem se recepisset, admiratus eorū fidē tyrānus, petiuit: vt se in amicitiā tertiū ascriberēt.

Apophthegma.

Nicocli petenti vt sibi ante Phocionem venenum haurire liceret: tametsi durum hoc, inquit Phocion, tamen concedendum est ei, cui nihil vnquam in vita negaui. Phocion Nicoclem inter amicos fidissimum vnicè adamarat, eoq; molestum erat videre illum morientem: eam molestiam vt vitaret Nicocles, petebat vt ipse prior biberet, & hac in re commodauit amico. Prçclarū exemplū

Fabula.

Vir quidam diues & admodum liberalis, magnam habebat amicorum copiam, quos ad cœnam sępissimè inuitabat, ad quam lubentissimè accedebant: volens autem experiri an in laboribus & periculis sibi fideles essent, omnes pariter cōuocauit, dicens: obortos sibi inimicos, ad quos perdendos ire statuerat: quare correptis armis secum irent, vt illatas sibi vlciscerentur iniurias: tum omnes præter vnum excusare se cœperunt. Cęteris igitur repudiatis, illum tantum in amicorum numero habuit: quem deinde singulari amore prosecutus est. Amici in rebus incertis p̄bandi sunt.

Mythologia.

Hæc fabula indicat aduersam fortunam amicitiæ experimentum esse quàm optimum.

SIMILE.

Ex Moral. Plutarchi.

Telephus non respexit hostem, cuius erat hasta, sed salutem, quam adferrebat: ita non oportet offendi inimici conuicio, sed si verum admonet, vertendum est ad vitæ correctionem. Amici correctio non reijciēda.

Ouidius libro 1. de remedijs amoris.

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Adagium.

Amicitias immortales esse oportet, inimicitias mortales. Liuius li. 10. de bello Macedonico & Asiatico vtitur: verùm eò rediēre mores mortalium, vt simultates sint immortales, amicitiæ plusquam vitreæ: plusque possit vna Ate, quàm centum Lite: atq; omnium tardissimè senescat ira, à beneuolentia ad quamuis leuem occasionem intereat: quę si sarciatur nequicquam coït, & rescinditur. Arbitror in causa esse, qđ ab istis philosophis didicimus, cōmodo publico neglecto, suis quisq; priuatis cōmodis seruire studet. Amicitia vitrea nostro seculo.

Græca sententia.

κρίνει φίλους ὁ καιρὸς ὡς χρύσον τὸ πῦρ.
Aurum ignis, at amicos tempus dijudicat. Tempus amicos dijudicat.

PHILOSOPHICA.

Plutarchus de discrimine adulatoris & amici.

Omniū rerū iucūdissima res est amicitia: nec est aliud quicq̄, quod æquè delectet: atq; verū amicū magis esse necessariū q̄ aquam aut ignē.

POETICA.

Ouidius libro 1. de tristibus.

Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic longo est inspicienda fides.

Fabula uersa in Elegiacos uersus, autore amico.

Diues opum multos persæpe inuitat amicos,
Qui læti accurrunt, uina epulasq́; uorant. Amici ollæ.
Sed tentare fidem cupiens in rebus iniquis,
Fortunæ obtendit magna pericla ferè.
Conuocat hinc omnes, & narrat nuper obortos
Hostes, quos cupiat perdere morte truci.
Hortatur secum arma ferant, illumq́; sequantur,

Quá

Quà fata ostendant inuidiosa uiam.
Tunc alij sese causis defendere uanis
Turpiter incipiunt, auxiliumq; negant.
Vnus opem tantum spondet, discrimen & omne
Forti animo secum uelle subire refert.
Ille igitur reliquis hac conditione repulsis,
Hunc seruat, cuius est bene nota fides.

Affabulatio.

Fabula nos monet hæc blandis non fidere uerbis,
Nempe sub his crebrò dira uenena latent.
Blandis verbis non fidēdum est. *Prospera sors paßim simulatos iungit amicos:*
Sed paucos tantum sæuior aura probat.

AMICITIA FIRMA.

Ex 22. Iliados sunt uerba Achillis ad Achiuos.

Ἀλλα τίη μοῖ ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός
κεῖται παρὰ νήες᾽ νέκυς ἄκλαυστος ἄθαπτος
Πάτροκλος, τοῦ δ᾽ οὐκ ἐπιλήσομαι ὄφρ᾽ ἂν ἐγώγε
ζωοῖσιν μετέω, καὶ μοι φίλα γούνατ᾽ ὀρώρη.
εἰ δὲ θανόντων πὲρ καταλήθοντ᾽ εἰν᾽ ἀίδαο.
Αὐτὰρ ἐγὼ καὶ κεῖθι φίλου μεμνήσομ᾽ ἑταίρου.

Aeacidæ tumuli ne prius celebrabis honores
Patrocli? iacet ante rates, inhumatus ad urbem
Tu tamen ire paras, defuncti oblitus amici?
Quin etiam ipse meos dum spiritus hos reget artus
Memoria perpetua veræ amicitiæ. *Et mea fata uolent, numerari hos inter Achiuos*
Excidet ille meo nunquam de pectore, nec me
Oblitum fore (crede) tui cùm fata Deusq;
Hanc animam abstulerint, manesq; immittat ad imos:
Quanquam ibi sint obitus, & longa obliuio rerum.

D. Iacobus.

Mundus, Deus, cōtraria sunt. Amicitia huius mundi inimica est Deo cap. 4. Quicunque ergo voluerit esse amicus seculi huius, inimicus Dei constituetur.

D. Augustinus.

Maleuolus animus contristatur, si eius inimicus correptus euaserit. Gaudia ex alienis calamitatibus horrenda maximè sunt, & charitati proximi, quem diligere iubemur, plurimū obstāt.

FALSI AMICI.

Cicero.

Elegans simile de hirundinibus. Pythagoricus est. Vt hirundines æstiuo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt: ita falsi amici sereno tēpore præstò sunt, simul atq; hyemem fortunæ viderint, deuolant omnes.

Cicero in Oratione.

Amici infideles. Vide quàm sit varia vita, commutabilisq; ratio, quàm vaga volubilisq; fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quantæ ad tēpus aptæ simultates, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates.

Sophocles in Thyeste.

ἡδύ γε φίλον λόγος ἐστι τοῖς λυπουμένοις:
ἔνεσι γὰρ τις καὶ λόγοισιν ἡδονὴ,
λήθην ὅταν ποιῶσι τῶν ὄντων κακῶν.

Suaue quid est amici sermo tristantibus. inest etiam verbis quædam voluptas: cùm obliuionem inducunt malorum.

AMICI OLLAE.

Quum mea Mygdonio fulgebant marmore tecta,
Munera cum Cereris iugera culta dabant.
Cæcuba campano fundebat nectare cella,
Pallados undabat totaq; rore domus.
Indus Erythræa gemmas mittebat ab Alga,
Mittebant teneros Lesbia regna mares.
Et Myrrhæ lachrymas, & olebam semper amomum,
Semper & aurato murice cinctus eram.
Quisq; meus ciuis fieri cupiebat amicus,
Ad mea tendebat limina turba frequens.
Laudabar solus, solus celebrabar, amabar,
Egregio solus nomine dignus eram.
At quia mensa breuis, nunc est mihi curta supellex
Innumeri scindunt nec mea rura Syri.
Me fugiunt omnes amisso sordibus auro:
Pellitur amissa pauper amicitia:

AMICVS FICTVS.

οὐχ οὕτω βλάπτει μισεῖν ὁ λέγων ἀναθαυτὸν
ὥσπερ ὁ τὴν καθαρὰν ψευδόμενος φιλίαν.
Τὸν μὲν γὰρ μισοῦντα προειδότες ἐκτρεπόμεθα:
Τὸν δὲ λέγοντα φιλεῖν, οὐ προφυλασσόμεθα.
ἐχθρὸν ἐγὼ κεῖνον κρίνω βαρὺν, ὅς ποτε λάθρη
Τὴν ἀπὸ τῆς φιλίης πίστιν ἔχων, ἀδικεῖ.

Translatio Mori Angli ex Græcis epigrammatis.

Non æquè nocet hic, qui sese odisse fatetur,
Atq; hic qui puram fingit amicitiam.
Osorem monitus fugio, fugisse sed illum
Quomodo, qui se me fingit amare, queo?
Peßimus hic certè est inimicus, quisquis amicus
Creditur, occulta subdolus arte nocet.

Gulielmus Lilius.

Non is tam lædit, liquidè qui dixerit, odi,
Quàm qui synceram fingit amicitiam.
Vitabis certè quem noueris esse nocentem,
Ast illum nunquam, qui tibi dixit, amo.
Ille mihi grauis est hostis, qui clàm nocuisse
Gaudet, quiq; fidem fert in amicitia.

In eandem sententiam.

Peiora sunt tecta odia, quàm aperta. Itaq; te minus loquax, inimicus offendit, quàm tacitus.

Non equè damno est, odium ore professus aperto,
Ac qui synceram fingit amicitiam.
Vitatur facilis nobis qui cognitus hostis,
Vitari, qui se dicit amare, nequit.
Hic hostis capitalis erit, quicunq; nocebit,
Prætextu fidæ fretus amicitiæ.

Seneca.

Ita Cęsar magis metuebat Brutū & Cassiū pallidos ac tacitos, q̄ Antoniū ebrium, & Dolobellā.

Cato.

Grauior inimicus, qui latet sub pectore.

AMICI FORTVNAE.

Ouidius lib. 3. de Tristibus ad Carum.

Vt cecidi, cunctiq; metu fugêre ruinam,
Versaq; amicitiæ terga dedêre meæ.

Romanam nunc demum obfirmatam ſtabilemq́; videri, Carthagine funditus euerſa, &, vt ait ille, impacto mœnibus aratro. Immò verò, inquit, nunc periclitamur maximè, quando nec quos extimeſcamus, neq; quos erubeſcamus, reliquos nobis fecimus. Plutarchus in libello, quo pacto quis ſibi ex inimico capiat vtilitatem. Cœlius libr. 5. cap. 17.

Vtilitas ex inimicis.

Fabula.

Serpens ante agricolæ cuiuſdam domum latebras habens, cùm ab agricolæ filio eſſet percuſſus, tam acriter ipſum momordit, quòd morſu ex illo puer repentè obijt. Hac re cognita, magnus inter parentes gemitus oritur. Tunc pater mœrore concitus, accepta ſecuri, ſerpẽtem, vt occideret perſequitur: vibransq́; ſecurim, vt percuteret, extremum caudæ abſcidit. Deinde volens pacem cum ſerpente conficere, acceptis farina, aqua, ſale & melle, ad reconciliandam inter ſe amicitiam, vocat ſerpentem: & ſerpẽs ſub petra latens, ſibilando ait: fruſtra laboras bone vir: nam inter nos amicitia fore nõ poteſt, quippe dum me ſine cauda aſpexero, & tu tui filij ſepulchrum, quieti animo eſſe nequibimus.

Affabulatio.

Monemur, non fidendum inimicis, præſertim vbi iniuriæ recentes fuerint: odia enim minimè tolli poſſunt.

Alia.

Vulpes gallinarum tugurium ingreſſa, cùm gallinam nido ægrotantem aſpexit, eam rogauit, quomodo valeret. Cui gallina promptè reſpondit: Meliuſculè me haberem, ſi hinc abiueris ſoror.

Fabula ſignificat, inimicorum præſentiam nimium eſſe moleſtam.

Parabola.

Vt qui luctantur, non abſtergunt ſuum puluerem, ſed ſe mutuò contaminant, vt mutuò cadant: ſic quidam accepto conuitio, non id purgant, ſed obſeruant, quid viciſsim in illis poſsit torquere.

Alia ex Plutarchi Moralibus.

Vt ſi vel inimicus oſtendat lutum adhærens veſti, nõ reijcis in illum, ſed abſtergis: ita ſi quis oſtendat maculam vitæ, non regerendũ eſt conuitium, ſed abſtergenda labes.

Stratagema.

Antigonus rex hoſtibus cedens, non ſe fugere, ſed vtilitatem retrò ſitam perſequi dicebat. Idem interrogatus, quo nam modo quis inuadere hoſtes debeat? Aut dolo, aut vi, aut apertè, aut occultè: reſpondit.

Adagium.

Ἄσπονδος πόλεμος. M. Tullius lib. 9. epiſtolarum ad Atticum. Huius igitur belli ego particeps, & ſocius & adiutor eſſe cogor, quod & ἄσπονδον eſt cum ciuibus. ἄσπονδον vocat perpetuũ, & atrox, & irreconciliabile. Suidas ἀσπόνδους ἐχθροὺς dici eos oſtendit, qui in concordiam redigi non poſſunt. Conueniet in ſimultatem ac diſſidium amarulentum.

Sententia Græca

Homerus x. Iliados, uerba Achillis ad Hectorem.

Ἕκτορ μή μοι ἄλαστε συνημοσύνας ἀγόρευε·
ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι τε ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν
ὡς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καί σε φιλήμεναι οὔτε τι νῶιν
ὅρκια ἔσονται, πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα.
αἵματος ἆσαι Ἄρηα ταλαύρινον πολεμιστήν.

Hector noli mecum quicquam paciſci,
Sicut enim nullum inter leones, hominesq́; ſanctum eſt iuſiurandum. — Leones & homines malè conueniunt.
Et nunq̃ lupi & agni in ſententia conueniunt:
Sed inuicem ſemper ſibi malè optant:
Sic inter nos nullus neq; amor erit, neque iuſiurandum,
Niſi prius alterius ſanguine alter funeſtam mortem expleat.

Verſi à Nicolao Valla.

Tum toruis oculis reſpectans ſæuus Achilles,
Erras Hector, ait, mecum nolito paciſci,
Vt iuſiurandum nullum eſt hominiq́; leoni
Sanctum, nec fidum quicquam eſt agnoq́; lupoq́;
Semper in alterius ſiquidem mala cogitat alter.
Sic nec amor nobis, nec amoris fœdera ſunto:
Ni prius alterius funeſtam ſanguine mortem
Expleat alteruter, quo circa pectore firmo — Plutarch.
Virtutes omnes animosq́; recollige totos.
Quis tibi nunc opus eſt, quoniam fuga non datur ultra?

Philoſophica.

Quæ ſenſibus percipiuntur, & quæ corpori inſunt, & quæ conſpicua ſunt omnibus, citius ex inimicis cognoſcimus, quàm ex amicis, aut familiaribus.

Latina.

Nam res mortifera eſt inimicus pumice leuis,
Qui modo ſecretum commiſerat, ardet & odit,
Tanquam prodiderim, quicquid ſcio, ſumere ferrum,
Fuſte aperire caput, candelam apponere ualuis
Non dubitat.

IRA INIMICITIAS GENERAT.

Horatius lib. 1. epiſtolola 20. ad Mecœnatem.

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Franciſcus Petrarcha.

Graues inimicitiæ mihi ſunt vndiq;. Reſpondeo: Magnæ inimicitiæ plerunq; magnarum amicitiarum fuēre principium: & nunq̃ clarior, ſanctiorq́; fuit populus Romanus, quàm dum multis ac grauibus occupabatur bellis. Pax initium mali fuit: ſecum namq; ſubijt libido blanda, hoſtis ac peſtilens. Si igitur inimicitias habes, fac vt iuſtitia ſis amicus. Nullũ certius præſidium,

Pax mali initium.

ſidiū,vera virt⁹ fortunę minas calcat ac deſpicit.

Eccleſiaſtici 12.

In labijs ſuis indulcatur inimicus,& in corde ſuo inſidiatur,vt ſubuertat te in foueam.

Ibidem.

In oculis tuis lachrymatur inimicus,& quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas,caput ſuum mouebit,& multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.In oculis tuis lacrymatur inimicus,& ſi inuenerit tēpus,non ſatiabitur ſanguine. Non ſtatuas inimicū tuū penes te, ne ſedeat ad dextrā.

Eccleſiaſtici 28.

Peccator turbabit amicum,& in medio pacē habentium,immittit inimicitiam.

Iſidorus.

Melius eſt inimicitias hominum ſubire perpetuas infidelium, quàm Dei offenſam amicitijs noxijs prouocare. Si ceciderit inimicus tuus,noli gratulari:non lęteris ſuper inimici interitum,ne ſuperueniant in te ſimilia.Qui enim gaudet inimici caſu,citò incidet in illum.

Dignùm animaduerſiōe.

NANVS. AMor Dei Græcè ἔρος θεοῦ dicitur:qui charitas & pietas erga Deum eſſe videtur. De qua vide infrà Charitas.

Deuteronomij ſexto.

Audi Iſraël. Dominus Deus veſter,Deus vnus eſt.Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota fortitudine tua.

Paralipomenôn 6.

Quærite Dominum & virtutem eius:quærite faciem eius ſemper.

Ad Romanos 8.

Diligentibus Deum,omnia cooperantur in bonum.

Matthæi 22.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum,ſicut teipſum.In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.

Lucæ decimo.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex omnibus viribus tuis,& ex omni mente tua,&proximum tuum ſicut teipſum.

Auguſtinus ſuper Pſal.64.

Duas ciuitates,duo faciunt amores:Hieruſalem facit amor Dei:Babylona facit amor ſeculi. Interroget igitur ſe vnuſquiſq; quid amet,& inueniet vbi ſit ciuis.

Hieronymus in epiſtola ad Demetriaden.

Fœlix conſcientia illa & beata virginitas,in cuius corde,præter amorem Chriſti,qui eſt ſapientia,caſtitas,patientia atq; iuſticia,cæteræq; virtutes,nullus alius verſatur amor,nec ad recordationē hominis aliquando ſuſpirat,nec videre deſiderat,quē cū viderit,nolit dimittere.

Auguſtinus de catechizandis rudibus.

Ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in vterum virginis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulauit,humiliando ſe,ſublimādo te,cōiungendo lumen ſuæ æternitatis,limo tuę mortalitatis.

Ibidem.

Cōſtans & perfectus debet eſſe amor noſter: vt ſi neceſſe fuerit, amore illius moriamur, qui amore noſtri placidè ac benignè mori dignatus eſt.

Auguſtinus libro Confeßionum.

Minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat,quod propter te non amat.

Auguſtinus epiſt.ad Macedonianum.

Ad Deū qui vbiq; pręſens eſt,vbiq; totus eſt, non pedib.licet ire,ſed moribus. Mores autem noſtri non ex eo quod quiſque nouit,ſed ex eo qđ diligit,dijudicari ſolent:nec faciunt bonos vel malos mores,niſi boni vel mali ſint amores.

Auguſtinus contra Manichæos libro 1.

Si voluntatem Dei quiſq; noſſe deſiderat,fiat amicus Deo. Quia ſi voluntatem hominis noſſe quiſq; vellet, cui amicus non eſſet, omnes eius impudentiam deriderent:non autem quiſq; efficitur amicus Dei,niſi purgatiſsimis moribus.

Auguſtinus libro de moribus Eccleſiæ.

Modus diligendi Deum eſt,vt diligatur quātum poteſt diligi:& quantò plus diligitur, tantò eſt dilectio melior.

Auguſtinus libro 8.de ciuitate Dei.

Non dubitat etiam Plato hoc eſſe philoſophari,ſcilicet Deum amare.

Auguſtinus ſuper illud:Hoc mandatum do uobis.

Qui diligit Deum non poteſt contēnere pręcipientem, vt diligat proximum: & qui ſanctè ac ſpiritualiter diligit proximum,quid in eo diligit,niſi Deum?

Hieronymus ſuper Ioſue homilia 1.

Qui amicitias petit Ieſu, multorum ſibi ſciat eſſe inimicitias tolerandas.Nam cùm anima verbo Dei ſe ſociauerit,dubitare non debet,ſtatim ſe inimicos habituram, & eos quos antè habuit amicos,in aduerſarios eſſe vertendos.

Ambroſius de fuga ſeculi.

Cui portio Deus eſt, nihil debet curare niſi Deū,ne alterius impediatur neceſsitatis munere.Quod enim ad alia officia cōfertur,hoc religionis cultui,atq; huic noſtro officio decerpit. Hęc enim vera eſt ſacerdotis fuga,abdicatio domeſticorum,& quędam alienatio chariſsimorū, vt ſuis ſe abneget,qui ſeruire Deo elegerit.

Gregorius libro 2.Moralium

Solent nonnulli in proſperis Deum diligere, in aduerſis autem flagellantem minus amare.

Gregorius libro 5.Moralium.

Tunc plenius in Dei dilectione proficimus,

cùm

cùm in eiusdem dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur.

Gregorius libro 16. Moralium.

Amanti Deum dilatio imponitur, vt ex dilato amoris desiderio, meritum retributionis augeatur.

Gregorius in homil. Maria stabat ad monumentum.

Certè iam monumentum vacuum viderat, iam sublatum Dominum nuntiauerat. Quid est quòd se iterum inclinat, iterum videre desiderat: sed amāti semel inspicere non sufficit, quia vis amoris intētionē multiplicat inquisitionis.

Gregorius in homil. Maria stabat ad monumentum.

Mulier quid ploras? quem quæris? Interrogatur causa doloris, vt augeatur desiderium quærentis: quatenus cùm nominaret quem quæreret, in amore eius ardentius æstuaret.

Gregorius super Ezechielem.

In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni appropinquat. In quantum verò amare negligit, in tantum ingredi recusat.

Bernardus super Cantica sermone 20.

Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quòd carnem induit. Sapienter, quia culpam cauit. Fortiter, quia mortem sustinuit. Disce ergo Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne compressi deficiamus.

Ibidem.

Toto corde, tota anima, tota virtute diligere, est omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctę carnis Christi amore postponere.

Ibidem.

Magna res amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini reddatur, si refusus suo frōti semper ex eo sumat vnde iugiter fluat.

Bernardus super Cantica sermone 30.

Sapientia est Deus, & vult amari non solùm dulciter, sed & sapienter. Alioquin facilimè zelo tuo spiritus illudit. Erroris enim scientiam negliges. Non enim habet callidus hostis medicamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionē, quàm si efficere posit, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.

Bernardus in tractatu de diligendo Deum.

O iugum sancti amoris, quàm dulciter capis: gloriosè laqueas, suauiter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis. O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas.

Ibidem.

Prior Deus dilexit nos tantus tantum & gratis, tantillos & tales,

Ibidem.

Vultis à me audire, quare & quomodo diligēdus est Deus? Et ego dico quòd causa diligendi Deum, Deus est: modus, sine modo diligere. Ob duplicē causam dico Deum propter se diligendum: vel quia nihil iustius, vel quia nil fructuosius diligi potest.

Petrus Rauennas super illud: Diliges Dominum Deum tuum, &c.

Ama ergo homo Deum. Ama totus, vt posis omnia sine labore vincere, & delere peccata: Teneræ militiæ delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus, reportare victoriam.

Beda super Cantica.

Multùm quidem vexat hominem cùm relinquitur amor mundi. Multò amplius tamen cruciat, cùm calcatur amor sui. Veruntamen super omnia transfigit & penetrat cor hominis, & excoquit desiderium æstibus amor Dei: vnde est illa vox. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Basilius in Hexamerôn.

Qui vult veram dilectionem prægustare, Christum discat suauiter amare. Quia Christus amor est.

Ibidem.

Thesaurus indeficiens est amor diuinus: quē qui habet, diues est: quo quicunq; caret, pauper est.

Ibidem.

Vnguentum suaue & optimum est amor summi boni, qui pestes mentis sanantur, & cordis oculi illuminantur.

Caßiodorus super Psalmum 41.

Qui Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligit, locū vitijs non reliquit. Non enim intrat Diabolus, cum Deo totus occupatus est animus. Diabolus enim uacantem desiderat, nudatum perquirit. Sed vbi Deum reperit, sub magna cōfusione recedit. Visibilia cum aliquo liquore plena sunt, superuenientiū augmenta non capiunt. Ita nos diuina charitas si totos repleat, non erit quo crimen introeat.

Hugo de ara lib. 1.

Inter mundi & Dei amorem hæc est differentia: quia amor mundi à principio dulcis esse videtur, sed finem amarum habet. Amor verò Dei ab amaritudine incipit, sed vltima eius dulcedine plena sunt.

Cyprianus de duodecim abusionibus.

Mundi amor & Dei pariter in vno corde habitare non possunt: quemadmodum oculi pariter cælum & terram * nequaquam conspiciunt. *aliās, nunquam

Pittacus.

Πρὸ πάντων σέβη θεῖον. id est,

Ante omnia cole numen.

Dantes Paradisi cap. 24.

Segli ama ben, & bene spera & crede. id est,

Si is bene amat, beneq́; sperat creditq́;.

Dantes Paradisi cap.26.

Chel bien inquanto ben come sintende,
Cosi accende amare: & tanto magio
Quanto piu di bonita in se comprehende.
Dunq; allie ssenza oue tanto uantagio
De chiascun ben, che fordi lei si troua
Altro non e, che un lume di suo ragio. id est:
Nam bonum sicut à cognoscente noscitur,
Sic & ad se amandum allicit: & tantò magis,
Quantò plus bonitatis in se continet.
Sic & diuina natura ubi tantus est excessus
Cuiusq; boni, ut bonum quod extra ipsum est
Aliud non sit, quàm lumen ab illo procedens radio.

AMANTIVS. Amor Dei est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum: secundum D. Augustinum de doctrina Christiana.

Amor est genus, charitas species: Amor ad omnia pertinet, charitas tantùm ad homines.

Ioannis 14.

Qui diligit me, mandatum meum seruabit.

Idem cap.13.

In hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli estis, si inuicem vos dilexeritis.

Idem 15.

Si diligitis me, mandata mea seruate.

Ibidem.

Si dilexeritis me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; petieritis, fiet vobis.

D. Paulus ad Romanos 13.

Dilectio proximi malum non operatur.

Ibidem.

Plenitudo ergo legis, est dilexio.

Ad Ephesios 5. cap.

Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.

1. Ioannis 3.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.

Iesus Syrach.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccetis, & abstinebit se ab illis, & in die orationis exaudietur.

Idem.

Dilige Deum, qui fecit te, & ministros eius non derelinquas.

Idem.

Oculi Domini in diligentes se.

D. Augustinus.

Vita, dilectio, mors, odium. Vita nostra dilectio est. Si vita nostra dilectio est, ergo mors odium.

Exodi 20.

Misericors sum ijs, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Deuteronomij cap.10.

Quid Dominus Deus tuus petit à te, quàm vt timeas eum, & ambules in vijs & diligas eum?

Dauid Psalm.30.

Diligite Dominum omnes sancti eius: Quoniam non est inopia timentibus eum.

Lucæ 7.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

1. Corinthiorum 8.

Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

Ibidem 16.

Si quis non amat Dominum Iesum Christũ, Anathema sit: Marantha.

Psalmo 69.

Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Idem, Amos 5.

Paulus ad Galatas 5.

In Christo Iesu neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.

Ibidem.

In libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Fructus spiritus est, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas.

1. ad Corinthios 13.

Si linguis hominum loquar & angelorũ charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: & si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam habuero, omnemq́; fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: Charitas nunquam excidit, siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguę cessabunt, siue scientia destruetur: Manet nunc fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.

Idem cap.14.

Sectamini charitatem, ęmulamini spiritualia.

Idem ad Colossen. 3. cap.

Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquẽ habet querelam, sicut & Dominus donauit vo-

bis, ita & vos: super omnia autem hæc, charitatem, quod est vinculum perfectionis.

1. ad Timotheum 1. cap. 1. Petri 4. 2. Petri 1. 1. Ioannis 2. 3. 4. 5. 2. Ioannis capite 1.

ad Hebr. 10. & 13. Finis autem pręcepti est charitas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.

Esaiæ 64. cap. 1. Corinthiorum 2.

Oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Roman. 8.

Exempla dilectionis Dei.

Iudicum 23.

Iosue obiturus diem supremum, hoc postremum præceptum reliquit. Tantum confortamini, & este soliciti, vt cuncta custodiatis, quę sunt in volumine legis, & hoc diligentissimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum.

Ecclesiastici 47. cap. 40.

Dicitur de Dauide, quòd de omni corde laudauerit Deum, & dilexerit eum: quòd fecerit eum.

Ioannis 20.

Petrus respondit; Domine, tu scis, quia amo te.

Paulus ad Romanos 8.

Quis nos separabit à charitate Christi? &c.

Paulus ad Philippenses 3.

Omnia existimauit vt stercus, propter Christum.

Ad Philippenses 3.

Christus loquebatur in eo.

1. Corinthiorum cap. 13.

Quid experimentum quæritis? an Christus operatus est omnia?

Ad Romanos 15.

Non audeo aliud loqui.

Ad Galatas 2.

Christus in eo viuebat.

D. Augustinus.

Nihil preciosius Deo, virtute dilectionis: Nihil desiderabilius Diabolo, extinctione charitatis.

D. Gregorius.

Qui diligit Deum, & eius mandata custodit, in illius cor Dominus venit, & mansionem facit.

Basilius Magnus.

Ex tota mente tua dilige Deum, vt in omnibus actibus tuis placeas illi. Deus enim non tantum vult verbis diligi, sed corde puro, & operibus iustis. Magis ergo omnib. diligamus Deum, qui & nos & parentes nostros proprijs manibus finxit: & cuncta nobis bona, quę erga nos geruntur quotidie, eius beneficijs adscribamus.

Idem.

Christus diligendus est supra parentes. Quia non nobis tribuunt parentes ea, quæ Christus.

Idem.

Quum nobis Deus magna beneficia præstat, nihil exigit à nobis, nisi vt diligamus eum, & templa nostra ei seruemus, vt ille semper in nobis habitet, & nos in illo permaneamus.

Isiodorus.

Dilectio Dei morti comparatur, dicente Salomone: valida est, vt mors, dilectio Dei: sicut mors violenter separat animas à corpore: ita dilectio Dei violenter segregat hominem à mundano & carnali amore.

Idem.

Qui Dei præcepta contemnit, Deum non diligit. Neq; enim regem diligimus, si odio eius leges habemus.

Idem.

Minus quàm inter duos dilectio Dei esse nō potest. Et dum rem amore concupiscimus temporalem, amittimus veram Dei dilectionem.

Cyprianus.

Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. Cum Deo autem non possunt manere, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt.

Clemens.

Stultum est, aliquid amare plus quàm Deum. Mentem enim, quam repleuerit memoria Dei, Maligno in ea non dabitur locus.

Effrem.

Si quis dilexerit Deum, illius mens non erit in terra, sed semper superiora petet. Desiderabis enim quæ amauit: inde ducitur, inde illuminatur, inde reficitur, tanquam de dulcissimo fonte.

Ex Sapiente.

Quò melior cunctis Deus est, eò plus debet amari.

Idem.

Omnia prætereunt, præter amare Deum.

Pythagoras in aureis carminibus, & Stephanus Niger in expositione.

Ἀθανάτȣς μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειντα, τίμα. Id est: Primum omnium immortales Deos, vti sese habent, legitimè cole. Rectè hæc à diuinarū rerum cultu, id est, religione sumpsit exordia: Nouerat enim vir maximo ingenio, summaque doctrina præditus, beatæ sanctæque vitæ fundamentum esse Deorum venerationem. Nam si & omnia, & nos ipsi à Deo immortali ortum duximus, nulli profectò est dubium, quin & nostra omnia, & nosmetipsos Deo debeamus. Cæterùm cùm nihil sit, quod à nobis Deo immortali gratius, iucundiusque præstari possit, quàm vt nos gratos esse ostendamus, nostramq; in eum gratitudinem vno demū religionis cultu illi significare valeamus: rectè Pythagoras

nos omnium primùm Deos esse colendos docuit, idq; vt se habent legitimè faciendum admonuit. Vide præmemorato loco Nigrum.

Origen.

Appellat Aegyptus feram, quæ exorientem adoret Caniculam. Quod si bruta quoq; animalia pietatem colere, Deos venerari pro comperto habemus: nónne hominem rationis ac consilij participem pudeat nos nulla sequi pietatis ac religionis vestigia, non amare Deum & colere, sed Scythas ac Galathas imitari? apud quos, vt ait Plutarchus, nulla sit Deorum mentio: nulla de diuinis rebus historia memoratur.

Homerus.

ὅσκε θεοῖς ἐπιπείθηται μάλα τ᾽ ἔκλυον αὐτοῦ. Qui Dijs paret, ab illis valde exauditur.

NANVS. AMor proximi Græcè ἔρος γείτονος, idem videtur esse cum charitate, qua proximum diligere iubemur.

Exodi cap.22.

Aduenam non contristabis, neq; affliges eũ. Viduæ & pupillo non nocebitis.

Ibidem.

Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus: percutiamq; vos gladio. Et erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.

Exodi cap.23.

Si occurreris boui inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum.

Ibidem.

Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.

Ibidem.

Peregrino molestus non eris.

Leui.ca.19.

Non decipiet vnusquisq; proximum suum.

Ibidem.

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.

Ibidem.

Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsq; mane.

Ibidem.

Non maledices surdo: nec coram cæco pones offendiculum. Sed timebis Dominũ Deum tuũ.

Ibidem.

Non eris criminator nec susurro in populis.

Ibidem.

Non stabis contra sanguinem proximi tui.

Ibidem.

Nolite facere iniquũ aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusq; sextarius.

Deuterono.ca.5.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Ibidem.

Non concupisces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillã, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt.

Deuterono.ca.22.

Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo.

Deuterono.ca.24.

Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei prætiũ laboris sui ante solis occasum: quia pauper est & ex eo sustentat animã suam. Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

Deuterono.ca.26.

Maledictus, qui clàm percusserit proximum suum & dicet omnis populus, Amen.

Tobias ca.4.

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.

Prouerbio.ca.22.

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neq; conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius.

Ecclesiastici ca.6.

Non desis plorantibus in consolatione, & cũ lugentibus ambula.

Ibidem.

Non te pigeat visitare infirmũ. ex his enim in dilectione firmaberis.

Ecclesia.ca.12.

Si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.

Matthæus cap.5.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros: Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui oriri facit solẽ suũ super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Matt.cap.22.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.

Marcus cap.4.

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis: & adijcietur vobis.

Lucas ca.3.

Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

Lucas cap.6.

Diligite inimicos vestros: Benefacite his qui vos oderunt.

Ibidem.

Benefacite & mutuum date, nihil inde sperãtes; & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi. Quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Ibidem.

Dimittite & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis.

Ioannes cap.13. in euang.

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

Ioannes cap.15. in euang.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

Ibidem.

Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Paulus ad Romanos cap.12.

Nulli malum pro malo reddentes. & infrà: Scriptum est enim, mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.

Idem ad Romanos cap.13.

Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non cõcupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Paulus primæ ad Corinthios cap.8.

Charitas verò ædificat.

Paulus ad Galatas cap.5.

Omnis enim lex in vno sermone impletur, diliges proximum tuum sicut teipsum.

Paulus ad Galatas, cap,6.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Paulus ad Colossenses cap.3.

Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Idem ad Hebræos cap 13.

Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci.

Petrus apost. primæ cap.4.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuã habentes: quia charitas operiet multitudinem peccatorum,

Ioannes apost. primæ cap.2.

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suũ odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrẽ suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: Quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

Ioannes apost primæ cap.3.

Qui non diligit, manet in morte.

Ibidem.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.

Ibidem.

Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.

Ioannes Apost. pri. ca.4.

Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est.

Ioannes apostolus primæ, ca.4.

Si quis dixerit: quoniam diligo Deum & fratrem suum oderit, mendax est.

Ibidem.

Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Augustinus libro de baptismo.

Redire dimissa peccata, vbi charitas non est superna, Dominus docet in euangelio apertissimè de illo seruo, qui cùm deprecanti omnia dimisit & ille conseruo suo misereri noluit, iussit, eum Dominus reddere omnia quæ dimiserat.

Augustinus & habetur 24. quæst.1. Vbi.

Vbi charitas non est, non potest esse iustitia: dilectio enim proximi malum non operatur.

Augustinus & hab.24.q.3. Corripiantur.

Sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.

August. & hab. de pœnitentia, dist.2. ca. Charitas.

Charitas est aqua, de qua Dominus in euangelio ait: Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

August. & hab. de pœnitentia dist.2. cap. Charitas.

Sine charitare quomodo quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodo ergo delictorum remissionem?

August super epist. Ioannis & hab.23.q.5. Non putes.

Non putes te tunc amare seruum tuum, quãdo eum non cædis: aut tunc amare filium tuũ, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis. Non est ista charitas, sed languor. Ferueat charitas ad emendandum & corrigendum. Si sunt boni mores, delectent: si autem mali; emendentur.

Ibidem, & habetur de pœnit. dist.2.

Radicata est charitas. Securus esto, nihil mali accidere potest.

August. super epist. Ioan. & habe. de pœnit. dist.2. Si quis.

Si quis tantam habuerit charitatem, vt paratus etiam sit pro fratribus mori, perfecta est in illo charitas.

Augustinus super epist. Ioannis, & habetur de pœnit. dist.2. Sicut.

Sicut seta introducit filum, ita timor introducit charitatem. Crescit charitas, minuitur timor, & econuersò.

Augustinus super epistolam Ioannis cap. 7.

Si non vultis in ista eremo siti mori, bibite charitatem: Fons est quem voluit Deus ponere, ne deficiamus: & abundantius eum bibemus, cùm ad patriam venerimus.

Augustinus super Ioannem sermone 69.

Domine ecce quem amas, infirmatur. Non dixerunt veni: Amanti enim tantum nuntiandum fuit. Sufficit, vt nouerit. Non enim amat & deserit.

Augustinus ad Iulianum comitem, & habetur de pœnitent. distinction. 2. Charitas.

Charitas quę deseri potest, nunquã vera fuit.

Augustinus ad Hieron. & habetur ibidem.

Charitas in quibusdam perfecta, in quibusdam imperfecta, perfectissima autem in hac vita haberi non potest.

Augustinus ad Martianum.

Dilectio est pacis vnda, ros gratiæ, charitatis imber, semen concordię, affectus gentium, amoris fructus, & ad summum, dilectio Deus est.

Idem ad Martianum.

Dilige proximum sicut teipsum. Proximus in hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quantò magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis.

Augustinus homil. 8. & habetur de pœnit. distin. 2. Quia.

Quia radix omnium malorum est cupiditas: & radix omnium bonorum est charitas: & simul ambæ esse non possunt, nisi vna penitus auulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa conatur aliquis incidere ramos, si radicem nón contendit euellere.

Augustinus in Enchiridio.

Finis præcepti est Charitas. Omne enim prę-ceptum ad charitatem refertur. Quod enim fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad charitatem, nondum fit quemadmodũ fieri oportet, quamuis fieri videatur.

Augustinus libro de meritis & remißione peccatorum, & habetur de consec. distin. 4. Ecclesiæ.

Ecclesiæ charitas, quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordib. eorum, qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorũ qui non sunt, tenet.

Augustinus libro de doctrina Christiana.

Sola charitas est, quę vincit omnia, & sine qua nihil valent omnia, quæ vbicunq; fuerit, trahit ad se omnia. Scientia si sola sit, inflat, Quia verò charitas ædificat, scientia non permittit inflari.

Augustinus de catechizandis rudibus.

Charitas alios parturit, cùm aliquis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, cùm alijs erigit, alijs blãda, alijs seuera, nulli inimica, omnib. mater.

Idem libro de diffinitionibus.

Misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiamur proximo, & largiamur de proprio.

Augustinus libro 9. de ciuitate Dei.

Longè melius & humanius, & piorum sensibus accommodatius in Cæsaris laude locutus est, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est.

Augustinus de opere Monachorum.

Multò misericordius operatur quis circa animas infirmorum: qui bonę famæ seruorum Dei consulit, quàm erga corpora ægrotantium, qui panem esurientibus tribuit.

Augustinus super Psalm. 103.

Valdè longè dirigit is, qui bene audit, & malè operatur. Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Charitas non de sacculo erogatur.

Augustinus de uerbis Domini sermone 11.

Diues & pauper, duo sunt sibi cõtraria, & sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si se inuicem supportarent: & nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperẽ factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, & diuitis erogare, & Dei est pro paruis magna prę-stare.

Hieronymus super epistolam ad Galatas.

Vide quantum bonum est charitas: Si ita martyrium fecerimus vt nostras velimus ab omnibus reliquias honorari, & si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram vsq; ad mendicitatẽ propriam dederimus, huic operi nó tam præmium quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ.

Hieronymus epistola ad Nepotianum.

Non memini me legisse mala morte mortuũ, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.

Hieronymus, & habetur distin. 86. Qui clementiam.

Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lachrymarum, quamuis spiritualis sit, non adimplet legem Christi.

Ambrosius super epistolam 11. ad Corinthios, & habetur distin. 1. Ficta.

Ficta charitas, quæ deserit in aduersitate.

Ambrosius super Beati immaculati.

Ille intelligit super pauperẽ, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris.

Ambrosius ibidem.

Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare. Caue ne inter loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum.

Gregorius moralium libro 7.

Duo sunt pręcepta charitatis, Dei videlicet & amor proximi. Per amorem Dei gignitur amor

proximi, & per amorem proximi Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, pefectè diligere proximum nescit. Et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in dilectionis gremio proximi charitatem colligamus.

Gregorius ibidem.

Perfectionis vinculum charitas dicitur. Quia omne bonum quod agitur per illam ne pereat ligatur. A tentatione namq; citius quodlibet euellitur opus, cùm solutum à vinculo charitatis inuenitur.

Gregorius moralium libro 19. parte 4. cap. 23. & habetur distin. 45. Sunt namq;.

Sunt namque nonnulli ita districti, vt etiam omnem mansuetudinem benignitatis amittāt, & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus vtraq; summopere sunt tenenda: vt nec in disciplinę vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserāt disciplinę: quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumacem corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor disciplinæ mansuetudinē, & mansuetudo ornet sermone vigorem. Et sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

Idem ibidem.

Vera iustitia compassionem habet: falsa verò dedignationem, quamuis & iusti soleant rectè peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ, indignantur etenim, sed non dedignantes sunt. At contrà hi, qui de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosq; despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, & quò se peccatores esse non credunt, eò deterius peccatores fiunt.

Gregorius in Reg. & habetur 8. q. 1. In scri. §. Duo.

Duo quippe sunt præcepta charitatis, amor Dei & proximi. Per actiuam igitur vitā prodesse proximis cupiens Esaias officium prędicationis appetijt. Per contemplatiuā verò Hieremias amore conditoris sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit.

Gregorius in pastorali.

Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & quæ benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

Ibidem.

Nihil perfectius Deo virtute dilectionis: nihil desiderabilius Diabolo extinctione charitatis. Quisquis igitur seminando iurgia dilectionem proximorū perimit, Diabolo familiarius seruit.

Idem super Ezechielem homil. 6.

Adoptio filiorum sola charitate acquiritur. Ioannis 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid hac potestate altius? Quid hac altitudine sublimius dici potest? In qua potestate quisque creatus efficitur filius creatoris.

Ioannes Chrysostomus super illud Pauli 1. Corinthior. 12. Omnes in unum corpus baptizati sumus.

Omnes in vnum corpus baptizati sumus. Quid significat, in vnum corpus? ne diuidamur, sed mutuam consuetudinem, amicitiamq; tanquam vnum corpus seruemus. Nolimus inuicem alter alterum contemnere, ne nosipsos contemnamus. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Si indifferenter omnibus dederimus, semper miserebimur: si aūt discutere cœperimus, nunquam misericordiam præstabimus.

Lactantius Firmianus diuinarum institutionum libro 6. cap. 10.

Si hac de causa homines congregati, vt mutuis auxilijs imbecillitatem suam tuerentur, succurrēdum est igitur homini qui egeat auxilio.

Ibidem cap. 10.

Deus enim, qui cæteris animalib. sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursibus & periculis tutiora generauit: hominem verò, quia nudum fragilemq; formauit, vt eum sapientia potius instituerer, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominē tueatur, diligat, foueat, contraq; omnia pericula & accipiat & præstet auxilium. Summū igitur inter se hominum vinculum est humanitas, quod qui disruperit, nefarius & parricida ęstimandus est. Nam si ab vno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè consanguinei sumus, & ideo maximum scelus putandum est odisse hominem vel nocentem.

Ibidem.

Item si ab vno Deo inspirati omnes & animati sumus, quid aliud quàm fratres sumus? Et equidem coniunctiores animis quàm qui corporibus. Itaq; non errat Lucretius cùm dicit: Denique cælesti sumus omnes semine oriundi. Omnibus ille idem pater est. Ergo pro beluis immanibus sunt habendi, qui homini nocent, qui contra ius humanitatis & fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant.

Ibidem.

Deus enim, quoniam pius est, animal nos voluit esse, sociale item. Itaque in alijs hominibus nos ipsos cogitare debemus. Non meremur in periculo liberari, si non succurrimus. Non meremur auxilium, si negamus.

Ibidem.

Nam qui se à præstando auxilio remouet, etiam ab accipiēdo se remoueat necesse est: quia nullius ope omnimodo indigere se putat, qui alteri suam denegat. Retinendum est igitur vinculum

culum societatis humanæ, quia homo sine homine nullo modo potest viuere.

Ibidem.

Conseruanda est igitur humanitas, si homines rectè dici velimus. Id autem ipsum conserre humanitatem, quod aliud est quàm diligere hominē, quia homo sit, & idē, quod nos sumus.

Ibidem.

Verum illud est Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem, homini nocere non posse. Ergo, si nocere homini, contra naturā est, prodesse igitur homini, secundum naturam sit, necesse est: quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat. Quia humanitatis officiū est, necessitati hominis, ac periculo subuenire.

Ibidem.

Huius enim operis & officij merces à deo est expetenda solo. Nam si ab homine expeets, iam nō humanitas erit illa, sed beneficij fœneratio. Nec potest videri bene meruisse, qui quod facit non alteri, sed sibi præstat.

Basilius homilia 1.

Panis est famelici, quem tu tenes: nudi tunica quam in conclaui seruas: discalciati, calceus, qui penes te marcescit: indigētis argentū, quod possides. Quocirca tot iniurias, agis quot subuenire valebis.

Seneca ad Lucil. epist. 47.

Hæc tantum præcepti mei summa est. Sic cū inferiori viuas, quemadmodum tecum superiorem viuere velis. Quoties in mentem venerit tibi quantum in seruum liceat, veniat in mentem tantundem in te domino tuo licere.

Seneca in prouerbijs.

Habet in aduersis auxilia, qui in prosperis cōmodat.

Ibidem.

Qui succurrere perituro potest, cùm non succurrit, occidit.

Senc. libro de beneficijs.

Tacitè danda sunt beneficia, vt nota sint solis, quibus prosunt. Interdū etiā ipse qui iuuat fallēdus est, vt habeat, nec à quo acceperit, sciat.

Ibidem.

Multum interest inter misericordiam beneficij & beneficium. Itaq; nec aurum nec argentū, nec quicquam eorum, quæ à proximis recipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis volūtas.

Ibidem.

Plæriq; sunt qui beneficia asperitate verborum & supercilio in odium adducūt, eo sermone vsi, ea superbia, vt impetrasse pœniteat.

Ibidem.

Tempore beneficia magna sunt. Bèneficium est in fame panis. Beneficium est, arentibus siti, monstrare fontem. Eo animo quicquid debetur, quo datur, nec quantum sit, sed à quali voluntate, perpenditur. Maius enim aut minus fit, quamuis idem sit tempore, loco, causa.

Ibidem.

Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est & sic dare, tanquam sibi eriperetur. Gratissima, autem sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.

Ibidem.

Optimum est occupare, antequam rogemur. Quia cum homini probo ad rogandum os concurrat, diffundat rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.

Ibidem.

Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit. Nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est. Molestum enim verbum & onerosum est, demisso vultu dicere, rogo.

Ibidem.

Nihil charius æstimamus quàm beneficium quàm diu petimus: nihil vilius quàm cùm accepimus. Vnum benè positum beneficium, multorū amissorum damna, restaurat.

Ibidem.

Quamuis omni petenti dare debeas: tamen in beneficio spectandi sunt mores eius, cui datur, & animus erga nos, & cohabitatio vitaq; societas, & ad nostras vtilitates officia antè collata.

Ibidem.

Pulchrum sanè prædicandum beneficium, nulla dilatione suspensum, nullis precibus redēptum, nulli meritis comparatum. Gratius est enim donum quod venit ante preces.

Ibidem.

Quis vestrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut semel? Quis vestrum cum aliquid suspicatus est à se peti, frontem obduxit, vultū auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus & de industria non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & varijs artibus necessitates properantes elusit. In angusto verò compressus aut distulit idem, aut timidè negauit, aut promisit, sed difficulter, sed ductis supercilijs sed malignis & vix exeuntibus verbis.

Ibidem.

Deos sequamur duces quantū humana imbecillitas patitur. Demus beneficia, nō fœneremur.

Ibidem.

Ordo beneficij per manus traseuntis, nihilominus ad diuitem reuertitur.

Ibidem.

Nullum beneficium dandum est negligenti.

Ibidem.

Primò necessaria sunt danda, deinde vtilia, tertio iucunda.

Ibidem.

Videamus ne mittamus munera superuacua, vt fœminæ arma, liberos rustico.

Ibidem.

Videndum est & considerandum, quid, cur, qualiter, quando, vbi, & quare sit dandum.

Ibidem.

Turpissimum genus beneficij est inconsulta donatio.

Ibidem.

In dando beneficia eligendus est vir simplex, non ingratus, alieni abstinens, non sui auarus, & maximè beneuolus.

Ibidem.

Si proter vtilitatem darentur beneficia, dij tot munera, quæ sine intermissione diebus ac noctibus fundunt, non darent.

Ibidem.

Cùm beneficia in vulgus largiri institueris, multa perdenda sunt, vt vnum bene des.

Ibidem.

Dare debemus quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter & citò.

Ibidem.

Caueamus ne aliquid moræ eueniat in dando, vt deliberasse videamur.

Ibidem.

Illud beneficium est iucundum, quod alicui obuium venit.

Ibidem.

Tardè velle nolentis est.

Ibidem.

Beneficium ab homine duro asperè datum, panis lapidosus vocatur, quem esurienti accipere necessarium sit esse acerbum.

Ibidem.

Dabo egenti, sed non vt ipse egeam.

Ibidem.

Succurram perituro, sed non vt ipse peream.

Ibidem.

Multò grauius est malè dedisse beneficia, quàm non dedisse.

Seneca libro 2. de moribus.

Succurrere paupertati amicorum stude, imò potius occurrere.

Seneca libro de formula uitæ.

Clementiæ esto cultor, sæuitiæ detestator.

Ibidem.

Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in aduersis firmus, in prosperis cautus & humilis.

Ibidem.

Deum amabis, si illum in hoc imitaberis: vt velis omnibus prodesse, nulli nocere.

Macrobius libro 2. Saturnalium.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Cicero libro de Amicitia.

Fructus ingenij & virtutis, omnisq́; præstantiæ tum maximè capitur, cùm in proximum quenq; confertur.

Cicero libro 4. Tusculanarum Quæstionum.

Cur misereare potius, quàm feras opem, si id facere possis.

Idem libro 2. Rhetoric. Veter.

Beneficij magnitudo ex vtilitate atq; honestate aut necessitudine demonstratur.

Ouidius libro 2. de Ponto, Elegia 3.

Mitius est lapso digitum supponere mento,
Mergere quàm liquidis ora natantis aquis.

Ouidius de Ponto libro 2. elegia 9.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis:
Conuenit & tanto quantus es ipse, uiro.

De hac materia habes infrà vbi beneficium, clementia & misericordia.

Amor sui Græcè ἔρος ἑαυτοῦ. Propriè dicitur φιλαυτία.

De philautia disputat in Ethicis libro 8. cap. 8. Aristoteles.

Aristoteles libro 2. Rhetoricor.

Nullus seipsum parui pendit.

Cicero libro 1. Officiorum.

Quo in genere (inquit, de animaduertẽdis vitijs verba faciens) non est incommodum, quale quodque eorum sit, ex alijs iudicare: vt si quid dedeceat in illis, vitemus & ipsi. Fit enim nescio quomodo, vt magis in alijs cernamus, quàm in nobismetipsis si quid delinquitur. Itaque facilimè corriguntur in discendo, quorum vitia imitantur emendandi causa magistri.

Ibidem paulò post.

Vt enim pictores & ij qui signa fabricantur, & veri etiam poëtę, suum quisque opus à vulgo cõsiderari vult, vt si quid reprehensum sit à pluribus, id corrigatur: hiq́; & secum & cum alijs quid in eo peccatum sit, exquirunt: Sic aliorum iudicio permulta nobis & facienda & non facienda: & mutanda & corrigenda sunt.

Maximus de Charitate Centuria 3. 56.

Philautia omnium cogitationum affectus inducentium, caussa constituitur. Ex hoc enim generantur tres concupiscentię cogitationes, etiã fortissimæ, nempe crapulæ, auaritiæ, & inanis gloriæ. Cæterùm ex crapula nascitur scortationis cogitatio: ex inani gloria, superbiæ. At reliquæ omnes vnamquamq; ex tribus consequuntur: nimirum, cogitatio iracundiæ, tristitiæ, acceptarum iniuriarum recordatio, socordię, inuidentiæ, oblocutionis, & reliquæ. Illi ergo affectus rebus materialibus constringunt animum eundemq; in terram detrahunt, instar grauissimi lapidis illi incumbẽtes, cùm natura sua igne sit leuior & celerior.

Ibidem.

Omnium affectuum principium est philautia, finis autem superbia. Porrò philautia amor est, quo corpus complectimur, rationi non consentaneus. Hanc qui amputauerit, eadem opera, omnes affectus ex ea orientes abscidit.

Periander.

Σεαυτὸν μὴ ἀμέλει. id est, Te ipsum ne negligas.

Pittacus & Chilon.

Γνῶθι σεαυτόν. id est. Cognosce teipsum.

Bias.

εἰς κατόπτρον ἐμβλέψας θεώρει,
καὶ εἰ μὲν καλὸς φαίνῃ ἄξια τούτου
πράττε τ' εἰ δὲ αἰσχρος. τὸ τῆς ὄψεως
ἔλλιπεν, ὥραιζε καλοκαγαθείαις: id est,
In speculum cùm inspicias contemplare,
Et si quidem pulcher appares, dictgna te
Fac. Si uerò deformis, faciei defectum
Illustra probitatibus.

Menander.

ἑαυτὸν δ' οὐδεὶς ὁμολόγει κακοῦργον. id est,
Seipsum nullus fatetur esse malum.

Amplitudo Græcè ἀξιότης, ητος, ἡ. dicitur esse potẽtiæ aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia: secundum Ciceronem in Rhetoricis.

Anathema Grecum vocabulum est ἀνάθημα, ατος τό. est omne separatum à communi vsu, secundum B. Thom. super epistolam ad Romanos cap. 9. con. 2. fi.

Andragathema Græca dictio est ἀνδραγάθημα τος τό. strenuitas Latinè dici potest. Est enim virtus viri communicabilium operum inuentiua, & pars fortitudinis potentialis, pertinens ad liberalitatem, vel potius ad magnificentiam, licèt magis conueniat cum iustitia, ratione materiæ.

Vel sic.

Andragathema est virtus magnorum operũ executiua, cum quadam virili prudentia ac solicitudine, vt colligitur ex dictis Thom. Secunda secundæ, q. 128. articulo. 1.

Andragathema venit ab ἀνδραγαθέω, quod est viriliter ago.

AMANTIVS.

Ex prospero.

Quod sibi quisq; nolit fieri, non inferat ulli.

Ecclesiastici 12.

Cato. Cui des videto.

Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia bonis tuis multa.

Versu reddita, authore Lorichio poëta.

Si conferre cupis cuiquam benefacta benignus,
Tum prius exornet quem tua dextra, uide.
Deuincire bonos meritis res optima multis,
Nam redit ex illis gratia larga tibi.
Sed si destituat iustorum uelle facultas:
Reddet stellifera, qui sedet arce pater.

Idem cap. 7.

Deum, qui fecit te, & ministros eius non derelinquas.

Idem cap. 13.

Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi.

Idem.

Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sibì sociatur.

Idem cap. 27.

Dilige proximum tuum, & coniunge fidem cum illo.

Idem.

Sicut qui dimittit auem de manu sua: sic qui derelinquit proximum suum.

In uersus facta sententia 7. cap. Authore Lorichio.

Corde creatorem de toto dilige summum:
Hunc solùm ex omni robore mentis ama.
Tum decet & Domini fidos coluisse ministros:
Esse Deus seruos uult in honore suos.
Qui tibi diuini pandunt mysteria uerbi,
Syncero Christum pectore & ore docent:
Primitias illis cum summo defer honore,
His offer, quod habes, mandat ut ipse Deus.

Ioannes 13. in Euangelio.

In hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli estis, si inuicem vos dilexeritis.

1. Petri 1.

In fraternitatis amore, simplici corde inuicẽ diligite attentius.

Ephesios 5.

Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.

Prouerbiorum 17.

Omni tempore diligit, qui amicus est: & frater in angustijs comprobatur.

Iesus Syrach, Ecclesiasticus cap. 7.

Pauperibus semper clementem porrige dextam:
Te super ueniat gratia magna Dei:
Vt tibi saluantis benedictio numinis adsit:
Teq; probet toto quicquid in orbe uiget:

Aug. ad Iulianum Comitem, de pœnis dist. 2. c. Charitas.

Charitas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit.

D. Basilius libro de beneficijs.

Illud beneficium iucundum, quod obuium venit alicui.

Amor patriæ Græcè ἔρος πατρίδος, est pietas, quæ debetur patriæ. NANVS.

August. lib. 5. de ciuit. Dei, Catonem loquentem inducit.

Nolite existimare, maiores nostros armis Rẽpublicã magnam ex parua fecisse: si ita esset, multò pulcherrimam nos haberemus. Quippe sociorum atq; ciuium, prætereà armorum & equorum maior copia nobis, quàm illis. Sed alia sunt, quæ illos magnos fecerũt, quę nobis nulla sunt: Domi industria: foris iustum imperium: animus in consulendo liber: neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam & auaritiam: publicè egestatem, priuatim opulẽtiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen, omnia virtutum præmia, ambitio possidet.

Augu.

Augustinus libro 2. de ciuit. Dei, Recitans uersum Ennij poëtæ.

Moribus antiquis res stat Romana uirisq́;.

Versum hunc vel breuitate, vel veritate, tanquam ex oraculo quodam affatum esse, mihi videtur. Nam neq; viri nisi morata ciuitas fuisset, neq; mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tandiu tenere potuissent, tantam & tam longè lateq́; imperantem Rempublicam.

Augustinus libro 1. de ciuitate Dei, loquens de Scipione qui dicebat:

Non censeo felicem Rempublicam stantibus mœnibus, & ruentibus moribus.

Augustinus libro 5.

Auersa & peruersa corda mortalium, felices res humanas putant, cùm tectorum splendor aspicitur, & labes non attéditur animarum, cùm theatrorum moles extruitur, & effodiuntur fundamenta virtutum.

Augustinus super Psalm. 93.

Odit valde patriam, qui sibi bene putat, cùm peregrinatur.

Augustinus libro 2. de ciuitate Dei, Recitans uerba Ciceronis libro 5. de Repub.

Nostra ętas, cùm Rempub. sicut picturam accepisset egregiam, euanescente vetustate, non modò eam coloribus ijsdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed nec id quidẽ curauit. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit Rempub. stare Romanam? quos ita obliuione obsoletos videmus, vt non modò non colantur, sed etiam ignorentur.

Ambrosius homil. 5.

Hic Reipub. vsus est, leges omnibus esse communes, atq; obseruari eas deuotione communi, vno omnes teneri vinculo, non alijs ius esse, quod alius sibi intelligat non licere, sed quod vni liceat, licere omnibus, & communem reuerentiam, patrum quoq; consilio Respub. gubernetur. Commune omnibus, vrbis domicilium, communis conuersationis officium, vnum pręscriptum omnibus esse, vnum consilium.

Caßiodorus super illud: Super flumina Babylonis.

Nimis dulcis est recordatio patrię, quę in hostili terra probatur existere. Nam quantò hæc amara magis sentitur, tantò fit illa suauior: de loco enim peregrinationis, proprij domicilij crescit affectus.

Caßidorus libro 1. epistola 20.

Vnicuiq; patria sua charior est dùm supra omnia saluam fore quæritur, vbi ab ipsis cunabulis commoratur. Feris datum est agros syluasq́; quærere, hominibus autem fores patrias super cuncta deligere. Aues ipsę per aëra vagãtes, proprios nidos amant: erratiles feræ ad cubilia dumosa festinant: voluptuosi pisces cauernas suas perquirunt, cunctaq; animalia ibi se norunt refugere, vbi longißima cupiunt ætate constare.

Caßidorus epistol. 39.

Interdum expedit patriam negligere, vt sapientiam quis posſit acquirere.

Caßiodorus libro 3. epistola 10.

Nobilißimi ciuis est patriæ suę augmenta cogitare, sed eorum maximè quos Respu. summis honoribus obligauit.

Idem libro 5. epistola 31.

Vtilitatem publicam, diuturna non conuenit ludificatione differri.

Idem libro 6. epistola 11.

Constat felicem Rempu. quæ multis resplendet ornata conciuibus.

Idem libro 8. epistola 30.

Ciuis non habetur, qui vrbis suæ gratiam non tuetur.

Seneca de tranquillitate animi. post princip.

Non is solus Reipub. præest, qui tuetur res, & de pace belloq; censet: sed qui iuuentutem exhortatur, qui in bonorum præceptorum inopia virtutem instituit, qui ad pecuniam luxuriamq́ue ruentes, retrahit. Et si moratur in priuato, publicum tamen negotium agit.

Seneca Tragœdia 6.

Præferre patriam liberis regem decet.

Aristoteles libro 1. Ethicorum.

Bonum ciuitatis, quantò communius, tantò diuinius.

Aristoteles libro 2. Politicorum.

Quod plurimorum est commune, minimè curam sortitur, quia de proprijs maximè curãt homines, de communibus autem minus vel minimè.

Idem libro 3. Politicorum.

Ciuitas non est vna propter eosdem muros, sed propter eandem politiam.

Ibidem.

Politia est ordo quidam inhabitantium ciuitatem, in principando & in subijciendo.

Ibidem.

Non idem est bonus vir, & bonus ciuis.

Ibidem.

Quicunq; Politiæ intendunt vtilitatem communem, rectè sunt iusti: quicunq; autem intendunt vtilitatem propriam, vitiosi sunt, & rectarum politiarum transgressores.

Idem libro 4. Politicorum.

Ciuitas non constat ex vna parte, sed ex multis: quarum vna pars sunt agricolæ: secunda artifices manuales: tertia, hi qui negotiantur circa forum: quarta, mercenarij: quinta, propugnatores & armigeri: quos in ciuitate necessarium est existere, si non debeant inimicis seruire.

Ibidem.

In omni ciuitate sunt tres species hominum, scilicet diuites, pauperes & mediocres: inter quas optimi sunt mediocres, quia medium semper est optimum.

Ibidem.

Ibidem.

Maximum eufortunium est ciues mediocrẽ substantiam habere, tanquam sufficientem eis, quia per tales bene regitur ciuitas.

Aristoteles libro 6. Politicorum.

Non facilè est permanere ciuitatem sine legibus & consuetudinibus compositam.

Aristoteles magnorum moralium libro 1.

Oportet, si quis in Politijs practicus esse debet, secundum mores esse studiosum.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Filij eorum, qui pro Republica obiêre, publicè nutriantur, doceantur: dicebat Solon.

Ibidem.

Interrogat, qualiter ciuitas bene regi posset, ait: Si Princeps & Maiores secũdũ legẽ vixerint.

Ibidem.

Interroganti amico, dum senex esset, an ante mortem in patriam vellet afferri, vt in patria moreretur, nihil necesse est: vndiq; enim ad inferos tantundem viç est: respondit Pythagoras.

Ibidem.

Ciuitati consulendum esse potiora, dicebat Cleobulus.

Ibidem.

Interrogatus Socrates, de qua patria esset oriundus, respõdit: Mundanus sum. Totius enim mundi ciuem & incolam se arbitrabatur: nullã sibi approprians patriam.

Ibidem.

Interrogatus Plato qualium locorum, vel vrbium habitatio sit vitanda, ait: Non habites, in qua sumptus, lucra exuperãt: & in qua mali præualẽt bonis, & vbi plurimũ domini mentiũtur.

Plutarchus in Apophthegmatibus.

Pedarectus non electus in numero trecentorum, qui quidem in vrbe cæteris dignitate prçstabat, hilaris subridensq; abibat. Gaudere se, inquiens: siquidem trecentos vrbs haberet sese meliores.

Cicero libro 1. Officio.

Nam vt præclarè scriptum est à Platone. Non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria vendicat, partem amici.

Ibidem.

Magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficijs vltrò citroq; datis. Et infrà. Omnium societatũ nulla est grauior, nulla charior, quàm ea, quæ cum Repub. est.

Ibidem.

Vt enim tutela, sic procuratio Reipub. ad eorum vtilitatem qui commissi sunt: non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

Idem libro 2. Officiorum.

Habere enim quæstui Rempubl. non modò turpe est, sed & sceleratum & est nefarium.

Ibidem.

Hæc genera officiorum qui prosequentur cum summa vtilitate Reipublicæ, magnam ipsi adipiscentur & gratiam & gloriam.

Cicero libro 3. Officio.

Neq; enim nobis solũ diuites esse cupimus, sed liberis, ꝓpinquis, amicis, maximeq; Reip. Singulorũ eni facultates & copię diuitię sũt ciuitatis.

Ibidem.

Sed si quis qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ. Reddésne depositum? non credo. Facies enim contra Rempub. quę debet esse charissima. Sic multa quæ honesta naturâ vidẽtur esse, temporibus fiunt non honesta.

Cicero libro 7. Philippicorum.

Vri secariq; patimur: vt membrorum potius aliquid, quàm totũ corpus intereat. Sic in Reipub. corpore, vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur.

Ibidem libro 12.

Omnibus bonis expedit saluã esse Rempub. Sed in his, qui fortunati sunt, magis apparet.

Cicero in inuectiua contra Catilinam.

Fuit quondam in Repub. virtus, vt viri fortes acrioribus supplicijs ciuem perniciosum, quàm acerbissimum hostem quaterent.

Cicero Tuscu. quæst. lib. 1. circa finem.

Claræ verò mortes pro patria oppetitæ, non solùm gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent. Repetũt ab Erichthæo, cuius etiam filię cupidè mortẽ expetiuerunt pro vita ciuiũ: Codrum, qui se in medios immisit hostes famulari veste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio: quod oraculum erat datum: Si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Menechus, verò non prætermittitur, qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Iphigenia Aulidæ duci se immolandam iubet, vt hostium sanguis eliciatur suo. veniũt inde ad propiora, Harmòdius in ore, & Aristogiton Lacedæmonius Leonidas, Tebanus Epaminundas vigent, Nostros non norũt, quos enumerare magnum est. Ita sunt multi quibus videmus optabiles fuisse mortes cum gloria.

Cicero Rhetoricorum ueterum libro 1.

Omnes leges iudices ad commodum Reip. referre oportet: & eas ex vtilitate communi non ex scriptione, quæ in literis est, interpretari. Ea enim virtute & sapientia maiores nostri fuerunt, vt in legibus scribendis nihil aliud sibi, nisi salutem & vtilitatem Reipubl. præponerent.

Ibidem.

Neq; enim ipsi quod obesset, scribere solebant, & si scripsissent, cùm esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa esse saluas vult, sed Reipubl. quia & legibus omnem Rempubl. optimè putant administrari.

Ibidem.

Quamobrem leges igitur seruari oportet, & ad

ad eam causam scripta omnia interpretari conuenit, hoc est, quoniam Reipub. seruiamus, ex Reipu. commodo atq; vtilitate interpretemur.

Cicero Rhetoricorum nouorum lib. 4.

Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur.

Ibidem.

Cùm agetur incolumitas perpetua ciuitatis, qui bonis erit rationibus præditus, profecto nullum vitæ discrimen sibi pro fortunis Reip. fugiendum putabit, & erit in ea sententia semper, vt pro patria studiosè agat, quamuis in magnam descendat vitæ dimicationem.

Ibidem.

Nam sapiens qui omnia Reipub. causa suscipienda putabit, sæpe ipse secum loquitur. Non mihi soli, sed etiam atq; adeò multò potius natus sum patriæ.

Ibidem.

Vita, quæ fato debetur, saluti patriæ potissimum persoluatur. Aluit hæc me, tutè atq; honestè perduxit vsq; ad hanc ætatem. Muniuit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quid est quod à me ei persolui possit satis, vnde hæc accepta sunt?

Ibidem.

Quis est tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis inuidię angustijs continetur? qui non hunc hominem studiosissimè laudet, & sapientissimum iudicet, qui pro salute patrię, pro incolumitate ciuitatis, pro Reip. fortunis, quamuis magnum atq; atrox periculum studiosissimè suscipiat, & libenter subiat?

Ibidem.

Sapiens itaq; nullum periculum pro Repub. vitabit. Ideo (quod sæpe fit) qui pro repub. perire noluerit, necessariò cum Repub. pereat.

Ibidem.

Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro Repub. subeundum est, stultè faciunt.

Ibidem.

At qui patriæ pericula suo periculo expetunt hi sapientes putandi sunt: cum & eum, quē debent, honorem reip. Reddunt, & pro multis perire malunt, quàm cum multis.

Vale. Max. lib. 1.

Aequè enim virtutis est, & bona patriæ auxisse, & mala in se transferri voluisse.

Vale. Max. libro 2. tit. de institut. antiquis.

Adeò magna charitate patriæ Romani tenebantur, vt arcana consilia patrum conscriptorum multis seculis nemo senator enunciauerit.

Ibidem.

Apud antiquos, qui curiæ limen intrabant, abiecta priuata charitate publicam induebant.

Homerus in o Iliados.

οὔ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ πέρι πάτρης τεθνάμεν. id est

Non illi indecens pugnanti pro patria mori.

Ibidem in α Odyssea.

—αὐτὰρ ὀδυσσεὺς
ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι,
ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται. id est:
—Sed Vlysses
Cupidus saltem fumum egredientem uiderit à sua terra, mori cupide pacifcitur.

Idem in Odyssea.

—οὐκ ἔγωγε
ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. id est,
Neque utique ego.
Mea terra possum dulcius aliud uidere.

Periander.

θνῆσκε ὑπὲρ πατρίδος. Id est, Morere pro patria.

Ouidius de Ponto libro 1. Elegia 4.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Horatius Carminum libro 3. Ode 2.

Dulce & decorum est pro patria mori.

AMANTIVS.

AMor est animi deuinctio erga aliquid, siue id animatum sit, siue inanimatum: honesti, vtilis, iucundíue causa excitatus: contrarium est odium.

Platonicus Phædrus

Amor est magnus deus.

Magnum esse Deum amorem comprobat, apud Deos hominesq; mirandum, cum propter alia multa, tum propter eius originem. Amor enim omnibus ad omnia est ingenitus.

Dionysius Areopagita in libro de diuinis nominibus.

Amorem siue diuinum, siue angelicum, siue spiritalem, seu animalem, aut naturalem dicas, insitiuam quandam intellige, commiscentemq; virtutem, quæ superiora quidem ad inferorum prouidentiam prolicit: Aequalia rursus ad socialem sui inuicem communionem cōciliat: ac postremo infima queq; prolectat, vt ad sublimiora, potioraq; conuertantur: immò veluti fomite quodam igneo amplius succensa, resiliant.

Hesiodorus in Theogonia

Primo quidem factum cecinit Chaos, mox terram & tartaradein, de prodijsse amorem affirmat, eum quidem sic interpretatur, vt intelligat per hunc insitam vnicuiq; eorum quæ sunt naturalem vim, causamq;, qua esse expedit vnū quodq;: Hoc quidem intellectu, illud autem sensu, id est τὸ μὲν νοερῶς, τὸ δὲ αἰσθητικῶς. Idem fabulatur amorem ex Chao & terra natum.

Exemplum.

Sabellicus lib. 5. cap. 2. T. Liuius lib. 2. belli Punici secundi.

Potuit Aemilius Paulus Cannensi acie, tamet si vulneratus, vncus tamen & omnis culpæ expers in tutum euadere, sed legionibus cæsis, noluit: repudiato equo, qui illi ad fugam à Lētulo deferebatur, quinimò saxo sedens, macte, inquit, ista virtute C. Corneli, abi nuncia publicè Patribus, vt vrbem Romā muniant, firmentq; præsi-

Exemplum plu[...] titudi[...]

Magnus amor in patriam Aemilij Pauli. præsidijs ante hostis aduentum: meq́;, vt decet, finite inter meos milites expirare. Mirus imperatoris amor, qui non potuit patriæ, quæ superstes erat, nõ esse memor, paulò pòst expiraturus.

Apophthegm. Eras. lib. 5.

Anima est vbi amat potius, quã vbi animat. Cato amantis animum dicebat in alieno corpore viuere, quod hodie quoque celebratur: animam illic potius esse, vbi amat, quàm vbi animat.

Idem lib. 3. de dictis Socratis, Erasmus.

Socrates eos, qui corpus tantùm amarent, similes esse aiebat medicis, qui semper egerent, semper instarent aliquid flagitantes: rursus, qui amici essent potius, quàm amatores, similes esse ijs, qui proprium fundum posiderent, quem semper student reddere meliorẽ. Amator suam quærit explere voluntatem, amicis, haud quaquam: ad se spectans, hoc se putat ditiorem, quo meliorem reddiderit amicum.

Fabula.

Fullo. Carbonarius. Fullonem inuitabat carbonarius, vt secum in vnis ædibus habitaret: Fullo, non est, inquit, mi homo, istuc mihi vel cordi vel vtile. Vereor enim magnopere, ne quæ ego eluam, tu reddas tam atra, quàm carpo est.

Morale.

Amor tantùm inter pares, & similium morum homines constare rectè potest.

Simile.

Vt bruta, si vi commisceantur diuerso generi, discedunt indignantia, & grauiter ferentia: sic inter similes placidè coit & cohæret amor.

Aliud.

Musica symphonia constat ex diuersis, puta grauibus & acutis, inter se ratione compositis: at amicitia constat similibus: Ex moralibus Plutarchi.

Aliud.

Vt prima materia, quibuslibet formis variatur, cùm propriam non habet: ita animus multorum amori subiectus.

Adagium.

Amor ex aspectu nascitur.

Hoc prouerbium admonet oculos amorem potissimum conciliare. Non enim amatur incognitum, sed ex conuictu oritur mutuus amor: & oculi pręcipuè sunt ad amandum illices, in ijs enim peculiaris animi sedes est, & in ijs (aiunt Poëtæ) cupidinem excubantem sua iacula mittere.

Sententia Græca.

Senarius Græcus. Ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν.

Amor ex videndo nascitur mortalibus.

Latinè.

Amor confirmatur & beneficio accepto, & studio perspecto, & consuetudine adiũcta. Quibus rebus ad illum primum motum animi & amoris adhibitis, admirabilis quædã exardescit beneuolentiæ magnitudo: quasi qui putant ab imbecillitate proficisci, vt sit per quam assequatur quisq́;, quod desideret, humilem sanè relinquunt & minimè generosum (vt ita dicam) ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia nasci volunt.

Poëtica.

Amor creaturis naturaliter inest omnibus, ad finem boni, nec aliter durare possunt.

Boëtius lib. 4. Metro. 6.

Hic est cunctis comumnis amor,
Repetuntq́; boni fine teneri,
Qui non aliter durare queunt,
Nisi conuerso rursus amore.
Refluant causæ, quæ dedit esse.

Amor docet Musicam.

Sensus est: amorẽ ad industriam excitare animum, artiumq́; & omnis elegantiæ magistrum optimum esse.

Socrates in conuiuio Platonis.

Putat animam immersam corpori veluti expergisci amoris stimulis, & hinc primos ad honesta impetus capere, tanquam excusso veterno: vnde Deum hunc idem Plato παντὸς ἐπιχειρητὴν, quod nihil non experiatur, appellat. Siqui- dem è taciturno reddit loquaculum, è verecundo stupidoq́;, comem ac blandum: de negligente, diligentem. Amor nihil inexpertũ sinit.

Cœlius lib. 12. cap. 35. & 36.

Duplex amor.

Platonici Philosophi, ex gemina illa vi humanarum animarum, intelligendi vna, generandi altera, duplicem Venerẽ deprehendere, quas & amores gemini comitentur. Equidem vbi humana species venustius cõcinnata ingerit se nobis, mens nostra, quam esse in nobis Venerem vnam statuimus & quidem superiorem, eam tãquam diuini decoris imaginem amplexatur & suspicit: perq́; huius quandoque vestigia ad illud arrepit, struitq́; gradum. Generandi verò facultas, quæ altera dicitur Venus, pulchritudinis illecta radijs ac permulsa, formam illi persimilẽ gestit effingere: quamobrem vtrobiq; amorem recognoscimus: sed cõtemplatur vnus, alter generare cupit, atq; expingere, quod decentissimum animaduertit. Amor vterque honestus ac probandus, quando vterque diuinam sectatur imaginem.

Scribit Plotinus,

Amorem Heroa dici, fortè quoniam ἀπὸ τῆς ὁράσεως, hoc est, à visione substantiã habet, quãdo & amor, qui affectio est, ab hoc habet instinctum. Amorem porro Græci ἔρωτα vocant: quia vt Plato inquit, εἰσρεῖ, id est, influit extrinsecus per oculos, quamuis etiam in Phędro ἀπὸ τῆς ῥώμης, à robore ac vehementia dici ἔρωτα Socrates putat.

Exemplum.

Cœlius lib.12.cap.33.

Pythen genere illustrem, tradunt historici celeberrimi, vxorem duxisse Iapagyam, exque eo matrimonio natam illi filiam, Pieriam nomine: erat aũt bellũ vehemens Minutijs aduersus Milesios, tantumq; rei diuinæ faciendæ causa cõmeare licebat. Pythes igitur uxor cum filia Dianæ sacra factura, progressa Miletum, ibi tum Phrygius Nelei maximus natu filius Pieriam conspicatus, eiusq; forma incensus, amare vehementer cæpit: quique est amantium affectus cupiens illi gratificari, quidnam gratissimum ei à se præstare posset percontatus: tum puella prudens & pia, id gratissimum fore, innuit, si Miletum multis sæpe comitibus securè proficisci facultas ab illo daretur: quod phrygius de pace rectè, vt illa senserat, intelligens, statim aduocata cõcione, Milesijs de ineũda cũ Mynutijs amicitia, verba fecit: quæ res cum omnibus placuisset, composita est pax, tamque iucundis exorsa initijs, apud vtrunque populũ nomen Pieriæ tã celebre fuit, adeo vt mulieribus abierit in adagium res, vt in votis illarum id esset antiquissimum: sic se amari velle, veluti Pieriam Phrygius adamasset.

Apophthegma Eras.lib.3.Apopht.

Socrates frequenti in ore habere solebat, animorum formam magis amandam, quàm corporum, eamq; voluptatem, quam, in nobis conspecta formosa facies ad lõgè pulchriorẽ, sed latentẽ animi speciem, esse transferendam: verum vt hanc videamus, philosophicis oculis opus esse. Notabat φιλεῖσθαι Græcam vocem ancipitem esse, & ad osculandum, & ad amandum: quorum prius est corpus amantium, alterum mens.

Fabula.

Leo quum socios adsciscere sibi vellet, multaque animalia sese illi adiungere optarent, idq; precibus & votis exposcerẽt: cæteris spretis, cũ porco solum societatem inire voluit: rogatus autem causam, respondit: quia hoc animal adeo fidũ est, vt amicos & socios suos in nullo, quantumuis magno, discrimine vnquàm relinquat.

Societas Leonis cũ porco

Affabulatio.

Amandi tantum sunt fidi

Monemur tantum eos amandos, qui aduersitatis tempore à prẹstando auxilio non referunt pedem.

Simile.

Vt manus eadem in varios dissecta digitos: sic multorum amor eos unum reddit, discretos tamen.

Aliud.

Ex moralibus Plutarchi.

Qui reiectis cognatis, peregrinos amat, eosque sibi adsciscit amicos: perinde facit, ac si quis amputato pede carneo ligneũ pedẽ addat.

Prouerbium.

Pindarus in Nemæis, hymno 4.

Lynge trahor. De ijs, qui vehementi & impotenti desiderio trahuntur ad aliquid. Tradunt autem Lyngem fuisse filiam Echûs, quæ Iouem venenis amatorijs in amorem cum incitasset, à Iunone versa sit in auem Lyngem, quæ motacilla vocatur: qua postea mulieres vti cõsueuerũt in amatorijs veneficijs.

Plato.lib.6.de LL.

Παλαιὸς γὰρ ὁ λόγος ἀληθὴς ὤν. μάλα μὲν ὀρθῶς τε ἐμμελῶς ἄρηται. ὡς ἰσότης φιλότητα ἀπεργάζεται.

Id est:

Verum est enim vetus illud verbum, rectè atque aptè dictum: similitudinem amoris authorem esse.

Latinè.

Xenephon commentario secundo.

Minimè tibi amandos eligas, qui in reddendis beneficijs, alijsque vitæ officijs fuerint negligentes: nec auaros, qui tantum proprio commodo student: nec mendaces ac subdolos, nec voluptarios, ventri, somnoq; & Veneri nimium indulgẽtes. Tales enim nihil boni in cõmune officium amoris conferre speres, sed eorũ potius commerciũ fugiendũ. Nã bon⁹ ignauum cuius facta minimè ꝓbat, nullo pacto eligere poterit.

Amor sanctus leges struat.

POETICA

Statius in Surrentino pollij.

Discite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coiêre faces, sanctusq; pudicæ
Seruat amicitiæ leges amor.

ALIA.

Amor laboris nullius sensum habet. Ex hippolyto Senecæ,

Non me, per altas ire si iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non, si per ignes ire, & infesta agmina,
Cunctor paratis ensibus pectus dare.

ALIA.

Virgilius ad Messalam

Omnia uincit amor: quid enim non uinceret ille.?

Amor mutuus.

Quare illud satis est, si te permittis amari,
Nam contra ut sit amor mutuus inde mihi.

Nulla lex amori est.

Boëtius lib.3.Metro.12.

Quis legem det amantibus?
Maior lex amor est sibi.

Μουσικὴν ἔρως διδάσκει κἄν τις ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, id est: Musicen docet amor, & si fuerit indoctus prius.

Orpheus in carminibus.

Amorem, quem φάνιτα vocat: principium ponit rerum humanarum.

Zeno stoicus.

Amorem dicit amicitiæ, & concordiæ, libertatis quoque instrumentum: ideo ad salutem reipub. plurimum conferre. Sapientes alij (vt

Athenæus. (vt ait Athenæus) eum procùl ab omni turpitudine iudicabant, & Gymnasijs vnà cum Mercurio & Hercule statuerũt, cui sacrificabant. Nam amorem & honestam voluptatem, quæ ex virtute prouenit, deliciæ corporis infamauerunt, vt Seneca. Seneca testatur in epistolis, neque voluptas, inquit, causa virtutis, more Epicuri, sed accessio est. Virtus enim, non quia delectat, placet: sed quia placet, delectat.

Triplex amor secundum Platonem.

Virtus quia placet, delectat.

Plato triplicem ponit amorem, diuinum, ferinum, & humanum: primus occurrẽte pulchro aspectu ad diuinorum contemplationem animum extollit, ab omni procùl labe remotus: secundus belluarum more coinquinat: humanus autem inter vtrunq; consistens, sensus quidem quadam tenus oblectat, vitium tamẽ refugit. In symposio quo quisq; ex ordine conuiuia de amore sermonem habet, geminam ponit Venerem, cum gemino amore: primam, sine matre cęlestem & pudicã, quam sequitur amor pudicus. Secundã, ex vtroq; sexu procreatam, impudicã, ex Dione: quam itẽ amor sequitur impudicus.

Amici insuper in partem honesti veniunt amoris. De quibus legendis præter Aristotelem in 8. Xenophon in 2. commentario Socratem differentem introducit.

Exemplum.

Camillus lib.6.cap.7.de amore pudico.

Pisonianæ conspirationis conscius apud Nerone accusatus, perpetuo exilio mulctatus est. Archona Flacilla vxor, cùm Romæ in magnis opibus manere posset, patriæ atq; opibus exilium cum viro prætulit.

Apophtegma. Erasmus lib.4.apophteg.

Mamertinos, quod hostium partibus adhęsissent, vniuersos interficere statuerat Cneius Pompeius. At Sthenius eius ciuitatis Princeps, Pompeium adijt his verbis: Non æquum facis Pópei, qui propter vnum noxium, multos innoxios occidere pares: atqui ego ipse sum ille, qui & amicis persuasi, & inimicos coẽgi Marianas sequi partes. Hic Pompeius viri fortis animum admiratus, dixit, se ignoscere Mamertinis à tali persuasis viro, qui patriã suę ipsius vitę antetulerit, simul & ciuitatem & Sthenium liberauit. In Sthenio habes exemplum, quem animũ erga Remp. gerere principẽ oporteat, si periculum incidat: in Pompeio placabilitatis documentũ, qui pietati maluerit habere honorẽ, quàm indulgere irę.

Stheni⁹. Amor Patriæ.

Pręclarissima exẽpla amoris patrię ac placabilitatis.

Aliud.

Patriæ parentibusq; post Deum magnoperẽ debemus. Hinc Vlysses apud Calypso patriam prætulit immortalitati: quod vsurpat in orationibus Cicero. At si vos quid patria delectat, Quirites, cuius est tantus amor, vt Ithacum vir præstantissimus, nidulumq; illum affixum saxis immortalitati prætulerit.

Vlysses erga Patriam.

Sententia Græca:

Euripides in Medea.

ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν
ἐλθόντες οὐκ ἐυδοξίαν
ὀυδὲ ἀρετὴν παρέδωκαν
ἀνδράσι εἰδ᾽ ἅλις ἔλθοι κύπρις.
οὐκ ἄλλα θεὸς ἔυχαρις οὕτω.

Amantius uertit.

Quum uehemens nimis urit amor ludibria, præbet
Obscuræ famæ damnaq; multa crebrò.
Verum ubi honesta Venus mortali aduenerit ulli,
Nulla refert gratæ plus Dea lætitiæ.

POETICA.

Propertius lib.2.Eleg.27.

Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa & amare potest.

Alia.

Omneis humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi, non amat artificem.

PHILOSOPHICA.

Fulgosus libro 5.cap.6.

Quum multi propter patriæ charitatem non opes modò verùm vitam quoq; ipsam profuderint, eiusmodíque hominum laudibus fama nomenq́; offeratur, iure credẽdum est, post Deum mortales hanc vnam habere, cui maiorem nauare operam debeant.

Volateranus lib.32.Philologiæ.

Thespienses Erotidia celebrabant, sicuti Olympia Lacedęmonij, ante pugnam amori sacrificabant, veluti in amore certantium, & certa amicitia, victoria consisteret. Cretenses in pręlijs optimos ac pulcherrimos amore deuinctos secernebant, ac per eos annua sacra fiebant: apud Athenienses sacra cohors appellata, ex amatis ac amantibus consistebat: vt tradit Alexis, in qua summa erat fiducia. Ex Athenæo. Sacra cohors.

Cœlius lib.12.cap.35.

Ex Pausaniæ monumentis non negligendum illud vtiq;: Assyrios omnium primos Vraniam Venerem adortos colere, quos sint insecuti in Cypro Paphy & ad Ascalonem Phœnices, à quibus didicerint mox Cytherij. Sed & Athenis Vraniæ Veneri fuisse erectum templum, idem comprobat Pausanias.

Cœlius lib.12.cap.32.

Plato in Phædro scribit, quosdam tradidisse, amorem dicì à mortalibus ἔρωτα volatilem: ab immortalibus autem πτερωτόν, id est, alatũ quendam, propter volandi necessitatem.

In symposio Socrates asserit, se nihil præter amatoria scire.

Phædrus verò maximorum bonorũ causam esse amorem pronunciat, nec se inuenire quid melius accidere possit adolescenti, q̃ optimus amator, aut amatori amatus quàm optimus: & esse quidem duo, quæ à pueritia per omnem vi-

Verecundiæ & honesti studium.

tam abducere illum debeant à rebus turpibus: Verecundiam, & honesti studium. Hæc autem nobis neq; diuitiæ, neq; honores præstare possunt citius, ac melius quàm amor, neq; absq; ijs duobus aut ciuitas vnquam, aut priuatus homo præclarum aliquid & magnificum perficere poterit. Nec vllus adeò ignauus erit, quem amor non inflammet ad virtutem, diuinumq́; reddat, vt viro fortissimo par euadat. Nam quod Homerus dicit, vim furoremque à Deu quibusdam heroibus inspiratum, hoc amor amantibus efficit. Quin etiam pro altero mori, amantes soli eligunt, nec viri tantùm, sed & mulieres quoq;.

NANVS.

AMor cupidineus Grçcè ἐρωλικός dicitur. Quid sit, vide infrà vbi describitur à Seneca, vbi dicit volucrem esse amorem, & reliqua.

Augustinus de utilitate credendi.

Sordes animi sunt amor quarumlibet rerum, præter animum & Deum. A quibus sordibus quantò quisq; est purgatior, tantò verum facilius intuetur.

Augustinus de moribus Ecclesiæ contra Manichæos.

Nihil tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur.

Augustinus libro 15. de ciuitate Dei.

Omnis creatura cùm bona sit, & bene amari potest & malè. Bene scilicet ordine constituto: Malè ordine perturbato.

Augustinus libro de Viduitate.

Nullo modo onerosi sunt labores amãtium. Sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantiũ, piscantium.

Hieronymus in epistola ad Nepotianum.

Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblata, ac degustatos cibos, blãdas dulcesq́; literas sanctus amor non habet.

Ambrosius in sermone do Assumptione.

Hoc habet impatiens amor, vt quem desiderat, semper inuenire se credat: ignorat siquidẽ iudicium, & ratione multoties caret. Nescit modum, nec aliud cogitare, quàm quod amat, potest. Amor non accipit de impossibilitate solatium, nec ex difficultate remedium, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec ratione subijcitur.

Ioannes Chrysosto. super illud: Sic dilexit Deus mundum.

Nemo amatorum carnalium, etiam si sit supra modũ insaniens, ita exardescere potest in amorem dilectæ suæ, quemadmodum Deus effunditur in amore animarum nostrarum.

Bernardus de præcepto & dispensatione.

Non enim præsentior est spiritus noster, vbi animat, quàm vbi amat: nisi fortè magis putetur esse, vbi vinctus ex necessitate tenetur, quàm quò alacri fertur voluntate.

Seneca in Prouerbijs.

Amans quid cupiat, scit: quid sapiat, non videt. Amans quod suspicatur vigilans, somniat. Amor extorqueri non potest, elabi potest. Ab amante lachrymis redimas iracundiam. Amare iuueni fructus est, crimen seni. Amor otiosæ causa est solicitudinis.

Seneca Tragœdia 4.

Quisquis in primo obstitit pepulitq; amorem,
Tutus ac uictor fuit.

Seneca ibidem.

Quod ratio poscit, uincit ac regnat furor,
Potensq́; tota mente dominatur Deus.
Hic uolucer omni regnat in terra potens,
Volitatq́; cælo pariter & terris grauis.

Seneca Tragœdia 4.

Precibus haud uinci potest. Amore dicimus uinci feros.

Seneca Tragœdia 9.

Volucrem esse amorem fingit immitem Deum
Mortalis error, armatq́; telis manus,
Artusq́; sacros instruit sæua face.
Genitumq́; credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atq; animi calor
Amor est: iuuentæ gignitur luxu,
Otio nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem si fouere atq; alere desistas, cadit:
Breuiq; uires perdit extinctus suas.

Seneca Tragœdia 10.

Hærere amantes post uagos ignes solent.

Ibidem.

Vicit & superos amor.

Seneca in Hippolyto.

Compesce amoris impij flammas precor.

Cicero Rhetoricorum nouor. libro. 4.

Perditissima oratio est, amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam.

Lucius Apuleius de Asino aureo libro 3.

Flamma sæui amoris paruo quidem primo vapore delectat, sed fomẽto consuetudinis exæstuans, immodicis ardoribus totus adurit homines.

Euripides in Medea.

φεῦ, φεῦ. Βροτοῖς ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα. id est,
Mortalibus amores quàm magnum malum.

Idem ibidem.

ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν
ἐλθόντες, οὐκ εὐδοξίαν
οὐδ᾽ ἀρετὴν παρέδωκαν
ἀνδράσιν εἰ δ᾽ ἅλις ἔλθοι
κύπρις, οὐκ ἄλλα θεὸς εὔχαρις οὕτω.

Amores nimij.
Cùm accesserint, non bonam famam
Neq; uirtutem attulerunt
Hominibus. Si temperata accesserit Venus,
Non alia dea adeô gratiosa.

Incertus author.

Τὶς θεὸν εἶπεν ἔρωτα, θεοῦ κακὸν οὐδὲν δρῶμεν
ἔργον. ὃδ᾽ ἀνθρώπων αἵματι μειδιάει. id est,

Qui

Quis Deum dixit amorem? Dei malum nullum uidemus
Opus. ast hic hominum sanguine ridendo gaudet.

Phocylides.

σεμνὸς ἔρως ἀρετῆς, ὁ δὲ κύπριδος αἶσχος ὀφέλλει.
Venerandus amor uirtutis, sed Veneris insaniam auget.

Plautus in Asinaria.

Vt miser est homo qui amat, imò verò qui pendet, multò est miserior.

Plautus in Curculione.

Aedepol qui amat, si eget, misera afficitur ærumna.
Ipsus se excruciat.

Plautus in Cistellaria.

Qui omnes homines supero atq; ante eo,
Cruciabilitatibus animi iactor, crucior, agitor.
Stimulor, uersor in amoris rota miser, exanimor,
Feror, differor, distrahor, diripior:
Ita nullam mentem animi habeo.
Vbi sum ibi non sum: Vbi non sum, ibi est animus.

Plautus in Mustellaria.

Vbi amor aduenit in cor hominis, & is vsque in pectus permanauit, & cor permadescit, simul res, fides, fama, virtus, decusq; deserunt, homo fit modo nequior.

Plautus in Persa.

Miser est, qui amat.
Nihil amas, cùm ingratum amas.

Plautus in Trinumo.

Quid secius est, aut quid interest, dare te in manus argentum amanti homini adolescẽti, an gladium quo se occiderit?

Ibidem.

Amor amara dat tibi satis. Nam quem amor præcipitauit, peius perit, quàm si saxo saliat.

Ibidem.

Insanum est & malum in hospitium diuerti ad Cupidinem.

Plautus in Truculento.

Ab amatore poscere atq; auferre, mos est mulierum:
Nam omnes id faciunt, cùm se amari intelligunt.

Plautus in Bacchide.

Celerem oportet esse amatoris manum.

Terentius in Eunucho.

In amore hæc omnia insunt vitia: Iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum. Incerta hęc si postules ratione certa facere, nihilo plus agas, quàm si des operam, vt cum ratione insanias.

Ibidem.

Quæ res in se nec consilium, neq; modum habet vllum, consilio regere non potest.

Virgilius in Bucolicis.

—Quis enim modus adsit amori?

Ibidem.

—An qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Ibidem.

Nec lachrymis crudelis amor: nec gramina riuis:
Nec cythiso saturantur apes: nec fronde capellæ.

Ibidem.

Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

Virgilius libro 1. Aeneidos.

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Ouidius de arte amandi libro 1.

Palleat omnis amans, color est hic aptus amanti.

Ibidem.

Attenuant iuuenum uigilatæ corpora noctes,
Curaq;, & in magno qui fit amore, dolor.

Ouidius libro 2. de arte amandi.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt hæc timidis signa tuenda uiris.

Ibidem.

Quod iuuat, exiguum est: plus est, quod lædit amantes:
Proponant animo multa ferenda suo.
Quod lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
Cerula quot baccas Pallados arbor habet,
Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores,
Quæ patimur multo spicula felle madent.

Ouidius libro 2. de remedio amoris.

Intrat amor mentes usu: dediscitur usu:
Qui poterit sanum fingere, tutus erit.

Ibidem.

Quisquis amas, loca sola nocent, loca sola caueto,
Quo fugis? in populo tutior esse potes.

Ibidem.

Néue puellarum lachrymis moueare caueto:
Vt flerent oculos erudiêre suos.

Ibidem.

Vt pene extinctum cinerem si sulphure tangas,
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic, nisi uitaris, quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

Ouidius Tristium libro 4. Elegia 1.

Sentit amans sua damna ferens, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ prosequiturq; suæ.

Ouidius epistola Penelopes ad Vlyssem.

Res est solliciti plena timoris amor.

Ouidius epistola Phedræ ad Hyppolitum.

Quid deceat non uidet ullus amans.

Ouidius epistola Hisipyles ad Iasonem.

Credula res amor est.—

Idem epistola Medeæ ad Iasonem.

—Quis bene cælat amorem?

Idem epistola Paridis ad Helenam.

—Quis enim cælauerit ignem?
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ibidem.

Sed tamen apparet dißimulatus amor.

Ouidius epistola quam Hero mittit ad Leandrum.

—Quis enim securus amauit.

Ouidius Metamorphoseôn libro 2. fabula 13.

Non bene conueniunt, nec in una sede morantur,
Maiestas & amor.

Ibidem libro 3. fabula 6.

—Minimum est quod amantibus obstat.

Ibidem libro 4. fabula 3.

Quoq; magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

Ibidem.

Audacem faciebat amor.—

Ibidem libro 6. fabula 6.

Et nihil est quod non insano captus amore
Ausit.—

Ibidem.

Facundum faciebat amor.—

Idem libro 7. fabula 1.

—Video meliora proboq;.
Deteriora sequor.

Idem libro 7 fabula 27.

—Sed cuncta timemus amantes.

Idem libro 9. Metamorphoseôn fabula 10.

Spes est quæ capiat, spes est quæ pascat amorem.

Idem libro 13. fabula 7.

—Proh quanta potentia regni,
Est Venus alma tui?

Propertius libro 1. Elegia 3.

Hac amor, hac liber, durus uterq; Deus,

Ibidem Elegia 5.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti,
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Ibidem Elegia 14.

Nescit amor magnis cedere diuitijs.

Idem libro 2. Elegia 1.

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

Ibidem Elegia 3.

Ac ueluti primò taurus detrectat aratra,
Pòst uenit assueto mollis ad arua iugo:
Sic primò iuuenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti, posthæc æqua & iniqua ferunt.

Idem Elegia 5.

Omne in amore malum, si patiare, leue est.

Ibidem Elegia 9.

Omnia uertuntur, certè uertuntur amores,
Vinceris, aut uincis hæc in amore rota est.

Ibidem Elegia 13.

Quicunq; ille fuit primus qui pinxit amorem,
Nónne putas miras hunc habuisse manus?
Hîc primùm uidit sine sensu uiuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustrà uentosas addidit alas,
Fecit & humano corde uolare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraq; non ullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et Pharetra ex humero Gnosia utroq; iacet.
Antè ferit quoniam, tuti quàm cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.

Ibidem Elegia 15.

Scilicet insano nemo in amore uidet.

Idem Elegia 16.

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Ibidem Elegia 17.

Turpis amor, surdis auribus esse solet.

Idem Elegia 24.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare uolet.

Ibidem Elegia 27.

Multum in amore fides, multum constantia prodest,
Qui dare multa potest, multa & amare potest.

Ibidem Elegia 31.

Quò fugis ah demens, nulla est fuga: Tu licèt usq;
Ad Tanaim fugias usq; sequetur amor.

Ibidem Elegia ultima.

Expertus dico, nemo est in amore fidelis.

Ibidem.

Tu mihi uel ferro pectus uel perde ueneno,
A domina tantum te modò tolle mea.
Te socium uitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus amice meis.
Lecto te solum, lecto te deprecor uno,
Riualem possum non ego ferre Iouem.

Propertius libro 3. Elegia quinta.

Pacis amor Deus est, pacem ueneramur amantes.

Ibidem Elegia 21.

Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Ibidem

Quantum oculis, animo tam procùl ibit amor.

Tibullus libro 1. Elegia 2.

Audendum est. Fortes adiuuat ipsa Venus.
En ego cum tenebris tota uagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus.

Ibidem.

—Cælari uult sua furta Venus.

Idem libro 1. Elegia 5.

—Nam donis uincitur omnis amor.

Idem Elegia 6.

Iussit amor: contra quis ferat arma Deos.

Tibullus libro 3. Elegia 8.

Nulla fides Veneri: periuria ridet amantum
Iuppiter & uentos irrita ferre iubet.

Franciscus Petrarcha. Soneto 61.

Ben sapea io: che natural consilio
Amor contra di te giamai non ualse:
Tanti laci uol tante promisse false
Tanto prouato hauea tuo fier artigillio.

Id est:

Planè sciebam humana consilia
Amor, contrà nunquam valuisse.
Tot laqueos, tot falsa promissa,
Toties expertus erã tuum ferox artificium.

Idem Soneto 166.

Laci ha amor mille. & neccun tende in uano. id est,

Laqueos habet amor mille, & nullum frustra impendit.

Franci. Petrar cantil. 34. Stantia 6.

Quel chio so uedo, & non mingnana il uero
Malco noscuto Anci messorza amore,
Che la strada dhonore
Mai non lassa sequire chi tropo il crede. *id est,*

Quod facio video: nec me decipit veritas
Latens: sed amor mihi vim infert,
Qui iter honoris
Nunquam permittit sequi eos, qui sibi credũt.

Fran. Petrar. triumpho amoris cap. 1.

Questo e collui chel mundo chiama amore,
Amore come uedi & uederai meglo,
Quando sia tuo, como e nostro signore
Mansueto fanciullo & fiero ueglo,
Bensa chil proua. & fiati cosa piana.
Anci millani, infino adhorti sueglo,
Et naque docio, & dilasciuia humana,
Nutrito di penser dolci & suaui.
Facto segnor & dio de gente uana.
Tal e morto da lui, qual cum piu graui.
Legi mena sua uita aspera & acerba,
Sotho mille cathene & mille chiaui. *id est,*

Hic est ille quem orbis nuncupat amorem,
Amarus vt vides, & melius videbis,
Quando tibi, vt nobis, dominabitur
Humanus puer & ferus vertagus,
Id sciunt experti, & tibi palam fiet,
Ante mille annos, & nunc, te admoneo,
Is natus est otio, & humana lasciuia,
Nutritus curis dulcibus & suauibus,
Factus dominus & deus hominum leuium.
Talis est mortuus ab eo, qui grauioribus
Legibus ducit suam vitam asperam & acerbã,
Sub mille catenis & mille clauibus,

Fran. Pretrar. triumpho Amoris cap. 2.

So come amor saetra, & come uola,
Et so come hor monaccia & hor percotte:
Come roba per forsa & come inuola.
Et so come sono instabile sue rote,
Lesperanze dubiose, & dolor certo,
Se promisse di se come son uote.
Come ne el ossa il suo foco coperto.
Et ne le uene uiue oculta piaga.
Vnde e morte palese, e incendio aperto.
In summa so come inconstante & uaga,
Timida & ardita uita deglemanti:
Obum pocho dulce muito amaro appaga.
Et soi costumi & lor sospir & canti,
Et parlar rotto, el subito silentio,
El breuissimo riso e in lon chi pianti,
Et qual el mel temprato cum lassentio. *id est,*

Scio qualiter amor sagittat, & quomodo volat,
Et scio qualiter nunc minatur, & nunc vero percutit.
Sicut furatur vi, & quomodo dilabitur,
Et scio vti sunt instabiles suæ rotæ,
Dubiæ eius spes, & dolor certus,
Eius promissa fidei qualiter sint vacua:
Quomodo in ossibus suus ignis tectus est,
Et in venis viuit antiqua plaga:
Vnde & mors patens incendium.
In summa scio, qualiter inconstans & vaga,
Timida & audens sit amantium vita:
Vt in modica dulcedine appariat amaritudo plurima.
Eius mores, suspiria cantusq́;,
Sermo interruptus, silentium subitum.
Breuissimus risus, & in eius oculis gemitus,
Et quale est mel cum absynthio temperato,

Fran. Petrar. triumphi Amoris cap. 3.

Hor qui triumpho il signore gentile
Di noi & daltri tuti, che ad un lacio
Preisi hauea, dalmar dindia à quel di Thyle.
Pensieri in grembo, & uanitate in braccio
Dilecti fugitiui & forma nomina:
Rose diuerno, à mexastate il giaccio.
Dubia speme damanti, & breue gioia
Pœnitentia & dolor doppole spale,
Qual uel regno di Roma o in quel di Troia. *id est,*

Iam ibi triumphauit generosus dominus
De nobis & cũctis alijs, quos ad eundẽ laqueũ comprenderat, à mari Indo ad mare quod ad Thylem est.
Cogitationes in gremio, & in brachio vanitates.
Grati qui fugiunt, & firmum fastigium
Rosæ hyemales, æstate media glacies,
Dubia spes amantium, & breue gaudium,
Pœnitentia & dolor post dorsum ipsum
Qualis in regno Romano aut Troiano.

Fran. Petrar. Amoris cap. 4.

Triumphar uolse, quel chel uolgo adora.
Et uidi à qual seruiggio, & aqual morte.
Et à cepestraccio ua, che sinamora.
Errori, sogn & imagine smorte
Eran dintorno al carro triumphale:
Et false opinion sopra le porte.
Et sta. ubrico sperar sopra le scale.
Stancho riposo, & riposato affanno:
Et gradi oue piu scende cheu piu sale.
El dannoso gaudagno. & util danno:
Chiar dis honor & gloria obscura & nigra,
Perfida le altate, & fido inganno,
Sollicito furor, & ragion pigra.
Carcere oue si uien per strade aperte,
On per freta à granpœna si migra.
Ratte scese al intrar, ul uscit erte.
Dentro confusion turbida & mischia
Di certe doglio, & dalegreze incerte.
Non bolli mai Vulcan, Lippari & Ischia,
Stromboli & moncibello come quel loco.
Poco amase, chin talgiaco sarrischia. *id est,*

Triumphare uoluit is, quem uulgus ueneratur,
Et uidi ad quale seruitium, & qualem mortem,
Et ad quem spretum it, captus amore.
Errores somni atq; imagines pallore obsitæ
Circunstabant triumphalem currum:
Et falsæ opiniones in ipsis foribus.
Lubrica quoq; spes in scalarum gradibus:
Fessa requies, & laborans requies:
Et gradus ubi plus descendens, ascendit magis.
Damnosum lucrum, & damnum ipsum utile,
Clarum dedecus & gloria obscura & nigra,
Perfida fides atq; fida deceptio,
Sollicitus furor & ratio pigra.
Carcer quò peruenitur apertis uijs,
Hucq; accelerando ad ingentem pœnam migratur.
Prœcipites descensus in ingressu, in exitu autem erecti plurimum.
Intus confusio turbulenta atq; lis ingens
Pœnarum certarum: at gaudiorum certitudo nulla.
Non ferbuerunt sic unquam Vulcani insulæ Liparis, aut Inarime.
Strongile, aut Aetna in tanta ira.
Parum sese diligit, qui tali ludo se immiscet.

ANGELVS. Angelus Græca dictio est, ἄγγελος. ȣ. ὁ. nuncius dicitur, ἀγγέλλω enim nuncio est.

Angelus est substantia intellectualis specie mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, secundum gratiam eius natura sui immortalitatem suscipiens, cuius substantiæ speciem & terminum solus, qui creator est, nouit, secundum Ioannem Damascenum libro secundo capite tertio.

Exodi 23.

Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locũ quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocẽ eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

August. libro de agenda cura pro mortuis, & habetur 13. quæst. ult. Fatendum.

Fatendum est nescire quidem mortuos quid hîc agatur, dum hîc agitur: postea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicantur, oportet audire. Possunt & ab angelis, qui rebus, quæ hîc aguntur, præstò sunt, audire aliquid mortui, quod vnumquenq; illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt.

August. super illud: Draco iste quem fecisti.

Præpositi sunt angeli cœlorum super potestates aëreas, vnde procedit verbũ quod fit hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternã iubentẽ sine scriptura, sine syllabis, sine strepitu, fixam, semper stantem intuentur angeli corde mundo, & ex illa faciunt quicquid hîc fit.

Idem in Enchiridio.

Vtiq; noscunt angeli sancti docti de Deo, cuius veritatis æterna cõtẽplatione beati sunt quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectat.

Hieronymus super Matth. libro 3.

Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui angelum deputatum.

Grego. & hab. dist. 40. Qualibet, §. Quid enim.

Quid enim paradyso iucundius? quid cęlo securius? & tamen homo ex paradyso, & angelus de cœlo peccando cecidit.

Grego. super Euangelium homelia 6.

Vnusquisq; in quantum sufficit si à prauitate proximum reuocat: si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum, vel supplicium erranti denunceat, cum verba sanctæ annũtiationis impendit, profectò angelus existit.

Gregorius in homelia.

Quia parua capiunt, sed tamen hæc eadem parua piè annũciare fratribus non desistunt, isti in angelorum numerum currunt. Qui secretorum cælestium summa capere præualent & nuntiare, etiam isti in archangelorum numerum deputantur. Qui amando ardent & loquendo alios accendunt, isti seraphici dicuntur.

Ibidem.

Angeli cùm ad nos veniunt, sic exterius implent minsterium, vt tamen nunquam desinit interius per contemplationem. Mittuntur ergo & assistunt, quia & si circunscriptus est angelicus spiritus, summus tantum spiritus ipse, qui Deus est, circunscriptus non est. Angeli itaq; & missi ante ipsum, qui à quolibet missi veniant, intra ipsum currunt.

Idem super euang. homilia 34.

Superna illa ciuitas ex angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus accendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est, Statuit terminos gentium, iuxta numerum angelorum Dei.

Grego. in homi. Erant appropinquantes &c.

Angelorum vocabulum nomẽ est offiij, non naturæ, nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt. Tunc solum sunt angeli, cùm per eos aliqua nuntiantur. Vnde Psalmus: Qui facit angelos suos spiritus. Hi ergo qui minima nũtiant, angeli: qui verò summa nũtiant, archangeli vocantur. Græca enim lingua angeli nuntij, archangeli verò summi nũtij vocantur qui idcirco priuatis nominibus cẽsentur, vt Michael, Gabriel, Raphaël, vt signetur & per ea vocabula quid in operatione valeant.

Ibidem.

Ibidem

Timet angelus adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublimatam.

Idem & hab. de pœni, dist. 2. prin. §. Nouem dixit.

Nouem dixit genera lapidum, quia nimirum ordines angelorũ sunt nouem. nã cũ per sacra eloquia angeli, arcããgeli, throni, dominatiões, virtutes, principatus & potestates, Cherubin, & Seraphin, aperta narratione memorãtur, supernorũ ciuiũ quãtæ sint distinctiones ostẽditur.

Gregorius 2. moralium.

In hoc est natura angelica à naturę nostrę cõditione distincta, quòd nos & loco circũscribimur, & cęcitatis ignorantia coarctamur. Angelorum verò spiritus loco quidem circunscribuntur, sed tamen eorum scientiæ longè super nos incomparabiliter dilitantur. Interius & exterius sciendo distincti sunt, quoniam ipsum fontem scientiæ cõtemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia, sciunt.

Isidorus lib. de summo bono.

Boni angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, vt cunctis administrent mundi, & regant omnia iussu Dei.

Ibidem.

Singulæ gentes præpositos angelos habere credũtur, omnes homines angelos habere probantur.

Ibidem.

Natura angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna.

Ibidem.

Angeli sunt naturâ mutabiles conditi, sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, & beatitudine perpetui.

Bernar. in sermone de ange.

Simus deuoti, simus grati tantis custodibus redamemus eos quantum possumus, quantum debemus affectuosè, ideo angelos eius tanquã futuros aliquãdo cohęredes: vos verò interim actores & tutores à patre positos, & prępositos nobis, adhuc enim paruuli sub tutoribus & actoribus sumus,

Ibidem.

Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuũ, directorẽ tuũ, adiutorẽ tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione verò neq; dormitat, neq; dormit, etsi quandoque ad tempus dissimulat.

Ibidem.

Væ vobis, si quando prouocati sancti angeli peccatis & negligentijs indignos nos iudicauerint præsentia & visitatione sua, & quorũ præsentia protegere nos & propulsare poterat inimicum. Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cauenda est nobis eorum offensa, & in his minimè exercendũ, quibus eos non nouimus oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis inuenire delectat, vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, & super hæc omnia veritatem & pacem à nobis exigunt,

Ibidem.

Benignus es Domine qui non es contentus nostra fragilitate murorũ, sed ipsis hominũ custodibus angelicam custodiam supponis.

Bernar. in serm. quadragesimæ, super illud: Accesserunt angeli, & ministrabat ei.

Tu ergo si vis habere ministerium angelorũ fuge consolationes seculi, & tentationibus resiste diaboli.

Ibidem angelis suis mandauit de te.

O quantũ debet tibi hoc verbũ inferre reuerentiã, afferre deuotionem, cõferre fiduciam, pro præsentia reuerentiam, pro beneuolentia deuotionem, pro custodia fiduciã. Cautè ergo ambula, vbi sunt angeli, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Ibidem.

Credimus angelos sanctos astare orationib[us], offerre Deo vota & preces hominum, ubi sine deceptione leuari puras manus prospexerint.

Ibidem.

In quouis diuersorio, in quouis angulo reuerentiam exhibe tuo angelo, nec audeas illo pręsente, quod me vidente non auderes. Adsunt igitur tibi non modò præsentes tecum, sed etiã pro te adsunt, vt protegãt, adsunt vt prosint.

Origines super lib. Numero. homi. 97.

Agunt angeli diem festum, lętãtes super his qui refugientes consortia dęmonum, per exercitia virtutum, angelicis festinant sociari consortijs.

Idem ibidem homi. 71.

Adest vnicuiq; nostrũ etiã minimis qui sunt in ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moneat, q gubernet, q pro actib. nostris corrigẽdis & miserationibus exposcendis, quotidiè videat faciẽ patris, qui in cęlis est.

Angor Gręcè ἀγχόνης ης ἡ, & ἄγχω ango, est ægritudo pręmẽs, secundũ Cic. lib. 4. Tusc. quęst.

Angor est animi & corporis cruciatus, vnde anxius solicitus, & anxietas solicitudo dicitur, quæ & anxietudo dici potest. Arctius persuasit mœror, anxietudo, error, dolor,

Angustia Gręcè στενοχωρία ας ἡ, & στενός οῦ ὁ angustus dicitur. Est viarum strictura, aut cuiuscunq; alterius rei, vnde per translationem pro difficultatibus capimus. Cicero Neminemq́ue, qui ei in tot rerũ angustijs subueniret, habebat Venit autem ab angusto verbo, quod est coarcto, quod anguli semper coarctentur.

Ani-

ANIMA VEGETATIVA.

Partes nutritiuæ diffinitæ. | Qualitates instrumentales. | Sedes earum.

- Nutritiua cuius obiectum est alimentum secundum quod potētia animatum, cuius uires sunt
  - Attractiua, qua attrahitur alimentum animati nutritiuum.
    - Per calidū & siccum, cuius sedes sunt
      - Stomachus, in quo est appetitus nutritiui.
      - Epar, in quod attrahitur subtile separatum à grosso alimento in stomacho.
      - Membra nutrienda, quæ incarnantur à nutrimento, quod inducitur uijs
        - Venarum, per quas ducitur humor.
        - Arteriarum, per quas ducuntur spiritus uitales.
  - Retentiua, qua attractum retinetur, donec digeratur
    - Per frigidum & siccum, cuius sedes sunt
      - Stomachus, in quo retinetur attractum ut digeratur.
      - Epar, in quo reseruatur attractum à stomacho nutrimentum, mittendum ad cor. Et purum ibi reseruatum est materia, ex qua fit nutritio totius animalis, cuius particula mittitur ad uasa seminaria.
      - Extremitates uenarum.
  - Digestiua, qua attractum & retentū digeritur
    - Per calidū & humidum, cuius sedes sunt
      - Os, in quo fit masticatio nutrimenti, & solum præparat & disponit ad digestionem.
      - Stomachus, in quo fit prima digestio, & ibi separatur grossum alimenti à subtili.
      - Epar, in quo fit resolutio nutrimenti in quatuor humores, & inde mittitur alimētum purum ad cor, & in uia illius motus fit tertia digestio, & purum ibi reseruatum est materia, ex qua fit nutritio totius animalis; sed eius particula mittitur ad uasa seminaria.
      - Extremitates uenarum, in quibus fit acceptio nutrimenti.
  - Expulsiua, qua superfluum alimenti egeritur
    - Per frigidū & humidum, cuius sedes sunt
      - Venter cum suis intestinis, in quæ uenit à stomacho superfluū alimēti digesti.
      - Vesica, in qua recipitur humidum urinale, quod stillat ab epate.
      - Vasa seminaria, in quibus sumitur superfluum quartæ uel propriæ tertiæ digestionis quod dicitur semen, per quod fit generatio, & dicitur superfluum in quantitate, non autem in qualitate, quia per hoc generat animal sibi simile.
- Augmentatiua, cuius obiectum est alimentum secundum quod potentia quantum.
- Generatiua, cuius finis est, generare sibi simile in specie, cuius obiectū est alimentum secundum quod generatiuum sibi simile in specie, & est à Deo & natura indita propter speciei conseruationem. Cuius uires sunt.
  - Semindatiua, quæ in masculis & fœminis semen generat.
  - Immutatiua, quæ uirtutes quæ insunt seminibus permiscet contemperando, secundum quod complexioni cuiuslibet membri corporis formandi conuenit.
  - Formatiua, quæ sic permixtis seminibus mēbra format & configurat.

Anima Sensitiua apprehensiua de foris, cuius partes sunt

Potentiæ sensitiuæ.	Organa.	Obiecta.	Actus.
Visus, cuius medium est perspicuum, peruium seu diaphanū	Oculus ad quem peruenit neruus opticus protensus à cerebro usque ad pupillam, ibi ramificatus, speciem sensati recipiens, & ad sensum communem referens.	Color lumen	Videre album & nigrum, cum intermedijs coloribus.
Auditus, cuius medium est aër, motus à duobus corporibus ad inuicem collisis, cōtinuatus aëri posito intra concauitatem auris, qui est connaturalis animali.	Tympanum auris, ad quod dirigitur neruus protensus à cerebro, continens speciem audibilem.	Sonus.	Audire acutum & graue, cum intermedijs sonis.
Olfactus, cuius medium est aër.	Duæ carunculæ descendentes à cerebro, similes duobus capitibus mamillarum, per quas peruenit spiritus odorabilis & sensum facit.	Odor	Olfacere beneolētia, graue olentia, cum intermedijs odoribus.
Gustus, cuius medium	Intrinsecum est caro spongiosa. Extrinsecum est humiditas saliualis. — Neruus super linguam. Expansus, descendens à cerebro	Sapor	Gustare dulce & amarum, cum intermedijs saporibus.
Tactus, cuius medium est caro cooperiens neruos.	Caro uel neruus multipliciter ramificatus ad modū uestis, tegens totum corpus.	Calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, molle, asperum, lene, et aliæ qualitates inde sequentes.	Tangere calidum, frigidum, humidum, siccum, durū, molle, asperum, lene, cum intermedijs qualitatibus.

ANIMA SENSITIVA.

- **Apprehensiua De intus secūdum B. Thom. & Auerroim, cuius partes sunt**
  - *Potentiæ sensitiuæ.* / *Organa.* / *Obiecta.* / *Actus.*
  - **Sensus communis**, uirtus cui redduntur omnia sensata, & est uelut centrum aliorum quinq; sensuum à quo deriuantur sicut rami.
    - Organa: Prima concauitas cerebri maximè humida
    - Obiecta: Sensibile sensatum, ut cognoscibile, cuius actus sunt
    - Actus: Distinguere inter propria sensata, ut inter colorem & sonum. Percipe cōmunia sēsata, sicut motū, qetē, magnitudinē, figurā, numerū. Percipere sensationes exteriores, sicut cum sentio me sentire, & uideo me uidere.
  - **Phantasia** siue imaginatiua, quæ secundum Aristotelem est motus factus assensu, secundum actum.
    - Organa: Secūda concauitas cerebri uel pars immediatè sequēs minus humida
    - Obiecta: Sensibile sensatum, ut reseruabile.
  - **Aestimatiua**, quæ in hominibus dicitur cogitatiua uirtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum, sicut sunt intentio, ut infrà.
    - Organa: In brutis posterior pars capitis, in hominibus media cellula cerebri uel in summo eius, quæ dicitur syllogistica.
    - Obiecta: Intentio bonitatis & maleuolētiæ, conuenientiæ & disconuenientiæ, utilitatis uel nocumēti, ut elicibilia forma imaginata.
    - Actus: Retinere speciem uel similitudinem sensibilis, quam accepit à sensu communi in absentia ipsius sensibilis. Apprehendere intentione sensibilium, sicut in oue cognoscente inimicitias lupi, uel gallina uulpis naturaliter.
  - **Memoratiua**, uirtus conseruatiua intentionum, quas apprehendit æstimatiua, & in hominibus propriè est reminiscentia.
    - Organa: Postrema cōcauitas cerebri.
    - Obiecta: Intentio illicita ab æstimata, inquantum reseruabilis.
    - Actus: Retinere de intentionibus sensibilium, quod apprehendit æstimatiua.
- **Motiua triplex,**
  - **Per modum dirigentis**, scilic. ostendendo quid prosequendum uel fugiendum, & hoc facit
    - Phantasia & sensus communis, ostendendo formas sensibilium prosequendorum uel fugiendorum, ut colorem, saporem, odorem, figuram, numerum, & huiusmodi.
    - Aestimatiua, præsentando intentiones sensibilium sequendorum uel fugiendorum sicut utilitatem, nocumentum, conuenientiam, disconuenientiam, delectabilitatem uel tristitiam eorū.
  - **Per modum imperantis**, & est uirtus à Philosophis dicta appetitiua, à Theologis sensualitas, & est duplex, scilicet
    - **Concupiscibilis**, quæ est uis imperans motum, ad ea quæ æstimantur necessaria & utilia appetitu delectandi, cuius obiectum est bonum simpliciter, & absolutè, cuius actus sunt
      - Prosequi respectu boni.
        - Concupiscere
        - Desiderare
        - Gaudere
        - Lætari
        - Amare
        - Diligere.
        - Hanc partem perficiunt & moderantur sex uirtutes morales, scilicet
          - Temperantia
          - Liberalitas
          - Affabilitas
          - Veritas
          - Eutrapelia
          - Philotimia.
      - Fugere respectu mali
        - Abominari contra desiderare.
        - Dolere contra gaudere.
        - Tristari contra lætari.
        - Odisse contra amare.
        - Contemnere contra diligere.
    - **Irascibilis**, quæ est uis imperans moueri, ad pellendum à se quod æstimatur nociuum aut corrumpens appetitu uincendi, cuius obiectum est bonum arduum & expediens, & est secundum B. Tho. uelut armiger & defensatrix concupiscibilis, secundum duplicem dispositionem, scilicet
      - Corroborantem, quæ sequitur cordis & uirtutis impetuosam confortationem, ex cuius imperio fiunt actus
        - In bonum non quodcunq;, sed excellens & honorabile, cuius actus sunt
          - Ambitio
          - Spes
          - Superbia
          - Contēptus
          - Dominatio
        - In malū nō quodcūq;, sed excellēs, cuius actus sunt
          - Audacia
          - Ira
          - Insurrectio.
      - Debilitantem, quæ est dispositio impetuosè consequens disconfortationem cordis, secundum quam per fugæ fiūt actus
        - A bono arduo difficili non excellenti,
          - Desperatio
          - Humiliatio
          - Reuerētia.
        - A malo arduo difficili uel excellenti,
          - Pœnitentia
          - Impatiētia
          - Timor.
  - **Per modum exequētis**, & est uirtus consequens ad affectiuas, diffusa in lacertis, musculis & neruis contrahens & relaxans ligamenta cōiuncta mēbris, at est duplex, sci.
    - **Generalis**, est uirtus motiua consequens ut suprà, cuius sedes est in postrema parte cerebri & capitis, unde oriuntur nerui motiui sicut ab interiori nerui sensitiui ramificati per totum corpus.
    - **Particularis**, est in singulis membris uis motiua, per collatam uirtutem à generali, cuius partes sunt
      - Contractiua, ex qua si prouenit motus totius animalis de loco ad locum, sed est qua animal
        - Contrahitur, ut conchilia & ostrea.
        - Extenditur.
      - Progressiua, est uis uel principium transeundi de loco ad locum, cuius species sunt
        - Gressiua pedibus.
        - Volatiua alis.
        - Reptatiua costis & uentre.
        - Natatiua penulis, solo organo differentia.
      - Operatiua, est principium operandi, cuius organa iuncta sunt, in habentibus manus, uel os, uel cornua, uel pedes, ut in apibus & araneis.
      - Vocatiua, est principium emittendi uocem, secundum apprehensionem, indicatiua affectionum, cuius organum est pulmo, & uitalis arteria, quæ est in solis animalibus habentibus pulmonem.

ANIMA INTELLECTIVA.

- Apprehensiua, & est intellectus separabilis (quia nō utitur organo corporeo) & incorruptibilis, qui distinguitur secundum differentiam
  - Naturæ, in
    - Intellectum agentem quo est omnia facere, cuius actiones duæ, scilicet
      - Illuminare formas uel species sensibiles existentes in imaginatione uel i[...] matione & illuminando abstrahere.
      - Copulare abstractos.
    - Huius obiectum est quidditas rei materialis, ut factibilis, se habens ad manifestandas species intelligibiles, ut lumē uel lux ad manifestandum colori. Intellectum poßibilem, qui dicitur, & est, ut tabula nuda, picturarum omnium susceptibilis, nullam speciem habens actu, sed poßibilis ad omnes.
      - Materialis, quando est solum in potentia, nullam habens formam in speciem intelligibilem.
      - Dispositus, uel in habitu, quando habet in se principia, & propositiones, quæ non aliunde sed per se sunt notæ, ut omne totum est maius sua parte: de quolibet est uera affirmatio uel negatio: & si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, æqualia sunt.
      - Adeptus uel perfectus quando habet conclusiones, quæ sequuntur ad principia, sed non est conuersus ad illa per actualem considerationem.
      - Accommodatus, uel in actu, quando hæc actu considerat.
      - Et in hac parte sunt septem habitus intellectuales, quorum
        - Quinq; non contingit assētire falsò, ideo rectè dicuntur uirtutes & habitus intellectus, & sunt
          - Intellect[us]
          - Sapientia
          - Scientia
          - Prudentia
          - Ars.
        - Duo, quibus contigit assentire falsò, ideo dicuntur habitus, sed non uirtutes intellectuales, scilicet
          - Opinio
          - Suspicio.
  - Ordinis & sic distinguit B. Aug. Intellectum in ratione
    - Superiorem & Inferiorem.
  - Exercitij, & est cùm intellectus exercetur, uel exercet, cuius species sunt
    - Inuentiua uel inuestigatiua, quæ est inquisitio ueri per se, uel experientia per modum compositionis, uel resolutionis, uel per modum cognitionis causæ ad effectū, uel econtrà, ad quam requirūtur quinque, scilicet
      - Ingenium, quod est extensio intellectus ad intellectorum cognitionem.
      - Experientia, est rerum certitudo facta per sensum.
      - Apprehensio, est simplex acceptio rei intelligibilis, uel hominis, uel [...] uis.
      - Conceptio est cōplexio intellectualis, cōceptio
        - Compositiua, ut ho[mo] est animal.
        - Diuisiua, ut homo [non] est asinus, quæ p[erti]nēt ad iudicatiua[m] [...] sunt ab alio: ad in[uenti]uam uerò ut sunt [...]
      - Ratiocinatio est discursus intellectus, ab uno in aliud, à principio ad conclusiones, ut in syllogismis & consequentijs.
    - Indicatiua, & est actio intellectus, qua uerum dicitur ab alio, quæ
      - Secundum se considerata, cuius actus sunt quinque superiora, scilicet
        - Ingenium
        - Experientia
        - Apprehensio
        - Conceptio
        - Ratiocinatio.
      - Inquantum iungitur sensibili, cuius actus sunt
        - Discretio
        - Dubitatio
        - Opinio
        - Fides
        - Scientia.
    - Memoratiua, est thesaurus specierum intellectarum, cuius actus sunt
      - Retinere species intellectas uel conceptas.
      - Repræsentare retentas.
      - Reparare ex alio deperditas, ut ex loco uel huiusmodi.
    - Interpretatiua, quæ est datiua cognitionis, ad alios, cuius actus sunt
      - Excogitatio, quæ est configuratio uel confirmatio cognitionis, [ad ex]primendum exterius conceptum interius.
      - Significatio, quæ est cognitionis formatæ, per signa uel per uerba [demon]strati o, & fit potißimè per locutionem, quæ est uocalis prolatio cu[m in]tentione significandi uel proferendi, quare non est irrationalium.
- Appetitiua & est uoluntas. Cuius obiectum est bonum uel apprehensum sub ratione boni, cuius actus sunt
  - Eliciti
    - Respectu finis
      - Velle
      - Intendere
      - Frui.
    - Respectu eorū, quæ sunt ad finem
      - Eligere
      - Consentire
      - Vti.
  - Imperati, & sunt actus
    - Voluntatis
    - Rationis.
    - Appetitus sensitiui uel sensualitatis.
      - Concupiscibilis
        - Amare
        - Odisse
        - Concupiscere
        - Fugere uel abominari
        - Delectari
        - Tristari uel dolere.
      - Irascibilis
        - Sperare
        - Desperare
        - Timere
        - Audere
        - Irasci.
    - Membrorum deseruientium animali inquantum est sensitiuum, uel animal.
- Et hanc perficit propriè iustitia particularis, quæ est in ea tanquam in proprio subiecto. Impropriè autem iustitia legalis.

Anima { Vegetatiua, Sensitiua, Intellectiua } De quibus suprà.

ANima Græcè ψυχὴ ἧς ἡ, & ψυχικὸς ȣ ὁ. animalis dicitur. Et est substantia creata, inuisibilis immortali Deo simillima, imaginem nullā habés, nisi creatoris sui, secun. Au. li. diffinitionū.

Anima est principium quo viuimus, sentimus, intelligimus, nutrimur, & secundum locū mouemur primùm, secundum Aristotelem lib. 2. de anima.

Anima est actus primus substantialis corporis physici organici in potentia vitam habentis, secundum Arist. lib. 2. de anima.

Anima vegetatiua est principium quo vegetamur primùm.

Anima sensitiua est principium quo sentimus primùm.

Anima intellectiua est principium quo intelligimus primùm, secun. eundem Aristot.

Anima, vt ait Lactant. libro de opificio Dei, cap. 17. quid sit, nondum inter philosophos conuenit, nec vnquam fortasse conueniet.

Ezechielis 18.

Anima quę peccauerit, ipsa morietur.

Matth. 10.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.

Marc. 8.

Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid homo commutationis dabit pro anima sua?

August. lib. de doctrina Catholica.

O anima Christiana euigila, & si quę in te sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet, domini tui imitare vestigia. Considera quot milia martyrum tritam tibi fecerunt viam. Transierunt virgines, transierunt martyres, transierūt pueri, & puellę, & adhuc times? Quia docet te ille, qui est via, veritas, & vita. Via non errans, veritas non fallens, vita nō deficiens.. Via exemplo, veritas in promisso, & vita in premio.

Idem Confeßion. lib. 6.

Vę animę audaci, quę sperauit, si à te recessisset se aliquid melius habituram, Versa & reuersa, in tergum & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies, & ecce habes.

Idem super Genesim ad literam.

Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam naturę dignitate pręcellit. Omnis autem anima, aut Christi sponsa, aut diabolí adultera est.

Ibidem lib. de spiritu & anima.

Fœlix anima quam Dei pietas respicit, humilitas subijcit, potentia reducit, obedientia conducit, perseuerantia perducit, deuotio introducit, charitas vnit.

Idem de ecclesiast. dogmatibus.

Non duas animas dicimus esse in homine vno, sicut Iacobus & alij scribunt. Vnam animalem, qua animetur corpus, & mixta sit sanguine. Alterā spiritualem, quę rationi administret. Sed dicimus vnam eandemq; animam esse in homine, quæ & corpus sua societate vegetet, & semetipsam sua ratione disponat.

Idem lib. 14. de Ciuitate dei.

Dolores qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne & ex carne. Quid enim caro per seipsam sine anima dolet vel concupiscit? Sed quod cōcupiscere vel dolere dicitur, aut ipse homo est, aut aliquid animæ quod carnis efficit paßio, aut aspera, quod facit dolorem, aut lenis, quod voluptatem.

Idem super Ioan.

Spiritus deficit, vbi caro requiescit: vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur: illam blanda refouent, hanc aspera exercent.

Hieronymus epist. 7. ad Damasum Papam.

Noli despicere animam pro qua Christus est mortuus.

Hieron. contra Iouinia. epist. 9. cap. 28.

Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes: anima verò in aurigæ modum retinet frena currentium, & quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione & imperio animæ in suum fertur interitum. Alia quoque comparatio animæ, & corporis à philosophis ponitur: corpus puerum, animam pædagogum esse dicentibus. Vnde & historicus, animę, inquit, imperio, corporis seruitio magis vtimur: Alterum nobis cum dijs: alterum cum beluis commune est. Igitur nisi vitia adolescentis & pueri prudentia pædagogi rexerit, omnes conatus eius & impetus ad lasciuiā properant.

Hieronym. ad Anastasium.

Alij asserunt quod formatis in vtero corporibus Deus quotidie faciat animas & infundat. Alij factas iam olim, id est, cū omnia Deus creauit ex nihilo, nunc eas iudicio suo dispenset in corpora. Et hoc sensit Origines, & nonnulli alij Græcorum. Ego verò cùm hęc singula legerim (teste Deo dico) quia vsq; ad præsens certi vel definiti aliquid de hac quæstione nō teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero, & si cui ipse reuelare dignabitur. Ego tamē hęc singula & legisse me nō nego, & adhuc ignorare confiteor, preter hoc quod manifestè tradit ecclesia, Deum esse animarū & corporum conditorem.

Ambrosius in Hexameron.

Qui animas rationales immortales esse dubitat, alienus proculdubio à seipso est.

Ambro. super illud psal. Eloquium tuū uiuificauit me.

Hæc est animę nostræ vitalis substantia, quia alitur, & pascitur, & gubernatur. Nec quicquā

aliud quod viuere faciat rationalẽ animã quàm eloquium Dei.

Grego. Bonifacio Archie. & hab. 13. q. Animæ defunctorũ.

Animæ defunctorũ quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarũ, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum.

Gregorius lib. 1. Moralium.

Sic conditi miserabiliter sumus, vt ratio animam, & anima possideat corpus: sensus verò animæ à corporis possessione repellitur, si non prius anima à ratione possidetur.

Ibidem lib. 26. Moralium.

Quòquò se verterit anima, si vigilanter intẽdit, in eisdẽ ipsis Deũ inuenit, per quę reliquit, eiusq; potentiam ex eorum consideratione cognoscit, quorũ amore deseruit, & per quæ peruersè cecidit, per hæc conuersa reuocatur.

Idem lib. 4. dialogorum.

Tres vitales spiritus creauit omnipotens Deus: vnum, qui carne non tegitur: alium, qui carne tegitur, sed non cum carne moritur: Tertiũ, qui carne tegitur, & cum carne moritur. Primus angelorum. Secundus hominum. Tertius brutorum animalium.

Ioannes Chrysost. de Reparatione lapsi.

Si animam negligamus, nec corpus saluare poterimus. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit, & quod inferius est tollit, vtrũque corrumpit. Qui verè ordinem seruat, & quod primũ est colit, etiam si negligat quod secundum est, per primi salutem seruabitur & secundum.

Idem super Matth.

Facies animæ est conscientia. Sicut enim in cõspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est conscientia mũda.

Isido. & habetur dist. 81. Valet.

Valet interdum conuersis pro salute suæ animæ mutatio loci: plerunq; enim, dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est ergo, & inde etiã corporaliter euelli, vbi quisq; illecebris deseruiuit, nam locus vbi quisq; prauè vixerit, in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi quisq; cogitauit vel gessit.

Idem lib. 11. Etymologiarum.

Anima dum viuificat corpus, anima est: dum vult, animus est: dum scit, mens est: dum recolit, memoria est: dum rectum iudicat, ratio est: dum spirat, spiritus: dum aliquid sentit, sensus.

Bernar. in serm. Dedicationis.

Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omninò non potest. Capacem enim Dei quicquid Deo minus est non implebit

Idem super Canti. sermone 14.

Quid indecentius quàm curuum recto corpore gerere animum?

Idem sermone 106.

Hæc est animæ suauissima & saluberrima requies, conscientia munda, quies secura. Sit beatę animæ culcitra conscientiæ puritas, capitale tranquillitas, opertorium securitas, vt in hoc interim strato dormiat delectabiliter, & faciliter requiescat.

Bernardus serm. 107.

Aduertistis tres esse sanctarum status animarum. Primum videlicet in corpore corruptibili. Secundum sine corpore. Tertium in corpore iam glorificato. Primum in militia. Secundum in requie. Tertium in beatitudine cõsummata.

Idem super Cant.

Animę desideranti Dominus festinus occurrit cœlesti rore circumfusus, vnguẽtis optimis delibutus, animam recreat fatigatam, esurientẽ reficit, aridam impinguat, terrenorum oblitã, suijpsius immemorem.

Ibidem.

Paupertate, mansuetudine, fletu renouatur in anima similitudo quędam & imago æternitatis, omnia tempora complectẽs, dum paupertate futura meretur, mansuetudine sibi pręsentia vendicat, luctu pœnitentię pręterita quoq; recuperat.

Ibidem.

Cadit asinus, & inuenit qui eum subleuet, cadit anima, & non est, qui manum apponat.

Hugo lib. 1. cap. 15.

In statu innocentię sicut Deus pręsidebat spiritui, sic spiritus pręsidebat carni, & ipsa caro iumentum spiritus erat, propterea ad sessorem suum pertinebat, vt iumento suo pabulum prouideret ne deficeret, & hoc solùm fortassis tũc deficere potuisset. Nunc autem præter pabulum etiam freno & calcaribus indiget: Freno, vt furentem & præcipitem à malo cohibeat: calcaribus autem, vt ad benefaciendum excitet pigram.

Lactan. Firmian. lib. 7. diuin. institutionum cap. 9.

Quod si Deus est & incorporalis & inuisibilis & æternus, ergo non idcircò interire animã credibile est, quia non videtur postquam recessit à corpore.

Ibidem cap. 13.

Maius testimoniũ requiramus: Polytes quidam consuluit Apollinem Mylesium, vtrum, ne maneat anima post mortem, an resoluatur. Et respondit his versibus.

Ψυχὴ μὲν μέχρις οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται
φθαρτὰ νοοῦσα πάθη, θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἴκει,
ἡνίκα δὲ ἀνάλυσιν βροτέην κατὰ σῶμα μαρανθὲν
ὠκίστην εὕρηται: ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτειρής.

πρωτό-

πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε προνοία. id est:

Anima quidem quò ad uinculis corporis tenetur, corruptibiles passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus. Cùm uerò humanam solutionem uelocissimam post corruptum corpus inuenerit, omnis in æthera fertur, nunquã senescens, & manet in æternum sine pœna: Primogenita etenim hoc diuina disposuit prouidentia.

Ibidem. cap. 13.

Falsa est igitur Democriti & Epicuri sententia & Dicæarchi de animi dissolutione, qui profectò non auderet de interitu animarum Mago aliquo præsente disserere, qui sciret certis carminibus ciere ab inferis animas & adesse, & prębere se humanis oculis videndas, & loqui, & futura prędicere, & si auderent, reipsa, & documẽtis præsentibus vincerentur. Sed quia non præuidebant animæ rationem, quę tam subtilis est, vt oculos humanę mentis effugiat, interire dixerunt.

Ibidem.

Plato de anima differens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales, atque diuinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia, quòd ea, quæ discunt, ita celeriter capiant, vti non tunc ea primùm discere illi videãtur, sed recognoscere, atq; reminisci. In quo vir sapiens pœtis ineptissimè credidit.

Origenes super Cantica.

Vbi afforet iustitia Dei, vbi bonorũ merces, malorumq; iusta supplicia, si anima mortalis esset?

Seneca ad Lucilium epistola 31.

Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit, dedit tibi illa, quę si non deserueris, par Deo consurges. Parem autem Deo te pecunia non facit, Deus nihil habet. Prętexta non faciet, Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostẽtatio tui, nemo nouit Deum, licet multi malè de illo æstiment & impunè. Non turba seruorũ lecticam tuam portantium, Deus ille maximus, potentissimusq; ipse vehit omnia. Nec forma quidem & vires bonum te facere possunt, nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo? animus. Sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum, in corpore humano hospitem. Hic animus tam in equitem Romanũ, quàm libertinũ, quàm in seruum potest cadere.

Seneca ad Lucilium epistola 70.

Sursum animum vocant initia sua. Erit autẽ ille etiam antequã hac custodia exoluatur, si vitia sua deserit, purusq; ac leuis in cogitationes diuinus emicuit.

Seneca in Prouerbijs.

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.

Plato in Timæo.

Ad hoc anima coniuncta est corpori, vt fruatur scientijs & virtutibus. Si autem cũ feruore magno se inuenerit, benignè recipietur à suo creatore. Sin autẽ secùs, relegabitur ad inferna.

Aristoteles libro 7. Metaphysicæ.

Ex sanitate in anima fit sanitas in corpore.

Idem libro 7. Physicorum.

In quiescendo & sedendo anima fit sciens & prudens.

Idem lib. 4. de cœlo & mundo.

Formæ est continere, materiæ verò contineri.

Idem libro 1. de Anima.

Anima est tanquam principium animalium.

Ibidem.

Passiones animæ variantur secundum variationem seu dispositionem corporis. Quidã duris & magnis passionibus non mouentur, quidam verò mouentur paruis & debilibus.

Ibidem.

Intellectus vel est phantasia, vel non est sine phantasia.

Ibidem.

Dicere animã gaudere vel tristari, simile est, ac si dicat aliquis eam texere vel ædificare.

Ibidem.

Intellectus est quod diuinum, impassibile & incorruptibile.

Ibidem.

Non quælibet anima potest intrare quodlibet corpus, sed quælibet anima habet propriũ corpus, quod est contra Pythagoram.

Ibidem.

Egrediente anima ex corpore, corpus expirat & marcescit.

Ibidem.

Anima est substantia, id est, forma substantialis corporis.

Ibidem.

Anima mouet corpus secundum omnem differentiam positionis, scilicet sursum, deorsum, antè, retrò, dextrorsum, sinistrorsum.

Aristoteles libro 2. de Anima.

Quatuor sunt potentiæ animæ principales s. vegetatiua, sensitiua, intellectiua, & motiua, secundum locum. Hæc sic se habent ad inuicem, quòd vegetatiua potest esse sine sensitiua, vt patet in plantis, & non econuersò: & sensitiua sine motiua secundum locum, vt patet in quibusdã animalibus conchilibus, & non econuersò. Et tam sensitiua quàm motiua secundum locum, possunt esse sine intellectiua, vt patet in animalibus brutis, & non econuersò.

Ibidem.

In plantis est vna anima in actu, multæ verò in potentia: & ideo partes earum abscissæ viuũt.

Ibidem.

Intellectus separatur ab alijs potentijs animę, sicut perpetuum à corruptibili.

Ibidem.

Anima dat viuere viuentibus.

Ibidem.

Omnia corpora physica viuentia, sunt animæ instrumenta.

Ibidem.

Anima est causa efficiens corporum animatorum, & principium motus secundum locum & alterationis.

Ibidem.

Anima est causa corporis in triplici genere causarum, scilicet efficiens, formalis & finalis.

Ibidem.

Nihil propriè & naturaliter nutritur, nisi qđ habet animam.

Ibidem.

Tres sunt potentiæ animæ vegetatiuæ, scilicet nutritiua, augmentatiua, & generatiua.

Ibidem.

Scientia est vniuersalium quæ sunt in anima, singularia verò sunt extra animam.

Ibidem.

Phantasia est motus factus à sensu secundum actum, secundum quem aliqua multum agunt & patiuntur.

Ibidem.

Phantasia non est opinio.

Ibidem.

Phantasia est sæpe falsorum.

Aristoteles libro 3. de Anima.

Intellectus est pars animæ.

Ibidem.

Intelligere est quoddam pati.

Ibidem.

Sicuti se habet sensus ad sensibilia, sic intellectus ad intelligibilia.

Ibidem.

Intellectus omnia intelligit.

Ibidem.

Intellectus possibilis nihil est actu de numero entium, antequam intelligat ea.

Ibidem.

Intellectus non habet aliquod organũ in corpore, sed est separatus ab omni organo corporali.

Ibidem.

Anima intellectiua est locus specierum intelligibilium.

Ibidem.

Anima non habet actu species, sed solùm potentia.

Ibidem.

Intellectus cùm intelligit valde intelligibile, non impeditur intelligere infimum, sed magis intelligit.

Ibidem.

Intellectus, cùm intelligit alia, potest seipsum intelligere.

Ibidem.

Intellectus est simplex, & impassibilis, & immixtus.

Ibidem.

Intellectus possibilis in principio tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum vel depictum. Est tamen possibile scribi & depingi.

Ibidem.

Intellectus intelligit se sicut alia, scilicet per species aliorum.

Ibidem.

In separatis à materia idem est intellectus & intellectum.

Ibidem.

Intellectus est potentia sine materia.

Ibidem.

Duplex est potentia animæ intellectiuæ, agens & possibilis.

Ibidem

Intellectus noster est ens in potentia.

Ibidem

Sicut se habent sensibilia ad sensum, ita phantasmata ad intellectum.

Ibidem.

Intellectus iudicat de futuris & de ipsis deliberat.

Ibidem.

Duplex est intellectus possibilis, scilicet practicus & speculatiuus. Speculatiuus, qui considerat verum simpliciter. Practicus, qui considerat per comparationem ad opus.

Ibidem.

Sicut res habet esse, sic habet intelligi.

Ibidem.

Anima quodammodo est omnia.

Ibidem.

Intellectus est species specierum, id est, forma formarum.

Ibidem.

Actus intellectus, qui dicitur intelligentia simplicium, licèt non sit phantasma, tamen non est sine phantasmate.

Ibidem.

Necesse est omne quod viuit, habere animã vegetatiuam à principio vsq; ad finem.

Ibidem.

Necesse est omne animal habere sensum.

Ibidem.

Impossibile est corpus animalis esse simplex elementum.

Ibidem.

Sensus, gustus & tactus, necessarij sunt animali. Illi autem tres sunt ad bene esse, visus, odoratus & auditus.

Aristoteles libro 2. de animalibus.

Creatio corporis & membrorum est propter animam.

Idem

Idem libro de animalibus.

Anima nobilior est corpore, & animatum inanimato, & viuum mortuo, & ens non ente.

Ibidem.

Solus intellectus intrat in os ab extrinseco, & ipse solus diuinus est.

Ibidem.

Anima est substantia, id est, forma substantialis.

Aristoteles libro 1. Ethicorum.

Bonæ animæ sunt maximè bona.

Idem libro 2. Ethicorum.

Tria sunt in anima, passiones, potentiæ, & habitus.

Idem libro 6. Ethicorum.

Bonum verum est intellectus.

Ibidem.

Quinq; sunt in anima habitus, quibus verum dicitur: videlicet ars, scientia, intellectus, sapientia, & prudentia.

Idem libro 9. Ethicorum.

Optimũ, quod est in homine, est intellectus, quia licèt intellectus quantitate sit minimũ, est in potentia magnum & preciositate maximum.

Aristoteles libro 1. Politicorum.

Anima naturaliter dominatur corpori, sicut Dominus seruo.

Ibidem.

Vtile est corpus regi ab anima.

Idem libro 7. Politicorum.

Anima preciosior est corpore, & omni possessione, & omnibus alijs bonis.

Ibidem.

Bonum animę preciosius est omnibus bonis.

Idem 8. Politicorum.

Anima naturaliter delectatur in musicis melodijs.

Themistius super 1. de anima.

Si veritatem de anima cognouerimus, valde magnum nobis erit introductorium ad omnẽ veritatem, & ad omnes partes Philosophiæ insignes dat occasiones.

Ibidem.

Intellectu nihil est diuiniùs.

Idem libro 3. de anima.

Ille intellectus, qui plura intelligit, nõ est nobilior, sed qui digniora.

Themistius super librum 3. de anima.

Consideratio de anima est consideratio naturalis.

Ibidem.

Intellectus non manet sine voluntate.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Thales Milesius primus inter Philosophos dicitur de Astrologia tractasse, & primus animas immortales posuisse, & de Natura disputasse.

Macrobius libro 1. super somnio Scipionis.

Animarum originem manare de cælo inter Philosophantes indubitatæ constat esse sententiæ. Et hæc est perfecta sapientia, vt vnde orta sit, de quo fonte venerit, recognoscat.

Ibidem.

Animas verò ex hac vita cum delictorum sordibus recedentes æquandas his, quę in abruptu ex alto, præcipitiq; dilapsi sunt, vnde nunquam sit facultas recedendi. Ideo ergo vtendum est concessis vitæ spatijs, vt sit perfectæ purgationis maior facultas.

Macrobius libro 7. Saturnalium.

Tria sunt enim, quæ ex animę prouidentia accipit corpus animalis, vt viuat, vt decore viuat, & vt immortalitas illi successione quæratur.

Cicero libro de legibus.

Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, & cęteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse: sed fortium, bonorumq; diuinos.

Cicero libro 1. Tusculanarum Quæstionum.

Aristoteles lõgè omnibus (Platonem semper excipio) præstans, & ingenio & diligentia, cùm quatuor illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orerentur, Quintam quandam Naturam censet esse, è qua sit mens.

Ibidem.

Maximum verò argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare. Quòd omnibus curæ sunt, & maximè quidem, quæ post mortem futura sunt. Serit arbores, quæ alteri seculo prosint, vt ait Statius in Synephœbis: Quid spectans, nisi etiam postera secula ad se pertinere. Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet baccam ipse nunquã: Vir magnus leges, & instituta Reipub. conseret; Quid procreatio liberorum? Quid propagatio nominis? Quid adoptiones filiorum? Quid testamentorum diligentia? Quid ipsa sepulchrorum monumenta? Quid elogia signant? nisi nos futura etiam cogitare?

Ibidem.

Sin autem est Quinta quædam Natura ab Aristotele inducta, primùm hæc & Deorum est & animorum.

Ibidem.

Animorum nulla in terris origo inueniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atq; concretum: aut quid ex terra natum, atq; fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut stabile, aut igneum: His enim in naturis nihil inest, quod vim memorię, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti possit præsentia, quæ sola diuina sunt. Nec inuenitur vnquam, vnde ad hominem venire possit, nisi à Deo.

Ibidem.

Nihil est animis admixtum, nihil concretum, nihil coaugmētatum, nihil duplex. Quod cùm ita sit, certè nec secerni, nec diuidi, nec distrahi potest, nec interire igitur. Est enim interitus, quasi discessus & secretio, ac direptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur.

Idem libro ultimo Tusculanarum Quæstionum.

Humanus autem animus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo (si hoc fas est dictu) comparari potest.

Cicero in Paradoxis.

Nihil est animo prestantius, nihilq; diuinius.

Idem in Catone maiore, uel de senectute.

Est enim animus cælestis ex altissimo domicilio depressus & quasi demersus in terram, locum diuinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, vt essent, qui terras tuerentur, quiq; cælestium ordinem contemplantes, imitarentur eum, vitæ modo atq; constantia. Nec me solùm ratio ac disputatio impulit, vt ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Philosophorum, & authoritas.

Ibidem.

Apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior, hæc dicit: Nolite arbitrari, ô mihi charissimi filij, me, cùm à vobis discessero, nusquam, aut nullum fore: Nec enim dum eram vobiscū, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex his rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis.

Ibidem.

Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, viuere: cùm exissent ex ijs, emori.

Salustius in Catilinario.

At ingenij præclara facinora, vti anima, immortalia sunt.

Ibidem.

Alterum nobis cum dijs commune est, scilicet anima: alterum cum beluis, scilicet corpus.

Phocylides.

Ψυχὴ δὲ ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός. id est,
Anima autem immortalis & insenescibilis, uiuit per omne tempus.

Menander.

Βέλτιον ἐστὶ σῶμα ἢ ψυχὴν νοσεῖν. id est,
Melius est corpus quàm animam ægrotare.

Idem.

Ψυχῆς ἐπιμελοῦ τῆς σεαυτοῦ κατὰ δύναμιν. id est,
Animam cura tui ipsius in quantum potes. *Idem.*
Ψυχὴν ἔθιζε πρὸς τὰ χρήσιμα πράγματα.
Animam assuesce ad utilia opera.

Ouidius libro 15. Metamorphoseôn.

Morte carent animæ.—

Ouidius libro Tristium.

Singula quid referam, Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingenijq; bonis.

Iuuenalis satyra 15.

Sensum à cælesti demissum traximus arce.

Lucretius.

Cedit enim retrô de terra, quod fuit antè
In terra, sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cæli fulgentia templa receptat.

Manilius libro 4.

An dubium est habitare Deum, sub pectore nostro,
In cælumq; redire animas, cæloq; uenire?

Franciscus Petrarcha cantil. 2.

Lalma che sol da dio facta gentile,
Che gia daltrui non po uenir tal gratia
Simile al suo factor stato ritiene. id est,
Anima quæ solum à Deo facta nobilis,
Quod aliunde non poßit fluere talis gratia
Similem suo authori statum tenet.

Annus Græcè ἐνιαυτὸς ὁ. & ἔτος dicitur. Et teste Festo, Græcum est. Sunt tamen, qui velint Latinum esse, vt Atteius Capito (teste Macrobio libr. 1. satur.) qui annum ipsum à circuitu temporis dictum putat, ab an, quod est circū, & nonas, & inde annonam deduci manifestum est. Alij ab annulo, quia instar annuli in se redeat. Virgilius: Atq; in se sua per vestigia voluitur annus.

Annus lunaris mensis est, quia luna paulò minus q̃m mensem in zodiaci circuitione consumit.

Annus solis, dies 365. & quadrantem cōtinet, quibus sol zodiacum lustrat. Ita vt quarto quoque anno dies intercaletur, hic etiam magnus dictus est lunaris comparatione. Virgil. Interea magnum sol circum voluitur annum.

Annus magnus cōtinet duodecim milia, quingentos, & quinquaginta quatuor annos solares, vt testatur Cicero.

Antichristus Græcum vocabulum est, ἀντίχριστος. ὁ. ἀντὶ enim contra est, & Christus, contra Christum.

Augustinus libro 2. de ciuitate Dei.

Alligatio Diaboli non permittit exercere totam tentationem, quam potest vel fraudulēter, quod si permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plures tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles duceret, & ne crederent, impediret. Quod ne faceret, alligatus est. Tunc autem soluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensib. legitur Satanas totis suis viribus sæuiturus.

Augustinus libro 20. de ciuitate Dei, cap. 19.

Non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos aduersarius eius Antichristus, sed in quo Dei templo sessurus sit, incertum est.

Ibidem cap. 29.

Helias quippe ante aduentum iudicis Salua-

toris non immeritò ſperatur eſſe venturus, qui etiã nunc viuere non immeritò creditur. Curru nanq; igneo raptus eſt de rebus humanis, quod euidentiſsimè ſcriptura ſancta teſtatur. Cùm ergo veniret exponendo legem ſpititualiter, quã nunc Iudęi carnaliter ſapiunt, conuertet cor patris ad filium, id eſt corda patrum ad filios, cum intelligẽtiam patrum perducet ad filiorum intelligentiam.

Auguſt. de ciui. Dei. lib. 20. cap. ult.

In iudicio vel circa iudiciũ has res dicimus eſſe venturas, Heliam Tesbyten, fidem Iudęorũ Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum & iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorumq́; direptionem, mundi conflagrationem, eiusq́; renouationem, quæ omnia quidem ventura eſſe credẽdum eſt. Sed quibus modis & quo ordine veniet, magis tũc docebit rerum experientia, quàm nunc ad perfectum hominum intelligentia valet conſequi. Exiſtimo tamen eo, quo à me cõmemorata ſunt ordine eſſe ventura.

Auguſt. ad Heliſæum epiſt. 2.

Qui tenet, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Docet nos Antichriſtum manifeſtum futurum. Si quidem ipſum videtur aliquando euidentiore ſignificatione tetigiſſe interficiendum ſpiritu oris Dei Ieſu Chriſti. Sed poſt quantum temporis iſtud tempus erit, nec ſaltem obſcurè locutus eſt.

Hieronymus ſuper illud Danie. Beatus qui expectat & peruenit uſque ad dies 1335.

Beatus interfecto Antichriſto dies ſuper numerum præfinitum 45. præſtolatur, quibus Dominus ſaluator in ſua maieſtate venturus eſt. Quare autem poſt interfectionem Antichriſti 45. dierum ſilentium ſit, diuinæ ſcientiæ eſt, niſi fortè dicamus, quod dilatio regni ſanctorum patientiæ comprobatio eſt.

Ambroſius ſuper illud 11. ad Theſſ. 2. Niſi uenerit diſſenſio primum.

Non prius veniet Chriſtus, quàm regni Romani defectio fiat, & pereat Antichriſtus, qui interficiet ſanctos reddita Romanis libertate, ſub ſuo tamen nomine.

Iſidorus de ſummo bono cap. 25.

Antequam Antichriſtus appareat virtutes ab eccleſia magnæ ceſſabunt. Quatenus eam quaſi abiectorẽ perſequatur audacius, ob hanc enim vtilitates ceſſabunt, ſub Antichriſto ab eccleſia miracula & virtutes, vt per hoc ſanctorũ clareat patientia, & reproborũ, qui ſcandalizabuntur, leuitas oſtendatur, & perſequentium audacia ferocior efficiatur.

Ibidem cap. 26.

Tam mira facturus eſt prodigia & ſigna dũ venerit Antichriſtus, vt etiam electis quoddam cordis gignatur ſcrupulum, quòd citò exuperetur in illis ratio, per quam ſcient in deceptione reproborum & electorũ probatione eadem fieri prodigia.

Ibidem.

Grauius tunc contra eccleſiam deſcendet ſynagoga, quàm in ipſo ſaluatoris aduentu Chriſtianos eſt perſecuta, dum in martyres diabolus iam exercuerit magnam crudelitatem etiam alligatus. Crudelior tamen erit ſub Antichriſti tẽporibus, quando etiam erit ſoluendus. Nam ſi ligatus tanta facere potuit, quãta ſolutus faciet?

Ibidem.

Quantò breue tempus viderit reſtare diabolus, vt damnetur, tantò in magna perſecutionis ira mouebitur, diuina iuſtitia permittente, vt glorificentur iuſti, ſordidentur iniqui & vt diabolo creſcat durior damnationis ſententia.

Iſidorus Etymologiarum octauo.

Antichriſtus templum Hieroſolymis reparare, & omnes veteris legis cæremonias reſtaurare tentabit.

Anxietas Gręcè ἀπορία ας ἡ, & ἄπορος ου ὁ anxius dicitur. Et eſt triſtitia aggrauãs animum, vt non appareat aliquod refugium. Et quę à Ioanne Damaſceno dicitur Achos eademq́; anguſtia eſſe videtur.

Appellatio Græcè προσηγορία ας ἡ dicitur. Et eſt à minore ad maiorem iudicem prouocatio, ſecundum Canon. 2. q. 6. Omnis oppreſſus, & ſeq. c. Placuit.

Appetitus Græcè ὄρεξις ιος ἡ. dicitur. Eſtq́ue inclinatio appetentis in aliquod ſibi ſimile & conueniens, ſecundum B. Thom. 1. parte quæſt. 80. artic. pri.

Apoſtaſia eſt retroceßio ab his quibus homo cõiungitur Deo, & eſt triplex, ſ.

- *A ſupererogatione, ut à clericatu, & à religionis profeßione.*
- *Generalis, cùm uolũtas retrocedit uniuerſaliter à mandatis* Dei. *Eccleſiaſti. 10. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, initium omnis peccati eſt ſuperbia.*
- *A fide, quãdo retroceditur omninò à fide ſuſcepta. 11. Pe. 2. Melius erat ei ueritatem nõ cognoſcere, q̃ poſt cognitam retroire.*

Apoſtaſia Græcum vocabulum, ἀπόστασις ιος ἡ defectio & rebellio eſt. Et eſt temerarius à ſtatu fidei, obedientiæ eccleſiaſticæ, vel religionis receſſus: ſecundum Alexan. Secunda ſecundæ tractatu de Apoſtaſia.

Apoſtaſia à fide non eſt ſpecies infidelitatis, ſed eſt circunſtantia eius, aggrauans eam, ſecundum B. Thom. Secunda ſecundæ, q. 12. articul. 1.

APoſtolus Græce ἀπόστολος ου ὁ dicitur, nomen ab actu mittendi generaliter. Theologus tamen hoc nomẽ apoſtolus determinat, ad miſſos nuntios ſpeciales Chriſti, & adhuc ſingulariter ad perſonã Pauli refertur, quando ſine adiectione dicitur.

Iob. 36.

Iudicium pauperibus tribuit.

1. ad Corinthios 1.

Stulta enim mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.

Matthæi 11.

Abſcondit hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

Matthæi 19.

Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël.

Iacobi 1.

Nónne pauperes elegit Deus in hoc mundo?

Auguſtinus libro 14. de ciuitate Dei.

Ignoras ſcientiæ ſecularis & illiteratos elegit ad apoſtolicam dignitatem, & euangelicæ prædicationis diſpenſationem, vt quicquid magnũ eſſet & facerent, ipſe in eis eſſet & faceret.

Idem in ſermone Apoſtolorum Petri & Pauli.

Quis iam nunc deſperet, aut de humilitate generis, aut de magnitudine criminis: cum videat ſic inundaſſe cæleſtis gratiæ fontem: vt & piſcatorem regibus præponeret, & perſecutorem Apoſtolis æquaret. Ille enim dum pauperiem ſuã curat, alimenta quotidiani victus quærit in pelago, factus eſt diues in Chriſto, cui reges & nationes famulantur in ſeculo. Paulus verò, dum vrget gladijs, ſanctorum fidei ſuſcepit iugum, & magiſter factus eſt gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsq; virtutum.

Idem in ſermone de Apoſtolis.

Dedit Dominus poteſtatem Apoſtolis ſuper naturam, vt eam curarẽt: ſuper dæmones, vt eos euerterent: ſuper elementa, vt ipſa immutarẽt: ſuper mortem, vt eam contemnerent: ſuper angelos, vt corpus Domini conſecrarent. Hæc etiã poteſtas data eſt eorum ſucceſſoribus, ſecundũ illud Apocalypſis 6. Hi habent poteſtatem claudendi cælum & conuertendi aquam in ſanguinem.

Ibidem.

Chriſtus Ieſus Petrũ & Andream & alios per quos operatus eſt ſalutem in medio terræ, non de foro Iuſtiniani, ſed de ſimplicitate piſcatoria legimus abſſumpſiſſe. Inflat enim ſapientia huius mundi, & legum ventoſa loquacitas. Elegit non reges, non ſenatores, non philoſophos, ſed plebeios, pauperes, indoctos, piſcatores, ineruditos liberalibus diſciplinis, non peritos grammaticæ, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos. Piſcatores Chriſtus cum retibus fidei paucisſimos miſit, atq; ita ex omni genere tam multos piſces, & tam multò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipſos philoſophos cepit.

Auguſtinus ſuper Ioannem ſermone 50.

Quare Dominus vnũ proditorem inter duodecim habere voluit, niſi vt malos toleremus, ne corpus Domini diuidamus.

Auguſtinus epiſtola ad Velutianum.

Ex paucisſimis & imperitisſimis & abiectisſimis multiplicantur, nobilitantur, ſublimantur copioſisſima agmina, clarisſima ingenia, cultisſima eloquia doctorum, acutorum, ac facundorum.

Hieronymus ad Nepotianum epiſtola 95.

Apoſtoli gloriantur, quod omnia dimiſerũt, & ſecuti ſunt Saluatorem. Et certè præter retia & nauem nihil legimus dimiſiſſe, & tamen teſtimonio futuri iudicis coronantur, quod ſe offerentes totum dimiſerunt, quod habebant.

Hieronymus ſuper illud Matthæi 18. Quæcunq; ligaueritis ſuper terram.

Poteſtatem tribuit Dominus Apoſtolis, vt ſciant, qui dominantur, à talibus humanam ſententiam diuina ſententia corroborari.

Hieronymus ſuper illud Matthæi: Venite poſt me.

Piſcatores illuſtrati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium, non virtute humana, ſed eloquentia & doctrina Dei fieri putaretur.

Idem epiſtola ad Exuperantiam.

Nemo Apoſtolis pauperior fuit. Nemo tantum pro Domino dereliquit.

Ambroſius in homil. & habetur diſtinctione 50.

Fidelior factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit, atque ideo maiorem gratiã reperit, quàm amiſit. Tanquam enim bonus paſtor tuendũ gregem accepit, vt qui ſibi ante infirmus fuit, fieret omnibus firmamentũ, & qui ſe interogationis tentatione mutauerat, cęteros veræ fidei ſtabilitate fundaret.

Ambroſius ſuper Lucam.

Non ſapienes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos elegit, ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitijs, ne potẽtia nobilitatis autoritate traxiſſe ad ſuam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret. Eligitur & Iudas, non per imprudentiam. Quanta enim eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat? Voluit Chriſtus deſeri, voluit tradi, voluit ab apoſtolo ſuo prodi, vt tu à ſocio deſertus, à ſancto proditus, moderatè feras tuum erraſſe iudicium, petijſſe beneficium.

Gregorius ſuper Euan. homi. 5.

Multum dimiſit, qui ſibi nihil retinuit.

Ibidem

Tanta à ſequentibus ſunt dimiſſa, quanta à nõ ſequentibus concupiſci potuerunt. Multum ergo dimiſit, qui omni rei poſſeſſæ, omni concupiſcentiæ renuntiauit.

Gregorius & hab. 16. q. 1. ex autoritate.

Ex autoritate huius decreti, quod apoſtolico moderamine, & pietatis officio à nobis eſt conſtitutum, ſacerdotibus, monachis, apoſtolorum figuram

figuram tenentib. liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.

Gregorius de discipl. sanctorum.

Omnipotens Deus idcirco principem apostolorum permisit cadere, vt in culpa sua discerer, qualiter aliorum misereri deberet.

Ioan. Chrisost. homi. 1. de laudibus Pauli.

Paulus terram simul atq; mare, Græciã simul atq; Barbariã, omnemq; prorsus, quãta est sub sole, regionem quasi volutans circuit, non simplici labore velut in vacuum itinera percurrẽs, sed peccatorum spinas pariter euellẽs, verbum pietatis vbiq; seminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens, quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus angelos prouehens.

Ibidem.

O mirabiles nobis fluuios genuit Paulus, nõ secundum paradisi fontẽ nouem tantũ, sed etiã multo plures, ac quotidie fluẽtes, nõ terrã irrigantes, sed animas hominũ ad producenda germina virtutũ suscitãtes. Quis igitur ad explicãda Pauli merita sermo sufficiet? Quę lingua laudibus eius inuenitur æqualis? cùm omnia, quæ sunt in hominibus bona, anima vna possideat, & ea cuncta plenè atq; cumulatè, nec solũ hominũ, sed & quod potius est angelorum.

Ibidem.

Paulus cœli ciuis, ecclesiarum columna, angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum totum profectò ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas.

Idem super Matthæum.

Misit Christ⁹ apostolos, quasi sol radios suos, quasi rosa suauitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas disp sit: vt sicut sol in radijs apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorũ virtutib. Christi potentia agnoscatur. Quis enim videns discipulos bene instructos, nõ scientiam magistri collaudat? Faciebat eñ mirabilia Christus, faciebant & discipuli eius, & inter mirabiliũ operationes maior fama virtutum crescebat.

Isidorus in serm. Petri & Pauli.

Meritò apostolis sanctis attribuitur, quod in Sapientiæ libris legitur: Hi sunt viri misericordiæ. Sũt enim planè viri misericordiæ, siue quia misericordiam consecuti, siue quia misericordia pleni, siue quia misericorditer à Deo donati sunt nobis.

Ibidem.

Scimus quod viri isti nec sibi vixère, nec sibi sunt mortui, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illũ. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, & etiã mors ipsa, & in cõuersione eminentiam, in prędicatione sapientiam, in passione sua patientiã nobis beati apostoli contulerunt, qui etiam vsque hodie cõferre nõ cessant misericordia pleni, & sanctarum orationum fructibus.

Leo papa, & habe. distin. 19. Ita dominus.

Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, vt veritas, quæ antea legis & prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & cętera.

Leo papa in sermone Petri & Pauli.

Igne spiritus sancti quasi viuæ lucis fonte Christus apostolos suos perfudit, vt ipsi postmodum vniuersum mundum tanquam duodecim solis radij, ac totidem lampades veritatis illuminarẽt, & inebriati nouo vino replerẽt atq; irrogarent scientia corda omniũ populorum.

Maximus epis. serm. eorundem apostolorum.

Paulus vltra humana raptus est ad tertiũ cœlum. Cœlestia secreta cognouit, vt ecclesiarum futurus doctor inter homines prędicaret.

Basil. super ill. Matt. 5. Vos estis lux mundi.

Veniente luce diei ægritudines alleuiantur, homines à somno excitantur, aues garriunt, bestię ad latibula sua fugiũt: sic luce apostolorum veniẽte mundus fuit ędificatus in credẽdis, fœcũdatus in operibus bonis, alleuiatus peccatis, excitatus negligentijs, animatus ad contemplationem cœlestiũ, ereptus à potestate dæmonũ.

Fran. Petrar. Soneto quarto.

Quel chen finita prouidentia & arte
Monstro nel suo mirabili magistero,
Che creo questo & quellaltro hemispero
Et mansueto piu Ioue cho Marte,
Venendo in terra a luminar le charte
Chaue an mult anni gia celato il uero
Tolse Giouanne da le reti & Piero,
Et nel regno del ciel fece lor porte.
Di se nascendo a Roma non fe gratia.
Augidea si Tanto sopra ogne statu.
Humiltade exaltar sempre li piacque. id est,
Ille qui summam prouidentiam & artem
Ostendit in suo mirabili opere,
Qui creauit & hoc & aliud hemisperium,
Et benigniorem Iouem Marte,
Veniens in terras ut clara redderet scripta
Quæ multos annos ueritatem cælauerant,
Traxit Ioannem à retibus & Petrum,
Et in regno cœli dedit eis partes
Ex se ortus Romæ non fecit gratum,
Sed Iudeæ adeò supra omnem conditionem
Humilitatem extollere semper & placuit.

Apricatio εὐήλιος ὁ dicitur, est statio ad solem, inde apricari, ad solem stare. Dicitur autem apricus ab à quod est sine, & φρίκη ης ἡ quod est horror, vnde & Aphrica, quod ea pars calida sit.

Aptitu-

Aptitudo ἐπιτηδειότης ητος ἡ, dicitur & aptus Græcè ἐπιτηδής εος ὁ. ἡ dicitur. Et est conuenientia, pulchritudo, elegantiaq́;.

Aqua Græcè ὕδωρ ατος τὸ, & ὕδος εος τὸ, est vnũ quatuor elementorum humidum & frigidum, graue & deorsum tendens, ductile, facile ineffusibile, secundum Ioannem Damascenum libr. 2. cap. 9.

Arbiter Græcè κρίνων οντος ὁ. dici potest, & est ille, qui eligitur, vt iudex, scilicet vt procedat seruato in substantialibus ordine iudicij, secundum Innocent. in c. Quinta vallis. de iureiur.

Archetypus dictio Græca, nam ἀρχῆς ἡ. principatus & τύπος ὁ forma, dici potest principalis forma.

Architectura est scientia ædificandi. vnde archytectones & archytecti dicuntur, qui ædificandi scientiam habent, ab ἀρχῆς ἡ. quod est principium, & τέκτων ονος ὁ, faber lignarius.

Argutia ab argutus dicuntur acutè & malitiosè dicta vel facta. Est enim argutus, qui est salsus, acutus & cum lepore quodam, quæ cupit, dicens faciensq́; quasi acutè arguens.

Arithmetica, scientia est de numeris tractans dicta ab ἀριθμός ὁ. qud est de numeris. inuenta à Phœnicibus, ob mercaturas. ἀριθμέω etiam numero est.

Arma Græcè ὅπλα τὰ dicuntur, & ὁπλιστής οῦ ὁ, armatus: Sunt arma cuiusq; rei instrumẽta. Omnia bellica instrumenta, quibus hostes arceri possunt: arma dicunt, ab arcendo hoste, vt Varroni placet. Quare fustes, saxa aliaq; huiusmodi arma esse Caius iurisconsultus affirmat, quoties his ad hostes arcẽdos vtimur. Erunt itaque arma bellica ocreæ, caligæ, lanceæ, loricæ, thoraces, scorpiones, balistæ, aliaq; huiusmodi, quibus in bello vtimur. Fraudes insidiantis arma dicuntur. Virg. Et quærere conscius arma. Ita studiosorum arma sunt stylus, pugillares, librique. Et arma hæc omnia dici reor, quod armis, id est, humeris oneri sunt, dum geruntur, testibus Pompeio & Seruio.

Arrogantia Grecè ἀλαζονεία ας ἡ, & ἀλαζών όνος ὁ, arrogans dicitur. Est autem arrogantia quædam filia superbiæ, qua quis multum se existimans, cæteros quos infra se videt, despicit, & quibus non consulendo loqui, sed vix dominãdo dignatur, vt habetur in Decretis di. 47. cap. 1.

Vel sic.

Arrogantia, quæ modestiæ contraria est, per quam temeritas atque impudentia vanam sibi comparat autoritatem.

Arrogans est, qui sibi attribuit, quod non habet secundum b. Tho. sec. q. 112. ar. 1.

Vel sic.

Arogans est, qui sibi temerè & insolenter tribuit, quæ in eo non sunt.

Ἀλαζονεία autore Vlpiano, eorum est, qui plùra promittunt, quàm præstare possunt. Eiq; cõtraria est εἰρωνεία. quæ id quod potest minuit.

Lacedæmonijs adeo fuit inuisa arrogantia siue iactatio sui, vt Cthesiphõtem, virum alioqui facundum ac disertum, qui se prædicaret de re quauis vel totum diem posse dicere, apud se viuere passi non sint. Quod boni oratoris esse dicerent, Habere sermonem rebus parem, vt nec breuior sit in dicendo, quàm res postulet, nec prolixior.

Cicero cum ciuitatem Romanam coniuratis sublatis à crimine perduellionis siue cõiurationis liberasset, eiq; pro ijs beneficijs in rempub. decreti essent honores, sibi istis honoribus ita placuit, seseque admiratus est, vt multorum amor, in quo propter beneficia esset, in odiũ erga Ciceronem conuerteretur. Autor Plutar. in Cicerone.

Arrogatio Græcè θέσις ιος ἡ dicitur. Et est adoptio perfecta, per quam qui filius non est, pro filio habetur, pene naturam imitans. Differtq́; à simplici adoptione, quia adoptio simplex est, qua adoptatur filius non emancipatus, qui nec transit in potestatem adoptantis, nec succedit in hæreditatem, nisi velit adoptans & fieri potest sine autoritate principis vel magistratus, quorum opposita sunt in Arrogatione ex beat. Thoma 4. Senten. dist. 24. q. 2. articulo 1.

Ars Græcè τέχνη ης ἡ. & τεχνικός οῦ ὁ artificiosus dicitur, & est principium agendi in alio secundum Aristotelem lib. 12. Metaphysicæ.

Ars est habitus quidam faciendi cum vera ratione, secundum Aristotelem lib. 6. Ethicorũ.

Ars est recta ratio factibiliũ, & habitus operatiuus, secundum b. Tho. prima Secũ. quæ. 57. articul. 3.

Ars est operis ratio, omni adiuncta materia. Differt autem ars ab experientia, secundũ Aristot. li. 1. Metaphysicæ: quod Ars est vniuersaliũ Experientia verò singularium.

Ars est rei cuiuscunque scientia vsu vel traditione, vel ratione percepta, tendens ad vsum aliquem vitæ necessarium, secundum Diomedem.

Ars est potestas, viam, id est, ordinem efficiens, vt Cleanthes voluit secundum Fabium libro 2.

Ars est habitus quidam faciendi vera cum ratione, secundum Aristotelem Ethicorum libro 6.

Ars dicitur, quod arctis præceptis, & regulis cuncta concludat. vel ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est à virtute. Quare veteres artem pro virtute appellarunt secundum Diomedem.

Ouidius lib. 1. in artis.

Disce bonas artes moneo Romana iuuentus.

Menander.

Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις τέχνη. id est.

Portus infelicitatis est hominibus ars. Τύχη τέχνην εὕρηκας, οὐ τέχνη τύχην: id est,
Idem. *Fortuna artem inuenisti, non ars fortunam.*

- *Articuli*
  - *Fidei, & sunt fide credibilia in symbolo cōtenta per partes habentes aliquam coaptationem adinuicem distincta: pertinentes ad*
    - *Maiestatis diuinæ*
      - *Vnitatem essentialem.*
        - *Credo in Deum.*
      - *Trinitatem personarum*
        - *Patrem omnipotentem.*
        - *Et in Iesum Christum, filium eius unicum Dominum nostrum.*
        - *Et in Spiritum sanctum.*
      - *Operationē propriam.*
        - *Creatorem cæli & terræ.*
        - *Sanctam Ecclesiam catholicam: Sanctorum communionem: Remißionem peccatorum.*
        - *Carnis resurrectionem: Vitam æternam.*
    - *Humanitatem Christi*
      - *Ingredientis mundum.*
        - *Qui conceptus est de Spiritu sancto.*
        - *Natus ex Maria uirgine.*
      - *Egredientis.*
        - *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.*
        - *Descendit ad inferos.*
      - *Exaltati.*
        - *Tertia die resurrexit à mortuis.*
        - *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*
        - *Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.*
  - *Rhetorices secundum Ciceronem. Cùm singula uerba interuallis distinguuntur cæsa oratione, hoc modo: Acrimonia, uoce, uultu, aduersarios perterruisti.*
  - *Grammatices.*
    - *Græcè*
      - *Præpositiui, & sunt:* ὁ ἡ τό.
      - *Suppositiui, & sunt* ὅς ἥ ὅ.
    - *Latinè, hic, hæc, hoc.*

Articulus Grecè ἄρθρόν ου τό, dicitur & ἔναρθρος ου ὁ ἡ articulatus. Est coaptatio partium distinctarum, secundum B. Thomam, secunda secundæ, quæst.1.articu.7.

As Græcè ἀσσάριον τό libra est seu pondus duodecim vnciarum, vt placet Varroni, cuius partes sunt vt infrà.

Sextans tis, duas vncias significat, eò, quia sit sexta pars asis.

Quadrans tis, tres vncias significat, quia est quarta pars asis.

Triens tis, 4. vncias, quia est tertia pars asis.

Quincūx cis, quinq; vncias, & dicitur à quinque & vncia.

Semis masculini generis, quod facit genitiuo semisis, sex vncias significat, quasi semi as, id est, dimidium asis.

Septunx cis, septem vncias denotat, à septem & vncia.

Bes vel des, octo vncias denotat, dictū quòd demptus sit inde triens, vel quòd bis sit triens, licèt dura sit compositio.

Dodrans nouem vncias significat: dictum quasi dempto quadrante.

Dextans tis, decem vncias capit, quasi dempto sextante.

Decunx cis, vndecim vncias significat, quasi dempta vncia ab asse qui libram significat, vt dictum est.

Ascismus Græcè φονεύς έως ὁ dicitur, ꝓpriè est, qui non subest dominio alicuius, sed pro pecunia homines occidit ad alicuius instātiam, & dicitur à scindo is, quia scindit animam à corpore secundū Archi. in c. pro humani. de homic. li. 6.

Asperitas Græcè σκληρότης ητος ἡ, & σκληρός ου ὁ, asper dicitur. Est autem asper id, in quo hęc pars quidem superat, illa verò est inferior, secūdum Aristotelem libro Prædicamentorum.

Asperum est cuius vna pars supereminet alteri, secundum B. Thom. super 2. de anima. Le. 17. principio.

Assentatio Græcè κολακεία ας ἡ, & κολακεύω assentor dicitur. Sunt autem assentatores, qui in vita, atq; omni vsu verborum, & actuum placendi studio omnia laudant, nec aduersantur, putantes oportere minimè molestos se cuiquam esse, secundum Aristot. lib. 4. Ethicorum. Diciturq́; assentator ab assentor, quod est adulor, & quasi in omnibus consensum præsto, vt est illud Terentianum: Ait quis, aio: negat quis, nego. Differunt autem hæc tria assentor, adulor, blandior, quòd assentari propriè est voce vel laudando, vel assentiendo captare. Adulari quoquo modo vel voce, vel gestu fauorem quærere. Blandiri propriè tactu, verùm ad alios quoq; sensus trāsfertur. Assentire ab assentio quod & assentior dicitur in actiua significatione Græcè ὁμολογέω dicitur, est actus intellectus. Consentire autem est actus voluntatis secundum B. Thom. 1.2 quę.15. artic.1. & 3. Sent. dist.13.

Theophrastus de eo.

Assentationem autem rectè quis turpe colloquium & obsequium quoddam assentatoris, vtilitatis gratia institutum esse arbitretur. Assentator verò, qui dum tecum vna proficiscitur, animanduertis, dicat, vt in te ora hominum atq; oculi coniecti sunt? quod pręter te nemini ex ciuibus euenit. Item: heri in porticu maximè collaudatus es, cùm enim plus quàm triginta homines eò sedentes conuenissent, ac de te sermo incepisset, quísnam cęteris maximè virtute pręstaret, à te ipso quisq; exorsus, ad tui ipsius nomen ferebatur, multaque alia his similia dicere consueuit & à pallio, si quid siue pili, siue pulueris, seu hili fuerit, excutere atque amouere, & si palearum quippiam in crinem ventus abiecerit, ad paleas & fœnum sermonem transferre, atque arridendo dicere: vides vt duobus diebus, quibus à te abfui, canitiem barba contraxit, etsi mihi præ cæteris, qui hoc ætatis sunt, capillo nigro esse videre, & quum ille aliquid loquitur, cæteris silentium imperet, nolentem etiam & inuitum efferat laudibus, & orationem finienti annuat, & salibus vtenti, vehementer arrideat, vestemq; in os adigat, quippe qui risum nequeat continere, ac si quis obuiam venerit, eum iubet consistere, quoad ille prætereat, pueris eius mala ac pyra precio comparata deferes, eo spectãte tradit, eosq; osculatus: ô præclaram, ait, optimi patris sobolem: calceos emẽti adest, atq; pedem longè melius formatum calceis esse dicit. Quumq; is ex amicis aliquem adeat, cursu assentator pręuolet, eiq;, qui aditur, ad te proficiscitur amicus, ait: & antequam aderit, reuersus affirmat se nuntiasse. Illa verò, quæ mulieribris cœtus sunt, adhibere potest absq; negotio, vt si quando in conuiuio versetur, primus omnium vina probet. quumq; is interest, qui conuiuium statuit, quàm molliter, ait, & lautè cœnas: quum aliquid ex mensa tollit, statim affirmat esse peroptimum: rogat deinde nunquid frigore sit affectus, ac nunquid amplius indui, & vestibus abs se amiciri velit, atq; hæc omnia quum dicit, insusurrat in eius aurem. Tum in illum aspiciens, ad alios astantes atq; audientes loquitur: In theatro verò puluinos ministro ereptos ipse substernit: domum artificiosissimè ædificatam, agrum optimè excultum, & plantis consitum esse confirmat. imaginem peritè ex illius figura imitatione simulatã atq; expressam. Et ne omnia complectar, assentatorem intueri licet, ad eius, cuius gratificari se arbitretur, nutum ac voluntatem omnia sua & dicta & facta referentem.

Assiduitas προσλιπαρεία, & assiduus προσλιπαρών. Et est qui rei cuipiam indefessè adhæret & quasi affixus est. Quantum autem possit assiduitas, ostendit.

Hesiodus.

—εἰ γάρκεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθεῖο,
καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.

Ouidius libro 1. de arte amandi.

Tempore difficiles ueniunt ad aratra iuuencæ,
Tempore lenta pati fræna docentur equi.
Ferreus aßiduo consumitur annulus usu,
Interit aßidua uomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Vegetius lib. 1.

Quotidianus vsus non laborat, etiam si onerosa gestauerit.

Astrologia est scientia de astris, & dicitur ab ἄστρον ου τὸ, quod est sydus, & λόγος ου ὁ sermo. Diciturq; astronomia ab ἄστρον, quod est sydus, & νόμος ου ὁ lex & norma. Hæc primum inuenta dicitur ab Atlante rege Mauritaniæ, teste Plinio libro 7. naturalis historiæ.

Astutia Græcè πανουργία ας ἡ, & πανοῦργος ου ὁ. astutus dicitur. Estq; processus ad aliquid communicandum simulatis aut apparentibus vijs seu medijs, secundum B. Thomam, Secunda secundæ quæst, 55. articu. 3.

Astutia est excogitatio non veræ viæ, sed falsæ & simulatæ ad assequendum aliquem finem bonum vel malum, secundum eundem. Dicitur autem astutia ab ἄστυ εος τὸ; quod est vrbs, Quoniam qui in vrbibus assiduè versantur fiunt callidiores.

Attritio Græcè ἔκθλιψις ιος ὁ, & contritio Græcè σύντριμμα ατος τό dicitur, sic differunt, quòd attritio est discipliceñtia imperfecta de peccatis commissis. Contritio autem perfecta: illud ab attero, hoc à contero dicitur.

Mortale articu. 4.
- *Cùm quis accipit & retinet iniustè res alienas, & sic opponitur iustitiæ, & pertinet ad* Furtum, Rapinam, Vsuram, Fraudem *in emptionibus & uenditionibus.*
- *Cùm est adeò inordinaus amor diuitiarum, ut præferatur amori & dilectioni Dei & proximi.*

Veniale articu. 4. *Quando licèt sit superfluus & inordinatus amor diuitiarum, non tamen propter eas quicquam ageret contra charitatem Dei & proximi.*

Auaritia

- Auaritia dupliciter dicitur, secundum beatum Thom. secunda secundæ, q. 118.
  - Inordinatus amor habendi diuitias, & sic definitũ est unum de septem, & opponitur liberalitati, qua redditur moderatus appetitus habendi diuitias: & opponitur iustitiæ, qua redditur unicuiq; quod suum est, & est peccatum
    - Capitale: quia est caput aliorũ multorum peccatorũ, Etenim omnis superfluus amor habendi diuitias, aut excedit in art. 7.
      - Retinendo, unum oritur.
        - Obduratio contra misericordiam, quæ etiam dicitur inhumanitas ab A'gusti. & Isidoro: qua cor hominis non emollitur, ut suis diuitijs subueniat pauperi.
      - Accipiendo, & sic ex eo oriuntur sex, scilicet
        - Inquietudo mentis, quæ ingeritur homini solicitudo diuitiarũ, & cura superflua.
        - Violentia, qua quis in acquirendis alienis iniustè utitur ui.
        - Fallacia, qua quis utitur dolo simplici uerbo.
        - Periurium, quo quis utitur dolo iuramenti confirmatione.
        - Fraus, qua quis in rebus opere fraudem committit.
        - Proditio, qua quis in personis opere fraudem committit, ut patet de Iuda.
    - Generale, quia multæ sunt species auarorum secundum philosophum 4. Ethicorum. Quia omnis auarus aut ar. 4.
      - Deficit in dãdo, & sũt species tres, scil.
        - Parcus, qui parum dat.
        - Tenax, qui nihil dat.
        - κυμινοπρίστης, qui dat cum difficultate, & de paruis magnam uim facit, quasi cymimi uenditor.
      - Excedit in acquirendo dupliciter, scili.
        - Turpiter lucrando
          - Illiberalium operationũ operator est, ut est qui propter lucrum uilia & seruilia opera exercet.
          - De meretricio pastus, qui lucratur de uitiosis actibus, sicut de meretricio. Terentius. Quid leno dolis cõfingat auarus, uel aliqua huiusmodi.
        - Iniustè lucrando, q; faciũt quatuor genera illiberalium, scil.
          - Vsurarij, qui lucrãtur de gratis concedendis.
          - Latrones, qui aliena lucrantur, uiuis uim inferendo.
          - Spoliatores mortuorũ, qui lucrãtur mortuis uim inferẽdo
          - Aleatores, qui lucrantur amicis uim inferendo.
  - Inordinatus amor habendi, de quo dicit B. Grogor. in homil. Auaritia est non solum pecuniæ, sed etiam scientiæ & altitudinis, cùm supra modum ambitur sublimitas. Et B. August. li. 3. de libero arbitrio sic dicit: Auaritia, quæ Græcè philargyria dicitur, non in solo argento & numis, sed in omnibus rebus, quæ immoderatè appetuntur. Et sic est generale peccatum, & non est unum de septem.

AVaritia φιλαργυρία ας ἡ, & φιλάργυρος οῦ ὁ auarus dicitur. Et est quarumlibet rerum insatiabilis & in honesta cupido, secundum Augustinum lib. 3. de lib. arbit. & Theol. in 2. Sent. di. 22. præsertim B. Thom. secunda secundæ, quæst. 118. arti. 2. & Albertum Magnum in Compendio Theologiæ lib. 3. cap. 19.

Auaritia generaliter est inordinatus amor habendi, secundum B. Thomam prima parte quæstione 63. articulo 2.

Auaritia est opinio vehemens de re non expetenda, tanquam valdè expetenda sit inhærens & penitus insita, secundum Cicer. lib. Tus. q. 4.

Auaritia superabundat in amando, acquirendo & retinendo, sed deficit in dando.

Exodi 12.

Non concupisces domum proximi tui.

Deuteronomij 25.

Maledictus qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus, Amen.

Prouerbiorum 1.

Sic semitæ omnis auari animas possidentium rapiunt.

Ibidem 11.

Alij diuidunt propria & ditiores fiunt: Alij rapiunt non sua & semper in egestate sunt.

Ibidem.

Qui confidit in diuitijs suis, corruet.

Ibidem 13.

Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu multiplicabitur.

Ibidem 15.

Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam, qui autem odit munera, viuet.

Ibidem 21.

Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

Ibidem 22.

Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.

Ibidem 23.

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.

Ibidem.

Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum.

Ibidem 27.

Infernus & perditio nunquam replentur: similiter & oculi hominum insatiabiles.

Ibidem 28.

Qui odit auaritiam, longi fient dies eius.

Ibidem.

Qui festinat ditari, non erit innocens.

Ibidem.

Vir, qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quòd egestas superueniet ei.

Ecclesiastes 10.

Pecuniæ obediunt omnia.

Ibidem 4.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

Ecclesiastici 5.

Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

Ibidem 10.

Auaro nihil est scelestius.

Ibidem.

Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.

Ibidem 14.

Quod aceruat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Et non iucundabitur in bonis suis.

Ibidem 31.

Qui aurum diligit, non iustificabitur.

Ibidem.

Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eũ? fecit enim mirabilia in vita sua.

Esaiæ 33.

Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?

Hieremiæ 6.

A minore vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student, & à propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

Idem 8.

Propterea dabo mulieres eorũ exteris, agros eorum hæredibus. Quia à minimo vsq; ad maximum omnes auaritiam sequuntur, à propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.

Abacuc 2.

Væ ei, qui multiplicat non sua. Vsque quo & aggrauat contra se densum lutum.

Ibidem.

Væ qui congregat auaritiam malum domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali.

Matthæi 6.

Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, vbi nec fures effodiunt, nec furantur.

Marci 10.

Filioli, quàm difficilè est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

Lucæ 12.

Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abũdantia cuiusquam vita eius est, ex ijs quæ possidet.

2. ad Corinthios 12.

Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.

1. ad Timotheum 6.

Nihil enim intulimus in hunc mundũ, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habẽtes aũt alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetẽtes errauerunt à fide & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo Dei hæc fuge.

Ad Hebræos 13.

Sint mores sine auaritia contenti præsentib. Ipse enim dixit: Non te deseram neq; derelinquam. Ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Augustinus, & habetur cons. 7. q. 1. Quæro ergo.

Quæro ergo quis peccat grauius, an qui nesciens, hæresim incurrerit, an qui sciens ab auaritia, id est, ab idololatria non recesserit: secundum illam regulã, qua peccata scientium peccatis ignorantium prę ponũtur, auarum conscientia

tia vincit in scelere. Sed si fortè hoc faciat in hęresi, ipsius sceleris magnitudo: quid faciat in auaritia scientis admissio, hæreticus nesciens auaro scienti coæquatur.

Augustinus de libero arbitrio libro 3.

Auaritia quæ Græcè philargyria dicitur, nõ in solo argento vnde nomen duxisse resonat, sed in omnibus rebus, quæ immoderatè appetuntur intelligenda est. vbicunq; omninò plus vult quisque, quàm satis. Hæc autem auaritia cupiditas est, cupiditas verò, improba voluntas est. Ergo improba volũtas omnium malorum causa est.

Augustinus de libero Arbitrio.

Cùm auaritia alicui dominatur, subiectus malis omnibus demonstratur, quia de auaritia omnia mala oriuntur, & peccatorum omnium spinæ producuntur.

August. lib. de doctr. Christiana.

Auarus est cæcus, credendo enim diues est, non videndo. Amas pecuniam ô cęce, quã nunquam videbis. Cæcus possides, cæcus moriturus es. quod possides hîc relicturus es.

August. lib. de uerbis domini

Quę est ista auiditas concupiscentiæ? cùm & ipsę beluę habeant modum. Tunc enim rapiũt quando esuriunt, parcunt verò prædę cùm senserint satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum, semper rapit & nunquam satiatur, nec Deũ timet, nec hominem reueretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitium reuocat, testimonium falsum profert, res mortui occupantur, quare & qui faciunt, non moriuntur. Quæ est illa animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum?

Idem ad Bonifacium.

Diuitiæ seculares si desint, non per mala opera quærantur in mundo. Si autem adsint, per bona opera seruentur in cœlo. Animum virilẽ Christiani num debent si accedũt attollere? nec debent frangere si recedunt?

Augustinus ad Comitem.

Auarus vir inferno est similis. Infernus enim quãtoscunq; deuorauerit, nunquam dicit satis est: sic, & si omnes thesauri confluxerint in auarum, nunquam sufficiet.

August. in serm. de 10. plagis.

Nemo habet iniustum lucrũ sine iusto damno, verbi gratia: Qui furatur, acquirit vestem, sed perdit fidem: vbi lucrum, ibi damnum. Lucrum in arca, damnum in conscientia.

Aug. de interpellatione Iob.

Modum non habet auaritia, nec capiendo expletur, sed incitatur, hoc egentior, quò plura quæsiuit.

Hieron. ad Paulin. & est in prologo Bibliæ.

Auaro tam deest quod habet, quàm quod nõ habet. Credenti totus mundus diuitiarum est, infidelis autem obolo indiget.

Hiero. epist. ad Rusticum.

Nos ardemus auaritia, & contra pecuniam disputantes, auro sinum expandimus. Et illud quod de Megarensibus dicitur, nobis miseris coaptari potes. Aedificãt quasi semper victuri, viuunt, quasi altera die morituri.

Amb. de eo quod scriptum est in Euang. Hominis cuiusdam diuitis fruct. & habe. dist. 47. Sicut.

Sicut hi, qui per insaniam mente trãslati, nõ iam res ipsas, sed phantasias passionis suę vidẽt: ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argẽtum videt, semper redditus computat; gratius intuetur aurum, quàm solem: ipsa eius oratio & supplicatio ad Deum aurum quærit.

Ambr. super libro de Nabythe.

Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur: quasi gradus quosdam cupiditatis habet, & quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, vnde fit grauis ruina lapsuro.

Grego. & hab. dist. 47. Bonorum.

Bonorum autori inhærere aliter non valemus, nisi cupiditatem à nobis (quę omnium malorum radix est) abscindamus.

Idem in Regist. & hab. pri. q. pri. Cùm omnis.

Cùm omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc & maximè in dandis ecclesiasticis honoribus vigilanter non pręcauet, infidelitatis perditioni subijcitur, etiam si tenere fidem, verbis quam negat facto videatur.

Idem lib. 10. Moralium.

Sæpe ad auaritiam cor patris allicit fœcunditas prolis. Eo enim ambitu congregandæ hęreditatis accenditur, quo multis hæredibus fœcundatur.

Idem libro 20. Moralium.

Auaritia latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in operatione.

Idẽ li. 20. mora. Et super illud Iob: Si expaui ad multitud.

Magna est securitas cordis nihil habere concupiscentiæ secularis. Nam si ad terrrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit, vt habeat: aut adepta metuit, ne amittat, & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc illucq; quasi quibusdã fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Si verò semel in appetitione supernę patriæ forti stabilitate animus figitur, minus temporaliũ rerum perturbatione vexatur.

Idem 14. Moralium.

Omnis auarus ex potu sitim multiplicat, qui

cùm ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad optinenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit, vnde figuratur per hydropicum.

Ibidem.

Peccatum auaritiæ mentem, quam infecerit, ita grauem reddit, vt ad appetenda sublimia attolli non posit.

Idem 15. Moralium.

Auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis cùm ligna, quæ consumit, acceperit, excrescit: & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò pòst cernitur dilatari.

Ibidem.

Auarus prius anhelat concupita congregare, & cùm quasi in quodam ventre auaritiæ multa cógesserit, satiatus arctatur, quia dum anxiatur, qualiter acquisita custodit, ipsa eum sua satietas angustat, Mens auari, quę prius ex abundantia requiem confiderat, posteà ad custodiá grauius laborat.

Ibidem.

Dęmonum habitaculum fit quisq; in hoc seculo, qui propter diuitias & honores laborat, quas postquá consecutus est, tradit se luxuriæ, vt quę auaritia congregauit, luxuria cósumat

Ibidem.

Prius nanq; mens auari doloré habuit in ipsa suę concupiscentię fatigatione, vt qualiter concupita raperet, quomodo aliqua blandimentis, aliqua terroribus auferret. At postquam acquisitis rebus peruenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cum solicito timore custodiat, quod cum graui labore meminit acquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atq; hoc se perpeti, quod ipse facit, ab alijs pertimescit.

Grego. hom. 32. super euang.

Cursum suum quisq; consideret & cognoscet sibi sufficere parua, quæ habet, sed fortasse metuit, ne in huius vitæ itinere sumptus desit. Longa nostra desideria increpat vita breuis. Incassum multa portantur, cùm iuxta est, quò pergitur.

Ioan. Chrysost. super Mat.

Auaritia pręcipuè in viris abundat. Fornicatio aút in mulierib. Mulier enim inquietè sedet inclusa. Fornicatio auté maximè ex otio nascitur. Vir autem quoniam in actibus rerú diuersarum est assiduè, in auaritiæ peccatum facilè incurrit. In fornicationem autem non facilè, nisi multú sit lasciuus. Nam occupatio virilium solicitudinum, voluptatem plurimum excludit. Vnde proprium est adolescentium nihil agentium.

Idem super Mat. homi. nona.

Qui pecuniæ seruit, & præsentibus compedibus constringitur, & futuris paratur.

Isidorus libro Ethymologiæ.

Auidus dictus ab auendo. Auere enim cupere est, hinc auarus dictus est, eò quòd sit auidus auri, & nunquam opibus expleatur.

Isidorus de summo bono libro tertio.

Qui bona mundi diligit, velit nolit, timoris & doloris pœnę succumbit.

Bernardus super Cant. sermo. 38.

Currus auaritię vehitur rotis quatuor vitiorum, quę sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia sunt rapacitas & tenacitas, his ambobus vnus auriga pręsidet, ardor habendi, hic auriga ad vrgendum trahentia flagellis vtitur acerrimis, libidine acquirendi, & metu amittendi, hęc sola auaritia, quia conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore.

Hugo libro de clau.

Quatuor sunt in rebus possessis obseruanda: .s. ne licita iniustè quęramus, aut iniustè acquisitis illicitè perfruamur, ne multa, quamuis licitè, posideamus, ne licita illicitè defendamus. Malè enim acquirere, aut malè vti acquisitis, de licito facit illicitum, multa sibi posidere propinquú est cupiditati. Et fit quandoq; quod nimiú diligitur, malè defenditur. Duo sunt, quæ illicitè solét acquirere, id est, cupiditas & superbia, & duo, quę malè fruútur acquisitis, gula & luxuria. Duo aút sunt, quæ malè posidere volút, .s. prodigus & auarus, vnus, vt congreget: alter vt dispergat, & duo, quę possessa defendát, .s. temperantia & mundi prudentia. Superbia diabolo claudit cœlum: gula primo parenti abstulit paradisum: auaritia diuiti aperuit infernum: Intéperantia verò adhuc corrumpit mundum.

Ibidem.

Auaritia est gloriæ, seu quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido.

Boëtius de Consol. lib. 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus.
Pontus uerset harenas,
Aut quot stelliferis ædita noctibus,
Cœlo sydera fulgent:
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu.
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.

Ibidem prosa sexta.

Atqui nec opes inexpletá restinguere auaritiam queũt.

Boetius lib. 2. de Conso.

Sæuior ignibus Aethnæ
Feruens amor ardet habendi.

Ibidem.

Auaritiæ nil satis est.

Ibidem.

Quamuis fluente diues auri gurgite
Non expleturas cogat auarus opes,

Onereq;

Oneretq; baccis colla rubri littoris,
Ruráq; centeno scindat opima boue,
Non cura mordax deserit superstitem.

Boëtius libro de scholastica disciplina.

Nouerca est adunca tenacitas.

Seneca lib. de beneficijs.

Demosthenes Athenis eum, qui necessaria funeribus vẽditabat, damnauit, cùm probasset eum magnum lucrum optasse: quod contingere ei sine multorum morte non posset.

Seneca ad Lucilium epist. 74.

Vidisti aliquãdo canem missa à domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantẽ: Quicquid excipit, protinus integrũ dimittit, & properat ad spem futuri. Idem euenit nobis. Quicquid fortuna expetentibus proijcit, id sine vlla voluptate dimittimus, & statim ad rapinam alterius erecti & attenti stamus, hoc sapiẽti nõ euenit.

Seneca ad Lucilium epist. 96.

Auarus animus nullo satiatur lucro.

Ibidem.

Nulli nos vitio natura conciliat: Illa integros ac liberos genuit, nihil, quod auaritiam nostrã irritaret, posuit in aperto. Pedibus aurum & argentum subiecit, calcandumq; ac premendum dedit, illa vultus nostros erexit in cœlum.

Seneca ad Lucilium epist. 180.

Desunt inopię multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Idem epist. 121.

Qui multum habet, plus cupit: quod est argumentum nondum satis habere.

Seneca de naturalibus quæst.

Auaritia quicquid omnibus abstulit, sibiipsi negat.

Seneca ad Heluam matrem.

Auaritia est vehementissima humani generis pestis. Cupiditati nihil satis est: Naturæ satis est & parum. Quicquid desiderio, quod nõ ex inopia, sed vitio nascitur, congesseris, non finis erit cupiditatis, sed gradus.

Seneca in prouerbijs.

Auarus ipse miseriæ causa est suę

Ibidem.

Auarus nisi cùm moritur nihil rectè facit.

Ibidem.

Auaro negandi causa nunquam deficit.

Ibidem.

Pecunię imperare oportet, non seruire. Pecunia si vti scias, ancilla est: si nescias, domina.

Seneca lib. de moribus.

Pecunia non sanat auaritiam, sed irritat: homo semper indiget pecunia. Mihi crede, nõ potes esse diues & fœlix.

Ibidem.

Quę est maxima egestas? auaritia.

Ibidem.

Pecuniæ vsum habere oportet, sed ei seruire non oportet.

Ibidem.

Quietissimam vitã agerent homines, si hæc pronomina tollerentur, scilicet Meum & Tuũ.

Seneca tragœdia quarta.

Rupêre fœdus, impius lucri furor,
Et ira præceps, quæq; succensas agit
Libido mentes.

Seneca Tragœdia septima.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit.
Terrasq; sua post terga uidens
Animam leuibus credidit auris,
Dubioq; secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter uitæ mortisq; uias,
Nimium gracili limite ducto.

Aristo. lib. 1. Politicorum.

Desiderium diuitiarum vadit in infinitum. Vide ibidem caput 6. circa finem, vbi Aristoteles inexplebilis huius cupiditatis reddit rationem.

Ex loco Aristotelis qui est ibidem cap. 3. intelligere licet, qòud quamuis per acquisitionẽ possidemus seruos, opes, & reliqua vitæ instrumenta, nõ tamen acquisitio est possessionis gratia, sed faciendi ex ijs, quæ possidemus. Quare auari fines rerum ignorant, & otiosa sunt ijs instrumenta.

Cicero libro Paradoxorum.

Neq; enim vnquã expletur, neq; satiatur cupiditatis sitis, neq; solum ea quę habent, libidine augendi cruciantur: sed amittendi metu.

Ibidem.

Tu dies noctesque cruciaris, cui non sat est, quod est: & ipsum, quod habes, ne diuturnum sit futurum, times.

Cicero libro Officiorum.

Vitanda tamen est suspitio auaritiæ.

Ibidem.

Habere enim quęstui Rempubli. non modò turpe est, sed & sceleratum est & nepharium.

Ibidem.

Illud natura non patitur, quòd aliorum spolijs nostras facultates & copias augeamus.

Ibidem.

Omnes autem qui secundum naturam volũt viuere, nunquam commmittent, vt alienum appetant.

Idem libro secundo Officiorum.

Nihil ęque ad conciliandos multitudinis animos facit, quã si magistratus omni auaritiæ suspitione careant.

Cic. lib. 1. Rhetoricorum ueterum.

Genus est omnium libidinũ cupiditas, eius

 autem

autem generis sine dubio pars est auaritia.

Ibidem.

Nemo est, qui non pecuniam quàm sapientiam malit.

Ibidem.

Malum est maximũ auaritia, multos magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas.

Idem Rhetoricorum nouorum libr.1.

Magno malo est hominibus auaritia, idcirco quod homines magnis & multis incommodis affligantur, propter immensam pecuniæ cupiditatem.

Idem Rhetoricorum nouorum libro 2.

Auaritia ad quoduis malum hominem perducit.

Idem libro 4.

Auaritia est iniuriosa appetitio alienorum.

Ibidem.

Duę res sunt, quę possunt hominem ad turpe compendium commouere, inopia atq; auaritia.

Idem libro 4. Rhetoricorum.

Egens æquè is est, qui non satis habet, & is, cui nihil satis esse potest.

Cicero lib.1. de Legibus.

Quid fœdius auaritia?

Cicero libro 1. de finibus bonorum & malorum.

Cupiditates enim sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt; totam etiam labefactant sæpe Remp. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. Nec hæ sese foris solum iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusæ, inter se dissident atq; discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici: vt sapiens solum amputata, circuncisaq; inanitate omni, & errore, naturæ finibus contentus, sine ægritudine possit, & sine metu viuere.

Ibidem.

Quod si corporis grauioribus morbis vitæ iucunditas impeditur, quãtò magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensę, & inanes diuitiarum gloriæ, dominationes, libidinosarum etiam voluptatum. Accedunt ægritudines, molestię, mœrores, qui animos exedunt, conficiuntque curis hominum non intelligentium.

Idem libro 4. Tusculanarum Quæstionum.

Nam cùm est concupita pecunia, nec adhibita continuò ratio, quasi quædam Socratica medicina, quæ sanaret eam cupiditatem, permanat in venas, & inhæret in visceribus illud malum, existitq; morbus, & ęgrotatio: quę auelli inueterata non possunt, eiq; morbo nomẽ est auaritia.

Salustius in Catilinario.

Pecunię imperijq; libido, sunt quasi materies omnium malorum. Namq; auaritia fidem, probitatem, cæterasq; bonas artes subuertit: proq; his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit.

Ibidem.

Auaritia studium pecuniæ habet, quod nemo sapiens concupiuit. Ea quasi venenis malis imbuta corpus animumq; effœminat. Semper infinita & insatiabilis est, neq; copia, neq; inopia minuitur.

Idem in Iugurtha.

Natura mortalium auida est imperij, & præceps ad explendam animi cupiditatem.

Ibidem

Animus æger auaritia facilè conuertitur.

Ibidem.

Magnitudo pecunię à bono & honesto in prauum abstrahit.

Titus Liuius in præfatione lib.1. Deca.1.

Diuitias auaritiam inuexisse testatur hoc loco Liuius, dicens: Ipsam Remp. Rom. tantisper fuisse magnam, sanctam, & bonis exemplis ditem, dum in illam diuitię auaritiam inuexerint.

Idem Liuius eodem loco autor est, Remp. Ro. optimam & sine auaritia fuisse semper, dum in ea paupertati honos ac parsimoniæ fuerit.

Cornelius Tacitus initio lib.16.

Didonem Phœnissam Tyro profugam condita Carthagine, ideo opes illas abdidisse testatur, ne nouus populus nimia pecunia lasciuiret: aut reges Numidarum ei aliàs infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.

Plutarchus in uita Lycurgi.

Aggressus (Lycurgus scilicet) res mobiles diuidere, quo inæqualitatem omnem & excellentiam tolleret, quoniam intuebatur eos iniquè ferre manifestam ablationem, alia vsus via è medio sustulit hanc πλεονεξίαν, id est, plus habendi cupiditatem. Nam vbi primùm numũ omnem aureum & argẽteum irritum reddidisset, ferreo solum vtendum imperauit. Fecitq; vt ex vasto pondere & magnitudine valeret parum, ita vt minarum instar, & magno domi penu indigeret, iumẽtisq; ad agendum. Hoc autem fuso, plurima iniuriarũ genera & Lacedæmone sunt eiecta. Quis enim aut furari voluisset, aut corrumpere muneribus, aut alium priuare & rapere, qđ neq; occultare poterat, neq; cum voluntate possidere, neq; etiam vtiliter incidere. Aceto enim, vt fertur, igniti ferri aciem extinguens, abstulit ad alias res & vsum & vim, quoniam infirmum & inutile redderetur.

Ibidem.

Agide verò regnante, influxit Spartã numus primùm: post numum verò insatiabilis cupiditas, diuitiarumq; desiderium per Alexandrũ incessit, atqui per Lysandrũ potius: qui cùm ipse pecunijs esset insuperabilis, refersit patriã & diuitiarũ studijs & delicijs. Is enim & aurũ & argẽtũ ex bello intulit, & Lycurgi leges antiquauit.

Lucianus in Timone, multis verbis eleganter auarorum depingit ingenia, sed quia locus est prolixior, satis fuerit hîc indicasse.

Quintus Curtius de gestis Alexandri.

Difficile est nos contentos esse, eò quòd offert occasio: quippe sordent prima quæq;, cùm maiora sperantur.

Lucius Apuleius de Magia lib. 1.

Diuitiæ non melius in fundis & in fœnore, q̄ in ipso hominis æstimantur animo. Qui si est auaritia egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri satiatur, sed semper aliquid, ante parta vt augeat, mendicabit, quæ quidem vera est confessio paupertatis.

Ibidem.

Omnis enim cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit, nec refert quàm magnum sit, quod tibi minus est.

Ibidem.

Non habuit tantam rem familiarem philosophus, quantam Lælius, nec Lælius quantam Scipio, nec Scipio quantam Crassus diues. At enim nec Crassus diues quantam volebat. Ita cùm omnes superaret, à suamet auaritia superatus est, omnibusq; potius diues visus est, quàm sibi.

Phocylides.

Πλούτου μὴ φείδου μέμνης, ὅτι θνητὸς ὑπάρχεις
Οὐκ ἔν᾽ ἐς ᾅδην ὄλβον ἔχειν, καὶ χρήματα ἄγεσθαι. id est
Diuitijs ne parce, recordare quòd mortalis es.
Non licet in inferno diuitias habere, & pecunias afferre.

Plautus in duobus captiuis.

Odi ego aurum, multa multis sæpe persuasit perperam.

Plautus in Penulo.

Malè partum, malè disperit.

Terentius Comœdia 4.

Ad omnia alia ætate sapimus rectius, solùm hoc vnum vitium affert senectus hominibus, quòd attentiore ad rem sumus, quàm sat est.

Ibidem.

Vitium cōmune omnium est, quòd nimium ad rem in senecta attenti sumus.

Virgilius libro 3. Aeneidos.

—Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?—

Ouidius Amorum lib. 1. Elegia 10.

Non habet euentus sordida præda bonos.

Idem Amorum libro 2. Elegia 10.

Quærat auarus opes, & quæ lassarit eundo
Aequora, periuro naufragus ore bibat.

Idem Amorum libro 3. Elegia 7.

Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ precium uirginis ipse fuit.
Dum merces aberat: durus pater: ipsa seuera,
Aerati postes, ferrea turris erat.
Sed postquam sapiens in munera uenit adulter,
Præbuit ipsa sinus, & dare iussa, dedit.

Propertius libro 1. Elegia 9.

Insanus medio flumine quæris aquam.

Idem libro 3. Elegia 6.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia uitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu uitijs hominum crudelia pabula pascis,
Semina curarum de capite orta tuo.

Idem libro 3. Elegia 11.

Si fas est omnes pariter pereatis auari.

Ibidem Elegia 12.

At nunc desertis cessant sacraria lucis,
Aurum omnes uicta iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro uenalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Horatius carminum lib. 2. Ode. 2.

Nullus argento color est auaris
Abdito terris inimicæ lamnæ,
Crispe Salusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Ibidem.

Latius regnes, auidum domando
Spiritum quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & uterq; Pœnus
Seruiat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis, & aquosus albo
Corpore languor.

Horatius carminum lib. 3. Ode 16.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames.

Ibidem.

—Multa petentibus,
Desunt multa. Bene est cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Horatius sermonum lib. 1. satyra 1.

Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris,
Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo,
Quem struit haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur antè
Quæsitis patiens, cùm te neq; feruidus æstus,
Dimoueat lucro, nec hyems, ignis, mare, ferrum,
Nihil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.

Ibidem.

At bona pars hominum decepta cupidine falsò,
Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.

Ibidem.

—Quidam memoratur Athenis
Sordidus ac diues, populi contemnere uoces
Sic solitus, populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac numos contemplor in arca.

Ibidem.

Non uxor saluum te uult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atq; puellæ,
Miraris? cùm tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?

Ibidem

Est modus in rebus sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Horatius sermonum libro 2. satyra 2.

—Ego uectigalia magna
Diuitiasq; habeo. tribus amplas regibus ergo
Quod superat non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te diuite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur improbe charæ
Non aliquid patriæ tanto emetiris aceruo?
Vni nimirum rectè tibi semper erunt res?

Horatius sermonum libro 2. satyra 3.

Qui numos aurumq; recondit, nescius uti
Compositis, metuensq; uelut contingere sacrum?

Ibidem.

Nimirum insanus paucis uideatur, eò quòd
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

Horatius epistolarum libro 1. epistola 1.

Virtus est uitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse. Vides quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemq; repulsam,
Quanto diuites animi capitisq; labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Ibidem.

Pars hominum gestit conducere publica, sunt qui
Frustis & pomis uiduas uenentur auaras,
Excipiantq; senes, quos in uiraria mittant.
Multis occulto crescit res fœnore.

Idem epistolarum libro 1. epistola 2.

Semper auarus eget, certum uoto pete finem.

Ibidem epistola 17.

Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum uirtutis deseruit, qui
Semper qui augenda festinat & obruitur re.

Ibidem epistola 19.

Ne te semper inops agitet, uexetq; cupido,
Ne pauor, & rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret.

Iuuenalis satyra 1.

—Quid enim saluis infamia numis?

Ibidem.

Est quando uberior uitiorum copia? quando
Maior auaritiæ patuit sinus.

Ibidem.

—Inter nos sanctissima diuitiarum
Maiestas, & si funesta pecunia templo
Non dum habitas, nullas numorum ereximus aras.

Idem satyra 3.

Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quæstio, quot pascit seruos, quot possidet agri
Iugera, quàm multa, magnaq; paropside cœnat.
Quantum quisq; sua numorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.—

Idem satyra 8.

—Modumq;
Pone & auaritiæ, miserere inopum sociorum.

Idem satyra 12.

Non propter uitam faciunt patrimonia quidam,
Sed uitio cæci propter patrimonia uiuunt.

Ibidem.

I nunc & uentis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, si sit latissima tæda.

Idem satyra 14.

—Sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est unquam properantis auari?

Ibidem.

Sponte tamen iuuenes imitantur cætera, solam
Inuiti quoq; auaritiam exercere iubentur.
Fallit enim uitium specie uirtutis & umbra,
Cum sit triste habitu, uultuq; & ueste seuerum
Nec dubiè tanquam frugi laudatur auarus,
Tanquam parcus homo & rerum tutela suarum.

Ibidem.

Et pater ergo animi felicis credit auaros.
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putant, iuuenes hortantur, ut illam
Ire uiam pergant & eidem incumbere sectæ.

Ibidem.

Sed quò diuitias hæc per tormenta coactas?
Cùm furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis
Vt locuples moriaris egenti uiuere fato?
Intereà pleno cùm turget sacculus ore,
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat, qui non habet.

Ibidem.

Curatoris eget, qui nauem mercibus implet,
Ad summum latus, & tabula distinguitur uda.

Ibidem.

Tantis parta malis, cura maiore, metuq;
Seruantur, misera est magni custodia census.

Ibidem.

—Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam.
In quantum sitis, atq; fames, & frigora poscunt.

Lucanus libro 3. Pharsaliæ.

—Nec enim iam sufficit ulla
Præcipiti fortuna uiro.—

Dantes inferni cap. 1.

Perchela bestia per laqual tur credi, id est auaritia,
Non lassa altrui passar per la sua uia
Ma tanto lo impedisse che luccidi
Et ha natura si saluagia & ria
Che mai non empie la bramosa uoglia
Et dopo il pasto ha piu fame che pria. id est:
Belua etenim, propter quam clamas id est, auaritia
Non permittit quempiam transire suo itinere,
Sed tantùm ipsum impedit, ut tandem perimat
Cuius natura tam syluestris & mala est,
Vt nunquam repleat rabidam uoluntatem,

Et post epulum famescit plus quàm antea.

Dantes inferni cap.15.

Gente uara inuida è superba
Da lor costumi fa che tu ti forbi. id est:
Gens auara, inuida & superba,
Ab eius moribus fac tu te abstergas.

Idem purgatorij cap.9.

Quel chauaritia fa qui si dichiara
In purgation ee lanime conuerse
Et nulla pœna il monte ha piu amara
Si chome lochionostro non sapperse
In alto fixo alle cose terrene
Cussi iustitia qui a terra il merse.
Come auaritia spense a ciaschun bene
Lo nostro amor onde operar perdesse
Cusi iustitia qui strecti ne tiene,
Ne piede nele man legati e presi,
Et quando fia piacer de del iusto syre
Tanto staremo immobili & distesi. id est:
Quid auaritia efficiat, hîc declaratur,
In purgatione animarum conuersarum,
Et nullam pœnam mons hic habet amariorem,
Sicut oculus noster non se sustulit
In altum fixus rebus terrenis:
Quemadmodum auaritia trusit ad bonum quodlibet
Nostrum amorem, unde operam perderet:
Sic iustitia hîc strictos nos detinet,
In pedibus, manibusq; ligatos, & prehensos,
Et quamdiu placuerit iusto domino,
Tamdiu stabimus immobiles, & prostrati.

AMANTIVS.

DE AVARITIA ET AVARIS.

Cicero libro 4. Quæstio. Tusculа.

Avaritia dicta est de nimio habendi affectu. Ipsum possidendi studium in quo est vehementius, is tam capiendi cupiditate (atque etiam amplius) teneatur oportet, quàm ab erogandi atq; impartiendi voluntate detorqueat. Quo fit, vt hîc spem auarus habendi ac possidendi cupiditate plus nimio rapiatur, & quàm dici potest abhorreat à dandi benignitate, conferendisq; è pecunia beneficijs, hanc possidendi auiditatem. Si auarus non magis à pecunia possidetur, quàm ipse pecuniam possidet, maiorem atque acriorem efficere morbi solent, & corporis imbecillitas, & in primis senectus. Ex quo efficitur, vt auaritia insanabilis sit morb⁹: senes enim pleriq; omnes tenaces cùm sint, videtur cum ętate simul auaritia crescere. Ad hæc etiam naturalis est habendi cupiditas, vnde auaros longè plures, quàm largos inuenias. Adhuc natura instinctum, animi continuè ipsi afferunt aliquid, efficiuntq;, vt sæpenumero, quos adolescentes ac iuuenes videris profusiores, eos ingrauescente ætate astrictiores factos intelligas. Sed quamuis auari omnes maximè cupidi sint, teneanturque ingenij auiditate, sintq; ad rem intétiores, ac supra quàm oportet ac decet, pecuniæ inuigilent, cui etiam seruire videantur: sunt tamen aliquot eorum species; neq; enim vno modo per auaritiam peccatur.

Auarus à pecunia possidetur. Auaritia est insanabilis morbus. Senes omnes ferè auari. Longè plures auari, q̃ largi. Iuuenes olim profusi, senes auari facti sũt.

De Auaris verò rectè illud dictum constat, eos nec sibi commodos esse, nec alijs, quibus tametsi comparandis conseruandisq; pecunijs nimium inest studium, dandi autem voluntas minima, non æquè tamen habendam ad rem, idem consilium est omnibus.

Auari nec sibi, nec alijs cõmodi.

Sunt enim, qui rebus suis parcentes, summo etiam studio rei familiaris conseruandæ intenti, & quàm potest, minimum de suo impendentes, ab alienis contineant: bonitate quadam naturæ ita victi, vt re sua contenti, nihil turpe, nihil contra leges, contraq; humanitatem habendi gratia, faciant, hos nominare parcos consueuimus. Eamq; animi institutionem maiores nostri dixêre parsimoniam, quæ in priuatis quibusdam, tenuiq; in re constitutis ac laboranti-bus multitudine liberorum, humanisq; necessitatibus circumuentis, laudare meritò potest.

Parsimonia laudabilis in priuatis.

In Regib. verò ac Principibus, & ijs ciuibus, quorum res est opulentior, atq; authoritas maior, quomodo laudari possit tam minuta diligentia, qua panis etiam miculas colligat, nequaquam video.

Sergium Galbam, qui Domitio succesit Augusto, quanquam alieni non appetentem, iure tamen ętas illa plurimum carpsit, quod suę quidem pecuniæ parcus cùm esset, publicè etiam auarus foret, neq; enim aut secula illa, dignitasq; senatoria, aut opulentum Galbæ patrimonium eam parcendi ac conseruandi diligentiam, nec aurea sella tutam è publico auaritiam patiebatur.

Pontan⁹ de liberalitate.

Didij Iuliani maximi & potentissimi viri sordem quis ferat? qui porcellum leporémue dono ad se missum, in triduanas partiretur cœnas. Sæpe etiam, cùm nulla religio, aut abstinendi causa subesset, leguminib. oleribusq; solis contentus, cœnaret. Quo vt non minus sordidus, sic fortassis magis accusandus.

Pertinax Augustus, qui inter priuatum & Imperatorem nihil interesse putauerat, dimidiatas lactucas, carchios etiam dimidiatos apponere conuiuis solitus: ac si quando ad amicos de cœna mitteret, binas tantùm offulas aut paucula poma: atque vbi opiparè magis egisse videri vellet, gallinaceos lumbos mitteret. Quid enim Principe indignius, quàm vt qui tam latè imperet, animum tam angustum etiam in vilissimis rebus habeat?

Pertinax August⁹.

Nec verò quis putet accusari à nobis, tum alios quosdam, tum Fabricium illum, qui magna parsimonia vsus dicatur, quem tantum abest vt accusemus, vt summis etiam laudibus prosequendum ducamus, non solum qui aurum singulari quadam animi magnitudine contempserit, sed qui cùm videret maiore se rerum

Fabricius non auarus.

inopia

inopia circumseptum, licèt è principibus ciuitatis, licèt belli dux, maluerit tamen in paupertate illa sua parcendo viuere, remq; metiendo familiarem ab honesto non recedere, quàm per facinus aliquod abundare.

Hoc factum ad temperātiam referendū est.

Hocq; Fabricij factum, si rectè reputetur, si tempora considerentur ad probitatem, ad iustitiam, ad animi magnitudinem, singlaremq; integritatem, non auaritiam, referendum iudicabitur. Quippe cùm non tam parcus, quàm paruo contentus, & rerum cęterarum contemptor, præterquam laudis recteq; factorum, mihi quidem fuisse Fabricius videatur. Quo consilio instituto que si quis vitam agat, non sit qui non illum, mea sententia, vel mirificè cōmendet, modò tamen ne, dum vindicare sese ab auaritia & studet, & etiam animum suscipit, pulcherrimis liberalitatis laudibus detrahat. Et huiusmodi quidem homines probari meritò plurimum solent, ac liberales hominum beneuolentiam nec ciuium solùm, verumetiam peregrinorum, longè maximam sibi vendicant, quòd rari, quod cōmodi, quod eorum benignitas latè pateat.

Varię species auarorum.

Egregiū dictū Aristidis.

Laudabilis paupertas.

Aristides ille cognomento Iustus, cùm esset à Callia locupletissimo ciue interrogatus, cur ab se nollet accipere, respōdit, paupertate se, quàm Calliam diuitijs multis laudari æquius esse: plures enim inueniri, qui diuitias suas turpem ad vsum conferant, quàm qui paupertatem generosè ferrent, desineret igitur paupertatem obiectare sibi, quæ nisi quibus inuitis accessisset, indecora non esset.

Complura esse auarorum genera, ex Pontano.

Eorum, de quibus dixi, fere similes sunt, adstricti, tenaces, aridi atq; attenuati, quos tamen pro amplianda re familiari ne minimū quidem ab honesto recessisse cerneres, vbiq; probitatis ac iustitiæ memores. Sed in vtendis pecunijs nimis effractos ac minutos, atq; etiam cōcisos, &, vt ita dixerim, exangues, quorum exoleta semper vestis, mensa tenuissima & sordida, suppellex exilis, eaq; carie exesa, aut si quid fortè in domo splendidiusculum fuerit, ab vsu ipso sepositum, demum domestici oēs sumptus, per quàm tenues atq; emendicati & minutissimarum rerum importuna diligentia & cura, quos, vt dixi, nemo improbet, quod alienis contineant honesti gratia. Cæterùm è dandi atq; conferendi vsu laus existit, probatumque illud testimonio tum ciuium, tum peregrinorum. Etsi hi quidem ab inferenda iniuria tum abstinent, cùm liberales etiam beneficia conferant. Quod quātò pulchrius sit, quis non videt? ad hæc nihil dare, nihil alteri de suo conferre, nihil publicè priuatímue impartiri, omninò abiecti ac degenerantis est animi. Hos etiam seipsos accusantes videas apud Comicos, quod seq; geniumq; comparcendo defraudent. Eorum quàm ridicula vita sit, quàm etiam misera, Euclio ille Plautinus docet, qui aquam plorat cùm lauat, effundere, qui vnguium præsegmina à tonstrina domum referat.

Exoleta vestis.

Polymestor.

Rex Thraciæ Polydorum Priami filium, belli Troiani tempore, suæ fidei commissum, peremit, vt eius frueretur diuitijs.

Simon Magus (à quo Simonia deducta est) spiritus sancti gratiam volebat à D. Petro mercari. Quanquam multos etiam hodie tales habemus Simones, qui & emunt ipsi, & eam alijs indies venalem exponunt.

AVSONIVS.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesauriq; loco, deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptauit collo, quem reperit laqueum.

Sequitur deterrimum auaritiæ genus, quod partiri plures in species, atque vt Cicero vocat, formas, possumus: neq; enim auari omnes pari atq; eodem modo, sed alij magis, alij verò minus eius squalore, illuuie, ac fœditate contaminantur atq; inquinati sunt. Quo de genere sunt lenones, aleatores. Item qui fœnerant, qui pyraticam exercent, qui latrocinia, sicas, quiq; sordidis ac turpibus quæstib. dediti sunt: qui etiam lucri gratia flagitiosa sectantur, seque probris obiectant. His addendi, qui pro quæstu etiam tenui, maxima quæq; pericula adeunt, quique summa cum perfidia & infamia, in quos benefici esse deberent, in illos vim aut fraudem exercent. Quorum quidem omnium ea institutio est, idque consilium, vt dum quærant, dum in domum inferant, nihil sordidum ac turpe defugiant, nec pro exiguo quidem lucello, ab infamia iter detorqueant: Sed cupiditate habendi, comparandarumq; diuitiarum, ac rei amplíandæ ardore nimio incensi præcipitesque, cuncta vndique corradunt, non parcunt illiberalibus, non abstinent sordidis: quippe quibus nullus amicitiæ, nullus religionis, nullus honesti, nullus deniq; famę cultus aut respectus est. Lucro, qualecunq; sit, illud cuncta post habentes. Itaque & vnde, atq; à quibus minimè licet, & supra quàm opus est, & quàm decet, quacunq; ratione capiunt. Quid, capiunt? tolerabilius hoc esset: furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, auferunt, extorquent dolo, vi, fraude, malis artibus, omniq; impuritatis ac flagitij genere. Siquidem ipsorum sunt compilationes, furta, latrocinia, violentiæ, rapinæ, falsæ obsignationes, iniqua iudicia, fraudes, fœnoratiōes, mercenaria, parricidia, venena, quibus effectum est, vt auaritia & habeatur, & sit vitiorum omnium caput & fomes, quippe cùm ad omne flagitij genus viam aperiat.

Quæstus autem cùm alij sint turpes, vt qui è fœnore: alij sordidi atq; illiberales, vt qui è macello

cello cauponaq;: alij infames, vt qui è furtis atque grassationibus: quanquam vbi infamia ibi quoq; turpitudo, horũ nulli ab hoc hominum genere repudiantur, ac tametsi alij quæstus libétius sequuntur, tamen omnes omnia vtilitate prorijsq́; commodis ac lucro etiam quantulocunq; metiuntur, nec verò tyrannos ac direptores vrbium euersoresq́;, nec templorum sacrorumq́; spoliatores inter auaros nominauerim: quippe cùm inter impotentes, iniustos, impios, Deorũq; contemptores numerari potius debeant. Quanquã de euertendis aut diripiendis vrbibus, aliud nonnunquam consilium haberi solet, quæ bonorum diripiendorum, vt euertendæ Carthaginis Hannibal ob innatã crudelitatem, summamque iniustitiam magis, quã per auaritiam: quanquã fuit auarissimus, multa fœdè immaniterq́; commisit, Dionysius ob animi sui impotentiam magisq; cupiditatem ne à Dijs quidem manus continuit. Brenni factum Dij immortales maximè impium iudicauêre.

Hannibal & crudelis ac simul auarissimus fuit

Brenni factum à dijs Imperium iudicatur.

Angelus Raijs Iurisconsultus Neapolitanus nudatis vertebris, lignea pala grauiter se ab ancilla verberari iussit, graui pœna, ni obtemperasset, ancillæ proposita: at quam ob causam? quia delatam ad se à cliente pecuniam, quod argentea non esset, repudiasset: pro qua mutanda cùm à se clientem acerbius obiurgatum dimisisset, ille indignè id ferens, statim cum aduersario pactus liti cessit, neque ad aduocatum redijt: Quid hoc homine dicas abiectius? quem cur auarum potius, quàm seruum nominem, causam nullam video.

Auaritia, Valerius Maxi. lib. 9 Cap. 4.

Pulchra descriptio auaritiæ.

Protrahatur etiam in medium auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestę prędæ auidissima vorago, nec habendi fructus felix, & cupiditate quærendi miserrima.

De M. Crasso & Q. Hortensio.

Cùm admodum locupleti L. Minutio Basilio falsum testamentum quidam in Grçcia subiecisset, eiusdemq́; confirmandi gratia, potentissimos ciuitatis nostrę viros M. Crassum & Q. Hortensium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset, quanquam euidẽs fraus erat, tamen vterq; pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus nõ repudiauit, quãtam culpam quàm leuiter retuli? Lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura inuitati autoritatibus suis texerunt.

Falsi hæredes scripti Crassus & Hortensius.

De Q. Caßio.

Q. Cassi'

Verùm aliquantò maiores vires in Q. Cassio exhibuit, qui in Hispania Silium & Calphurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos quinquagies sestertiûm ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit: At quis dubitet si alterum tantum daretur: iugulum quoq; suum æquo animo illis fuisse præbiturum.

De L. Septimuleio.

Cæterum auaritia ante omnes L. Septimuleij præcordia possedit, qui cum C. Gracchi familiaris fuisset, caput eius abscindere & per vrbem pilo fixum ferre sustinuit. Quia Opimius Consul, auro id se repensurum edixerat. Sunt qui tradũt liquato plumbo eum cauati partem capitis, quò ponderosius esset, explêsse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo: clientis tamen scelesta fames in has vsq; iacentis iniurias esurire non debuit.

Crudele factũ L. Septimuleij.

Epiphonema graue.

De Ptolomeó Rege Cypriorum.

Ideo meritò Septimulei auaritia fletu, Ptolomei autem Regis Cypriorum risu prosequenda. Nam cùm anxijs sordibus magnas opes corripuisset, propterq́; eas periturum se videret, & ideo omni pecunia imposita nauibus in altum processisset, vt classe perforata suo arbitrio periret, & vt hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum. Sed futurum suæ necis præmium, domum reuexit. Procul dubio hic non possedit diuitias, sed à diuitijs possessus est. Titulo rex insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium.

Magna stultitia.

Diuitię possederunt Ptolom.

De auaritia, Baptista Fulgosius in suis exemplis, lib. 9. Cap. 4.

Auaritię comes, miseria: omnes auari miseri.

De auaritia iam tandem scribamus, quæ fomentum auiditatis est, atq; vrgens ad omne scelus calcar: ab animis enim, in quos semel ingressa est, amicitiam honorisq́; desiderium pellit, ac nunquam inde egreditur. Quin potius cùm annis crescit, & quamuis senio subeunte corporibus vires decrescant, habendi cupiditas tempore ipso augetur: & quò minus ad viuendum spacij superest, tantò plus struendis intenta opibus, timidius necessaria promit: Itaque quicunq; auaritia captus laborat, cùm neminem amet, à nullo etiam amatur: & cùm omnia auro postponat, quãto plus auri possidet, tantò plus quęrendo inhiat: veluti Hydropicus, qui bibẽdo semper magis sitit, etsi totum aqua perfusum plenumq́; corpus habeat. Quæ res efficit, vt non sine ratione omnium Italorum consensu in idem conuenientium nomen, auaritiæ enim comes semper est miseria, auaros omnes miseros esse dicamus.

Auaritia calcar ad omne malum.

Horati' in Odis Auarum hydropi cocõfert

De Persa Macedonum Rege.

Miseros esse auaros exemplo suo Persa vltimus Macedonum Rex ostendit, à Paulo Aemilio superatus ac captus: nam à reliquis militib. desertus, paulò antequã caperetur magnarum promissionum spe paucos quosdam Cretenses secũ retinuit. Promissorũ pignus fuêre data aliquot aurea vasa. Cùm aũt Cretensium pręsidio in tuta se loca recepisset, pollicitus se pecuniã daturum

Persa á Paulo Aemilio captus per triũphum ductus est Romam.

daturum, vasa à Cretensibus recepit, & cùm vasis pecuniá quoq; retinuit. Itaq; ab ipsis etiá Cretensibus destitutus, cũ nullo alio quàm auro comite in Samothraciam profugisset, ab Aemilio captus, Romam in Triumphum, quemadmodum tanta auaritiá dignum erat, perductus fuit. Nam cùm in bello pluris aurum quàm homines fecisset, tandem experiundo cognouit, aurum se, quia homines, quibus aurum defenderet, non habebat: vnà cum libertate ac regno amisisse.

De filio Tigranis Armeniæ Regis.

Cùm Tigranem Armenię regẽ Pompeius deuicisset, & is ab eodem Pompeio in regnis, quæ antè possidebat restitutus in Romana castra ad salutandum Pompeium venisset, maiore natu filio eum prosequente, à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus: post epulas Pompeio, totiq; exercitui ingentia munera contulit. Cũ postea filius quoq; inuitatus esset, respondente eo, tanti se cœnam emere nolle: indignatus Pompeius custodiri eum iussit, ac Romã in triumphum duxit: nam patre eius ob liberalitatem in regnis relicto, auarum filium, qui abiecto erat animo, vnà cùm regno, libertate quoq; priuauit.

De Tiberio Romano Principe.

De omni vitiorum genere scribendi, abundè Romani principes, vt antè etiam dictũ fuit, exempla sumministrant. Inter quos auaritia Tiberiũ Cæsarem notabimus: occidit enim Gneũ Lentulum augurem Patritio genere, vitęq; modestia ac virtute impensè laudatũ: posteaquam is eum hęredem scripserat, veneficij Lepidã fœminam innocentissimam cõdemnauit, vt Quirino diti atque orbo morem gereret, fretus ob nauatam eam operam se eius futurũ hęredem. Vononũ quoq; Parthorũ regem, qui per seditionẽ regno pulsus ad eum cõfugerat, posteaquã opibus spoliauit, quas ingẽtes attulerat, interemit. Itaq; cũ Lentulũ vt hæreditate potiretur occidisset, & spe alterius hæreditatis innocentẽ fœminã damnasset, ac pręterea regẽ spoliasset interemissetq;, qui sub fide ad eum se receperat, cũ ipse maiore orbis terrarũ parte potiretur, satis intelligi potest, quàm ingens eius esset habendi cupido. Etenim etiamsi in humili fortuna natus priuatam egisset vitam, pudere tamen tantæ turpitudinis eum debuisset. Verũ vt hæc in eo horrenda fuerunt, ita quæ sequuntur dedecoris plena.

De C. Caligula Imperatore.

Caligula post immensas profusiones, delitijs etiam animum explere voluit. Ad auaritiã atq; rapinas conuersus est: id quod agere solẽt, quibus expendendi nullus est modus: testatores, vt ipsum hæredẽ scriberent, cogebat, quos postea, si superuixissent, veneno tollebat, ridẽdos ducens, quòd condito testamento superuiuerent. Superante demum cupiditate atq; auaritia, fœminarũ mariumq́; lupanar in Palatio condidit, ac misit, qui per vrbẽ cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal principi redderẽt inuitarent. Coacta igitur ex eo vectigali ingẽti pecunia, cùm in ea se nudũ prouolueret, auri auiditatem explere contendebat. O ingentem, inexplebilemq; auaritiam, quæ in tanto imperio tantũ Principem excęcatũ in eam vilitatem abiectionemq́; deduxisti, vt neq; dedecus suũ, neque Imperij ignominiam agnosceret, cùm se veneficum atq; lenonem pręstaret, quod nemo ne obscuro quidem loco ortus, quamuis inopia pręssus, vix, quin erubesceret, in occulto agere posset. Tu sanguinem, tu honorem, tu vitam, tu Deum auro parem, quibus nulla vis auri par esse potest, duxisti: à quo si necessarium expendendi vsum ademeris, nulla magis quàm è saxo vtilitas sentitur, quin ex eo habendi insatiabilis auiditas prouenit, & eius amittẽdi perpetuus timor: Cui odium atque inuidia comes nunquam desinit esse

De Commodo Imperatore.

Commodus Imperator omnium auarissimus alienæ mortis facultatem cupientibus facilè pecunia permisit, omniumq́; aliorum criminum impunitatem auro condonauit, palàm litium capitaliumq́; criminum iudicia vendidit, haud secus quàm si publicis nundinis venundandæ merces essent.

Pygmalion.

Rex Tyri Sichæum sororis suę, Didonis nempe maritũ, vt eius potiretur auro, interfecit.

De Galba Hispaniarum proconsule.

Galba antequam imperaret, Hispaniarum procõsulatum sub Nerone gerens, cùm & Traconensis ciuitas dono coronam auream daret, quam ponderis quindecim librarum dixerunt esse, statim adhibita statera pondus inspicit, & cùm inuenisset tribus libris minus quàm dictũ fuerat pondus esse, munere, tanquam deberetur, in obligationem conuerso, postposito pudore à Traconensibus tres libras quæ coronæ deerant, exegit.

De Vespasiano Imperatore.

Vespasianus Imperator, etsi aliorum principum scelere effectum est, vt inter bonos annumeretur, tamẽ haud mediocriter auaritia laborauit: Nam cũ ab amicis reprehẽderetur, quod rapaces homines in prouincias, atq; obeunda publica munia mitteret, respondebat, eis se tanquam spongia vti: quia rapinis locupletatos, ipse postea spoliaret, eos enim pro crimine, quo ipse laborabat, huiusmodi pœna parum honestè mulctabat.

De eodem.

Idem filio Tito reprehendẽti, quod è vilissi-

mis

mis rebus cogere pecuniam non omitteret, vt follem pecunia plenum, à procuratoribus allatum, tunc ante se habebat, olfaceret, experireturque, quidnam oleret, & respondente Tito, grauem nullum inde odorem sentiri, ridens dixit, atq; hoc locutus est: nam ex vrinæ vectigali hęc pecunia confecta est. Neq; enim animaduertere voluit vrinę fœtorem, cui auaritia esset coniuncta, etsi nasum non lęderet, famam tamen denigrare.

De exercitu Titi Vespasiani Romani principis.

Aurum inexplebiliter ac sceleratè nimis sitire se ostendit Romanus exercitus, cùm Hierosolymas Titus obsideret: Iudæos enim qui ab vrbe fame impulsi profugiebant, deuorata aurea moneta, vt ita eam ab hoste incolumem seruarent, medios ferro diuidebāt, vt in intestinis aurum, quod deuorauerant, inquirerent, cùm pusillam horam, qua ventrem exonerantes inter stercora aurum effunderent, prę nimia cupiditate ferre non possent: biduo enim duo Iudęorum milia, per hunc modum milites interemerunt, pluresque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna eam rem interdixisset.

Vide Iosephum de bello Iudaico.

De Argiraspidis.

Argiraspidę post magni Alexandri mortem, ab Eumene cardiano conducti, qui vnus Alexandri successorum fuit, cum eo aduersus Antigonum bellum gerebant, qui vt impedimenta recuperarent, paulo ante ab Antigono adempta, nulla fidei atq; honoris habita ratione, Eumenem captum Antigono prodiderunt. Sed vt pro perfidia atque auaritia parem gratiam, vt digni erant, acciperent; iterum ipsis impedimētis spoliati, omnium egeni, in suæ perfidiæ infamia remanserunt, atque in tanto Antigoni, cui eam operam nauauerant, atq; eius militum odio, post id factum fuerit, vt eorū nullus in patriam viuus redierit.

Recentiora, de Constantia Galli Cæsaris coniuge Constantini Imperatoris filia.

Inter recentiora auaritiæ exempla, prima commemorabitur Constantia, Constantini maximi Augusti filia, & Galli Cæsaris, qui Orientē regebat, coniunx. Quanquam autem in eo sexu plerunque, aut prodigalitas insignis, aut tetra auaritia conspici soleat: Id tamen, quod ipsa patrauit, tam longè ab officij meta discessit, vt fidem vir non inueniat: Quis enim facilè adduci posset, vt credat tam sublimis fortunæ fœminam iussisse Clematium Alexandrinum, virum innocentem in dicta causa interfici? & nihilominus res ita fuit: gemmato enim monili corrupta à Clematij socru generi mortem ei vendidit, quem inuisum socrus habebat: quia vir probus stupri ab ea interpellatus tanta turpitudine abstinuerat. Cuius rei quoties mentionem fieri continget, haud facilè diiudicabitur, quid potentius extimari debeat: effræna ne in Clematij socru libido, an Clematij honestas, aut rapacis Constantiæ auaritia.

Feminæ aut prodigæ aut auaræ.

Clemat. Alexandrinus miserè & innocenter interfectus est

Dantes inferni cap. 25.

Gente auara inuida è superba,
Da lor costumi fa che tu ti forbi. id est.
Gens auara, inuida & superba:
Ab eius moribus fac tu te abstergas.

De Constante, tertio imperatore.

Constans tertius Focæ imperatoris ex Constantio imperatore maiore natu filio nepos, ex Græcia ad vrbem Romam profectus, omnibus sacris profanisq; locis spoliatis, quinq; diebus, quibus in ea vrbe mansit, tantum statuarum ac reliquorum ornamentorū inde abstulit, quantum antea ex magno numero omnes Barbari, qui vrbē Romā diripuerant, non abstulerunt, adeoq; acerbè populos Imperio parentes, atq; nō in postremis Siculos grauibus tributis pressit, vt multi filios vendere cogerentur: adeò à primis principibus degenerauit, qui non solū ornare studebant vrbem Romam, verumetiam victui necessaria populo atque insuper pecuniā largè præbebant: id gloriæ ex donationibus quærentes, quod in rapiendo Cōstans sibi proposuerat. Cęterum cùm in Sicilia à militibus suis interfectus esset, Sarraceni, qui per id tempus in Sicilia Panormum vrbem occuparant, in Africam omnes Constantis rapinas deuexerunt. Cui id contigit, quod plerunq; auaris solet, vt opum, quas rapinis congesserunt, hi possessores fiant, quos minimè arbitrabantur, ac penes raptorem auarumq; infamia ac crimen maneat, cùm alij recto Dei iudicio rapinarum commodo ac voluptate perfruantur.

Bene dictū hoc.

De exercitu Balduini secundi Hierosolymarum regis.

Sęuitiam immensę iunctam auaritię, qua Romani milites (vt antè dictum est) vsi sunt, dum exenteratis Iudæis captiuis deuoratum ab eis aurum in intestinis perquirunt, exercuerunt etiam Balduini secūdi Hierosolymorum regis milites in Turcas, quos deuicta Cæsarea in ea vrbe cœperunt: in eis enim immensa habendi cupiditas pudorē eum vicit, qui iure in eo bello seruādus erat, quod sub religionis titulo, & nō plura habēdi cupiditate Balduinus gerebat.

De Rodolpho Imperatore.

Rodolphus Imperator natione Germanus, adeò cupidus fuit, vt Italicas vrbes parua pecunia ab Imperij iure ac nexu liberaret: paruum enim compendium cum dedecore maluit, quā honestè ingenij regno potiri.

Pudor Christianos decet.

De Petro primo Castulonensi rege.

Quo nomine pro rei indignitate appellare poterimus, id quod Petrus Castulonensis rex aduersus Maomadam Granatæ regē impiè gessit, cùm ad eum, opis petendæ gratia, aduersus

alios Mauros venisset: omne enim aurũ, quod secum attulerat, rapacissimus rex penitus ademit, & cùm palàm iaculari cum suis iussisset, primus fuit qui eum manu sua iaculo peteret: hũc ne auarum, an crudelem, aut ignauum nuncupabimus? aut eo solo contenti erimus, quod infelix Maurus rex tunc coràm ei obiecit? dixit enim Petrum turpe nimis triumphum ducere de rege, qui opis salutisque gratia, in fidem se recepisset violata fidei, violato naturę fœdere, atque omni humano more neglecto, spoliato atq; occiso.

Horrendissimũ facinus.

Auaritia belua describitur à Petrarcha.

Apophthegma siue scitè dictum, de auaritia.

Erasmus libr. 3. Apophtegmatum.

Diogenes dicere solebat, cupiditatem esse malorum omnium arcem: non procul abludẽs à sententia Solomonis, qui dixit, cupiditatem radicem omnium malorum.

Idem libro 4.

Crasso dicente Stoicorum esse dogma: Virũ bonum esse diuitem. (Vide inquit Cicero) ne magis hoc sentiant, sapientis esse omnia. Tectè notans Crassi auaritiam, cui nihil esset satis.

Auaritia delusa.

Darius delusus.

Semiramis Carum regina, quæ Babylonem cõdidisse dicitur, monumento, quod sibi parárat, inscripsit: Quisquis rex pecunijs eguerit, aperto monumento, quantum voluerit capiat. Darius potitus ea ciuitate, titulo credens, saxũ ingens, quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarũ, sed ex altero saxi latere hoc inscriptum repperit: Ni vir malus esses, & pecunia inexplebilis, haud quaquam mortuorum loculos moueres. Quanquam hoc aptius inter stratagemata, siue inter γελοῖα commemorandum erat.

Auaritia non pecuniæ tantum.

Opus Platoni libris.

Cùm Aristippus à Dionysio pecunia donatus esset, Plato libris: atq; ob id à quodam carperetur, quasi ad rem attentior esset, quàm Plato: Quid refert, inquit, mihi pecunijs opus erat, Platoni libris, sentiens neutrum accusandum.

Auaritia in principe.

Saluius liberalis, cùm in defensione diuitis rei obliquè mordens dixisset, quid ad Cęsarem si Hipparchus sestertium milies possidet? notãs Vespasianum, vt inhiantem rei facultatibus. Cæsar non modò non offensus est, verumetiam dictum approbauit, quasi simpliciter prolatum.

Officiarijs Vespasianus pro spongijs vtebatur.

Quoniam rapacissimum quenq; promouere solebat, vt mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est, officiarios suos habere pro spongijs, quod veluti spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret.

Rusticus quidam, quoniam gratuitam libertatem suppliciter petens à Cęsare, repulsus est, non veritus est clarè dicere, vulpes pilos mutat, mores non mutat: exprobans illi naturæ rapacitatem, quasi mercede data cõcessurus fuisset, quod gratuitò negabat.

Vulpes pilos mores mutat.

Quidam è charis Vespasiani ministris, apud ipsum pro quodam, quem fratrem esse suum simulabat, intercedebat, vt illi procuratio cõmitteretur. Id sentiens Cæsar, candidatum solũ ad se vocauit, exegitque pecuniam, quam ille suffragatori suo pepigerat, ea accepta, mox ordinauit. Huius rei minister ignarus, rursum interpellauit pro fratre: cui Vespasianus, alium inquit, tibi fratrem quære, hic quem tuum esse putas, meus est.

Erasmus lib 6.

Exempla insignis auaritiæ, Vespasiani Imperatoris.

In itinere quodam mulio desilijt quasi calciaturus mulas, sed reuera, vt adeundi litigatori spatium moramq; pręberet. At Cęsar dolum suspicatus, interrogauit mulionem, quanti calceasset, pactusq; est lucri partem. Hoc si fecit, vt suos corrigeret, ciuilitas fuit: sin, vt eo emolumento fieret ditior, sordidum erat.

Instituerat è lotio vectigal, super hocà filio monitus dissimulauit, donec prima pensio esset soluta. Eam pecuniam admouit ad filij nares, sciscitans, num ex odore offenderetur, negante illo: Atqui hæc, inquit, è lotio est.

Ex lotio etiam lucrum.

Legatis illi nunciantibus decretam illi publicè non mediocris summæ statuam, iussit vt eam continuò ponerent: & vacuam ostendens manum: ecce, inquit, parata basis, significans vt eam pecuniam, quam in statuam decreuissent impendere mortuo, viuo darent in manum.

Franciscus Petrarcha de auaritia dialogo 105. de remedijs improsperæ fortunæ.

Do. Auaritiæ stimulis vrgeor: Ratio. bene ais stimulis: Nam & quęrendarum opum cupiditas stimuli quidã, & quæsitæ opes spinæ sunt: ita enim illas vocat, qui metum nescit. Præclaræ verò diuitiæ, quę & quęrendę torqueant, & quęsitæ. At si corpusculum, si naturam, si vitæ respicias breuitatem, videbis te frustra supernacuis curis angi, & paucorum egẽtem multa desiderare: insuperq; dum quærendis inhias, parta non cernere, atq; ita quodammodo quęrenda perdere, quo nihil est stultius. Dolor. Multa quęrendi vrgeor appetitu. Ratio. Nec aduertis quod inter quærendum, tempus & vita, cui illa quęrebantur, elabitur: sic mira perplexitas incidit, dum vita abundare videmini, diuitijs indigetis: dumq; indigẽtia illa præterijt, superuenit altera, & diuitijs abũdantes, indigetis vita. Nõ hoc ignorabat ille sapiens, vbi loquitur de eo parẽte, qui dicit: inueniã requiẽ mihi & mãducabo nunc de bonis meis solus: & nescit, quòd tẽpus ꝑtereat & relinquet omnia alijs, & morieť. Et idẽ alibi: Qui aceruat iniustè, cõgregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. O terribile dictũ, sed cõmune quotidieq; se oculis ingerẽs, nec idcirco ꝓficiẽs in animis auarorum.

Auarus alijs quærit non sibi.

Idem

Auaro nihil iniquius.

Idem rursum: auaro, inquit, nihil est scelestius: & nihil est iniquius, quàm amare pecunias. Et vt scias, quoniam verò omnia consonant, vt ait Aristoteles: ecce vt Ecclesiastico sapienti consonat secularis. Pecuniæ (inquit Cicero) fugienda cupiditas. Nihil est enim tā angusti animi tamque parui, quàm amare diuitias.

Parui animi amare diuitias.

Auaritia bestia.

Dantes inferni cap. 1.

Preche la bestia per laqual tu cridi.
Non lassa altrui passar per la sua uia,
Ma tanto lo impedisse che luccidi
Et ha natura si saluagia & ria
Chemai non empie La bramosa uoglia
Es dopo il pasto hu piu fame che pria. *Id est:*
Belua etenim, propter quam clamas,
Non permittit quempiam transire suo itinere,
Sed tantum ipsum impedit, ut tandem perimat:
Cuius natura tam syluestris & mala est,
Vt nunquam repleat rabidam uoluntatem
Et post epulum plus famescit, quàm antea.

Tenacitas, auaritia, rapacitas.

Adagia. Erasmus

Auarus nisi cùm moritur, nihil rectè facit. Omnes ferme Publianas sententias video prouerbiorum vice fuisse celebratas, nec iniuria sanè: nihil enim illis fingi potest, nec argutius, nec iucundius. Quamobrem non est animus eas omnes in hunc ordinem asciscere, præter vnam aut alteram, quæ mihi præter cæteras arrident, quarum hæc vna est: Auarus nisi cùm moritur, nihil rectè facit. Etenim qui sese pecunię studio addixit, nulli cōmodus est, dū viuit. Sola mors voluptatem & emolumentum adfert hæredi.

Rapacitas ex Erasmo.

A mortuo tributum exigere ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum. Est per fas & nefas, diuitias vndecunq; congerere.

Exigit & à statuis: id est, nullius misertus vndecunq; quod potest, auellit, vel ab ipsis mortuorum statuis.

Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus. Inhumanum à nemine accipere, sed passim, vilissimum est: & omnia, auarissimum.

Lucri bonus est odor ex re qualibet. Pestilēs vox Vespasiani Cæsaris. Vide Petrarcham.

Mendici pera non impletur: id est, inexplebilem esse mendicitatem.

Mendicorum loculi semper inanes. πτωχῶν αὐλοὶ ἀεὶ κεναί, de petacibus & insatiabilibus fertur.

Larus κέπφος λάρος, id est, garrulus ac vecors.

Charybdis, Barathrum. Cùm significamus rapacem, edacem, bibacem, heluonem. Horat. Ingluuies & tempestas barathrumq; macelli.

Megaricæ sphinges μεγαρικαὶ σφίγγες.

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere: Hodie vulgò celebratum durat, vbi est exactor durior atq; instantior.

Canis circum intestina. Κύων παρ' ἔντερα. De ijs qui rerum cupientissimi, quas conspiciunt, sunt: & tamen frui non licet.

Rapina cotytijs ἁρπαγὸς κοτύλιος, de rebus direptis, profusisq;.

Ne à Chytropode cibum nondum sacrificatum rapias. Cicero libro 2. de Finibus bonorum & malorum.

Persæpe sacra haud sacrificata deuorat. Senarius apud Athenæum libro 4. ἄθυτα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει.

Vulturis vmbra γυπὸς σκιά. In rapaces & prædæ inhiantes, vel hæredipetas.

Voracior purpura τὰ λιχνότερα τῶν πορφύρων. In eos, qui omnia in suum compendium vertunt.

Nouit hæc Pylæa, & Tittigias. Opes malis artibus quæsitas denotat.

Edax currus. De cupiditatibus inexplebilibus.

Laudant vt pueri pauonem. Auari tantùm admirantur, tamen laudant disertos, vt pueri Iunonis auem.

Atticus moriens porrigit manum. Pro insatiabili cupiditate in captandis muneribus, & aucupandis lucris.

Pamphili vindicatio παμβίλου νοσφισμός, hic expilauit ærarium.

Non curat numerum lupus. In hominem impudenter furacem. Virgil.

Argiui fures, ἀρχαῖοι φῶρες. De palàm improbis. Argiui furacitatis infamia laborabant. Latini lauerniones vocant.

Vorare hamum. Plautus in Curculione.

Polypi. Rapaces vncis vnguibus homines.

ἡμερότοιχος. Vulgari ioco fures dicti, quòd interdiu dormiant, noctu vigilent.

Candidum linum lucri causa ducis. In eum, qui cupiditate pecuniæ vel dotis causa ducit, vel deformem, vel anum.

Nutricum more malè. De illis, qui alienas facultates sic administrant, vt maximam partem in suos conuertant vsus.

Pecuniarum cupiditas Spartam capiet, præterea nihil. De ijs, qui sola pecunia expugnari possunt, alioqui inuicti.

Inexplebile dolium. In auaros, quorum cupiditatibus nihil est satis. Plautus Græcè ἄπληστος πίθος.

Larus hians λάρος κεχηνώς, vbi quis auidius inhiat prædæ. Larus auis auida & vorax.

Labrax Milesius. In auidum piscem, qui escā totam vnà cum ære faucibus corripit.

Buthus obambulat βοῦθος περιφοιτᾷ. In edaces, βαφάγους.

Serpens ni edat serpentem, draco non fiet. Significat potentes aliorum damnis crescere, & potentium fortunas non tantum augeri, nisi essent quos exugerent.

Hoc nunc pasim faciunt Principes, qui viuum sanguinem subditorum exugunt.

Parsimonia, sordes. Erasmus in Chiliadibus.

Tribus minis insumptis duodecim imputat. In eos qui tantum compendij sui gratia colunt amicos.

Pilium donat vt pallium recipiat vulgò.

Cumini sector. Impédiò parcus ac sordidus.

Ficos diuidere. Sordidus. σύκουσμερίζειν.

Nullus emptor difficilis bonũ edit obsoniũ.

E patroclis domo venit. In diuitem ac sordidum: fuit talis Patrocles Atheniẽsis, qualẽ Plautus Euclionem fingit.

Cocleę vita. De parcè & paruo viuentibus.

Immunem venire. In eum, qui nihil confert ad Symbolum ἀσύμβολον grçci vocant.

Lapsana viuere. Est perparcè viuere, & nimis tenuiter.

Nihil de vitello. De ijs, qui sibi meliora seruantes, alijs impertiunt deteriora.

Lingere salẽ: est agere vitam pauperrimam.

Rore pascitur quemadmodum cicada.

Victitant succo suo. In parasitos.

Philippide tenuius. De oratione ieiuna, aut disputatione otiosę subtilitatis.

Pediculi Platonis.

Monophagi. Sordidi, inhospitales, qui neminem inuitant.

Patroclo sordidior, qui nunquã vsus balneo parsimoniæ causa. In oppido sordidum.

Nephalium sacrum. De conuiuio vehementer frugali & sobrio.

Caninum prandium. Abstemium sine vino, nam canes vino abhorrent.

Cereri sacrificant. Item Lari sacrificant: vbi deest vinum, nefas erat in festis Cereris habere vinum.

Cyprio boui merendam. In brutum ac stolidum.

Bos Cyprius. Qui spurcè ad sui similes loquũtur

Tolle, tolle mazam quàm ocyssimè scarabeo. In immundum conuiuam.

Psyrice facta. In ea, quę sordidè, paruoq; magnificè fiunt.

Paruo emptas carnes edunt τὸ εὔωνον κρέας οἱ κύνες ἐσθίουσι.

Psyra Bacchum. De sordido apparatu.

Tenuiter deducis λεπτὰ ἐξάγεις Suidas, de ijs, qui pauperũ more teniter victitant.

Sacrum sine fumo ἄκαπνος θυσία Lucianus.

Nephalia Ligna: In abstemios, & ab omni voluptate procul alienos.

Carica victima. Ad cibum appositum insipidum, quem nemo velit attingere.

Phaselitarum sacrificium. De sumptu sordido ac vili, tenuiq;.

In sinu manum habere. In tenaces, & ad largiendum pigros. Theocritus.

Lari sacrificant. In tenaces, qui de suis nemini impartiunt. ῥυποκόνδυλος. In sordidos & impendiò parcos: ῥύπος sordes significat, quæ in summis vnguium manuum ac digitorum insident.

Canens vitæ Palmum ad anethum. De parco qui tenui re leiculaq; transigit vitam, atq; interim existimat se lautè viuere.

Tantali pœnę. Quibus adsunt bona, verùm his frui negatum est.

Conuiuia non conuiuia. In eum qui accumbit quidẽ in conuiuio, verùm spectator tantum eorum quæ apponuntur.

Sacra nihil sunt præter malas & cornua de victimis macilentis. In cibos omnium esculentos.

Auaritiæ improbatio ex Cælio de antiquis lectionibus lib. 11. cap. 23.

Plutonem esse diuitiarum Deum, & quidem cæcum, neminem puto qui nesciat: Plutarchus verò auctor est, emanasse celebratum illud, in vna omnium, quæ sub sole sunt, vrbium Sparta seruari diuitiarum Deum, & cæcum, & iacentem, vt picturam inanimatam ac immobilem. Quod ibi victus felicitate, & communi conandi studio efficeretur, ne furto conciliarentur diuitiæ: vel potius, vt ait Theophrastus, honori haberentur. Nam vt taceam, quod prudenter Seneca inquit, multum esse, diuitiarum contubernio non corrumpi, & affluentibus hinc inde diuitijs, vitiorum fomitibus animum seruare incõcussum. Certè, vt Philostratus inquit, non sunt tractabiles diuitiæ, debentque inter ardua & difficillima quęuis cõnumerari: Qui enim diuitijs, vt sic dicam, inebriantur, non desinunt subinde iniurios se præbere. Et in magna amplaq; fortunę laxitate cæcutiunt. Quod si opulentiæ adhiberetur vtendi ratio, reciperet iam videndi vsum Plutus: quod Herodi sophistæ factitatum scimus, apud quem minimè luminibus captus diuertisse videtur is Deus, quando bonorum affluentiam, ad liberalitatis vsum contulit: quod sciret τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν εἶναι πάσης κακίας, id est, Auaritiam esse totius vitiositatis Metropolim: quę res illi, vt taceã, quod eũ Rufus Perinthus Gręcorũ nuncupabat linguam, & orationis regem immortalem, apud posteros gloriam comparauit: amicos siquidem ampliter confouebat, ciuitates gentesque inopia adobrutas subleuabat. Erat enim illi hic Thesaurus accuratissimus, multis bona sua impartiri, addebatque imprimis congruere non abutenti diuitijs, indigentibus itẽ, ne fortè quandoq; indigeant: inconsultũ verò diuitẽ ac sordidũ, cumulãdisq; pecunijs immorientẽ, esse mortuũ prędicabat Plutonẽ. Thesauros porto, in quos nullo fine cõgerantur opes, Pluti carceres vocabat. Eos, qui sepositam pecuniã vice numinis colerẽt, Aloadas esse dicebat, qui cũ in vincula Martem cõieciissent eidẽ mox rem

Herodis liberalitas.

Notabilis sententia.

Plutionis carceres.

Aloadæ.

rem diuinam obire perrexerunt. Postremò elegans est apud Græcos verbum χαλκιδίζειν chalcidissare, quod signat auidius pecuniæ inuigilare, quoniam eiusmodi fuisse Chalcidenses feruntur.

Manum in Aetolis habere, ac mentem in clopidis.
Ex Cœlio lib.11.cap.21.

Comœdia Aristophanis Equites.

Est Aristophanis poëtarum facetissimi Comædia, cui titulus ἱππεῖς, id est, Equites, in ea Cleō remis velisq; proscinditur. Inter probra alia, quibus eius infamatur vita, illud item est: vbi Cleonis manus esse Aetolis scribit, mentem verò in clopidis: sed rectius cōmodiusq; fuerit, Græca subtexuisse verba, quæ solicitius forsan studiosorum requirent aliqui.

Solicitius.

τὴν χεῖρ᾽ ἐν αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ᾽ ἐν κλωπιδῶν.

Quid verò sit in Aetolis manum habere, poetę interpretes appositissimè explicāt, & meminit Eustachius cùm in sordis extremæ hominem, semperque in petendo paratum, ac nil nisi rapinas meditantē, vt qui nihil suauius opinaretur, quàm accipere, dici interpretantur. Ioci autem gratia, ex verbi gręci notione cōsurgit. Nā αἰτεῖν petere signat. Quod verò infertur in Clodis fuisse mentem, vrbanissimè item in depeculatorem pronuntiatur, quando κλωπὴ furtum significat. Vrbanitas verò elicitur inde, quia Clopidæ in leontidæ recensebantur tribu. Dum ergo signari loca videntur, mores impostoris ac nepharij hominis citius, occultiusque reteguntur, comicoq; insperguntur felle. Faciunt ad hæc, quæ apud Atheneum legimus obseruata, Aetholicum fuisse, rapere. Τὰ τῶν πέλας id est, res earum quę prope sunt νῦν καὶ δὲ τὰ πόῤῥω, id est nunc & quę remotiora sunt. Clopia verò, id est, κλωπεία saltationis fuit species: meminit Theatricorum quarto, Iubas dignum scitu, κλωπᾶσθαι Gręcis dici clam taciteq;, id est, ἀψοφητὶ, facere quid, vel loqui, vel furari.

Auaritiæ sugillatio.
Cœlius lib.12.cap.37.

Semiramidem Orientis Reginam, & mulierū omnium, quarum ex historia ad nos perlata est notitia, longè celeberrimam (quanquam cum Cyro præcipuè admiratus Alexander fertur, quod in illis & magnitudo animi, & rerum claritas plurima emicuisset) legimus cùm sibi iam monumentum, in quo perfuncta humanis reconderetur, strueret, inscriptionem eiusmodi exculpendam curasset: Quicunque ex Regibus pecuniæ inopiam senserit, conditorio recluso, sumat inde, quicquid visum fuerit: Id cùm perlegisset Darius, vt qui auri foret auidior, sepulchrum iussit recludi: Sed in eo pecuniam quidem inuenit nullam. In eas autem incidit literas.

Darius delusus recluso sepulchro.

Semiramidis.

Εἰ μὴ κακὸς ἦσθ᾽ ἀνὴρ καὶ χρημάτων ἄπληστος οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἐκίνεις; quod est, ni malus vir fores, & pecunia prorsus inexplebilis, non vtique mortuorū loculos mouere: exprobratione lepida in sacram auri famem: vt eminētissimi autores dixêre. Quæ dum vetita scrutatur, per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes: dum ipsa sibi videtur inops, dum recondere gestit, quo non perfruatur, sed custodiat: sæpe conatu excidens, ridiculam se præbet, rediens inanis, renudata modò auiditate, in immensum vela pandente, etiamsi nunquam non Austrum percellat & operam ludat. Si naturæ pomeria angusti sunt ambitus, quibus facilè paria necessitatibus facere valemus: sed efferatam hanc habendi cupiditatē amarius repercussit. Philippus quoque auarum nactus Medicum, & indesinenter efflagitantem, pars est in corpore, qua collo annectitur pectus, eadem Græca voce κλεὶς id est, clauis, fortè à quodam conuulneratus eò loci fuerat Philippus curabaturque, vt assolet: Qui eo fungebatur munere, cùm expleri munerib. non videretur, insusurrauit imperator.

Austrū percellere.

Λάμβανε ὅσα βούλει. τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις. Cape, inquit, quantum libet, quando clauem habes.

Elegans hoc.

Auaritia nihil iciunius: ex Petrarcha, lib.1.Dia. 36. de remedijs fortunæ.

Gau. inuidiosa & præfulgida est suppellex. Ra. Pro captu oculorum, seu forsitan animorū. Verè autem onerosa rerum colluuies, ac turbida, sed auaritia nihil vnquam ieiunius, nihilq; miserius, cuius famem & quærenda excitant, & quęsita non sapiunt, dumque sperata fulgebāt, possessa sordescunt. Itaque sæpe diuitias dum quæsisse putaueris, solicitudinem & nauseam quæsiuisti, hæ nunc tibi charæ: Si vel chariores se alia ostēderint, vel stuporem assiduitas demserit, viles erunt. Esto autem, chara sint, & maneat stupor, nonne etiam error manet? isq; difficilis atque perpetuus: siquidem quærendi studium vnum fuit, seruandi labor est multiplex. Nunquam deerit quod reuisas, quod numeres, quod complices, quod excutias, quod abstergas, quod oculos simul & mulceat, & iuxta offendat. Gau. suppellex immensa est. Ratio ô hominem, qui impedimentorum suorum magnitudine delectatur.

Suppellex impedimenta sunt.

Auaritia lites parit, & partas alit. De remed. fortunæ, lib.2. Dia.90.

Dolor. Mœsto & turbido adteror litigio. Rat. Pro te aptis epithetis vsus es. Vbi enim lis, ibi nec gaudium, nec tranquillitas esse potest: Tu si litibus vis carere, litium contemnere velis materiā, Auaritia lites parit: & partas alit.

De reb. fa. epist.44.

Expectas audire morbi genus. Libris satiari nequeo, & habeo plures fortè quàm oportet. Sed sicut in cæteris rebus, sic in libris accidit, quærendi successus auaritię calcar est. & cætera de delectatione librorum,

Morbi etiam est genus libris satiari nō posse.

Lib.6.Epist.famil.Petrarcha auaritiam cæteris uitijs potiorem.

Inuidia. Auaritia Superbia.

Inuidia mœsta sæpe, sed otiosa est. Auaritia tristis est & occupata: superbia dum se aliquid magnum putat, falsa licet opinione delectatur. Auaritia semper se famelicam & egenã sentit, neq; fallitur: verissimum enim est poeticũ illud: semper auarus eget. Nam si auarus est, cupit: quod ipsum vitij nomen indicat. Sanè, quod ait Seneca, non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est: Et hoc indè concluditur, quod non paucitas rerum inopem facit, cùm paucis natura contenta sit, cui qui ritè satisfecerit, diues est, & nihil ei deest, sed cupiditas expleta, quæ indicat sibi tantum deesse, quantum cupit, cupit autem omnia, & optãda superuacua fecit necessaria. Ita egestatem minimam cuique perfacilè succurri poterat: irremediabilem atque immensam fecit. Rursus enim illud est verum, quod Philosophis placet: Auaro tam quod habet deesse, quàm quod non habet. Nisi quod mihi quidem magis videtur, auaro deesse quod habet, quàm quod non habet. Ex illo enim nihil præter solicitudinem perpetuam, & veros metus, ex hoc nonnunquam breue falsum gaudium capit, dum sibi arridet, & optatum bonum spe fallente præoccupat. Ita nunquam satiatur vera quadam (vt aiunt) inhumana dulcedine, auaritia verò nunquam. Nam & successibus inardescit, & satyricum illud verũ est: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, & minus hunc optat, qui minus habet, cuius rei causam vnam (nam plures excogitari queunt) in epistola quadam ponit Anneus Seneca: Neminem, inquit, Pecunia diuitem facit, immò contrà, nulli non maiorẽ sui cupiditatem incussit. Et sequitur: quæris quæ sit huius rei causa? plus incipit habere posse, qui plus habet. Venio ad reliquas pestes, & eius quidem, quam accidiam nostri vocant, eadem ratio est, quæ inuidiæ fuit. Gula autem ac libido sæpe suis fruuntur delitijs, quibus exultant, & gaudia fugitura percipiunt. Auatitia nulla re fruitur, nisi curis auarissimis: dum enim quærendis inhiat, & illa non habet, & quæsita non videt nisi ad supplicium, hinc trepida, inde sollicita. Quæ cùm ita sint, inde auaritia sororum omnium pestilentissima dici potest, quam radicem omnium malorum vocat Apostolus.

Auarus semper eget.

Pauper qui plus cupit.

Paucis natura contẽta.

Auaro tã deest quod habet quã quod nõ habet.

Insatiabilis auaritia.

Horat.

Seneca.

Pecunia neminẽ diuitem facit.

Accidia. Gula. Libido.

Auaritia sororum omniũ pestilentissima.

Epistola.99.

Auaritia quęrẽdi labor est

Quid est auaritia, quod delectet? Nempe nihil aliud, quàm quęrendi labor, quàm seruandi pauor, nihil inquam aliud, quàm timere ruinas, incendia, rapinas, domesticos & externos fures, ad extremum, mures & tineas. Verè ergo misera est magni custodia census. Sed hæc nobis accidũt nescientibus (vt ait Flaccus) quid valeat numus, quem præbeat vsum: & reliqua: vbi & paupertatis laudem habet.

Epistola.117.

Nolite cupiditati aurem dare, nunquam dictura est sufficit: semper nescio quid deerit, habet hoc auaritia proprium ac pessimum. Insatiabilis est, & dum promittit absentia, præsentibus vti vetat. Hęc habendi sitis nũquam plura quęrendo, sed pauciora concupiscendo, sedabitur. Crede non mihi, sed Philosophis, quorum hæc ad veras diuitias Philosophia est.

Auaritia, pestis, ex Liuio lib.4. de bello Macedonico.

Sæpe me quærentem de fœminarum, sæpe de virorum, nec de priuatorum modò, sed etiã magistratuum sumptibus audijstis, diuersisq; duobus vitijs, Auaritia & Luxuria ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Hæc ergo quò melior, latiorque in dies fortuna reipublicæ est, imperiumque crescit, & iam in Græciam Asiamq; transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam adtrectamus Gazas, eò plus hæreo, ne illę magis nos cœperint, quàm nos illas.

Auariti[a] Luxuri[a]

Diuiti[æ] illece[bris] sunt a[...] maru[m]

Libro 5.

Instabat cura alia, quod ciuitas fœnore laborabat, & cum multis fœnebribus legibus constricta auaritia esset, via fraudis inita erat, vt in socios qui nõ tenerentur legibus, nomina transcriberent, &c. Exemplum militaris auaritiæ habes pud Liuium libro octauo de bello Macedonico.

Leges [fœ]nebre[s] Nomi[na] profe[r]bere.

De Auaritia humana Plin. lib.33. in prologo.

Metalla nunc, ipsæq; opes, & rerum precia dicentur, tellurem intus exquirente cura multiplici modo: Quippe alibi diuitijs foditur, quærente vita aurum, argentum, ęs, electrum: alibi delitijs gemmas, & parietum digitorumque pigmenta: alibi temeritate ferrum, auro etiam gratius inter bella, cedesque. Prosequimur omnes eius fibras, videmusque super excauatos montes mirantes dehiscere, aliquando autem intremiscere illam: ceu verò non hoc etiam exemplum indignationis sacræ parentis exprimi possit. Imus in viscera eius, & in sede manium opes quærimus, tanquam parum benigna fertiliq; qua secetur. Inter hæc minimum remediorum gratia scrutamur (cui enim fodiendi causa medicina est?) Quanquam & hæc summa sui parte tribuit, vt minimè parca, facilisque in omnibus quæ prosunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demersit. Illa quæ non nascuntur, vt repente mens ad inane euolans reputet, quis deinde futurus finis est, seculis omnibus exhauriendi eam quousque penetret auaritia. Quàm innocens, quã beata, imo verò & delicata esset vita, si nihil aliud de ea, nisi quod supra terras concupisceret, ha-

Tellus sacra pa[rens] nostra

ret, haberetq; non nisi quod secum est? Eruitur quidem aurum & chrysocolla iuxtà, vt preciosior videatur nomẽ ex auro custodiens, parum enim erat naturæ, vnam inuenisse vitæ pestem, nisi in precio etiam esset saniesauri. Quærebat argentum auaritia boni consuluit interim inuenisse minium, rubentisq; terræ excogitauit vsum, &c.

Auri sanies.

Ex libri 14. prologo.

Quippe cùm requirenda sint non solum postea inuenta, verumetiam ea, quæ inuenerãt prisci, desidia rerum internicione memoriæ inducta, cuius vitij causas, quis alias quàm publicas mundi inuenerit? Nimirum alij subière ritus, circa quæ alia mentes hominum detinentur, & auaritiæ tantùm artes coluntur, antea inclusis gentium imperijs intra ipsas, &c.

Auaritię artes tantùm coluntur.

Auaritia nullum tetrius uitium. Cicero lib. 2. de Offic.

Caput est in omni negotij procuratione & muneris publici, vt auaritiæ minima etiam pellatur suspicio. Nullum enim est vitium tetrius, quàm auaritia, præsertim in principibus, & Rẽpublicam gubernantibus: habere enim quęstui Rempublicam, non modò turpe, sed sceleratũ etiam & nefarium. Itaq; quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia nisi auaritia esse perituram, id videtur non solum Lacedæmonijs, sed etiam omnibus opulentis populis prædixisse.

Nullum vitium tetrius auaritia.

Auaritia in sene turpißima: ex Senectute Ciceronis.

Auaritia verò senilis quid velit, non intelligit. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm quò viæ restat minus, eò plus viatici quærere?

Auari senes.

Auaritiæ definitio, ex libro 4. Tusculanarum Quæstionum.

Aegrotationi autem talia quædam subiecta sunt, auaritia, ambitio, mulierositas, peruicatio, liguritio, temulentia, cupedia; & si qua sunt similia. Est autem auaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhærens & penitus insita, &c.

definitio auaritię.

Sanctißima quæuis uiolari Auaritia: Cicero in oratione pro P. Quintio.

Quia ex re intelligi facilè potuit, nullum esse officium tam sanctum atq; solenne, quod non auaritia comminuere atque violare soleat. Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum, & impium esse fateatur, lib. 2.

Auaritia omnia violare solet.

Auaritia secundum Aristotelem.

Est animæ auiditas, ob quam omnifariam cõgerendarum opum crescit appetitus.

Tres species auaritiæ: { *Lucri turpitudo* / *Parcitas* / *Animi angustia.* }

Lucri turpitudo est, qua ad omne lucellum aucupandum addicuntur animi, lucrum cuique pudori præponentes.

Parcitas est, qua retinentur animi pecuniarũ auiditate, vt quàm parcissimos, etiam vbi decor secùs postulat, sumptus faciant.

Animi angustia est, qua impendunt quidem animi, sed pauxillatim, & frigidè, & malè ministrantes, atq; adeò plus assumentes, quod non, vbi occasio tulerat, adhibiti sunt, & nullum putare opprobrium, vtcunq; facientibus lucrum: vt sit huius vitij victus seruilis, mancipio potius decens, & sordidus, & ab eo qui honorem velit, & prorsus à libero homine alienus. Comitatur auaritiam, habere sermonem de rebus exiguis, anxietas, pusillanimitas, abiectio, immodestia, vilitas, humanum odium.

AVARITIA ET LVXVRIES HOmines ad omne maleficium impellunt.

Cicero in 3. Quæstionum Tusculanarum libro: & ibidem Philippus Beroaldus.

Commune id vitium est, vt auarus dicat in auarum, gloriosus glorię cupidum reprehendat, gratus culpet ingratos. Qui suos casus aliter ferunt, atq; vt alijs authores ipsi ferunt, non sunt vitiosiores, quàm fere pleriq;, qui auari auaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt.

Auarus culpat auarum

Auaritiæ detestatio, ex 2. Lactantij libro.

Tanta homines imaginum cupiditas tenet, vt iam viliora ducantur, quæ vera sunt, auro scilicet & gemmis & Ebore delectantur, horum pulchritudo ac nitor perstringit oculos, nec vllam religionem putant, vbicunq; illa non fulserint. Itaq; sub obtentu Deorum auaritia & cupiditas colitur.

Grauiter dictum.

Author ad Herennium libro 2. Rhetoricorum.

Duæ sunt res, quæ omnes homines ad maleficium impellunt: Luxuries & auaritia. Item magno malo est hominibus auaritia. Idcirco quod homines magnis & multis incommodis affligãtur, fit propter immensam pecuniæ cupiditatẽ.

Luxuria & auaritia omnium malorũ causæ sunt.

Ex 4. libro.

Duæ sunt res, quæ possunt omnes homines ad turpe compendium commouere, Inopia atque auaritia.

Inopia. Auaritia

Ex 9. libro. Q. Curtij.

Auaritia gloriæ, & insatiabilis cupido famæ, nihil inuium, nihil remotum videri sinit. Auidi milites sunt & pecuniæ & gloriæ simul.

Laërtius in vita Quintiliani refert hoc dictũ de auaritia: Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.

Omnia desunt auaro.

εἰς πλεονεξίαν, id est,

Quæ ad Auaritiam.

ἰσότητα δ᾽ αἱροῦ, πλεονεξίαν φύγε,
Κακὸν μέγιστον ἐν βροτοῖς, ἀπληστία.
Aequum eligas, habere nimium, non aue,
Cupidine inexaturata nil peius est.

Trimetri Iambi. Elegans sentẽtia.

 Diphilus.

Diphilus.

ἆρ' ἐστὶν αἴσχρότατον, αἰσχροκέρδεια;
Πρὸς τὸ λαβεῖν γὰρ ὢν ὁ νοῦς, τ' ἄλλα οὐχ ὁρᾷ.
An non turpissima res est turpilucrium?
Nam quęrit animus occasiones arripiendi quippiam, hallucinatur ad alia.

Contra auaritiam dicta Græcorum.

Polinctū cœna mortuorum. Aristonymus in historia, auari vitam pollincturæ, id est, cœnæ mortui comparat, vbi cùm adsint cœtera, lætitia deest.

Appollonius Thyanęus apud Philostratū dicit, magis esse fugiendam auaritiam sapienti & philosopho, quàm luxuriam, aut aliud crimen: quòd ex auaritia & quæstu cætera dependeant. Idem Platonem accusabat, quòd ad Dionysium in Siciliam auaritiæ causa profectus sit: Similiter & Eudoxum in Aegyptum, specie philosophiæ: Speusippum quoq; Athenienſem, qui in Macedoniam vsque profectus, in Cassandri nuptijs poëmata frigida recitauit. (Auaritia luxuria.)

Libro. 4. Quęstio. Tuscula. Auaritia Ambitio. Timon, qui μισάνθρωπος cognominatur, duo dicebat malorum principia, auaritiam & ambitionem: Bion sophista, ea mtantum omnis vicij originem ac matrem.

Socrates. Neq; à mortuo sermonem expectes, neq; ab auaro gratiam. Idem. Nullo vnquam tempore tibi vel decepto fas alium decipere.

Pittacus, ἄπληστον τὸ διαπαντὸς, κέρδος. Insatiabile semper lucrum.

Periander, Κέρδος αἰσχρὸν, κακιστόν. Turpe lucrum res pessima.

Xenophon. Non enim tam durum, non accipere, quàm priuari, solitum accipere.

Sophocles.

φιλαργυρός. Barbaries. Φιλαργυρὸν μὲν τῶν τὸ βαρβάρων γένος. Auarum omne genus Barbarorum.

Hesiodus.

Χρήματα δ' οὐ ἁρπακτὰ θεόσδοτα πολλῷ ἀμείνω.
Non raptæ, sed diuinitùs concessæ pecunię pręstant.

Idem.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτησι. Turpe lucrum fugias, damni namq; instar habetur.

Appolonius Philosophus.

Excusatio auaritię, & proprij moris est cumulare pro filijs.

Diphilus.

Solum lucrum improbos facit. Εἰ μὴ τὸ λαβεῖν ἦν οὐδὲ εἷς πονηρὸς ἦν. Nisi lucrum faceret, nemo quidem improbus foret.

Μεγαλόπτωχοι grosse betler. Diogenes, eos qui immensas opes cumularent, μεγαλοπτώχους, id est, magnificos pauperes appellabat.

Theopompus.

Qui multas possidet diuitias, ac cum tristitia degit, is omnium mihi, & præsentium & futurorum infelicissimus est. Hanc mutuatus, Martialis ait:

Tristis es & felix, sciat hoc fortuna, caueto:
Ingratum puto te, te puto si scierit.

Euripidis quatuor senarij aurei.

Εἰ εὐτυχῶν τις βίον κεκτημένος μηδὲν δόκοις τῶν
Καλῶν πειράσεται, ἐγὼ μὲν οὔποτ', αὐτὸν ὄλβιον
Καλῶ, φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα.
Si quis uitam in fortunis uixerit,
Neq; pulchrum aliquid domi tentauerit,
Ego hunc diuitem aut beatum nullo modo
Sed custodem pecuniæ dixero.

EXEMPLA AVARITIAE.

Notatur Simonides Poëta, vt autor Aelianus de varijs historijs: is enim rogatus à quodam, vt encomium ei scriberet, gratiamq; se loco muneris habiturum, Respondit: duas se habere arcas, vnam gratiarum, alteram argenti, hanc cùm aperiret communem plenamq;, illam verò vacuam solamque reperiêre. Idem in vltima senectute, cur auarus esset interrogatus: quoniam, inquit, malo diuitias relinquere moriens, quàm amicos viuens frustra rogare: detestās plurimorum infidas amicitias. Dum Brennus dux Gallorum Senonum obsideret Ephesum, virgo quædam nomine Dæmonica sollicitata spe Barbari cum eo pepigit, se Ephesum proditūram mercede monilium, quæ Galli ferebant. Cuius facti fidem Brennus præstitit, iubens omne aurum in se congeri, ita vt viua vsq; supprimeretur. (Simonides po[eta]. Duæ [ar]culæ gratiarum altera [ar]genti. Dæmo[nica] ca[...] fam[...])

Audacia Græcè τόλμα ης ἡ, & τολμηρός οὗ ὁ, audax dicitur, & est fiducia seu confidentia dicens motum irascibilis inęstimatum, non excedere facultatem, & est circa mala. Nam circa bona est spes, ex B. Thoma 2. Sententiarum, dist. 26. quæst. 1. articu. 3.

Homerus in Odiss. uerba Vlyssis.

Θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων ἔργοισι τελέθει. i.
Audax enim uir in omnibus operibus melior.

Menander.

Εὔτολμος εἶναι ῥίνε, τολμηρὸς δὲ μή. id est,
Fidens esse delibera, audax autem non.

Idem.

Τὰ πολλὰ τολμᾶν, πολλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ. id est,
Multa audire, multa aberrare facit.

Aristoteles lib. 3. Ethicorum capitibus 6. 7. 8. quibus Περὶ ἀνδρείας disputat, latè & prolixè de audacia disserit: οἱ μὲν (inquit capite. 7) θρασεῖς προπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων κινδυνεύειν, ἐν αὐτοῖς δ' ἀφίστανται.

Phocylides.

Τόλμα κακῶν ὀλοή, μέγ' ὀφέλλει δ' ἐσθλὰ πονεῦντας. i.
Audacia malorum perniciosa, multum auget uerò bona laborantes.

Auersio Græcè ἀποστροφὴ ῆς ἡ, & ἀποστρέφω auerto dicitur. Suntq; auersio & conuersio idem re, sed differunt ratione, secundum respectum ad diuersos terminos, B. Thom. 2. Sentent. dist. 42. quæst. 2. arti. 1. Potest tamen conuersio esse sine auersio-

auersione, vt in peccato veniali. B. Thomas prima secundæ q.72. artic.5.

Augmẽtatio Græcè αὔξησις ιος ἡ, & αὔξω augeo dicitur. Et est mutatio, per quam plus nutrimenti conuertitur in substantiam aliti, quàm deperditum sit ab anima, mediante calore naturali, vt viuens suam debitam quantitatem attingat, secundum Ari. li. de generatione & corruptione.

Augmentum est motus in perfectam magnitudinem secundum Aristo. 5. Physicorum.

Augmentum est assumptio maioris quantitatis, quæ propriè est tantum in iuuenibus, secundum B. Thom. 4. Sent. dist. 12. quæst. 2.

Augurium Græcè οἰωνοσκοπία ας ἡ, & οἰωνοσκοπέω auguror dicitur. Et est diuinatio ab auiũ garritu sumpta, sicut auspicium à motu auium, secundum B. Thom. secunda secund. q. 95. art. 3.

Augurium est quod fit in consideratione malorum angelorum, vt habetur in Decret. 26. q. 2. Qui fine.

Auiditas Grecè ἐπιθυμία ας ἡ dicitur ab aueo, quod est cupio, qđ Græcè dicitur ἐπιθυμέω, vel ab a, quod est sine, & video, hoc est à non videndo. Quare auidus dicitur, qui propter nimiam cupiditatem non videt quid agat, vt quibusdam placet.

Aureola ab aurum dicitur, quod Græcè χρυσίον ου τό, & est præmium accidentale beatorum de operibus perfectionis secundum perfectam victoriam.

Aurum verò ab aura dicitur, hoc est à splendore. Aura enim pro splendore aliquando sumitur. Horatius:

Tua ne retardet *Aura maritos.*

Aurea verò est præmium essentiale respondens charitati, secundum B. Thom. quarto Sententiarum, distin. 49. q. 5. art. 1.

AMANTIUS. Hyppocrates aurum ab autore vel inuentore dictum affirmat, qui αὔριος vocatus sit. Plinius libr. 7. naturalis historiæ scribit, aurum dictum ab ὅρειν, id est, accumulare vel custodire, quòd scilicet præcipuè custodiatur. Græcis χρυσός.

Pecuniam à Cadmo Phœnice apud Pangæum montem inuentam esse Polydorus & Virgilius lib. 2. cap. 19. asserunt.

AVRVM EX INTIMIS TERRAE *uisceribus eruitur, magno cum malo hominum.*

Contra aurum inuehitur Plinius lib. 33. cap. 1.

Imus in viscera terræ, & in sede manium opes quærimus: illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demersit, illa quæ non nascuntur, vt repentè mens ad inane euolans reputet, quis deinde futurus finis est? seculis omnibus exhauriendi, ea quousq; penitret auaritia? Quàm innocens, quàm beata, immò verò & delicata esset vita, si nihil aliud de ea, nisi quod supra terras concupisceret, haberetq; non nisi quod secum est. Vtinam autem, vt è vita in totum abdicari aurum sacra fames: vt celeberrimi authores dixêre: proscissum conuitijs ab optimis quibusq; & ad vitę perniciem repertum, quantum feliciore æuo, cùm res ipsæ permutabantur inter se: sicut & Troianis temporibus factitatum Homero credimus, &c. Auri sacra fames.

D. Hieronymus.

Auaritia modum ignorat, & cùm omnia deuoret, nescit penitus saturari.

Balbus Poëta.

Aurum cuncta mouet, superi flectuntur ab auro, Auro omnia obediunt.
Gaudet & aurato Iuppiter ipse thoro.
Templa micant auro, radiatq; altaribus aurum:
Auro certa fides, perpetuumq́; decus.
Aurum pace iuuat, nec bello spernitur aurum:
Aurum pugnaces mittit in arma uiros.
Auro Romulei redimunt Capitolia patres:
Parent uicta auro, sydera, terra, fretum.
Numina quid colimus? procul ô cum Pallade Iuno:
Mars procul, & nitida casta Diana coma.
Sola habites omni diuina pecunia templo,
Et cadat ante tuos uictima larga focos.
Aurum quisquis habet, superos mercatur & astra,
Captiuosq́; tenet sub ditione Deos.

Balbus Poëta, qui uixit tempore Maximiliani Imperatoris.

Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum, Aurum destruit vrbes.
Aurum uentosis uela dat æquoribus.
Euertitq́; urbes, & mœnia diruit aurum,
Delet & extructis oppida celsa rogis.
Tolle aurum, nullæ uitiantur in orbe puellæ:
Tolle aurum, nullus peccat in orbe puer.
Aurum igitur si quis nobis Simo maxime donet,
Carminibus nostris aurea uena foret.

Ecclesiastici cap. 10.

Perdidit innumeras uis atq; iniuria gentes,
Atq; auri nimij non moderata sitis.
Detestabilius nil terra creauit auaro,
Et nimio lucri peius amore nihil.
Munera diuendit precio dulcißima uitæ,
Exiguo in quæstu iura bonumq́; putat.

Horatius libro 3. Odarum.

Aurum irrepertum & sic melius situm Aurum omnia sacra peruertit.
Quum terra cælat spernere fortior.
Quàm cogere humanos in usus.
Omne sacrum rapiente dextra.

Virgilius lib. 3. Aeneidos.

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis? Ironia.
Auri sacra fames?

Ouidius in Metamor.

Effodiuntur opes irritamenta malorum. Ex opib. ferrum, ex ferro bellum.
Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum quod pugnat utroq;.

Idem Fastorum 1.

Melius nunc omen in auro est.

Ecclesiastic. 5. & 10.

Auaro nihil est scelestius: nihil iniquius quã amare pecuniam. Habet enim animam suam venalem auarus.

Ibidem cap. 8.

Malè partum, malè dispe- rit.

Multos perdit aurum atq; argentum.

Diuitijs fili caueas confidere multis,
Atq; sit in fluxis spes tibi nulla bonis.
Neue facultates per uim conuertere tentes,
Nam melius nunquam uis malè parta perit.

Horatius in Epistolis.

Virtus res preciosissima.

Vilius argentum est auro, uirtutibus aurum;
O ciues, ciues, quærenda pecunia primum,
Virtus post numos. Hæc Ianus ab imo
Summus perdocet.

Ex 2. sermonum, satyra 3.

Omnia diuitijs parent.

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam & rex,
Et quicquid uolet.

Ex Epistolis.

Opes nõ abigunt morbos nec curas.

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri
Aegroto domini deducunt corpore febres,
Non animo curas.

Ex Albio Tibullo.

Sæpe solent auro multa subesse mala.

Ex Propertio.

Auro omnia venalia.

Aurum omnes uicta iam pietate colunt:
Auro pulsa fides, auro uænalia iura,
Aurum lex sequitur: Mox sine lege pudor.

Aurum ex Io. Philomuso Poëta.

Aurum vitæ destructor.

Aurum destructor uitæ, princepsq; malorum,
O quàm difficiles nectis ubiq; dolos.
O utinam natum nunquam mortalibus esses,
Dulcia suppeditas, quæ nocumenta uiris.
Te propter pugnæ fiunt, & bella mouentur,
Ad prædam & cædes corpora nostra trahis.
Tu facis, ingratus patrem quod filius odit:
Inter & agnatos iurgia sæpe moues:
Prosternis gentes, & totum destruis orbem,
Nulla fides hominis te duce stare potest.

Omnia pecuniæ obeidũt. Plinius li. 33. ca. 1

Fœdera tu regum, tu falsos iungis amicos:
Imperio seruit & genus omne tuo.
Scrutamur montes, atq; ima uiscera terræ,
Nec tutum poteris subtus habere locum.
Felix ille tamen, modico qui uiuit in agro,
Vincula nam mortis hunc leuiora manent.
Et linquit post se nullas in funere lites,
Dat mentem superis, ossaq; condit humo.

Ambrosius libro 2. officiorum capitulo 21.

Hoc malum iamdudũ humanis influxit mentibus, vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum admiratione digni, vt nemo, nisi diues, honore dignus putetur.

Isidorus libro 1. cap. 1. Soliloquiorum.

Vbiq; pecunia vincit, Omnes mendicitatem spernũnt.

Rectè ab Hesiodo τὴν ἀφροδίτην χρυσῆν esse appellatam auream.

Venus dicta à fœnore.

Hesiodus pulchrè quod sit Venus aurea lusit:
Et peream, si quid rectius esse potest.
Nunc auro solo quia conciliantur amores,
Vtq; puto, à turpi est fœnore dicta Venus.
Senserat hic magnus siquidem Saturnius olim,
Quum Deus humano captus amore fuit.

De hac fabula Terent. in Eunucho.

Atq; per impluuium tecti delapsus, auaros
Impleuit Danaës uirginis imbre sinus:
Huius ad exemplum, quoq; nunc, dum munera mittet,
Tantisper Dominæ gratus amator erit.
At nihil attulerit cùm pauper, sæpe reclusas
Est opus infelix excubet ante fores.

Pleriq; auro accumulando, & alijs inanissimis rebus conquirendis operam nauant.

Hic mos Germanorum est.

Fortè equidem Mysi quendam celebrant Hymenæum,
Atq; agitant conuiuia læti, & pocula certant
More peregrino Thracum siccare uicissim.
Me miserum ipsa sua Germana modestia sede
Exulat, & luxus uirtutum eiecit auitam.
Hic ubi conuiuas inter, doctissime Iuli,
Agnoui iuuenem, uestro cognomine clarum,
Inclyta fama tuæ uirtutis cogit, ut illum
Compellem, contra me ignotum tractat habetq;
Comiter, & mecum sermones miscuit, estq;

Bona literis perpetuo manent.

De studijs Iulij longissima mentio facta.
O te felicem, talem cui fata tulerunt
Mentem, quæ uulgi damnosis libera curis
Vera sequi certet bona, non obnoxia morti.
Cætera turba hominum non uno errore tenentur.

Auari amatores. Ambitiosi. Varia studia uenum.

Nam pleriq; gulæ sectantur commoda, & ipsam
Vincere contendunt Sybarim: pars pallet amore
Accumulandi auri, studioq; senescit habendi,
Ambitioq; capit multos, fascesq; superbi,
Et leue fallacis uulgi studiumq; fauorq;.
Hæc quoq; me, nisi Iuli probas, insania cœpit

Coruus inter olores.

Flacci more boni, tenues deducere uersus,
Sic etiam cygnos imitabere corue canoros.
Tu uitæ melius cœpisti iter ingredi Iuli,
Palladijs natas artes dum solus Athenis
Atq; auctus ueteri Latio in patrium inuehis orbem,
Virtutisq; uiam, legesq; ostendere pergis.
Macte animo iuuenis, cœptosq; urgere labores:
Ne desiste, dabit curarum præmia digna
Posteritas melior, iustosq; rependet honores, &c.

Austeritas αὐστηρότης, & αὐστηρός ὁ, austerus dicitur. Et est potentialis temperantia, scilicet virtus refrænans loquacitatem, secundum B. Thomam, secunda secundæ q. 143.

Austeri-

Austeritas animi videtur esse in eo, qui non veretur alios contristare. Econuersò: Moderatio animi est in eo, qui abhorret omne quod potest alium contristare, secundum B. Thomam secunda secundæ, q. 157. art. 3.

Authoritas sine c & cum th scribi debet, Grecè enim dicitur αὐθεντία ας ἡ. Sic & author scribitur, quem Greci αὐθέντην dicunt. Ita & αὐθέντημα authoramentum, nec non αὐθεντέειν authorare, & αὐθεντικὸν authoratum, quod aliqui more Greco authenticum dicunt.

Cicero libro de Senectute.

Apex autem est senectutis authoritas.

Ibidem.

Habet senectus honorata præsertim tantam authoritatem, vt ea pluris sit, quàm omnes adolescentiæ voluptates.

Ibidem.

Non cani, non rugę, repentè authoritatem afferre possunt, sed honestè acta superior ætas fructus capit authoritatis extremos.

Ibidem.

Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur leuia atq; communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli, quæ etiam apud nos, & in alijs ciuitatibus, vt quæq; optimè moratæ sunt, ita diligentissimè obseruantur.

Homerus in 1. Iliados.

ἀντίνυ πολλῶν λαῶν ἐστὶν ἀνὴρ, ὅν ζεὺς κηρὶ φιλήσῃ. I.

Pro multis populis est uir, quem Iuppiter corde amat.

Euripides, uerba Hecubæ ad Vlyssem.

Τόδ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σόν

Πείσει. λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,

Κ' ἐκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐ ταὐτὸ σθένει. id est;

Authoritas uerò, & si malè dicat, tua

Persuadebit. Nam ab inexistimatis proficiscens oratio,

Et ab existimatis eadem, haud quaquam tantūdem ualet.

Auxilium Græcè βοήθεια ας ἡ, & βοηθέω auxilior dicitur.

Menander.

ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα, καὶ πόλις σώζει πόλιν.

Vir enim uirum, & ciuitas saluat ciuitatem.

Idem.

Χεὶρ χεῖρα νίπτει, καὶ δάκτυλος δάκτυλον.

Manus manum lauat, & digitus digitum.

Balbus Grece ψελλὸς οῦ ὁ, & ψελλίζω balbutio. Est autem balbus is, qui lingua confusa & trepidanti loquitur: Balbutire quod est cum linguæ hæsitatione & confusione quadam trepidare, secundum Nonium Marcellum.

Banausia est vitium contrarium paruificentiæ, & dicitur à furno, qui κλίβανος ου ὁ à Græcis nuncupatur, quia sicut ignis consumit omnia, ita secundum hoc vitium fit excessus in sumptibus ad opus aliquod conficiendū maior, quàm esse debeat, secundum regulam rationis, ex B. Thoma, secunda secundæ, q. 135. art. 2.

Baptismus Grecè βαπτισμὸς dicitur. Et est ablutio hominis aliqualiter consentientis, facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione diuina ablutionem animæ à peccato, secundum Ioan. Scotum in 4. sent. di. 3. q. 1.

Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum, secundum Magist. Sent. in 4. dist. 3.

Baptismus est quoddam principium sanctissimorum mandatorum, sacrarum actionum & aliorum diuinorum eloquiorum, ad susceptiuam opportunitatem formans nostros animales habitus, ad susceptæ quietis anagogen, iter nostrum faciens, sacrę & diuinissimæ nostrę regenerationis traditio, secundum Dionysium capite ecclesiasticæ Hierarchiæ.

Baptismus est per quem primitias spiritus accipimus, & principium alterius vitę, vt sit nobis regeneratio & sigillum & custodia & illuminatio, secundum Ioannem Damascenum quarto, Sent. & B. Thom. 4. Sen. dist. 4. q. 1. art. 1.

Baptismus dicitur à βαπτίζω, qđ est immergo.

Ioannis 2.

Respondit Iesus, & dixit Nicodemo: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci cùm sit senex? nunquid potest in ventrem matris suę iteratò introire & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Augustinus in homil. 80. & habetur 1. q. 1. Detrahe.

Detrahe verbum, quid erit nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat? nisi facienteverbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens.

Idem libro 1. de unico baptis. & habetur 24. q. 1. Si quem.

Si quem fortè coëgerit extrema necessitas, & vbi catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, & in animo pacem catholicam custodiens per aliquem, extra vnitatem catholicā positum, acceperit, qđ in ipsa erat catholica vnitate percepturus, si statim & de hac vita migrauerit, nō eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus cùm se catholicæ cōgregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed & securissimè, verissimeq; laudamus: quoniam præsentem Deum credidit corde suo, vbi vnitatem seruabat, & sine sancti baptismatis sacramento, quod vbicunq; inuenit, non hominum, sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare.

Ibidem

Ibidem libro 2. & habet. de Consec. distin. 4. Ostenditur.

Ostenditur illos impiè facere, qui rebaptizare conantur.

Ibidem libro 3. & habetur ibidem, Nunc autem.

Nunc autem non sicut hæresis hæreticorum est, sic error ipsorũ est: sicut etiam sacrilegium dissensionis est eorum, sic etiam baptisma quod Christi est, non debet dici ipsorum.

Ibidem libro 4. & habetur ibidem, Satis.

Satis ostendimus ad baptismum, quod verbis euangelicis consecratur, non pertinere cuiusdam dantis, vel accipientis errorem, siue de patre, siue de filio, siue de spiritu sancto aliter sentiat, quàm cælestis doctrina insinuat.

Idem ibidem, Baptismi uicem.

Baptismi vicem aliquãdo implere passionem de latrone illo, cui non baptizato dictum est: hodie mecum eris in paradiso, beatus Cyprianus non leue documentum assumpsit: quod etiam atq; etiam considerans inuenio: non tãtùm passionem pro nomine Christi id quod baptismo deerat posse supplere, sed & fidẽ confessionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Neq; enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum. Neq; quia credidit passus est, sed dum pateretur credidit. Quantum itaq; valeat etiam sine visibili sacramento baptismi: quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est.

Augustinus de unico bapti. & habetur de consecrat. distinctione 4. Cùm tantùm.

Cùm tantum valeat baptismus per hominem contemptibilem, quantum per apostolum datus, ita nec illius, sed Christi esse cognoscitur.

Augustinus ibidem lib. 6. & habetur ibidem, Non est.

Non est aqua prophana & adultera supra quã nomen Dei inuocatur, etiamsi à prophanis & adulteris inuocetur: quia nec ipsa creatura adultera est: nec ipsum nomen adulterum est.

Augustinus ibidem, & habetur ibidem, Si non.

Illa certa verba euangelica sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur, quæcunq; in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur: quemadmodum demonium Christi nomine excluditur.

Augustinus ibidem libro 8. & habetur de consecrat. distinctione 4. Solet etiam.

Solet etiam quæri, vtrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui nõ accepit, accipitur: si fortè hoc aliqua curiositate didicit, quomodo dandum sit: & vtrum nihil intersit quo animo accipiat ille, cui datur, an cum simulatione, aut sine simulatione. Si cum simulatione: vtrum fallens sicut in Ecclesia, vel in ea, quę putatur Ecclesia: an iocans, sicut in mimo. Veruntamen si quis me fortè in eo consilio constitutum, vbi talium rerum quæstio versaretur non præcedentibus meritis, quorum sententias sequi mallem vrgeret, vt dicerẽ quid ipse sentirem: Si eo modo affectus essem, quo eram dum ea dictarem, nequaquam dubitarem habere baptismum eos, qui vbicunq; & à quocunq; illud verbis euangelicis cõsecratum sine sui simulatione, & cùm aliqua fide accepissent: quanquam ad salutem spiritualem eis non prodesset, scilicet si charitate caruissent, qua catholicæ inseruntur ecclesię. Si enim habeam fidem vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

Idem libro de bapt. & habetur de consecra. dist. 4. Nullus.

Nullus autem negat habere baptismum etiam apostatas, quibus vtique redeuntibus & per pœnitentiam conuersis non redditur, quia amitti non posse iudicatur: sicut & illi qui in sacrilegium schismatis ab ecclesię communione discedunt, habẽt vtiq; baptismum, quem priusquam discederent, acceperunt.

Ibidem capite sequen. Quomodo.

Quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiã, vel super capita eorum quibus manus imponitur, quæ tamen omnia & fiunt, & valent etiam per homicidas, aut per eos, qui fratres oderunt, etiam in ipsa intus ecclesia, cũ nemo dare possit quod non habeat, quomodo homicida dat spiritum sanctum, & tamen intus etiam ipse baptizat. Deus ergo dat etiam in ipso baptismate spiritum sanctũ. Quapropter sacramẽtum gratiæ dat Deus etiam per malos. Ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per eius columbæ membra, quibus ait: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur: & si cui retinueritis, retenta erunt.

Idem ibidem cap. Tunc.

Tunc valere incipit ad salutẽ baptismus, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseuerante peccatorum ablutionę non sinebat fieri.

Idem ibidem. Est unitas.

Est vnitas ecclesię quę latè patet in sacramentorum videlicet societate & communione, quę complectitur cum granis etiam paleas, quando eas corporaliter mixtas ita patitur, vt neq; illas iusti vitent, neq; ab illis iustè vitentur. Sic sunt in ecclesia homines mali, vt in corpore humano humores mali, qui interdũ exeunt ex corpore.

Idem ibidem. Cùm pro.

Cùm pro paruulis alij respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationẽ, quia ipsi pro se respõdere non possunt. Si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet, ex qua regula

regula illud euãgelij dictum est, quod omnes cùm legitur naturaliter monet, ætatem habet, ipse pro se loquatur.

Idem ibidem,& hab.de Conse.distin.4.Sicut. in Sacramentis.§.Non interest.

Non interest cùm de sacramenti integritate tractatur & sanctitate,quid credat,aut quali fide imbutus sit,qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum, sed ad salutis viam: sed nihil interest ad sacramenti quęstionem.

Idem ibidem.§.Manifestum.

Manifestum est fieri posse, vt fide non integra integrum in quoquam maneat sacramentum baptismi.

Idem ibidem.§.Si posset.

Si posset fieri vt singuli diligenter interrogentur,tot diuersitates opinionũ forsitan inuenirentur, quot homines numerarẽtur. Animalis enim homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nũquid tamẽ nõ ideo sacramentũ integrũ accipiunt, aut nunquid ideo si profecerint, & opinionum carnaliũ vanitatem emendauerint, denuo quod acceperant repetendum est? Accipit quisq; secundum fidem suam, sed quantum capit gubernante misericordia Dei.

Idem ibidem.Per baptismum.

Per baptismum Christi id agitur, vt caro peccati euacuetur. Non autem sic euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne absit: Nam si post baptismum ad ætatem naturalẽ perueniunt, ibi habent cum qua pugnent eam quam adiuuante domino superent, si non gratiam in vacuum susceperint.

Idem ibidem. Filius.

Filius Dei carnem peccati suscepit, & pœnã sine culpa, vt in carne peccati & culpa solueretur & pœna. Per fidem ergo & baptismum eius à peccato homo per iustificationem, & à morte liberatur per resurrectionem. Paruuli etiam baptizati inter credentes reputãtur per sacramenti virtutem,& offerentium responsionem. Qui verò nõ sunt baptizati inter nõ credentes iudicantur ex euangelio Ioannis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Ibidem & hab.de Con.dist.4.Si baptizata.

Si baptizata est caro Christi, quæ sine peccato erat, quantò magis baptizanda est caro mortis propter euitandum iudicium damnationis.

Idem ibidem.Regenerante.

Regenerante autem carne tantummodo cõtrahitur peccatum originale, regenerante autem spiritu sancto, non solùm originalium sed etiam volũtariorum fit remissio peccatorum. Proinde rectè potest dici paruulos sine baptismo decedentes mitissimam omnium futuros sustinere pœnam. Fallit enim & fallitur qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente apostolo: Per vnius delictum omnes homines in condemnationem &c.

Idem ibidem.Quisquis.

Quisquis ex cõcupiscentia carnis & lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter habet opus, vt nõ solùm ad regnũ Dei perducatur, sed etiam à damnatione peccati liberetur, sic etiam per primum hominem in peccato & morte nascuntur, sic etiam per Christum in iustitia & vita æterna, in baptismo renascuntur.

Idem ibidem Paruuli.

Paruuli fideles rectè vocantur, qui fidem per verba gestantium quodammodo confitentur, & per eorundẽ verba diabolo & mũdo abrenuntiant: & hoc fit in sacramento diuinę gratiæ, quam dedit Deus ecclesiæ. Paruulus autem qui baptizatur si ad annos rationales veniens nõ crediderit, nec ab illicitis abstinuerit, nihil ei prodest, quod paruulus accepit.

Ibidem.Nulla præter.

Nulla præter baptismum salus infantibus promittitur, quia infantes si per sacramentum quod ad hoc est diuinitùs iustitutum, in credentium numerum non transeunt, in tenebris manent.

Idem ibidem.Ad hoc.

Ad hoc baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, vt membra eius habeantur, & consepeliantur, & oblati per sacramentum charitatemq; fideliũ reconcilientur Deo, vt in eo viui, salui, liberati, redempti, illuminati fiant.

Idem ibidem. Quis autem.

Quis autem nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari.

Idem ibidem.Non ex quo.

Non ex quo quisq; baptizatur omnis vetus infirmitas in eo assumitur, sed renouatio incipit ad remissionem omniũ peccatorum, & intelligentiam, & operationem spiritualium. Cętera verò in spe sunt, donec fiat in re, quod erit in resurrectione, nam in baptismo quanuis fiat plena remissio peccatorũ, nondum tamen plena est, nouitas, & perfecta mutatio: quia adhuc remanet corruptio non solũ in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo si perfecta esset nouitas, non diceret apostolus, quod de die in diem renouatur.

Idem ibidem.§. Hoc meminisse.

Hoc meminisse debemus, omnium peccatorum plenam perfectamq; remissionem in baptismo fieri, hominem verò non totum cõmutari cõtinuò, sed in bene proficientibus de die in diem crescente nouitate commutari quod vetustum est & carnale est, donec ita renouetur quod animalis infirmitas corporis ad firmitatem spiritualem incorruptamq; perueniat.

Ibidem.§.Sicut dicta.

Sicut dicta, facta, & cogitata iniquè animæ corpori pertinent, licèt aũt quantum ad motũ iam pręterierunt & nõ sunt, eis tamẽ prętęritis reatus eorũ manet, nisi peccatũ per remissionẽ soluatur, sic nõ prętęrita, sed adhuc manente lege cõcupiscentię reatus ei soluitur, & non erit, cùm fiat in baptismo plena remissio peccati.

Aug.hom.3.de baptismo, & hab.de Cons. dist.4.Postquam uos.

Postquam vos credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte dimersimus: qui ordo baptismatis duplici mysterij significatione celebratur. Rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine sanctæ trinitatis. Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui etiã tertia die resurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita dimersio typũ dñicę exprimit sepulturæ, p quã Christo cõsepulti estis in baptismo, & cũ Christo surrexistis in fide, vt peccatis absoluti in sanctitate virtutũ Christi, viuatis imitãdo.

Idem de liber.arbitrio lib.3.& hab.ibidem.Illud.

Illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi, quid prosit paruulis, cũ eo accepto plerunq; moriuntur priusquã ex se quicquam potuerint agnoscere. Qua in re satis piè, rectèq; creditur prodesse paruulo fidẽ eorũ, à quibus cõsecrandus offertur, & hoc ecclesię commendat authoritas, vt ex eo quisq; sentiat, quid sibi prosit fides sua, quãdo in aliorum quoq; beneficio, qui propriam nondum habent potestatem commoda sit.

August.super Ioan.tracta.5.primæ partis, & hab.de Con.dist.4.Baptismus.

Baptismus talis est, qualis ille est in cuius potestate datur. Non qualis ille, per cuius ministerium datur.

Idem tracta.6.& hab.ibidem.Cùm baptizat.

Cùm baptizat malus vel ex aliqua ignorãtia ecclesiæ, vel tolerantia, aut enim ignorantur mali: aut tolerantur paleæ quovsq; in vltimo ventiletur area: Illud quod datum est, vnum est: nec impar propter impares ministros. Sed par & ęquale propter hunc qui baptizat.

Idem sup.Ioan.& hab.de Con.dist.4.Necessarium.

Necessarium est visibile sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis corporis, sicut necessaria est doctrina inuisibilis fidei ad sanctificationem inuisibilis animæ.

Ibidem.

Renascitur homo ex aqua visibili sacramento & spiritu inuisibili, s. intellectu, vt symbolũ baptismi visibiliter accipiat, & spiritualem intellectum ipsius symboli percipiat, vel ex aqua visibili & spiritu sancto.

Ibidem.Aliud.

Aliud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Itẽ ergo baptizabãt discipuli eius, & ibi adhuc erat Iudas inter discipulos eius. Si quos baptizauit Iudas, nõ sunt iterum baptizati. Et quos baptizauit Ioannes, sunt iterũ baptizati. planè iterũ: sed non iterato baptismo. Quos etenim baptizauit Ioannes, quos baptizauit Iudas, Christus baptizauit.

August. ad Petrum Diaconem, & hab.de Cons.dist.4.Firmißimè.

Firmissimè tene & nullatenus dubites omnẽ hominẽ, qui per concubitũ viri & mulieris cõcipitur, cùm originali peccato nasci, impietati subditum, mortiq; subiectum. Et ob hoc naturaliter irę nasci filium. De qua dicit Apostolus: Eramus enim naturâ filij irę, sicut & cęteri, à qua ira nullus liberabitur, nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi. Firmissimè tene non solũ homines ratione vtentes, verũ etiã paruulos, q̃ siue in vteris maternis viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati sine sacramento baptismi quod datur in nomine patris & filij & spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos, quia etsi peccatũ propriæ actionis nullũ habent, originalis tamen peccati damnationẽ carnali conceptione ex natiuitate traxerunt.

Ibidem & hab.pri.q.pri.Firmißimè.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites extra ecclesiam baptizatos, si ad ecclesiam nõ redierint, baptismo cumulari perniciem. Tantũ enim valet ecclesiasticæ societatis cõmunio ad salutem, vt baptismo non saluetur, cùm ibi nõ datur, vbi oportet, vt detur.

August.ad Fortunatum, & hab.de Cons. dist.4.In neceßitate.

In necessitate cùm episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inueniuntur, & vt vrget periculum eius qui petit, ne sine illo sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.

Idem ibidem, cap.Sanctum.

Sanctum est baptismũ per seipsum, quod datum est in nomine patris & filij & spiritus sancti. Ita vt in eodem sacramento sit etiam autoritas traditionis per Dominum nostrũ Iesum Christum ad apostolos, per illos autem ad episcopos & alios sacerdotes, etiam laicos christianos ab eadem origine & stirpe venientes.

August.ibidem, cap.Cathecuminum.

Catechuminum quamuis in bonis operib. defunctum vitã habere non credimus, excepto duntaxat nisi martyrij cõpleat sacramentum.

August.ad Orosium libro secundo.& habe. ibidem cap.Quamuis.

Quamuis vnum baptisma sit & hæreticorum eorum, s. qui in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizant, & ecclesiæ catholicæ: Tamen

tamen qui foris Ecclesiam baptizantur, non su mũt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem eius abnegantes.

Augustinus in epist. ad Bonifacium & habetur ibidem cap. Non illud,

Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos fe runt, vt gratia spirituali ad vitam regenerétur æternam: sed hoc eos putant remedio temporalẽ retinere vel recipere sanitaté. Non enim propterea illi non regenerantur, qui non ab istis hac intentione offeruntur.

August. ibidem & hab. ibidem cap. Nulli.

Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemq; fidelem corporis sanguinisq; domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi corporis efficitur.

Idem libro de baptismo, & hab. de Conf. distin. quarta. Non dubito.

Non dubito catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere.

Idem in epist. ad Maximum, & hab. de Conse. distin. quarta Rebaptizare.

Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctæ trinitatis signa susceperit, quę Christiana tradidit disciplina, omninò peccatũ est. Rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est.

August. ad Valerium contra Iulianum, & hab. de Conf. distin. 4. Ex quo.

Ex quo instituta est circuncisio in populo Dei, quod erat tũc signaculũ fidei iustitię Dei, ad sanctificationẽ purgationis valebat paruulis originalis veterisq; peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis ex quo constitutus est.

Augu. contra Crescentium grammaticum, & hab. Con. dist. 4. Si inter.

Si inter bonos ministros, cùm sit alius alio melior, nõ est melior baptismus, qui per meliorẽ datur, quando idem baptismus datur, nullo modo natus est, qui etiam per malũ datur, quando idẽ baptismus datur. Et ideo per ministros dispares, Dei munus æquale est, quia non illorum, sed eius est.

Aug. de symbolo, & hab. de Conse. dist. quarta. Sicut nostis.

Sicut nostis fratres charissimi, paruuli exsufflantur & exorcizantur vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem vt possideret homines. Nó ergo creatura in infantibus exorcizatur aut exufflatur, sed ille sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur.

Augu. de pœnitentia, & habetur de Conse. distin. 4. cap. Omnis qui.

Omnis qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cũ accedit ad sacramentũm fideliũ, nisi eum pœniteat veteris vitę, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptizãtur soli paruuli, immunes sunt. Nondum enim vti possunt libero arbitrio.

Aug. in Enchiridio, & hab. de Conf. distin. 4. Paruulo.

Paruulo recenter nato vsq; ad decrepitum senem, sicut nullus prohibẽdus à baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo, sed paruuli tantum originali. Maiores autẽ omnibus etiam moriuntur peccatis, quæ malè viuendo addiderunt originali.

August. in Enchridion, & hab. de Conf. dist. 4. Non regenerabitur.

Non regenerabantur vel renascebãtur, qui baptizabantur baptismo Ioannis, sed quodam pręcursorio illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domino Christo, in quo solo renasci poterant qui parabantur. Huius enim baptisma est, non in aqua tantum (ut fuit Ioannis) uerum etiã in spiritu sancto, vt de illo regeneraretur, si quis in Christũ crediderit: de isto Christus regeneratur, qui regenerationem non cognouit in aqua baptizari voluit, non vt eius iniquitas dilueretur, sed humanitas commendaretur. Itaque baptisma in eo nihil habuit, quod ablueretur, sicut mors nihil inuenit quod puniret.

Idem lib. sent. prospe. & hab. ibidem Verus.

Verus baptismus constat non tam ablutione corporis, quàm fide cordis, sicut apostolica doctrina tradidit, dicens: Fide mundans corda eorum, & alibi: Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed etiam conscientiæ bonę interrogatio in Deum.

Augu. in serm. post pascha, qui incipit. Hodiernus dies, & hab. ibidem Vos ante.

Vos ante omnia tam mulieres, quàm viros, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, vt vos cognoscatis fide iussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideoq; semper eos admonete, vt castitatẽ custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolũ & orationem dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte ostendite.

Hieron. sup. epist. ad Phil. libro secundo, & ha. ibidem. Eodem modo.

Eodem modo in patre & filio & spiritu sancto baptizamur, & ter mergimur, vt trinitatis vnum appareat sacramentum.

Ambro. lib. de Sacramentis & habetur ibidem. Venisti.

Venisti ad fontẽ, ingressus es, considera quid videris, quid locutus sis, diligenter: repentè occurrit tibi Leuita: occurrit tibi Presbyter, vnctus es quasi athleta Dei, vt ad baptismum catechuminus accedas.

Idem libro de Sacramentis, & hab. de Conse. dist. 4. Per aquam.

Per aquam baptismi transitus est de terrenis ad cœlestia. Ideo pascha transitus dicitur, hic transitus est de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem Qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit.

Idem ibidem. Venit.

Venit sacerdos ad fontem, dicit precem, inuocat nomē patris & filij & spiritus sancti, vtitur verbis cœlestibus, cœlestia sunt verba quæ Christi sunt, pręsentia trinitatis adest, operatur sermo æternus, vbi descendit spiritus sanctus, primò quasi colūba descendit, vt increduli vocarentur ad fidem: In principio signum debuit esse: in posteriorib. pfectio, apostolis enim spiritus sanctus datus est in igneis linguis propter incredulos, nobis aūt iam in plenitudine ecclesię, nō per signa, sed p fidē veritas est colligēda

Idem ibidem. cap. Emersisti.

Emersisti, venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus (inquit) tibi pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & spiritu sancto, concessitq; peccatorum tuorū veniam, ipse te inūgat in vitam æternam, vide vbi inunctus es, in vitam æternam, inquit.

Idem ibidem. Accepisti post.

Accepisti post baptismum vestimenta candida, vt esset indicium quòd exueris voluptatem peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina.

Ambrosi. de initiandis rudibus & hab. pri. q. pri. Non sanat.

Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. Qui in diluuio aquarū ad Dominum non approximabunt, quia vt per apostolum dicit: Quicquid nō ex fide est, peccatū est, & ipsis qui faciunt & quibus faciunt non solùm non prodest, sed ad iudicium est.

Ambro. super epist. ad Romanos, & hab. de Con. dist. 4. Sine pœnitentia.

Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, quia gratia Dei in baptismate nō requirit gemitū, non requirit planctū, vel opus aliquod, sed solam fidem, & omnia gratis condonat.

Grego. Augustino angelorum episcopo, & hab. ibidem Baptizari.

Baptizari autem vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit, si periculo mortis vrgetur vel ipsa eadem hora qua gignit, vel eadē etiam qua natum est id quod gignitur, nullo modo prohibetur. Nedum adhuc tempus ad prębendum redemptionis mysterium quęritur, interueniente paululum mora inueniri non valeat, qui redimatur.

Greg. Leandro epi. & habe. de consecrat. dist. 4. De trina.

De trina immersione baptismatis nil respōderi verius potest, quā quod ipsi sensistis: quia in vna fide nil officit sanctę ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertio mergimus triduanæ sepulturæ sacramenta significamus. Et dū tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur.

Grego. in Moral. & hab. ibidem. Quod autem.

Quod autem apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maiorib⁹ virtus sacrificij, vel pro his, qui de Abrahę stirpe prodierunt mysteriū circuncisionis.

Idem in Moralibus.

Spiritus sanctus etiam ante baptisma gentilium corda perfudit, qui nunquam in Iudæorū mentibus, nisi post aquam baptismatis venit.

Grego. hom. 24. & hab. de Con. dist. 4. Sacerdotes

Sacerdotes cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & malignos habitare spiritus in eorū mentes cōtradicunt, quid aliud faciunt, nisi quod dęmonia eijciunt?

Ioan. Chrys. & hab. de Con. dist. 4. Non potest.

Non potest quis gratiā vitę cęlestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentię cōfessionem, per donū baptismi salutaris domini & saluatoris nostri Iesu Christi.

Isidorus Sentent. libro pri. & hab. de Conse. dist. 4. Qui in maternis.

Qui in maternis sunt vteris, ideo cum matre baptizari nō possunt, quia qui natus adhuc secundū Adā non est, secundum Christū regenerari nō potest. Neq; enim dici in eū regeneratio potest, quē generatio nō pręcesit. Qui scelerate viuunt in ecclesia, & cōmunicare nō desinunt, putantes se tali cōmunione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi.

Isidorus ibidem cap. Romanus.

Romanus pontifex non hominem iudicat, qui baptizat: sed spiritum Dei subministrare gratiā baptismi, licet paganus sit, qui baptizet.

Leo Papa. ad Nicetem, & hab. 1. q. 1. Hanc regulam

Hanc regulam conseruandam in omnibus ecclesijs prædicamus, vt lauacrum semel initū nulla iteratione violetur, dicente apostolo: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: cuius ablutio nulla reiteratione violanda est, sed sola spiritus sanctificatio inuocanda, vt quod ab hęreticis nemo accipit, catholicis sacerdotibus consequatur.

Leo Papa, & hab. de Con. dist. 4. Si qui.

Si qui necessitate mortis, ęgritudinis, obsidionis, persecutionis & naufragij vrgentur, omni tempore debent baptizari.

Leo ibidem cap. Hi de quibus.

Hi de quib. scripsisti, qui se baptizatos sciūt sed cuius fidei fuerunt, qui eos baptizarunt, se nescire profitentur, quolibet modo formā baptismatis acceperūt, rebaptizādi non sunt, sed per im-

per impositionem manus virtute spiritussancti, quam ab hereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

Leo Papa Leoni Rauēnat. epi. & hab. ibidem. Cùm itaq;.

Cū itaq; baptismi sui nihil recordetur qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit qui sciat se consecratum, nec ille qui consecratur. Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties iuxta hereticorum dogmata, cōtra sanctorū patrū instituta, cogitur aliquis lauacrum quod regenerandis semel tributū est, bis subire: Apostolica reclamante sentētia, quę nobis vnam prædicat in trinitate Deitatē, vnā in fide consensionem, vnum in baptismate sacramentum.

Leo Papa ibidem cap. Si nulla.

Si nulla extant indicia inter propinquos & familiares, nulla inter clericos aut vicinos quibus hi de quibus queritur baptizati fuisse doceantur, agendum est, vt renascantur, ne manifestè pereant: in quibus quod nō ostenditur gestum, nulla ratio sinit, vt iteratū videatur. Qui autem possunt meminisse, quod ad ecclesiā veniebāt cū parentibus possunt recordari, an qd' eorū parentibus dabatur acceperint: sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas interuenit presumptionis, vbi est diligentia pietatis.

Caßiodorus super Psal. quinto.

In baptismo sic omnia & originalia delicta, & per pœnam commissa mundantur vt illi nos restituat puritati, in qua Adam noscitur esse procraetus.

Beda sup. ill. Luc. Postquam cōsummati sunt dies octo.

Idem salutiferę curationis auxilium circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelāte gratiæ tēpore cōsueuit. Excepto, quod regni cœlestis ianuā necdum intrare poterat, donec aduenieś benedictionem daret, qui legem dedit, vt videri posset Deus Deorū in Syon. Tantū in sinu Abrahę, post mortem beata requie consolati, supernę pacis ingressum spe felici expectabant.

Dantes in paruo tracta. de Sacramentis.

Io dico chel baptismo chiascun fresa
Dela diuina gratia, & munda tutto
Dogni peccator, & dogni uirtu il presa
Quale sol daqua & di parole tutto
Et non si da a ne sunpiu duna uolta
Quantunque tor ni di peccato bruto.
Et sensa questo ogni possanza e tolta
Ad ciasca duo dandar ad uita æterna.
Ben che in se habia assai uirtu racolta. id est.

Dico baptismum unicuiq; notam facere
Diuinam gratiam & abluere omne
Delictum eius: & omni uirtute eum decorat
Qui sola aqua & uerbis constat,
Et nulli præterquam semel conceditur:
Licet recidat in delictorum turpitudinem
Et sine hoc omnis facultas aufertur
Vnicuiq; eundi in uitam æternam,
Quamuis multa uirtute sit auctus.

Beatitudo Græcè μακαριστός ȣ ὁ, & μακάριος ȣ ὁ & beatus, μακαρίζω beatifico dicitur. Et est status omnium bonorum aggregatione perfectus secundū Boetium lib. 5. de philosophica Consolati. Beatitudo est summum bonum & vltimus finis rationalis naturæ tantum, secundū bea. Thomam 4, sen, dist. 49. art. 2.

Beatitudo est bonum naturæ intellectualis apprehensum per intellectum, secundum eundem secunda parte q. 26. art. 1. & 2.

Beatitudo est vltima perfectio hominis, secundum eundem prima secundę q. 3. art. 2

Beatus vir dicitur omnib. virtutibus instructus, & ornatus secun. Ciceron. li. Tusc, quęst.

Beatus dicendus est, qui sit in bonis, nullo adiuncto malo. Beata autē vita virtute conficitur, secundum eundem.

Beatus propriè dicitur, qui rebus omnibus ad vitæ vsum ornatumq; spectantibus, abūdat: Dictus, vt quidam volunt, quasi bene auctus: Ideo locupletes viros aliquando beatos vocamus. Iuuenalis: Vetulæ vessica beatæ.

Beare est beatum facere, eiusq; oppositū est ebeare, quod est beatitudine priuare.

Bellum Gręcè πόλεμος ȣ ὁ, & πολεμικός ȣ ὁ bellicosus dicitur, & est propriè dissensio, per quam arma mouentur, hinc sociale bellum dicimus bellum Romanorum cum Ethruscis vel Samnitibus.

Bellum & prælium ita differunt, quod bellū est tum ipsa pugna, tum totum tempus, quo in militia sumus, quod illiterati guerram dicunt. Prelium verò est ipsum tantummodo armorū certamen. Nam pugna & certamen etiam citra arma fit interdum etiam nudis verbis.

1. Regum 2.

Varius euentus est belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius.

1. Machabæorum 3.

Non enim in multitudine exercitus victoria, sed de cœlo fortitudo est.

Prouerbiorum 3.

Cogitationes consilijs roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.

Lucæ tertio.

Neminem cōcutiatis neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.

Augustinus epist. 5. sup. illud Lucæ tertio.

Neminem concutiatis, neq; calumniam facia tis, & cōtenti estote stipendijs vestris. Quibus stipendium proprium sufficere debere præcepit, militare vtiq; non prohibuit.

Augustinus in sermone de puero Centurionis, & habetur 23. quæst. 1. Paratus. §. Nam si.

Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius consilium salutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, seq; militiæ omninò subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concutiatis, estote contenti stipendijs vestris.

August. ad Bonifacium, & habetur 23. quæst. 1. Noli.

Noli existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat sanctus ille Centurio, qui Domino dixit: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

Augu. contra Manichæos, & habetur ibi. Quid culpatur.

Quid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoq; morituri, vt dominentur in pace victuri; Hoc reprehendisse timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur.

Idem de uerbis Domini tractatu 19. & habetur 23. quæst. 1. Militare.

Militare non est delictum: sed propter prædam militare, peccatum est: nec Rempu. gerere criminosum est: sed ideo agere Rempub. vt diuitias augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim quadam prouidentia militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur.

Idem de diuersis ecclesiæ obseruationibus, & habetur ibidem. Apud.

Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coërceantur, & boni subleuentur.

Idem contra quinq; hæreses in principio.

Donabit certanti victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non ergo nos hostium turba, nō bellantium forma, non quasi fulgens vitrea terreat armatura. Goliam magnum, robustum, armis terribilem, ingentiq; turba munitum, Dauid solus paruus atque inermis vno lapidis ictu prostrauit, totaq; Allophylorum castra turbauit, atq; fugauit.

Augustinus de uerbis Apostoli.

O homo ideo non vicisti, quia de tuo pręsumpsisti. Qui præsumit de viribus suis antequam pugnet, ipse prosternitur.

Hieronymus in epistola ad Theodorum monachum.

De cubiculo ad aciem, de vmbra egrediēs, ad solem, corpus assuetum tunica loricæ onus non sustinet. Caput opertum linteo galeam recusat. Mollem otio manum durus exasperat capulus. Fortior autem miles ex confragoso venit.

Ambro. de offic. lib. 1. & habetur 23. quæ. 3. Fortitudo.

Fortitudo, quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus, socios, plena iustitia est.

Ibidem.

Incassum contra exteriores bellum geritur in cāpo, si intra ipsa vrbis mœnia ciuis insidians habetur.

Ibidem.

Vtilior est in cōflictu lorica ferrea, quàm stola linea, licèt oneri illa sit. In minimis probate conflictibus, vt quàm viriliter in maiore certamine stare possitis.

Ambrosius, & habetur 23. quæ. 8. Non pila.

Non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites.

Idem, & habetur ibidem capitulo, Si in morte.

Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorū gens, nec regem, nec ducem haberet. Sed qui Deum timeo, in mortē cuiuslibet hominis me miscere formido.

Isidorus Ety. libro 20. & habetur 23. quæst. 2. Iustum est.

Iustum est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hominum causa.

Isidorus Soliloquiorum libro 2.

Improuisus hostis fortiter opprimitur.

Bernardus de noua militia.

Si bona fuerit causa pugnantis, pugnę exitus malus esse non potest: sicut nec bonus iudicabitur finis, si causa non bona & intentio non recta præcesit.

Caßiodorus libro 1. epistola 16.

Mens deuota prælijs non debet alijs occupationibus occupari.

Ibidem.

Res præliorum bene disponitur, cùm in pace tractatur. Munitio tunc efficitur præualida, si diuturna fuerit cogitatione roborata.

Caßiodorus lib. 1. epistola 39.

Discat miles otio, qd ꝓficere possit in bello.

Ibidem.

Ars bellandi, si non præluditur, cùm fuerit necessaria, non habetur.

Ibidem.

Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione disponunt.

Caßiodorus libro 3. epistola 1.

Tunc solum vtile est ad arma cōcurrere, cùm locum apud aduersarium iustitia non poteit inuenire.

Caßiodorus libro 5. epistola 3.

Iustitiam minus diligūt, qui frequenter pręlia tractauerunt.

Vegetius de re militari libro 1. cap. 2.

Scientia rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam.

Ibidem

Ibidem cap.3.

Non parum prodest in dimicationibus, vti consilijs.

Ibidem.

Nunquam credo potuisse dubitari aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio & in labore nutritur, solis patiens, vmbræ negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossas ducere, onus ferre, consuetudo diruere est. Et solem puluerémq; ferre non timeat.

Ibidem cap.6.

Sit ergo adolescens Martis operi deputãdus, vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachijs, vẽtre modicus, exilior cruribus. suris & pedibus non superflua carne distentis, sed neruorum duritia collectus. Cùm hæc in tyrone signa deprehenderis, proceritatẽ non magnopere desideres. Vtilius est enim fortes milites esse, quàm grandes.

Ibidem cap.26.

Nihil magis prodesse cõstat in pugna, quàm vt assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines seruent.

Vegetius de re militari libro 2.cap.22.

In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent pręstare victoriam. Non enim longitudo ætatis aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed potius exercitatio. Nam in pugna solet vsus amplius prodesse, quàm vires.

Idem.

Pleriq; rei militaris ignari pleniorem victoriam credunt, si aduersarios, aut locorum angustijs, aut armatorum multitudine circundederint, vt aditum non inueniant recedendi. Sed contrà clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit cõmori, qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideoq; Scipionis laudata sententia est, qui dixit: Viam hostibus, qua fugerent, inueniendam.

Ibidem.

Magna dispositio est hostem fame magis vrgere, quàm ferro.

Ibidem libro 3.cap.5.

Qui desiderat pacem, præparat bellum: qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter: qui secundos optat euentus, dimicet arte non casu. Nemo prouocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse si pugnet.

Ibidem cap.3.

Diuitiarum non est secura possessio, nisi armorum defensione seruetur.

Idem cap.9.

Boni duces non aperto pręlio, in quo est commune periculum, sex ex occulto semper attentant, vt integris suis, quantum possint, hostes interimant, certè vel terreant.

Ibidem libro 3.cap.10.

Inter hostes discordiarum procurare causas sapientis est ducis.

Ibidem.

Qui rarò, aut omnino nunquam viderũt homines vulnerari vel occidi, cùm primùm aspexerint, perhorrescunt, & pauore confusi de fuga magis, quàm de conflictu incipiunt cogitare.

Ibidem cap.14.

Ordinaturus aciem tria debet antè prospicere, solem, puluerem, ventum. Nam sol ante faciem eripit visum. Ventus contrarius tua flectit ac deprimit, hostium adiuuat tela. Puluis fronte congestus oculos implet & claudit: hæc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare solent.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Omnis in ferro est salus.

Ibidem.

Arma non seruant domum, nec temperari facilè, nec reprimi potest stricti ensis ira, bella delectat cruor.

Ibidem.

Quæritur belli exitus, non causa.

Idem in Tantalo, Tragœdia 2.

Peior est bello, timor ipse belli.

Idem Tragœdia 3.

Licèt omne tecum, regia, robur trahas,
Licèt arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli semper ancipiti in loco est,
Quodcunq; Mars decernit exæquat duos
Licèt impares sint, gladius & spes, & metus,
Sors cæca uersat.—

Idem Tragœdia 4.

Inuenit artes bellicus Mauors nouas, & mille formas mortis.

Idem Tragœdia 6.

Felix quisquis bello moriens, omnia secum consumpta uidet.

Ibidem.

Quodcunq; libet facere uictori, licet.

Ibidem.

Victor feroces impetus primus habet.

Ibidem.

Profuit multis capi.

Aristoteles Ethicorum 10.

Bellamus vt pacem ducamus.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Eas optimas victorias, quę sine sanguine fiũt, dicebat Pyttacus.

Plutarchus in Apophtegmatib.

Theopompus cùm quadam in vrbe murum sibi quidam ostenderet, & an sibi pulcher altusque videretur, interrogaret: Minimè, si muliebrum est, inquit.

Ibidem.

Chabrias dicere consueuit formidabilius esse ceruorum agmẽ ductu leonis, quàm leonum ceruo duce.

Plato de educatione liberorum.

ὁ τέτ]αλος (inquit) ἐρωτηθείς, τίνες εἰσὶν οἱ ἱπιώτατες τετ]αλῶν ἔφη, οἱ παιδεύομενοι πολεμεῖν.

Hoc in alijs non citatur.

Cicero libro Officiorum.

In Republica maximè conseruanda sunt iura belli. Nam cùm sint duo genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim. Cumq; illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore.

Ibidem.

Suscipienda quidem bella sunt ob hanc causam, vt sine iniuria in pace viuatur. Parta autem victoria conseruandi sunt hi, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt.

Ibidem.

Nullum bellum est iustum, nisi aut pro reb. petitis geratur, aut antè denunciatum sit & indictum.

Ibidem.

Bellum autem ita suscipiatur, vt nihil aliud, quàm pax quæsita videatur.

Ibidem.

Sed cùm tempus necessitasq; postulat, decertandum est manu. Et mors seruituti, turpitudiniq; anteponenda.

Ibidem.

In euertendis autem vrbibus diripiendisq;, valde illud considerandum est, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat.

Cicero Rhetoricorum ueter. lib. 1.

Nihil est crudelius, quàm vrbes diruere.

Idem Rhetoricorum lib. 4.

Armis Italia non potest vinci, nec Græcia disciplinis.

Cicero in Philippicis.

Concedo incertos exitus esse belli, Martemque communem.

Cicero in oratione, de laudibus Magni Pompei.

Ego enim existimo in summo Imperatore quatuor has res esse oportere, scilicet scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem & felicitatem.

Cæsar libro 6. de bello Gallico.

Imperatori res aduersæ minuunt authoritatem.

Salustius in Catilinario.

In prælio qui maximè timent, maximum periculum est.

Ibidem.

Neq; malum, neq; molestia victores habent.

Ibidem.

Imperij & diuitiarum causa bella fiunt.

Ibidem.

Audacia pro muro habetur, necessitudo etiam timidos fortes facit.

Ibidem.

Diu magnum inter mortales certamen fuit, vi ne corporis, an virtute animi res magis militaris procederet.

Salustius in Iugurtha.

In prælio quantò sibi quisq; minus parcit, tantò magis tutus.

Ibidem.

Omne bellum sumitur facilè, cęterùm ęgerrimè desinit. Non eius potestate, initium eius & finis est.

Macrobius libro 1. Saturnalium.

Vinculo quodam patientiæ obligandi sunt impetus belli.

Macrobius Saturnalium lib. 2.

Nihil magis magno duci cõuenit, quàm pro omnibus cogitare.

T. Liuius libro 4. ab urbe condita.

Bellorum necessitates non expectant humana consilia.

Ibidem.

Bella, perseuerãtia, non impetu sunt gerenda.

Plutarchus in Apophtheg. Laco. de Agesilao.

Θεωρήσανος δὲ τινος λάκωνα χωλὸν ἐπὶ πολεμὸν ἐξίοντα, καὶ ἵππον ζητοῦντος. οὐκ αἰθάνῃ ἔφη ὅτι οὐ φευγόντων, ἀλλὰ μενόντων ὁ πόλεμος χρεῖαν ἔχει.

Non in alijs exemplaribus.

Liuius libro 5. deca. 3.

In bello nihil tam leue est, quod non magnæ interdum rei momentum faciat.

Idem libro 6. deca. 3.

Vetus atq; usitata res est, in oppugnanda hostium vrbe, labores ac pericula pati.

Idem libro 4. deca. 4.

Bellum seipsum alit.

Ibidem.

Sæpe vana pro veris maximè in bellis valẽt.

Idem libro 10. deca. 3.

Mars belli communis. Et nusquam minus, quàm in bello euentus respondet.

Cornelius Tacitus libro 1.

Vbi bellum ingruit, innocentes & noxij iuxtà cadunt.

Idem libro 13.

Plura in summa fortuna auspicijs, & consilijs quàm telis & munibus geruntur.

Polybius libro 3.

Errat, si quis putat aliquod magis proprium optimi ducis officium esse, quàm consilia & naturam hominis intelligere.

Quintus Curtius de gestis Alexandri libro 8.

Rationem belli necessitas mutat.

Idem libro 10.

Illud scire debetis, militarem sine duce turbam, corpus esse sine spiritu.

Iulius

Iulius Celsus de gestis Cæsaris libro 4.

Expectare verò dum hostium copiæ augentur, summa dementia est.

Ibidem libro 6.

Multum, tum in cæteris rebus, tum in re militari potest fortuna.

Ibidem libro 7.

Errant, qui in bello omnes secundos rerum euentus expectant.

Ibidem.

Non minus in milite modestia, quàm virtus atq; animi magnitudo desideranda est.

Idem libro 8.

Nocturna bella sunt vitanda.

Idem libro 9.

Otium cõsilijs militũ maximè contrariũ est.

Homerus in α. Iliados.

ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος. id est:

Insociabilis, scelestus, priuatus homo est ille,
Qui bellum amat in populo mortiferum.

Homerus in π. Iliados.

ἐν γὰρ χέρσι τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.

In manibus enim finis belli, uerborum autem in consilio.

Ibidem in σ. Iliados.

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.

Communis Mars est, & interfectorem interficit.

Virgilius 2. Aeneidos.

Pulchrumq; mori succurrit in armis.

Ibidem.

Dolus an uirtus quis in hoste requirat?

Ibidem.

—Vocat lux ultima uictos.

Idem Aeneidos libro 12.

Respice res belli uarias.—

Terentius.

Omnia prius experiri, quàm armis sapientem decet.

Ouidius Metamorphoseôn libro 5. fabula 4.

Turpe quidem contendere erat, sed cedere uisum
Turpius.—

Idem libro 9. fabula 1.

—Quis enim sua prælia uictus
Commemorare uelit?

Ibidem.

—Melior mihi dextera lingua
Dum modò pugnando superem, tu uince loquendo.

Idem libro 12. fabula 5.

—Quis enim laudauerit hostem?

Idem libro 13.

Tutius est igitur fictis contendere uerbis,
Quàm pugnare manu.—

Ouidius epistola Paridis ad Helenam.

Certamen præmia magna mouent.

Tibullus libro 1. elegia 10.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & uerè ferreus ille fuit.

Lucanus libro 2. Pharsaliæ.

Summum Brute nefas ciuilia bella fatemur.

Ibidem.

Nulla fides pietasq; uiris, qui castra sequuntur.

Lucanus libro 4. Pharsaliæ.

Heu miseri qui bella gerunt.—

Iuuenalis satyra ultima.

Solis præterea testandi militibus ius,
Viuo patre datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater.

BELLI CAVSAE QVAE SINT.

Virgilius libro 1. Georgicorum.

Quippe ubi fas uersum atq; nefas tot bella per orbẽ, AMANTIVS.
Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, squalent abductis arua colonis,
Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum,
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: sæuit toto Mars impius orbe:
Vt cùm carceribus sese effudêre quadrigæ:
Addunt se in spacia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Lucanus lib. 1. de bello Pharsalico.

Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam
In turbam mißi feralia fœdera regni.

Idem libro 3.

Vsq; adeò solus ferrum, mortemq; timere
Auri nescit amor, pereunt discrimine nullo
Amissæ leges, sed pars uilißima rerum
Certamen mouistis opes.

Ciuilis belli detestatio, ex Horatio in libro Epodon.

Quò quò scelesti ruitis, aut cur dextris
Aptantur enses conditi.
Parúmne campis atq; Neptuno super
Fusum est latini sanguinis?
Neq; hic lupis mos, neq; fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar feris.
Furor ne cæcus, an rapit uis acrior,
An culpa? Responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesq; repulsæ stupent.

Ex 10. Elegia libro 1. Tibulli.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses,
Quàm ferus & uerè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata:
Tunc breuiter diræ mortis aperta uia est.
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus in sæuas, quod dedit ille, feras.
Diuitis hoc uitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus astabat cum cyphus ante dapes.
Non arces, non uallus erat, somnumq; petebat
Securus uarias dux gregis inter oues.
Quis furor est, atram bellis accersere mortem?
Imminet, & tacito clàm uenit illa pede.

Dubius

DVBIVS BELLI EVENTVS.

Virgilius libro 10 Aeneidos.

Hic magnus sedet Aeneas, secumq; uolutat
Euentus belli uarios.

Ex Fab. 1. lib. 8. metamorpho. De Scylla.

Sexta resurgebant orientis cornua lunæ,
Et pendebat adhuc belli fortuna, diuq;
Inter utrunq; uolat dubijs uictoria pennis.

Seneca in Tragœdia, quæ Thebais dicitur.

Dubius euentus belli.

Nunc belli mala,
Propone dubias Martis incerti uices,
Licèt omne tecum regia robur trahas,
Licèt arma longè miles, ac latè explicet.
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Sillius libro 3. de bello Italico.

Pax, & bellum.

Et pace & bello cunctis stat terminus æui,
Extremumq; diem, primus tulit ire per ora.
Nomen in æternum paucis mens ignea donat,
Quos pater æthereis cælestûm destinat oris.

Ex 11. Aeneidos libro.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Faustus Andrelinus in Distichis.

Persurit, & totum miscet Mars impius orbem,
Heu diro inuenta est ab Ioue tanta lues.

INCLEMENTIA BELLICA.

Idem.

Nulla est ardenti miserans clementia bello,
Impetuosa pium dextera nescit opus.

Erasmus lib. 2. Apophtegmatum Laconicorum.

Quidam in acie cùm strictum iam ensem in hostem esset infixurus, quem, dum interim signum datum est, receptui canens, non infixit. Roganti verò cuidam: cur hostem, quem in potestate habebat, non occidisset. Quoniam, inquit, melius est parêre Imperatori, quàm occidere. Exemplum disciplinæ militaris, à qua, immane, quantum recesserunt, qui sub belli titulo mera exercent latrocinia. Olim non licebat ferire hostem, nisi tuba dedisset signum, eadem simul atq; cecinerat receptui, homicidij crimē erat, hostem interemisse.

Exemplum militaris disciplinæ veteris.

Euripides ἐν τημενίδων.

φιλεῖ τοὶ πόλεμος, οὐ πάντ' εὐτυχεῖν,
ἐσθλῶν δὲ χαίρει πτώμασιν νεανίσκων.
Κακοὺς δὲ μισεῖ. τῇ πόλει μὲν ἡ νόσος
τοδ' ἐστι, τοῖς δὲ κατθανοῦσιν εὐκλεές. id est:

Solet fere bellum non per omnia feliciter succedere.
Sed fortium gaudet casu iuuenum.
Odit autem timidos, quod ciuitati quidem calamitosum existit, at ipsis defunctis gloriosum.

Aratus in Phœnomenis.

Χαλκείη γενεὴ πρότερον ὀλοώτερον ἄνδρες
οἳ πρῶτοι χαλκοεργόν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν. id est:

Aeneum olim seculum uiros habuit perniciosos,
Aeneum qui primi fabricauêre gladium.

Pindarus in Hyporchematis.

Γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν· ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. Id est:

Dulce bellum inexpertis: expertus verò accedens, & animo vehementer horret.

Bellum ab inferis immittitur.

Veteres Poëtę, qui rerum vim ac naturam sagacissimè perspexerunt, & aptissimis figmentis adaptarunt adumbraruntq;, tradidêre bellū ab inferis immitti, idque furiarum ministerio, neque quamlibet furiam, ad hoc negocij conficiendum, esse idoneam. Deligitur omnium pestilentissima, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hæc innumeris armata colubris. Tartarea buccina præcinit. Pan insano tumultu complet vniuersa. Bellona furiosum quatit flagellum. Furor impius ruptis omnium vinculorum nodis, euolat horridus ore cruento. Grammatici bellum κατ' ἀντίφρασιν dictum volunt, quod nihil habeat neq; bonum, neq; bellum: nec alia ratione bellum esse bellum, quàm furiæ sunt Eumenides. Alij à belua deductum, quod beluarum sit, non hominū, in mutuum exitium congredi.

Erasmus Roterodamus in prouerbio: Dulce bellum inexpertis. Chiliad. quartæ, Centur. 1.

Thucydides lib. 1. in concione Atheniensium.

Τοῦ πολέμου τὸ παράλογον ὅσον ἐστὶ πρὶν ἐν ἀναγένεσθαι διάγνωτε: μηκυνόμενος γὰρ φιλεῖ εἰς τύχας τὰ πολλὰ περιίστασθαι. id est:

Quàm temerarij & repentini sint belli casus, priusquàm ingrediamini, considerate. Solet enim eius mora diuturnior in diuersam plerunque fortunam abire.

Idem in lib. 1. in concione Corinthiorum tertia.

ἀλλὰ τέ ὅσα οὐκ ἄν τις νῦν προΐδοι. ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δ' ἐφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον: ἐν ᾧ ὁ μὲν εὐοργήτως αὐτῷ προσομιλήσας βεβαιότερος, ὁ δὲ ὀργισθεὶς ἐπὶ αὐτὸν οὐκ ἐλάσσω πταίει. id est:

Et alia quæ nunc prospicere non licet: bellū enim minimè certum, aut præscriptum aliquid habet, sed ipsum per se multū machinatur pro re nata: vbi qui id leuiter & facilè fert, tutior est, iracundus autem nihilominus peccat.

Antisthenes.

εἰπόντος τινος. ὁ πόλεμος ἀπόλλυσι τοὺς πένητας: πολλοὺς μὲν οὖν ποιήσει ἔφη. Id est:

Cùm quidam dixisset, pauperes interire in bello: immò plures tum fiunt, dixit.

Demosthenes.

πόλεμος ἔνδοξος εἰρήνης αἰσχρᾶς αἱρετώτερος. id est

Bellum honestum turpi paci praeferendū est.

ἀρχίδαμος ὁ ἀγεσιλάου, ἰδὼν βελτότεος πρῶτον ἐκ σικελίας κομισθὲν ἀνεβόησεν, ὦ ἡράκλεις ἀπόλωλε ἀνδρὸς ἀρετή. Id est:

Archidamus Agesilai filius, cùm vidisset genus telitum primùm ex Sicilia allatum, exclamauit:

mauit: O Hercules, interijt viri virtus.

Xenophon in lib. 3. de Cyri Pedia.

ἐπίστασθε γὰρ δὴ τὸ οὔτε πλῆθός ἐστιν οὔτε ἰσχὺς ἡ ἐν τῷ πολέμῳ τὰς νίκας ποιοῦσα, ἀλλ᾽ ὁπότεροι ἂν σὺν τοῖς θεοῖς ταῖς ψυχαῖς ἐρρωμενέστεροι ἴωσιν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, τούτους ὡς ἐπιπολὺ οἱ ἐναντίοι οὐ δέχονται.

Id est:

Scitis victoriam in bello, neque multitudine, neq; fortitudine parari, sed vtri Deorum auxilio freti, fortioribus animis hostes inuaserint, vt plurimum ab aduersarijs non sustinentur.

Erasmus Roterodamus in Chiliadibus.

Bellum nihil aliud est, quàm multorum commune homicidium & latrocinium: hoc sceleratius, quò latius patet. Sed ridentur hæc ceu deliraméta scholasticorum à crassis proceribus nostri temporis, qui cùm præter figuram nihil habeant hominis, tamen ipsi sibi planè Dij videntur, & tamen ab ijs initijs, huc videmus esse peruentum insaniæ, vt tota vita nihil aliud agatur.

Thucydides libro 1. in concione Corinthiorum tertia.

ἀνδρῶν γὰρ σωφρόνων μὲν ἐστὶν εἰ μὴ ἀδικοῖντο ἡσυχάζειν, ἀγαθῶν δὲ ἀδικουμένους, &c.

Id est:

Virorum enim prudentium est, si non lacessantur iniuria, quiescere: bonorum autem, si iniuria afficiuntur, pacem bello mutare: ac si bene cesserit, iterum pro bello pacem inire, & neque belli successu efferri, neque pacis tranquillitate captos iniuriam pati eos decet. Nam tum ille qui voluptatis causa cunctatur, ilico priuari potest oblectatione tranquillitatis, cuius gratia segnis est, si quieuerit: tũ qui in bello prosperitate abundat, non cogitat se incerta temeritate efferri. Multa enim malè consultata, eò quòd hostes inconsultiores fuerint, feliciter euenerunt: & plura, quæ rectè instituta videbantur, turpiter in contrarium euentum relapsa sunt. Nullus enim eadem factis præstat, quæ inter deliberandum sibi promittit: Nam consultamus securi, in opere autem cum timore deficimus.

Erasmus in Chiliadibus 4. Centuria 1.

Dulce bellum inexpertis.

Belligeramur assiduè, gens cum gente collidítur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, &, quod Ethnici quoque fatentur impium, affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cũ fratre, filius cum patre: denique, quod ego sanè puto his omnib. atrocius, Christianus cum Christiano. Et ô cæcitatem mentis humanæ, hæc nemo miratur, nemo detestatur: sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plusquam tartaream, sanctam appellant, ac principes vltrò instigent, oleum (quod aiunt) camino addentes.

Lodouicus Viues in epistola ad Henricum octauum Angliæ regem.

Iocus & ludus sunt, in militia domos diripere, fana spoliare, virgines rapere, solidas vrbes atque oppida incendere: Magna propterea dementia, corrumpere, quod retinere non valeas.

Hæc sunt belli decora: profuisse nemini, nocuisse quàm plurimis, nullo respectu aut recordatione præsidentis mundo Dei, ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, vt Dei iustitiam non videant, & admonere indignè ferant. Qui dicunt Deo, recedere à nobis scientiam viarum tuarum nolumus, at qua insolentia, & ore quàm importuno diuinas leges negligunt, humanas aspernantur?

Vt hoc demum videatur esse, verè ac germanè militari: nihil arbitrari æqui ac boni, propter se esse sancitum, nullo se iuri esse subditum, se in vagina leges omnes cum ferro gestare, quicquid consceleratо animo collibuerit, id solum esse ius atq; æquum.

Principes, etsi alia omnia in bellũ inuitarent, illud vnicum deberet retrahere, ne ipsa res esset cum militibus, hominum generi iniquissimo. Neq; verò tales sunt solùm in alienum principem, sed etiam in suum: cuius dignitatem, opes, præsidia, in se solis collocata esse putant, & posse quocunq; velint secum transferre. Quæ porrò in pace, ne cogitant quidem, quum populus adest, proceres quiescunt, propinquæ nationes & reges pacati sunt, ipsi milites ad togam & paganum cultum redacti, necessarijs ad vitam opibus destinantur, magisque illis ad meliorem mentem vacat.

Quod si pestis hæc celsitudinem quoq; principatus pertingit & infestat, reputare conuenit, multo acerbius humiliora premi ac diuexari. Quippe populus non tantum premitur ab ijs, qui militiæ sacramento sunt rogati, sed ab ijs etiam omnibus, qui se illis adiungunt, vel adiunctos sumant, vt per militarem licentiam impunè possint malefacere, intentis ijs, penes quos summa est potestas, in cogitationem bellorum, nec in eos audent animaduertere, qui se quoquo modo milites profitentur, ne seditionem in commodissimo tempore moueant. Postremò multitudo grauata indictionibus & tributis, exclusis per bellum, terra, & mari commercijs, in summa egestate ac miseria vitam trahit, tam exhausta & perdita, vt quiete ac pace deinceps reddita, vires tamẽ longo etiam tempore recipere non valeat.

Permulti cessante artis quæstu, aut inualidi mendicant, aut latrocinantur validi: præsertim ingenti licẽtia atq; impunitate scelerum, quam belli tẽpore, necesse est contingere, quum quisque ita sanctissimus ac honestissimus habetur, vt animus est ei promptissimus facinoribus ac flagitijs patrãdis, tanquam in eiusmodi dextris posita sit regni salus, quæ maximè malam perniciem regni afferunt. Ergo boni præsentẽ rerum

ſtatum mœſti oderunt: mali ſceleribus adſueſcunt, ac perinde impunitatem diligunt, iura illis, leges, iudices, inuiſa ſunt, & his ipſi infeſti.

Quam regni faciem neceſſe eſt tum eſſe? Terrentur indubiè principes, ſi eam velut in tabella depictam cernerent. At verò quantum principis cauſa bello turbata ſunt omnia, tantum in pace ea, quæ nobis chariſsima eſſe par eſt, illi ſunt accepta referenda. Animus diſciplinis excolitur, religione in Deum ſe attollit, actibus ac negociatione corpori miniſtratur virtus, iuſtitia, publica quies per ciuitatem paratur, in quæ certè cuique fortunæ grati liberi, coniunx, domus, res familiares, quę in bello & incerta, & plerunq; etiam grauia ſunt. Plura vide loco commemorato apud Viuem. Item in epiſt. ad Henricum 6. ſummum Pont.

Plato libro 1. de Legibus.

Quam enim hominum pleriq; pacem vocãt, nihil aliud præter nomen exiſtere, reipſa verò omnibus ciuitatibus aduerſus omnes bellum irreconciliabile perpetuò natura inſitum eſſe. Et ferè ſi animaduerteris, ita affectum fuiſſe Cretenſium Legiſlatorem deprehendes: vt bellum reſpiciens, leges omnes tum publicas, tum priuatas condiderit, & hoc modo inſtitutas tradiderit obſeruandas, quaſi aliarum rerum nulla planè foret vtilitas, neque opum, neque ſtudiorum, niſi quis bello ſuperior euaderet. Omnia enim bona illorum, qui victi ſunt, victoribus accederet.

Franciſcus Petrarcha de aduerſa fortuna, Dialogo 48. De titulis bellorum, militiæ, & ducatus.

Militantium multa ſunt genera: militia vna eſt, vita hominis ſuper terram, quam qui militiam definit, ille mihi demum verò & acri iudicio rem librauit, modò militiæ prælium addidiſſet.

Gaudeo, armatæ militię ſum aſcriptus. Ratio. Quid armaris exterius? intus in anima bellũ eſt, illam vitia obſident atque oppugnãt. Quis hîc ferro locus, niſi illud ad ornatum corporis, non ad animæ tutelam induitur? Sunt enim qui dicant, nihil pulchrius viro armato.

Ego, quid pectus, & quid caput ferreum, pulchrius habeat, quàm pacificum & inerme, non video. Quando autem hæc voluptas tibi eſt, agè ferro membra conſtringito, imbrem ſolemque galea excipiens, ferreo indutus clypeo operire, humi dormiens claſsico excitabere, adeptus tibi magnum aliquid videbare, ſed errabas. Anceps & cruentum officium elegiſti. Multæ ſunt autem fraudes ſpei, multæ ſunt, fateor, catenæ, quæ animos boni illius, quòd omnia appetunt inconſultè, auidos in exitium trahunt. Neq; inficior, quoſdam militia ad ampliſsimas opes, ſiue etiam ad ſummum imperium perueniſſe. crede autem mihi, plures ad inopiam, ad carcerem, ad ſeruitutem, ad violentiam, ſubitamq; mortem, eodem tramite peruenerunt. Ex quo militiam profiteri animus fuit, niſi dehoneſtare artificium tuum vis, ſemper animam in numerato habeas oportet, ſemperq; ad res tuas Cæſarea vox illa circum tonet: diſce ferire, diſce mori: ſyllaba vna breuis, aut longior tua facta variabit, vel occides: ad vtrumlibet horis, locisq; omnibus te paratum exhibe. Hæ artes deliciæ tuæ erunt. Sine verò Satyricum loqui, præmia militiæ numerantem. Innumerabilia equidem præfatus, vix paucisſima colligit. In quibus prima & ſumma licentia eſt, peccandi præmium: herclè non tam iuſtis viris optabile, quam armatis legibus (vt aiunt) inter arma ſilentibus.

Gaudeo: belli dux victorijs clarus ſum. R. Quantò melius pacis dux virtutibus clarus eſſes. G. Multa bella confeci. R. Quietem tibi, atq; alijs abſtuliſti, clarum opus. G. Victorijs atque triumphis notus ſum. R. Sæpe malum bono notius, & atra tẽpeſtas ſerenitate famoſior. Deniq; paraſti buſto titulos, vulgo fabulam, tibi nihil.

Idem dialogo 97. de exercitu armato.

G. Exercitum armatum habeo. R. Mirabar, niſi regnum atq; imperium exercitus, hoc eſt miſeria, miſeriam ſequeretur. Atq; Seneca Scipionem Africanum cęlo tenus attollit: non quia magnos duxit exercitus, quos & furioſi nocenteſque duxerũt, ſed ob egregiam moderationem, quam nunquam certè dat exercitus, ſępe eripit, ſæpe minuit. Quæ enim tam ſolida virtus eſt, quàm tot ſceleratorum, totq; carnificum cruentorum cõuerſatio, exemplumq; non deterreat? G. Fortiſsimum habeo exercitum. R. Habes belli materiam, pacis excidium. Si huic gaudes, ad cæleſtem certè non pertines ciuitatẽ. G. Habeo exercitum ingentem. R. Habes vtrunq; ad latus hoſtes armatos, quos nec murus à te ſeparat, nec vallum: anceps profectò negotium & graue. G. Mihi multæ ſunt, & validæ legiones. R. Harum tædia nemo facilè atq; moleſtias inſolentiasq; dinumeret: ſed tu omnia experiundo condiſces, & quantò ſi ſatius ſolum viuere, quàm cum multis legionibus. Profectò nullæ iniuriæ, nulla perfidia, nulla crudelitas, caſtrenſium moribus conferendæ vel comparandæ ſunt: intelliges per teipſum, quàm ſit verus verſiculus ille, pueris quoq; paſsim notiſsimus:

Nulla fides, pietasq; uiris, qui caſtra ſequuntur.

Gaudeo. Magni dominus ac rector exercitus ſum. R. Tutius paſtor Tygridum forſitan, ac vrſorum eſſes. Poſſunt manſuefieri corda ferarũ, at quorundã hominum non poſſunt, & minantur antequam feriant: ferè odia hominum improuiſò erumpunt. Hi quos tuos reris, qui te dominum vocant, heu quàm paruo precio venale genus, & inſtabile, quàm leuibus ex cauſis mutabuntur, & ex militib. hoſtes fiunt. Blandi vultus in horrorem, datæq; tibi dextræ, tuam forſitan

tan in perniciem conuertentur, neq; si fiat, nouum erit, aut insolitum. Ad Placentiã aduersus Iuliũ Cæsarem suus exercitus insurrexit. Alexander Romanus à suis militibus interfectus est. Postmodũ Maximi pater, & filius: sic Galbinus & Maximus: sic Probus dux clarissimus: sic Gratianus & Valentinianus iunior, optimi fratres: ille à suis legionibus, hic à suo comite proditus. Sic innumerabiles à suis hostibus inuicti, suis exercitibus periēre, & quos milites appellabãt, inuenēre carnifices. Vide ergo quo gaudeas: tuus hic exercitus, trux, immitis, vtq; ait ille, belua multorum est capitũ nihil nõ ausura, ira illam vel inopia, vel auaritia irritante. G. Mihi exercitus ingens est. R. Pompeio quidem Thessalico prælio, vt ait Florus, nihil magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo: & fermè in omnibus bellis, maior semper exercitus succubuit: minor vicit.

Idem 99. de machinis bellicis.

Gaudeo: Balistis affluo. R. Melius bellì odio, & studio pacis afflueres: cùm cætera quidem arma inquieti, & degeneris animi signa sunt: nec pacificis quidẽ grata, & bellatorib. inuisa magnanimis: Deniq sic habeto, qui balistã primus inuenit, ille aut pauidus fuit, aut ꝓditor, & nocẽdi auidus, & metuens hostes. Itaq; cogitauit, quod Lucanus ait, longè tenere neruos, & quò ferre velint cõmittere vulnera vẽtis. Idq; de omni genere missilium puta. Fortis bellator congressum hostis exoptat, quem sagittarius vitat.

Idem Dialogo centesimo.

Gaudeo. Thesaurũ in bella reposui. R. Rem malã in vsus pessimos. Quantò tibi & alijs erat vtilius, hunc & amicorũ, & patriæ vsibus aceruasse, maximeq; necessitate indigentiũ, ille demum thesaurus verus esset. Et thesauri preciũ cęlestis, nunc preciũ est inferni: deinde thesaurus animi vires extenuat, bellũ viros: vtrũq; pestiferũ. Postremò solet iste thesaurus possessori suo perdendi metũ adferre, hostibus lucri spẽ, & bellandi simul audaciã. Quis non alacer ad id bellum eat, qui quærere multũ possit, amittere nihil? Pugnasse quidem feruidè inopẽ, ac vicisse, eundemque mox diuitem refrixisse, apud Flaccũ legis. Virtutũ nutrix optima est paupertas, opulẽtia vitiorũ: ergo thesaurus recõditori parit curas, & inuidiã hostib. stimulos furibus.

Ibidem Petrarcha.

Si ad clarissima rerum exempla oculos vertamus, videbimus Romanos, dum fuēre pauperes, omnium gẽtium fuisse victores: tum verò vinci cœpisse, dum diuites facti sunt: ita ad aduẽtum diuitiarũ discessere victorię ac virtutes simulq; opũ comites, delitię ac libidines subiēre: vt non immeritò scriptores quidã temporũ illorum Romanæ paupertatis interitum quæsti sint.

Viues ad Adrianum Papam.

Sunt nonnulli docti homines, qui proximi & probati principibus, magnaq; apud illos autoritate cùm de bello consuluntur, ita de iusto & iniusto bello disserunt, vt facilè ex eorum oratione ansam principes, alioqui in suos affectus proni & præcipites, arripiant, existimandi quodlibet bellum, modò placeat, iustum esse. Prætextus & colores nunquam desunt, dum non desit facultas & occasio. Qui si aliter censerent ac disputarent, iniecta in principũ animos religione, cohiberent ac reuocarent homines ad arma procliues, & affectionibus impulsos.

Ibidem.

Optabant veteres illi bellum, vt vrrtutem in eo vigoremq; animi ostentarent. Optari poterat tibi, sed longè diuersa ratione: illi enim vastando, sternendo, occidẽdo, cladem stragemque longè faciendo ac latè, magnam laudem, clarum nomen, immortalem parari gloriam arbitrabantur, vt eorum memoria sacrosancta esset mortalibus, qui magnam mortaliũ partem deleuissent: & ij essent humano generi chari, qui adeo homines oderant, vt plurimos de possessionibus, de fortunis, plurimos de vita deiecissent, & grati bonis hominibus essent, quibus solis bellum faciebant, latronibus & conscaeleratis comitati ac adiuti.

Cicero in Officijs.

In omnibus negocijs, priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. Parua enim sunt foris arma, nisi sit consiliũ domi. Bellum autem ita suscipitur, vt nihil aliud nisi pax quęsita videatur. Item, temerè in acie versari, & manu cũ hoste cõfligere, immane quiddam & beluarum simile est: sed cùm tempus necessitasq; postulat, decertandum manu est, & mors seruituti turpitudiniq; anteponenda.

Orosius libro 5. de Ormesta.

Maiores nostri bella gesserunt, bellis fatigati, pacem petentes, tributa obtulerunt. Tributum precium pacis est: nos tributa depẽdimus, ne bella patiamur.

Idem lib. 4.

Discordia infeliciter exagitante, nulla vnquã tẽpora, vel foris prospera, vel domi quieta ducuntur.

Cicero de Amicitia

Nihil est turpius, quàm cum eo bellum gerere, quo cum familiariter vixeris. Quamobrẽ primum danda est opera, ne qua amicorum dissidia fiant.

Viues in epistola ad Henricum 8. Angliæ regem

Bellum non est facilè suscipiendũ, nec certa pax spreta victoria permutanda: de nulla re magis aut crebrius deliberandũ est, quàm de bello, in quo nõ licet bis peccare, & ad quod princeps descenere vix debet, etiam ineuitabili

necesſitate preſſus, omnib. primò remedijs tentatis, & fruſtra cõſumptis, nullum eſt tam felix bellum, quo non potior ſit iniqua pax, ſiue curas, ſiue ſumptus, ſiue diſcrimina conſideres, & contempleris. Itaq; de iure ſuo citiùs decedat princeps, quàm de ſumma periclitetur, & tantã fortunæ plagã leui lateris inflexione declinet. Varij ſunt belli caſus, & exiguo momento maximas res voluit. Vnde Mauortem veteres nominauerunt bellum, in cuius manu eſt ſuſcipere, non deponere. Initia belli penes principes ſunt, exitus penes fortunam, ſeu verius Deum, cuius volũtatem erga nos non ſine cauſa ignoramus: videlicet neſcij quàm apud eum gratioſi ſimus. Itaq; non ſecus quàm pecunia noſtro arbitrio aleæ expoſita, ilico alieni fit iuris, incertum cui ceſſura ſit: Ita princeps & tota ditio in ſortem eiectus conijcitur, moto bello. Quàm multos pœnituit belli vel proſperè cœpti? Nec vlla Reſpu. inſtabilior eſt, quã quæ ſæpè mouet arma. Quoties in extremum diſcrimen Athenæ venerunt? à Perſis exuſtę, à Lacedęmonijs oppreſſæ, ac ſpoliatę mœnib., à Philippo fractę, ab altero Philippo afflictę, à Mithridate occiſę, à Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma à Tatio capta eſt, à Porſena obſeſſa, à Gallis incenſa, à Pyrrho territa, ab Annibale concuſſa, ſuis deniq; armis dilacerata. Dicet aliquis: Armis & bello creſcunt regna: ſed & eiſdem quoq; pereunt. Minus forſan eſt in pace ſplendoris & gloriæ, falſæ illius quidem, ſed plus quietis, minus controuerſię ac periculi, & proinde firmitatis plurimùm. Non laboro, inquit Theopõpus Rex ſapientiſsimus, quàm amplum filijs regnum tradam, ſed quàm manſurum ac ſtabile. Nihil ab alijs repetis, ſed nec abs te alij, in quorum vtroq; eſt periculum, ſiue cum fortiore congrediaris, ſiue cum debiliore, quippe nihil eſt tam infirmum, cui ſuæ ad nocendũ vires deſint: deſtitutaq; facultate omni iuuãdi ac benefaciendi, multum adhuc ad lædendũ ſupereſt, tanto videlicet próptius eſt, malefacere, ſeu robore ſui, ſeu imbecillitate noſtra

Iniqua pax etiã felici bello melior.

Varij belli caſus.

NANVS. Benedictio Gręcè εὐλογία ας ἡ, & εὐλογέω benedico dicitur. Eſt autem benedictio Dei, donorum eius collatio vel multiplicatio, ſecundũ B. Thom. 1. part. q. 72.

Benedicere Dei, eſt cauſare bonitatem, ſed benedicere noſtrum, eſt agnoſcere beneficia eius, B. Thomas ſuper Pſalm. 33. co. 1. fi.

Beneficentia Græcè εὐεργεσία ας ἡ dicitur. Et eſt exterior amicitię vel charitatis actus, ſecundũ rationem communẽ, ſicut beneuolentia eſt actus interior præſuppoſitus à beneficentia.

Beneficium præſtatur aut ob
- *Electionem ſolàm, ſiue ſpe ἀνλιδόσιος.*
- *Spem*
  - *Vtilitatis*
  - *Voluptatis.*
  - *& iſtis ex dignitate ſiue κατ᾽ ἀξίαν reddendum beneficium.*

Beneficium Græcè εὐεργέτημα ατος τὸ, & εὐεργέτης ὁ beneficus dicitur. Eſt autem beneficium quædam beneuola actio, gaudium tribuens capienti. In li. feu. ca. 1. ex qui ca. feu. & Pa. in. c. vnico de com. & in c. ad audientiã, de pręſcriptio.

Beneficij æſtimationem accipientis & non dantis, eſſe: oſtendit lib. 9. Ethicorum, cap. 1. Ariſtoteles. Aeſtimationem autem iſtam faciendam non aliunde, niſi ex vtilitate accipientis, ab eodem diſputatum eſt lib. 8. Ethicor. ca. 13. & li. 9. ca. 1. de beneficiorũ æſtimatione verba faciens: δεῖ δὲ (inquit ἴσως) οὐ τοσούτου τιμᾶν, ὅσου ἔχοντι φαίνεται ἄξιον, ἀλλ᾽ ὅσου πρὶν ἔχειν ἐτίμα. Accipientis officium proprium oſtendit Ariſtoteles lib. 9. ca. 2. Dantis autem eodem libro, cap. 7.

Iſocrates ad Dæmonicum.

Μὴ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος, id eſt, Ne committas vt illiberaliter conferas beneficium.

Hoc autem faciunt, qui liberalitates alioqui commendabiles, illiberali detractiuncula delibantes, veluti pręfloratas mittunt, nec ſinceras nec meracas mittentes: cuiuſmodi eſt eorum factum, qui ſibi ius aliquod in res donatas recipiunt, aut ius repoſcentes, ſi quando benignitatis eos pœnituerit, ac huiuſmodi quiddam nec candidi, nec ingenui conſilij comminiſcuntur. Ac de illis dici poteſt Græcorum prouerbium, ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ.

Plutarchus in Apophteghmatibus.

οὐκ ἧττον βασιλικὸν καὶ φιλανθρωπικὸν, τὸ μεγάλα διδόναι ἢ τὸ μικρὰ λαμβάνειν. id eſt: Non eſt minus regium, atq; adeò humanum, paruula accipere quàm largiri magna. Eo in loco hoc confirmat exemplo Artaxerſis Perſarum Regis, qui aquam à ruſtico oblatam æquiſsimo animo acceperit.

Seneca.

Bis dat, qui citò dat.

Diſputant de plus & minus dando Iureconſulti, itaq; iudicant, vt is plus det, qui ante pręſtitutum diem, & citius quàm debeat, det: minus qui ne tum quidem, cùm debet, dat, ſed tardius.

Cornelius Tacitus libro 4.

Beneficia eouſque læta ſunt, dum videntur exolui poſſe, vbi multum anteuenêre, pro gratia odium redditur.

Cleobulus.

τοῖς ἀγαθοῖς ἀγαθὰ ποιεῖ. id eſt,
Bonos beneficio affice.

Lucianus.

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι ἢν δὲ βραδύνῃ
πᾶσα χάρις κενέ, μηδὲ λέγοιτο χάρις. id eſt:
Celeres gratiæ dulciores, ſi autem tardauerit,
Omnis gratia uana, neq; dicetur gratia.

Auſonius ita uertit.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia nanq;
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

Idem aliter.

Si bene quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Phocylides.

Μὴ κακὸν εὖ ἕρξῃς, σπείρειν ἴσον ἔστ' ἐνὶ πόντῳ. id est, *Noli in malum uirum beneficium conferre, est ac si in mari semines.*

De hac materia habes, vbi amor proximi, suprà.

AMANTIVS. Beneficentia est, qua mitis animus ad cuiuis benefaciendum, nulli malefaciendum, commouetur: Contrarium eius est Maleuolentia. Vel: est exterior amicitiæ vel charitatis actus, secundum rationem communem. Græcis εὐεργεσία dicta.

Cicero libro 1. Officiorum.

Nihil est hominis naturæ accommodatius beneficentia: sed habet illa multas cautiones. Primò enim videndum, ne obsit benignitas, & ijs, quibus benignè videbitur fieri, & cęteris: Deinde ne maior sit benignitas, quàm facultas: tum verò vt pro dignitate cuiq; tribuatur. Sunt multi cupidi splendoris & gloriæ, qui eripiunt ab alijs, quod alijs largiantur, hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacunq; ratione. Id autem tantum abest ab officio, vt nihil magis officio esse possit contrarium. Videndum est igitur, vt ea liberalitate vtamur, quæ prosit amicis, nemini noceat.

Alter locus cautionis, ne benignitas maior sit quàm facultates, quòd qui benigniores esse volunt, quàm res patitur, primùm in eo peccant: Quòd sunt iniuriosi in proximos. Quas enim copias his suppeditari æquius est & relinqui, transferunt eas ad alienos: Inest enim in tali liberalitate cupiditas plerunq; rapiendi, & auferendi per iniuriam, vt ad largiendum suppetant copiæ. Videre etiam licet plerosq; non tam naturâ liberales, quàm quadam gloria ductos, vt benefici videantur facere multa, quæ videntur proficisci ab ostentatione magis, quàm à voluntate. Talis autem simulatio vanitati est coniunctior, quàm aut liberalitati, aut honestati.

Tertium est propositum, vt in beneficentia sit delectus dignitatis, in quo & mores eius erũt spectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos & comitas & societas vitæ, & ad nostras vtilitates officia antè collata. Quæ vt cõcurrant omnia, optabile est: sin minus, plures causæ maioresq; ponderis plus habebunt.

Seneca de beneficijs cap. 1.

Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quàm qui non dat citius.

Idem. cap. 2.

Beneficia in vulgus cùm largiri institueris, perdenda sunt multa, vt semel ponas benè.

Nemo beneficia in Calendario scribit: Nec auarus exactor ad horam & diem creditorem appellat. Nunquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus à reddente, alioqui in formam crediti transeunt. Turpis fœneratio est, beneficium expensum ferre. Qualiscunq; beneficiorum euentus est, perseuera in alios conferre. Melius apud ingratos iacebunt, quos aut pudor, aut occasio, aut timiditas aliqua aliquando gratos efficere poterit. Ne cessaueris dare, opus tuum perage, & partes boni viri exequere: alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium præceptis salutaribus adiuua. Cap. 2.

Isocrates ad Demonicum.

Bonis benefacito: Præclarus enim thesaurus est beneficium in virum collatum. Si malis benefeceris, idem tibi vsu veniet, quod his, qui alienos canes pascunt: qui vt æquè allatrant eos, qui dãt, atq; ignotos: sic improbi bene meritos non aliter, quàm malè meritos iniurijs afficiũt.

Idem eodem loco.

Sic rectissimè tractabis amicos, si non expectabis, donec te rogent, sed vltrò cùm tempus postulat, opem eis tuleris: non minus flagitiosum esse puta, vinci ab amicis, beneficijs: quàm maleficijs ab hostibus.

In oratione ad Philippum.

Præsentium temporum oportuna beneficia superiora delicta mutua obliuione obliterabũtur. Iam etiam illud naturæ est, omnium beneficiorum, quæ in calamitatibus acceperunt, potissimum meminisse.

Ne quod beneficium collocaris in senem: Erasmus in Chiliadibus γέροντα μηδέποτε μηδὲν χρηστὸν ποιεῖν. Refertur nominatim prouerbij vice ab Aristotele in libro 2. Rhetor.

ὅς ἐς συμβουλεύει, μὴ φίλον γέροντα, τούτῳ μαρτυρεῖ ἡ παροιμία, μή ποτ' εὖ ἔρδειν γέροντα. Id est: Qui consulit, ne quis cum sene ineat amicitiam, huic testimonij loco est prouerbium: Ne quando benè merearis de sene: Dicitur hodieque vulgò: neq; in senem, neque in puerum collocandum esse beneficium, propterea quod alter non refert, alter non meminit. Extat & huiusmodi quoddam apud Diogenianum adagium μή ποτ' εὖ ἔρδειν γέροντας, μηδὲ γυναῖκα, μηδὲ παῖδα, μηδὲ κύνα ξένος, μηδὲ λάλον κωπηλάτην. Id est: Ne quid beneficij colloces, neq; in senes, neq; in mulierem, neque in puerum, neq; in canem cuiuspiam, neq; in garrulum remigem: propterea quòd perire videatur, quicquid in eiusmodi genus hominũ insumitur.

BENEFACIENDVM AMICIS.

Ex Trinumo Plauti.

Benè si amicis feceris, ne pigeat fecisse: at potius pudeat, si non feceris. Amicum deserere, & non iuuare in rebus infaustis ac aduersis pudor. Pol pudere, quàm pigere præstat. Amicũ deserere turpissimum.

SAEPE BENEFICIIS TVIS *inimicos facis.*

Ex Trinumo Plauti.

Si quis mutuũ quid dederit, fit pro proprio perditum: Cùm iam repetas, inimicum amicum

beneficio inuenis tuo. Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio, vel illud, quod credideris, perdas, vel illum amicum amiseris. Nam ego talentum mutuum, quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.

Mulierculæ benefaciendo citius defatigantur, quàm malefaciendo.

Malè quod mulier inceperit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est. Ea illi miseræ miseria est,
Si benefacere inceperit, eius enim odium citò pccipit.
Nimisq; paucæ sunt defessæ, quæ malefacere occeperint:
Nimisq; paucæ efficiunt, si quid occeperunt benefacere.
Mulieri nimiò malefacere, melius est onus, quàm bene.

Ex Truculento Plauti.

Ex eadem.

Nequicquā illud uerbum est, bene uult, nisi qui benefacit.

Ex Rudente Plauti.

Bonis quod benefit, haud perit.

Beneficia non exprobranda.

Quid exprobras, bene quòd fecisti? tibi fecisti, non mihi. Is probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit, & frugis bonæ, Benefacta benefactis alijs pertegito: Ex Trinumo.

NANVS. Benignitas Græcè ἀγαθότης ητος ἡ dicitur. Et est habitus voluntariè benefactiuus, & ad loquendum dulciter, secundum B. Thomam, secunda secundæ quæstione 80.

Benignus Græcè χρηστός οῦ ὁ est spontè ad benefaciendum paratus & dulcis ad eloquium, secundum Isidorum libro Etymologiarum.

A bonus verò fit benignus, id est, liberalis, beneficus, clemens.

Cicero libro 2. Officiorum.

Non ita claudenda res familiaris, vt eam benignitas aperire non posit: nec ita reseranda, vt pateat omnibus.

Beneuolentia Græcè εὔνοια ας ἡ, & εὐνοικός οῦ ὁ beneuolus dicitur. Et est bonorum erga proximum voluntas. Cuius opposita sunt, odium & inuidia, secundum Plutarchum in libello de differentijs inuidiæ & odij.

Beneuolentia dicitur εὔνοια, id est, bona voluntas. Ita & maleuolentia dicitur κακόνοια ας ἡ. quasi mala voluntas, & κακόνους ου ὁ maleuolus.

Quid inter φιλίαν & εὔνοιαν intersit, disputat Aristoteles libro 8. cap. 2. Ethicorum.

Cicero libro 2. Officior. vbi de vtilitate cum eius speciebus disputat, latè beneuolentiæ causas prosequitur, ostendens illas aut esse beneuolentiam, aut honorem, aut metum, aut expectationem beneficij, aut precium & mercedem.

Polybius libro 1.

Amantes suorum beneuolentia decipiuntur.

Bibliopola Græca dictio composita ex βίβλος ου ὁ, vel ex βιβλίον ου τὸ libellus, & πωλέω vendo. Est autem bibliopola venditor librorum, sicut & bibliographus qui libros transcribit, γράφω enim idem est quod scribo, sic etiam bibliotheca, quod teste Vlpiano, modò locum significat in quo libri tenentur, modò copiam ipsam librorum: quare dicimus Ptolomæum Regem bibliothecam omnium pulcherrimam congregasse. Componiturq; ex βίβλος & θήκη ης ἡ quod est theca vel vagina, vel repositorium.

Bigamia item Græcum vocabulum est διγαμία ας ἡ. Et est defectus ex secundis nuptijs proueniens. De hac materia videre poteris multa infrà in Matrimonium.

Bilinguium, vitium est, in loquendo inconstantia. Bilinguis verò Græcè δίγλωσσος ου ὁ dicitur. Et est dictio composita ex δυώ, quod est duo, & γλῶσσα ης ἡ lingua. Est autem bilinguis is, qui loquendo non constat, sed modò vnum, modò aliud loquitur: quiq; proximum præsentem laudat. absentemq; lacerat. Significat enim bilinguis nonnunquam fallacem. Virgilius: Tyriosq; bilingues.

Blanditiæ Græcè αἱμυλία ας ἡ, & αἱμύλιος ου ὁ blandus dicitur. Cuius diminutiuum blandiciolus & blandicellus, vnde blandicella verba apud Neuium leguntur, blandè & blandiculè aduerbia, & blandidicus, qui blandè loquitur. Nunc mihi blandidicus es, heri in tergo meo tres facilè corios contriuisti bubulos.

Blasphemia Græca dictio est, & βλασφημία ας ἡ & βλάσφημος ου ὁ blasphemus dicitur. Et est quando aliquis attribuit Deo, quod ei non conuenit, vel de eo negatur, vel detrahitur, quod ei conuenit, secundum Augustinum, & B. Thom. secunda secundæ, q. 13. art. 4.

Blasphemia est contumelia vel conuitium in iniuriam creatoris.

Blasphemia est verbum in contumeliam Dei prolatum.

Blasphemia est, per quā de Deo falsa dicūtur.

Leuitici 24.

Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo populi: siue ille ciuis, siue peregrinus. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

Iob 34.

Ne desinas ab homine iniquitatis, qui addidit super peccata sua blasphemiam.

Matthæi 12.

Omne peccatum, & blasphemia remittitur hominibus: spiritus auté blasphemiæ non remittetur. Et quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.

Marci 3.

Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemauerunt. Qui aūt blasphemauerit in

in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum.

Augustinus super illud Matthæi: Blasphemauit.

Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.

Idem super Ioan. & habetur 23. qu. 4. Quando uult.

Quando vult Deus concitare potestatem aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exufflatores Christi, aduersus blasphematores Christi, blasphemi non mirentur, quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, supponat ceruicem, quæ cùm humiliata discederet à domina sua, occurrit ei angelus, & dixit: Quid tibi est Agar ancilla Saræ? Cùm conquesta esset de domina, quid audiuit ab angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur, atq; vtiná reuertatur, quia proles eius, sicut ꝑles Iacob, cũ fratrib. hæreditatẽ tenebit.

Hierony. ad Titum, & ha. 33. q. 5. capitulum, Cùm caput.

Cùm caput mulieris sit vir, caput autem viri Christus, quæcunq; vxor non subijcitur viro, hoc est, capiti suo, eiusdem criminis rea est, cuius & vir, si non subijciatur capiti suo, Christo. Verbum autem Domini blasphematur, vel cùm contemnitur Dei prima sententia, & pro nihilo ducitur: vel cùm Christi infamatur Euãgelium, dum contra legem fidemq; naturę, ea, quæ Christiana est, & ex lege Dei subiecta est viro, imperare desiderat: cùm etiam gentiles fœminę viris suis seruiant communi lege naturæ.

Hieronymus ad Ctesiphontem de libero arbitrio contra Pelagianos hæreticos.

Sententias vestras prodidisse, superasse est, patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet conuinci, quòd sua statim professione blasphemum est.

Idem epistola 32.

Blasphemia veniam non meretur.

Hugo de sancto Victore.

Blasphemia est cum quadam probrosa irreligiositate conuitiorum iacula in alterum immittere.

Rabanus super Matt.

Mos erat Iudæis, cùm aliquid blasphemiæ audiebant, scindere vestes: sicut Paulus & Barnabas cùm cultu diuino honorarentur, sciderunt vestes suas.

Bomolochia Græca dictio est βωμολοχία ας ἡ, & βωμολόχος ου ὁ scurra. Et bomolochia est idem quod scurrilitas. Quare Arist. li. magnorum Moralium dicit, quòd bomolochus est, qui omnia & omne, qud est, putat oportere conuitiari.

Bonitas Græcè ἀγαθοσύνη ης ἡ, & ἀγαθότης τητος ἡ & ἀγαθός οῦ ὁ bonus, vnde benignus dicitur, id est, liberalis, beneficus, clemẽs. Quare benignã terram appellamus, fructus abundè ferentem. Plinius de Aegypto: Nulla est benignior tellus, nullus ager feracior. Inde benignitas, liberalitas, atq; clementia.

Menander.

ἀνὴρ δὲ χρηστὸς, χρηστὸν οὐ μισεῖ ποτέ. id est:
Vir autem bonus, bonum non odit unquam.

Idem.

γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται. id est,
Mentis enim bonæ uir, opera bona facit.

Idem.

ζήλου τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα καὶ τὸν σώφρονα. id est,
Imitare bonum uirum & sapientem.

Leonides.

αἰεὶ δ' ἀγαθὸς ἐστ' ἀγαθός. id est,
Semper autem bonus est bonus.

Ex 3. Epigramma.

τῶν ἀγαθῶν οὐ δεχόμεθα κόρον. id est,
Bonorum non capimus satietatem.

Cicero libro 3. Officiorum.

At verò, si qui velit complicatam animi sui notionem euoluere, iam se ipse docebit, eum bonum virum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria.

Lucianus in Timone.

οἱ ἀγαθοὶ δυσεύρετον χρῆμα, καὶ πρὸ πολλοῦ ἐκλελεπὼς ἐκ τοῦ βίου ὅπερ οὐδὲ ὁ λυγκεὺς ἂν ἐξεύροι ῥαδίως, ἀμαυρὸν οὕτω καὶ μικρὸν ὄν. καὶ γὰρ οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι εἰσίν. i. Boni, possessio est quæ haud facilè inueniri potest, vt quæ iamdudum è vita concesserit. Adeò obscura atque pusilla, vt illam vel Lynceus vix dum inueniat. Sunt enim boni perpauci.

Iuuenalis satyra 13.

Rari quippe boni, numero uix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, uel diuitis ostia Nili.

Bonorum ordo triplex. sunt enim bona { 1. *Animi,* 2. *Corporis,* 3. *Fortunæ.* }

Bonũ Græcè ἀγαθὸν οῦ τὸ, & χρηστὸν οῦ ὁ dicitur. Et est id, quod opponitur malo, estq; nomen generale, & honesta simul, atq; vtilia complectens, vt bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Hinc si bonum virum dicimus, probum significamus: si bonum militem, fortẽ: si bonum imperatorem, prudentem: si bonum grammaticum, literatum: si bonum oratorem, facundum: si bonum iudicem, iustum: si bonum mercatorem, diuitem: si bonam faciem, pulchram. Sic econuersò, malum generale nomen est, & turpia simul, & detrimentosa complectens. Vnde malũ virum dicimus, flagitiosum: malum militem, imbecillem: malum imperatorem, imprudentem: malum grammaticũ, rudem: malum oratorem, infacundum: malum iudicem, iniquum: malum mercatorem, inopem: malã faciem, deformem.

Bonum summum, est animi operatio secundum virtutem optimam, & perfectissimam in vita perfecta, secundum Aristo. libro 1. Ethicor.

Bonum est, quod suiipsius gratia est expetédum, secundum eundem lib. 1. Rhetorico.

Alciatus titu. de Verb. signi. L. Bonorum appellatione.

Bonorum appellatio s. aut ciuilis, aut naturalis est. Bona ex naturali significatione, omnia comprehendunt, quæ prosunt. Ex ciuili ad facultates tantùm referuntur. Hinc distinctio bonorum corporis & animi apud Philosophos.

De bonis animi disputat Cicero in Parado.

Si quid (inquit) rectè fit & honestè, & cum virtute, id bene fieri & rectè dicitur. Et quod honestum & rectum, & cum virtute est, id solū opinor bonum.

Cicero de Senectute. Dialo.

Quibus nihil opus est in ipsis ad bene beateq; viuendum, ijs omnis grauis est ætas. Qui autem omnia bona à seipsis petunt, ijs nihil potest malum videri, quod naturæ necessitas afferat.

In secundo ordine sunt, robur, pulchritudo, sanitas & reliquæ corporis dotes, quæ latè numerantur à Cicerone lib. 4. Tusc. quæst.

In tertio sunt ordine fortunæ bona, quæ à Philosophis ἁπλῶς ἀγαθὰ appellãtur, propterea quòd secundū se quidē bona sunt, sed aliorū vsu prauescunt malaq; dicūtur, vt diuitię &c:

Aristo. lib. 4. Polyticorum.

Si bona fortunæ modum excedant in alterā partem, difficilè est, vt rationi obediant.

Ibidem.

Necesse est ex falsis bonis verum malum euenire. Insinuat hoc loco Arist. hoc vsu venire ijs rebuspu. quę dum nimiū tribuunt diuitijs, populoq; imponunt, vt optimatū remp. constituant, tandē suo periculo discūt, illam opinionem, quam de diuitijs habent, suę reip, prodesse minimum, obesse autem plurimum.

Terentius in Heaut.

Hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea poßdet:
Qui uti scit, ea bona illi, qui non rectè utitur, mala.

Huc pertinet tota primi Paradoxi Ciceroniani disputatio.

Plutarchus in Apophthegma. Laco.

πυθομένȣ δὲ τίνος πόσυν κέκτηται οὐσίαν, ἔφη. οὐ πλείω τῆς ἱκανῆς.

Breuiloquium Gręcè βραχυλογία ας ἡ & βραχύλογος ȣ ὁ ἡ, breuiloquus. Et oppositū est multiloqio, de hac materia habes multa infrà in Lin.

Breuitas quę Gręcè βραχύτης ητος ἡ, & βραχὺς έος ὁ breuis. Est autem breue propriè quod longo oponitur.

AMANTIVS. Bonitas bonum est, quo mentes nulla quatiuntur perturbatione, ita à natura instructę, vt mali nihil cogitent, aut etiam norint: cōfingere nesciunt: Cuius contrariū malitia, vel vt græco vtar verbo, δόλος.

Puritas est mentis innocentia, qua nullo ininsontes animi vitio illigantur, & ne cogitatione quidem mala exæstuant: Cuius contrarium est, Astutia.

Probitas est prudens bonitas, qua mentes à se omnem extraneum prohibent rationis motum: Cuius contrarium facinus vel improbitas &, vt quidam opinantur, flagitium, quod solū tangat mentem.

Innocentia est puritas animi, omnem iniurię illationem abhorrens. Hinc innocentes dicuntur, qui ab omni iniuria & maleficio abstinent Gręcis virtus innocentia ἀκακία vocatur. Cicero lib. Officiorum & in quæsti. Tuscu. vocat ἀβλάβειαν talem animi affectionem, quæ nemini noceat.

Non potest esse bonitas, vbi non sit cognitio eius quod faciēdum est, videlicet quod tenendum, & à quo fugiendum, Viues libro 1. De anima.

Amoris parens est bonitas: vt pulchritudo & amor ex eodem videantur parente progenita. Ex quo fit, vt non vna sit decoris ratio. Primus enim in rebus condendis radius in mentem incidit, ornans eam intelligentia & contemplatione, quę est suprema speciositas, secundus fertur in animam, illustrans eam cognitione, Viues lib. 3. cap. de amore.

D. Augustinus de uera innocentia.

Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnę fit innocens, sed amore iustitię: nam qui timore non peccat, quamuis nō noceat, cui vult nocere, & abstineat ab iniquo opere: reus tamen fit sola voluntate.

Idem etiam habet 24. dist. 5. Ca.

Non est innocentię parcēdo sinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officiū, non solùm nemini malū inferre: verumetiā cohibere à peccato, vel punire peccatū, vt aut ipse, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alij terreātur exemplo.

D. Hieronymus super illud Mat.

Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus &c.

Sicut paruulus non perseuerat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem, delectatur: nō aliud cogitat, & aliud loquitur: Sic & nos nisi talem habuerimus innocentiā, & animi puritatem, regna cœlorum nō poterimus intrare.

D. Ambro. lib. offici. 14. Quæst. 5. C. deniq;

Innocens credit omni verbo: non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. Hoc est innocentem esse: ignorare quid noceat, & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur.

Idem lib. 2. Offic.

Vitam beatā efficiunt tranquillitas conscientię, & securitas innocentiæ.

D. Bernardus super Cantica.

Non mediocris est titulus virtutis, inter prauos

nos viuere bene, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem.

Lactantius libro 6. diuinarum institutionum.

Nihil enim sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè religioseq; litauit.

Dantes Paradisi Canti. 28.

Fide & innocentia son repente
Fides & innocentia repertæ sunt.
Selo ne pargoleti: poi Ciascuna:
Solum in paruulis: post harum utraq;
Pria fuge che le goantie sien Coperte.
Antea fugit: quàm malè contegantur.

περὶ χρηστότητος, id est, de bonitate.

Menander.

ὀυδεὶς πονηρὸν πρᾶμα χρηστὸς ὢν, ποιεῖ. id est,
Nullus bonus existens, malum facinus committit.

Idem.

ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκεραμένη. id est,
Quàm iucunda res est, bonitas prudentiæ coniuncta.

Theognes.

κύρν᾽ ἀγαθὸς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον ἀεὶ, τολμὸς δ᾽ ἔν τ᾽ ἀγαθοῖς κείμενος, ἔν τε κακοῖς. id est:
O Cyrne, vir quidem bonus animum semper habet constantem: & animosus est, tum in malis, tum in bonis constitutus.

Sophocles in Electra.

ὀυδεὶς τῶν ἀγαθῶν, ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχύναι θέλει. id est,
Nullus bonorum malè uiuendo bonam de se famam dehonestare uult.

Menander.

ὁ χρηστός ἐστι πολλαχοῦ σωτήριος. id est,
Vir bonus multis in locis salutaris.

Idem in Pallace.

κ᾽ ἐν ταῖς ἀπορίαις ἔσθ᾽ ὁ χρηστὸς χρήσιμος. id est:
Et in rebus perplexis, uir bonus utilis est.

Idem in Homopatrijs.

εἰς πάντα καιρὸν καὶ τύχης ῥοπὴν πᾶσαν
τῶν χρηστῶν ἔχει τὴν ἐπιμέλειαν καὶ θεός. id est,
In omni tempore & quauis inclinatione fortunæ, bonorum curam suscipit etiam Deus.

Νὴ τὴν ἀθηνᾶν. μακάριον ἡ χρηστότης,
πρὸς πάντος, καὶ θαυμαστὸν ἐφόδιον. id est:
Beata res est bonitas, per Mineruam,
Vbiq; & mirum uitæ uiaticum.

Demosthenes.

Probum esse, res est multis pecunijs nobilior.
πολλῶν χρημάτων τὸ χρηστὸν εἶναι τελέστερον ἐστιν.

Reliqua uide in Loco Communi de innocentia in litera I. & Probitas P.

Psalmo 25.

Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo: Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

DE SIMPLICITATE VEL INNOcentia, & iniuriarum recordatione.

Matthæus 18. cap. Luc. 9.

Amen dico vobis, nisi conuertamini, & fiatis tanquam pueri, non ingrediemini in regnum cælorum.

Paulus 1. ad Thessalonicenses 5. cap.

Videte, ne cuiquam quis malum pro malo reddat, sed semper, quod bonum est, persequimini.

Prouerbiorum 14.

Simplex credit omni dicto: quandiu simplices iustitiæ adhærebunt, non afficientur pudore.

Ecclesiastici 28.

Condona iniuriam proximo tuo, & tum peccata tua te precante dissoluentur.

Augustinus super Psalmos.

Illa est vera innocentia, quæ nec inimico nocet.

Idem super 35. Psalm.

Vera innocétia est, vbi integritas est sine peccato, venditio est sine debito, flagellum sine merito.

Idem.

Quis est innocens? qui cùm alijs non nocet, nec sibi nocet. Qui enim & sibi nocet, non est innocens.

Ambrosius in Hexam.

Innocentia, & integritas leui sorde violatur aspersa, & gratiæ suæ munus amittit.

Ambrosius ad Demetriadem.

Innocens inter ipsa tormẽta fruitur conscientię bono, & inter malignantes, cùm de pœna metuit, de innocentia gloriatur.

Chrysostomus in Homilijs.

Gaude de innocentia & exulta, gaude, inquã, quia vbiq; illæsa est, vbique secura. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta, tibi omnis reatus abijcitur, tibi vniuersa militia subiugatur, te potentes honorant, suscipiunt principes, magnates exquirunt, & illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant, tibi boni parent, mali inuident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec vnquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines iudex iustus defuerit.

Basilius.

Simplicitas minimè omnium suspicax est malorum.

Ex Vitis Patrum.

Malus quàm citissimè condemnat bonum: Bonus autem ne malum quidem facilè: nam qui ad mala non est promptus, ne ad suspicionem quidem facilis est.

Chrysostomus.

Ingenium expers malitiæ, tardius quoq; suspicatur.

Idem.

Idem.

Si videris inimicum in manus tuas incidisse, noli putare tempus esse vindicationis, sed salutis, itaq; tum maximè parcendum est inimicis, cùm in nostra fuerint potestate.

Idem Chrysostimus.

Si tibi quis molestus fuerit, tu vicissim ne sis molestus, alioqui illi similis fueris. Nemo enim malum malo sanat, sed bono malum.

Hugo.

* Puritas innocentiæ conseruata, fons est & origo omnis scientiæ & virtutis.

Nilus.

Qui mala pro bonis rependit, ex eius domo non eijcientur mala.

Philo.

Quum veniam peccatorum petis, fac etiam ipse ijs ignoscas, qui in te peccarint, quia remissione compensatur remisio, & conseruorũ nostrorum conciliatio, diuinæ irę est liberatio.

Epicurus.

Inimicũ petentem ne auersator, sed interim temetipsum munito, quòd à cane nihil differat.

Theopompus.

Inimicitias breues, amicitias autem diuturnas parare studeto.

Seneca in prouerbijs.

Triumphus innocentiæ est, non peccare vbi liceat: in quem potes plus peccare, desine.

Ibidem.

In malis sperare bonum, nisi innocens nemo solet.

Aeschines orator ab Atheniensibus condemnatus, cùm Demosthenes ei decẽ millia drachmarum Atticarum misisset, & vt fortiter exiliũ ferret, hortaretur: qui possum, inquit, non mœrere, ex ea eiectus patria, in qua etiam, qui iniuriam acceperunt, iniuriarum autoribus benefaciunt.

INNOCENTIA VBIQVE *tuta est, & nihil sibi timet.*

Horatius oda 22. lib. 1.

Integer uitæ scelerisq; purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec uenenatis grauida sagittis,
Fusce pharetra.
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, uel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Ouidius lib. 5. Tristium

Innocens non ueretur iram Dei.
Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram
Conscius in culpa non scelus esse sua.

Ouidius lib. 4. Fastorum.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in uitium credula turba sumus.

Cachinnus Græcè καγχασμός οῦ ὁ, & καγχάζω cachinnor dicitur. Et est solutus risus. Persius: Ingeminant tremidos naso crispante cachinnos. Inde cachinnor aris, quod est solutè rideo.

Cæcitas Gręcè τυφλότης ητος ἡ, & τυφλός οῦ ὁ cęcus dicitur. Et est tam corporis, quàm animi orbitas. Estq; cæcum, quod non habet visum, cũ natum sit habere, secundum Aristotelem lib. 6. Topicorum. Dicitur autem cęcum, quasi oculis captũ, vel quod sit oculis cõcisum, vel quod oculis careat. Est autem cæcus, qui caret lumine, vt diximus. Item insidiosus, occultè malus, latens, tacitus, qui videri non potest. Virg. Cęca regẽs filo vestigia. Hinc est verbum cęcutio, quod propriè significat parum video.

Cęlebs Græcè ἄγαμος ου ὁ ἡ, & ἀγαμία ας ἡ cælibatus dicitur. Et is propriè dicitur cælebs, qui caret, semperq; caruit vxore, dictus quòd vitá cælestem agat. Abusiuè tamen pro eo ponitur, qui vxorem non habet, etiam si aliàs habuerit. Hinc cœlibatus est vita, quæ agitur sine vxore. Sueto. Verum amissa vxore lepida, duobusq; ex ea liberis, mansit in cœlibatu. Horat. Martijs cœlebs quid agam Calendis?

Plutarchus in Lycurgo autor est, apud Lacedæmonios tantũ habitum fuisse honorem coniugio, vt si qui essent, qui cœlibem agerent vitam, eos iuberent magistratus per hyemem in vrbem nudos forum circumire, vbi etiam carmen in se compositum canere cogebantur, in quo erat: Iure optimo eos publica ista ignominia affici, quoniã legibus Spartanorum non parerent. Deinde etiam honorum & obseruationum, qua iuuenes seniores prosequebantur, ipsi expertes erant.

Inter reliqua capita, quæ lex Popœa, vt veteres, siue Papia, vt recentiores vocãt, hoc quoq; vnum erat ad augendas cœlibum pœnas, vt qui coniuges filios non haberent, quod alter alteri legasset, decima parte fisco applicaretur. Cui Tiberius Cæsar & illud postea adiecit: Sexagenarius vxorem ne ducito. Eò, quòd generãdis filijs ętas illa penitus inutilis sit visa. Quod legis caput primum Claudius Cæsar, autore Tranquillo, deinde Iustinianus noster in l. Sãcimus. C. de nuptijs abrogarunt. Cùm etiam illa grandæua ætate nonnullos procreasse historiæ tradant.

Cœlum Græcè οὐρανός οῦ ὁ, & οὐράνιος ου ὁ cœlestis dicitur. Et est continentia visibilium & inuisibiliũ creaturarum, secundum Ioannem Damascenum libro secundo capite sexto. Diciturq; secundum Varronem & Pliniũ, quod varijs syderibus sit cælatum, id est sculptum & insignitum.

Calliditas gręcè πανουργία ας ἡ, & πανοῦργος ου ὁ callidus dicitur. Et est callidus is, cui quemad-

modum

modum manus opere, sic animus vsu concaluit, diciturq́; à callus calli: Est autem callus cutis labore viæ pedibus, aut alio opere in manibus, vel parte alia corporis densior facta, à quo fit calleo verbum, quod est callum facio, quod ad animũ nonnunquam transfertur, & callere est callidè scire. Iuuena: Ostrea callebat primo deprehendere morsu. Horatius: Legitimumq́; sonum digitis callemus & aure, id est, scimus & nouimus. Nam sicut pes longo labore callũ facit, ita mens longa experientia facit quendam habitum in his rebus, in quibus versatur, vnde callidus astutus, & calliditas astutia per ll geminatum. Verùm per simplex l venit à calor caloris, estq́; calidum, frigido oppositum, habetq́; primam breuem. Virgilius: Ferrum calido in pulmone tepescit.

Calumnia Græcè διαβολή ῆς ἡ, & διαβάλλω calumnior dicitur. Et est criminis impositio falsa & malitiosa, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 68. art. 3.

Vel sic:

Calumnia est alicuius in litibus per fraudem & frustrationẽ vexatio, diciturq́; à caluo, quod est decipio & frustror, tractum à militib. caluis, qui omnibus solent esse derisui.

Duplex est calumnię genus, quorum alterum vituperando, alterum laudando famæ ac commodis hominum insidiatur: quorum postremũ tãquam proprias sedes principum aulas sibi delegit, author Polybius libro 4.

Idem.

Cùm aduersus socios atq; amicos aliquid narratur, res omnis discurrenda prius, quàm calumniæ fidem adhibeas.

Socrates in Apologia apud Platonem.

ἀλλ' ἡ τοῦ πολλῶν διαβολὴ, καὶ φθονός ἃ δὴ πολλοὺς, καὶ ἄλλους, καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας ᾔρηκεν. δίμαι δὲ καὶ ἐμὲ αἱρήσει.

Menander.

νικᾷ γὰρ ἀεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα. id est,
Vincit enim semper calumnia præstantiora.

AMANTIVS. Lucianus in oratione de calumnia à Philippo versa.

Calumnia est secundum Lucianum, delatio mentita odio, clanculum reo calumniatori credita, delato ad respondendum ac refellendum non admisso: Constat autem à tribus personis, perinde atq; comicum argumentum: scilicet, delatore, delato, & auditore calumniæ.

Menander.

οὐδὲ διαβολῆς καταφρονεῖν, οὐδ' ἂν σφόδρ' ᾖ
ψευδής, ἐπίστανται αὐξάνειν αὐτήν τινες
δι' οὓς φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτ' ὀρθῶς ἔχει. id est:
Non est contemnenda calumnia, etiamsi prorsus fuerit
Falsa, aliqui enim ipsam extollere norunt.
Propter quos huiusmodi cauere conuenit.

Cleãnthes.

κακοεργότερον οὐδὲν διαβολῆς ἐστί πω,
λάθρα γὰρ ἀπατήσασα τὸν πεπεισμένον
μῖσος ἀναπλάττει πρὸς τὸν οὐδὲν ἄξιον
Nihil ferè tam est malignum, quàm calumnia:
Hæc enim vbi clàm aliquem à se persuasum decepit,
Odium excitat aduersus eum, qui nihil est commeritus.

Euripides in Alexandra.

ἄναξ διαβολαὶ δεινὸν ἀνθρώποις κακόν,
εὐγλωσσία δὲ πολλάκις ληφθεὶς ἀνὴρ
δίκαια λέξας, ἧσσον εὐγλώσσου φέρει. id est:
Domine, vehemens est malum, inter homines calumnia,
Sæpè autem alius eloquentia superatus, licèt iusta dixerit, post habetur non eloquenti.

Menander.

Nihil est grauius quàm calumnia,
Nam quod alteri inest peccatum
Illuminet, qui calumniam patitur, utpote
Proprium crimen suscipere necessarium est.

Græci uersus.

οὐδὲν διαβολῆς ἐστιν ἐπιπονώτερον,
τὴν ἐν ἑτέρῳ γὰρ κειμένην ἁμαρτίαν
ἀεὶ μέμφιν ἰδίαν αὐτὸν ἐπάναγκες λαβεῖν.

Idem.

τὸ δοκεῖν διαβολὴν ἔχει μείζω τοῦ ποιεῖν.

Suspiciones maiorem pariunt calumniam, quàm ipsa facta.

Thucydides.

Διαβολὰς οὐ σώφρον' οὔτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους οὔτε ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι.

Id est:

Non decet calumnias, neq; alijs narrare, neq; audiendo suscipere.

Demosthenes.

Διαβολὴ καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκοῦσι τὴν ὑπόληψιν, χρόνῳ δὲ πάντως ἀσθενεστέρα γίνεται.

Id est:

Calumnia aliquãtisper quidem audientium opinionem confirmat, progressu verò temporis nihil ipsa imbecillius est.

Plutarchus in libro de calumnia.

ἱππίας φησι, δὲ δεινόν ἐστιν ἡ διαβολία, οὕτως ὀνομάζων, δὲ οὐδὲ τιμωρία τις κατ' αὐτῶν γέγραπται ἐν τοῖς νόμοις. ὥσπερ τῶν κλεπτῶν, καίτοι ἄριστον ὂν κτῆμα τὴν φιλίαν κλέπτουσιν. ὥστε ἡ ὕβρις κακοῦργος οὖσα, δικαιοτέρα ἐστὶ τῆς διαβολῆς, διὰ τὸ μὴ ἀφανὴς εἶναι.

Id est:

Hippias grauissimam rem calumniam esse dicit, quia nulla pœna lege sancita sit calumniatoribus, vt furibus: quamuis amicitiam, quæ optima est possessio, furentur. Quamobrem contumelia, licèt malefica sit, iustior tamen est, quàm calumnia, quæ quia latet, nocentior est.

Leuitici 19.

Non facies calumniam proximo, nec vi opprimes eum.

Isocrates

frices: proinde talibus adiuti socijs calumniatores cùm irruerint, cuncta pro viribus euertunt: nec magnò emitur victoria, vbi nemo repugnat, nemo vim tormentorum sustinet, aut iaculis iacula mutet: sed qui auscultat, ipse sese sponte sua in manus hostium dedit, interim insidiarum ignarus, & qui accusatur. Nam haud aliter qui deferuntur, atque qui captis vrbibus pereunt, dormientes trucidantur: & quod est in primis miserabile, nescius se reum haberi, neque cuiusquam sibi sceleris conscius, amico candidè congreditur, familiariter compellat, facitque pro more, iam antè vndique circunuentus insidijs miser, tum ille si homo ingenuus est & liber confidensq;, frangit iram, effundit animũ, defensionem recipit, agnoscitq; se frustra aduersus amicum exacerbatum fuisse.

NANVS. CAnticum Græcè ᾆσμα ατος τὸ & est exultatio mentis de æternis habita, prorumpens in vocem: & differt ab hymno, quia hymnus est laus Dei cum cantico. Hoc ex B. Thoma Psal. prolo. co. 1. fin.

Græci canticum hymnum vocant. Item psalmum. Sed propriè hymnus dicitur, qui voce naturali fit psalmus, cum aliquo musico instrmento. Vnd psalmodia deducitur canticum mixtũ, vt cùm aliquis ad cytharam, siue aliud musicum instrumentum canit. Hinc etiam Psalterium instrumentum musicum. Psalmus autem ἀπὸ τοῦ ψάλλω deriuatur, quod significat canto.

Chaos Græca dictio est χάος εος τό. est autem, vt scribit Sextus Pompeius ex sententia Hesiodi, confusa quædam ab initio vnitas hyans, patensq; in profundum, ex eo quod Græci χάινειν nos hiare dicimus. Alij volũt chaos id esse, quod à philosophis materia prima nuncupatur, quod videtur sensisse C. Manilius astrologiæ li. 1. Cæcaq; materies cælum perfecit & orbem.

Captiuitas Græcè αἰχμαλωσία ας ἡ, & αἰχμάλωτος ου ὁ captiuus est. Dicitur autem à capio, quod est occupo, & meum facio. Varro: Quid hic venator non cepit? Cicero: Nauem quandam piratarum præda onustam cepêre. Inde captiuo verbum, quo quidam iuniores vsi sunt.

Capitalis Græcè κεφαλικός οῦ ὁ dicitur. Est aũt capitale vitium, quod pœna capitis punitur, vel quod est per se causa finalis multorum peccatorum, secundum B. Thom. 1. secundæ q. 84. art. 3. Hoc autem secundo modo acceptum sufficienter diuiditur in septem, quæ sunt: Inanis gloria, Auaritia, Luxuria, Gula, Acedia, Inuidia, & Ira.

Caput Græcè κεφαλή ῆς ἡ, & κεφαλίς ίδος ὁ dicitur. Dicitúrque eò, quòd hinc capiant initium sensus, & nerui, secũdum Varronem. Caro quid sit, de quibus dicatur, & quæ eius sint diminutiua. Vide infrà in Creatio.

Charitatis
- *Materia*
  - *Circa quam, id est, Obiectum*
    - *Formale, Bonitas diuina.*
    - *Materiale. Omne diligibile propter Deum particeps beatitudinis actu, uel potentia.*
  - *In qua, id est, subiectum est* — *Voluntas, quæ habitu charitatis perficitur.*
- *Causa efficiens*
  - *Dispositiua.* — *Actus humani procedentes ex corde puro, cõscientia bona, & fide non ficta, ut ait Apostolus 1. ad Timotheum 1. Spes & timor malorum. Memoria beneficiorum & præmiorum.*
  - *Perfectiua.* — *Ipse Deus.*
- *Actus*
  - *Interior*
    - *Principalis est dilecti, qua continetur beneuolentia*
      - *Dei propter se.* — *Oppositum*: *Odium Dei*
      - *Proximi propter Deum.* — *Oppositum*: *Odium proximi.*
    - *Secundarius & consequens dilectionem est*
      - *Gaudium*
        - *De bono diuino* — *Oppositum*: *Acedia*
        - *De bono proximi.* — *Oppositum*: *Inuidia.*
      - *Pax & cõcordia*
        - *In corde.*
        - *In ore.*
        - *In opere.*
        - *Oppositum*: *Discordia, Contentio, Schisma, Bellum, Rixa, Seditio.*
      - *Misericordia. Oppo. Inhumanitas, uel obturatio contra misericordiam.*
  - *Exterior*
    - *Beneficentia*
    - *Eleemosyna*
    - *Correctio fraterna.*
    - *Oppositum*:
      - *Generaliter, omnis iniusta proximi læsio.*
      - *Specialiter, scandalum.*
      - *Horum omißio.*
- *Correspondentia*
  - *In donis est sapientia.* *Oppositum* *Stultitia.*
  - *In beatitudinibus: beatitudo septima. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.*
  - *Ex B. Thoma secunda secundæ.*

CHaritas Græcè ἀγάπη ης ἡ, & ἀγαπητός οῦ ὁ charus seu dilectus dicitur. Et est rectißima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, secundum Augustinum,

gustinum,& in 3.Senten.distinct.2.

Charitas est actio rectitudinis oculos semper habens in Deum, secundum Augustinum lib. de doctrina Christ.

Charitas est mutuus amor hominis ad Deũ, vel amicitia quædam hominis ad Deũ, & econtrà, fundata super cõmunicatione beatitudinis. Cuius obiectum est Deus propter se dilectus, & proximus propter Deum, secundum b.Thom. secunda Secundæ,q.23.art.1.

Charitas dicitur à χάρις τοῦ ἡ, quod est gratia. Differt autem ita ab amore, quòd amor genus est, charitas species. Amor ad omnia pertinet, charitas tantùm ad homines, & quidem pro dignitate & qualitate personarũ. Maior enim charitas debetur parentibus, proxima liberis, & deinceps reliquis.

Carum præterea est, quod vili contrarium est. Vnde caritas pro penuria accipitur. Quidam tamen sic caritatem à penuria separant, vt caritas sit annonæ: penuria autem cæterarum rerũ, vt vini, mellis, olei, pomorum & huiusmodi. Et eo modo, quo caritas venit à careo, id est, non habeo, sine aspiratione scribitur. E contrà charitas, quæ à χάρις deducitur, cũ aspiratione scribenda videtur.

Charitatis præcepta duo sunt, scilicet amor Dei, & amor proximi. 8. q 1. in scripturis ante finem.

Charitas perfectissima in hac vita haberi non potest, de Pœn.dist.2.cap.2. Charitas glo.in Cle. Ad nostrum de hære.

Charitas bene ordinata incipit à seipso. cap. qui vult ordinatè, de pœn. dist.3.

Matthæi.22.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundũ autem simile est huic: Diliges proximũ tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.

1.ad Corint.8.

Charitas verò ædificat.

Ibidem 13.

Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidẽ, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quęrit quę sua nõ sunt, non irritatur, nõ cogitat malũ, nõ gaudet super iniquitate, cõgaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.

Ibidem.

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.

Ad Galat.6.

Alter alterius onera portate.

Ad Colloss.3.

Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.

1.ad Timoth.1.

Finis præcepti charitas est.

Ad Hebræos 10.

Consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.

Ibidem 13.

Charitas fraternitatis maneat in vobis.

1.Petri 4.

Ante omnia autem mutuã in vobismetipsis charitatem habentes, quia charitas operiet multitudinem peccatorum.

1.Ioan.4.

Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est.

Ibidem.

Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Augu.lib.de spiritu & anima.

Charitas est concordia mentium, & societas electorum, vita beata animarum, & angelorum.

Augu. lib. de doctrina Christ.

Charitas est actio rectitudinis oculos semper habens in Deum.

Idem lib.8.de Trinitate.

Charitas est virtus copulans amantem cum amato.

Au.lib.de bapt.& hab.1.q.1.ca.Multæ autem.§ Charitas.

Charitas, quę operit multitudinem peccatorum, Proprium donum est catholicę vnitatis & pacis. Nec est in omnibus donum eius, quia nec omnes sunt eius.

August.lib.de baptismo

Redire dimissa peccata. Vide suprà in Amor. proxi.

Aug.& hab.24.q.pri.Vbi.

Vbi charitas nõ est. Vide suprà in Amor.proximi.

Idem & hab.24.quæst.3.Corripiatur.

Sic affici debemus. Vide suprà in Amor.proximi.

Idem & hab.de pœn.dist.2.Charitas.

Charitas est aqua. Vide suprà in Amor.proximi.

Idem ibidem, & hab.ibidem.

Sine charitate quomodo. Vide suprà in Amo. proximi.

Idem ibidem, & hab. de pœn. dist. 2. Si quis.

Si quis tantam habuerit. Vide suprà in Amo. proximi.

Idem ibidem, & hab. ibidem cap. Sicut.

Sicut seta introducit filum. Vide suprà in Amor. prox.

Augu. super epist. Ioan. cap. 7.

Si non vultis in ista eremo. Vide suprà in Amor. prox.

August. ad Iulianum comitem, & hab. de pœn. dist. 2. Charitas.

Charitas quę deseri potest, nunquam vera fuit.

Augu. ad Hirronymum, & hab. de pœn. dist. 2. Charitas.

Charitas in quibusdam perfecta. Vide suprà in Amor. prox.

Idem ad Martianum.

Dilectio est pacis vnda. Vide suprà in Amor. proximi.

Augu. hom. 8. & hab. de pœniten. dist. 2. Quia radix.

Quia radix omnium malorum est cupiditas. Vide suprà in Amor. prox.

August. in Enchiridion.

Finis præcepti est charitas. Vide suprà in Amor. prox.

August. lib. de meritis & remißione peccatorum, & hab. de Consec. dist. 4. Ecclesiæ.

Ecclesiæ charitas quæ per Spiritum sanctũ. Vide suprà in Amor. prox.

Idem de doctrina Christ.

Sola charitas est quæ vincit omnia. Vide suprà in Amor. proxi.

Idem super epistolam Ioannis, & habetur de pœniten. distinction. 2.

Radicata est charitas. Vide sup. in Amor. pro.

Idem lib. de Cathezizandis rudibus.

Charitas alios parturit. Vide suprà in Amor. proxi.

Hieron. super epist. ad Galat.

Vide quantum bonum est charitas. Vide suprà in Amor. prox.

Idem in epist. ad Nepotianum.

Non memini me legisse. Vide suprà in Amo. prox.

Ambros. super epist. 11. ad Corinth. & hab. de pœn. dist. 1. Ficta.

Ficta charitas, quæ deserit in aduersitate.

Grego. Moral. lib. 7.

Quia duo sunt præcepta: Vide suprà in Amo proxi.

Idem in Pastorali.

Tunc ad alta charitas mirabiliter. Vide suprà in Amor. proxi.

Greg. super Ezechielem hom. 6.

Adoptio filiorum sola charitate. Vide suprà in Amor. prox.

Grego. in Registro.

Honorem meum non reputo, in quo fratres meos suum perdere cognosco.

Plato lib. 2. de Legibus.

Cũ discesserit homo à Charitate summi Dei, à seipso discesit.

Castigatio Græcè παιδεία ας ἡ, & παιδεύω. castigo dicitur: Castigo autem dicitur, quasi castũ ago. hoc est, honestũ, & idem est, quod increpo & reprehendo. Cicero: Omnis autẽ animaduersio & castigatio cõtumelia vacare debet, neque ad eius, qui puniat aliquem, aut verbis castiget, sed ad reipub. vtilitatem referri. Aliquando castigo pro punio ponitur. Virg. Castigatq; auditque dolos. Hinc castigatum, correctum, emendatũ, probum & honestum dicimus.

CAstitas Græcè ἁγνεία ας ἡ, & ἁγνός ου ὁ castus dicitur. Est autem castitas virtus specialis circa Venerea, si strictè sumatur, sicut abstinentia circa cibos, largè verò sumpta est essentialiter omnis virtus, secundum b. Thomam secũda Secundæ quæst. 191. art. pri.

Castitas virtus dicta est à castigatione concupiscentiæ tanquã pueri, secundum b. Thom.

Ibidem uel sic.

Castum propriè dicimus pudicum, & immaculatũ, quasi castratũ. Nam castrare propriè est pudenda amputare. Qui verò pudẽdis caret necessario castus est. Metaphoricos castum pro honesto ponimus, vt cantum castum, in quo nihil est lasciuiæ, & castam manum, à furtis & rapinis se continentem. Virg. in Geor. Casta pudicitiã seruat domus. Item castus pro pio & religioso ponitur. Virgi. Quiq; sacerdotes casti, dum vita manebat.

Castus & continens sic differunt, quòd castus dicitur ante experientiam rei Venereæ, cõtinens verò post eam, secundum b. Tho. secunda Secundæ q. 160. art. 1.

Castitas differt à pudicitia, quia pudicitia est præcipuè circa signa Venereorum, vt sunt tactus, oscula & huiusmodi: castitas verò circa Veneream cõmixtionem, secundum b. Thom. secunda Secundæ q. 143.

Sapient. 6.

O quàm pulchra est casta generatio.

Math. 6.

Si enim oculus tuus simplex fuerit, totũ corpus tuum lucidum erit.

1. ad Timoth. 5.

Teipsum castum custodi.

Ad Corint. 7.

Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suã, benefacit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui nõ iungit, meliùs facit.

Augu-

Augustinus contra Faustum.

Castitas est pulchritudo animæ, siue filię regis ab intus.

August. super Mat. sermon. 57.

Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest, cui est continentia, si dominetur superbia.

August. in sermone.

Inter omnia certum est, Christianorũ duriora sunt prælia castitatis. Nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Rara enim concordia formę atq; pudicitiæ. Rara auis in terris nigroque simillima cygno.

August. in quæst. Deutero. & habetur 24. quæst. 4. Meretrices.

Meretrices esse, & ad meretrices accedere, prohibet Dominus, quarum publicè venalis est turpitudo.

Augu. Honorato epis. & hab. 32. quæst. 5. Magis.

Magis timeamus, ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quã ne fœminæ constuprentur violenter in carne, quia violentia non violatur pudicitia, si mente seruetur. Quoniam nec quis in carne violatur, quando voluntas patientis turpiter carne non vtitur, sed sine confessione toleratur, quod alius operatur.

August. contra Iulianum lib. 4.

Pudicitia est res animæ, virginitas corporis, deniq; illa integra in anima permanẽte, potest ista de corpore sibi violenter auferri, & cũ ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciui voluntate corrumpi.

August. de diffinitionibus

Castitas est virtus sub iugo rationis impetũ libidinis refrenans.

Ibidem.

Castitas est per edomitas vitiorũ furias munda & honesta totius corporis habitudo.

Augu. lib. de bono coniuga.

Proposito animi permanente, per quod & corpus sanctificari meruit: nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quã seruat perseuerantia continentiæ sanctæ.

Ibidem.

Sicut bonum erat, quod Martha faciebat occupata circa ministerium sanctorũ, sed melius quod Maria audiens verbum Dei: ita & bonum Susannæ in castitate cõiugali laudamus, sed bonum viduæ Annæ, & magis Mariæ virginis anteponimus.

Ibidem.

Murmurant quidam dicentes: Quod si iniquiunt omnes homines velint ab omni concubitu cõtinere, vnde subsistet genus humanum? Vtinam hoc omnes vellent duntaxat in charitate, nam multò citius Dei ciuitas impleretur & acceleraretur seculi terminus. Quid enim aliud optat Apostolus, cũ dicit: Volo omnes homines esse sicut meipsum.

Aug. de Virginitate.

Vbi necessitas imponitur castitati, autoritas datur libidini: itaq; nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta, quæ mercede conducitur.

Idem de communi uita cleric.

Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudci cordis est nuntius.

Hiero. & hab. 33. quæst. 5. Hoc solum.

Hoc solùm nũc dico, quòd quomodo absq; cæteris operibus virginitas sola non saluat, sic omnia opera absq; virginitate, puritate, continentia, castitate imperfecta sunt.

Hiero. ad Damasum Papam.

Considerandum pueris est, vt casti & pudici permaneant, & frequentius ad Ecclesias sciant conuenire debere, quia frequentius sunt armãdi, quibus adhuc propter ætatem minus stabilem pugna diaboli futura sit grauior. Obseruanda illis omnia cum timore, & ante omnes cauẽdum à fornicatione, quæ initiũ ad idololatriã habet, & necesse est vt vtrunq; nouerit, qui secutus est alterum.

Ibidem.

Sed quoniam castus timor est Dei, & est castitas species continentię, de continentia & eius virtutibus nunc videtur tractandum. Est autẽ continentia appetitus omnium rerum malarũ refrenatio: malarum addũt, dicentes: definitionem istam cõmunem esse in rebus bonis & malis. Nam qui se à bonis retinet, non bene continens, sed à malis rectè.

Idem ad Damasum Papam epist, 7. cap. 23.

Dicam & ego nuptiatorib. meis, qui post castitatem & diuturnã continentiã sudant, ad canum & pecudum morem lasciuiũt, sic insipientes estis, vt cũ cœperitis spiritu, nunc carne consumemini, tanta passi estis sine causa. Apostolus quod continentiæ quibusdã nodos relaxat, & dimittit frena currentibus, propter infirmitatem carnis hoc facit. Contra quã scribens denuò loquitur dicens: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ.

Hiero. contra Vigilantium hæret.

Hoc docuit Dormitãtius libidini frena permittens, & naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia plerunq; feruescit, suis hortatibus duplicãs (imò extinguens coitu fœminarum) vt nihil sit, quo distemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus scriptũ est: Equi insanientes in fœminas facti sunt mihi, vnusquisq; in vxorẽ proximi sui hinniebat, hoc est quod per Dauid loquitur spiritus sanctus: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus.

Idem epist. 69.

Alia peccata extrinseca sunt, scilicet, auaritia & alia, sola libido insita est. Grandis enim virtus est, quòd nata sis in carne, non carnaliter viuere, tecũ pugnare quotidie & inclusum hostẽ Argi (vt fabulę ferũt) cẽtũ oculis obseruari.

Ibidem.

Quicquid seminarium voluptatis est, venenũ puta, parcus cibus & venter semper esuriens triduanis ieiunijs præfertur.

Ambrosi. lib. de Virginitate.

Non est casta, quæ metu cogitur, nec honesta, quæ mercede conducitur.

Grego. Moralium 21. super illud Iob 31. Pepegi foedus cum oculis meis.

Vt munda sit manus in operatione à lasciuia voluptatis, deprimendi sunt oculi, quasi quidã raptores ad culpam.

Gregorius Petro subdiacono, & hab. dist. 31. Ante triennium. §. Nullus.

Nullus debet ad altaris ministerium accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministeriũ fuerit approbata.

Grego. in Registro.

Oculi nostri etsi iactantur in aliquã fœminã, in nullam figantur. Nec enim quando procedi tis, fœminas videre prohibemini. Sed appetere, & ab ipsis appeti velle criminosum est.

Ioan. Chrysost. super Mat. & habetur 32. q. 5. Sicut enim.

Sicut enim peccatũ opus sine voluntate non facit, ita & iustitia ex opere non cõsummatur, nisi & voluntas affuerit. Multi enim corpore quidem castitati student: adulteriũ aũt voluntate cõmittunt, cũ Dominus dicat, qui viderit mulierem ad cõcupiscendũ eam in corde suo, iam mœchatus est eam. Ergo voluntas sine opere peccat frequenter, illa est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitati corporis, sed quam cõplectitur voluntas sancti propositi.

Ioan. Chrysost. super Psal. hom. 50.

Castitas sine comitibus suis, ieiunio videlicet & temperãtia citò labascit, quòd si his quasi amminiculis roborata fuerit, perfacilè coronabitur.

Isidorus.

Non potest corrumpi, nisi prius corruptus fuerit animus: munda namq; à contagione anima, caro non peccat.

Isidorus super Exodum, & hab. 32. q. 5. Non Mœchaberis.

Non mœchaberis, id est, ne quisquam præter matrimonij fœdera alijs fœminis admisceatur ad explendam libidinem. Nam adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit.

Isidorus lib. 2. de summo bono.

Quidam in iuuentute luxuriæ viuentes, in senectute continentes fieri delectantur, & tũc eligunt seruire castitati, quando libido eos seruos habere contempsit: nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in iuuentute luxuriosè vixerunt, tales non habent præmiũ, quia laboris certamen non habuerũt, eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt gloriosa certamina.

Bernardus in epist. ad Senon.

Differunt quidem inter se homo felix & angelus, sed felicitate non virtute, sed & si illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur: castitas sine charitate lampas est sine oleo, subtrahe oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, castitas non placet.

Ibidem.

Vtinam, qui continere non valent, cœlibatui cederent, ne vrerẽtur: esset procul dubio melius nubere quàm vri, & seruari in humili gradu, quàm in sublimitate cleri deterius viuere.

Ibidem.

Quid castitate decorius? quæ mundũ de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, hominem deniq; angelum facit.

Ibidem.

Sola est castitas, quæ in huius mortalitatis & loco, & tempore statum quendam immortalis gratiæ repræsentat, in qua, nec nubent, nec nubentur.

Hugo de claustro lib. 2.

Pudicus oculus ianitor est cordis, sedet ad ianuam, nec permittit intrare, quod noceat, nihil nunciat, nisi quod deceat, quicquid indecens nouerit esse, excludit & eliminat: impudicus verò, quærens, quod placeat per omnia discurrit, volentes intrare permittit, patitur nolentes verò monet & hortatur, vnde dicit scriptura: Oculi sunt prima tela adulteræ.

Hugo de claustro animæ, lib. 53.

Attende, deprecare, fuge mundum, quia vanitas est, fuge peccatũ, quia iniquitas est, attende carnem tuã, quia fragilis est, & quasi vapor ad modicũ parens est. Deprecare Deũ, quia miserabilis est, & ipse misericors & clemens est.

Cassidorus super Mat.

Sex sunt, quę incorruptam conseruant castitatem, scilicet sobrietas, operatio, asperitas, cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis cum honestate, euitatio, opportunitas & personę & loci, & temporis.

Seneca tragœd. 4.

Feræ ipsæ quoq; Veneris euitant nephas,
Generis legis inscius seruat pudor.

Laert. Diog. de uita & moribus philoso.

Cùm quidã stolidus audiente Pythagora diceret, malle se cum mulieribus esse, quàm cum philosophis cõuersari. Et sues, inquit Pythagoras, libentius in cœno, quàm in aqua versantur

Cicero

Cicero lib. Officiorum.

Atq; si considerare volumus, quę sit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus quàm sit turpe defluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere, quàmq; honestum parcè, continenter, seuerè, ac sobriè.

Idem lib. 2. de Legibus.

Ad Diuos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amouēto: qui secùs faxit, Deus ipse vindex erit.

Ibidem.

Castè iubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet inteligi, cū multum animus corpori præstet, obserueturq;, vt casta corpora adhibeantur, multò esse in animis id seruandum magis. Nam incestum vel aspersione aquæ, vel dierū numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate uanescere, nec manibus vllis elui potest.

Ouidius lib. 3. Amorum. uel de fine titulo.

Si qua metu dempto casta est, ea deniq; casta est,
Nec custodiri ni uelit ulla potest.

Tibullus lib. 2. epist. pri.

Vos quoq; abesse procul iubeo, discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum ueste uenite.
Et manibus puris, sumite fontis aquam.

Franciscus Petrarcha Soneto 224.

Chara la uita, & dopo lei mi pare
Vera honesta che in bella dona sia.
Lordine uogli, & non fur madre mia
Senza honesta mai cose belle o chare.
Et qual se lassa del suo honor priuare
Ne dona e piu ne uiua, & se qual pria
Appar in uista & tal uita aspera & ria
Via piu che morte & di piu pene amare. id est,
Chara uita, & post eam mihi uidetur
Vera honestas, quæ in formosa muliere sit,
Ex debito ordinis, nec fuerat mater mea
Citra honestatem res pulchræ & charæ.
Et quæ permittit suo honore se exui.
Nec mulier est nec uiuit & si ut prius
Ita nunc in facie uidetur, talis uita asperior
Longè est morte. & amarioris supplicij.

Franciscus Petrarcha Soneto 226.

Laltra belta chal mundo non ha pare
Noia te, se non quanto il bel thesoro
Di castita per che lador ni & fregi. id est.
Altera pulchritudo, cui in orbe æqualis nulla
Tædium tibi affert. nisi quod pulcher thesaurus
Castitatis, te & ornare ac polire uidentur.

Casus quando significat calamitatem, seu infortunium, Græcè περίστασις, σιος ἡ, & συμβορὰ ἡ dicitur. Est autem casus causa per accidens, eorū quæ fiunt propter finem, & in minori parte. Et sic capitur generaliter. Casus si capitur specialiter, est causa per accidens, eorū, quæ non fiunt secundum propositum, secūdum finem in minori parte: secundum Aristotelem libro secundo Physicorum.

Casus & fortuna sic differunt, quia fortuna est causa per accidens secundum propositum extra semper & frequentet eorum, quę propter hæc sunt. Quare infans, inanimatum, & bestia nihil faciunt à fortuna. Casus autem in plus se habet, quàm fortuna.

Seruius Sulpitius lib. 4. epist. Cice.

Casus & natura in bonis dominantur.

Terent. in Hecyra.

—Sæpe, fortè, temerè
Eueniunt, quæ non ausis sperare—

Ouidius de Arte.

Casus ubiq; ualet. Semper tibi pendeat hamus,
Quo minimè credis, gurgite piscis erit.

Causa Græcè αἰτία, ας ἡ dicitur. Et est aliquid à quo aliquid dependet, vel depédebat, in esse fieri, vel conseruari simpliciter, vel in esse tali, vel tanto cōmissiuè, siue omissiuè, mediatè, vel immediatè, positiuè, vel priuatiuè, vel aliquid amatum, vel desideratū propter quod, amatū vel desideratum agens aliquid producit, secundū Aristotelem lib. 2. Physicorum.

Causa est quadruplex, scilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis.

Vel sic

Causa est id, ex quo, vel per quod, vel à quo, vel propter quod aliquid fit. Vnde quatuor genera causarū scribit Aristo. Materialem ex qua aliquid fit. Formalem, per quam aliquid tale fit Efficientem, à qua aliquid fit: & Finalem, cuius gratia aliquid fit.

Causa causarum, est ipse rerū omniū opifex.

Causa à ratione ita differt, quòd causa est ipse impulsus ad aliquid agendū. Ratio verò est ordo gerendorum ex causa venientium.

Causa dicitur à χαῦσις, ιος ἡ quod ardorem siue incendium significat, quoniam causa accendimur ad aliquid agendū, vel à Chao, quia confusa illa materia prima omnium rerū causa fuerit, vel à casu, quoniā origines rerū casu veniāt.

Cautio Græcè εὐλάβεια, ας ἡ, & εὐλαβὴς, έος ὁ ἡ cautus dicitur. Est autem cautio, qua sic capiuntur bona, vt vitentur mala, quibus actus virtutum impediri possunt, vitentur inquam totaliter, vel vt minus noceant, secundum beat. Tho. secunda Secundę quęst. 89. art. 4.

Cautio est, qua discernimus à virtutibus vitia, virtutū speciem pretendentia, secundum b. Tho. 3. Senten. dist. 33. quęst. 3. art. pri.

Censor Gręcè τιμητὴς οῦ ὁ, & τιμητεία, ας ἡ cēsura dicitur. Et est is, ad quem cura morum spectat, vel censor est morū reprehensor & castigator, dictus à censendo, id est, iudicãdo vel ęstimando,

do, quoniam rem suam tanti quisq; æstimare soleret, quantum illi censuissent. Ad Censores enim spectabat vniuscuiusq; facultates ęstimare, vt secundum eam tributa penderentur. Hinc etiam censura deducitur, quę est seueritas vel correctio. De hac materia vide infrà in correctio.

Census Grecè εὐπορία ας ἡ, & εὔπορος ου ὁ ἡ diues dicitur, & est facultas vel opulētia. Ouidius: Sed quia non census: nec clarum nomē auorum, Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

Census etiam est quædam pēsio, quæ de prouentibus soluitur, vt habetur 1. quæstio. 3. Quæsitum.

Census est quicquid annuatim soluitur in quantitate vel summa, ff. de censi. L. Aetatem.

Ceremoniæ sunt opera exteriora ad cultum Dei pertinentia B. Thom. 1. Secundæ q. 99. ar. 3.

Ceremoniæ dicuntur apud Latinos generaliter omnes ritus sacrificiorū: à Cerere oppidò dictæ, vt placet Valerio Maximo, vel à Charitate.

Certitudo Grecè δήλωσις ιος ἡ, & δῆλος ου ὁ certus & manifestus dicitur. Est autem certitudo firmitas adhæsionis virtutis cognitiuæ ad suum cognoscibile. Thom. 3. dist. 26. quæst. 2. art. 4.

Certum dicitur id, de quo propria vel in dubitata circumlocutione constat, vt in glo. de priuile. c. Cùm & plantare. Instit. de exhæredatione libe. §. Nominatim.

Ceruicositas Græcè αὐθάδεια ας ἡ, & αὐθάδης εος ὁ ἡ ceruicosus. Idemq; est, quod contumacia, & pertinacia. Dicitur autem à ceruice posteriore parte colli, ex qua est origo omnibus neruis. & quoniam nerui ipsi corpus erectum ac rigidum faciunt, & in ceruice sunt collocati, dicimus hominem ceruicosum, quasi nulli omninò caput inclinare volentem. Idemq; duri capitis, duræ ceruicis, duræq; mentis dicitur.

Circulus Græcè κύκλος ου ὁ, & κύκλωσις ιος ἡ circuitus vel circulatio dicitur. Est autem circulus figura cui conuenit per se rotunditas, secūdum B. Thom. contra gen. 2. cap. 54.

Circulus est prima figura plana, habens tantum vnam lineam, secūdum eundem super lib. cæli 2. lec. 5.

Circulatio est motus, qui fit circa medium, secundum Aristot. lib. 1. de cælo & mundo.

Circunstantia Grecè περίστασις ιος ἡ dicitur, & est accidens actus humani attingēs eum extrinsecè, secundum B. Thom. prima Secundæ. quæ. 7. arti. 1.

Circunspectio à circunspicio, quod Grecè περιβλέπω dicitur, & est contrariorum vitiorum cautela, cuius officium est virtutes sic seruare, vt in vitia homo non cadat, vt habetur in morali dogmate Philosophorum.

Circunspectio est attentio circunstantiarum in negotio morali, secundum B. Tho. 22. q. 48. & à Macrobio ponitur pars prudentiæ.

Ciuitas Græcè πόλις ιος ἡ, & πολίτης ου ὁ ciuis dicitur. Est autem ciuitas societas, quæ conficitur ex plurib. pagis, quæ est ex his, quę natura sunt, secundum Aristotelem libro 1. Politicor.

Ciuitas est multitudo ciuium, quæ per se sufficiens est ad viuendum, secundum eundem libro 1. Politicorum.

Ciuitas est generum pagorumq; societas vitæ perfectæ, ac per se sufficientis, & hoc est bene ac beatè viuere, secundum eundem libro 4. Politicorum.

Ciuitas est populus vel Respub. in qua sorte magistratus declarantur, secundum eundem libro 1. Rhetoricorum.

Ciuitas est multitudo domorum agro & pecunijs sufficienter abundans ad bene viuendū, secundum eundem libro Oeconomicorum. Differt autem ab vrbe, quia ciuitas propriè sunt ciues, vrbs verò mœnia, & ædificia.

Ciuitas est societas, ex multis vicinijs constans atque perfecta: cui præposita est, tanquam extrema ac finis rerum omnium, satis magna abundantia: cuius & origo ad viuendum, & institutio ad bene viuendum refertur. Aristoteles, 1. Politicorum.

Ciuitas est veluti quędam natura animata, & sicut animal bene dispositum secundum naturam, componitur ex quibusdam proportionatis partibus inuicem ordinatis, suaq; opera sibi mutuò communicantibus & ad totum: sic ciuitas ex quibusdam talibus constituitur, cùm bene disposita & instituta fuerit secundum rationem. Aristoteles 1. & 5. Politicorum capit. 2. & Marsilius Patauinus in defensore pacis pro Lodouico Bauaro Imperatore.

Congregati sunt homines propter acquirenda necessaria quædam, vicissitudinaria cōmunicatione inter se. Nam bene viuere volentib. plura exiguntur, quæ tamen per homines vnius ordinis procurari omnia non possunt. Atq; hi ordines diuersi, seu, officiorum communicationes multiplices, pro conseruatione vitæ factæ, nihil aliud sunt, quàm pluralitas, & distinctio partium ciuitatis.

Viuere bene, hominibus est admodum conueniens, Aristoteles 1. Politicorum ca. 2. Cicero 1. Officiorum. Ob hoc omnes homines feruntur ad ciuitatem quasi impetu quodam naturæ.

Ciuitas vocatur quædam cōgregatio perfecta, & terminum habens per se sufficientiæ. Marsilius Patauinus ca. 4. de defensore pacis. Est autem hæc communitas instituta propter viuere & bene viuere hominum in ea.

Ciuitatis partes seu officia.

1. Agricultura, qua ea, quæ ad vitam necessaria sunt, parentur. 2. Artificium. 3. Ars militaris. 4. Mercatura. 5. Sacerdotium. 6. Ars iudicandi.

Ciuitas non est, ubi mali mores increbrescunt.

Ego mihi alios penates deos prosequar, alium larem,

Aliam urbem, aliam ciuitatem. ab Atticis abhorreo:
Nam ubi mores deteriores increbrescunt indies:
Vbiq; amici qui infideles fient, nequeas pernoscere,
Vbi quid eripiatur, animo tuo quod placet maximè:
Ibi quidem si regnum detur, non est cupita ciuitas.

Plautus.

Boni ciuis officium.

Ciuis officium est cōsiderare ciuitatem, tanquam animal vnum ex ciuibus, tanquam particibus ac partem toti, non totum parti seruire debere: quando enim partis tantum commodum quæritur, vtriusq; scilicet tam partis quàm totius commodum prorsus omittitur: quando verò totius quæritur bonum, bonum vtriusq; seruatur. Igitur meminisse debet ciuis, nihil siue boni siue mali, alicui ciuitatis membro posse contingere, quin propter cōnexionem quandam ad cætera membra pertineat: atque totum nihil rursus toti ciuitatis corpori euenire posse quin mox ad singula animalis huius membra pertineat. Nemo igitur in hac vrbana familia dicat meum hoc, & illud tuum: omnia enim in hoc ingenti animali quodammodo communia sunt, sed dicat meum hoc & illud, nō possessione quidem propria, sed affectu potiùs atq; cura. Patriam quisq; tanquam parentum parentem amet & colat. Priuatus antiquis probatisq; legibus obediat tanquā Deo: Non enim absq; Deo huiusmodi leges cōstituuntur. Magistratus meminerit non aliter se legibus, quàm priuatum magistratib. esse subiectum, intelligat se cùm iudicat, iudicari: Platonis præceptū semper ante oculos habeat, vt non seipsum, sed ciuitatem non partem ciuitatis aliquam, sed vniuersum respiciat: sciat denique optimum in cælesti patria huic seruari locum, qui terrenam patriam ad cælestis exemplar pro viribus disposuerit: communi enim mūdi regi nihil gratius, quàm commune bonum. Marsilius Ficinus lib. 1. Epistola ad Petrum.

Cicero de somnio Scipionis.

Sic habeto, omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certū esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruātur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm cōsilia, cœtusq; hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur.

Ciues boni.

Bonos ciues primùm natura efficit, adiuuat deinde fortuna: omnibus enim bonis expedit saluam esse Rempub. Cicero Philip. 13.

Bonorum ciuium est, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reipu. summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potiùs quàm pœna & supplicio dignum iudicari. Pro C. Fabricio.

Plato eum dignum fore Repub. ciuem iudicat, cui vita per omnes ætatis gradus innocenter honesteq; exacta sit.

Ciuitatis felicitas non magnificis murorum structuris, neq; ciuium numerosa multitudine vel quæri: vel contineri potest, sed sapientibus ac moderatis Reip. gubernatoribus. Isocrates in oratione Areopagitica.

Officium ciuium erga magistratus.

Communis est etiam societas quædam, eorū quorū par est causa optimæ vitæ degendę, quo ad eius fieri poterit, gratia constituta. Aristoteles lib. 7. Politicorum cap. 8.

Ciuitas felix quæ sit.

Isocrates de Pace.

Enimuerò ea demum ciuitas felix nominanda est, non quæ ex promiscua hominum colluuie multos ciues temerè colligit, sed quæ antiquissimas & primas familias maximè conseruare studet. Hi etiā viri in pręclaris habendi sunt, non qui potiti imperijs sæuitiam in ciues exercent, aut maiores opes ac potentiam, quàm par & æquum est, habent: sed qui maximis honoribus digni sunt, & illis tamen contenti viuunt, qui populi voluntate ipsis contigerunt: Nam tali auctoritate nemo siue priuatus, siue magistratus, neq; honestiorem, neq; tutiorem, neq; precij maioris, aut magis expetendam suscipere queat.

Regum est promulgare, quid fieri uelint: ciuium obtemperare. Isocrates in Nicocle.

Ego verò cùm omnes orationes probo, quarum quantulacunq; tādem vtilitas esse potest, tum verò pulcherrimas & legibus dignissimas & mihi maximè conuenientes eas iudico, quę de honestis actionibus, & gerendæ Reipub. ratione pręcipiunt: atq; inter illas ipsas excellere censeo, quæ & principes docent, quomodo sit tractāda multitudo & homines priuati, quomodo erga principes affecti esse debeāt: Hæc enim quędam velut instrumenta esse video, vt vrbes & felicissimæ & amplissimæ fiant.

Officium ciuium erga Reges. Ibidem.

Verba mea pro legibus habete, operamq; date vt illis obtemperetis, scientes quòd his qui maximè volūtati meę satisfacere studuerint, viuere licebit, vt ipsi volūt. Caput verò est omniū quæ diximus, quales existimatis vestros subditos erga vos esse oportere, tales vos erga meum imperiū esse debetis. Quę si feceritis, quorsum attinet multa dicere, quid inde sit euenturum? Nam si & ego me deinceps ita gessero, vt superiori tempore, & mihi vos eodem modo inseruieritis: quamprimū videbitis & nostras opes priuatim creuisse, & meum imperium auctum, & ciuitatem felicem esse factā. Operæ precium igitur est, tantis bonis propositis omnia facere, ac labores & pericula quæuis perferre: est autem in potestate vestra situm vt sine vllo ne-

gocio & malo, si fidi & saltem iusti fueritis, hæc omnia perficiatis.

Ciues ueri qui. Viues in 3. Declamatione Syllana.

At dicet aliquis: ciues illi erant: Ego verò id nego, Quirites. At hic erant nati: quasi verò referat, vbi sit quisq; natus, magis, quàm quo animo se ac mente gerat. Ego potius ciues credam, Quirites, eos, qui in extrema Schythia nati, bene de hac communi patria nostra cogitāt, quàm qui ad carinas aut ad pila Horatia, aut in hoc isto foro, vel ipso Capitolio genitus & educatus, locum, libertatem, gloriam, in qua natus est, per summum scelus perdere & velit & conetur: ciues tu mihi putas eos, qui hanc suam esse ciuitatem ipsi non putant?

Isocrates in Areopagitica oratione, seu de uetere Atheniensium Republica.

Καίτοι τὰς εὐπραγίας ἅπαντες ἴσμεν παραγινομένας, καὶ παραμενούσας, οὐ τοῖς τείχη μέγιστα καὶ κάλλιστα περὶ βεβλημένοις, οὐδὲ τοῖς μετὰ πλείστων ἀνθρώπων εἰς τὸν αὐτὸν τόπον ἠθροισμένοις, ἀλλὰ τοῖς ἄριστα καὶ σωφρονέστατα τὴν αὐτῶν διοικοῦσιν. ἔστι γὰρ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἄλλο ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν ὅσηνπερ ἐν σώματι φρόνησις: αὐτὴ γὰρ ἡ βουλευομένη περὶ ἁπάντων καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττουσα, τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα. ταύτῃ καὶ τοὺς νόμους καὶ τοὺς ῥήτορας, καὶ τοὺς ἰδιώτας ἀναγκαῖόν ἐστιν ὁμοιοῦσθαι, καὶ πράττειν οὕτως ἑκάστους, οἵαν περ ἂν αὐτὴν ἔχωσιν. ἧς ἡμεῖς διεφθαρμένης, οὐδὲν φροντίζομεν, οὐδὲ σκοποῦμεν. Id est:

Ecquis omnium ignorat felicitatem neque magnificis murorum structuris, neque ciuium numerosa multitudine vel queri, vel contineri, sed sapientibus ac moderatis Reipub. gubernatoribus? Est enim anima ciuitatis, nihil aliud quàm administratio illius, quæ non minores in ea habet vires, quàm in corpore anima: videlicet hæc est, quæ de omnibus consulit, simul cōseruans profectū, simul nociuum deuitans: Huic oportet & leges & oratores, & priuatos homines esse similes: & sic vnumquenq; agere, pro vt illam sit nactus: hac deprauata, nos nihil habemus pensi, nec solliciti sumus, quemadmodum redintegretur.

Idem in 3. Declamatione Syllana.

Anima ciuitatis ciuilibus legibus continetur.

Petebat Asella eques Romanus consulatum ante præturam, admonui non semel hominem, atque hortatus sum, ne ipse primus populi legibus & decretis contrairet, ne non tam ille, quàm ego contemnere leges, quas ipse tulissem, viderer: ea enim faceret ipse, fretus potestate mea omnia quæ facere creditur, ille insolentior mea familiaritate factus, & me, & vos, & vestras leges pro nihilo duxit. Hominem qui id crimen commisisset, habita priuatura inter communes amicos puniui, nolens quenquam esse in hac ciuitate potentiorem, quàm leges, quàm vestra scita, & iussa, maluiq; orbari & carere amico, ac periculorum socio, quàm quiete ciuitatis, quæ custodiendis legibus continetur.

Aurea sententia.

Euripides.

εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος ὅσα δύναιτο τὸ πᾶν
Χρηστὸν διέλθοι, τοῦτο καὶ εἰς κοινὸν φέροι
Πατρίδι, κακῶς αἱ πόλεις ἐλασσόνων
Πειρώμεναι, τὸ λοιπὸν εὐτυχοῖεν ἄν. id est:
Si unusquisq; accepto, quantum posset,
Bono, accederet: idq; in commune conferret.
Patriæ, pauciora mala ciuitates
Experientes, in posterum fortunatæ forent.

Idem in Phaëtonte.

ἐν τοῖς μωροῖς τοῦτον ἐγὼ κρίνω βροτῶν
ὅστις τῶν πατέρων παισὶ μὴ φρονοῦσιν εὖ
ἢ καὶ πολίτας παραδίδως ἐξουσίαν.
Ναῦν τοι μιὴ ἄγκυρ᾽ οὐδαμῶς σώζειν φιλεῖ
ὡς τρεῖς ἀφέντι, προστάτης θ᾽ ἁπλοῦς πόλει
Σφαλερὸς, ὑπὼν δὲ καὶ ἄλλος οὐ κακὸν πόλει.
Stultum equidem illum esse iudico,
Cùm uel pater filijs, uel non sapientibus aliquis
Ciuibus tradit potestatem.
Anchora unica nequaquam ita seruat nauem,
Vt tres dimissæ: & unus princeps urbi
Periculosus non est, adiungi uerò & alium, nec malum est ciuitati.

Idem in Phryxo.

αἱ γὰρ πόλεις εἰσ᾽ ἄνδρες οὐκ ἐρημίαι.
Ciuitates uiri sunt non solicitudines.

Sophocles in Phedra.

οὐ γὰρ ποτ᾽ ἂν γένοιτ᾽ ἂν ἀσφαλὴς πόλις,
ἐν ᾗ τὰ μὲν δίκαια καὶ τὰ σώφρονα
Λάγδην πατεῖται, κωτίλος δ᾽ ἀνὴρ λαβὼν
Πανοῦργα χερσὶν κέντρα κηδεύει πόλιν. id est:
Nunquam sanè tuta & secura potest esse ciuitas,
In qua ius & modestia omnis
Pedibus calcantur, & loquax aliquis accipiens
Malignos manibus stimulos, regit ciuitatem, uel urbem.

Idem in Aleadis.

Κ᾽ οὐκ οἶδ᾽ ὅσα χρὴ πρὸς ταῦτα λέγειν
ὅταν οἱ τ᾽ ἀγαθοὶ πρὸς τῶν ἀγεννῶν κατανικῶνται,
Ποία πόλις ἂν τάδ᾽ ἐνέγκοι? id est:
Haud scio, quid adhæc dicendum sit:
Nam cùm boni ab ignobilibus superantur,
Quæ nam ciuitas id ferre posset?

Eupolis comicus Atheniensis.

Καὶ μὴν ἐγὼ πολλῶν παρόντων οὐκ ἔχω τί λέξω,
οὕτω σφόδρ᾽ ἀλγῶ τὴν πολιτείαν ὁρῶν παρ᾽ ἡμῖν.
ἡμεῖς γὰρ οὐχ οὕτω τέως ᾠκοῦμεν ὦ γέροντες,
ἀλλ᾽ ἦσαν ὑμῖν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοὶ
ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν, πλούτῳ γένει τε πρῶτοι
οἷς ὥσπερεὶ θεοῖσιν ηὐχόμεσθα: καὶ γὰρ ἦσαν.
ὥστ᾽ ἀσφαλῶς ἐπράττομεν, νυνὶ δ᾽ ὅποι τύχοιμεν
στρατευόμεσθα αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς. i.
Ego equidē de plurimis nō habeo, quod potissimū dicam,
Tanto cum dolore Rempublicam nostram aspicio.
Hactenus enim ô senes nequaquam sic habitamus,
Sed erant in urbe nostra, primùm quidem imperatores

Ex

Ex præcipuis familijs, opibus, & genere præstantes,
Quibus tanquam Dijs uota faciebamus, erant enim digni.
Itaq; securi degebamus, nunc uerò quoslibet
Duces improbos eligentes militamus.

Euripides in supplicibus.

Τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες οἱ μὲν ὄλβιοι
ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ' ἐρῶσ' ἀεὶ
οἱ δ' οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου
Δεινοί, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλεῖον μέρος
εἰς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσι κακὰ
Γλώσσῃ πονηρῶν προστατῶν φιλούμενοι.
Τριῶν δὲ μοιρῶν, ἡ μέση σώζει πόλιν,
Κόσμον φυλάσσουσ' ὅν τιν' ἂν δόξῃ πόλις,
ὅπου γὰρ οἱ φυλάσσοντες ἥσσων τὰ τέκνων
Οὐκ ἔστιν αὕτη σωφρόνων ἀνδρῶν, πόλις. id est:

Tria sunt genera ciuium, quidam diuites sunt
Inutilesq;, & plura semper appetunt,
Alij uerò nihil poßidentes, inopesq; uictus,
Miseri, nimium tribuentes inuidiæ,
Malos aculeos in ditiores emittunt,
Lingua, improbis chari ducibus.
Cæterum è tribus, quod medium genus est, urbem seruat:
Modum illum custodiens, quem ciuitas approbauerit:
Nam ubi custodes à pueris uincuntur,
Non est sapientium uirorum ciuitas.

Euripides in Hecuba.

ἐν τῷδ' γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις
ὅταν τις ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ,
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον. id est:

In hoc multæ ciuitates laborant,
Cùm qui bonus & strenuus uir est,
Nihilo plus quàm deteriores accipit.

Sophocles in Aiace.

ὅπου δὲ ὑβρίζειν ἐξὴν θ' ἃ βούλεται παρῇ,
Ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν εἰς βυθὸν πεσεῖν,
ἀλλ' ἑστάτω μοὶ καὶ δέος τι καίριον
καὶ μὴ δοκῶμεν δρῶντες ἂν ἡδώμεθα
οὐκ ἀντιτίσειν αὖθις ἂν λυπώμεθα
ἕρπει παραλλὰξ ταῦτα. id est:

Vbi iniuriari, & quæuis pro libidine facere licet,
Illam ciuitatem existimandum est tandem
Ex bono statu recedentem, in profundum ruituram,
At mihi tempestiuus aliquis metus constituatur.
Et ne putemus si quid libentes fecerimus.
Non luituros nos pœnam olim dolentes
Est in his rebus uicißitudo.

Idem eodem loco.

Πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει,
καίτοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς
Σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται:
Μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν
Ὀρθοῖτ', καὶ μέγας ὀρθοῖτ' ὑπὸ σμικροτέρων
ἀλλ' οὐ δυνατὸν τοὺς ἀνοήτους
Τούτων γνώμας προδιδάσκειν. id est:

Ad habentem enim repit inuidia,
Atqui parui sine magnis
Imbecillæ turris munimentum sunt:
Paruus enim cum magnis optimè
Agit, & magnus à minoribus prouehi poterit:
Sed non fieri potest, ut stolidi illorum animi hæc edoceantur.

Euripides in Aeolo.

Δοκεῖτ' ἂν οἰκεῖν γαῖαν εἰ πένης ἅπας
Λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ:
οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακὰ
ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς,
ἃ μὴ γὰρ ἔστι τῷ πένηθ' ὁ πλούσιος,
Δίδωσιν, ἃ δ' οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα
Τοῖσιν πένησι χρώμενοι τιμώμεθα. Hoc est:

Putaris ne uos terram habitare posse, si totus
Pauper populus Rempub. absq; diuitibus institueret?
Haud quaquam, seorsim bona & mala subsistere possent,
Sed est aliquod temperamẽtum, quo rectè coniunguntur,
Nam ea quibus pauper caret, diues
Largitur: quæ uerò nos diuites non poßidemus,
Illorum gratia pauperibus utentes colimur.

Sophocles in Aiace.

οὐ γὰρ ποτ' οὔτ' ἂν ἐν πόλει νόμοι καλῶς
Φέροιντ' ἄν, ἔνθα μὴ παρεστήκει δέος,
οὔτ' ἂν στρατός τε σωφρόνως ἔχοιτ' ἔτι
Μηδὲν φόβου πρόβλημα μηδ' αἰδοῦς ἔχων. id est:

Nunquam enim aut leges in ciuitate bene
Se habebunt ubi metus abest:
Aut exercitus cum moderatione persistet,
Qui nullum timoris aut reuerentiæ obstaculum habet.

Euripides in Antigone.

ἐκεῖνος ἀνθρώποισι γίγνεσθαι φιλεῖ
Πόλεμος ἐν ἀστοῖς, ἢν διχοστατῇ πόλις. id est:

Intestinum oboriri solet hominibus
Bellum inter ciues, si ciuitas dissenserit.

Idem in Alcmene.

ἀλήθεια ἐστ' ἄριστον ἀνδρὸς ἐν πόλει δικαίου πέλει. id est:

Optimum est ueritas in iusti uiri ciuitate. Idem.

Παῦσαι, τὸ μὲν γὰρ συνέχον ἀνθρώπων πόλεις
Τοῦτ' ἔσθ', ὅταν τις τοὺς νόμους σώζῃ καλῶς. id est:

Desine, tum enim saluæ sunt ciuitates,
Quum leges, ut decet, obseruantur.

Menander comicus.

εἴπερ τὸν ἀδικοῦντα μὲν ὡς ἠμύνετο
ἕκαστος ἡμῶν, καὶ συνηγωνίσατο
ἴσως νομίζων ἴδιον εἶναι τὸ γεγονὸς
ἀδίκημα καὶ συνέπραττεν ἀλλήλοις πικρῶς,
οὐκ ἂν ἐπὶ πλεῖον τὰ κακὰ ἡμῖν ἦρξατο
Τὸ τῶν πονηρῶν ἀλλὰ παρατηρούμενοι
καὶ τυγχάνοντες ἧς ἔδει τιμωρίας
ἤτοι σπάνιοι σφόδρ' ἂν ἦσαν ἢ πεπαυμένοι. id est:

Si iniuriarum authorem ulcisceretur
Vnusquisq; nostrûm, & unà propugnaret,
Aequè ac si propria sibi esset facta,
Non amplius nobis calamitas inciperet
Improborum hominum, sed obseruati
Et meritam pœnam luentes:
Vel admodum essent rari, uel prorsus desinerent.

NANVS. Clementia Græcè ἀνεξικακία ας ἡ, & ἀνεξίκακος ὁ ἡ clemens. Et est, per quam animus temerè in odium alicuius concitati, comitate retinetur, & est pars temperantiæ, secundum Ciceronem in Rhetor.

Clementia est lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis, secundum Senecam libro de clementia.

Clementia est animi temperantia in constituendis pœnis.

Clementia est virtus moderatiua pœnarum secundum legem, secundum B. Thom. secunda secundæ, q.157.art.1.

Clementia est lenitas superioris ad inferiorem: sed mansuetudo est cuiuslibet ad quemlibet, secundum B. Thom. secunda Secundæ, quæstione 157.

Clementia est virtus humana, ideo ei directè opponitur crudelitas: non autem feritas, aut seueritas sub bestialitate, sed virtuti heroicæ, vel dono pietatis, secundum eundem, secunda secundæ q.159.art.2.

Clemens dicitur à claritate mentis.

Clementia & mansuetudo conueniunt cum temperantia in modo, non autem in materia, B. Thom. secunda secundæ quæst.157.arti.3.

Clementia differt ab ἐπιείκεια, quod clementia moderatur affectum in pœnis infligendis secundum legem communem ex dulcedine affectus.

Sed ἐπιείκεια secundum intentionem legis. B. Thom. secunda secundæ q.157.art.2.

Augustinus in sermone de puero Centurionis.

Paratus debet esse homo iustus, & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt potius numerus crescat bonorũ, non vt pari malitia se quisq; numero addat malorũ.

Hugo de sancto Victore.

Clemens dicitur animus, quando est tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad subueniendum.

Seneca de Clementia ad Nero.

Clementia est quæ alieno sanguini tanquam suo parcit, & scit homini non esse prodigè vtendum.

Seneca libro de Clementia.

Nullum magis decet clementia quàm principem.

Cicero libro Officiorum 1.

Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atq; clementia.

Ibidem in initio libri primi.

Videndum est enim primùm, ne obsit benignitas & his ipsis, quibus videbitur benignè fieri, & cæteris: deinde, ne maior sit benignitas, quàm facultates.

Ibidem libro 1.

Qua ex re satis præcepit, vt quicquid sine detrimēto cōmodari posit, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignemcapere.

Cicero libro 2. Officiorum sub finem.

Qui opera, id est, virtute, & industria benefici, & liberales erunt, primùm, quò pluribus profuerint, eò plures ad benefaciendum adiutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiæ, paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.

Ibidem.

Omninò meminisse debemus id, qđ à nostris hominibus vsurpatum sæpisimè, iamq; in prouerbij consuetudinem venit; Largitionem fundum non habere. Etenim quis modus potest esse, cùm idem & qui consueuerunt, & idem illud alij desiderent?

Ibidem.

Liberales autem sunt, qui facultatibus suis, aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum suscipiunt amicorum causa, aut in filiarũ collocatione adiuuant, aut opitulantur, vel in re quærenda, vel augenda.

Ibidem.

Causa igitur largitionis est, si aut necesse, aut vtile.

Cicero libro 3. Tusculanarum Quæstio.

Nam est innocentiæ affectio talis animi, quæ noceat nemini.

Ibidem libro 4.

Cur misereare potius, quàm feras opem? si id facere posis?

Valerius Maxius libro 5.

Liberalitati, quos aptiores comites, quàm humanitatem, & clementiam dederim? Quoniam idem genus laudis expetunt: quarum prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur. Humanitatis enim dulcedo etiam efferata barbarorum ingenia penetrat, orbesq; & truces hostium mollit oculos, ac * victoriæ insolentisimos spiritus flectit. Nec illi arduum atq; difficile est, inter arma contraria, inter districtos cominus mucrones, placidum iter reperire: vincit iram, prosternit odium, hostilemq; sanguinem hostilibus lachrymis miscet.

Polybius libro 3.

Benignitate atq; clementia hostem vincere quàm armis præstat.

Solinus libro 4. cap.8.

Clementiæ sunt multa indicia in leonibus. Prostratis parcunt, in viros potius, quàm in fœminas sęuiunt, infantes non nisi in magna fame perimunt, nec à misericordia separantur.

Terentius Comœdia 4.

Re ipsa repperi nihil esse homini melius facilitate atq; clementia.

Ouidius Tristium libro 3. Elegia 5.

Quò quisq; est maior, magis est placabilis iræ, Et

Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Ouid. de Ponto libro secundo, Eleg. nona.

Regia (crede mihi) res est, succurrere lapsis,
Conuenit & tanto, quantus es ipse, uiro.

Ouid. ibidem, & paulo post

Hoc tecum commune deis, quod utriq; rogati
Supplicibus uestris ferre soletis opem.

Ibidem.

Nam quid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas uelle iuuare Deos,
Iuppiter oranti surdas si præbeat aures,
Victima pro templo, cur cadet icta Iouis?
Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fiant uota coloni,
Accipiet grauidæ cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho,
Musta sub adducto si pede nulla fluant.
Vtilitas igitur magnos hominesq; deosq;
Efficit, auxilijs quoq; fauente suis.

Ouid. epist. Medeæ ad Iasonem.

Pendere posse sat est, si quem iuuat ipsa potestas.

Iuuenalis Satyra penultima.

Mollißima corda
Humano generi dare se natura fatetur, aliàs, intima.
*Quæ lachrymas dedit, hæc nostri pars * optima sensus.*
Plorare ergo iubet causam lugentis amici,
Squalloremq; rei, pupillum ad iura uocantem
Circunscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, uel terra clauditur infans.

Ibidem.

—Separat hæc nos
A grege mutorum, atq; ideo uenerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumq; capaces,
Atq; exercendis, capiendisq; artibus apti,
Sensum à cælesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia. Mundi
Principiò indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoq; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet.

Claudianus.

Sis pius in primis. Nam cùm uincamur ab omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Aristoteles 2. Ethicorum libro.

AMANTIVS. IN ira exuperantia est, defectio & mediocritas: cumque eorum non ferè extent nomina, eum qui modum tenet clementem: & mediocritatem, clementiam mansuetudinem nominamus. Extremorum is: qui vltra modum progreditur, iracundus, & vitium iracundia appellatur. Qui autem parum irascitur, lentus: vicium lentitudo dicitur. Iracundus. Iracundia.

Idem libro 4. Ethicorum.

Mansuetudo seu clementia, mediocritas quędam iræ, sed quoniam medium vacat nomine, ac ferè etiam extrema, ad medium clementiam retulimus, quæ ad id quod parum est, deflectit, quod nomine vacet. Ira.

Exuperantia autem iracundia appellatur, ira enim ipsa perturbatio est, quæ ex multis rebus, varijsq; gignitur. Atque is quidem, qui quibus de rebus, quibusq; hominibus decet, irascitur: quiq; id facit, quemadmodum, quãdo & quamdiu decet, is laudibus afficitur, quem eundem & clementem, & mansuetum appellari licet. Siquidem in laude clementia est, vult enim clemens omni animi vacare perturbatione, non à perturbatione rapi, & distrahi: quin etiam vt ratio præscripserit, sic & his de causis, & tamdiu vult succensere. Peccare autem in eam partem videtur, qui modum deserit: neq; enim vlcisci cupit clemens, sed ignoscere, at verò defectio siue lentitudo, siue alio quouis nomine appellare licet, est in vitio. Qui enim minus succẽsent, ob eas causas, ob quas decet succensere, ij stulti videntur, & qui non quomodo, quando, quibus irascendũ est: sunt enim omni sensu doloris expertes, qui irasci nequeunt, nec propulsant iniuriam. Atqui contumeliam, & conuitia æquo animo ferre, ac in suis negligere, seruorũ simile est. Clemẽs. Mansuetus. Lẽtitudo Stulti.

Mansuetudo est depreßio atq; sedatio iræ. Cicero 1. & 2. Rhetoric. Conueniunt clementia & mansuetudo cum temperantia, in modo, non autem in materia. Græcis dicta clementia ἀνεξικακία. Mansuetudo πραότης.

Humanitas Gręcis φιλανθρωπία est, qua animi, humana id natura postulante, erga omnes iuuãdos, aliqua in re commouentur, præsertim, si quos videant calamitosos: Contra autem inhumanitas, seu insolentia.

Mansuetudo est verborum suauitas erga aliquos, mentis lenitatem ostendens, morumq; facilitas, obuiaq; voluntatis suæ in aliquem ostensio. Extrema, irritatio & incommobilitas. Georgius Valla expetendis bonis, & fugiendis malis.

Lodouicus Viues libro 3. de anima, in C. de enumeratione affectuum.

Illud annotandum, quoniam affectus sunt animorum motus, vel actu, vel potestate ac vi, non haberi pro affectib. æquanimitatem & tranquillitatem cordis, vt mansuetudinem, securitatem: quippe quæ non sint motus, nec opera affectus nuncupari, nec nasci ex iudicio, contra quam Stoicis placuit: sed esse naturalia, pro vt quisq;

quisq; est animo habitus: vt fletum in mœrore, exanimationem in metu, exultationem & gesticulationem in lætitia immodica.

Petrarcha de rebus memorabilibus libro 3. cap. 19. de reprehensione illorum, qui nimias amicitias fugiendas asserunt, gratia uitandi honoris & laboris.

Nimiæ amicitiæ fugiédę. Fuerunt in Græcia sapientes habiti, qui dicerent: Nimias amicitias fugiendas, rationem afferentes: quod innumeris, & ineuitabilibus nos laboribus ac curis oneratos, stultum sit alienis inuolui, & vnius humeris multorum fasce prægrauari, satis sub proprio fatigatos: fundamentum beatæ vitæ ac securitatem hoc velut ariete conuelli, si externa pro amicis solicitudo animum impellat: &, vt ait Cicero, tanquam parturiat vnus pro pluribus. sed hoc à Cicerone in Lælio reprobatur, nec immeritò: tollit enim omnẽ bene institutæ mentis affectum, quo sublato (vt idem ait) quid interest, non dico inter hominẽ & pecudem, sed inter hominem & truncum, aut saxum, aut quiduis generis eiusdem. Aufert igitur humanitatem, cuius est proprium, & gaudere bonis rebus, & dolere contrarijs. Propriũ humanitatis.

Isocrates de Regno.

Exime ciuibus formidinem, neq; horribilis esse velis nihil delinquentibus. Nam qualis tu in alios fueris, tales ipsi vicissim erga te erunt: Multosq; timeat necesse est, quẽ multi metuũt.

Idem in oratione ad Philippum.

Difficiles mores molestos esse video, tum ijs, qui eos habent, tum ijs, qui eorum consuetudine vtuntur: mansuetudinem verò non in animantibus solum, & hominibus, & cæteris rebus omnibus, sed in dijs quoq; celebrari. Nam qui nobis benefaciunt, olympij cœlitesq; dicuntur: Qui verò calamitatibus & pœnis præsunt, atrociora etiam nomina habent, quorum alteri & priuatim & publicè templis arisque honorantur: Alteros neq; precibus, neq; sacrificijs coli, sed abominabiles esse constat.

CLEMENTI AMELIORES SVCCESSVS *habet, quàm feritas, ac crudelitas.*

Claudianus in consulatu Manlij Theodori.

Sed iactent alij, studeant feritate timeri,
Addictoq; hominum cumulent æraria censu.
Lenè fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
Vtilior, nullas confessus murmure uires.
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas, eadem clementia sæui
Gurgitis immensum deducit in hostia Gangen.
Torrentes immane fremunt, lapsisq; minantur
Pontibus, inuoluant spumoso uertice syluas,
Pax maiora decet, peragit tranquilla potestas,
Quod uiolenta nequit, mandataq; fortius urget
Imperiosa quies.

Idem in laudes Stiliconis.

Principiò magni custos clementia mundi,
Quæ Iouis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolum: nam prima chaos clementia soluit
Congeriem miserata rudem, uultuq; sereno
Discußis tenebris in lucem secula fudit.
Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur, posuitq; suas hoc pectore sedes.
Hæc docet, ut pœnis hominum uel sanguine pasci
Turpe ferumq; putes, ut ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas ut non infensius alendis
Materiam præstes odijs, ut sontibus ultrò
Ignouisse uelis, deponas ocius iram,
Quam moueas, precibus nunquam implacabilis adstes,
Obuia prosternas, prostrataq; more leonum
Despicias: alacres ardent qui sternere tauros,
Transiliunt prædas humiles, hac iste magistra
Dat ueniam uictis, hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia, contentus solo terrore coërcet:
Aetherei Patris exemplo, qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula defert
In scopulos, & monstra maris nostriq; cruoris
Parcus in æthereis exercet fulmina syluis.

Ouidius 2. de Ponto ad Cotim.

Conueniens hominum est, hominem seruare uoluptas:
Et melior nulla quæritur arte fauor.

Idem libro 3. de Ponto, ad Amicum innominatum.

Crede mihi, miseris cælestia numina parcunt,
Nec semper læsos, & sine fine premunt.
Principe nec nostro Deus est moderatior ullus,
Iustitia uires temperat ille suas.

Seneca in Octauia.

Magnum timoris remedium est clementia.

Ibidem Seneca loquitur.

Pulchrum est eminere inter illustres uiros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus iræ dare, atq;
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa uirtus: petitur hac cælum uia.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis Deus.

Ouidius libro 2. de arte amandi.

Dextera præcipuè capit indulgentia mentes,
Asperitas odium, sæuaq; bella mouet.
Odimus accipitrem, quia uiuit semper in armis,
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidijs hominum, quia mitis hirundo est,
Quæq; colat turres, Chaonis ales habet.
Este procul lites, & amaræ prælia linguæ,
Dulcibus est uerbis, mollis alendus amor.

Baptista Mantuanus de fortuna Gonzagæ Marchionis Mantuæ.

Non tamen Alphonsi fortunam, & fata silebo:
Ipse Pyrenëis Thyrrenum nauibus æquor

Dum

Dum premeret, Campana petens regumq́; ducumq́;
Agmine stipatus, magno sibi debita regno
Vi subita in prædam datus est, Genuensibus armis
Ductus ad Insubres (nam tunc Insubria habebat
Imperium Ligurum) magnis cum Heroibus illam
Fortunam tulit æquo animo, sed cruda Philippus
Insubrium ductor regum infortunia fleuit:
Continuóq; ut rex solo contentus honore,
Non ut Pelides qui uendidit Hectora patri
Corruptus lucro: Reges & murice & auro
Donatus sua collachrymans in regna remisit.
O diuinum hominem: quis te laudauerit unquam,
Vt tua laudari debet clementia? certè
Illud opus cæleste fuit, tu gloria secli
Non moritura tui: facinus narrabitur istud,
Dum uaga perpetuò lucebunt sydera cælo.
Per genus omne hominum tu uera exempla dedisti
Regibus, ut memores uiuant pietatis & æqui:
Sic quoque Pompeius quondam Tigrane subacto
Mente agitans, quid sit subito descendere regem,
Qui solitus dominari alijs mortalibus, ima
Vsque ad uictoris uultu uestigia prono
Condoluit, mentem pietas citò mitigat altam,
Vili animo nulla est pietas: crudescit in horas.
Amplius & cilio uictis insultat atroci:
At Deus ad ueniam pronus, placabilis iræ est.
Regi igitur sua regna dedit, regalia uerba
Adijciens regali operi: nam talia fatus:
Res præclara quidem reges depellere regno,
Non præclara minus regnum dare, dignius ista
Voce nihil, facto nil magnificentius isto.

Clementia dos prima regum.

Vopiscus ait: Laudatur Scipio, qui malle se vnum ciuem seruare, quàm mille occidere, dixit.

Iulius Clemens — Laudatur Cęsar Iulius à Cicerone de eo sic loquente: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior, misericordia est. Et alicubi inquit: Qui nihil obliuisci soles, nisi iniurias.

Reges sine aculeo esse debent, id est, non crudeles, non sæui, sed mites: vel si habuerint, recondere decet, imitantes Iouem, qui missurus fulmina semper prius Deos in consilium aduocat: quod verò placabile esse solet, solus eiaculatur.

Seneca in Hercule furente.

Quisquis est placidæ potens
Dominusq́; uitæ, seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoq́; parcit: longa permensus diu
Felicis æui spacia: uel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysij loca.

Isidorus Soliloquiorum libro 2.

Magna est virtus, si non lædas, à quo læsus es.

Ibidem.

Magna fortitudo, si læsus remittas.

Ibidem.

Magna est gloria, si, cui potuisti, nocere parcas.

Sophocles in Tyro.

ὀυ τῶν κακούργων ὄικτος ἀλλὰ τῆς δίκης. id est,
Misereri oportet iustorum, non improborum.

Euripides in Ange.

ἔστι τοὶ καλὸν, τοὺς κακοὺς κολάζειν. id est,
Misericordia digni sunt non malefici, sed probi homines: Malos homines castigare bonum est.

Idem in Scirone.

ἡ νῦν ὑπὸ τίνος χρηστότης καλουμένη,
Μεθῆκε τὸν ὅλον εἰς ἀπορίαν βιόν:
ὀυδεὶς γὰρ ἀδικῶν τυγχάνει τιμωρίας. id est:
Quæ nunc à quibusdam benignitas nominatur,
Vitam omnem remisit ad improbitatem:
Nullus enim iniuriam faciens, pœnam luit.

Plato in Lachete.

Iudicandum est secundum scientiam, non multitudinem, quicquid rectè iudicari debet. — Aureum dictum.

Idem in Protagora.

Equidem puto, & me ac te, cæterosq́; omnes existimare, iniuriam facere, quàm pati, deterius esse, & pœnam nó dare, quàm dare: nullus enim punit eos, qui deliquerunt, hoc respiciens, huiusq́; rei gratia, quia deliquerunt: nisi instar bestiæ citra ratioñ pœnam exigat: Qui verò cum ratione castigare vult, ille nó pręteriti causa criminis pœnam sumit: Nec enim quod factum est infectum reddiderit, sed futuri gratia, ne denuo delinquat, vel hic ipse, vel alius, qui castigari ipsum viderit.

Clementia seueritate miscenda.

Factum infectū fieri non potest.

Idem Legum 2. libro.

Τὸν γὰρ κακὸν ἀεὶ δεῖ κολάζειν ἵν' ἢ ἀμείνων ἔσται, οὐ τὸν δυστυχῆ id est:

Non infelix, sed malus semper castigandus est, vt fiat melior.

Rufus in dictis Epicteti de amicitia.

Lycurgi autem Lacedęmonij factum quis vestrū non admiretur? Nam à ciue quopiam iuuene altero oculorum orbatus, illum à populo accepit, vt quo liberet modo, puniret: Quod minimè fecit, sed optimè institutum, boniq́ue viri moribus præditum, in theatrum produxit: Lacedæmonijs autem admirantibus, dixit, istum ante hac iniurium & violentum, qualem à vobis accepi, iam frugi, ac popularem restituo. Hęc ex collectaneis Stobęi desumpta sunt, de patientia & virtute.

Pittacus potestatem habens puniendi quempiam, qui contumeliosus in eum extiterat, dimisit, inquiens: venia vltione melior est: Illa namque mitis est ingenij, hæc autem ferini.

Aristoteles de uirtutibus.

Πραότης δ' ἐστὶν ἀρετὴ τοῦ θυμοειδοῦς καθ' ἣν ὑπὸ ὀργῆς γίνονται δυσκίνητοι.

Mansuetudo virtus est, animosæ partis, qua — Definitio mansuetudinis.

 prædici

præditi ægrè mouentur ad iram.

Ibidem.

Πραότης δ', ἐστὶ τὸ φέρειν μετρίως ἐγκλήματα, καὶ ὀλιγωρίας μετρίας, καὶ τὸ μὴ ταχέως ὁρμᾶν ἐπὶ τὰς τιμωρίας, καὶ δυσκίνητον εἶναι, πρὸς τὰς ὀργὰς ἄπικρον, δὲ τῷ ἤθει, καὶ ἀφιλόνεικον ἔχοντα τὸ ἠρεμαῖον ἐν τῇ ψυχῇ καὶ τὸ στάσιμον. id est,

Mansuetudinis autẽ est posse ferre moderatè obiecta crimina, & contẽptus: Nec celeriter rapi in vltiones, nec facilè moueri ad iras, morib. comem esse mitemq́;, ingenio quieto & stabili.

Affectus Mansuetudinis.

Incertus Autor.

Deos colam, domi habitem mẽte pia, semper in me ira commotum placatum reddam. Assuefaciam meipsum, vt sim mitis, neué res molesto & iniquo animo feram. Qui malus sit, & quid ab horum quouis patratũ sit, ne curem: Norim autem bonos, eosq́; sectet: laudem bonos candidè: Obtrectatricem autem linguam cuiusuis exosam habeam, norim tacere, quæ tacita esse præstat.

Aurea pręcepta

Obtrectatrix lingua.

HVMANITAS SECVNDVM OBTINET gradum, post cultum Diuinum.

Lactantius lib. 6. Diuinarum institutionum.

Sapientiæ gradus primus, vt sciamus, quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic deuotissimè seruiamus, in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur. Dixi, quid debeatur Deo, dicã nunc quid homini tribuendũ sit. Nam primũ iustitię officium est cõiungi cũ Deo, secundũ, cũ homine: sed illud primum, religio dicitur, hoc secundũ, misericordia vel humanitas nominatur, quæ virtus propriè est iustorũ & cultorũ Dei: quòd ea sola vitę cõmunis in se cõtinet rationẽ. Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiã non dedit, naturalibus ea munimẽtis ab incursib. & periculis tutiora generauit: hominẽ verò nudũ, fragilẽq́; formauit vt eum sapientia potius instrueret: dedit ei pręter cętera hunc pietatis affectũ, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq́; omnia pericula & accipiat & pręstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculũ est humanitas, quod qui diruperit nepharius & parricida existimandus est: nam si ab vno homine, quem Deus finxit, omnes sumus oriundi, certè cõsanguinei sumus, & ideo maximè scelus putandũ est, odisse hominem, vel nocentem. Propterea Deus pręcepit inimicitias per nos nunquam faciendas, sed semper esse tollẽdas, vt scilicet eos, qui sunt nobis inimici, necessitudinis admonitos mitigemus. Item, si ab vno Deo inspirati omnes & animati sumus, quid aliud quã fratres sumus? & quidem coniũctiores sumus animis quàm corporibus. Itaq; nõ errat Lucretius poëta vetustissimus, cùm dicit

Lucretius poeta vetustissi.

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est.

Ergo pro beluis immanibus sunt habendi, qui homini nocent, qui cõtra ius humanitatis, & fas omne spolinat, cruciant, occidunt, exterminant: ob hanc necessitudinem germanitatis, docet nos Deus mala nunquã facere: bonũ autẽ semper. Id aũt ipsum benefacere quid sit, idem ipse præscribit: præstare auxilium depressis, & laborantibus: impartiri victum non habentib. Deus enim quoniam pius est, animal nos voluit esse sociale: itaq; in alijs hominibus nos ipsos cogitare debemus, non meremur in periculo liberari, si non succurrimus: non meremur auxilium, si negamus: Nam qui se à præstando auxilio remouet, etiam ab accipiendo se remoueat necesse est. Quia nullius ope indigere se putat, qui alteri suam denegat. Retinendum igitur est omninò vinculum societatis humanæ: quia homo sine homine nullo modo poterit viuere. Retentio autem societatis est cõmunitas, id est auxiliũ præstare, vt possimus accipere. Si verò vt aliqui disputant, humanitatis ipsius causa facta est hominum congregatio, homo certè hominem debet agnoscere. Quod si fecerunt illi rudes in primæua ætate, nondum constituta loquendi ratione: quid putemus, hominibus expolitis sermone, omniũq; rerum cõmertio inter se copulatis esse faciendũ, qui assueti hominibus solitudinem ferre nõ possunt? cõseruanda est igitur humanitas, si homines rectè dici velimus, id autem ipsum cõseruare, quid aliud est, quàm diligere hominem? quia homo sit, & idem quod nos sumus. Discordia igitur & dissensio non secundũ hominis rationem est, verũq; est illud Ciceronis, quod ait, hominem naturę obedientem homini nocere non posse: ergo si nocere homini contra naturã est, prodesse igitur homini secundũ naturam sit necesse est. Quod qui nõ facit, hominis se appellatione dispoliat: Quia humanitatis officiũ est necessitati hominis ac periculo subuenire, atq; huius operis & officij merces à Deo expetenda solo. Nam si ab homine expetes, iam non humanitas erit illa, sed beneficij fœneratio, nec potest videri bene meruisse, qui quod fecit, non alteri, sed sibi præstet. Nam & ipse Deus præcepit hoc, vt si quando cœnam parauerimus, in conuictũ eos adhibeamus, qui nos vocare non possunt & vicem reddere: vt omnis actus vitę nostrę non careat misericordiæ munere: rectè inquit Cicero, à Theophrasto est laudata hospitalitas: Est enim, vt mihi quidem videtur, valde decorum patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus.

Hospitalitas.

APOPHTEGMATA HVMANITAtis illustrium uirorum.

Humanitas cicurat optimè hominem.

Fabius Maximus dicebat, absurdum videri, si, cùm

si, cùm equos & canes venaticos familiaritate ciboq́; cicuremus potius, quàm cathenis ac verberibus, homines feroces animo, non humanitate ac beneficijs nobis conciliemus, sed asperiores in illos simus, quàm agricolæ sunt in caprificos, ac malos syluestres, & oleastros, qui has non protinus excidũt, sed insitione docent mitescere. Erasmus lib. 5. Apohtegmatum.

Scipio maior Affricanus dicere solebat: hosti non solùm esse dandam viam fugiendi, verumetiam muniendi: Docens moderãdam esse victoriam, nec seuiendum in eos, qui contrà ferre arma destitissent.

Humanitas plus ualet, quàm uis.

Inter Xerxem Darij filium & Arimenem fratrem de regno erat contentio: itaq; cùm Xerxes intellexisset fratrẽ ex Bactrianorum regione descendere, misit illi munera, & ijs, quibus ea mandarat præferenda, iussit vt ipsius verbis illi dicerent: His in præsentia te honorat frater tuus Xerxes, quod si rex fuerit declaratus, eris apud ipsum omnium primus. Hac humanitate delinitus Arimenes, cõtentionem remisit, ac fratri, regno adepto, protinus adorationis honorem exhibuit, atq; diadema imposuit, Xerxes autem illi proximum ab se locum dedit.

Erasmus lib. 1. Apophtegma.

Agesilaus cùm cęteris in rebus esset rigidior, & exactè iusti legumq́; tenax, tamen in amicorum negocijs existimabat inhumanitatis ac seuitiæ prætextum esse nimiũ aduersus illos esse iustum. Huius rei testis est epistola quædã perbreuis, quæ fertur ad Hidrieum Carem scripta, qua cuidam amico veniam deprecatur in hunc modũ Nicias, si nihil peccat, dimitte hominem, si peccat, mihi dimitte, sed omninò dimitte. Innocentem punire scelus est. Quum enim iustitiam semper oporteat esse clementia temperatam, quoties nacta est grauem interpellatorem & minus habet inuidię, & plus impetrat gratię.

Eodem lib. Erasmus.

Idem crebo solebat in concione admonere milites suos, ne captiuos vt facinorosos cruciarent, sed vt homines seruarent: infantibus etiã bello captis præuidit, vt in vnum locum comportarentur, ne mutatis castris relicti perirent. Eandem curam impendit senibus captiuis, ne quoniam sequi non possent, à canibus lupisq́; dilacerentur discerperenturq́;. Hæc autem humanitas illi non solùm aliorum, verumetiam captiuorum miram beneuolentiam conciliauit, & nunc homines sibi videntur, qui trucidatis infantib. ac senibus, eam ętatem abducunt, quę libidini apta est, vel labori, vel vtriq;: quò progressa est immunis illa feritas.

Idem lib. 1. Apophtegmat.

Aristo cuidam laudibus vehenti dictũ Cleomenis, qui rogatus, quid oporteret bonum regem facere respondit: Amicis benefacere, inimicis malè. At quantò præstantius est, inquit, vir optime, amicis benefacere, & ex inimicis redde re amicos? Hunc sententiam citra controuersiã primus omnium Socrates prodidit, & ad illum autorem refertur.

Idem lib. 4. de dictis Alexandri magni.

Alexander quodam tempore Darij mulieres inuisit vnà cum Hephestione. Hunc cùm esset eodem ornatu quo rex, corpore etiam maior, Syngambris Darij mater pro rege adorauit. Eadem cùm ex nutibus adstantium intellexisset errorem suum, perturbata denuò salutauit Alexandrum. Tum Alexander: Nihil est, ô mater, quod perturberis: Nam & hic Alexãder est, sentiens, amicum esse alterum Alexandrum. Hunc versum sequentem vnicè probauit prædicatũ ab Homero de Agamemnone. ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' ἀνχαιητής. Notatu dignissimum.

Id est:

Dux bonus, atq; idem ualidus pugnator in armis.

DICTA *& facta clementer illustrium uirorum.*

De Agesilao feliciter pugnatum erat apud Corinthum: in eo prelio, quanquam accepisset Spartanorum admodum paucos desideratos, cęterum è Corinthijs & Atheniensibus alijsq́; socijs ingentem numerum interijsse: adeo nõ gauisus est, nec elatus ea victoria, vt grauiter ingemiscens deploraret Gręcię vicem: Heu inquiẽs Græciam, quæ tot viros intestino bello perdidit, quot vniuersis barbaris debellandis satis esse poterant. Viro magnanimo victoria erat optabilis, sed clarior erat sociorum incolumitas. Quo animo tulisset ille, si plurimorum ciuium interitu fuisset empta victoria? Non parum laudis meretur hic affectus in duce Lacędemonio tum natura bellaci, tum ethnico: At Christiano principi nulla nõ debet esse lugubris victoria, quæ plurimorum etiam hostium exitio contigit. Erasmus lib. 3. Apophtegmat. Nota bene.

Idem lib. 1.

Agesipolis Cleombrati filius, cùm quispiam apud ipsum ceu rem magnam prędicaret, quod Philippus Macedonum rex intra pauculos dies subuertisset Olynthum, atq; per deos, inquit, talem ciuitatem longè maiore temporis spacio non extructurus est: significans multò regalius esse, condere vrbes, quàm conditas demoliri.

Ibidem.

De Demarato duce Lacædemoniorum quidam à rege defecerat, is suasu Demarati mutatus cùm reuertisset ad suos, tentaretq́; rex eum occidere: Turpe, inquit, fuerit ô rex, si cùm hostis fuerit, non potueris ab eo defectionis pœnas sumere, nunc amicum factum velis interficere. Hoc prudẽtissimo dicto, & regis indigna-

tionem temperauit,& eius cui reditum persua-serat,incolumitati consuluit. Vtriq; consultor vtilis,alteri ne quid indignum regia mansuetu-dine committeret,alteri ne pœniteret ab erro-re reuocanti paruisse.

De humanitatis atq; clementię exemplis va-rijs, vide Valerium Maximum, & Fulgosum,li-bro 3.cap.1.

De Philippo Macedonum Rege.

Quibusdam ipsi consulentibus,vt cum Athe-niensibus asperius ageret,respõdit:illos absur-dè facere, qui homini cuncta ad gloriam, tum agenti,tum patienti suaderẽt,vt glorię suę thea-trum abijceret: significans sese hoc agere, non vt Athenas euerteret, sed vt ciuitati celeberri-mæ doctissimorum virorum copia florẽti suas virtutes probaret.Erasmus lib.4.Apophtegm.

Ibidem.

Antigonus amicis suadentibus, vt si Athenas caperet,validis illam pręsidijs communiret,ne quando deficeret,summaq; cura vt totius Græ-tiæ basim custodiret: respondit, se semper in hac fuisse sententia, vt crederet nullum esse re-gni præsidium firmius,quàm ciuium beneuo-lentiam.

Idem lib.4.de Octauio Cæsare Augusto.

Quum enim Alexandrini post vrbem vi ca-ptam extrema se passuros existimarent: Augu-stus suggestum conscendit, adiuncto sibi Ario Alexãdrino, dixit:se ciuitate parcere,primum, propter ipsius magnitudinem ac pulchritudi-nem,deinde,propter Alexandrum Magnum e-ius vrbis conditorem,postremò,in gratiam A-rij amici.Raræ cuiusdam clemẽtię fuit,non di-ripere ciuitatem, quæ pertinacissimè rebella-ret:sed non minus laudis merebatur illa ciuili-tas,quòd huius beneficij gratiam non sibi vin-dicauit,sed vnam præcipuam partem ipsi con-cessit vrbi,alteram tribuit Alexãdro,cuius me-moriam sciebat apud Alexandrinos esse gratio-sissimam:tertiam transtulit in Arium eius ciui-tatis ciuem,amicũ tanto titulo suis cõmendãs.

De eodem.

Quum populus Atheniensis videretur deli-quisse quiddam, scripsit ex vrbe Aegina: Non arbitror vos latere,quod vobis irascor:neq; e-nim Aeginæ hybernaturus sum, nec aliud illis neq; dixit, neq; fecit,satis habens illis commi-natum esse,si desisterent.

Item cùm quispiam ex Euclidis accusatorib. affatim & ad sacietatem vsq; dicendi libertate vtens,eò tandem prouectus esset, vt tale quid-dam diceret: Hæc si tibi non videntur magna, iube vt mihi reddat septimum Thucididis li-brum:His offensus Cæsar,iussit illum duci.Cæ-terum vt audiuit illum ex Brasside posteris re-liquũ esse,ad se venire iussit, ac moderatè cor-reptum dimisit.

Clamor Grçcè βοὴ ῆς ἡ dicitur,& βοάω clamo. Est autem clamor filia iræ,qua quis clamat contra aliquem cõfusè & inordinatè,aut furio-sè loquens,secundum b.Thom.secunda Secun-dæ quæst.138.art.7.

Estque clamor propriè calamorum sonus, quasi calamor. Arundines enim vento agitatæ magnum emittunt sonum.Inde clamantem di-cimus eum, qui vociferando obstrepit.

Claritas Græcè λαμπρότης ητος ἡ, & λαμπρός οῦ ὁ clarus dicitur. Est autẽ clarus propriè lucidus, vt clara dies. Metaphoricè etiam pro insigni & excellenti ponitur,vt qui proprio quodam ful gore resplendet.Is etiam inclytus dicitur. Ve-rùm plus est inclytus,quàm clarus.Nam κλυτός οῦ ὁ clarus est, cui in, præpositio addita auget, hinc pariter claritas orationis, claritas generis, claritas rerum gestarum. Claritudo etiam pro claritate ponitur.Salustius:Cùm præsertim tam multæ,variæq; sint artes animi,quibus summa claritudo paratur.

Cœmiterium Græca dictio est, κοιμητήριον οῦ τὸ dicitur à κοιμάομαι quod est dormio, quòd illic corpora dormientium, hoc est mortuorũ iacent.

Coæuitas Græcè ὁμηλικία ας ἡ,& ὁμῆλιξ ικος ὁ coęuus & coætaneus dicitur.Est autem coęuus eiusdem ætatis.

Cogitatio Græcè λογισμός οῦ ὁ, & λογίζομαι cogito dicitur. Est autem cogitatio secun-dum Richardum inquisitio veritatis per dis-cursum ex multis,licet secundum Augustinum quandoq; sumatur pro quacunq; operatione intellectus.hæc ex b.Thoma secunda Secundę quæst.180.art.3.

Differuntq; Cogitatio,Meditatio, Contem-platio,& Consideratio hoc modo: quòd Cogi-tatio est respectus animi ad euagationem pro-nus.Meditatio est intuitus occupatus in inqui-sitione veritatis. Contemplatio est liber animi contuitus in res. Consideratio est omnis ope-ratio intellectus, vel processus rationis ex prin-cipijs pertingentibus ad contemplationem ve-ritatis,sicut meditatio, secundum b. Thomam Secundæ q.180.art.3.

Cogitatiua potentia est ratio particularis col-latiua intentionum indiuidualium,secundum b.Thom.prima parte q.78.art.4.

Cogitatio & excogitatio quid differant,vi-de in Excogitatio.

Euripides.

αἱ δευτέραι πῶς φροντίδες σοφώτεραι id est, *Secundæ sanè cogitationes sapientiores.*

Cognatio Grçcè συγγένεια ας ἡ, & συγγενής έος ὁ ἡ conatus dicitur.Cognatio spiritualis,est vin-culum contractũ ex statuto ecclesiæ per susce-ptionem sacramentorum, dirimens matrimo-niũ iam contractum,secundum b.Tho.4.Sent. dist.

distin. 42. q. 1. arti. 1. Contrahiturq́; tantum per baptismum & confirmationem.

Cognitio Græcè γνῶσις εως ἡ, & γνωστὴρ ῆρος ὁ cognitor dicitur. Propriè autē cognitor dicitur, qui litem alterius suscipit coràm, ab eo, cui datus est, sicut procurator, qui absens nomine authôr fit. Cognitor à cognosco venit. vnde etiam recognosco, quod est opus compositum emendandi, aut limandi, aut reprehendendi causa reuideo. Actus verò ipse recognitio dicitur.

Color Græcè χρόα ας ἡ, vel χρῶμα ατος τὸ, & χρωματίζω coloro dicitur. Est autem color extremitas perspicui in corpore terminato, secundum Aristotelem libro de sensu & sensato.

Color est motiuus diaphani, secundum actū: secundum Aristo. libro 2. de anima.

Color est passio corporis opaci alteratiua visus de potentia ad actum.

Color est qualitas secunda, ex commixtione quatuor qualitatum primarum derelicta, alteratiua visus de potentia ad actum.

Color est lux incorporea, in extremitate diaphani terminati, secundum B. Thom. primo sent. dist. 17. q. 1. art. 1.

A color venit coloro verbum, & discolor diuersi coloris, & concolor eiusdem coloris. Colores prætereà apud Rhetores dicuntur orationis ornamenta, hoc est figuræ, quæ à Græcis σχήματα dicuntur.

Cometes Græcè κομήτης ὁ, & κόμη ης ἡ coma dicitur. Et est exhalatio terrestris calida & sicca, grossa, pinguis & viscosa, cuius partes multùm ad inuicem circumiacent, eleuata ab istis inferioribus, vsque ad supremam regionem aëris, in qua propter motum illius regionis inflammatur, & circulariter mouetur ad motum supremę regionis aëris, secundum Aristotelem libro 1. Meteororum.

Cometen nostri stellam crinitam vocant. Plura genera huiusmodi subitò nascentium stellarum pogonias vocant à barba, quæ Græcè dicitur πώγων. Quoniam inferiore ex parte in modum barbæ iuba longè extenditur.

Comitas Græcè εὐτραπελία ας ἡ. & εὐτράπελος ὁ comis dicitur. Est autem comitas cum moderatione iocatio, secundum Arist. lib. 4. Ethico.

Comitas est virtus media inter seueritatem, & remissionem. In altera nec punctum quidem à virtute discedimus. In altera omnia quadam animi abiectione remittimus.

Comis est benignus, facilis, mansuetus, & dicitur à como verbo, quod tam est apud Græcos, quàm apud Latinos, idem quod orno. Terētius: Noui ego ingenium mulierum, dum moliūtur, dum comuntur, annus est. Sunt enim capilli maximo homini ornamento: Quare Charilaus cur comam nutriret interrogatus: Quoniam, inquit, ex omni ornatu corporis, hic pulchri & minimi sumptus est.

Comedere Græcè φαγεῖν. Nam φάγω & ἔσθίω, & ἔσθω poeticè comedo dicitur. Et est cibum sumere per potentiam naturalem sumentis conuertibilem in naturam eius. Ex B. Thom. prima parte, q. 51. art. 3.

Comessatio Græcè κῶμος ου ὁ, & κωμαστὴς οῦ ὁ comestor dicitur. Est autem comessatio propriè cibus post cœnam sumptus, sicut merenda cibus, qui sumitur ante cœnam: & Ientaculum cibus, qui sumitur ante prandium, quod ab ientor verbo, de quo infrà vide in ientaculum. Diciturq́; comessatio à vicis, quos Græci κώμους vocant, & esum supino de edo, quoniam ante oppidorum constructionem veteres in vicis habitantes, alij alios conuictus gratia inuitabant.

Commaternitas & compaternitas sunt idem quod cognatio spiritualis, secundum B. Thom. quarto sent. dist. 42. q. 1.

Commemoratio Græcè ἀνάμνησις ιος ὁ, & ἀναμνηστικός οῦ ὁ ἡ facilè reminiscens dicitur. Venit autem commemoratio à commemoro, quod est ad memoriam reduco. Terentius: Nam isthæc cōmemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Cicero: Exercendæ quoq; memoriæ gratia, quid quoq; die egerim commemoro vesperi.

Commendatio Græcè σύστασις εως ἡ, & συνίστημι commendo dicitur. Estq́; commendatio modò laudatio, modò commissio. Quia commendo iunctum datiuo, significat committo, vt, commendo te regi. Quando verò iungitur accusatiuo cum apud, vel ablatiuo cum in, significat laudo, Vt commendabo te apud principem vel regem, vel in senatu. Inde literæ commendatitiæ dicuntur, quibus aliquis commendatur.

Commiseratio Græcè οἰκτιρμός οῦ ὁ, & οἰκτίρμων ονος ὁ misericors dicitur. Et est commiseratio, dolor quidam ex apparenti malo corruptiuo, ac dolorem inferente in non dignum pati, quod vel ipse putabit, posse pati, vel suorum aliquem, idq́; sic vt propinquum videatur, secundum Arist. lib. 2. Rhetor.

Commiseratio est cùm vel aspectu alicuius, vel oratione, vel etiam cogitatione adducimur vt eum miseremur.

Commodatio à verbo commodo venit quod χρήζω dicitur. Et est alicuius rei ad alienum specialem vsum gratuitò facta concessio, secūdum glo. in ca. vnico de Commo. Itaque commodare, est alicuius rei vsum ad tempus concedere. Cicero: Dando & accipiendo, mutuandisq́; facultatibus, accōmodandis nulla re egeremus. Differt autem hoc verbum à mutuo: quod mutuamus, vt Paulus Iurisconsultus inquit, non eandem speciem recepturi. Mutuidatio in his rebus est, quæ pondere, numero, mensuráue dari solent, quoniam earum rerū datione possumus in creditum ire, quia magis in genere suo functionem recipiunt, per solutionem, quàm per speciem

speciem. Nam in cæteris rebus ideo ire in creditum non possumus: quia aliud pro alio inuito creditore solui non potest.

Commutatio Græcè συνάλλαγμα ατος τὸ, & ἀντάλλαγμα ατος à λαττω permuto dicitur. Et est duplex: Altera naturalis, hoc est rei ad rem, vel ad pecuniam, pertinens ad Oeconomos vel Politicos. Altera propter lucrum, pertinens ad negotiatores. Ex B. Tho. secunda secundę, q. 77. ar. 4.

Commutare verba, est litigare & iurgari. Terentius: Nunquam hodie commutaturum patrem vnum esse verbum.

Compassio Græcè συμπάθεια ας ἡ quæ & à nostris cordolium dicitur à dolore cordis. De qua vide infrà in Misericordia.

Compaternitas vide suprà in Commaternitas.

Compensatio διοίκησις ιος ἡ dicitur. Et (vt Modestinus inquit) est debiti & crediti inter se contributio, vt ff. de compensat. libro I.

Compensatio Græcè κατάνυξις ιος ἡ, & καταγύσσω compungo dicitur.

Comprehensio Græcè κατάληψις ιος ἡ, & καταλαμβάνω comprehendo dicitur. Est autem comprehendere propriè attingere rem secundum omnem modum, & omnem rationem, qua cognoscibilis est, secundum B. Thom. prima parte quæst. 12. arti. 7. Comprehendo & apprehendo idem sunt, quod capio, sed & corpore & animo hoc fit.

Conceptio Græcè σύλληψις ιος ἡ, & συλλαμβάνω concipio dicitur. Est autem concipi, procedere à generante, distinctū esse ab eo, & esse clausum intra terminos eius, secundū B. Tho. 3. sen. di. 8. I.

Conceptio viri, secundum Aristotelem completur in 40 diebus: secundum Augustinum in 30. Mulieris verò in 60.

Versus.

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini,
Bisseni carnem, ter seni membra figurant.

Concipio propriè significat apprehēdo. Quare mulier concipere dicitur, cùm genitale semē apprehendit ad fœtum faciendum, vnde conceptum fœtum dicimus, cùm genitura coaluit.

Conceptio apud grammaticos fit, cùm vnum genus aliud, vel vna persona aliam concipit & apprehendit.

Conciliatio Græcè διαλλαγὴ ης ἡ, vel συναλλαγὴ ης ἡ, διαλλάττω cōcilio, quando non cum re, sed cum Deo, siue homine iungitur. Idem est quod placo, & amicum facio. Virgilius: Tu sceptra Iouemq; concilias. Hinc reconciliare, quod est in gratiam restituere, & in pristinam beneuolentiam, à qua quis deciderat offensa interueniente. Concilio mihi laudem, seu famam, id est, acquiro & comparo. Et in malam partem nonnunquam, vt tu concilias tibi inimicitias. Conciliatus etiam pro empto ponitur. Terentius: Prodi malè conciliate, hoc est magno pretio empte.

Concio Græcè ἀγορὴ, & ἀγορεύω concionor dicitur. Est autem concio populi multitudo congregata ad audiendum aliquem orantem pro cōmuni vtilitate. Et tum ipsa oratio, tum locus ipse concio appellatur. Diciturq; à cōcio, quod modò significat conuoco, modò perturbo & commoueo. Idemq; qui orat, cōcionari dicitur.

Homerus in α. Iliados de Nestore.

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Id est, *Cuius & à lingua melle dulcior fluebat oratio.*

Ibidem.

ἀγορὴν κυδιάνειραν. id est:
Concionem uiros illustrantem.

Idem in γ. Iliados.

ἀλλ' ἀγορηταὶ
ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην,
δένδρεῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
Concionatores boni cicadis similes, quæ in sylua
Arbori insidentes, uocem delectabilem emittunt.

Homerus in ι. Iliados.

ἀγοράων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι. id est,
Concionum, ubi uires illustres fiunt.

Concordia Gręcè ὁμόνοια ας ἡ, & ὁμοφωνέω concordo dicitur. Et est ad alterum, inquantum scilicet diuersorum cordium voluntates simul in vnum consensum conueniunt, vnde concordia est vnio appetituum diuersorum appetentium, Pax verò est vnio appetituum vnius appetentis: ex B. Thoma secunda secundæ quæst. 29. articu. I. Hinc concordo verbum, quod est conuenio, & concors eiusdem cordis, id est, mentis & animi. Et discors, qui corde & animo dissidet.

Aristoteles libro de Mundo.

Aequalitas, cōcordię tutrix atq; cōseruatrix.

Salustius in bello Iugurtino.

Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

T. Liuius libro 2. deca. I.

Externus timor maximū concordię vinculū.

Conclusio Græcè συμπέρασμα ατος τὸ, συμπεραίνω concludo dicitur. Est enim concludere aliquādo perorare, hoc est, terminare orationem. Inde conclusio quę etiam à Gręcis ἐπίλογος, nostris peroratio, nonnūquam cumulus vocatur. Quia sicuti cumulus aceruus est: Ita in cōclusione omnia, quasi in vnum aceruum colliguntur.

Concubina Gręcè συνεύνιος καὶ σύνευνος ου ὁ, & συνεύω annuo dicitur, & συγκοίμησις ιος ἡ cōcubitus dicitur. Est autem concubina mulier, quę domi quasi vxoris loco tenetur, à Græcis etiam dicta παλλακὴ ῆς ἡ.

Concupiscentia Græcè ἐπιθυμία ας ἡ, & ἐπιθυμέω concupisco. Et est appetitus delectabilis sensitiuæ, & est subiectiuè in appetitu sensitiuo, B. Thom. prima secundæ q. 3. art. I.

Concupiscibilitas est appetitus sensitiuę, qui comuniter dicitur sensualitas. Cuius obiectum est bonum apprehensum, secundum sensum B. Thomæ 3. sententia, distin. 26. q. I.

Con-

Concupiscentia est tam malarum, quàm bonarum rerum appetitus, à concupisco veniens, quod est opto & desidero.

Concupiscibilis vis quid sit, vide suprà in arbore animæ sensitiuæ.

Concupiscentia dicit intentionem desiderij, Zelus amoris, Abominatio odij, Acedia tristitię, Pręsumptio spei, Audacia cõfidentię, Furor irę, hęc ex b. Tho. 3. Sent. dist. 26. q. 1. art. 3.

CONfessio Græcè ὁμολογία ας ἡ, & ὁμολογητής confessor dicitur. Est autem confessio triplex, scilicet actus exterior fidei, vel iustitiæ. Actus latriæ, scilicet gratiarum actio & laudatio Dei, & actus pœnitentiæ, scilicet confessio peccatorum, b. Tho. secunda Secundæ. q. 3. art. pri. & 4. Senten. dist. 17. art. 2.

Confessio sacramentalis, est legitima coram sacerdote peccatorum suorũ declaratio, secundum Ho: & dicitur quasi simul, vel ex toto, vel vndiq; fassio.

Confessio sacramentalis est, per quam morbus latẽs spe veniæ aperitur, vt habetur 4. Sen. dist. 12. q. 3. art. 2. secundum August.

Vel sic

Confessio sacramentalis est deliquentis accusatio ex erubescẽtia, & per claues Ecclesiæ satisfactoria, obligans ad pœnitentiam peragendam iniunctam.

Confessio sacramentalis debet habere sedecim conditiones, infrà scriptis versibus contentas, secundum b. Tho. 4. Sen. dist. 17. q. 3. art. 4.

Sit simplex, humilis confeßio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, discreta, libens, uerecunda,
Integra, secreta, lachrimabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & se punire parata.

Item.

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

Numeri 5.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicẽs: Loquere ad filios Israel, vir sine muliere, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominib. accidere, & per negligentiã transgressi fuerint mandatum Domini, atq; deliquerint, confitebuntur peccatum suum.

Iosue 7.

Fili mi da gloriã Domino Deo Israel, & cõfitere atq; indica mihi quid feceris, ne abscondas.

Prouerb. 28.

Qui abscondit scelera sua, nõ dirigetur. Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Ecclesiastici 4.

Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subijcias te omni homini pro peccato.

Ibidem 17.

Confiteberis viuens, & viuus, & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus eius. Quoniã magna misericordia Domini, & ꝓpitiatio illius cõuertentibus ad se.

Lucæ 5.

Vade & ostende te sacerdoti.

Ibidem 17.

Ite & ostendite vos sacerdotibus.

Iacobi 1.

Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.

I. Ioan. 1.

Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis

August. lib. de pœn. & hab. de pœni. dist. Quem pœnite.

Quem pœnitet omninò pœniteat, & doloré lachrymis ostendat. Repræsentet vitam suam Deo per sacerdotes, præueniat iudicium Dei per confessionẽ: præcepit enim Dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus, dicẽs corporali præsentia confitenda esse peccata. nõ per nuncium, non per scripta manifestanda: dixit enim, ora mõstrate, & omnes, non vnus pro omnibus, nõ alium statuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum: sed qui per vos peccastis per vos erubescatis. Erubescẽtia enim ipsa partem habet remissionis: Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, vt neminẽ pœniteret in occulto. In hoc enim quòd per seipsum dicit sacerdoti, erubescentiam vincit. Timore offensi, venia fit criminis. Fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat operatione. Etsi non statim purgatur, fit tamen vitale, quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescẽtiæ dominans, nihil eorum, quæ commiserit, nuntio Dei denegauit.

August. lib. de pœnit.

Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, expugnatrix dęmonum. Quid plura? obstruit os inferni, & Paradisi portas aperit.

Aug. sup. Psal. Delictum meum cognitum tibi feci.

Non operui, sed aperui, vt operires. Non cælaui, vt tegeres. Nã quando homo detegit, Deus tegit. Cùm homo cælat, Deus nudat. Cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.

Aug. li. de pœn. & ha. de pœn. dist. 5. Cõsiderat. §. Cautus.

Cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus, diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit diuersis sacerdotibus manifestare: quædam enim vni cælat, quæ alij manifestanda reseruat: quod est se laudare & ad hypocrisin tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta totã putat peruenire.

August. li. de pœn. & hab. de pœn. dist. 6. Qui uult.

Qui vult cõfiteri peccata sua, vt inueniat gra-

tiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere.

Augustinus librō de pœniten.

Discretio cōfessoris valde necessaria est. Consideret qualitatem criminis in loco, in tēpore, in perseuerētia, in veritate personę, cuius fuerit ętatis, cuius sapiētię, & ordinis, & quali hoc fecerit tētatione, & in ipsius multiplici executione.

Augustinus libro de blasphemia spiritus sancti, & habetur 1. quæstio. 1. Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus in sancta Ecclesia (etiam in isto tempore, quo velut granum atteritur cum palea) sic operatur, vt nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, vt etiam per illorū ministerium probos colligat.

Augustinus super Psalm.

O homo quid times confiteri? Illud, quod per cōfessionem scio, minus scio, quàm illud, quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua? peccator sum, sicut & tu: homo sum, humanum à me nihil alienum. Confitere homo homini: homo peccator, homini peccatori. Elige quid vis. Si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet hominem humilem. Ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbum.

Augustinus super Ioannem.

Seruus peccati quò fugit? Secū se trahit quocunq; fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia. Non est quò eat, sequitur se, imò non recedit à se. Peccatum enim, quod facit, intus est. Vis audire consilium. Si vis à Deo fugere, ad ipsum fuge confitendo, non ipsum aliquid latendo. Confiteri enim potes, latere non potes.

Ibidem.

Cùm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod vitaris, veritas in te non est, nisi ita dixeris te peccatorem, vt te esse cognoscas.

Augustinus in tractatu de cura malitiæ.

Nemo dicat occultè: ego pœnitentiam apud Deum ago: nouit Deus, qui me agnoscit, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: Quę solueritis in terra, erunt soluta in cælo. Ergo sine causa datæ sunt claues Ecclesiæ.

Augustinus in symbolo Ruffini, & tomo 4. habetur.

Verùm de remissione peccatorum sufficere debet sola credulitas. Quis enim causas, aut rationem requirat, vbi indulgentia principalis est causa. Cùm terreni regis liberalitas discussioni non sit obnoxia, ab humana temeritate discutitur diuina largitio. Solent enim cum irrisione aduersus nos dicere pagani, quod ipsi nos decipiamus, qui putemus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari, & aiunt: Nunquid potest, qui homicidiū fecit, homicida non esse, & adulter non videri, qui adulterium perpetrauit? Quomodo ergo huiuscemodi criminum reus, sanctus vobis effici subitò videtur? Sed adhæc, vt dixi, melius fide, quàm ratione respōdeo: rex enim est omnium, qui promisit, terræ cæliq; Dominus est, qui hæc pollicetur. Non vis, vt ei, qui me ex terra hominē fecit, credam, quod ex criminoso me faciat innocentem? Et qui me, cùm essem cæcus, fecit videre, vel, cùm essem surdus, audire: qui me claudo gressū reddidit, innocentiam mihi perditam non poterit recuperare? Et vt veniamus ad ipsius naturæ testimonium: Occidere hominem, non semper criminosum est, sed malitia, non legibus occidere, criminosum est. Non ergo factum me in talibus, quia interdum & rectè fit, sed animus malè consulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminosus est effectus, & in quo fuit origo vitij corrigatur: Cur tibi videar non posse innocēs effici, qui prius fueram criminosus? Si enim, vt suprà ostendi, constat, quod non in facto, sed in voluntate sit crimen, sicut mala voluntas autore malo Dęmone peccatorem me & morti me fecit obnoxium: Ita in bonum voluntas mutata authore bono Deo innocentiæ reddidit & vitę. Similis causa & in cęteris est criminibus: hoc modo fides nostra non inuenitur naturalibus rationibus aduersari, dum remissio peccatorum non gestis, quæ mutari non possunt, sed animo, quē de malo in bonum conuerti certum est, deputetur.

Ambrosius libro de Paradiso, & habetur de pœnit. distinctio. 1. Non potest quisq;.

Non potest quisque à peccato iustificari, nisi peccatum antè fuerit confessus.

Ambrosius in sermone quadragesimæ, & habet. de pœnit. distinctio. 1 Ecce.

Ecce nunc tempus acceptabile adest, in quo confessio animam à morte liberat: confessio aperit paradisum, confessio spem saluādi tribuit. Vnde scriptura dicit: Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. His verbis ostenditur, quia non meretur iustificari, qui in vita sua peccata noluit confiteri. Illa ergo confessio nos liberat à morte, quæ fit cum pœnitentia.

Ambrosius de Ioseph libro 36.

Plurimum suffragatur Deo verecunda confessio, & pœnam, quam defensione euitare non possumus, pudore reuelamus.

Ambrosius super Beati immaculati.

Qui se accusat, & si peccator sit, iustus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Dei iustitias confitetur.

Ibidem.

Cessat enim vindicta diuina, si confessio precurrat humana.

Ibidem.

Si accusauerit se iustus, vocem parat accusationis, excludit, qui solet accusare peccata, & vniuscuiusq; est aggregare flagitia: excusat reum

pudor

pudor suus. Accusat eum autorem, qui cùm sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse, quòd fecit, in Diabolo perdidisse, quod suasit.

Gregorius, & habetur de pœnit. distin. 6. Sacerdos.

Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quòd ea confessus est, non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo, nam si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.

Gregorius 8. Moralium.

Qui promereri vult, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit. Valdè enim facilè est, vt peccatorem se quisq; fateatur, cùm nihil pro peccato suo patitur.

Gregorius libro 12. Moralium super illud: Si cælaui in sinu meo iniquitatem meam.

Mirentur in bono Iob, qui volunt castitatis continentiam: mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humilimam peccatorũ, quàm tot sublimia virtutum.

Gregorius libro 22. Moralium.

Hæc sunt veræ humilitatis insignia, iniquitatem suam quenq; cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire.

Ibidem.

Peccatores nos in tranquillitate loquimur, sed cùm de peccatis ipsis flagello interueniente corripimur, murmuramus, pœna ergo nos interrogat, si culpam veraciter cognoscimus. Plerunq; grauioris certaminis est commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare.

Ibidem.

Plurimi homines confitentur culpam, sed humiles non sunt: nam multos nouimus, qui arguente nullo, peccatores se esse confitẽtur: cùm verò de culpa fuerint fortassis correpti, defensionis patrocinium quærunt, ne peccatores esse videantur. Qui si tunc, cùm id spontè dicunt, peccatores se esse veraci humilitate cognoscerent, cùm ab illis arguuntur, de se quod confessi fuerant, non negarent. Qua in re confessionis iudicia sunt, si cùm quisq; peccatorem se dicit, illud de se dicenti etiam alteri non contradicit.

Gregorius in Pastorali.

Vulnera clausa plus cruciant. Nam cùm putredo, quæ interius feruet, eijcitur, ad salutem dolor aperitur.

Ioannes Chrysostomus, & habetur de pœnit. distin. 1. cap. Quis aliquando. §. Nunc autem.

Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, & frequenter in conspectu Dei pronunties, & pro eis clementiam eius depreceris, citius illa delebis. Si autem nunc obliuiscaris peccatorum tuorum, tunc eorum recordaberis nolens, cùm in toto mundo publicabuntur, & in conspectu proferentur omnium, tam amicorum, quàm inimicorum tuorum, & sanctorum angelorum, & cęlestium virtutũ. Non enim ad Dauid solũ dicebat: Tu in secreto fecisti: ego cũctis manifestabo: sed etiam ad omnes nos hoc dicitur.

Idem super Leuiticum, homilia 2.

Peccata tua dicito, vt deleas. Illa si confunderis dicere alicui, quia peccasti, dicito illa quotidie in anima tua: non dico, vt confitearis ea seruo, vt exprobret: dico Deo, qui curat ea: nec enim si non dixeris, ignorat Deus. Dicito ea in hac vita, vt requiem in alia habeas.

Isidorus libro 1. cap. 12.

Confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in confessione consistit. In confessione locus misericordiæ est. Nulla tam grauis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam.

Ibidem cap. 16.

Frequenter peccans & lugẽs vix veniam meretur.

Bernardus super Cantic. sermone 3.

Quantum displicet regi impudentia peccatoris, tantum placet verecundia confitentis.

Bernardus epistola 14.

Absq; confessione iustus iudicatur, & peccator mortuus reputatur: confessio igitur peccatoris est vita, iusti gloria, & necessaria est peccatori, & iustum nihilominus decet.

Bernardus de duodecim gradibus humilitatis.

Iudicia verę cõfessionis sunt, sicut vnusquisque se peccatorem dicit, id de se dicenti alteri non contradicat. Nam non peccator, sed iustus videri appetit, cùm peccatorem se quisq; nullo arguente confitetur. Superbiæ quippe vitium est, vt quod de se fateri quis sua spõte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur.

Leo Papa, & habetur de pœnitentia distin. 1. Sufficit.

Sufficit pœnitẽti confessio, quæ primùm Domino offertur: deinde sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.

Hugo de claustro animæ.

Si veniret Dęmon ad capitulum confessionis, impetrare posset indulgentiam remissionis. Satan expulsus est à capitulo cæli. Adam à capitulo Paradisi. Iudas à capitulo Christi. In primo capitulo fuit culpa superbię. In secundo culpa inobedientiæ. In tertio culpa auaritiæ.

Cassiodorus super illud Psalm. Vias meas annunciaui.

Mira cõpensatio, stupenda vicissitudo, Domino suo propria mala dicere, & ab eodem pręmia salutis accipere. Quis non incitetur, illi ad præmiũ cõfiteri, cui nõ possis negare, quod feceris?

Cassiodorus super illud Psalm. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.

O ingeniosa simplicitas, & mille tergiuersationibus cautior puritas: manifestare delictum: illis non iudex, sed aduocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.

Caßiodorus super Psalm. 77.

O beata confeſsio, quæ æternũ tollit opprobrium. Nam quicquid reatuum inuenerit pœnitentia, perpetuis ſeculis reddit abſolutum.

Boëtius libro 1. de Philoſophica conſolatione.

Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas.

Anſelmus ſuper Pſalm. 6.

Medicus ægroto confitenti ſuam infirmitatẽ medicinam negare non debet, vt perſuadeat animę, in qua mala ſe pręcipitauit. Et ideo etiam vt ex difficultate ſanationis magis ſibi caueat. Quod enim facilè ſanatur, nõ multùm cauetur.

Seneca libro de moribus.

Vbi eſt confeſsio, ibi remiſsio.

Seneca ad Lucilium epiſtola 28.

Initium eſt ſalutis notitia peccati. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Ideo, quantum potes, teipſum coargue.

Idem ad Lucilium epiſtola 54.

Quare vitia ſua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare vigilãtis eſt, & vitia ſua confiteri ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo, vt mores noſtros coarguere poſsimus.

Idem epiſtola 57.

Omnia vitia in aperto leuiora ſunt, morbi quoq; ad ſanitatem tunc inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. Et auaritiam itaq;, & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ, tunc pernitioſa ſcias eſſe, cùm ſimulata ſanitate ſubſidunt.

Ouidius Metamorpho. libro 10. fabula 9.

Numen confeßis aliquod patet.

Confidentia Græcè θαῤῥαλεότης ητος ἡ, & θαῤῥέω confido dicitur. Et eſt per quàm magis & honeſtis rebus animus multum in ſe fidentiæ collocat, ſecundum Cieron. libro 2. Rhetoricorum.

Confidentia & fiducia ſic differunt, vt placet Donato ſuper Terentio, quòd confidentia interdum in bona ſignificatione, interdum in mala. Fiducia verò ſemper in mala, ſed vtrunq; modò in malam, modò in bonam partem accipitur.

Conformitas Græcè συμμόρφωσις ιος ἡ, & σύμμορφός conformis dicitur. Eſt autem conformitas, idem quod ſimilitudo, quam cauſat vnitas qualitatis, ſecundum B. Tho. 1. Sent. diſt. 48. q. 1.

Coniectura Gręcè τεκμήριον ου τὸ, & τεκμαίρομαι coniecto dicitur. Eſt autem coniectura per aliqua ſigna alicuius rei cognitio, imperfecta tamen ſecundum B. Thomam prima Secundæ q. 112. arti. 5.

Coniectus eſt directio quædam rationis ad veritatem, à quo dicta eſt cõiectura, à quo apud Rhetores dictus eſt ſtatus coniecturalis.

Coniuratio Græcè συνωμοσία ας ἡ, & συνωμότης ου ὁ coniuratus dicitur, & συνομόω coniuro. Et eſt quando aliqui rebelles authoritati in vnum ſe colligendo, iuramenta inter ſe dederũt, vt habetur 11. quæ. 1.

Coniurationum. Vnde coniurare, eſt ſimul & in vnum iurare.

Coniuratio & conſpiratio pro vno & eodem crimine accipiuntur 11. q. 1. Coniurationum.

Conſpirare, eſt ſimul vel in idem ſpirare, ſecũdum glo. in c. Conſtitutionem, de ſen. ex li. 6.

Coniuro propriè, eſt in alicuius perniciem iuro. Vnde coniuratio. Capiuntur nonnunquam coniuratio & conſpiratio in bonam partem. Licèt perrarò. Horatius: Coniurat amicè.

Coniurati ſunt hi, qui coniurauerunt, & conſpirationem fecerunt.

Conſanguinitas Græcè ὁμαιμογένεια ας ἡ, & ὅμαιμος ου ὁ ἡ conſanguineus dicitur. Eſt autẽ conſanguinitas vinculum ab eodem ſtipite propinquo deſcendentium, carnali propagatione contractum, ſecundum B. Thomam 4. ſen. diſt. 41.

Conſanguinitas eſt propinquitas quædam à naturali communicatione, fundata ſuper actum generationis, qua natura propagatur.

Ibidem.

Conſanguinitatis linea, eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum, ab eodem ſtipite deſcendentium, diuerſos continens gradus, B. Thom. 4. ſent. diſt. 40. q. 2. art. 1.

Conſanguinitatis gradus eſt habitudo perſonarum diſtantium, qua cognoſcitur quanta diſtantia perſonæ inter ſe differunt.

Conſcientia Græcè συνείδησις ιος ἡ, & συνειδώς οτος ὁ conſcius dicitur. Et non eſt potẽtia, nec habitus: ſed eſt actus, ſcilicet applicatio ſcientię, & quandoq; ponitur pro Synthereſi, quia eſt actus eius. B. Thomas 1. parte q. 89. art. 13.

Conſcientia eſt regula in ratione. Synthereſis verò eſt in voluntate, inſtigãdo eam ad bonum & honeſtum. Ex Alexan. in 3. parte ſummæ.

Conſcientia modò de pluribus eſt, modò de vno. De pluribus. Saluſtius: Tum ſcelerum ſuorum in primiſq; conſpirationis conſcientia ſolliciti, quò ſe verteret non videbant. De vno.

Cicero in Catone maiore.

Conſcientia bene actæ vitæ, multorumq; benefactorum recordatio iucundiſsima eſt.

Menander.

βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός. id eſt, *Mortalibus omnibus conſcientia Deus.*

Conſenſus Gręcè ὁμόνοια ας ἡ, & ὁμονοέω cõſentio dicitur. Et importat iudicium de eo, in quod conſentitur, B. Thom. prima ſecundæ q. 73. ar. 7.

Conſequentia Gręcè ἀκολουθία ας ἡ, & συνακολουθέω conſequor dicitur. Eſt autem conſequentia ex præcedentibus illatio.

Conſeruatio Græcè συντήρησις ιος ἡ, & συντηρέω conſeruo dicitur. Eſt autem conſeruatio in eſſe. Influentia vniuoci eſſe, prius influxi. B. Thomas prima parte quæſt. 9. art. 2.

Conſi-

Consideratio Græcè σκέψις ιος ἡ, & σκέπτομαι considero dicitur. Et est omnis operatio intellectus, vel processus rationis ex principijs pertinentibus ad contemplationem veritatis, B. Thomas secunda secundæ q.180. arti.3.

Considero à syderum contemplatione dicitur, à quo consideratus, qui agenda considerat. Et consideratio contemplatio. Quid differant consideratio, cogitatio, contemplatio, & meditatio, vide suprà in Cogitatio.

Consiliarius Græcè σύμβουλος ου ὁ, & συμβουλία ας ἡ consultatio. Est autem consiliarius, qui alij consilium dat, qui & consultus dicitur. Ille verò qui consilium petit, dicitur consultor.

Homerus in β. Iliados.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. id est, *Non oportet per noctem dormire consiliarium uirum.*

Hesiodus.

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ, τῷ βουλεύσαντι κακίστη. id est, *Malum consilium, consultori pessimum.*

Menander.

ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται. id est, *In nocte consilium sapientibus fit.*

Consilium Græcè βούλευμα ατος τὸ, & βουλεύω do consilium dicitur. Est autem consilium appetitus inquisitiuus de rebus vtilibus, secundum Damascenum libro 3. cap.33.

Consilium est appetitus faciendi excogitata ratione, secundum Ciceronem libro 1. Rhetoricorum.

Consilium est inquisitio eorum tantùm, quę sunt ad finem operabilium à nobis, non minimorum, nec determinatorum, B. Thom. secunda secundæ q.52. art.3.

Fit autem consilium à con & salio, quod in vnam sententiam plures rationes consaliant, id est, simul saliant & conueniant. Hinc fit consulo, quod accusatiuo iunctum significat consilium peto. Iuuenalis: Consulit ante phalas delphinorumq; columnas. Si verò datiuo, significat consilium do. Aliquando consulo ponitur pro delibero, & tunc casum nullum requirit, vt consulunt Senatores.

Prouerbiorum 19.

Audi consilium, & suscipe disciplinam.

Ibidem 13.

Astutus omnia agit cum consilio.

Ecclesiastici 6.

Consiliarius tibi sit vnus de mille.

Ibidem.

Audi fili, & accipe consilium.

Ibidem 8.

Cum extraneis consilium non habeas.

Ibidem 37.

A zelantibus te absconde consilium.

Ibidem 25.

Quàm speciosum caniciє iudicium & à presbytero cognoscere consilium.

Ibidem 37.

Ante omnem actum consilium stabile.

Ibidem.

A malo consiliario serua animam tuam.

Augustinus in tractatu de lapsu.

Quærimus consilium? habemus copiam non sapientis, sed ipsius sapientiæ, qui Christus est.

Augustinus homilia 1.

Corda sequentium delectationem indebitã, & fugientium tristitiam debitam, sæpius seducuntur.

Ambrosius in Hexameron.

Prima senectus est in consilijs vtilior.

Ambrosius libro 3. Officiorum.

In acquirendis consilijs plurimum adiungit vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, facilitatis gratia.

Ibidem.

Quis in cœno fontem quærat? Quis in aqua turbida potum petat? vbi luxuria, ibi intemperantia, & vitiorum confusio: quis non horrendum æstimet? quis non despiciet morum colluuionem? Quis vtilem alienę causę iudicet, quem videt inutilem esse suæ?

Ambrosius libro de Officijs.

Pecunia facilè consumitur, consilia exhauriri nesciunt, hæc vsu augẽtur: pecunia minuitur, & citò deficit: consilium autem collatum, quò in plures diffunditur, eò redundantius manet, & in suum fontem recurrit.

Ibidem.

Quomodo potes iudicare eum in consilio superiorem, quem vides moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere puto. An verò putabo idoneum, qui mihi det consilium, qui non dat sibi, & mihi eum vacare credã, qui non vacat sibi?

Gregorius libro 30. Moralium.

Iuuenes dici solent, qui nulla consilij grauitate deprimuntur. Senes verò non eos sacra scriptura vocare consueuit, qui sola temporũ quantitate, sed qui morum grauitate maturi sunt. Vnde in libro Sapientiæ: Senectus honorabilis est, non diuturna neq; annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis & ætas senecta, vita immaculata.

Gregorius libro 1. Registri.

Nullus fidelior tibi ad consilium potest esse, quàm qui non tua, sed te diligit.

Cassiodorus libro 6. epistola 19.

Omnis prouidens consilium quærit.

Seneca tractatu de uirtutibus.

Si prudens esse cupis, in futura prospectũ intende, & quę possunt contingere, animo tuo cũcta prospice. Nihil tibi subitum sit, sed totũ antè prospicias: qui enim prudẽs est, non dicit: nõ putaui hoc fieri, quia non dubitat, sed expectat: non suspicatur, sed cauet. Cuiuscunq; facti causam

ſam require. Cùm initia inueneris, exitũ cogita.

Seneca in prouerbijs.

Sunt enim duo contraria conſilio, feſtinatio ſcilicet & ira.

Ibidem.

Deliberandum eſt diu, quicquid ſtatuendum eſt ſemel.

Seneca libro de Beneficijs 3.

Sapiens non mutat conſilium, omnibus illis manentibus, quæ erant.

Seneca Lucil. epiſto. 23.

Pauci ſunt, qui conſilio ſe, ſuaq; diſponant.

Seneca libro de Beneficijs.

Velox conſilium ſequitur pœnitentia.

Ibidem.

Non eſt turpe remutare conſilium.

Seneca ad Lucilium epiſtola 38.

Errant conſilia noſtra, quia non habent, quò dirigantur.

Ibidem.

Scire debet quid petat, qui ſagittam vult mittere, & tunc dirigere ac moderari manu telum. Similiter ignorans quem portum petat, nullus ventus eſt ſuus.

Seneca ad Lucilium epiſt. 102.

Quicquid conſilio proſpici poteſt, proſpice.

Seneca tragœdia 7.

Lenis eſt dolor, qui capere conſilium poteſt.

Ariſtoteles libro 1. Politicorum.

Conſilium mulieris eſt inualidum: pueri autem imperfectum.

Ariſtoteles lib. 1. Rhetori. & 3. Ethicor.

Conſilium non eſt de fine, ſed his, quæ ſunt ad finem.

Ariſtoteles libro 6. Ethicorum.

Conſiliata oportet operari velociter, conſiliari autem tardè.

Ibidem.

Conſilium debet eſſe in his, quæ poſſunt aliter ſe habere.

Ibidem.

Conſilium non de præteritis, ſed de futuris. Quia quod factum eſt, non poteſt eſſe non factum.

Ibidem.

Prudentis eſt bene conſiliari.

Commentator ſuper 6. Ethicorum.

Bona conſiliatio eſt habitus coniecturatiuus operabilium, ſecundum rationem optimi.

Ibidem.

Duo ſunt conſiliarij inſipientes, delectatio & triſtitia. Hæc enim multos præcipitant.

Ariſtoteles libro 1. Rhetoricorum.

De neceſſarijs, & impoſsibilibus aliter ſe habere non conſiliamur. Sed de contingentibus, quæ poſſunt aliter ſe habere, quæ in poteſtate noſtra ſunt.

Saluſtius in Catilinario.

Priuſquam incipias conſulto: & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt.

Aulus Gellius libro 18. Noctium Atticarum.

Malum eſt conſilium, quod mutari non poteſt.

Cicero libro de Senectute.

Non enim viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporis res magnæ geruntur, ſed conſilio, authoritate, atq; ſententia.

Cicero libro 1. Officiorum.

Parua ſunt arma foris, niſi ſit cõſilium domi.

Cicero libro 1. Rhetoricorum ueterum.

Melius accurantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur.

Ibidem.

Domus ea, quę ratione regitur, omnib. eſt instructior, & apparatior rebus, quàm ea, quæ temerè & nullo conſilio adminiſtratur.

Ibidem lib. 2.

Suo quemq; officio conſulere oportet.

Idem lib. 3. Rhetoricorum nouorum.

Dij non ſunt auxilio his, qui ſe inconſultò in periculum mittunt.

Qu. Curtius de geſtis Alexandri libro 7.

Conſilio, non impetu, opus eſt.

Hom. in 1. Iliad. Verba ſunt Vlyſsis ad Achil.

—οὐδέ τι μῆχος
ῥεχθέντος κακοῦ ἐστ' ἄκος εὑρεῖν, ἀλλὰ πολὺ πρὶν φράζευ

—Neq; ullus modus,
Facti mali eſt remedium inuenire. Igitur multo prius conſilium cape.

Periander.

συμβούλευε ἀνάξιος. id eſt, Conſule ſine damno.

Menander.

βουλῆς γὰρ ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον. id eſt, *Conſilio enim recto nihil tutius.*

Ibidem.

βουλὴν δὲ παντὸς πράγματος προλάμβανε. id eſt, *Conſilium autem ante omnem rem cape.*

Ibidem.

ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία. id eſt, *Sacrum quid uerè eſt conſilium.*

Virgilius Aeneidos libro 12.

—Quantum ipſe feroci
Virtute exuperans, tantò me impenſius æquum eſt
Conſulere, atq; omnes metuentem expendere caſus.

Ouidius de Ponto libro 4. Elegia 12.

Crede mihi miſeros prudentia prima reliquit,
Et ſenſus cum re conſiliumq; fugit.

Horatius carminum libro 3. Ode 4.

Vis conſilij expers, mole ruit ſua.

Consolatio Græcè παράκλησις ιος ἡ, & παράκλητος ου ὁ conſolator dicitur. Compoſitum ex con & ſolor, quod eſt quaſi ſolidum redintegro, à quo ſolatium & ſolamen, quo poëtæ frequenter vtuntur. Virgilius: Solamenq; mali de collo

collo fistula pendet. Solamẽ à consolatione quidam sic distinguunt. Quod solamen re fit, consolatio verbis. Vnde carmen consolatorium dicimus.

Homerus in ω. Iliados.

οὐ γὰρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.
ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι.
ζώειν ἀχνυμένους, αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί. id est:
Non enim aliquis effectus est frugi luctus.
Sic sanè decreuerunt Dei miseros mortales,
Viuere tristitia affectos. ipsi uerò sunt sine tristitia.

Idem ibidem.

καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
τῇπερ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο. id est:
Etenim pulchri coma Niobe non oblita est cibi,
Quamuis ipsi duodecim filij in domibus perierint.

Homerus in I. Odysseæ.

ἀλλ' οὐ γάρ τις πρῆξις ἐγίνετο μυρομένοισιν. id est:
Sed nullus effectus fit lugentibus.

Phocylides.

Μήδε παροιχομένοισι κακοῖς ἐζύχου τεὸν ἦτορ,
οὐκ ἔτι γὰρ δύναται τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον. i.
Neq; præteritis malis affligas tuum cor,
Non amplius enim potest factum esse non factum.

Pallades.

Προσδοκίη θανάτου, πολυώδυνος ἐστιν ἀνίη,
τοῦτο δὲ κερδάνει θνητὸς ἀποκλεινόμενος.
Τοίνυν μὴ κλαύσῃς ἀποιχόμενον βιότοιο,
οὐδὲν γὰρ θανάτου δεύτερον ἐστὶ πάθος. id est:
Expectatio mortis, multi doloris est tristitia,
Hoc autem lucratur mortalis mortuus.
Ne igitur fleas defunctum uita,
Nulla enim mortis secunda est paßio.

Idem.

ῥίπτε γόους, μὴ κάμνε πόσον χρόνον ἐνθάδε μίμνεις,
ὡς πρὸς ἐκεῖνον τὸν μετὰ ταῦτα βίον.
Πρὶν τοίνυν σκολικὰ βάλειν, τύμβοις ἐπιδεῖναι,
Μὴ δαμάσῃς ψυχὴν ζῶν ἔτι κρινομένην. id est:
Abijce luctus, ne labora, quantum tempus hic manens.
Si respicias ad illam totam post hæc uitam.
Antequam igitur ad uermes proijciaris, sepulchrisq; imponaris,
Ne domes animam uiuere etiam addictam.

Euripides in Medea.

Κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν τὸν ὄντα συμφοράς. id est:
Leuiter ferre oportet mortalem existentem calamitates.

De hac materia habes multa infrà in Mors & in Patientia.

CONSOLATORIA IN LVCTV MORTIS, *uel dolorum, uel aduersitatibus alicuius.*

Simonides.

Ex Stobæo hæc desumpta sunt.

Τοῦ μὲν θανόντος, οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα
εἴ τι φρονοῖμεν, πλεῖον ἡμέρας μιᾶς. id est:
De homine defuncto non cogitabimus,
Si quid sapiamus, amplius uno die.

Menander.

ἐπὶ τοῦτ' ἐγένοντο πάντες ἔνθα λήξομεν,
ἀνθρωπίνους χρὴ τὰς τύχας φέρειν ξένε,
τὰ κοινὰ, κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα. id est:
Omnes illuc peruenerunt, ubi nos desinemus,
Ferenda est fortuna humaniter, ô hospes,
Communes euentus ferre communiter oportet.

Communes euentus ferendi humaniter.

Euripides in Inone.

Γίγνωσκε τ' ἀνθρώπεια, μηδ' ὑπὲρ μέτρον
ἄλγει. κακοῖς γὰρ οὐ σὺ προσκείσόμενος. id est:
Agnosce res humanas, neq; supra modum
Dole: non solus enim malè affligeris.

Idem in Protesilao.

Πέπονθεν οἷα καὶ σὲ, καὶ πάντας μένει. id est,
Hoc ei accidit, quod etiam tibi, & omnibus euenturum est.

Theognides Poeta.

Τόλμα θυμὲ κακοῖσιν ὁμῶς ἄτλητα πεπονθώς,
Δειλῶν τοι κραδίη γίνεται ὀξυτέρη
Μηδὲ σύ γ' ἀπρήκτοισιν ἐπ' ἔργμασιν ἄλγος ἀέξων
αὔχει, μήδ' αἴσχεα μήδε φίλους ἀνία
Μήδ' ἐχθροὺς εὔφραινε, θεῶν δ' εἱμαρμένα δῶρα
ἃ οὐ ῥηιδίως θνητὸς ἀνὴρ προφύγει. id est:
Sustineas anime in malis, quamuis intolerabilia passus,
Timidorum sanè cor magis est præceps ac impauens,
Neq; uanis negotijs dolorem tibi augeas,
Odio, aut molestia afficiaris: neq; amicos tristitia,
Neq; inimicos gaudeo perfundas: Deorum enim fatalia dona sunt,
Quæ mortalis homo non facilè effugerit.

Egregia sententia.

Philetas in Pegnijs, id est, Iocis.

ἐκ θυμοῦ κλαῦσαι μέγα μέτρια, καὶ τι προσηνὲς εἰπεῖν,
μεμνῆσθαι τ' οὐκ ἔτ' ἐόντος ὁμῶς. id est:
Ex animo lugeas omninò mediocriter, & aliquid iucundi dicas, nihilo secius memor defuncti.

Euripides in Alexand.

Παλαιὰ καινοῖς δακρύοις οὐ χρὴ στένειν. id est,
Casus ueteres, non deplorandi sunt nouis lachrymis.

Phileas in Epigrammatibus.

οὐ κλαίω ξείνων σε φίλτατε· πολλὰ γὰρ ἔγνως καλὰ, κακῶν δ' αὖ σοὶ μοῖραν νέμοι θεός. id est:
Non lugeo te charißime hospes: multa enim percepisti bona, nunc uerò malorum tibi sortem Deus dedit.

Sophocles in Scyrijs.

ἀλλ' εἰ μὲν ἦν κλαίουσιν ἰᾶσθαι κακὰ,
καὶ τὸν θανόντα δακρύοις ἀνιστάναι,
ὁ χρυσὸς ἧττον κτῆμα τοῦ κλαίειν ἂν εἴη·
νῦν δ' ὦ γεραιὲ, ταῦτ' ἀδυνάτως ἔχει
τὸν μὲν τάφῳ κεκρυφθέντα πρὸς τὸ φῶς ἄγειν,
καὶ μοι γὰρ ἂν πατήρ γε δακρύων χάριν ἀνῆκτ' ἂν εἰς φῶς. id est:
Quod si posses lugendo mederi malis,
Et mortuum lachrymis reuocare,
Aurum sanè uilius foret fletu:
Nunc autem ô senex fieri nequaquam potest,
Vt qui sepulchro conditus, in lucem reducatur:
Nam & mihi pater, si quid lachrymæ proficerent,
In lucem redijsset.

Philemon in Sardio.

εἰ τὰ δάκρυ' ὑμῖν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον,
ἀεὶ θ' ὁ κλαύσας τοῦ πονεῖν ἐπαύετο,
ἠλλαττόμεθ' ἂν δάκρυα δόντες χρυσίον. id est:
Si lachrymæ nobis remedium essent malorum,
Et qui lugeret, dolore semper leuaretur,
Aurum sanè pro lachrymis permutaremus.

Dion in Charidemo.

Τὰ μὲν καθ' ἡμᾶς οὕτω γέγονεν, ὡς ἔδοξε τῷ θεῷ. χρὴ δὲ μὴ γιγνομένων χαλεπὸν ἡγεῖσθαι μηδὲ δυσχερῶς φέρειν, ὥσπερ ἐν δεινοῖς οὖσι. περαινοῦσι δ' ἄλλοι τε σοφοὶ, καὶ οὐκ ἥκιστα ὅμηρος λέγων, μηδαμῆ ἀπόβλητα εἶναι ἀνθρώποις τὰ θεῶν δῶρα: οὐ κακῶς ὀνομάζων τὰ δῶρα, τὰ ἔργα τῶν θεῶν, ὡς ἅπαντα τὰ ἀγαθὰ ὄντα, καὶ ὑπὸ ἀγαθῶ γινόμενα. id est:

Res nostræ ita euenerunt, vt Deo visum est: Nihil autem eorum, quę fiunt, graue existimandum, aut ęgrè ferendum est, tanquam indignũ: Siquidem cùm alij sapientes, tum Homerus in primis nos monet, hominibus non esse spernenda Deorum dona: Rectè sanè dona vocans ipsa Deorum opera, vt quæ omnia bona sint, & boni alicuius gratia fiant.

Timocles comicus Atheniensis.

ὦ ταν ἄκουσον ἤν τί σοι δοκῶ λέγειν,
ἄνθρωπός ἐστι ζῶον ἐπίπονον φύσει
καὶ πολλὰ λυπηρ' ὁ βίος ἐν ἑαυτῷ φέρει:
παρὰ ψυχὰς οὖν φροντίδων ἀνεύρατο
ταύτας. ὁ γὰρ νοῦς τῶν ἰδίων λήθην λαβὼν
πρὸς ἀλλοτρίῳ τε ψυχαγωγηθεὶς πάθει
μεθ' ἡδονῆς ἀπῆλθε παιδευθεὶς ἅμα
τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον (εἰ βούλει) σκόπει
ὡς ὠφελοῦσι πάντας. ὁ μὲν γὰρ πένης
πτωχότερον αὑτοῦ καταμαθὼν τὸν τήλεφον
γενόμενον, οὕτω τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει,
ὁ νοσῶν τί μανικὸν, ἀλκμαίων' ἐσκέψατο
ὀφθαλμιᾷ τίς ἴσυφον ἴδεν τυφλὸν.
τέθνηκε τῷ παῖς, ἡ Νιόβη κεκούφικε
χωλός τίς ἐστι: τὸν φιλοκτήτην ὁρᾷ.
γέρων τις ἀτυχεῖ, καὶ τ' ἔμαθεν τὸν Οἰνέα.
ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις
ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννούμενος
τὰς αὑτοῦ αὐτοῦ συμφορὰς ἧττον στένει. id est:
Audi amice, si quid tibi dicere uidear:
Homo natura laboriosum est animal,
Et multum uitæ molestia affert secum:
Inuenit igitur curarum solatia
Ista. Mens enim oblita suorum,
Et alienis demulsa malis,
Cum uoluptate prudentior etiam euadit:
Nam Tragœdos, si libet, primùm consydera,
Quàm sint utiles omnibus: pauper enim aliquis
Pauperiorem se cognoscens Thelephum
Fuisse, facilius ita paupertatem fert.
Qui morbum aliquem furiosum patitur, Alcmeonem contemplatur,
Lippiens alius ſiphum cæcum uidet.
Si cui filia obijt, Niobe leuat dolorem.
Qui claudicat, Philoctetem inspicit.
Infortunatus quispiam senex, Oeneum cognoscit:
Siquidem omnes suis maiores
Calamitates accidisse considerans,
Sua ipsius infortunia minus luget.

Homerus Iliados 24.

Τέκνον ἐμὸν τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων σὴν ἔδεαι κραδίην. id est,

Fili mi, quam diu luctu tristitiaq; cor tuum exedes?

Pythagoras.

Φείδεο τῆς ζωῆς μὴ μὶν κατὰ θυμοβορήσῃς. id est,

Parce tuæ vitæ, ne ipsam animi affectibus edas.

Theocritus.

ἐν περὶ δείπνῳ τοῦ πενθοῦντος λαιμάργως ἐσθίοντος, θάρρει βέλτιστε, εἶπεν, οὐ σοὶ μόνῳ ταῦτα γέγονε. id est:

In funebri cõuiuio cùm is, cuius erat lugere, auidius cibum ingereret: Bono sis animo, dixit, non ad te solùm hæc pertinent. locus est in ambiguitate, nam verba ista, non ad te solùm hæc pertinent: tum ad conuiuium commune, tum ad communem mortis cõditionem referri possunt.

Apollonius ad Numentum.

οὐ θρηνητέον ὧν φίλων ἐστερήθημεν, ἀλλὰ μνημονευτέον ὅτι μετὰ τῶν φίλων τὴν καλλίστην βιοτὴν ἐβιώσαμεν. id est:

Non oportet ea deflere, quib. priuati sumus: sed meminisse, quòd optimam vitam cum amicis egerimus.

Polyænus Sardianus.

ὑπὲρ τοῖς ἀποθνήσκουσι μὴ λυποῦ: ἀναγκαῖον γάρ. ἀλλ' ὑπὲρ τοῖς αἰσχρῶς τελευτῶσιν. id est:

Propter morientes ne tristeris: est enim necessarium: sed propter turpiter è vita discedentes.

Idem Polyænus.

Amasis Aegyptiorum Rex, cùm epistolam scriberet ad quendam filio priuatum, dixit: Si non tristatus es, cùm nondum esset, nec nunc quidem dolere debes, cùm non amplius est.

Euripides in Andromacha.

παῦσαι δὲ λύπης τῶν τεθνηκότων ὕπερ:
πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ἥδε πρὸς θεῶν
ψῆφος κέκρανται, κατθανεῖν τ' ὀφείλεται. id est:
Desine tristari pro defunctis:
Nam cunctis hoc hominibus à Dijs
Suffragij datum est, ut mortis imposita necessitas.

Apollonius ad Theætetum.

τὸ λυπούμενον ἀλλοτρίοις κακοῖς, παραμυθοῦ. i.

Quæ molesta sunt, alienis malis consolari oportet.

Eusebius.

ἀνικροῦ τοῦ προσπεσόντος, ἔπειτα χαλεπαίνειν τοῖς θεοῖς μεῖζον ἔχεις ἀσπάζεο. id est,

Qui

Qui cùm molestum aliquid incidit, Dijs irascitur, is maius sibi malum quærit.

Idem Eusebius.

Quum molestū aliquid ingruit, quære, num quid aliud præsenti molestia grauius vsquam appareat: Quod si apparuerit, gaudeto præsente, tanquam minori malo.

Dionysius Halicarnassæus.

Τοῖς δὲ ἀνθισαμένοις ϗ μὴ καταπίπτουσι, κουφότερα γίνεται τὰ κακά. id est:

Illis qui resistunt, & non collabuntur, leuiora sunt mala.

Hyperides Orator Atheniensis æmulus Demosthenis.

Volateranus libro 18. Antropologiæ. Plutarchus in vita Demosthenis.

Χαλεπὸν μὲν ἴσως τοὺς ἐν τοῖς τοιούτοις ὄντας πάθεσι παραμυθεῖσθαι: τὰ γὰρ πένθη οὔτε λόγῳ οὔτε νόμῳ κοιμίζεται, ἀλλ' ἡ φύσις ἑκάστου ϗ φιλία πρὸς τὸν τελευτήσαντα ὁρισμὸν ἔχει τοῦ λυπεῖσθαι: ὅμως δὲ χρὴ θαῤῥεῖν ϗ τῆς λύπης παράγειν, εἰς τὸν ἐνδεχόμενον ϗ μεμνῆσθαι μὴ μόνον τοῦ θανάτου τῶν τετελευτηκότων, ἀλλὰ ϗ τῆς ἀρετῆς, ἧς καταλελοίπασιν: οὐ γὰρ θρήνων ἄξια πεπόνθασιν, ἀλλ' ἐπαίνων μεγάλων, πεποιήκασιν. εἰ δὲ γήρως θνητοῦ μὴ μετέσχον, ἀλλ' εὐδοξίαν ἀκήρατον εἰλήφασιν, εὐδαίμονές τε γεγόνασι κατὰ πάντα. ὅσοι μὲν γὰρ αὐτῶν ἄπαιδες τετελευτήκασιν, οἱ παρὰ τῶν ἑλλήνων ἔπαινοι παῖδες αὐτῶν ἀθάνατοι ἔσονται: ὅσοι δὲ παῖδας καταλελοίπασιν, ἡ τῆς πατρίδος εὔνοια, ἐπίτροπος αὐτοῖς τῶν παίδων καταστήσεται. πρὸς δὲ τούτοις εἰ μὲν ἐστι τὸ ἀποθανεῖν ὅμοιον τῷ μὴ γενέσθαι, ἀπηλλαγμένοι εἰσὶ νόσων ϗ λύπης, ϗ τῶν ἄλλων τῶν προσπιπτόντων εἰς τὸν ἀνθρώπειον βίον: εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐς ἅδου ϗ ἐπιμέλεια παρὰ τοῦ δαιμονίου ὥσπερ ὑπολαμβάνομεν, εἰκὸς τοὺς ταῖς τιμαῖς τῶν θεῶν καταλυομέναις βοηθήσαντας, πλείστης εὐδαιμονίας ὑπὸ τοῦ δαιμονίου τυγχάνειν.

Id est:

Res est forsan difficilis, illos consolari, qui huiusmodi affectibus laborant: Luctus enim neq; ratione, neq; lege sepiuntur, verū natura cuiusque, & amicitia erga defunctum lugendi terminum continent: animo tamen erigi oportet, ac tristitiam, quoad fieri potest, minuere, atq; meminisse non solùm funeris defunctorum, sed etiam virtutis, quam reliquerunt. Non enim lachrymis digna passi sunt, sed magnis laudibus celebranda facta ediderunt. Quod si mortalem senectam non attigerunt, immortalem tamen gloriam consecuti sunt, & per omnia felices euaserunt: Nam quotquot ipsorum sine liberis decesserunt, Græciæ laudes veluti liberos immortales habebunt. Illis verò, qui prolem reliquerunt, patriæ beneuolentia instar tutoris erit erga liberos. Ad hæc, si mori, & natum non esse, similia sunt, immunes posthac erunt à morbis, dolore, alijsque humanæ vitæ casibus: Sin etiam à morte sensus aliquis est, & numinis prouidentia, vt arbitramur, nimirum illi, qui Deorum honores, ope sua promouerunt, maximam diuinitus beatitudinem assequentur.

Xenophon ex epistola ad Sotyram.

ἀλλὰ οὔτε ἐστί θανάτῳ προσήκει τοσοῦτον πένθος εὑρέσθαι, ἐπιστάμενος ὅτι ὁδοῦ ἀνθρωπίνης χρὴ νομίζειν ἀρχὴν μὲν γένεσιν, τέλος δὲ θάνατος. ἀπέθανε δὲ, ὅπερ ἂν καὶ ὁ μὴ θέλων ἔπαθε, τὸ δὲ καλῶς ἑκόντος τέ ἔργον καὶ ὡς χρὴ παιδευθέντος. μακάριος οὖν δὴ γρύλλος ϗ ὅστις οὐ τὸ μήκιστον ἑλόμενος τοῦ βίου τὸ δὲ μετὰ ἀρετῆς. ϗ εἰ βραχὺν οἱ ἔδωκεν αἰῶνα ὁ θεός. id est:

Non decet tāto luctu prosequi mortem, cùm scias, quòd humanę vitę principium generatio, finis autem mors existimāda sit. Mortuus enim est, quod cuiuis etiam inuito contingit. Bene autem mori, hominis voluntarij, &, vt conuenit, instituti opus est. Beatus igitur Gryllus est, & quicunq; non longissimam, sed virtuti coniunctam vitam eligit, etsi breue tempus ętatis Deus ei concesserit.

Euphorio Poëta.

ϗ τότε μέτρια μέν τις ἐπὶ φθιμένῳ ἀνάχοιτο,
μέτρια καὶ κλαύσειεν: ἐπεὶ ϗ πάμπαν ἄδακρυν μοῖραν ἐπιμῆναι αὐτῷ. id est:

Et tum quispiam moderatè defuncti nomine tristetur.
Et moderatè lugeat: Nam omninò à lachrymis alienum Parcæ læserunt.

CALLIDA TYBERII PRINCIPIS RE*sponsio Legatis Iliensibus data.*

Petrarcha libro 4. episto. 60. de rebus familiaribus.

Scio irrisos à Tyberio Principe Iliensium Legatos, quibus cùm ad eum consolandū in morte filij aliquanto serius venissent, mandatis expositis, respondit: Et se illorum vicem dolere, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent.

Ibidem.

Ingratus est, qui ablati memor, obliuiscitur accepti. Proinde vbi animum pupugit acerba illa cogitatio: Heu qualem fratrem amisi, leniat illa iucundior: O quantum fratrem habeo, & in ęternum habebo: Licèt ille, donec sibi simul & mihi, & patriæ, & mundo necessarium fuit, breuem hîc moram traxerit: Dum verò sibi vni expedientius esse cœpit ab ijs malis separari: eripuerit illum Deus, ei scilicet consulens, & non nobis: immò forsan & nobis. Quis enim sufficit abditas, & inperscrutabiles diuinæ præscientiæ causas, aut exitus contemplari? dicente Apostolo: Sensum Domini quis nouit, aut quis consiliarius eius fuit? Quísnam hominū iudicare audeat: an cuicunq; mortem alterius deploranti, non satis propriè dici posit, quod in tabellis reddito responso? patri olim in morte filij dictum est tribus his versiculis:

Ignaris homines in uita mentibus errant,
Eurynome potitur fatorum numine lcto: Aurei versus.
Sic fuit utilius extingui ipsíq; tibiq;.

Calcitrat aduersus stimulum humana temeritas, & implenti Fato superbiæ sine cornibus obluctatur nequaquam, nisi vt grauius victa succumbat,

cubat. Quid enim ego nunc de votis inanibus, de gaudio, aut querelas hominum loquar? Latet altè veritas absćodita, caliginosa nube circumcludimur, casu regimur, cęci cæcis ducibus innitimur, nec quid optandum, metuendumq; nobis sit per vmbram carnis agnoscimus: Bonis nostris ingemiscimus, miserijs exultamus, sine delectu flemus ac ridemus: suam quisq; sentētiam sequimur. Mihi errorū maximus videtur, quod non liberè nos, & nostra Deo committimus: quod aliquam in consilijs spem habemus toties decepti: Quod tāto huius caduci corporis amore detinemur, vt vix aut ęquanimiter exire hinc valeamus, aut nostros exeūtes aspicere: quasi ad nihil aliud nati simus, quàm vt inter mundi fluctus, & ludibria, fortunæ perpetuo turbine iactandæ carnis nostræ tenacissimo limo ac sordibus hæreamus, &c.

Conscientia, ex Pictorij Epigrammatibus.

Istud habet damni uitium inter cætera, quòd mens
Palpitat aßiduo flagitiosa metu.
Semper enim, uel si non deprendatur, in ipso
Sese deprendi posse putat scelere:
Deq; suo, alterius quoties de crimine sermo est,
Cogitat, & credit se magis esse reum.
Inq; dies timor hinc crescit, de moribus ergo
Cura sit, intrepidos nos bona cura facit.

Conscientia benefactorum magnum, & in vita munimentum est, & in morte solatium: nec illa, quæ bene actæ vitæ testis est, hominem miserum esse vnquam sinit: sicut nec scelerum arbitra felicem. Viues in tertia declamatione.

Conscientię signum est, refugere cœtus, & libera iudicia: nec existimare se tutum fore, si de meliore rerum statu consulatur. Idcirco multi signum malæ conscientię interpretantur, etiam vbi culpa nulla subest, si in disquisitionem prodire nō audeant. Viues epistola ad Adrianum 6. Pontificem Max. de indicendo concilio libero.

Grauis sentētia. *Conscientia mille testes.*

Vide Erasmum in Chiliadibus.

Ouidius 4. Fastorum.

Conscia mens recti, famæ mendacia ridet.

Horatius.

Vir bonus & sapiens audebit dicere Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patiq;,
Indignum coges: adimam bona, nempe pecus, rem.

D. Paulus ad Romanos cap. 9.

Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto.

Idem 1. Corinthiorum 4.

Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.

Idem 2. Corinthiorum 1.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.

Idem 4. cap. 2. epistolæ.

Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominū coram Deo, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.

1. Timotheum 1.

Hoc præceptum tibi commendo, fili Timothee: secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habēs fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.

2. Timotheum 1.

Gratiam habeo Deo, cui seruio à maioribus cum pura conscientia.

Actorum 23 cap.

Ego omni conscientia bona cōuersatus sum coram Deo, vsq; in hodiernum diem.

Eodem 24. cap.

In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deū, & ad homines semper.

1. Petri 3. cap.

Loquamini de ea quæ in vobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam, vt in hoc quod vobis detrahunt tanquam scelerosis, pudefiant hi, qui incessunt vestram bonam conseruationem in Christo.

Conscientia res omnium efficacissima est, adeò vt nulla tormenta melius prodant maleficium, quàm illa, nullusq; carnifex seuerius puniat: vnde illud:

Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu.

Extat ex Græca sententia συνείδησις πλήττει τὴν ψυχὴν. id est: Conscientia verberat animam. Et surdo verbere cedit. Hinc Poëtarum fabulæ excogitatæ de diris & vltricibus Furijs.

D. Bernardus in meditationibus.

Præstat te ipsum cognoscere, quàm si te neglecto, syderum cursus, vim herbarum hominumq; ac omnium terrestrium pariter & cælestium naturas tenueris: redde igitur te tibi, corrige gressus, statue te ante te, tanquam alium.

Idem in libro de conscientia.

Quid dulcius aut quietius bona conscientia, quę nec damna, nec verborum contumelias, nec quicquam aliud formidat.

Idem in eodem libro.

Bona conscientia quotidie virescit, laboribus non affligitur, deniq; afficit gaudio viuentem, consolatur morientem, æternumq; durat.

D. Augustinus super Genesin.

In ipso autem homine nunc lætitia, quædam bonæ conscientiæ Paradysus est.

Idem de Catechumenis.

Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis

Christianis promittitur, quæris: eam inter amarissimas huius vitæ molestias degustabis, iucundiusq; ex bona conscientia inter ærumnas lætaberis, quàm ex mala inter delitias.

Lodouicus Viues libro 2. de Anima.

Ex ignorantia multi errores nascuntur, cùm ex illis vniuersalibus ad species, & rerum singula iudicium deducimus: sed restant nihilominus in nobis reliquiæ illius tanti boni, quæ satis testantur, quantum id fuerit, quod amisimus. Synteresis nominatur, quasi conseruatio: D. Hieronymo est conscientia: Basilio naturale iudicatorium: Damascenus lucem mentis nostræ vocat: Philosophi quiddam tale sunt procùl intuiti, qui anticipationes tradunt, & naturales informationes, quas non didicimus à magistris, vel vsu, sed hausimus, & accepimus à natura: tametsi alij alijs pro magnitudine ingenij plures certioresque sunt has regulas sortiti, tum excoluntur, elimanturq; vsu, experimentis, disciplina, meditatione. Hæc mentis nostræ siue lux, siue censura, quæ rectè, quę obliquè semper tum ad bonum & verum deuergit, & fertur prona, vnde existit approbatio virtutum, & improbatio vitiorum: atq; hinc leges & pręcepta morũ, & intus in vnoquoq; conscientia, quę delicta ipsa sua arguat, reprehendat, damnet, nisi penitus sensu humano careat, & degeneret in brutum.

Synteresis conscientia. Naturale iudicatorium, lux mentis nostræ seu censura.

Diphilus comicus.

ὅστις γὰρ αὐτὸν οὐκ αἰσχύνεται
συνειδόθ' αὑτῷ φαῦλα διαπεπραγμένῳ
πῶς τόν γε μηδὲν εἰδότ' αἰσχυνθήσεται;
Quisquis enim ipse non scipsum ueretur,
Conscius sibi quòd mala commiserit,
Quomodo apud nescientem pudefieret?

Pythagoras.

πάντων δὲ μάλιστα αἰσχύνεο σαυτόν.
In primis autem reuerere te ipsum.

Menander.

ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι κἂν ᾖ θρασύτατος
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ. id est:
Qui aliquid sibi conscius est, etiam si fuerit audacißimus,
Conscientia tamen facit ipsum timidißimum.

Sophocles Tragicus.

κλέπτων δ' ὅταν τις εὐφανῶς ἐφευρεθῇ,
σιγᾶν ἀνάγκη, κἂν καλὸν φέρῃ στόμα. id est:
Si quis in furto palàm deprehendatur,
Illum tacere necessum est, licèt eloquentißimum.

Euripides in Oreste.

ὀρέστα τλῆμον, τί σ' ἀπόλλυ νόσος;
ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος. id est:
O miser Oresta, quid morbi te perdit? Orestes,
Conscientia: sum enim mihi cõscius de malis perpetratis.

Sophocles.

Μή δεινὸν ἆρ' ἦν, ἡνίκ' ἄν τις ἐσθλὸς ὢν αὑτῷ συνειδῇ. i.
Magna profectò res est, si quis de innocentia sua sibi conscius sit.

Antiphon Comicus.

Τὸ μὴ συνειδέναι ἐν αὑτοῦ τῷ βίῳ
ἀδίκημα μηδὲν, ἡδονὴν πολλὴν ἔχει. id est:
Conscium esse sibi in uita sua
Nullius criminis, multum uoluptatis parit.

Pythagoras Samius.

Volaterranus libro 18. Anthropologię.

Κακὰ μείζω πάσχει δὲ τοῦ συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος. id est:

Vir iniquus & afflictus conscientia, plus mali patitur, quàm ille, qui in corpore castigatur, & flagris cæditur.

Isocrates ad Demonicum.

Μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας, ἔλπιζε λήσειν· καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λήσῃς, σαυτῷ συνειδήσεις. id est:

Nunquam sperare debes, si quid turpe feceris, te latiturum: quamuis enim lateat alios, tute tamen tibi conscius eris.

Idem in Nicocle seu cyprijs.

Μηδὲν ἀποκρύπτεσθαι μήθ' ὧν κέκτηται μήθ' ὧν ποιεῖ, μήθ' ἃν μέλλει, πράττειν, εἰδότες ὅτι περὶ τὰ κεκρυμμένα τῶν πραγμάτων, ἀναγκαῖον ἐστι πολλοὺς φόβους γίγνεσθαι. id est.

Nihil cęlandum est prorsus illorum, quę quis posside, aut facit, aut facturus est: Siquidem circa res latentes, necessariò multum timoris & metus contigit.

Βίας ἐρωτηθεὶς τί ἂν εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον, εἶπεν, ὀρθὴ συνείδησις. id est:

Bias interrogatus, quæ nam res in vita metu careret: bona conscientia, respondit.

Περίανδρος ἐρωτηθεὶς, τί ἐστιν ἐλευθερία: εἶπεν, ἀγαθὴ συνείδησις. id est:

Periander interrogatus, quid esset libertas, recta conscientia, inquit.

Σωκράτης ἐρωτηθεὶς, τίνες ἀταράχως ζῶσιν, εἶπεν, οἱ μηδὲν ἑαυτοῖς ἄτοπον συνειδότες. id est:

Socrates rogatus, quinam tranquillè viuerẽt, illi, inquit, qui nullius absurditatis sibi conscij sunt.

Diogenes.

Τίς γὰρ ἂν ἧττον φοβοῖτο ἢ, θαρροίη μάλιστα ἢ ὅστις αὑτῷ μηδὲν συνειδείη κακόν. id est:

Quis enim minimè timidus, animosus autem maximè fuerit, quàm ille, qui nullius mali sibi conscius est?

Plutarchus de animi tranquillitate.

Τὸ γὰρ συνειδὸς οἷον ἕλκος ἐν σαρκὶ τῆς ψυχῆς τὴν μεταμέλειαν αἱμάσσουσαν ἀεὶ καὶ νύσσουσαν ἐναπολείπει· τὰς μὲν γὰρ ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος, τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐργάζεται ὑφ' αὑτῆς. ὡς γὰρ οἱ ῥιγοῦντες καὶ πυρέττοντες δακνόμενοι τῶν ταῦτα πασχόντων ἔξωθεν ὑπὸ καύματος, ἢ κρύους μᾶλλον ἐνοχλοῦνται καὶ χάκων ἔχουσιν, οὕτως ἐλαφροτέρας ἔχει τὰς τυχηρὰς λύπας ὥσπερ ἔξωθεν ἐπιφερομένας.

Facinorosa conscientia instar vlceris in corpore pœnitentiam relinquit in anima sauciantẽ iugiter ac peruellentem: Nam cùm alias omnes

tristitias tollere ratio solita sit, pœnitétiam hæc eadem cum pudore, quasi mordicus impetentem sese, atq; excarnificãtem promouet. Quemadmodum porrò, qui vigente febre perfrigescunt, aut æstuante exuruntur, acrius infestiusque afficiuntur, quàm qui æstu rigoréue exterius hæc eadem patiuntur: sic obtusiores tristitias habent fortuita & temeraria, vtpote aduentitias.

Elegans simile.

Atqui illud,

Nemo mihi alius inculpandus est, sed ego ipse cum sceleribus perpetratis, succlamari flebiliter solet, graue suapte vulnus, grauius etiam facit atq; altius adigit.

Grauissima sententia.

Isocrates in Nicocle seu Cyprijs.

Ζηλοῦτε μὴ τοὺς πλεῖστα κεκτημένους ἀλλὰ τοὺς μηδὲν κακὸν σφίσιν αὐτοῖς συνειδότας: μέτα γὰρ τῆς τοιαύτης τύχης ἥδιστα ἄν τις δύναιτο τὸν βίον διαγαγεῖν.

Hoc est:

Aemulemini non opulentissimos, sed de nullo crimine sibi conscios: cum hac enim fortuna suauissimè quis vitam agere poterit.

Non æmulandi potentes sed bene conscij.

Apophthegma Chilonis Sapientis unius Græcorum.

Iam grandæuus dicèbat, se sibi nullius facti conscium esse, cuius pœniteret, vno excepto, quod cùm esset ascitus arbiter, vt inter duos amicos finiret controuersiam, nec quicquam vellet aduersus leges facere, persuasit alteri amico, vt ad alios deferret arbitrium: hoc pacto & legem seruauit, & amicum. Hic scrupulus nonnihil mouebat senis animum, quod perfectę virtutis fuisset nullo metu à regula legum deflectere, nec illius amicitiam secundum leges, non secũdum ipsum datã, desineret amicus esse: Quid illa sanctius anima, qui per omnem vitam, quę illi longa contigit, hoc tantum criminis admisit?

Puritas conscientiæ Chilonis sapientis Grecorũ

Horatius in Epistolis, in prima ad Mecœnatem, Doctorum omnium summum fautorem.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesq;,
Plebs eris, at pueri ludentes, rex eris, aiunt,
Si rectè facies: hinc murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia? quæ rectè regum facientibus offert,
Et Maribus Curijs, & decantata Camillis?

Notatu dignissimum.

Conscientiæ stimulus nocentem assiduè rodit.

Ouidius libro 5. de Ponto ad Brutum.

Pœnitet ô si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cumq; sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estq; pati pœnam quàm meruisse minus.
Vt mihi dij faueant, quibus est manifestior ipse,
Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certè, ne sim, cùm uenerit exul:
Ne non peccârim, mors quoq; non facit.
Non igitur mirum, si mens mea tabida facta est
De niue natantis, more liquescit aquæ.

Horatius libro 1. Epistola 11. ad Bullatium.

Nam si ratio & prudentia curas,
Non locus effusi latè maris arbiter aufert.
Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: nauibus, atq;
Quadrigis petimus bene uiuere. quod petis, hîc est.
Est ulubris, animus si te non deficit æquus.

Iuuenalis in Satyris 13. ad Caluinum.

Exemplo quodcunq; malo committitur ipsi
Displicet authori, prima est hæc ultio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis prætoris uicerit urnam.
Quid sentire putas, omnes Caluine recenti
De scelere & fidei uiolatæ crimine?

Idem Satyra eadem.

Qur tamen hos tu
Euasisse putas, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos? & surdo uerbere cedit?
Occultum quatiente animo tortore flagellum,
Pœna autem uehemens, ac multò sæuior illis,
Quas & Seditius grauis inuenit & Rhadamantus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Idem Satyricus, eadem Satyra.

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet:
Nocte breuem si fortè indulsit cura soporem,
Et toto uersata thoro iam membra requiescunt,
Continuo templum & uiolati numinis aras,
Et quod præcipuis mentem sudoribus urget,
Te uidet in somnis, tua sacra & maior imago
Humana, turbat pauidum, cogitq; fateri:
Hi sunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat exanimes, primo quoq; murmure cæli:
Non quasi fortuitu, nec uentorum rabie, sed
Iratus cadat in terras & uindicet ignis,
Illa nihil nocuit, cura grauiore timetur
Proxima tempestas uelut hoc dilata sereno

Persius in Satyra 5.

Stat contrà ratio, & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere, id quod quis uitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaq; continet hoc fas,
Vt teneat uetitos inscitia debilis actus.
Diluis Helleborum certo compescere puncto
Nescius examen, uetat hoc natura medendi.

Plautus in duobus Captiuis.

Quod malefeci crucior, modò si infectum fieri posset.

In Mustellaria.

Nihil est miserius, quàm hominis animus conscius.

Iulius Celsus, in commentarijs de rebus gestis Cæsaris libro 1.

Qui alicuius sibi iniuriæ conscius est, non ei cauere difficile.

Plautus in Sarsinatis.

Pleusides. At hoc me facinus miserum macerat, meum cor corpusq; cruciat,

statim

Statius libro 3. Thebaidos.

Inuigilant animo, scelerisq; parati
Supplicium exercent curæ, tunc plurima uersat
Peßimus in dubijs augur timor.

Pœnitentia peccati ueniam obtinet,

Vaticinor, moneoq; locum date sacra ferenti:
Ouidius ad Brutū de Pon. to libr. I. *Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.*
Talia cælestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid ualeant numina teste probent,
Sæpe leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,
Quum bene peccati pœnituisse uident.

Volateranus libro 28. Philologiæ.

Neq; ad sui notitiam, neque ad animi veram voluptatem quis nisi per conscientię puritatem peruenire poterit, quam Græci συνείδησιν, & itē aliam, quam συντήρησιν, id est, iudicij conseruationem & integritatem in rebus benefactis vocant, quę est naturalis intellectus: altera verò voluntatis. Hinc est illud Pythagoricum, πάντων δὲ μάλιστα αἰσχύνου σαυτόν, id est, Præter omnia tui te pudeat.

M. Cicero in oratione pro Milone.

Magnam vim habet conscientia in vtramq; partem, vt semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccauerint: & nihil timeant, qui nihil admiserint.

Idem in Quæstionibus Tusculanis lib. 2.

Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quę sine vēdicatione, & sine populo teste fiūt, non quo fugiendum sit, omnia enim benefacta in luce se collocari volunt, sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

Philippus Beroaldus, in Comentarijs in eundem Ciceronem.

Conscientia mille testes. Magna vis est conscientiæ in vtranq; partem: illa est virtutum nostrarum trutinatrix & remuneratrix: illa vitiorū insectatrix & carnifex, qua iudice nemo nocens absoluitur: & qui probus est, teste conscientia, vitam degit securam & beatam, sontis verò & scelerati mens habet, nescio quos, carnifices internos.

Prouerbium.

NANVS

CONSTANTIA Græcè βεβαίωσις ιος ἡ, & βέβαιος ου ὁ constans dicitur. Est autem constantia virtus faciens firmiter persistere in bono cōtra difficultatem, quæ prouenit quibuscunq; impedimentis exterioribus, alijs ab impedimento diuturnitatis. Quia contra hoc est perseuerantia. Ex B. Thoma secunda secundæ quæ. 173. art. 3.

Constātia est stabilitas animi firmi, & in proposito perseuerans.

Constantia & firmitas sic differunt. Quòd firmitas est virtus faciens permanentiam in opere. Sed constantia in proposito, ex B. Thoma 3. Senten. dist. 33. q. 3. art. 3.

Constare aliquando significat compositum esse, aliquando stare, aliquando conuenire, aliquando manifestum esse, nonnunquam suppeditare. Item consistere & firmum esse. Inde constans, hoc est, firmus & tenax propositi, & constantia animi firmitudo dicitur.

Horatius libro 3. Carminum.

Iustum, & tenacem propositi uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni,
Mente quatit solida, neq; auster
Dux inquieti turbidus, Adriæ.
Nec fulminantis magna manus Iouis,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

De hac materia habes infrà in Fortitudo & Perseuerantia.

CONSUETUDO Grecè ἔθος εος τὸ, ἐθίζω consuesco dicitur. Venit autem à consuo, id est, simul suo. Consuesco enim quasi applicor atq; describor ad aliquid agendum, ita vt consuetudinem faciam. Inde consuetudo, & consuefacito. Plautus quoq; consuetionem pro consuetudine vsurpat.

Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex. c. Consuetudo, distinct. 1.

Prouerbiorum 22.

Adolescēs iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.

Ecclesiast. 7.

Noli facere mala, & non te apprehendent. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.

Hieremiæ 3.

Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.

I. ad Corinthios 5.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.

Ad Galatas 5.

Modicum fermētum totam massam corrumpit.

Augustinus ad Casulanum presbyterum, & habetur di. 11. Consuetudinem.

Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicā nihil vsurpare dignoscitur.

Idem ibidem, & habetur ibidem cap. In his.

In his rebus, de quibus nil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinem coërcendi sunt.

Augustinus libro 2. Confeß. & habetur. distin. 8. Quæ contra.

Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pactum inter se gentis aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim omnis pars vniuerso suo non congruens. Cùm autē Deus aliquid contra morem, vel contra pactum quorumlibet iu-

bet fieri, & si ibi nunquam factum est, tamen faciendum est. Et si omissum est, restaurandũ est. Et si statutum non erat, instituendum est.

Augu. lib. 2. de unico bapt. & hab. dist. 8. Veritate

Veritate manifesta, consuetudo cedat veritati. Planè quis dubitet veritati manifestę consuetudinem cedere.

Ibidem.

Nemo cõsuetudinem rationi & veritati præponat. Quia cõsuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Aug. lib. de bapt. paruulorum, & hab. dist. 8. Qui contempta.

Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est, & malignus, quibus veritas reuelatur: aut circa Deũ ingratus est, inspiratione cuius ecclesia eius instruitur. Nam Dominus in euangelio: Ego sum inquit, veritas. Non dixit: ego sum consuetudo. Itaq; veritate manifestata cedat consuetudo veritati.

August. in libro ex dictis Basilij, & habetur dist. 11. Ecclesiasticarum.

Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdã verò apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus. Quasdam verò consuetudine roboratas approbauit vsus. Quibus par ritus & idẽ vtrisq; pietatis debetur affectus.

Augustinus ad Ianuarium & hab. dist. 12. illa autem. § Quod enim.

Quod enimneq; contra fidem catholicam, neq; contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate est seruandum.

August. ad Ian. & hab. dist. 12. illa autem. § Mater.

Mater mea Mediolanum me secuta, inuenit ecclesiam sabbato non ieiunantem: cœperat fluctuare quid ageret: Tunc ego consului de hac re beatissimæ memorię Ambrosium episcopũ. At ille ait: Cùm Romam venio, sabbatum ieiuno. Cùm Mediolani sum, non ieiuno. Sic & tu ad quamcunq; fortè ecclesiam veneris, eius morem serua. Si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi. Hoc cùm matri renuntiassem libenter amplexa est.

Augu. lib. 1. ad Ianuarium.

Ipsa mutatio consuetudinis etiam, quæ vtilitate adiuuat, tamen nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est.

Augu. lib. 6. de Musica.

Consuetudo, quasi secunda, & quasi affabricata natura dicitur.

Augustinus lib. de doctrina Christiana.

Solet recta opinio prauam corrigere consuetudinem, & praua opinio rectam deprauare naturam.

Idem libro 3.

Quisquis prætereuntibus rebus restrictius vtitur, quàm se habent mores eorum, cum quibus viuit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis autem eis sic vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido mentis in culpa est.

Augustinus super Psal. 30.

Vincere consuetudinem dura est pugna.

Augu. super Psal. 69.

Omne peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum.

Hieronymus in Leuitico, habetur 24. quæst. 3. Qui negligunt.

Qui negligunt oris maledicti consuetudinẽ resecare, etiam si non corde maledicãt, tamen in immunditia labiorum secundum Esaiæ verbum, & inquinamentum oris incurrunt.

Hieronymus in epistola ad Celantiam.

Asperam nobis & insuauem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo, quæ si in alteram partem transferatur, inuenitur semita iustitiæ leuis.

Gregorius uniuersis episcopis Numidis & ha. dist. 12. Nos consuetudinem.

Nos consuetudinem, quæ contra fidem catholicam nil vsurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus.

Gregorius, & hab. dist. 12. Quemadmodum

Quemadmodum quę illicita sunt, perpetrare non patimur: Sic quæ sunt consuetudinis, non negamus.

Gregor. lib. 4. Moralium.

Cùm culpa in vsum venerit, ei iam animus, & si appetat, debilius resistit: quia quot vicibus prauæ frequẽtationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur.

Gregor. libro 11. Moralium.

Sępe nonnulli exire à prauis actibus cupiũt: sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt.

Gregorius libro 15. Moralium.

Tenent prauæ consuetudines, quem semel cœperunt, atq; quotidie duriores existunt, & non nisi cum peccatoris vita finiuntur.

Grego. super Euange. homi. 31

Vsitata culpa obligat mentem, vt nequaquã surgere possit, ad rectitudinem conatur & labitur: quia vbi diu sponte perstitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit.

Isi. in Synonimis lib. 2. & ha. dist. 11. Vsus.

Vsus autoritati cedit. Prauum vsum & lex & ratio vincat.

Isidorus in Synonimis libro 2.

Cùm nec sacris canonibus, nec humanis legibus

bus consuetudo obuiare monstratur, inconcussa seruanda est.

Isidorus Soliloquiorum lib.1.

Difficile est peccati consuetudinem vincere. Prauus vsus vix aboletur. Assidua consuetudo vitium in naturam conuertit. Animus scelerib. astrictus vix ab eis diuelli potest.

Ibidem.

Vulnus iteratum tardius sanatur.

Isidorus Soliloquiorum lib.2.

Vsus difficile vincitur. Consuetudinis vincula vix soluuntur.

Bernardus super Cant.

Abscinditur ferro acutæ compunctionis hulcus inueteratæ cõsuetudinis. Si est acerbus dolor, leniatur vnguento deuotionis.

Beda de templo Salomonis libro secundo, & est glossa super illud Prou.22. Adolescens iuxta uiam suã etiam cùm senuerit non recedet ab ea.

Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem, orbisq; dominatorem in moribus & incessu Leonidis pędagogi sui nõ potuisse carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat imbutus.

Cyprianus, & hab. dist.8. Consuetudo.

Consuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quò minus præualeat veritas & vincat. Nam cõsuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatẽ. Scientes, quia apud Esdrã veritas vincit, vt scriptum est; Veritas valet & inualescit, & viuit in æternum, & obtinet in secula seculorum.

Cyprianus Ibidem §. Neq; enim.

Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatẽ, cùm per Isaiam prophetam loquatur Deus, & dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Seneca ad Lucilium epist.85.

Diu in istis vitijs iacuimus, euelli difficile est, non enim inquinati sumus, sed infecti. Non est morbus inter vitia contemnendus.

Seneca lib.1. de moribus.

Educatio & disciplina mores facit, & id sapit vnusquisq; quod didicit. Itaq; bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. Bene docet loqui. Bene docet facere.

Seneca in prouerbijs.

Bonarum rerum nimia consuetudo pessima est. Grauissimum est imperium consuetudinis.

Seneca lib. de uera uita in principio.

Argumentum pessimi turba est. Quæramus quod optimè factum sit, non quid vsitatissimũ & quod nos in possessione felicitatis eternę cõstituet, nõ quod vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit.

Seneca in Tantalo Tragœd.2.

Iam tempus illi fecit ærumnas leues.

Seneca Tragœd.6.

Dedidiscit animus serò, quod didicit diu.

Aristoteles lib.2. Ethicorum.

Ex actu multoties iterato fit habitus.

Ibidem.

Non parum differt sic vel à iuuentute assuesci, imò multùm.

Aristoteles libro.7. Ethicor.

Difficilè est resistere consuetudini, quia assimulatur naturæ.

Ibidem.

Facilius consuetudinem immutare, quàm naturam.

Ibidem.

Consuetudo est altera natura.

Ibidem.

Operationes prauæ bestiæ sunt ex natura, operationes verò prauorum, & malorum hominum, ex consuetudine.

Aristoteles Ethicorum lib.10.

Non facilè est homines ex antiqua consuetudine transmutari per sermones.

Aristot. lib.2. Politicorum.

Leges inhonestas, licèt maximè sint in vsu, aboleri licet.

Aristot. lib. de Memoria & Reminis.

Antiquum in natura iam tanquam consuetudo est. Consuetudo est altera natura.

Aristot. lib.1. Rhetoricorum.

Quod cõsuetum est, veluti innatũ est. Quia consuetudo est similis naturæ.

Ibidem.

Omnes consueta seruant.

Arist, libro2. Metaphysicæ.

Consuetum semper notius est.

Ibidem.

Quantam vim habeat, quod consuetum est, leges ostendunt, in quibus fabularia & puerilia magis valent veritate propter consuetudinẽ.

Commentator super 1. poetriæ.

Suaue est homini, quod cõsueuit tota vita sua.

Commentator sup.3. Physic.

Quidam homines tantũ assueti erant comedere venenum, quod venenum erat eis cibus.

Ibidem.

Quidam per consuetudinem audienda falsa negant principia vera per se nota, vt ex nihilo nihil fit.

Macrobius lib.7. Saturna.

Consuetudinem secundum naturã pronuntiauit vsus.

Cicero Tusc. quæst. libro 1.

Qui in compedibus corporis semper fuerũt, & cùm soluti sunt, tardius ingrediuntur.

Idem lib.2.

Consuetudo enim laborum, perpessionem dolorum efficit faciliorem.

Ibidem

Ibidem.

Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in niue. In montibus vri se patiuntur. Inde pugiles cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem.

Cicero Tuscula. quæst. lib. 3.

Vsus docet minora esse ea, quæ sint visa maiora.

Cicero lib. 3. Rhetorico. nouorum.

Solis exortus, cursus, occasus, nemo admiratur, propterea, quòd quotidie fiunt. At eclipses solis admirantur, quòd rarò accidunt. Et solis eclipses admirantur magis, quàm lunæ, propterea, quòd hæ crebriores sunt.

Cicero lib. 4. Rethor. nouo.

Optima viuendi ratio est eligenda, quam iucundam consuetudo reddet.

Cicero lib. 1. de Legib.

Tanta est corruptela malæ consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria.

Cicero libro 2. de Legib.

Mos maiorum tum, vt lex, valebat.

Salustius in Iugurtha.

Benefacere ex consuetudine in naturam vertitur.

Paulus Orosius de Ormesta lib. 1.

Perpetuò in vita sua tranquillitatum, & delitiarum sereno assuefacti, ad omne vel modicum obductæ solicitudinis nubilum commouentur.

Terentius Comœd. 3.

Quàm multa iniusta & praua fiunt moribus.

Terent. Comœd. ult.

Quàm iniquè comparatum est, vt hi, qui minus habent semper aliquid addant ditioribus.

Virgilius Georg. lib. 2.

—Adeo in teneris assuescere multum est.

Virg. Aeneidos libro octauo.

—Tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Ouid. Metamor libro secundo fabula 2.

Nam mortem fecerat usus.

Idem libro 10. fabula 5.

—Longaq; alit assuetudine flammas.

Ouid. episto. Didonis ad Aeneam.

Dum freta mitescunt, & amor dum temperat usum,
Fortiter edisco tristia posse pati.

Ouidius Artis libro secundo.

Fac tibi consuescat. Nil consuetudine maius.
Quam tu dum capias tædia nulla fuge.

Ouid. Tristium libro pri. Elegia 5.

Fœmina seu princeps omnes tibi culta per annos,
Te docet exemplum coniugis esse bonæ.
Aßimilemq; sui longa assuetudine fecit.
Grandia si paruis aßimilare licet.

Idem Tristium libro 5.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo, quàm fuit antè, minus.

Idem de Ponto lib. ult.

Gutta cauat lapidem, consumitur annulus usu,
Et teritur pressa uomer aduncus humo.

Catullus Elegia 10.

Difficile est longum subitò deponere amorem,
Difficile est. Verùm hoc, quod lubet, efficies.

Horat. epist. lib. 1. epist. 2.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem,
Testa diu.—

Iuuenalis satyra 2.

Nemo repente fuit turpißimus.

Idem satyra 7.

—Laqueo tenet ambitiosi,
Consuetudo mali.

Consumptio Græcè ἀνάλωσις ιος ἡ, & ἀναλόω consumo dicitur. Est autem cōsumere propriè destruere aliquid existēs. Sed impropriè est impedire aliquid ne fiat, B. Thom. 3. Sentent. dist. 15. q. 3. art. 3.

Contactio Græcè συνάφεια ας ἡ, & συναφὴ contactus dicitur, estq; cōtactio, siue cōtactus coniunctio terminorum duarum quantitatum. B. Thom. 4. dist. 10. art. 4. q. pri.

Contemplatio Græcè θεώρησις ιος ἡ, & θεωρέω contemplor dicitur. Et est liber animi contuitus in res, B. Tho. secunda Secundæ q. 180. art. 3.

Contemplatiui dicuntur, non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant B. Tho. secunda Secundæ quæst. 81. art. 1.

Quomodo contemplatio, cogitatio, meditatio, & consideratio differant, vide suprà in Cogitatio.

Contemptus Græcè καταφρόνησις ιος ἡ, & καταφρονέω contemno, & καταφρονητής ου ὁ, contēptor dicitur. Estque transgreßio legis, ex hoc, quòd voluntas renuit subijci legi, vel regulæ. B. Tho. secunda Secundæ quæst. 186. art. nono.

Contemno compositū, à con & tēno, idemque est, quod sperno, τέμνω græcum est incido & reseco, quia quæ spernimus, amputare & relecare cōsueuimus. Sunt qui ita distinguant contemno à despicio, vt despicere grauius sit, quā contemnere. Item spretus sit, qui refutatus est. Contemptus verò, qui inutilis reputatus est. Terentius. Quot modis contemptus, spretus facta, transacta omnia.

Ecclesiastes 2.

Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

Ibidem.

Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergūt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.

Isaiæ 40.

Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos.

1. ad Corinth. 7.

Præterit enim figura huius mundi.

1 Ioan. 2.

Nolite diligere mundũ, neq; ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniã omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius.

August. de uerbis Domini serm. 13.

Diuitię corporales paupertate plenę sunt, & semper obnoxiæ casibus. Quales enim diuitiæ sunt, propter quas latronẽ times, propter quas times seruum tuum, ne te occiso auferat & fugiat. Si verę diuitię essent, securitatem tibi prę starent. Illę ergo veræ diuitiæ sunt, quas cũ habemus, perdere non possumus.

Ibidem.

Seculum est quasi mare, vnicuiq; autem sua cupiditas est tempestas. Amas Deũ? ambulas supra mare. Sub pedibus tuis est seculi timor. Amas seculum? absorbet te. Amatores suos vorare nouit, non portare. Sed cùm fluctuat cor tuũ cupiditate, inuoca Christi diuinitatem, vt vincas tuam cupiditatem.

Augustinus super Ioan. sermon. 7.

Lætitia seculi est vanitas, cum magna expectatione speratur, vt veniat, & non potest teneri, cùm venerit.

Augustinus super Ioan. serm. 7.

Tota vita ista intelligentibus tribulatio est. Sunt enim hic duo tortores animæ, non simul torquentes, sed cruciatus alternantes, scilicet timor & dolor. Quãdo tibi bene est, times: quando tibi malè est, doles. Seculi huius quem non despicit prosperitas? non frangit aduersitas.

Hieronymus ad Ctesiphon. de libe. arbi. epist. 25.

Quę enim est vita nostra? Aura est enim siue vapor paululum apparens?

Hieronymus libro 2. contra Pelagian. epist. 18.

Ne glorieris in crastinum. Nescis enim, quid adueniens pariat dies. Vnde scriptũ est: Ne beatum dixeris quempiam ante mortem: Quamdiu enim viuimus, in certamine sumus, & quãdiu in certamine, nulla est certa victoria, quæ etiam Apostolo fortissimè prælianti in futuro seculo reseruatur.

Hiero. ad Heliodorum.

Multi capti vanitatis via, capti seculi voluptatibus de medio itinere reuertuntur. Facilius seculum, quàm voluptas contemnitur. Multi diuitias relinquentes, vitia relinquunt. Christum sequi cupiens, si habes in potestate rem tuam, vende. Si verò nõ habes, à magno onere liberatus es. Totũ enim dedit, qui seipsum obtulit. Facilè contẽnit mundũ, qui se cogitat moriturũ.

Gregorius lib. 3. Mora.

Omnes huius seculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus debiles. Nam pro temporali gloria vsq; ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua, nec parum in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, pro cælesti mercede vel tenuissimi verbi contumelias ferre recusant. Terreno iudici etiam toto die assistere parati sunt: In oratione verò corã Domino, vel vnius horæ momento lassantur. Sępe nuditatem, deiectionem, famem, & alia pro acquirendis diuitijs tolerãt, & earum rerum semper abstinentia cruciantur, ad quas adipiscendas festinant. Superna autem laboriosè quęrere tanto magis dissimulãt, quãto magis ea retribui putant.

Grego. lib. 13. Moral.

Iustus tanto altius temporalia despicit, quanto his abundè etiam malos credit. Quàm etiam despicienda considerat, quę Deus etiam peruersis præstat. Si enim veraciter magna essent, nequaquam hæc conditor aduersarijs suis tribueret. Vnde & indignum sibi esse perpendit, vt illa bona appetat, quibus abundare conspicit & malos. Sed ad percipienda cælestia mentem suã dirigit, quæ sibi cum reprobis communia esse non possunt.

Gregor. 25. Moralium.

Quod enim sumus hodie, nouimus: quid autem post paululum esse possumus, nescimus. Hi verò, quos fortasse despicimus, & tardè possunt incipere, & tamen vitam nostram feruentiorib. studijs anteire. Timendum itaque est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur. Quamuis stare iam non nouit, qui non stantem nouit irridere.

Greg. in registro sup. illud: Sustollã te sup altitudines ter.

Super altitudines terrę sustollitur, qui etiam ipsa, quę gloriosa pręsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat.

Gregorius in Registro.

Humani errores & gratiæ fumo sunt similes, qui leui aura raptus euanescit. Hoc certissimè scio, quòd placere Deo & prauis hominibus nemo potest. In tanto igitur se existimet Deo placere, quanto se peruersis hominibus displicuisse cognouerit.

Gregorius in Homilia.

Si cõsideramus fratres charissimi, quę & quãta sint quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescent animo omnia, quæ habẽtur in terris. Terrena namq; substantia supernæ felicitati comparata pondus est, non subsidium: temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quàm quædã prolixitas mortis,

Ioannes Chrysostomus super epistola ad Hebræos sermo.25.

Contemne diuitias, & eris locuples: contemne gloriam, & eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, & tunc eos superabis: contemne remißioné & quietem, & tunc eam recipies.

Isidorus Soliloquiorum lib.1.

Vita ista lachrymis plena est: vita ista à fletibus inchoat. Flentes proijcimur in hanc miseram vitam.

Bernardus libro Meditation.

Dic mihi vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remãsit nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt & fuerunt, homines fuerunt, sicut tu. Comederunt & biberunt, riserunt: duxerũt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis ignibus inuoluantur. Qui socij fuerunt in vitijs, socij erũt pœnis: vna namq; pœna illos implicat, quos nus amor in crimine ligat.

Boet. de Consolat. lib.2. metro.3.

Rara si constat sua forma mundo
Si tantas uariat uices.
Crede fortunis hominum caducis
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumq; lege est,
Vt constet genitum nihil.

Boet. de Consol. lib3. prosa nona.

Atqui video nec opibus sufficientiam, nec regnis potentiam, nec dignitatibus reuerentiã, nec celebritati gloriam, nec voluptatibus lætitiam posse contingere.

Lactan. Firmia. diuinarum institut. lib.1.

Quis tam stultus, tamq; ineptus est, vt corporis vires diuinum, vel etiam humanum bonum iudicet? cùm sint & maiores pecudibus attributę, vt vno morbo sępe frangantur, vel ipsa senectute minuantur & corruant.

Ibidem lib.7.

Nihil est humanis rebus laboratũ, quod non ab humanis æque viribus destrui poßit. Quoniam mortalia sunt opera mortalium.

Ibidem.

Quæcunq; hic expetuntur, non tantum negligat, sed effugiat quisq;, potioremque animam suam iudicet, quàm bona ista fallacia, quorum incerta & caduca possessio est. Migrant enim quotidiè, & multo velocius exeũt, quàm intrauerant. Et tamen si nobis vsque ad vltimum liceat istis frui, alijs certè relinquenda sunt. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene atq; innocenter actam.

Ibidem.

Quisquis enim corruptelas terræ virtute calcauerit, hunc arbiter ille summus & verax ad vitam, lucemq; perpetuam suscitabit. Nemo diuitijs, nemo fascibus, nemo regia potestate confisus sit. Immortalem ista non faciunt. Nam quicunq; rationem hominis abiecerit, ac præsentia secutus, in humum se ipse prostrauerit: desertor Domini & imperatoris & patris sui punietur. Intendamus igitur iustitiæ, quæ nos inseperabilis comes, ad Deum sola perducet. Et dum spiritus hos reget artus, infatigabili militia Deo militemus, stationes, vigiliasq; celebremus. Cõgrediamur cum hoste, quem nouimus, fortiter, vt victores: ac deuicto aduersario triumphantes præmium virtutis, quod ipse promisit, à Deo consequamur.

Lactan. Firmianus de ira Dei libro 9.

Proinde vniuersos oportet, qui sapientes, qui homines meritò dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, vt poßint cum Deo beatißima neceßitudine copulari.

Basi. in libro de modo legendi gentilium libros.

Nos quidem ò fili hanc humanam vitam nihil omninò esse arbitramur, nec bonum quicquam existimandum, neq; appellandum, quod vtilitaté nobis huc vsq; suppeditet. Non itaq; dignitatem, nõ amplitudinem maiorũ, nec corporis vires, non formam, nõ ipsum imperium, non magnitudinem, non à cunctis hominibus habitos honores, non quicquid dici potest in hac vita excellens. Sed longius nostræ procedũt spes, & ad alterius vitę preparationem cuncta molimur.

Ibidem.

Quæso mihi qualis præfectus est in pulchritudine carnis suæ. Nonne sicut æstatis fœnum percussum arescit? & paulatim pristinum decorem amittit? succedente enim senectute, corporis omnis decor, pristinus floridæ iuuẽtutis deperit, & qui etiam ante mortem carnis exardescebat, postea in odiũ eius conuertitur. Et quando mors venerit, quãtum remanebit, recognosces. Quia vanum est, quod antè inaniter diligebas. Cùm enim videris totum corpus intumescere, & in fœtorem esse conuersum, nõne claudes nares tuas, non sustinens fœtorem fœtidißimum?

Seneca ad Lucilium epist.60.

Ista, quæ sic petis, tanquam datura lætitiam, ac voluptatem, causæ dolorum sunt. Omnes inquam illi tendunt ad gaudium, sed vnde stabile magnumq; consequantur, ignorant. Ille ex conuiuijs & luxuria. Ille ex ambitione & circũfusa clientum turba. Ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sanantibus literis. Omnes istos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt, sicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat.

Ibidem epistola 63.

Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est.

Ibidem epistola 75.

Non enim beatum est, nisi quod intrepidum. Inter suspecta malè viuitur. Quisquis se multũ fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis & inexplicabilem fecit. Vna hęc via est ad tuta vadenti, & externa despicere, & honesto contentum esse.

Ibidem epistola 82.

Abstahunt à recto diuitię, honores, potentia, & cætera, quæ opinione nostra chara sunt, pretio suo vilia.

Ibidem epistola 83.

Insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit: inexpugnabilis est, quem multis machinis lacessitũ fortuna non transit. Nunquam maior est, quàm vbi aliena disposuit, & fecit sibi pacem, nil timendo diuitias, nil concupiscendo.

Ibidem epistola 85.

Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit. Vis ergo habere omnia? contemne omnia.

Ibidem epistola 87.

Quid ad rem pertinent mulę saginatę, vnius omnes coloris? Quid ista vehicula cælata?

Instrati ostro alipedes, pictisq; tapetis,
Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Ista nec dominum meliorem facere possunt, nec mulam.

Seneca epistola 90.

Quid prosunt multa cubicula?

Idem epistola 91.

Mihi crede fœlix illud seculum ante architectos fuit. Ista nata sunt, iam nascente luxuria in quadratum tigna decidere, & ferro per designata currente certa manu trabem scindere. Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

Seneca ad Lucilium epistola 91.

Quicquid longa series multis laboribus, multa deinde diligentia struxit, id vnus dies spargit & dissipat.

Ibidem.

Casura omnia extant.

Ibidem epistola 112. loquens de fragilitate humanæ uitæ.

Quid regere inquis? Secundum opus est, nam nemo illam bene rexit, nisi qui contempserat.

Idem epistola 120.

Maximum inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab altiori venientis sede, si nęc, in quibus versatur, humilia iudicat & angusta, si exire non metuit. Scit enim quò exiturus est, qui vnde venerit, meminit.

Idem epistola 124.

Quid excolis formam? cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? Cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum more vinxeris, vel vt Scythæ solent sparseris, in quolibet equo densior iactabitur iuba, horrebit in leonum ceruice formosior. Cùm te ad velocitatem paraueris, par lepusculo nõ eris. Vis tu relictis, in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad bonũ reuerti tuum? Quod hoc est? Animus scilicet, emundatus & purus, ęmulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens.

Seneca libro 2. de beneficijs.

Intolerabilis res poscere numos & contẽnere.

Idem libro 3. de beneficijs.

Fabritius Pyrrhi Regis aurum repulit, magnumque regnum iudicauit regias opes posse contemnere.

Ibidem.

Regnum est, nolle regnare, cum possis.

Seneca libro de moribus.

Nondum fœlix es, si non te turba deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc primum, contemnere, ab alijs contemni.

Seneca in Prouerbijs.

Sunt multi, qui plurimum verbis, non re contemnunt, sed ipsa, quæ spernunt, clàm furantur.

Seneca de remedijs fortuito.

Magnam pecuniam habet? hominem illum iudicas? arca est.

Ibidem.

Multum quis habet? vtrum auarus, aut prodigus est. Si prodigus, non habebit. Si auarus non habet. Multi illum comitantur? Mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ: ista turba sequitur prædam, non hominem.

Seneca in Hercule furente

Nulla lux unquam mihi secura fulsit.
Finis alterius mali gradus est futuri.

Seneca in Tantalo, Tragœdia 2.

Nulla sors longa est. Dolor & uoluptas
Inuicem cedunt. Breuior uoluptas.

Ibidem.

Ima permutat breuis hora summis.

Aristoteles epistola ad Alexandrum.

Magni res est animi contemnere magna.

Aristoteles libro 4. Physicorum.

Omnia quæ sunt sub cęlo tabefiunt, senescũt, & sordescunt sub tempore.

Commentator super 2. poëtriæ.

Res nullæ stabiles sunt, quę cum fluxu huius temporis confluxibiles sunt.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Neminem quamdiu viuit, dicas esse felicem, eò quòd vsq; ad vltimum vitæ diem possit fortuna mutari.

Plutarchus in Apophthegmate.

Et cùm in bono agro Philippus foret castra positurus, audiretq; illic pabulum iumẽtis non esse. Cuiusmodi, inquit, nostra est vita, si ad asinorum commodum nobis viuendum est.

Cicero libro 1. Officiorum.

Nihil enim est tam angusti, tamq́; parui animi, quàm amare diuitias. Nihil honestius magnificentiusq́; quàm pecunias contemnere.

Cicero Tusculanarum Quæstionum libro 4.

Quid enim videtur ei magnum in rebus humanis, cui ęternitas omnis totiusq́; mundi nota sit magnitudo. Nam quid aut in studijs humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate, magnum sapienti videri potest? Qui semper animo sic excubat, vt ei nihil improuisum accidere posit, nihil inopinatum, nihil animo nouum, atq; idem ita acrem in omnem partem aciem intendit, vt semper videat sedẽ sibi, ac locum sine molestia atq; angore viuendi, vt quemcũq; casum fortuna inuexerit, hũc aptè & quietè ferat. Quod qui faciet non ægritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus.

Cicero ibidem libro ultimo.

Non sunt igitur ea bona dicenda nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum. An dubitas, quin præstans valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisq́; sensibus. Adde etiam si libet pernicitatem & velocitatem. Da diuitias, honores, imperia, opes, gloriam. Si fueris is, qui hęc habet, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atq; nullo. Dubitabis ne, eum miserum dicere? qualia igitur ista bona sunt, quæ qui habeat, miserrimus esse posit?

Cicero in Paradoxis.

Nunquam hercule ego neq; pecunias, neque facta magnifica, neq; opes, neq; imperia, neque voluptates in bonis rebus expetendis esse duxi.

Cicero libro de creatione cœli & mundi.

Omnis enim coaugmentatio corporis, vel caloris, vel frigoris, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos senectutemq́; compellit.

Valerius Maximus libro 5.

Vbi sunt superbę Carthaginis alta mœnia? vbi maritima gloria inclyti portus? vbi cunctis littoribus terribilis classis? vbi tot exercitus? vbi tantus equitatus? vbi immẽso Africę spacio non contenti spiritus? Omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est.

Qu. Curtius de gestis Alexandri libro 7.

Quid tu ignoras arbores magnas diu crescere, vna hora extirpari?

Ibidem.

Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, & ab inualitudine.

Paulus Orosius de Ormesta libro 2.

Quicquid enim est opere & manu factum, labi & consumi vetustate capta confirmatur, cuius vt primum imperium, ac potentissimum extitit, ita & primùm cessit, vt veluti quodam iure succedentis ętatis debita posteris traderetur hęreditas, ipsis quoq; eandem tradendi formulam seruaturis.

Plautus in Amphytrione.

Ita Dijs est placitum, uoluptatem ut mœror comes consequatur.

Plautus in Cistellaria.

Nil est perpetuum datum.

Plautus in Mostellaria.

Vnum hoc scito, nimio celerius uenire, quod molestè, quàm illud, quod cupidè petas.

Ibidem.

Insperata accidunt magis sæpe, quàm quæ speres.

Plautus in Mercatore.

Dic mihi an boni quid usquam est, quo quis uti possit sine malo omni. Aut ne laborem capias, cùm illo uti uoles.

Virgilius in Bucolicis Egloga 2.

O formose puer nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

Virgilius Georgicorum libro 3.

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq́; senectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Horatius Carminum libro 4. Ode 7.

Quò pius Aeneas? quò diues Tullus & Ancus?
Puluis & umbra sumus.
Quis scit an adijciant hodiernæ crastina uitæ
Tempora dij superi?

Ibidem.

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria.
Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Horatius sermonum libro 1. Satyra 9.

—Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Horatius epistolarum 2. epistola 2.

Singula de nobis anni prædantur euntes,
Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludum.

Iuuenalis satyra 9.

—Festinat enim decurrere uelox
Flosculus, angustæ miseræq́; breuißima uitæ
Portio, dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Dantes purgatorij can. cap. 10.

O superbi Christian miseri, laßi,
Che de la uista de la mente infermi
Fidanza haueti ne ritrosi paßi,
Non ua corgeti uoi. che noi siam uermi
Nati à formare langelica farfalla
Che uola a la iustitia senza schermi. *id est:*
O superbi Christiani miseri & pigri,
Qui uisione mentis ægroti,

Fiducia

Fidutiam ponitis in uitiosis paßibus,
Non aduertitis uos, quòd sumus uermes,
Nati ad formandum angelicam naturam
Quæ uolat ad iustitiam absq; defensione.

Dantes purgatorij cantic.cap.11.

Non e il mundan romor altro chum fiato
Di uento chor uien quinci, & or uien quindi
E muta nome perche mutolalo. id est;
Non est mundanus rumor nisi flatus quidam
Venti, qui flat modò hinc, modò inde,
Et mutat nomen, quoniam mutat regionem & latus.

Dantes purgatorij cantic.cap.12.

Hor superbite e uia col uiso altero
Figlioli deua, e non chinatil uolto
Sicche uegiate il uostro mal sentero. id est;
Modò superbitis, & cum uisu elato
Filij Euæ, & non inclinatis uultum
Vt uideatis uestrum malum iter.

Franciscus Petrarcha soneto 271.

Hor cognosco io che mia fera uentura
Vol che uiuendo & lachryma impari
Come nulla quha giu dilecta & diura. id est:
Nunc cognosco quod mea immitis fortuna
Vult ut uiuendo & lachrymando discam,
Vt nulla res hic delectat simul & durat.

Franciscus Petrarcha soneto 279.

Misero mundo instabile e proteruo
Dil tuto e cieco, chiu te pon sua speme. id est:
Miser mundus instabilis, & proterue,
Omninò cæcus est, qui in te ponit suam spem.

Franciscus Petrarcha soneto 304.

I uo piangendo i mei passati tempi
I quai posi in amar cose mortale,
Senza leuar me a uolo habiando lale
Per dare forso di me non baßi exempi. id est:
Incedo plorans mea elapsa tempora,
Quæ posui in amando res caducas,
Nequaquam me uolatu tollens, cum habuerim alas ad hoc
Dans forsitan mei non leuia exempla.

Franciscus Petrarcha cant.37. stantia 5.

Ogne cosa al fin uola. id est,
Quicquid est, ad finem euolat.

Franciscus Petrarcha cant.37. stantia 6.

Ahi nulla altro che pianto al mundo dura.
Heu nil aliud, quàm gemitus, in mundo permanet.

Franciscus Petrarcha cant.46.

Quanto era menlo alzar da terra lalle
Et le cose mortali,
Et queste dolce tue fallace ciance,
Librar cum iusta lanze. id est:
Quanto erat melius tollere è terra alas,
Et res ipsas mortales,
Et hos dulces tuos ac fallaces iocos,
Librare cum iusta bilance.

Idem cantic.47. stantia 2.

O poco mel, e molto aloe cum felle,
In quanto amaro ha la mia uita aueza
Cum sua falsa dolceza. id est:
O parum mellis, & plurimum cum felle aloës,
In quanta amaritudine uitam meam assuefecisti,
Cum sua falsa dulcedine.

Franciscus Petrarcha triumpho temporis cap.1.

Et pareami terribil uan tade
Fermare in cose el cor chel tempo preme. id est:
Et uidebatur mihi horrenda uanitas
Firmare spem in rebus, quibus tempus dominatur.

Franciscus Petrarcha triumpho temporis cap.1.

Et quanto passo al fine mapparechio
Pensando il breue uiuer mio, nel quale
Sta mane era un fanciullo, & horson ueghio.
Che piu cha un giorno e la uita mortale?
Nubila breue, fredda & pien di noia
Che po bella parere, ma nulla uale.
Quhi lhumana speranza, & quhi la gioia,
Quhi miseri mortali alzan la testa
Et nussun sa quanto si uiua o moia.
Vegio hor la fuga del mio uiuer præsta
Anzi di tutti, & nel fugir del Sole
La ruina del mundo manifesta.
Hor ui reconfortate in uostro sole
Giouani, & mensurati il tempo, largo
Ma piaga antiueduta assai men dole,
Forso chendarnomie parole spargo
Ma io annuntio che ui seti offesi
Dum grauo & mortifero letargo.
Che uolan lhore, igriorni glanni e mesi
Insiome con breuißimo interuallo.
Tutti hauemo a cerchare altri paesi.
Non fati contral uero al cor un callo
Come sete usi. Anci uolgete gliochi
Mentre emendar potete il uostro fallo.
Non aspectate che la morte scohi.
Come fa la piu parte. Che per certo
Infinita e la schiera de li siochi. id est:
Et quantum possum ad finem meipsum præparo,
Cogitans breuem uitam meam, in qua
Hoc mane puer eram, & nunc sum senex.
Quid nisi dies unus est uita hæc mortalis?
Nubilus, breuis, frigidus, & plenus tædio?
Quæ potest pulchra uideri, sed nihil ualet.
Hic humana spes, & hic lætitia,
Hic miseri mortales superbiunt;
Et nemo scit quamdiu uiuat, uel moriatur.
Video iam uitæ meæ fugam celerem.
Imò cunctorum hominum: & in cursu solis
Ruina mundi huius manifestatur.
Iam reconfortamini in uestris uitijs
Iuuenes, & mensurate largum tempus,
Verùm, uulnus præuisum antea minus lædit.
Fortaßis frustra mea uerba profundo,

Sed nobis nuncio, uos læsos esse
A quodam graui & mortali lethargo.
En uolant horæ, dies, anni & menses.
Vna breuißimo spacio
Omnes quæsituri sumus diuersam patriam.
Nolite contra uerum cor durum facere,
Vti consueuistis, sed uertite oculos
Quousq; uester error corrigi potest.
Nolite spectare, ut mors in uos sagittas dirigat.
Sicut facit maior pars, nam reuera
Infinita est acies imprudentium.

Franciscus Petrarcha triumpho temporis cap. 1.

Vn dubio uerno instabile & sereno
E uostra fama, & pocha nebia il rumpe.
El gran tempo ai gran nomi e gran ueneno.
Passum uostri triumphi, & uostri pompe,
Passan le signorie, passan li regni
Ogna cosa mortal tempo interrumpe.

Ibidem.

Quanti felici son gia morti in fasse?
Quanti miseri in ultima uecchieza?
Alcun dice, Beato e chi non nasce. id est:
Dubia quædam hyems, instabilis, ac serena
Est uestra fama, & parua nebula inuertit,
Ingens tempus ut ingens nomen habet, sic & uenenum ingens.
Transeunt uestri triumphi, & uestræ pompæ,
Transeunt & dominia, & regna simul.
Quicquid mortale est, corrumpit tempus.
Quot felices in fascijs uitam finiunt?
Quot miseri in ultima senecta?
Quispiam asserit felicem esse, qui non nascitur.

Contentio Grӕcè ἔρις ιδος ἡ, & ἐρίζω contendo dicitur. Est autem contentio propriè impugnatio veritatis cum confidentia clamoris, secundum Ambro. Largè autem est etiam sine impugnatione veritatis, de qua dicitur 46. di. in principio. Nihil est impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem authoritatẽ putant. Contentio in verbis. Rixa est in factis, de qua differentia vide infrà in Rixa.

A contentione quæ certatio est, venit contentiosus, plenus rixæ. Contentio & intentio vehementiam quandam significant, ab arcu tracta similitudine vel cythara. Nam quantò illius nerui vehementius intenduntur, tantò vehementiorem sonum efficiunt.

Hesiodus.

ἄφρων δ᾽ ὅς κ᾽ ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
νίκης τε στέρεται, πρός τ᾽ αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει. id est:
Stultus qui uult aduersus potentiores contendere,
Victoriaq; priuatur, ultraq; dedecus dolores patitur.

Contiguitas Græcè συνάφεια ας ἡ, & συναφὴς έος ὁ contiguus dicitur. Est autem contiguum cuius extrema se contingunt. Differt autem à continuo, quod cõtinuum est sine medio. Contiguum verò cum medio.

Continentia Græcè ἐγκράτεια ας ἡ, & ἐγκρατέω contineo, & ἐγκρατὴς έος ὁ ἡ continens dicitur. Et est continentia appetitus omnium rerum malarum refrænatio, secundum Hieron. in episto. ad Damasum Papam.

Continentia est per quam cupiditas consilij gubernatione regitur, secundum Ciceronem in Rhetor. & est pars temperantiæ.

Continentia est habitus inuictus à delectatione, secundum Andto.

Continentia est cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionisq; & superbiæ.

Continentia propriè est tantum circa concupiscentias tactus, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 143.

Continẽtia dicitur à contineo, quod est quasi inuitum & repugnantem teneo. Cuius contrarium est incontinentia, sicut temperantiæ intẽperantia.

Continens ita differt à temperante, quòd cõtinẽs prauas quidem cupiditates habere potest, à quibus tamen vinci non sinit. Temperans verò huiusmodi cupiditates habere non potest, quia in eo habitus quidam est refrænans illas, qui in continente non est.

Continens ab obstinato sic differt, quòd obstinatus est ille, qui persistit in ratione peruersa, abstinens à bonis. Continens verò propriè est, qui persistit in ratione recta, à prauis concupiscentijs abstinens, B. Thom. secunda secundæ, q. 155. art. 1.

Chylon.

ἐγκράτειαν ἄσκει. id est, continentiam exerce.

De hac materia vide suprà in Abstinentia, & infrà in Temperantia.

Continuitas Græcè συνέχεια ας ἡ, & συνεχὴς continuus dicitur. Est autem continuum, quod est diuisibile in semper diuisibilia, secundũ Aristotelem libro 1. de cælo & mundo.

Continuum est, quod est in infinitum diuisibile, secundum Aristotelem libro 3. Physicorũ.

Continuum est cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem. Aristoteles lib. Prædicamen.

Continuum est, cuius est vnus modus secundum se, & non est possibile aliter.

Continuum dupliciter definitur, formaliter à logico per vnitatem termini, ad quem partes copulantur: & materialiter à Physico, per diuisibilitatem in infinitum. B. Thom. super epistol. Pauli ad Philip. 3.

Contractus Græcè συνάλλαγμα ατος τὸ, & συναγείρω contraho dicitur. Est autem contractus vltrò citroq; obligatio, ex voluntate & pacto surgens partium, secundum glos. Ray. in tit. de negotijs secularibus, quasi in principio. Contrahere, est colligere. Virgilius: contrahimusq; viros.

Contrahere, agere, & gerere, ita diuidit Vlpianus, vt actum generale vocabulum sit: siue verbis

quid agatur, vt in ſtipulatione: ſiue re, vt in numeratione. Contractũ verò vltro citroq; obligatio veluti emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas. Geſtũ ſit res facta. Alij ſic diuidunt acta à geſtis, quòd geſta ſint in adminiſtratione magiſtratus, aut in bello, & in maiorib. rebus, vt geſta Cæſaris, geſta Alexandri. Acta verò ſint priuatarum perſonarum, & rerum domeſticarum.

Contradictio Græcè ἀντιλογία ας ἡ, & ἀντιλέγω contradico dicitur. Eſt autem contradictio oppoſitio, cuius non eſt medium, ſecundum Ariſtotelem libro 1. Poſteriorum.

Contradictio ſeptem conditiones requirit, ſcilicet idem ſubiectum, idem prędicatum, non æquiuocè, ad idem, ſimiliter, tunc & ibi, ex B. Thoma ſuper libro περὶ ἑρμηνείας lectio. 9.

Contrarietas Gręcè ἐναντίωμα ατος τὸ, vel ἐναντίωσις ιος ἡ, & ἐναντίος ου ὁ contrarius dicitur. Sunt autem contraria, quę in eodem genere multum à ſe inuicem diſtant, ſecundum Ariſtotelem libro Prædicamentorum.

Contritio Græcè σύντριμμα ατος τὸ, & συντρίβω contero dicitur. Eſt autem dolor voluntariè aſſumptus pro peccatis, cum propoſito cõfitendi, & ſatis faciendi, ſecundum S. Bon. in 4. Sent. diſt. 16. q. 1. art. 1. primæ partis.

Contritio rei materialis eſt alicuius duri & integri comminutio, ex B. Thom. 4. Sent. diſt. 17. q. 2. art. 1.

Contritio ſpiritualis, eſt dolor pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.

Ibidem.

Contritio eſt dolor cordis, & animę amaritudo pro peccatis, quæ quis commiſit. Quid autẽ ab attritione differat, vide ſuprà in Attritio.

Dauid Pſalmo 50.

Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Dauid Pſalmo 125.

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.

Auguſtinus libro de pœnitentia.

Rectè pœnitentem, quicquid poſt purificationem contraxit ſordis, oportet vt abluat, ſaltem lachrymis mentis. Sciat ſe culpabiliter durum, qui deflet mortẽ amici, vel damna rei temporalis, & dolorem peccati non oſtendit in lachrymis. Non eſt ergo, vt quia ſe excuſet, ſe non habere fontem lachrymarum, qui lachrymis oſtendit dolorem temporalium.

Ibidem.

Ad pœnitentiam agendam non ſufficit mores immutare in melius, & à factis malis recedere, niſi etiam de his, quę facta ſunt, ſatisfaciat per pœnitẽtiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis.

Ibidem.

Sicut pœnitentiæ comes dolor eſt, ita lachrymæ teſtes ſunt doloris.

Ibidem.

O humilis lachryma, tuum eſt regnum. Tua eſt potentia. Aſpectum iudicis non vereris. Inimicis accuſantibus ſilentium imponis. Sola intras ad regem, ſed ſola non recedis, vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem.

Auguſtinus de ciuitate Dei libro 20.

Quantò eſt quilibet ſanctior, & deſiderij ſancti plenior, tantò eſt in orando fletus vberior.

Auguſtinus libro de pœnitentia, & habetur de pœn. diſtin. 2. Charitas. §. Sine charitate.

Sine charitate quomodo quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodo ergo delictorum remiſsionem?

Hieronimus, & habetur de pœnit. di. 1. Menſuram. §. Quia apud Deum.

Apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris.

Ambroſius ſuper Lucam, & hab. ibidem, capitulo Petrus.

Petrus doluit & fleuit, qui errauit vt homo. Non inuenio quid dixit. Scio quòd fleuit, lachrymas eius lego, ſatisfactionẽ non lego. Haud plura in diſtinct. de pœnit. citantur. Sed quòd defendi non poteſt, ablui poteſt, lachrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur.

Gregorius libro 8. Moralium.

Alia eſt compunctio ſiue contritio, quæ per amorẽ naſcitur: alia quę per timorem. Quia aliud eſt ſupplicia fugere, aliud prẽmia deſiderare.

Ibidem.

Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innoteſcit, & afflicta mens certius inuenit malum quod fecerat & reatum ſuum, cuius ſecura non meminit, hunc in ſe commota deprehendit.

Gregorius libro 17. Moralium.

Quò vberius culpa fletur, eò altior cognitio veritatis attingitur. Quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conſcientia lachrymis baptizata renouatur.

Gregorius libro 21. Moralium.

Qui neſcit lugere, quod grauat, nõ valet proferre, quod ſubleuat. Vis compunctionis, poros cordis aperit, & pennas virtutum fundit. Cumque ſe ſtudioſè mens de pigra vetuſtate redarguit, alacri nouitate iuueneſcit.

Gregorius libro 3. Dialogorum.

Compunctionis duo ſunt genera, quibus anima Deum ſitiens prius timore compungitur, pòſt amore. Prius enim in lamentis ſe afficit: Quia dum malorũ ſuorum recolit, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit. At verò cum longa moris amaritudine fuerit formido conſumpta quædam, iam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amore cæleſtium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius fle-

bat, ne duceretur ad suppliciũ, postea flere incipit, quia differtur à regno.

Gregor. libro 23. Moral.

Quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cũ aut malorum suorum reminiscitur, considerãs vbi fuit: aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens, considerat, vbi erit. Aut cùm mala vitæ præsentis attendens solerter mœrens considerat vbi est: aut cùm bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit vbi non est.

Bernardus de noua militia.

Quisquis ergo verbum cõfeßionis in ore habet, & in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus. Qui verò in corde, & non in ore, aut superbus est aut timidus.

Bernardus super Cant.

Vnguentum est contritionis, est vnguentum deuotionis, est vnguentum pietatis. Primum pungitiuum dolorem faciens: secundum temperatiuũ dolorem leniens: tertium sanatiuum morbum expellens.

Ioan. Crysost. in libro de compunctione cordis.

Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum.

Ibidem.

Sicut impoßibile est, vt ignis inflammetur in aqua: ita impoßibile est cõpunctionem cordis vigere in delitijs. Contraria enim hæc sibi sunt inuicem & peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater est risus. Illa cor constringit, ista dissoluit.

Ioan. Chrys. super Mat. hom. 23.

Non dolere, quia peccaueris, magis indignari atq; irasci facit Deum, quàm idipsum, quod antè peccaueras.

Caßiodorus sup. Psal. 6. Laboraui in gemitu meo.

Gemitus dictus geminatus luctus, quem meritò fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolum effugat, Christo conciliat: amaritudo dulcis, lachrymæ fœlices, salutaris afflictio.

Caßiodorus super illud Psalm. Ad Dominum cùm trrbularer clamaui.

Dominus nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare.

Seneca ad Lucilium epist. 8.

Argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ęgris gratulatio est, cùm ipsi ęgros se esse sensère.

Seneca ad Lucil. epist. 55.

Magna pars bonitatis est velle fieri bonum.

Conuersatio Græcè συναναςροφή ης ή, & συναναςρέφεμαι cõuersor dicitur. Venitq; à conuersor quod est vtor & consuetudinem habeo.

Dauid Psal. 17.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.

Prouerb. 13.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum similis efficietur.

Ecclesiastici 13.

Qui tetigerit picẽ inquinabitur ab ea: & qui cõmunicauerit superbo, induet superbiam.

Mat. 13.

Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.

Marci 6.

Non est propheta &c.

Ioannis 4.

Non est propheta &c.

1. ad Corinth. 5.

Nescitis quia modicum fermentũ totam massam corrumpit.

August. libro de doctr. Christ.

Diuersis obseruationib. nulla disciplina melior graui & prudenti Christiano, nisi vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam fortè deuenerit ad discendum, quod opus est.

Hieron. ad Demetria.

Semper in comitatu tuo graues fœminas habeas, mores enim & studia dominarum plerunque ex ancillarum & comitantium moribus iudicantur. Qualis enim quæq; sit, talium consortio delectatur.

Greg. lib. 1. Moral. sup. illud. Vir erat in terra.

Non valde laudabile est, bonum esse cum bonis: sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse: Ita immensi est preconij, bonũ etiam inter malos extitisse.

Ioan. Chrys. lib. 3. de uestigijs Phil.

Philosophus sic inter hostes viuendum censuit, tanquam inter amicos: & inter amicos, ac si in medijs hostibus viueretur.

Isido. Solilo. libro 2.

Sancta conuersatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum.

Hugo de disciplina Monachorum.

Disciplina est cõuersatio bona, & honesta. cui parum est non malum facere, sed studet etiam in his, quę bene agit, irreprehẽsibilis apparere.

Ibidem.

Disciplina honestæ conuersationis ex quatuor perpendi potest, ex gestu, motu, affatu, & conuictu. Gestus autem reprehensibilis est, si est, aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis significat lasciuiam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus siue impetuosus inconstantiam.

Ibidem.

Gestus hominis in omni actu debet esse gratiosus.

sus, sine mollitie: quietus, sine dissolutione: grauis sine tarditate: alacer sine inquietudine: maturus sine proteruia: & sine turbulētia seuerus.

Ibidem.

Temperanda est etiam facies & modificanda in gestu suo. Ita vt nec proteruè exasperetur, nec molliter dissoluatur: sed semper habeat rigidam dulcedinem & dulcem rigorem, secundum illud Ecclesiastici 19. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enuntiant de illo, scilicet qualis sit, quia per illud, quod foris siue bene, siue malè agitur, interior animi qualitas intuentium oculis patenter indicatur.

Ibidem.

In motu corporis cauendum est, ne in tardationibus adeò molli gressu vtamur, vt pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus non suscipiamus nimias celeritates: quæ cùm fuerint, anhelitus mouentur, vultus mutantur, omnia torquentur, quæ signa sunt inconstantis animi.

Cyprianus epistola 2.

Quod potest redimi, non timetur. Esse iam inter nocentes innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur offendit. Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est.

Seneca ad Lucilium epistola 5.

Id agamus, vt meliorē vitam sequamur, quàm vulgus, non vt contrariam. Alioqui quos emendare volumus fugamus & à nobis auertimus.

Idem ad Lucilium epistola 6.

Nulla res magis animos induit honestos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectū, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri.

Idem epistola 7.

Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui.

Ibidem.

Nil dānosius bonis moribus, quàm in spectaculo desidere: quia tunc facilius vitia surrepūt.

Idem ad Lucilium epistola 35.

Si quid in aliquibus, ex sordida conuersatione seruile est, honestorum conuictus excutiet.

Idem epistola 82.

Salutare est non conuersari dissimilibus, & diuersa cupientibus. Turba etsi non mutat te, impedit tamen. Multum autem nocet etiam, qui moratur. In vitia alter alterum trudimus. Quomodo autem reuocari possint ad salutem, quos nemo retinet, populus impellit.

Idem epistola 97.

Sic cum inferiore viuas, quemadmodum superiorem tecum viuere velis.

Seneca de quatuor uirtutibus titulo de continentia.

Omnes tibi pares facies, sed inferiores superbiendo non contemnas: Superiores rectè viuendo non timeas. In reddenda officiositate neque exactor, neq; negligens appareas. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Seuerior esto in iudicio, quàm sermone, vita, quàm vultu: clementiæ cultor, sæuitiæ detestator. Famæ bonæ, neq; tuæ seminator, neq; alienæ inuidus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minimè credulus, vel malignus, sed potius, his qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus surrepunt, oppositissimus. Ad iram tardus. Ad misericordiam pronus. In aduersis firmus. In prosperis cautus & humilis, occultator virtutum, sicuti alij vitiorum. Vanæ gloriæ contemptor, & bonorum, quibus prȩditus es, non acribus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Seuerus non sæuus, sed hilarem non aspernas.

Seneca libro de quatuor uirtutibus eodem titulo de continentia.

Si ergo iocos ipsos exigis, hos quoq; cum dignitate sapientiȩ gere, vt nec te grauent tanquā asperum, nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi scurrilitas, sed grata vrbanitas. Sales tui sine dente sint: ioci sine vtilitate: risus sine cachinno: vox sine clamore: incessus sine tumultu: quies tibi, non desidia erit, & cùm ab alijs luditur, tu sancti honestiq; aliquid tractabis.

Valerius Maximus libro 7.

Cùm quidem stolidus audiente Pythagora diceret: Malle se cum mulieribus esse, quàm cum philosophis conuersari. Et sues, inquit, in cœno libentius, quàm in pura aqua versantur.

Q. Curtius de gestis Alexandri libro 6.

Feras bestias captas & inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat.

L. Apuleio de Deo Socratis.

Conuersatio enim perpetua contemptum parit. Raritas autem admirationem conciliat.

Menander.

σοφοῖς ὁμιλῶν καὶ αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός. id est,
Cum sapientibus consuetudinem habens, & ipse euades sapiens.

Idem.

ὁμιλίας δὲ τὰς γεραιτέρας φίλει. id est,
Consuetudines autem seniores ama.

Idem.

κακοῖς ὁμιλῶν, καὶ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός id est,
Cum malis consuetudinem habens, & ipse euades malus.

Idem.

φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί. id est,
Corrumpunt mores bonos consuetudines malæ.

Ouidius epistol. Canaces ad Machareum.

Scilicet est aliquid, cum sæuis uiuere uentis.

Iuuenalis satyra 2.

—Dedit hæc contagio labem
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & prurigine porci.
Vuaq; contacta liuorem ducit ab uua.

Ibidem.

Aspice quid faciant commercia.

CONuersio Græcè στροφάς ἀδοςή, & στρέφω conuerto dicitur. Deduciturq; à conuerto, & hinc conuersor & conuersatio descendunt.

Differt autem conuersio ab auersione, vt patet suprà in Auersio.

Ecclesiast. 5.

Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius & in tempore vindictæ disperdet te.

Ecclesiast. 27.

Conuertere ad Dominum & relinque peccata tua. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua.

Esaiæ 30.

Si reuertamini & quiescatis, salui eritis.

Ieremiæ 3.

Vulgò dicitur, si dimiserit vir vxorem suam & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? Núquid non polluta erit, & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus, ego suscipiam te. Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non prostrata sis.

Ieremiæ 25.

Reuertimini vnusquisque à via sua mala, & à pessimis cogitationibus vestris, & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patrib. vestris à seculo & vsq; in seculum.

Ezechiæ 33.

Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Cóuertimini à vijs vestris pessimis.

Ibidem

In quacunq; hora ingemuerit peccator, saluus erit.

Ionæ 3.

Conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?

Ioelis 2.

Conuertimini ad me in toto corde vestro.

Iacobi 6.

Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte.

Actuum apostolo. 3.

Pœnitemini igitur & cóuertamini, vt deleantur peccata vestra.

Augustinus libro 4. de unico bapt. & habetur de Conf. dist. 4. Baptismi. § Conuersio.

Conuersio autem cordis potest quidem esse non percepto baptismo, sed cótempto non potest. Neq; vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Dominum, cùm Dei sacramentum contemnitur.

August. de Magdalena.

Quis non admiretur subitam peccatricis mutationem. Quæ venerat sordida, & in fonte salutari super niuem dealbata est.

Augustinus de uerbis Domini sermon. 16.

Quid differs in crastinum, dicens, longa vita erit, ipsa longa bona sit, & sic melior erit quàm si longa bona non sit. Si verò breuis sit, vnde factum est, vt bona sit? Quare vis habere longum malum?

Augustinus libro de pœn. & habetur de pœn. dist. ult. Nullus.

Nullus expectet quando peccare non potest. Arbitrij enim quærat libertatem, vt delere possit commissa, non necessitatem. Qui prius vtiq; à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat ea, non liberè, sed quasi necessitate condemnat.

Idem ibidem & habetur ibidem.

Illi autem, qui cùm potuerunt, nunquã conuerti voluerunt, confitentes, cùm iam peccare nequeunt, nec sic facilè acquirunt quod volút. Oportet vt pœnitentia fructificet, vt vitã mortuo impetret, scriptum est, sine charitate neminem saluum esse.

Augustinus. in serm. de pœn.

Surgamus & ad illum redeamus, à quo peccãdo recessimus. Ibi esse nostrum non habet mortem. Ibi velle nostrum non habet errorem. Ibi amare nostrum non habet offensionem.

August. libro de pœn.

Per vosmetipsos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, vt nemo pœniteret in occulto. In hoc quòd per seipsum dicit sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi.

Aug. super Psal. 51.

In inferno erit pœnitentia, sed sera, ergo infructuosa. Vis vt sit fructuosa, non sit sera. Hodie te corrige, qui viuus es. Nam qui iudex tuus futurus est, ipse hodie tuus aduocatus est.

August. super Psal. To.

Vt sit homo aliquid, conuertat se ad illum, à quo creatus est. Recedendo enim frigescit, accedendo feruescit. Recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet, vt sit apud illum, habet vt bene sit. Ergo qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat.

Augu. super Psal. 94.

Si ardes conscientia delicti, lachrymis extingue

gue flammam peccati. Plora ante Deum: securus piora ante eum, qui te fecit. Non enim opus manuum tuarum contemnit in te. Noli putare, quia potes à te refici, à te deficere potes. Tu teipsum reficere nõ potes. Ille te reficit, q̃ te fecit.

August. de uerbis Domini serm. 4.

Conferamus nos ad te, & bene nobis erit de te, malum est nobis de nobis: quia dimisimus te, dimisisti nos nobis.

Augustinus de uerbis Domini serm. 16.

Nemo Deum timens cõuerti differt, nisi qui putat, quòd plus habet viuere. Ipsa enim est res quæ multos occidit, cùm dicunt cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cùm voce coruina, qui non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corui vox est. Geme, vt columba, & tunde pectus.

Aug. libro contra No.

Deus enim rectè animam visitans, ipsam mouet, ipsam docet, sibiq; spondet veniam, si conuerti velit, ipsam dormientem excitat, pigritantem stimulat, sibiq; manum porrigit, semitam ostendit, & mercedem promittit.

August. contra 5. Hæreses.

Quæramus lapidem, quo percutiatur incredulus: & percussus, quassetur: quassatus, comminuatur: comminutus, in puluerem cõuertatur: conuersus in puluerem, compluatur: complutus, feratur: satus faciat fructum. Non quod igne consumatur, sed quod horreo condatur.

Aug. libro de uera innocentia.

Remedia conuersionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate: Qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, diẽ crastinũ non spopondit:

Hieron. de Magdalena.

Discite pœnitentes à Magdalena salutarem peccatorũ absolutionem per lachrymas fieri.

Hieron. ad Lætam.

Nunquam est sera conuersio, latro de cruce transiuit ad paradisum.

Hieron. in epist. ad Heliodo.

Quid facis in paterna domo delicate miles? Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater, ostendat: licet pater in limine iaciat, per calcatum perge patrem sine lachrymis, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.

Hiero. de S. Paula, recitans eius uerba.

Affligendum est corpus, quod multis vacauit delitijs: longus risus perpetuò compensandus est fletu: mollia linteamina & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quò verò & seculo placui, nunc Christo placere desidero.

Hiero. ad Paulam de morte Blesillæ.

Secura esto mi Blesilla, confidimus probantes vera esse quę dicimus. Nunquam sera est cõuersio, vox hęc primum in latrone dicta est.

Ambrosius de Magdalena.

Quis dubitet de venia? Ecce quid ecclesia pręposuerit nobis ad eleuandam spem ad veniam, Dauid psalmistam, Matthęum euãgelistam, Paulum diuinam vbiq; tubam resonantem, & Mariam Magdalenam suo exemplo clamantem: discite à me ô peccatores, in fonte lachrymarum redire ad fontem salutis.

Ambrosius in serm. de eleemosyna & ieiunio.

Si aurum tibi offeram, non mihi dicis cras veniam, sed iam exigis. Nemo differt, nemo excusat. Redemptio animæ promittitur, & nemo festinat.

Grego. libro 2. Moralium.

Solent etiam electi in quibusdam suis cogitationibus & actibus superbire. Sed quia electi sunt, cunctis diebus superbire nõ possunt. Quia priusquam vitam finiant, ab elatione ad humilitatem corda commutant. Impius verò cunctis diebus superbit. Quia sic vitam terminat, vt tamen ab elatione non recedat. Circũspicit quod temporaliter floret, in vita carnis fiduciam ponit, eamque diu permanere æstimat, quam ad præsens tenet.

Gregor. libro 24. Mora.

Vitam prius vniuscuiusq; cõuersi & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, & plena pòst perfectio roborat.

Ibidem

Prius ergo suauitatem sentiunt, securi prius pacis quiete nutriuntur. Post cognitam verò dulcedinem, tantò iam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quantò altius in Deo cognouere quod amant.

Ibidem.

Plerunq; conuersus quisq; talibus tentationũ stimulis agitatur, qualibus ante conuersionis gratiam nunquã pulsatum se esse reminiscitur. Non quia tunc hæc eadem tentationis radix deerat, sed quia non apparebat.

Gregor. libro 33. Mora.

Quanto quis minus videt se, tanto minus sibi displicet. Et quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit.

Gregorius hom. 10 super illud Mat. Cùm natus esset Iesus in Bethleem.

A regione nostra superbiendo, inobediẽdo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus. Sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atq; appetitũ carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostrã regredimur, quando qui à paradisi gaudijs per delectationem recessimus

simus, ad hæc per lamenta reuocamur.

Grego. super euangelium hom. 34.

Maius de peccatore conuerso, quàm de iusto stante gaudium fit in cœlo. Quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliud fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nũquam fertilem messem produxit.

Gregorius in hom. tractans illud: Et si in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit &c.

Prima vigilia est pueritia, secunda adolescentia, tertia senectus. Qui ergo in prima vigilia vigilare noluit, secundam custodiat, vt qui conuerti à prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem tẽpore iuuẽtutis euigilet, & qui ad vias vitæ iuuentutis tẽpore nõ euigilat, saltem in senectute resipiscat. Nam quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuersos durius damnat.

Gregorius libro 3. Dialogor.

Cõpunctionis duo sunt genera. Vide in Contritio.

Gregorius in Hest. 4.

Serò quæruntur salutis remedia, cùm mortis imminet periculum. Vnde Salomon: Tunc inuocabunt, & non exaudiam. Mane surgent, & non inuenient me.

Isidorus de summo bono libro 2. cap. 10.

Multos remissa conuersio in pristinos errores reducit, ac viuendi tempore resoluit.

Ibidem.

Valet interdum conuersis pro animæ salute mutatio loci, plærunq; enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruũ est enim inde etiam corporaliter euelli, vbi quisq; illecebris deseruiuit. Nam locus vbi quisq; prauè vixit hoc aspectui mentis opponit, quod semper ibi vel cogitauit, vel gessit.

Isidorus de summo bono libro 3. cap. 8.

Primordia conuersorum blandis refouenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant exterriti, ad priores lapsus recurrant. Qui enim conuersum sine lenitate erudit, exasperare potius quàm corrigere nouit.

Isidorus de summo bono libro 3. cap. 9.

Vtile est Dei seruo post conuersionem tentari, quatenus à tempore negligentiæ solicitantibus vitijs ad virtutes animum per exercitium præpararet vitiorum.

Bernardus de Meditatione.

Quanto homo magis mala sua intelligit, tanto amplius suspirat & gemit.

Bernardus super Cant. serm. 36.

Conuertimini ad me in toto corde vestro. Corporis conuersio si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem conuersionis est non veritas, vacuam virtutem gerens & speciem virtutis.

Bernardus super Cant.

Dico omnes ignorare Deum, qui nolunt conuerti ad eum. Neque enim ob aliud procul dubio renuũt, nisi quia grauem & seuerum imaginantur, qui pius est. Durum & implacabilem qui misericors est. Ferum & terribilem, qui amabilis est, & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse.

Ibidem.

Solet inter primordia cõuersionis acrius insurgere tentatio prauæ cõsuetudinis, & vix possunt extingui iacula ignita diaboli.

Hugo de claustro animæ libro 3. cap. 10.

In illa ætate quando flauescũt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corpori vires subministrat iuuenilis ætas lõgioris vitæ spatium repromittit, quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior. Qui in hac ætate se domant, & Deo se sociant, præmium Ioannis expectant.

Ibidem.

Tales offerunt hostiam viuentem, Deo placẽtem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, & (vt cuncta breuiter perstringam) ipsi in se per se deficiũt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed (vt ita dicam) porcum cruentatum. Sicut enim porcus in imnunditijs, sic senex iacuit in vitijs: & sicut porcus siliquis pascitur, sic senex fabulis & rumoribus delectatur.

Lactan. Firm. diuina. institutionum lib. 6. cap. 24.

Nemo potest esse tam prudens, & tam circũspectus, vt non aliquando labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciẽs, pro sua pietate aperuit homini portum salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas nostra subiecta est, medicina pœnitentiæ subueuiret. Ergo quicunque aberrauerit referat pedem, seq; quamprimum recipiat, ac reformet. Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras, hoc opus, hic labor est. Degustatis enim malè iucundis voluptatibus vix diuelli ab his possunt. Facilius recta sequerentur, si earum suauitates non attigissent. Sed si eripiant se malæ seruituti, condonabitur his error omnis si errorem suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquã putet, si delicti conscium non habebit. Scit ille omnia in cuius conspectu viuimus. Nec si vniuersos homines cęlare possumus, Deum possumus, cui nil absconditum, nil potest esse secretum.

Salustius in Iugurtha.

Quem pœnitet delicti gratiam meretur.

Franciſcus Petrarcha ſoneto 22.

Più gloria uel regno de li electi
Dum ſpiritu conuerſo, & piu ſi ſtima
Che di nonanta noue altri perfecti. id eſt:
Plus gloriæ eſt in regno electorum
Vnius ſpiritus conuerſi, & pluris fit:
Quàm nonaginta nouem aliorum perfectorum.

Franciſcus Petrarcha cantic. 19. ſtantia 1.

Chi ſmarita ha la ſtrada torni in dietro. id eſt,
Qui iter perdidit, retrocedat.

Conuitium Græcè λοιδορία ας ἡ, & λοιδορέω conuitior aris dicitur. Eſt autem conuitium maledictum cum contumelia. Cicero: Maledictum autem nihil habet propoſiti preter contumeliam, quæ ſi petulantius iactatur, conuitium: ſin facetius, vrbanitas nominatur. Nec Labeoni iuriſcõſulto aſſentiendum puto, qui conuitium putat à vocum concitatione, vel cõuentu deriuatum: & id eſſe, quod cum clamore publicè fiat. Vt dicit tex. in. l. Item apud Labionem. §. Conuitium: ff. de iniur. Quid autem à contumelia differat conuitium, vide infrà in Suſurratio.

Conuiuium Græcè συμπόσιον ου τὸ, & συμποσιασαὶ conuiuæ dicuntur. Et eſt accubatio epularum ſecundum Ciceronem, qui in li. qui Cato maior dicitur, vel de ſenectute dicit: Bene enim maiores noſtri accubationem epularum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt, melius quàm Græci, qui hoc ipſum modò compotationem, hoc eſt συμπόσιον, modò concœnationẽ, quæ σύνδειπνος ου ὁ vocant. Ab hoc conuiuor, quod eſt conuiuium facio, & conuiua, qui ad conuiuium vocatur. Conuiuiones verò hoc & cõpotores, non à conuiuendo, vel conueniendo, ſed à combibendo dicti ſunt, quaſi combibiones.

Conuiuium laudatur, dummodo detractionibus & fabulis, & plauſib. turpibus non miſceatur. 44. diſt. conuiuia & cap. ſeq.

Conuiuium clericorũ debet præcedere menſæ benedictio, infra menſam lectio, poſt mẽſam gratiarum actio. 44. diſt. quando autem.

In conuiuio non cibus, ſed cibi auiditas reprobatur, de Con. diſt. 5. Sint tibi.

Conuiuia hæreticorum & ſchiſmaticorum præcipuè clerici debẽt vitare. 24. q. 4. Clericus.

Conuiuia prohibentur, cùm ſacerdotalis ſenſus tenuis eſſe debeat, ne pinguis venter groſſam mentem generet. 44. diſt. cap. vltimo, & ſe. 34. diſt. Presbyteri.

Conuiuia nec epiſcopus, nec clericus abſque neceſsitate in eccleſia facere debet, 41. diſtinct. Non oportet. cl. 2. & cap. ſe.

Conuiuium triplex eſt, ſcilicet animæ, Eccleſiæ & beatorum, & quodlibet eorum habet tres epulas, B. Thom. ſuper Eſai. 25. fi.

In conuiuijs clericus ſuperfluè expendens, & in alijs, peccat mortaliter. B. Tho. quodli. 6, 12, 4.

Feſta mundanorũ ſunt in epulis & delicijs corporum, ſed feſta ſpiritualium ſunt in delectatione ſpiritus. B. Thom. ſuper Ioannem 7. lectio. 1. in fin.

Prouerbiorum 33.

Noli eſſe in conuiuijs potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes adveſcendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur.

Eccleſiaſtes 5.

Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cũctorum ammonemur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.

Heſiodus.

τὸν φιλέοντ᾽ ἐπὶ δαῖτα καλεῖν· τὸν δ᾽ ἐχθρὸν ἐᾶσαι.
τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει. id eſt:
Amicum ad conuiuium uoca, inimicum dimitte,
Sed hunc maximè uoca, qui te prope habitat.

Idem.

μηδὲ πολυξείνων δαιτὸς δυσπέμφελος εἶναι,
ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη τ᾽ ὀλιγίστη. id eſt:
Neq; multorum ſociorum conuiuij perturbator ſis.
Ex communi plurima grata, ſumptus autem pauciſsimus.

Menander.

εὔτακτον εἶναι τἀλλότρια δειπνοῦντα δεῖ. id eſt,
Bene compoſitum eſſe aliena conuiuantem oportet.

Aulus Gellius libro 13. Noctium Atticarum.

Marcus Varro dicit conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarũ numero, & progredi ad Muſarum: id eſt, proficiſci à tribus, & conſiſtere in nouem, vt cùm pauciſsimi cõuiuę ſunt, non pauciores ſint, quàm tres: cùm plurimi, nõ plures quàm nouẽ. Nam multos, inquit, eſſe non conuenit, quod turba plerunq; eſt turbulenta.

Opheli Stoici huiuſmodi de Affabilitate eſt præceptum.

Diſcite non inter lances menſaſq; nitentes,
Cùm ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cùm
Acclinis falſis animus meliora recuſat:
Verum hic impranſi mecum diſquirite, &c.

Conuiuium tribus conſtare debere, ex Menalippa Varronis adducitur: lectis viris, lecto loco, lecto tempore.

Cicero de Senectute.

Bene maiores noſtri accubationem epularũ, quòd amicorum & vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant: vt quod in eo genere minimum eſt, id maximè probare videantur.

Martialis.

μισῶ μνήμονα συμπότην. id eſt,
Odi memorem compotorem.

Tyberius ad eum modum & in hanc ſententiam, pro Cotta Meſſalina, qui ob verba quædã inconſideratius per prandium effuſa prehenſus ad Imperatorem prouocauerat, reſcripſit, poſtulans,

ſtulans, ne ei verba prauè detorta, néue conuiualium fabularum ſimplicitas in crimen duceretur, vt eſt author Tacitus libro 5.

Homerus Odyſſ.I.

οὐ γὰρ ἔγω γε τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
δαιτυμόνες δ᾽ ἀνὰ δώματ᾽ ἀκουάζονται ἀοιδοῦ,
ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι.
σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ᾽ ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
οἰνοχόος φορέησι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν
τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι. id eſt:

Illa quidem longè eſt finis gratißima rerum,
Perpetuò uacuam curis traducere uitam.
Vt ſi cum populi conuiuia læta frequentent,
Auſcultent cytharæ luſus, iuuenesq; canentes,
Stentq; cibis, iuxta menſæ dapibusq; repletæ:
Inſuper afferrens pleno & cratere miniſter.
Infundat pateris dulcißima munera Bacchi,
Hoc mihi nil quicquam iucundius eſſe uidetur.

ὀνέστου.

αὐτοθελὴς ἥδιστος ἀεὶ πότος, ὅς δέ καὶ ἀνάγκη,
ὕβριστης δεινῶ τ᾽ ἐστὶ καὶ οἰνωπολε.
τὸν μὲν γὰρ γαίη προχέει κρύφα, τὸν δ᾽ ὑπὸ γαίη
πολλάκι πρὸς λήθης ἤγαγε πικρὸν ὕδωρ.
πουλυμεθεῖς, χαίροιτε. τὸ δ᾽ ὁππόσον ἡδὺ ποθῆναι
μέζον, ἐμοί πάσης ἄρχιον εὐφροσύνης.

Copula & de ſui natura ponitur inter ſeparata vel diuerſa glo eſt in cap. querela. de ſim. & in cle. in pleriſq; in ver. Et populo. de elect. & in rubri. ff. de iuris & facti igno. & vbi ponitur idem importantia, exponitur pro id eſt, vt in cap. monaſteria in fi. & ita ibi declarat Panor. de vi. & hone. cleri. probatur. & in l. pri. ff. de tranſact.

Copula de ſui natura copulat æquè principaliter. glo. eſt indi. cap. querelam, & ibi Panor. declarat, & ponit aliud exemplũ vltra illud quod illic ponitur poſt Ioannem Andr.

Copula requirit concurſum vtriuſq; copulati §. penul. Inſtit. de hære. Inſti. l. ſi hæred. plures ff. de condi. Inſtitut. glo. in cap. 2. de reſcription.

Copula ſi apponatur in determinatione temporis, continuationem temporis denotat. exemplum, ſi teſtis deponat Titium poſſediſſe à decem annis, & citra cap. licèt cauſa de prob. & ibi Bal. col. 4. poſt Hoſti.

Copula auget diſpoſitionem, quę continetur in præcedenti copulato. l. ea tamen adiectio. ff. de leg. 3. exemplum: ſi lego vxori aurum, argentum, & quæ eius cauſa parata ſunt, veniunt in legato, & veſtes & alia parata, ſi tamen omitteretur copula ſecùs eſſet, vt no. in d. l. Ea tamen.

Copula qualitatem præcedentis diſpoſitionis reperit in ſequẽti. Exemplum, lego fundum inſtructum, & domum. certè intelligitur, quod etiam domus inſtructa legata ſit. l. Seiæ. §. Caio & ibi Bar. de fundo inſtruct.

Copula & quãdo exponitur inter æquè principalia, exponitur pro alternatiua. Abb. in ca. 2. de vi. & hone. cle.

Coquina Græcè μαγειρεῖον τὸ, & μάγειρος οὗ coquus dicitur. Et eſt locus in ędibus, in quo obſonia coquuntur, à coquendo dicta, eademque culina dicitur, quod locupletiorem in ea ignem colimus, vt placet Marcello: vel vt alij, quod dij penates illic colerentur: vel à colluuie, hoc eſt, à labe vel immunditia, quod illic immunda lauantur, vt poſtea coquantur, & vaſa & alia id genus. Iuuenalis contentum pro continente poſuit: Sequitur ſua quenq; culina. Hinc culinor aris, & coquinor aris: id eſt, culinam vel coquinam exerceo, & ars coquinaria dicitur.

- CORPVS
  - *Ingenerabile & incorruptibile*
    - *Empyreum*
    - *Primum mobile.*
    - *Firmamentum.*
    - *Saturnus.*
    - *Iupiter.*
    - *Mars.*
    - *Sol.*
    - *Venus.*
    - *Mercurius.*
    - *Luna.*
  - *Elementatum*
    - *Primæ compoſitionis, & eſt uapor reſolutus ui ſolis, uel exhalatio reſoluta à terra, & ab aqua, uel terreo & aqueo, quæ duo tãtum ſunt euaporabilia ſeu exhalabilia, non autem aër & ignis, quandoq; manens terræ incluſus, unde terræ motus cauſantur. Quandoq; eleuatus ad aëra, ſecundum tria interſtitia, unde cauſantur impreßiones aëriæ, aqueæ uel igneæ, uel mixtæ.*
    - *In aëre*
      - *In ſuprema regione aërisætheri uicina calida propter ætheris uicinitatem fiunt.*
        - *Cometæ,*
        - *Columna pyramidalis*
        - *Lancea*
        - *Candela accenſa*
        - *Aſſub. aſcendens*
        - *Velut ſcintillæ de fornace*
        - *Velut ſtupa accenſa*
        - *Velut ſtella cadens longa*
        - *Candela accendens candelam*
        - *Lumen præcedens in nocte ſaltu quodam.*
        - *Stella cadens ſolum.*
        - *Draco uolans.*
        - *Aſſub quãdoq; apparens, quandoq; non, & alia huiuſmodi.*
      - *In media regione aëris in pene inferiori parte eius frigidißima, quia diſtat ab utroq; calefactiuo, ubi fiunt*
        - *Tonitrua*
        - *Fulgura*
        - *Coruſcationes*
        - *Fulminis tela*
        - *Grando*
        - *Granula, & huiuſmodi.*

Genera

- Generabile & corruptibile
  - Secundæ compositionis, & sunt diuersæ impreßiones, uel paßiones meteorologicæ, ex ipso uapore materialiter causatæ.
    - In inferiore aëris regione, quæ est terra usq; ad nubes æstiuas calida tẽperatè, propter radiorum solarium maximam reflexionem, ubi fiunt
      - Nubes
      - Pluuia
      - Nix
      - Pruina
      - Ros
      - Nebula
      - Nymbus, & huiusmodi.
  - Tertiæ compositionis sunt uegetabilia, & terræ nascentia, ut plantæ & herbæ, & huiusmodi.
  - Quartæ compositionis sunt animalia quæq; sensum habentia.
  - Quintæ cõpositionis sunt homines
    - Sub terra
      - Fontium calefactio in hyeme.
      - Terræ motus.
      - Sulphur, à quo Thermæ calefiunt.
      - Lapides tam preciosi quàm non, qui tamen causantur etiam super terram in eius superficie.
      - Argentum uiuum, quod est principium omnium metallorum.
      - Metalla,
        - Aurum
        - Argentum
        - Electrum
          - Naturale
          - Artificiosum.
        - Cuprum
        - Aurichalchum
        - Aes
        - Stannum
        - Plumbum.
  - Elemẽtum
    - Ignis
    - Aër
    - Aqua
    - Terra.

Corpus Græcè σῶμα ατος τὸ, & σωματικός ȣ ὁ corporalis dicitur. Est autem corpus, quod omniquaq; diuisibile est secundum Aristotelem libro 1. de cælo & mundo.

Corpus est magnitudo, quę ad tria diuiditur: vt ibid.

Corpus est omne id, quod habet trinã dimensionem, scilicet longum, latum & profundum, secundum Albertum Magnum in principio suę philosophiæ super lib. Physicorum.

Corpus est, in quo est aptitudo intelligendi duas lineas intersecantes se ad angulos rectos, & tertiam lineam intersecantem ambas illas ad angulos rectos, secundum Algazelem & Auicennam.

Corpus à Gręcis sic describitur, τὸ τριχῆ διαστατὸν, id est, triplici dimensione distans.

Corpus à Lucretio hoc versu describitur:
Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res.

Corpus simplex est quodcunq; habet principium motus secundum naturam, puta ignis, & huic cognata, secundum Aristotelem libro 1. de cælo & mundo.

Corporum tria genera esse affirmat Pomponius: vnum, quod vna specie continetur, vt homo, lignum, lapis. Alterum, quod ex contingentibus, hoc est pluribus inter se cohærentib. constat, vt ædificium, nauis. Tertium, quod ex distantibus compactum est, vtputa ex plurib. corporibus vni nomini subiectis, vt populus, legio, grex.

Cor Gręcè καρδία ας ἡ dicitur. Quod pro mente sæpe ponitur, vnde recordor, quasi in corde, hoc est in mente reuoco, vnde recordatio fit. Et secors quasi sine corde, & secordia ignauia.

Et concors, qui vnius mentis & animi est. Et concordia, de qua suprà in Concordia.

Cor primò generatur, secundum B. Thom. secunda secundæ q. 122. art. 2.

Cor est primum principium motus in animali, prima secundæ q. 17. art. 9.

Cor est primum principium membrorum & virium vitalium, quantum ad esse. Sed caput est principium sensuum & motus, secundum B. Thomam 3. q. 90. art. 3.

CORrectio Græcè ἐπανόρθωσις εως ἡ, & ἐπανορθόω corrigo dicitur. Est autem correctio fraterna, admonitio charitatiua fratris de emendatione peccatorum, ex fraterna charitate procedens, secundum B. Thom. 4. senten. dist. 19. q. 2. art. 1. Diciturq; à corrigo, quod est emendo.

Leuitici 19.

Non oderis fratrẽ tuum in corde tuo. Sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatũ.

Deuteronomij 25.

Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.

Prouerbiorum 3.

Quem diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.

Ibidem cap. 10.

Qui increpationes delinquit, errat.

Ibidem cap. 12.

Qui odit increpationes, insipiens est.

Ibidem 13.

Qui illusor est, non audit, cùm arguitur.

Ibidem.

Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

Ibidem.

Qui parcit virgæ, odit filium: qui autem diligit illum, instanter erudit.

Ibidem 15.

Stultus irridet disciplinam patris sui, qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

Ibidem.

Qui increpationes odit, morietur.

Ibidem.

Auris, quę audit increpationes vitę, in medio sapientium commorabitur.

Ibidem.

Qui abijcit disciplinam, despicit animā suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

Ibidem cap. 17.

Plus proficit correctio apud prudentē, quàm centum plagæ apud stultum.

Ibidem 22.

Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.

Ibidem 23.

Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.

Ibidem 27.

Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula * odientis.

* Aliàs, blandientis.

Ibidem 28.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis, quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

Ibidem cap. 29.

Virga atq; correctio tribuit sapientiam, puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundet matrem suam.

Ibidem.

Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.

Ecclesiastes 1.

Peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

Ibidem cap. 7.

Melius est à sapiente corrigi, quàm stultorū adulatione decipi.

Ecclesiastici 10.

Vir prudens & disciplinatus, non murmurabit correctus.

Ecclesiastici 19.

Corripe primùm antequam commineris.

Ibidem cap. 30.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo.

Ibidem.

Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps.

Ibidem.

Curua ceruicem filij in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi.

Matthæi 18.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.

Lucæ 6.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quę in oculo tuo est, non consideras?

Idem.

Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.

Lucæ 17.

Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitētiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me: dimitte illi.

1. ad Timotheum 5.

Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

2. ad Timotheum 4.

Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.

Iacobi 5.

Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Augustinus ad Aurelium episcopum, & habetur distinctione 44. Commessatione § Seueritas autem.

Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum, & si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram: ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.

Augustinus in Enchiridio, & habetur distinctione 45. Et qui emendat.

Et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus, aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, non solùm eò, quòd dimittit ex corde atq; orat, verùm etiam in eo, quod corripit, & alia emendatoria pœna plectit, eleemosynam facit, quia misericordiam prǽstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati, quia ipsi inueniuntur sibi inimici.

Augustinus in hom. de pœn. & hab. 2. q. 7. Plærunq;

Plerunq; boni viri propterea sufferunt aliorum peccata & tacent, quia sæpe deseruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt.

Augustinus in serm. de puero Centurionis, & hab. 23. q. 1. Paratus. § Agenda sunt.

Agenda sunt autem multa cum inuitis quadam benigna asperitate plectẽdis, quorum potius vtilitati consulendum est, quàm voluntati. Nam corripiendo filium quantumlibet asperè, nunquam profectò paternus amor amittitur. Fiat tamen quod nolit, & doleat, qui etiam inuitus dolere videtur sanandus.

Aug. contra Parmenia. & hab. 23. q. 4. Quisquis.

Quisquis vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto immunis, de quo scriptura dicit: Vę his qui dicunt, quod nequam est bonum, & quod bonum est nequam: omnino liber, prorsus securus, penitus est alienus. Quomodo (inquit Parmenianus) incorruptus poteris parmanere, qui corruptis sociaris?

Aug. de uerbis Euangelij, & hab. 23. q. 4. A malis. § Duobus modis.

Duobus modis non te maculat malus, si ei nõ consentias, & si redarguas. hoc est non communicare, non consentire.

Aug. de uerbis Domini super illud Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus.

Quæ peccantur coram omnibus, coram omnibus corripienda sunt, vt omnes timeant. Qui secretò peccauit in te, secretò corripe. Nam si solus nosti, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. Nam si solus nosti, tunc verè solum in te peccauit: sed si multis audientib. tibi iniuriam fecit, etiam in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis fecit. Ergo corrigenda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa corrigenda sunt secretius, quę peccantur secretius: vbi contigit malum, ibi moriatur.

Aug. de uerbis Domini, serm. 16.

* Amando debemus corripere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi. Si peccauerit in te frater tuus, quare illum corripis? quia doles, quod peccauit in te. Si amore tui id facis, nihil facis: si amore illius, optimè facis.

Aug. de uerbis Dom.

Foris terribilis personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio, neq; cõsentientes sitis malis, vt approbetis: neq; negligẽtes, vt non arguatis: neq; superbiẽtes, vt insultãter arguatis.

Aug. in serm. Domini in monte.

Accusare vitia, officium est bonum: quod tamen mali faciunt, alienas partes agunt. Cogitemus ergo, cum aliquem reprehendere nos necessitas coegerit, vtrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, & tunc cogitemus nos homines esse, & habere potuisse, vel quod tale habuimus, & iam non habemus, & tũc tangat memoria cõmunis fragilitatis, vt illam correctionem, non odium, sed misericordia præcedat. Si autem inuenerimus nos in eodem esse vitio, nõ obiurgemus, sed ingemiscamus, & ad æqualiter deponendum inuitemus.

Aug. in serm. Domini libro 2.

Rarò & magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt. Ita tamen, vt in his etiam ipsis, non nobis, sed Deo seruiatur, instemus.

Aug. libro 1. de ciuitate Dei.

Nam si propterea obiurgandis & corripiendis malè agentibus quis parcit, quia opportunum sibi tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant, aliosq; infirmos premant, atque auertant à fide: non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.

Ibidem.

Plęrunq; ab eis admonendis, obiurgandis & corripiendis malè dissimulatur. Ne vel eos offendamus, vel vt eorum inimicitias deuitemus, ne impediant, & noceant in istis temporalibus rebus, quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas.

Ibidem.

Ad hoc spectatores & populorum principes in Eccles ijs constituti sunt, vt non parcant, obiurgando peccata. Nec ideo tamen ab huiusmo di culpa penitus alienus quilibet prępositus fit, cùm in eis, cum quibus vitę necessitate coniungitur, mala arguenda & monenda nouit, & negligit, deuitans eorum offensiones.

Augustinus Vincentio Donatistæ, & habetur 23. q. 4. Nimium.

Nimium sunt inquieti, quos per ordinatas à Deo potestates seculares cohiberi atq; corrigi mihi non videtur inutile. Nam de multorum iam correctione gaudemus.

Augu. ad Vincent. & hab. 23. q. 7. Quicunq;

Quicunq; vos & occasione huius legis imperialis, non dilectione corrigendi, sed odio inimicandi prosequitur, displicet nobis.

August. ibidem. § Sed nec.

Sed nec facilè ista monstratis, & si monstretis nonnullos tolleramus, quos corrigere, vel punire non possumus. Neq; propter paleam relinquimus aream Domini, neq; propter pisces malos, rumpimus retia Domini, neque propter hœdos in fine segregandos deserimus gregem Domini: neq; propter vasa facta in contumeliã, migramus de domo Domini.

Augu. ad Vincentium Donat.

Non omnis, qui parcit amicus est, nec omnis, qui verberat inimicus. Qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat. Ambo, quãdiu ęgri sunt, indignantur.

Aug. ad Lothar. & hab. 23. q. 5. Qui uitijs.

Qui vitijs nutriendis parcit & fouet, ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors, quàm qui non vult cultrũ rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.

Augustinus de communi uita & regula clericorum, & hab. 5. q. 5. Non uos.

Non vos iudicetis esse maleuolos, quando crimen altius indicatis. Magis quippe nocentes nõ estis iudicando crimen, quàm si fratres vestros, quos corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habeat in corpore, quod vult occultari, cùm timet secari, nõne crudeliter à te siletur, ac misericorditer indicatur: quantò ergo potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde.

Augustinus & habetur de pœniten. distinct. 1. Sed & §. Ideo.

Ideo nobis peccãtibus indignatur Dominus Iesus, vt indignationis suæ terrore nos conuertat. Indignatio ergo eius non vltionis executio sed magis absolutionis operatio est.

Augustinus ad Bonifacium.

Molestus est medicus furenti, & phrenetico, & pater indisciplinato filio: ille ligando: iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelitas est.

August. ad Marcellum.

Magis amat obiurgator sanans, quàm adulator dissimulans.

Aug. ad Macedonium epist. 64.

Plurimum interest, quo animo quisque parcat. Sicuti enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.

Aug. de charitate serm. 7.

Non putes te amare seruum, quando eum nõ cędis, aut tunc amare filium, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare filium tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor.

Aug. de Trinitate libro 1. cap. 3.

Malo me reprehendi à reprehensore falsitatis, quã ab eius laudatore laudari. Ab illo enim quamuis ego non rectè reprehendar, qui hoc non sensi, tamen error ipse rectè vituperatur. Ab hoc autem non rectè laudor, de quo hoc existimo, hoc sensisse, quod vituperat veritas, nec etiam ipsa veritas laudatur.

Aug. super epist. ad Galathas.

Quicquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige & dic quicquid voles.

Hieronymus in Ieremiam, & habetur dist. 45. Recedite §. Boni recto.

Boni rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis & mansuetudinis leuamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritaté in foueam perditionis nutantes propellere. Vnde doctor gẽtium: Factus sum inquit, infirmus infirmis.

Hieron. & habetur dist. 45. Sed illud.

Sed illud non otiosè transcurrendũ est, quod vno peccante ira Dei super omnem populũ venit. Hoc quomodo accidit? Quando sacerdotes, qui populo præsunt, erga delinquẽtes beneuoli videri volunt: & verentes peccãtium linguas, ne fortè mala de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores, nolunt complere, quod scriptum est. Peccantem coram omnibus argue vt cæteri metum habeant.

Hieron. super Ecclesiasticum.

Nemo audet accusare maioré, propterea quasi sancti & beati, & in pręceptis Dei ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in episcopum, etenim si peccauerit, non creditur, & si conuictus fuerit non punitur.

Hiero. super illud ad Ephe. Magis arguite.

Inter cætera mandata peccantes posse arguere maximæ libertatis est. Sed ille potest facere, qui non meretur audire: Hypocrita eijce primũ trabem de oculo tuo.

Hieronymus ad Ripparium, & habetur 23. q. 8. Legi. § Non est crudel.

Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas.

Hieronymus super epist. ad Titum.

Quomodo potest pręses ecclesię auferre malum de medio eius? qui in delictum simile corruit, aut qua libertate corripere peccantem potest, cùm tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse, quæ corripit.

Amb. li. 1. de offi. & ha. 23 q. 4. Est iniusta. §. Si quis latro.

Si quis latronem filijs deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius inflexus, absoluendum putat, cui adhuc latrocinandi aspirat affectus: nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? Certè si gladium reprimit, vincula dissoluit, laxat exilium: cur latrocinandi, qua potest, clementiori via nõ eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit.

Ambro. in Pastora. siue libro de dignitate sacerdo.

Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiã? Et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam?

Ambro-

Ambrosius super cap.21.Mat.

Grauissimus nodus in ligno non potest expelli, nisi grauissimo oppressorio.

Ambrosius super Lucam.

Plus proficit amica correctio, quàm accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet.

Ibidem.

Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.

Ambrosius super epist.1.ad Corint. tractans illud, Modicum fermentum, &c.

Peccatum vnius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat. Imò omnes qui norũt, & non deuitant, aut cùm possunt arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur, vel vitatur.

Ambrosius in serm. ad uincula Petri.

Non osculatur semper pater filium, sed aliquando castigat. Ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sũt cùm amarius inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blanda remissio.

Greg. Ioanni episcopo Constantinopolitano, & hab. dist.45. Quid autem.

Quid autem de episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant: bene fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus, nõ percussores. Egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa, in omni patiẽtia & doctrina. Noua verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

Grego. in Pastorali. cap.38.

Nonnunquam, qui inter flagellorum duritiam remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi. Nam plerũq;, quos cruciamenta non corrigunt ab iniquis actibus, lenia blandimenta cõpescunt. Quia & ęgros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua reuocauit.

Gregorius in Pastorali cap.49.

Si quis est Domini, iũgatur mihi: si ille Dei dicitur, qui ad feriẽda vitia zelo diuini amoris excitatur, profectò se esse Dei denegat, qui inquantũ sufficit, vitã carnaliũ corrigere recusat. Fit plerunq; Deo gratior amore ardẽs post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.

Gregorius in Pastorali.

Tunc propter vos melius corrigimus, cùm ea, quæ bene egisse credunt, malè acta monstramus, vt vnde adepta gloria creditur, inde vtilis confessio subsequatur.

Ibidem.

Maior culpa, quò citius, quia culpa est, agnoscitur, eò etiam celerius emendatur. Minor verò dum quasi nulla creditur, eò peius, quò & securius in vsu tenetur.

Ibidem.

Iuuenes plerunq; seueritas admonitionis ad profectum dirigit: senes verò ad meliora opera deprecatio blanda componit.

Gregorius in Pasto. & Morali.

Sæpe hoc magnis doctoribus mirãdisq; contingit, vt quo alta charitate feruent, modũ correctionis exaggerent, vt lingua aliquid, quod non debet, dicat: quia mentem dilectio quantum debet, in flammat.

Grego. in Pastorali.

Sicut laudabile decretum est reuerentiam & honorem debitum exhibere maioribus: ita rectitudinis & Dei timoris est, si quid in eis correctione indiget, nulla dissimulatione postponere: ne totũ corpus (qđ absit) incipiat morbus inuadere, si lãguor non fuerit curatus in capite.

Grego. libro 6. Moral.

Mundus esse à vitijs debet, qui aliena corrigere curat. Quatenus quantò perspicatius alijs fugienda videat, tãtò hoc ipse per scientiam & vitam verius declinat: quia nequaquam purè in membro maculam cõsiderat oculus, quem puluis granat, & superiectas sordes tergere non valent manus, quę lutum tenent.

Grego. libro 10. Mora.

Cùm quis proximorum mala corrigere non valet, taceat. Sed quę corrigi loquendo possunt silentio consensum pertimescat.

Ibidem.

Corda iustorum inflammãtur, cùm non correcta crescere conspiciunt acta malorum, eorumq; culpæ sese participes credũt, quos in iniquitate crescere silendo permittunt.

Grego. lib.18. Mora.

Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominũ laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerant.

Idem libro 21. Moral.

Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisionis odia formidamus, non iam lucra Dei, sed nostra quærimus.

Greg. lib.22. Moral. super illud Iob 31. Si celaui in sinu meo.

Multi homines & culpam confitentur, & humiles non sunt. Nam multos nouimus, qui arguente nullo, peccatores se confitentur. Cùm verò de culpa sua fuerint fortasse correpti, patrocinium defensionis quęrunt, ne peccatores esse videantur.

Greg. libro 16. Moral.

Si is qui corrigere nititur, ira superatur, opprimit, antequam corrigat. Nam dum plus quã debet accenditur, sub iustæ vltionis obtẽtu ad immanitatem crudelitatis effrenatur.

Idem libro 26. Moral.

Piorum conscientiæ grande sibi præmium credunt, cùm mundæ quibusdam suis illicitis

actionibus arguuntur. Ponunt ergo ante oculos cordis, quia districtum iudicium tantò breuius super eos mitigabitur, quantò acrius homine arguente præuenitur. Et temporalem iram super se lucris computant, per quam se æternã euadere non ignorant.

Idem libro 26. Moral.

In correptione quippe vitiorum subesse debet iracundia, non præesse. Vt executionem iustitiæ non dominando preueniat, sed simulando subsequatur.

Gregor. in Registro.

Qui non corrigit resecanda, committit, & facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.

Ibidem.

Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palàm sunt arguendi, qui palàm nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi, qui eos imittando deliquerant, corrigant. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est, vt pro multorum salute vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur.

Greg. super Ezechielem hom. 2.

Si autem aliter aut quid loquatur, aut quib. dicatur, non vigilanter conspicitur, valde periculosum est: verecundæ enim mentes, si quas fortasse culpas admiserint, leuiter arguẽdę sũt. Quia si asperius arguantur, franguntur potius, quàm erudiantur. At contrà mentes asperæ & impudentes, si increpatæ leniter fuerint, ad maiores culpas ipsa lenitate prouocantur.

Greg. super Ezech. hom. 6.

Paulus arguit Petrum, Petrus verò laudauit Paulum. Amicus ergo veritatis laudauit, quòd reprehẽsus est. Neq; etiam minori fratri ad consensum dedit, quatenus qui primus erat apostolatus culmine, esset & primus humilitate.

Ibidem.

Ecce à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriã reuocat, quod primus apostulatu vocatus est, non quod claues regni cælestis accepit.

Grego. super euangelium hom. 6.

Verba sapientum quasi stimuli. Clauis atque stimulis verba sapientum comparantur: quia culpas delinquentium nesciunt calcare, sed pũgere.

Ioan. Chrys. in suo dialogo lib. 2.

Non vniformiter secundum mensuram delictorũ increpationes quoq; oportet inferri, sed diligenter inspicere, eorũ, qui deliquerunt, vires atq; propositum. Ne fortè volens rupta sarcire, maiorem operetur diruptionem: & cupiẽs erigere collapsa, casum inferat grauiorem.

Ioan. super illud Matth. 13. Digito autem suo. &c.

Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus: audiant te homines parua mandantem, & grauia facientem.

Ioan. Chrys. super Mat.

Omnis correptio similis est cęteris tentationibus. Sicut enim omnis tentatio fideles quidẽ ædificat magis, infideles autẽ amplius destruit. Sic & omnis increpatio religiosum hominem meliorem facit, irrisorem autem & malum conturbat, & ad deteriora ire compellit.

Ioan. Chrys. super Ioannem.

Cùm arguuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scãdali causa est, qui fecit, quod argui debeat, non ille, qui arguit.

Isidorus de summo bono, libro 3. cap. 32.

Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus fuerit inuolutus. Improbũ enim est arguere quicquã in alio, quod adhuc reprehendit in seipso. Qui enim veraciter fraternam vult corripere ac sanare infirmitatem, talem se pręstare fraternę vtilitati studeat, vt eum, quem corripere cupit, humili corde admoneat. Sicut enim viri spirituales alieni peccati emendationem expectant, & quantum in ipsis est insanabiles putant,

Isidorus ibidem cap. 46.

Qui blando verbo castigatus nõ corrigitur, acrius necesse est arguatur. Cum dolore sunt abscindenda, quę leniter sanari non possunt.

Isidorus de Sum. lib. 3. cap. 91.

Qui delinquentẽ superbo vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit. Quicquid enim proteruus, vel indignãs animus ꝓtulerit, obiurgantis furor est, non dilectio corrigẽtis.

Isidorus lib. 3. cap. 96. de Sum. bon.

Qui admonitus secretò de peccato corrigi negligit, publicè arguẽdus est: vt vulnus quod occultè sanari nescit, manifestè debeat emẽdari

Ibidem.

Facilius reprehendimus vitia aliena, quã nostra. Nam sæpe, quę peruersa in alijs iudicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus.

Isidorus lib. 3. in fine.

Plerunq; princeps iustus malorum errores dissimilare nouit: non quòd iniquitati eorum cõsentiat, sed quòd aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire.

Bernardus tractans illud Mat. Duces cæci excolantes culicem: camelum autem glutientes.

Prælati nostri culicem ligãt, & camelum deglutiunt, dum maiora pręmittentes minora discutiunt, optimi rerum æstimatores qui magnã in minimis, & paruam aut nullam in maximis adhibent diligentiam.

Bernardus super Cant. serm. 43.

Non est contemnenda increpatio, quæ ruina peccati, sanitas cordis est, nec non & Dei via ad animam.

Idem

Idem super Cantic.

Magna crimina & tardè credenda sunt cùm audiuntur,& citius punienda, cùm vera agnoscuntur.

Idem de consideratione libro 3.

Impunitas,incuriç soboles,insolentiç mater, radix impudicitiæ,transgreſsionum nutrix est.

Leo Papa,& habetur distin.45.Licet.

Licèt nonnunquam accidant sacerdotibus, quę sunt reprehendenda,plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia,quàm seueritas:plus exhortatio, quàm comminatio: plus charitas, quàm potestas.

Caßiodorus libro 1,epistola 15.

Malum cùm perseuerat,augetur,& remediabile bonum est accelerata correctio.

Caßiodorus libro 5.epistola 10.

Pudoris sustinere iacturam nesciunt, qui se prius iudice corriguntur.

Idem super Psalm.38.

Iniquitas quippe mortalium more putredinis sine fine vagaretur,si eam medicinalis increpatio minimè desecaret.

Origines super Leuiticum capite 33.Tranctans illud, Si uideris fratrem tuum peccare,argue eum inter te & ipsum.

Non vult te Dominus,si fortè videris peccatum fratris tui,continuò euolare ad publicum, proclamare paßim,& diuulgare aliena peccata: quod esset vtiq; non corrigentis,sed potius infamantis.Solus,inquit,inter te & ipsum corripe eum. Vbi enim seruari sibi mysterium viderit, ille qui peccat,seruabit & ipse emendationis pudorem.Si verò diffamari viderit,illicò ad denegandam impudentiam conuertetur,& non solum non emendaueris peccatum,sed & duplicaueris.

Origines super Leuiticum.

Si assumpseris peccatorem,& monendo,docendo,instruendo,abduxeris ad pœnitentiam: ab erroribus correxeris,à vitijs emendaueris,& feceris eum talem,vt ecóuersò propitius fiat illi Deus pro delicto,repropitiasse diceris.Si ergo talis fueris sacerdos,& talis fuerit doctrina tua, & sermo tuus,pars tibi datur eorum,quos correxeris,vt illorum meritum tua merces sit,& illorum salus tua sit gloria coram Deo.

Innocentius Papa,& habetur dist.83.Error.

Error cui non resistitur,approbatur, & veritas cùm minimè defensatur,opprimitur. Negligere quippe cùm poßis perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere. Neq; caret scrupulo societatis occultę,qui manifesto facinori desinit obuiare.

Rabanus sup.illud Matt.18.Si peccauerit in te frater tuus.

Ita peccat,qui videt fratrem peccare & tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Nam qui dixit:Si peccauerit,dimitte,præmisit: Si peccauerit,increpa: ne difficilis sit venia, & remissa indulgentia.

Rabanus super illud Matthæi:Surge & surrexit.

Leuis leuiori,&occulta culpa secreta indiget pœnitentia.

Seneca epistola 40.

Audebo peccanti mala sua ostendere, vitia eius si non excidero inhibebo. Non desinent, sed intermittent: fortaßè autem desinent,si intermittendi consuetudinem fecerint.

Seneca libro de beneficijs.

Iniusti iudicis est bene agentem non remunerare,& negligentem non corripere.

Seneca in Prouerbijs.

Amici vitia si feras,facis tua.

Ibidem.

Cum his conuersare,qui te corrigant.

Ibidem.

Secretò admone amicos,palàm lauda.

Seneca libro de moribus.

Vitia trãsmittit ad posteros,qui præsentibus culpis ignoscit.

Ibidem.

Bonis nocet,qui malis parcit.

Ibidem.

Nemo prudens punit, quia peccatum est,sed ne peccetur. Res enim optima est,non sceleratos extirpare,sed scelera.

Ibidem.

Nobilis equus vmbra virgæ regitur,ignauus nec calcaribus concitari potest.

Ibidem.

Vulgi imperitiam ad res iustas sola constringit neceßitas.

Seneca libro de clementia ad Neronem.

In iudicando siue corrigendo hæc tertia lex secuta est,quàm princeps quoq; sequi debet:vt aut eum, quem punit, emendet: aut pœna eius cæteros meliores reddat,aut sublatis malis securiores cæteri viuant.

Seneca Tragœdia 6.

Qui non vetat peccare cum poßit,iubet.

Aristoteles libro 6.de Animalibus.

Bonum est,quod parentes corrigant filios ociosos,vt res ociosas à se eijciant.Et ideo rectores apum ociosos à se eijciunt.

Aristoteles libro 10.Ethicorum.

Oportet bonos ꝓuocare ad virtutes per præmia, malos autem per pœnam, insanabiles autẽ exterminare.

Aristoteles libro 4.Politicorum.

Non solum oportet pueritiam à principio instruere,sed etiam ipsam oportet corrigere.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Non solum peccantes,sed peccatores plecti oportet,dicebat Periander.

Ibidem.

Radices disciplinæ esse amaras, fructus verò dulces, dicebat Aristoteles.

Ibidem.

Idem dicebat, ex parentibus honorabiliores, esse eos, qui instruunt, quàm qui generant. Quoniam hi quidem dant viuere, illi verò bene viuere.

Ibidem.

Sicut in bonis actibus laudari vis, ita in delictis patienter accipe, si culperis: dicebat Xistus Pythagoricus.

Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cato senior aiebat, malle pro collato beneficio gratiam non recipere, quàm pro illata iniuria supplicium non subire, & his semper omnibus qui deliquerunt, præterquam sibi, veniam dare.

Macrobius Saturnalium libro 7.

Ergo si opportunitas necessariæ reprehensionis emerserit, sic à philosopho proficiscetur, vt & recta & efficax sit. Dolor enim semper reprehensionem vel iustam sequitur.

Cicero in Paradoxis.

Nec enim peccata rerum euētu, sed vitijs hominum metienda sunt. Non quomodo fiant, sed à quibus. In quo peccatur, id potest esse alio maius, aut minus. Ipsum quidem peccatum, quoquò te verteris, vnum est.

Cicero Rhetoricorum nouorum libro 3.

Vlcisci malè meritos oportet.

Cicero Rhetoricorum nouorum libro 4.

Qui adolescentium peccatis ignosci putant oportere, fallũtur propterea, quòd illa ętas non est impedimento bonis studijs.

Ibidem.

At hi sapienter faciunt, qui adolescentes maximè castigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri posśint, eas in ætate maturisśima velint comparare.

Salustius in Iugurtha.

Hortor ne ignoscendo malis, bonos perditũ eamus.

Ibidem.

Bonus tantummodo fit segnior, vbi negligas, malus verò improbior.

Ibidem.

Imperator prohibēdo à delictis, magis quàm vindicando, melius exercitum confirmat.

Valerius maximus libro 2. titulo de disciplina militari.

Aspero enim & absciso castigationis genere militaris disciplina indiget.

Paulus Orosius de Ormcsta libro 8.

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.

Plautus in Curculione.

Qui monet, quasi adiuuat.

Plautus in Trinumo.

Si tu ex amicis certis mihi es certisśimus, si quid me scis fecisse inscitè, aut improbè. si id me non accusas, tute ipse obiurgandus es.

Terentius in Andria.

Pro peccato magno paululum supplicij satis est pati.

Terentius Comœdia 3.

Deteriores nos omnes simus licentia.

Ibidem.

Mala docet te facilitas multa.

Ouidius Metamorphoseôn libro 1. fabula 6.

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile uulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Ouidius Metamorphoseon libro 2. fabula 1.

—Dum resq; sinit tua corrige uota.

Idem Amorum libro 2. elegia ultima.

Quodlibet eueniat, nocet indulgentia nobis,
Quod sequitur fugio, quod fugit ipse sequor.

Idem libro 3. de Ponto, Elegia ultima.

Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

Horatius in arte poëtica.

Quicquid præcipies esto breuis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Ibidem.

Sunt delicta tamen quibus ignouisse uelimus.
Nam neq; chorda sonũ reddit, quem uult manus & mens,
Poscentiq; grauem persæpe remittit acutum.
Nec semper feriet quodcunq; minabitur arcus.

Horatius sermonum libro 1. satyra 3.

Stultus, & improbus hic amor est, dignusq; notari,
Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Ibidem.

—Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili sectēre flagello.

Horatius epistolarum libro 1. epistola 1.

Feruet auaritia miserq; cupidine pectus?
Sunt uerba & uoces, quibus hunc lenire dolorem
Posśis & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello,
Inuidus, iracundus, iners, uinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, ut non mitescere posśit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Menander.

ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
αὐτοὶ δ᾽ ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν. id est:
Omnes sumus in admonendo sapientes,
Nos uerò ipsos aberrantes non cognoscimus.

Idem.

ῥᾷον παραινεῖν, ἢ παθόντα καρτερεῖν. id est,
Facilius admonere quàm patientem tolerare.

CORreptio Græcè ἐπίληψις ιος ἡ, vel ἐλεγχεία ας ἡ, & ἐλέγχω corripio dicitur. Est autem propriè

propriè corripere, ostẽdere turpitudinem peccati, hortando ad emendationem. Sed corrigere est cogere ad hoc per pœnas, licèt quandoq; alterum pro altero ponatur. Ex B. Thom. 4. sent. dist. 19. quæst. 2. art. 1.

Corruptibile Gręcè φθαρτόνοῦ τὸ, & φθείρω, corrumpo dicitur. Est autem corruptibile id, quod prius quidem ens, nunc autem non ens, aut contingens quandoq;, posterius non esse, secũdum Aristotelem libro 1. de cælo & mundo.

Corruptio Græcè φθοράᾶς ἡ, & φθοριμαῖς corruptus dicitur. Et est corruptio, mutatio ex ente, in non ens, secundum Aristotelem libro 2. de Gener. & Corrupt.

Coruscatio Græcè ἀστραπὴ ῆς ἡ, & ἀστράπτω corusco & fulguro. Et est exhalatio sicca extrusa è nubibus, quæ secundum multas partes ignitur subtili ac debili ignitione: & fit posterius tonitruo, sed videtur prius, quia visus anticipat auditum, secundum Aristot. libro 2. Metaphy.

Duæ partes mundi, vt idem Aristoteles ait, in imo iacent terra & aqua: vtraq; ex se reddit aliquid. Terrenus vapor siccus est, & fumo similis: hic ventos, fulmina, tonitrua facit. Aquæ verò halitus humidus est, hic nubes, pluuias, niues creat. Sed siccus ille terrarum vapor, cùm coaceruatus est coitu nubium, vehementer à latere eliditur, & latius nubes proximas ferit, hic plaga cum sono incutitur, qualis in nostris ignib. redditur, cum flamma vitio lignorũ vrentium crepat, & illic spiritus habẽs aliquid humidi secum conglobatus rumpit in flamma. Eodem modo spiritus ille, qui ex collisis nubibus exprimitur, alijs impactis neq; rumpi, neq; exilire silentio potest. Dissimilis verò crepitus fit propter nubium dissimilitudinem, quare aliæ maiorem sonum habent, aliæ minorem. Cæterùm illa vis expressi spiritus ignis est, qui cùm leui impetu accensus, & latè explicitus est, fulguratio siue fulgur, siue fulgetrũ, siue coruscatio dicitur: cùm verò coactus est huiusmodi ignis & impetu actus, fulmen appellatur. Siquidem nubium inter se comprehensarum angustiæ medium spiritum eijciunt, & hoc ipso inflammant, ac tormenti modo emittunt, vt balistas scorpionesq; tela cum sono emittere videmus.

Crapula Græcè κραιπάλη ης ἡ, & κραιπαλέω crapulor dicitur. Et est superfluitas ciborum, vt habetur in c. de crapula. de vi. & ho. cle. & est vocabulum Græcum, licèt aliquid velint, quod dicatur quasi cruda epula.

CReatio Græcè κτίσις ιος ἡ, & κτιστὴς ȣ ὁ creator dicitur, & est creatio, emanatio vniuersalis entis ex nihilo, secundum Thomam 2. Senten. dist. 1. q. 1. articulo 2.

Creatio differt à generatione, quia creatio nihil prȩsupponit: generatio autem præsupponit materiam, & ab omni alia mutatione, quia præsupponit subiectum, B. Thomas ibidem.

Creatio à verbo creo dicitur, quod venit ab hoc nomine caro, quod Græcè κρέας ατς τὸ dicitur. Est autem creare producere, quasi carnem facere. Dicitur autem caro, non tantùm de cæteris animalis, sed etiam de piscibus, pomis, & alijs similibus. Cuius diminutiuum est caruncula & carnicula, quæ Græcè κρεάδιον ȣ τὸ dicitur.

Esdræ 3. cap. 8.

Solus enim es Domine, & vna plasmatio, nos sumus manuum tuarum.

Iob 12.

Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis.

Augustinus super Ioannem.

Intelligat qui potest, iudicet quæ potest. Maius sit iustos creare, quàm impios iustificare. Certè enim etsi æqualis est vtraq; potentia, hæc maioris est misericordiæ.

Ibidem.

Ex perpetuitate creaturarũ intelligitur creator ęternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & disquisitione sapiens, ex gubernatione bonus.

Augustinus libro 2. de ciuitate Dei, cap. 21.

Tria quædam maximè scienda de creatura nobis oportet intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quia fecerit. Si ergo quærimus quis fecerit? Deus est. Si per quid? dixit, Fiat: & facta sunt. Si quare fecerit? quia bonus est. Nec enim autor excellentior est Deo, nec ars efficatior Dei verbo, nec causa melior, quàm vt bonum creatura Deo bono: hanc etiam causam condendi mundum Plato iustissimam dicit, vt à Deo bono opera bona fierent.

Augustinus libro 2. de Trinitate cap. 7.

Non est fas angelos neque bonos, neq; malos putare creatores.

Augustinus l. Supportat, parte 3. cap. 1.

Iustum est, vt creatura laudet Deum creatorem. Ipse enim ad laudandum se creauit, qui nostris non indiget laudibus. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipsa sibi sufficiens: magnus enim Dominus noster & laudabilis valde. Hunc itaq; mens diligat, lingua canat, scribat manus, atq; in his sanctis studijs fidelis animus se exerceat.

Augustinus ad Orosium quæstione 26.

Plus videtur in Deo creatura, quàm in seipsa videatur. Plus in arte, qua facta est, quàm in seipsa, quæ facta sunt.

Augustinus de Trinitate libro 15. cap. 13.

Deus creaturas non nouit, quia sunt: sed ideo creaturæ sunt, quia nouit eas.

Anselmus de misericordia Dei.

Admoneo te, vt sine intermissionibus recorderis, quàm dulcis & quã bonus sit erga te creator tuus, quanta bonitas eius fuit, quòd te, cùm

non esses, creauit: & quod te non pecus aut creaturam insensibilem, sed eam creaturã fecit, quæ eum posses intelligere & amare, & cum eo suam æternitatem æternaq; & felicia possidere.

Bernardus in sermone.

Considera septem in beneficio creationis: Quod creauit te commodo non suo: cui Psa. ait: Bonorum meorum non eges. Sine merito tuo. Quia nihil promeruit, qui penitus nihil fuit. Cogita qualem fecit: secundum corpus, egregiam creaturam: secundum animam magis egregiam, vtpote imaginé creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis sempiternę capacem. Considera & dominationis potestatem. Terror enim hominis super cuncta animantia imminere decernitur. Considera ergo largitatis administrationem. Quanta tibi largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ad correctionem, quanta ad delectationem. Quid ni gratias agas?

Idem de diligendo Deo.

Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto hoc modo. Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. In primo opere nec mihi dedit. In secundo se & tibi se dedit, Me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo: sed quid Domino pro se retribuam. Nam & si me millies repẽdere possem, quid sum ad Dominum meum?

Aristoteles libro 3. Metaphysicæ.

Impossibile est aliquid fieri ex non ente.

Idem libro 1. Physicorum.

Secundum omnes philosophantes, ex nihilo nihil fit.

Idem libro 1. de Generatione & corruptione.

Ex nihilo nihil fit.

CRedulitas à credo, quod Græcè πιστεύω, & ταχύπειθής έος ό ή credulus dicitur: vnde credulitas, quę est facilitas in credendo. Et est duplex, scilicet temeraria & leuis: de hac Ouidius:

Sed quia credulitas damno solet esse puellis.

Quædam verò probabilis & discreta.

Credere est cum assensu iudicare, B. Thom. secunda secundæ q. 2. art. 1.

Credere est actus intellectus assentientis diuinæ veritati, ex imperio voluntatis motæ à Deo per gratiam, B. Thom. secunda secund. q. 2. ar. 9.

Credere est dictis vel factis fidem habere: vnde credulus & credulitas: aliquando est fidei cõmittere, nonnunquam seruãdum committere, aliquando confidere. Interdum mutuare: hinc creditores propriè dicuntur, quibus mutuata debetur pecunia. Martialis:

Dimidium donare Lino, quàm credere totum

Qui mauult, mauult credere dimidium.

Creditores tamen dicit Vlpianus eos esse, quibus debetur ex quacunq; actione, vel prosecutione, vel iure ciuili, sine vlla exceptionis perpetuæ remotione, siue honorario, siue ordinario, siue extraordinario, siue purè, siue in diem, siue sub conditione.

Creditum etiam à credo deducitur, & significat id quod nobis debetur. Differtq; hoc à mutuo, quo genus à specie. Nam creditum consistit extra eas res, quę pondere, numero, mensuráue continentur, sicuti si eandem rem recepturi sumus, creditum est, non autẽ mutuum. Item mutuum non potest esse nisi pecunia, aut alia res proficiscatur. Creditum autem fit interdum, etiam si nihil proficiscatur, veluti si post nuptias dos promittatur.

Phocylides.

μὴ πίστευε τάχιστα πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψῃ. id est,
Noli credere celerrimè, antequam uerè finem uideas.

Hesiodus.

πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς, καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρες. id est,
Credulitates sanè simul & incredulitates perdiderunt uiros.

Menander.

μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί. id est,
Ne omnia conare omnibus credere semper.

Criminatio Græcè διαβολὴ ῆς ἡ, & διάβολος ȣ ὁ accusator dicitur. Et est contentiosa contumelia. Est enim crimen propriè, quod per contentionem alicui obijcitur: & à cerno crimen dicitur, vt à discerno discrimen. Cernere autem est contendere. Plautus: Propria Amphytrio dum cernit cum hostibus: hinc per metaphoram aliquando crimen pro delicto ponitur. Seneca: Vitam agens simplicem, rectam, sine crimine.

CHristus Græca dictio est, nam χριστός ȣ ὁ vnctus, & χρίω vngo, & χρίσις ιος ἡ vnctio dicitur.

Christi aduentus Gręcè χριστοπαρουσία, & προσέρχομαι aduenio dicitur.

Christi aduentus triplex: in carne, per incarnationem, de qua infrà in Christi incarnatio, in mente per gratiam. Ad iudicium, de quo infrà, in iudicium finale. Ex B. Thom. super Isaiæ prolo. col. 2. fin.

Genesis 49.

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittẽdus est. Et ipse erit expectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem filium asinæ tuæ. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuarum pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

Matthæus in Euangelio cap. 29.

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Augustinus super Ioannem, & in gloss. 1. Timoth. cap. 1.

Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Venit ergo de cęlo magnus medicus, quia per totum vbiq; iacebat ægrotus. Genus ergo humanum totum peric-

perierat, ex quo peccauit vnus, in quo totum erat: ideo venit vnus sine peccato, qui saluos faceret omnes sine peccato. Non enim eum de cęlo ad terrã merita nostra, sed peccata traxerũt.

Augustinus super Iohannem.

Pater & filius & spiritus veniunt ad nos, dũ venimus ad eos: veniunt subueniendo, veniunt illuminando, veniunt obediendo, veniunt metuendo, veniunt implendo, venimus capiendo.

Hieronymus super Mat.

Signum aduentus dominici est in toto orbe euangelium prędicari, vt nullus sit excusabilis, quod aut iam cõpletum est, aut breuiter credo complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret.

Ambrosius super Lucam.

Hoc tempus non sine causa Domini aduentus vocatur. Ideo enim sancti patres celebrare cœperunt aduentum, vt se vnusquisq; præparet fidelis & emendet, vt dignè Dei sui natiuitatem valeat celebrare.

Ibidem.

Ille iustus venit ad nos peccatores, vt ex peccatoribus faceret iustos. Pius venit ad impios, vt nos pios: humilis venit ad superbos, vt ex superbis faceret humiles.

Bernardus in sermone de aduentu.

Dignum est fratres, vt tota deuotione Domini celebremus aduentum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec solũ cogitemus aduentum quo venit, & quare: quia venit saluum facere quod perierat: sed & illũ nihilominus quo veniet, & assumet nos ad seipsum, vt circa hos duos aduentus iugi meditatione versemur, ruminantes in cordibus nostris, quantũ in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo.

Beda super Cant. lib. 3. super illud. Veni in hortum meum.

Venio, vt errantes corrigam, & infirmantes adiuuem, & dubitantes in fine affirmem, & gentium fructibus perfectis quasi suauissimis, & certantes ab hostium defendam insidijs, & victores hostium perpetuæ visionis meæ corona remunerem.

Dantes Paradisi canti. 7.

L humana specie inferma giacque.
Giu per seculi multi in grande errore,
Finchal uerbo di dio descendere piacque. id est,
Humana species infirma iacuit
Infra seculis multis in magno errore,
Quousq; uerbo diuino descendere placuit.

CHristi ascensio χριστοῦ ἀνάβασις, & ἀναβαίνω ascendo dicitur. Christi ascensio fuit secũdum vtramq; naturam. Ex B. Tho. 3 parte. quæ. 57. art. pri. & 3. Sent. dist. 22. quæstione 3. articulo 1.

Marcus Euang. in cap. ultimo.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est discipulis, assumptus est in cælum & sedet à dextris Dei.

Aug. in sermone de ascensione.

Ascensio Dei catholicę fidei cõfirmatio fuit, vt securi in posterum crederemus & miraculi illius donum, cuius etiam in præsenti perciperemus effectum.

Ibidem.

Nos Christi mors viuificauit, nos resurrectio erexit, nos Christi ascensio consecrauit.

Ibidem.

Resurrectio Domini spes nostra est: ascẽsio, glorificatio nostra. Si ergo rectè, si fideliter, si deuotè ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus.

August. de fide & symbolo,

Vbi & quomodo sit in cælo corpus dominicum curiosissimũ & superuacuum est quærere. Tantummodo in cælo esse credendum est.

Idem de agone Christiano.

Corpus non ascendit, sed leuatum est in cælum, illo leuante qui ascendit. Si enim quisquã descendat (verbi gratia) nudus in monte: cùm autem ascendat vestiat se, & iterum ascendat vestitus. Ratione vtiq; dicimus: Nemo ascẽdit nisi qui descendit.

Aug. in serm. de Resurrectione.

Quorum sepulchra in passione Domini sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente, de puluere sunt suscitata. Decebat enim, vt ille prius resurgeret, deinde illi: Sicut dicit apostolus Paulus: Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascẽdente, etiam ipsi ascendisse creduntur.

Augustinus & est in glosa Apoca. 12. super illud:
Raptus est filius eius ad thronum eius.

Raptus est Dei filius ab humanitate ad diuinitatem, in transfiguratione: à passibilitate ad immortalitatem, in resurrectione: à minoritate ad patris æqualitatem, in ascensione: quia quantus fuit descensus à sinu patris ad patibulũ crucis, tantus fuit ascensus à patibulo crucis vsque ad dextram patris.

Augustinus tractans illud, Actuum primo, Eleuatus est in cœlum.

Cùm audis eleuatum, agnosce militiæ cælestis obsequium, non auxilium: seruitium, non subsidium: ministerium, non adiutorium.

Hiero. sup. illud, Attollite portas principes uest.

Virtutes ministræ præcedentes Christum in ascensione ad alias virtutes clamant, vt iam Domino veniente aperiant eiq; occurrant. Referate (inquiunt) cęlestes aditus: veniẽti Domino ęternalis ingressus pateat, aperiantur ęthereę ianuę, & ęternarũ ędiũ valuę, & introibit rex gloriæ, in cęlum, vt ad dexteram patris interpellet pro nobis. Ipsæ enim virtuets angelicæ nouo myste-

mysterio carne induti stupefactę quęrunt cum administratione. Quis est iste rex glorię? Quibus respondent aliæ: Dominus virtutum &c. Licèt enim multi scirent ipsum esse hominem, non tamen sciebãt humanam naturam supra se exaltandam.

Grego. homilia 29. super euangelium, tractans cant. 2. Ecce uenit in montibus.

Vultis eius saltus cognoscere? de cœlo venit in vterum, de vtero venit in præsepium, de pręsepio in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro redijt in cœlum.

Idem in homilia.

Saluator noster, qui cùm in ea carne, quam assumpsit, ascẽderit in cælum, peregrè profectus est. Quia locus carnis propriè terra est, quę quasi ad peregrina loca deducitur, cùm in cælo collocatur.

Idem homilia 29.

Illò reuertebatur Christus, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cælum, per Deitatem suam & terram pariter continebat & cælum.

Ibidem.

Oportet fratres charissimi, vt illuc sequamur corde, vbi Christum credimus corpore ascendisse. Et si adhuc hîc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris. Quia is, qui placidus ascẽdit, terribilis redibit.

Ibidem.

In hac solennitate deletum est chirographũ nostræ damnationis: mutata est sententia nostræ corruptionis. Illa enim natura, cui dictum est: terra es & in terram ibis, hodie in cœlum iuit.

Ioan. Chrysost. in hom. hodierna.

Natura cuius causa paradisus à Cherubin custodiebatur, hodie super Cherubin cum summo honore suscepta est. Et natura, cui dictum est: terra es & in terram reuerteris, hodie in cœlum iuit, & sine termino super cœlos regnat.

Ioan. Chrys. tractans illud, Ascendit ad cœlos.

Refręna iram, expue malitiam, expugna luxuriam, & de peccatis virtutibus fecisti gradũ, qui ducit in cælum.

Bernardus in serm. Ascensionis.

Ascendimus duobus modis: meditatione & oratione. Meditatio quidem, quid desit, docet: oratio, ne desit, obtinet.

Bernardus super Cant.

Ascensionis quatuor dicimus esse gradus: prima ad cor, secũda in corde, tertia de corde, quarta supra cor. In prima tenetur Dominus. In secunda auditur consiliarius. In tertia desideratur sponsus. In quarta videtur Deus.

Bernardus tractans illud Psal. Dixit Dominus &c.

Domino meo datum est singulariter sedere à dextris patris in gloria coæquali, in essentia consubstantiali pro generatione consimili, maiestate non dispari, æternitate non posteriori.

Leo Papa in serm. hodierno.

Non solùm hodie cæli possessores firmati sumus, sed superna cælorum in Christo penetrauimus, ampliora recepturi per suam ineffabilẽ gloriam, quam per diaboli perdideramus inuidiam. Quia quos diabolus de primi habitaculi felicitate eiecit, hos Dei filius sibi comparatos ad patris dextram collocauit.

Ibidem.

Non otiosè inter resurrectionem & ascẽsionem xl. dies transiëre discursu: sed magna confirmata sunt sacramenta, magna reuelata mysteria. In eis diræ mortis aufertur metus, verbi simul & carnis immortalitas declaratur. In his insufflatio spiritussancti infunditur. In his beato Petro super cæteros ouilis Dominici cura mandatur.

Beda tractans illud Ioan. 3. Fuit homo ex phari.

Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Quisquis ergo in cælum ascendere desiderat, ei qui de cœlo descendit, & est in cælo, se vera fidei & dilectionis vnitate coniungat: apertè intelligens, quòd nullo alio ordine, nisi per eum, qui de cælo descendit, in cælum ascendere possit.

Hilarius 10. de Trinitate.

Fit caro verbum, id est, homo Deus, & qui homo est, in cælis est: & qui Deus est, de cælis est. Ascendit descendens, sed descendit nõ descendens. Est qui erat, & quod est non erat.

CHristi crux, Gręcè χριστοῦ σαυρός, σαυρόω crucifigo dicitur. Quid antem sit crux & vnde dicatur, vide infrà in crux.

Paulus ad Galat. cap. 6.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

August. super Ioannem serm. 3.

Crux non ad impotentiæ documentum, sed ad exemplũ patiétię suscepta est. Ibi tua vulnera curauit, vbi sua pertulit. Ibi à morte sempiterna te sanauit, vbi temporaliter mori dignatus est.

Augustinus in serm. de parasceue.

Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est: hæc nos à cęcitate liberauit erroris, hęc à tenebris reddidit luci, hæc debellatos reddidit quieti, hæc alienos Deo coniunxit, longè constitutos proximos pręsentauit, hæc peregrinantes ciues ostendit, hęc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentum, hæc donorum omniũ abunda largitio.

Ibidem.

Hodie crux fixa est, & seculum sanctificatũ est. Hodie crux fixa est, & Dæmones dispersi sunt. Hodie crux fixa est, & mors subuersa est. Hodie crux vicit, & mors victa est. Hodie diabolus

bolus vinctus est, homo solutus est, & Deus glorificatus est.

Augu. super illud ad Galat. 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Chri.

Crucem vt in ea gloriemur, Dominus suo gestans humero pro virga regni nobis commendauit: quod est grande ludibrium impijs, grande mysterium pijs: & vnde mūdi philosophus erubuit, ibi apostolus thesaurum reperit: quod illi visum est stultitia, apostolo factū est sapientia & gloria.

Augu. super Ioannem.

Signum crucis à nobis expellet exterminatorem, si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem.

Ambrosius in serm. de Passione Domini.

Author pietatis in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: apostolis persecutionem, iudęis corpus, patri spiritum, virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis verè pœnitentibus crucem commendauit.

Grego. in homil. Si quis uult uenire post me.

Duobus modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per cōpassionem proximi affligitur animus.

Ioan. Chryso. in hom. de cruce.

Crucem reliquit Christus in terra, sed secum eam leuabit ad cælum. Tanta autem erit gloria crucis vt solis lumen reddatur obscurum, & sicut Imperatorem regalis pompa pręcedit, & militaris ordo præeundo vexilla humeris portare consueuit, & his eius declaratur aduentus: sic Domino de cęlo veniente, angelorum cœtus signum illud humeris portatum è cælis regalem nobis aduentum annuntiat.

Bernardus super Can. serm. 65.

Christus in passione patientiam exhibet, humilitatem cōmendat, obedientiam implet, charitatem perficit. His virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur: & est super omnia charitas, à dextris obedientia, à sinistris patientia, in profundo radix virtutum humilitas.

Bernardus de floribus.

Circuire possum Domine cælum & terram, mare & aridam, & nusquam te inueniam nisi in cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cuius latitudo charitas, longitudo lōganimitas altitudo, spes, profundum timor. In hac cruce te inuenit, quicunque te inuenit: in hac cruce suspenditur anima, & dulcia poma de ligno decerpit.

Cassiodorus super illud Psalmi, Signatum est super nos lumen uultus.

Crux est humilium tuitio inuicta, superborū deiectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum.

Damascenus libro 4.

Crux Christi clauis est paradisi: hæc infirmorum baculus, pastorum virga, conuertentium manuductio, perficientium perfectio. Animæ salus & corporis, omnium malorum auersio: bonorum omnium datrix.

Rabanus de laude crucis.

Tu sancta crux peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum argumentum, infirmorum remedium, lassorum refugium, sanorū incolumitas, desperatorum securitas, infortunatorum felicitas.

Orosius super epi. ad Romanos libro 5.

Tanta vis est crucis & mortis Christi, quòd ad sanitatem & remedium non solùm pręsentis & futuri: sed etiam pręteritorum seculorum, & solum non huic modo ordini, sed etiam cęlestibus virtutibus sufficiat.

Orosius sup. epist. ad Roma. libro 6.

Tanta est vis crucis, vt si ante oculos ponatur & in mente fideliū habeatur, ita vt ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciat, nulla cōcupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia: sed continuò ad eius præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.

CHristi incarnatio Grecè χριστοῦ σάρκωσις, σαρκόω incarno dicitur. Christi incarnatio est principium omnium meritorum humanorū: Ex B. Thoma 3. Sententiarum, distinctione 4. q. 3. arti. 1.

Ioannis cap. 1.

Verbum caro factū est, & habitauit in nobis.

Augu. de uerbis apostoli.

Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus, nam & ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet esse hominem & maximè hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est, qui in seipso suscipit hominem?

Ibidem.

Si ergo homo non perijsset, filius hominis non venisset.

August. de incarnatione Domini contra Iudæos.

Iudæe cytharam respice, vt musicum melos sonisq; dulcibus reddat. Tria pariter adesse videntur, ars, manus, chorda, & tamen vnus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, chorda resonat. Tria pariter operantur, sed sola chorda resonat, nec ars nec manus sonum reddunt, sed cū chorda pariter operantur. Sic nec pater, nec spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cū filio pariter operantur: sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit, operatio in tribus constat. Sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio.

Ibidem.

Dicat mihi Iudæus incredulus, quemadmodum arida virga frōduit & floruit,& nuces protulit, & ego dicam illi, quomodo virgo concepit & peperit,sed profectò Iudæus nec virgę poterit explicare conceptum,nec ego virginis partum.

Augustinus contra Faustum.

Formam viri assumēdo,& de fœmina nascendo,vtrunq; sexum hoc modo honorandum indicauit.

Augustinus epistola 2.ad Volutianum.

Si ratio quęritur,nō erit mirabile:si exemplū poscitur,non erit singulare. Demus Deum aliquid posse,quod nos fateamur inuestigare non posse,in talib.rebus tota ratio facti est potentia.

Gregorius libro 2.& 6.Moralium.

Deus pater vnicum filium suum in vtero virginis humanę naturę coniungens,Deum ante secula sibi coæternum fieri voluit, hominem in fine seculorum,& quem sine tempore genuit,saluandis hominibus cum tempore ostendit.

Gregorius libro 3.Moralium.

Mediator Dei & hominum, vt culpas nostræ transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare. Et qui patri æqualis est per diuinitatem, propter nos venit ad flagella per carnem, quæ nimirum flagella non susciperet, nisi formam hominis damnati redimendo sumpsisset,& nisi primus homo delinqueret,secundus ad passionum probra minimè veniret.

Ibidem.

Christus in carne natus de Virgine,contagio culpæ inquinatus non est,& tamen vltione culpæ depressus est:admissa propria non habuit, & tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit.

Ioannes Chrysostomus homilia 5.

Scio quòd caro verbum factum est, & quomodo factū sit,nescio:miraris,quia ego nescio, omnis creatura ignorat.

Bernardus sermone 10.

Tria opera,tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas:in assumptione nostræ carnis,ita mirabiliter singularia,& singulariter mirabilia,vt talia nec facta sunt, nec facienda amplius super terram. Coniuncta quidem sunt ad inuicē Deus & homo,mater & virgo,fides & cor humanum. Verbum enim,anima,& caro in vnam conuenere personam,& hæc tria vnum,& hoc vnum tria sunt,nec in confusione substantiæ,sed in vnitate personæ.Hæc est prima & superexcellens mixtura.Secunda est virgo & mater,vtiq; & admirabilis, & singularis; à seculo non est auditum, quòd virgo esset,quę peperit:&mater esset,quę virgo permansit. Tertia est fides & cor humanum,& hæc quidem inferior,sed non minus fortitan fortis. Mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit, quomodo credi potuit, quòd Deus homo esset, quòd virgo fuerit,quæ peperisset. Sicut ferrum & testa iungi non possunt,sic hæc duo nequeunt cōmisceri, si non misceat glutinum, spiritus scilicet Dei.Et hęc quidem mixtura excellens,secunda excellentior,sed tertia excellentissima.

Bernardus sermone 22.

Quanti fecit te Deus,ex his,quæ pro te factus est agnosce: vt appareat tibi benignitas eius in humanitatem,quantò enim minorem se fecit in humilitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior. Aduerte homo quia limus es,& non sis superbus:& quia Deo iunctus es,non sis ingratus.

Hugo libro de Sacramentis.

Nulla causa veniendi fuit,nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos,tolle vulnera,& nulla causa est medicinæ.

Dantes Floren.paradisi cap.7.

Vostra natura quando pecco tota,
Nel seme suo,da quæste dignitati
Come de paradiso fen remota.
Ne recoprar poteasi si tu badi
Ben sot ilmente,per alcuna uia
Senza passar per unde questi gradi:
O che dio solo per sua cortesia
Dimesso hauesse,o che lhom per se isso
Hatesse satisfacto a sua follia.
Ficca molochio per entro labysso
Del æterno consiglo quanto poi,
Al mio parlar distinctamente fisso.
Non potra lhomo no termini soi
Mai satis far,per non poter ir giuso
Cum humilatade ubediendo poi,
Quanto disubediendo intenseir suso:
Equesta elaragion,perche lhom fue
Da poter satisfar de se dischiuso.
Donq; adio conuenia cum le uie sue
Riparar lhomo a sua intera uita,
Dico cum luna,uer con ambe due.
Ma per che lopra tanto e piu gradita
Del oper ante quanto piu apresenta
De labonta del core ,unde e uscita:
La diuina bonta chel mondo imprenta
Di proceder per tutte le sue uie:
A rileuarui suso,fu contenta.
Ne tra lultima nocte el primo die
Si alto o si manifico processo,
O per luno,per latro suo fie.
Che piu largo fu diu a darse stesso,
In far lhomo sufficiente a releuarsi,
Che se lhauesse sol da se dimessa,
Et tuti glaltri modi erano scarsi
Alla giustitia,se l figlol de diu
Non fuisse humiliato ad incarnasi. id est:
Vestra natura quando peccauit tota

In semine suo, ab his dignitatibus
Sicut è paradiso amota fuit.
Nec recuperari poterat, si aduertis
Probè ac subtiliter, aliqua ratione,
Nisi transisset per aliquem horum graduum:
Vel Deus solus sua bonitate
Remisisset, uel homo per seipsum
Satisfecisset suo crimini.
Immitte iam oculum intra abyssum
Aeterni consilij quantum potes,
Meis uerbis distinctè fissus manens.
Non poterat homo in suis terminis manens
Vnquam satisfacere, eo quod declinare nequibat
Per humilitatem obediendo postea.
Quantum rebellis Deo est conatus ascendere,
Et hæc est ratio, quod homo fuerat
A satisfaciendo à se exclusus.
Idcirco Deo conueniebat at medijs proprijs
Reparare hominem ad suam uitam interiorem
Dico cum uno, uel ambobus simul.
At quoniam actio tanto est grata magis
Agentis, quanto plus in se habet
Bonitatis cordis, unde exijt:
Diuina bonitas quæ mundum implet,
Procedendo per omnes uias suas
Ad reuelandum uos sursum, contenta fuit.
Nec inter ultimam noctem, & primum diem
Tam altus & tam magnificus processus,
Aut per unum, aut alterum fuit, & fiet.
Nam largior Deus fuit ad sese dandum,
Ad faciendum hominem, potentem ad resurgendum.
Quam si solum à se dimisisset.
Et omnes alij modi erant amari
Iustitiæ, si filius Dei
Non sese humiliasset ad incarnandum.

CHristi natiuitas Græcè χριστοῦ γεννήσις ἡ, vel γένεσις ἡ dicitur. Natiuitas est exitus à generante coniunctò, à quo habet principia sufficientia. Et dicitur oriri, ratione primi, nasci ratione secundi, & gigni ratione tertij. Ex B. Thoma prima parte quæstion. 27. art. 2. & 3. Sentent. distinct. 8. quæst. 1.

Lucæ cap. 2.

Dixit pastoribus angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo: quia natus est nobis hodie Saluator, qui est Christus in ciuitate Dauid.

Augustinus in sermone de Epiphania.

Aurũ igitur soluitur, quasi regi magno: Thus immolatur, vt Deo: Myrrha præbetur tanquam pro salute omnium morituro. Habuit enim prędicatores angelos, narrantes cælos, adorantes magos.

Augustinus super Ioannem.

Nobilitas fuit Christi nascentis, in virginitate pariẽtis: nobilitas pariẽtis in diuinitate nascẽtis.

Ambrosius contra hæreticos.

Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & angelorum: supra Potestates, supra Cherubin, & super Seraphin, & supra omnem sensum est: quia scriptum est: Pax Christi supra omnem sensum est: Quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio? Tu ergo ori manum pone, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire, quòd natus sit: non licet scire, quomodo natus sit. Hoc enim quærere metus est, ineffabilis enim est illa generatio, vnde Isaias ait: Generationem eius quis enarrabit? Hæc humanum sensum, & intelligentiam mundi excedit, hoc non capit humanæ intelligentiæ ratio, sed prudentiæ fidelis professio.

Gregor. hom. 10. Cùm natus esset Iesus in Bethlehem.

Nato Regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernę sapientię resplendemus. Thus offerimus, si cogitatione carnis per sancta orationum studia in ara cordis intendimus, vt suaui odore per cæleste desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis desideria per abstinentiam mortificamus.

Gregorius Moralium libro 27.

Cæli Rege nato angelorum chori in eius annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, & deuicta prauæ vitę discordia, nos, quos dudum despexerant, ciues agnoscunt, consono ore prædicantes: Gloria in excelsis Deo, &c. ac si dicant, quos à nobis malitia disiunxerat, iam nunc in terra bonitas coniungat.

Ioannes Chrysostomus super Matth. 2. Intrantes domum inuenerunt puerum.

Nunquid inuenerunt palatium marmoribus splendidum? Nunquid aulam regiam diuersis populis personantem? Nunquid hastatas siue clypeatas militum cateruas? Nunquid equos regalibus phaleris insignes? Nunquid currus auro ostroq; fulgentes? nunquid matrem eius diademate coronatam? aut in lecto eburneo recumbentem? Nunquid puerum bysso & purpura inuolutum? vtiq; non: sed potius angustum & humile tugurium, vile squalidumq́; præsepium, & magis animalibus, quàm hominibus aptum, puerum vilibus pannis inuolutum, matrem vix tunicam habentem vnam, non ad ornatum corporis, sed ad tegmentum.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum 13. Nónne hic est fabri filius.

Non illius est fabri filius, quem putatis, sed fabricatoris omnium, qui fabricatus est auroram & solem. Nónne Dauid filius fuit agricolæ? & tamen radix fuit stirpis regiæ. Cur ergo Christum propter parentum ignobilitatem contemnunt?

Bernardus super Cantica.

Fratres generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat, subuenit

spiritus, virgo credit, virgo parturit, virgo permanet. Quis non miretur, nascitur verbum infans, & agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens.

Caßiadorus sup. illud Psal. Ego hodie genui te.

Coæternitatem suæ maiestatis ostendit. Hodie enim apud Deum nullo initio incœpit, nullo fine concluditur: non enim ibi fuit vel erit, sed semper manet, semper est, & quicquid dixeris illi, hodie est.

Caßiodo. sup. illud Psal. Hæc est dies quam fecit Dominus.

Licèt Deus cunctos dies creauerit, singulariter tamen hunc fecisse dicitur, qui Christi Domini natiuitate sacratus est, in quo meritò exultari conuenit & lętari: quoniã in eo & diabolus ius perdidit, & salutem mundus accepit.

Leo Papa in serm. de Apparitione.

Adorant magi in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis: vt sacramentum fidei suæ intelligentiæq; manifestẽt, quod cordibus credunt, munerib. protestantur, thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi.

Claudius Claudianus de miraculis Christi.

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera reges.
Myrrham homo, Rex aurum, suscipe Thura Deus.

Fulgentius ad Probam.

Hęc stella nunquam ante apparuit, quia nunquã eam puer iste creauit, & Magis ad se venientibus pręuiam deputauit.

Beda super Lucam libro 1.

Non mediocre hoc tibi fidei videatur exemplum, non vilis persona pastorum: certè quo vilior ad prudentiam eò pretiosior ad fidẽ: Non sapientes, sed simplices qui fucare audita nescirent, Dominus sui precones elegit, non rhetores, sed piscatores ad euangelizandum.

Maximus Episcopus in serm. de Natali.

Generationem eius quis enarrabit? Fratres generatio Christi sic enarrari non potest, si lingua deficit, fides proficit: magnus enim profectus est fidei, cùm tantũ de Deo suo potest concipere, quantum sermo non potest parturire.

CHristi Paßio Græcè χριστοῦ πάθημα, & πάσχω patior dicitur. In Christi paßione quatuor cogitanda sunt: scilicet dilectio eius, reamãdo: amaritudo eius, compatiendo: fortitudo eius, aduersa patienter sustinẽdo: & vtilitas eius, gratias agendo. Ex B. Tho. in opusculo de venerabili sacramento altaris.

Genesis 49. de iniqua consolatione.

Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.

Psalmo 2. de uario consensu populorum.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius.

Psalmo 21. de perforatione manuum.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Psalmo 34. de falsa accusatione.

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

Psalmo 40. de discipuli proditione.

Etenim homo pacis meę, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Psal. 68. de amara potatione.

Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Isaiæ 50. de corporis flagellatione.

Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.

Isaiæ 53. de morte uoluntaria.

Non est species ei neq; decor. Et vidimus eũ, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouißimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputauimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatũ. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues, errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur: & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.

Isaiæ 53. Quòd propter peccata nostra.

Propter scelus populi mei percußi eum.

Ibidem.

Et cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.

Ieremiæ 11.

Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cognouerunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentiũ & nomen eius non memoretur amplius.

Danielis 9.

Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur

tur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.

Zachariæ 11.

Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.

Zachariæ 13.

Percute pastorem & dispergentur oues.

2.ad Corinth.8.

Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.

Ad Hebræos 9.

Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit cōscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.

Augu.libro Prognosticorum.

Quid est, quod Christus in morte turbatus est, nisi quia infirmos suæ infirmitatis voluntaria similitudine consolatus est, aut si qui suorū adhuc imminente morte turbantur, ne hoc ipsi se putantes reprobos peiore desperationis morte absorbeantur.

Aug.super Ioannem.

Vbi Iesus non respōdebat, ibi & ouis silebat: hoc est, sicut agnus innocens nō aperuit os suū: vbi verò respondebat, ibi sicut pastor docebat.

Ibidem.

Fratres vt in peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur. Quomodo, qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentū: sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum.

August.libro de Virginitate.

Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, precium redimētis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculādum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hæc in statera vestri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.

Aug.in serm.de Natali domini.

Homo factus est hominis factor, vt sugeret vbera regens sidera: vt esuriret panis, vt sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus veritas occultaretur. Iudex viuorū & mortuorum, à iudice mortali iudicaretur, ab iniustis iustitia damnaretur, flagellis disciplina cęderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum suspenderetur, virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur.

Augu.in serm.de Quadragesima.

Congruit nostræ deuotioni, vt qui Domini crucifixi pasionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluntatum crucem nobisipsis etiam faciamus.

Aug.super Psal.70.

Christo crucifixo velum templi scissum est, quia per ipsius pasionem omnium mysteriorū secreta patuerunt.

Augu.libro contra 5.hæreses.

Fusus est sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici.

Aug.de uerbis Domini.

Quem vis contemnere, pretium eius attende, & cum morte Christi totum mundum appende.

Augu.de uerbis Apostoli.

Non vlla res officiorū laborem ad portanda onera aliorū facit libenter appendi; nisi cùm cogitamus, quanta pro nobis pertulit Dominus.

Augu.libro de octo uirtutibus charitatis.

Filius Dei ad crucem ducitur, expalmatur, qui est vera palma victoriæ: spinis coronatur, qui peccatorum spinas venit constringere: ligatur, qui soluit compeditos: ligno suspenditur, qui erigit elisos: aceto potatur fons vitę, disciplina cęditur, salus vulneratur, vita moritur, occidit ad tempus vitam mors, vt in perpetuū à vita occideretur mors.

Hieronymus super illud Mat.27.Descendat de cruce, & credimus ei.

Fraudulenta promisio: maius fecit surgens de sepulchro, & non creditis, nec si de cruce descenderet, crederetis.

Hieronymus super Mat.

Omnis creatura compatitur Christo morienti, sol obscuratur, terra mouetur, petræ scinduntur, velum templi diuiditur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur.

Ibidem.

Traditus est Iesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusq; Dei capax flagella sumpserunt.

Ambrosius super Beati immaculati.

Noli tantum amittere beneficium ô homo. Proptereа Christus damnationi mortis se subdidit, vt te à iugo damnationis erueret: ille suscepit mortis seruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem.

Ambrosius super illud Mat.26.Cum gladijs & fustibus.

Stultum est cum gladijs quærere eum, qui vltrò se offert, & in nocte proditorem inuestigare, quasi latentem, qui quotidie in templo docet. Sed factum congruit tempori & personis, quia cùm essent tenebræ, in tenebroso tempore tenebrosum opus exercebant.

Ambro. sup. illud Mat. 28. Si rex Israel est descendat, &c.

O stulte & cæce grex sacerdotum, nunquid impossibile erat ei de paruo stipite ligni descẽdere, qui descendit à cælorum altitudine? Nunquid tua vincula possent illum tenere, quem cęli non possunt capere? Non venit, vt se liberaret qui sub seruitute non erat: sed vt nos de seruitute redimeret.

Ambrosius super Lucam libro 5,

Clamauit Iesus voce magna: Deus Deus meus &c. Clamauit homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cùm diuinitas mortis libera sit, vtiq; mors esse non poterat, nisi vita discederet, quæ diuinitas est.

Ambrosius super Lucam.

Doles Domine, non tua vulnera, sed mea, nõ tuam mortem, sed nostram infirmitatem.

Gregorius lib. 20. Morali.

Cùm enim posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit tamẽ hominibus moriendo subuenire, quia nos videlicet minus amasset, nec vim suæ dilectionis nobis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret.

Ioannes Chrys. super Mat. cap. 3.

Verè deserta erat Iudæa, vacua iustitia, plena peccatis, quam Deus plãtauerat, omnes prophetæ coluerant: illa autem nullum fructum produxerat, nisi spinas acerrimas, quibus Dominũ suum coronauerat.

Ioannes Chrys. super Mat. cap. 27.

Quæ nobis erit contumelia? postquam Christus hæc passus est, neq; enim vna particula, sed totum corpus iniurias patiebatur. Caput per coronã, manus per arundinẽ, os per acetum, facies inspuebatur, genæ velabantur, & tandem totũ corpus in cruce extenditur & perforatur.

Bernardus super Cant. sermo. 15.

Quàm dulciter Domine Iesu cum hominib. conuersatus es? quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es? quàm fortiter tam indigna, tam aspera & dura pro hominibus passus es? dura verba, duriora verbera, durissima supplicia.

Ibidem.

O duri & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis, tam pretiosas merces expendit.

Bernardus super Cant. serm. 20.

Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quòd carnem induit: sapienter, quòd culpam vitauit: fortiter, quòd mortem sustinuit. Sed super omnia reddit te mihi amabilẽ bone Iesu, calix quem bibisti opus nostræ redẽptionis: hoc enim omninò amorem nostrum sibi vendicat. Hoc (inquã) nostram deuotionem blandius allicit, iustius exigit, arctius stringit, & vehementius afficit.

Bernardus super Cant.

Passio tua Domine Iesu vltimum est refugiũ, singulare remedium, indeficiens sapiẽtia, iustitia non sufficiente, succumbẽtibus meritis illa succurrit. Cùm enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido: scio quid faciam, calicẽ salutaris accipiam, scio quòd merita mea non sufficiunt. Ego verò fideliter, quando ex me mihi deest, vsurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ foderũt manus meas & pedes, latusq́ue lancea forauerũt. Et per has rimas, licet mihi sugere mel de petra, oleũ de saxo, & gustare & videre quàm suauis est Dominus.

Bernardus super Cant. serm. 23.

Pater ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. Christus flagellis cęsus, spinis coronatus, clauis confossus, patibulo affixus, opprobrijs saturatus, omnium tamen dolorum immemor ait: Ignosce illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleũ exultationis, hinc guttę sanguinis decurrentis in terram.

Bernardus sup. Can. serm. 62.

Quid tam efficax ad curanda cõscientiæ vulnera, nec non ad purgandã mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio.

Bernardus sup. Can. serm. 63.

In passione Domini tria specialiter cõuenit intueri: opus, modũ, causam: nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur: patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inęstimabilis.

Bernardus serm. 76.

Et nobis assumpsit, quæ pro nobis sustinuit nasci, lactari, mori, sepeliri: mea est mortalitas, nati: mea infirmitas paruuli: mea expiratio, crucifixi: mea dormitio sepulti.

Leo Papa in serm. 7. mensis.

Effusio pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegiũ, tam diues ad pretium, vt vniuersitas captiuorum, in redemptorem suũ crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.

Cassiodorus super Psal. 50.

Vbi princeps tanta afflictione plãgebat, quis illo flente non fleret, quis illo dolẽte nõ gemeret? Quando pro gemmato diademate rex cinerem gestabat in capite, canus puluere nõ ætate.

Damascenus libro 3. cap. 26.

Si sole superlucente in ligno securis incideret lignum sol impassibilis permaneret: multo magis diuinitas secundũ hypostasim carni vnita, carne patiẽte manet impassibilis. Et quemadmodũ, si quis ignito ferro superfundit aquam, ignis quod quidẽ aptũ natum est pati ab aqua, extinguitur, innocuum autem permanet ferrũ: sic carne passa, impassibilis diuinitas mansit.

Raba-

Rabanus de laude Crucis.

Pasio Christi cælum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit: in ea confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici: stabiliuntur subsistentia, animantur viuentia, consentiunt sentientia, illustrantur intelligentia.

Dantes Paradisi cap. 7.

La pœna donque che la crocie porce,
Se a la natura assumpta si mesura,
Nulla giamai si giusta mente morse.
Et cusi nulla fu de tanta ingiuria
Guardando a la persona che souffersé,
In se era contracta tal natura. id est:
Pœna igitur, quam crux attulit,
Si naturæ assumptæ mensuratur,
Nulla unquam tam iustè momordit.
Et sic nulla fuit tantæ iniuriæ,
Si respicis personam, quæ se obtulit,
In qua coniuncta erat talis natura.

CHristus Græca dictio est, nam χριστὸς οὖ ὁ vnctus dicitur adiectiuè. Quod nomé filio Mariæ Iesu optimè conuenit, tum quia in humanitate est vnctus oleo gratiæ, præ alijs: tum quia hoc nomen exprimit vnitatem personæ in duabus naturis, exprimit enim dignitatem regiam & sacerdotalem: Ipse enim est Rex & Sacerdos summus in æternum, secundum ordinem Melchisedech: vt ait Propheta.

Ioannis 3.

Exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam ęternam. Non enim misit Dominus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

Ioannis 8.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Ad Romanos cap. 10.

Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.

Augustinus libro de uera religione.

Tota vita Christi in terris per hominé quem gessit, disciplina morum fuit.

Augustinus libro de Cathechizandis rudibus.

Omnia bona terrena contempsit homo Christus, vt ea contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quę sustinenda pręcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. In ciuitate vili est natus, cuius patria erat cælestis. Pauper est Christus factus, cuius sunt omnia, ne de terrenis vitijs quisquam extolleretur. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis viam ostendebat miseris. Esuriuit, qui omnes pascit: sitiuit, qui est fons sitientium: fatigatus est ex itinere, qui viam facit nobis in cælum: obmutuit & obsurduit, per quem mutus locutus est, & surdus audiuit: vinctus est, qui infirmitatū vincula soluit: mortuus est, qui mortuos suscitauit. Amore itaq; eius similia patiamur, vt clamat Paulus ad Philippenses secundo: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c.

Augustin. super Matthæum cap. 55. & contra Felicianum.

Iacebat Christus quātum ad carnem mortuus in sepulchro, mortuos suscitans in inferno, vitam tribuens vniuersis in cęlo: non mundum dimittens ad cælum ascendit: nec cælum deserens venit ad nos. Sed vno atq; eodem tempore totum totus impleuit.

Augustinus super Matthæum cap. 55.

Ego sum via, veritas, & vita: tanquam diceret, quam vis ire? Ego sum via, quò vis ire? Ego sum veritas, vbi vis permanere? Ego sum vita, &c.

Ibidem.

Ideo permittitur inimicus iuxta viam ponere laqueos, ne securatæ exultationis via deseratur, & in insidias incidatur. Via Christus humilis: Christus veritas & vita: Christus excelsus & Deus. Si ambulas in humili, peruenies ad excelsum.

Augustinus super Ioannem.

Ambulare vis? ego sum via. Falli non vis? ego sum veritas. Mori non vis? ego sum vita.

Ibidem.

Attulit Christus veritatem, vt rector: mansuetudinem, vt liberator: iustitiam, vt cognitor.

Augustinus contra Felicianum.

Erat Christus vno & eodem tempore totus in inferno, totus in cælo: illic patiens iniuriam carnis, hic non relinqués gloriam Deitatis. Erat apud inferos resurrectio mortuorum, & apud cælos vita viuentium.

Hieronymus super Matthæum lib. 1.

Hoc intelligendum est, quod tantæ paupertatis fuerit Christus, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inueniret mansionem.

Ibidem ad Paulinam.

Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit filium Dei, seu faciem Dei. Christus redemptio, id est, redemptor & pretium. Christus omnia, vt qui omnia propter Christum dimiserit, vnum inueniat pro omnibus, & possit liberè clamare: Pars mea Dominus.

Hieronymus epistola 1. ad Laurentium Papam.

Solus est enim Christus, qui peccati maculam nescit.

Ambrosius super Lucam libro 4.

Christus omnibus omnia factus est. Pauper pauperibus. Diues diuitibus. Flens flētibus. Esurientibus esuriens. Sitiens sitientibus. Profluus abundantibus. In carcere cum paupere est. Cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit. In deserto esurit, vt cibus primi hominis, quem præuaricatione gustauerat, ieiunio Domini solueretur.

Ambrosius super Lucam libro 5.

Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi auferas.

Gregorius libr. 30. Moralium.

Studebant omnes superbi ab Adam stirpe geniti prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos incarnatus Dominus aduersa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Tria sunt quæ relinquere debet, qui venit ad Christum: actus carnales, qui significantur per retia piscationis: substantiam mundialem, quæ significatur per nauim: parentes, qui significantur per patrem. Reliquerunt igitur Iacobus & Ioannes nauim, vt fierent ecclesiasticæ nauis gubernatores: Retia, vt non pisces afferrent, sed ciuitatem supernam: Vnum patrem, vt spirituales omnium fierent.

Bernardus super Cantica.

Gemina dulcedo suauitatis exuperat in pectore Domini Iesu: lóganimitas in expectando & facilitas in donando. Nomen Iesu quàm charum, quàm vile, vile sed salubre: si vile non esset, mihi non effunderetur: si salubre non esset, me nõ lucraretur. Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.

Ibidem.

Nomen Iesu lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & vngit inuocatum, qui ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atq; honestos, castas fouet affectiones.

Ibidem

Nihil ita sicut hoc nomen Iesus iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, liuoris vulnus sanat, luxuriæ fluxum restringit, libidinis flammam extinguit, sitim auaritiæ temperat, ac totius indecoris pruriginem fugat.

Ibidem.

Dignus planè morte, qui tibi Christe recusat viuere. & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter teipsum Deus fecisti omnia. Et qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia.

Ibidem.

Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi pro his sapiẽtia Christus: ne reducaris spiritu mendaci, & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus.

Ibidem.

Habemus Christum Iesum ex patre nascentem, in patre cubantem, cum patre sedentem, sub patre pendentem, à patre ambulantem, pro patre stantem, sine patre morientem.

Damascenus tractans illud Matthæi 16. Tu es Christus filius Dei uiui.

Nomen enim Christi exprimit vnitatem personæ in duabus naturis, exprimit etiam dignitatem regiam & sacerdotalem, & gratiæ plenitudinem propter vnctionis prærogatiuam.

Dantes paradisi Cantic. cap. 20.

Hora cognosci quanto charo costa.
Non sequir Christo cum sesperienza
Di quæsta dolce uita, & de loppos[t]a. id est:
Nunc noscas, quàm carè emptum sit
Non sequi Christum experientia
Huius dulcis uitæ, & ei oppositæ.

Christianus à Christus dicitur χριστός, de quo suprà. Et is dicitur, qui Christi est, id est, qui fidem Christi habet, qui spiritu Christi virtuosi operatur, & ad imitationem Christi peccatis moritur, Ex B. Thoma secunda secundæ, q. 124. art. 5.

Augustinus libro de uita Christiana.

Ille verè Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omninò mouetur iniuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cuius mensam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & Angelis glorietur, qui terrena contemnit, vt posit habere cælestia, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis: quod bene faciebat Paulus: Quis infirmatur, & ego non infirmor?

Augustinus de doctrina Christiana.

Christiani nomẽ ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest, vocari quod non es, & nomẽ vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ christianitatis sunt gere, & meritò tibi Christiani nomen assume.

Augustinus super Psalmum 32.

Ipse est Christianus, qui & in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus.

Ambrosius in sermone habito in dominica de Abraham, & habetur 23. q. 5. Cauete.

Mendacium nanq; est Christianum se dicere, & opera Christi non facere.

Gregorius libro 28. Moralium.

Non quęritur in christianis initium, sed finis.

Cyprianus de duodecim abusionibus.

Christianus nemo dicitur rectè, nisi qui christo moribus, prout valet, coæquatur.

Dantes paradisi cantic. cap. 19.

A quæsto regno.
Non sali mai che non credete in Christo.
Ne prima, ne poi, che si Cheauasse al legno,
Ne uedi, molti cridan Christo Christo
Che Saran in iudicio assai men prope Assai.

Allul. che tal, che non cognobbe Christo.
Et tai Christiani damnara lethiope,
Quando si partirano in dui cocegi,
Luno in æterno richo, & laltro inope. id est:
Ad hoc regnum
Nunquam ascendit, qui non credidit in Christum,
Nec antè, nec postquam affixus ligno fuit,
At respice, multi clamant Christe Christe,
Qui erunt in iudicio minus prope
Illum, quàm quispiam, qui Christum nunquam nouit.
Et tales Christianos damnabit Aethiops,
Quando separabuntur in duo collegia,
Vnum perpetuò diues, & inops alterum.

CRudelitas Græcè ὠμότης ητος ἡ, & ὠμός οῦ ὁ crudelis dicitur. Et est atrocitas animi in pœnis exigendis, secundum Senecam libro de Clementia.

Crudelitas est vitium, humanum excedẽs modum puniendi culpas, B. Tho. sec. se. q. 175. art. 1.

Prouerbiorum cap. 25.

Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius.

Ecclesiastici cap. 34.

Qui offert sacrificium ex substantia pauperũ, quasi qui victimat filium in cõspectu patris sui.

Augustinus ad Macedonium, & habetur 14. quæst. 4 capitulo. Quid dicam. §. An crudelior.

An crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore.

Augu. contra Manichæos. & habe. 23. q. 1. Quid culpatur.

Quid culpatur in bello? an quia moriuntur quandoq; morituri? vt dominentur in pace victuri: hoc reprehendisse timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscẽdi crudelitas. Implacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellãdi, libido dominãdi, & si qua similia.

Hieron. super Isaiam, & habetur 23. q. 5. Non est.

Non est crudelis, qui crudeles iugulat, sed crudelis ideo vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur: nam latro suspensus patibulo crudelem iudicem putat.

Idem super 12. prophe.

Sicut misericordia sursum eleuat ad Deum, ita deorsum crudelitas in infernum deijcit.

Idem ad Ripparium, & habetur 23. quæ. 8. Legi.

Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas.

Ambrosius de Officijs libro 3. cap. 3.

Considera homo vnde nomen tuum assumpseris, ab humo vtiq;, quæ nihil quicquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diuersus in vsus omnium animantium vsus ministrat. Inde appellatur humanitas, specialis & domestica virtus hominum, quæ consortem adiuuat: subuenire non habenti humanitas est.

Idem de Officijs libro 3. cap. 5.

Si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuare, quàm grauare alterum.

Caßiod. super Psalmum, Persecutus est hominem inopem.

Persequi facit homines aut diuitiarum ambitus, aut superbiæ odiosa iactantia. Pauperem & mendicum insequi sola sæuitia est, vel crudelitas, cuius nec honor quæritur, nec abundantia facultatis ambitur.

Ibidem.

Quid prodest crudelibus persequi, quos videtur persecutionibus semper augeri?

Seneca libro de Moribus.

Euitabis crudelitatem, & ministram crudelitatis iram.

Seneca libro de Clementia ad Neronem.

Non tam omnibus ignoscere est crudelitas, quàm nullum modum tenere.

Ibidem.

Crudelitas nihil aliud est, quàm atrocitas animi in pœnis exigendis. Crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent.

Ibidem.

Plærunq; homines in suis domibus sæuißimi tyranni, in alienis humilimi serui sunt.

Plato libro de Legibus.

Crudelitas in Barathrum tartari abijcit, vnde nunquam egrediuntur.

Aristoteles ad Alexandrum.

Parcè effundere humanum sanguinem: quia hoc illius est, qui nouit secreta cordium.

Cicero in Catone maiori, aliàs de Senectute.

Importunitas autem & inhumanitas omni ætati molesta est.

Idem Officiorum libro 3. cap. 15.

Nec est vnquam vtile quod est crudele.

Virgilius libro 8. Aeneidos de Mezentio.

Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis.
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora,
Tormenti genus, & sanie tabéq; fluentes,
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Ouidius Tristium libro 3. Elegia 4.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem cùm iacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.
Maius apud Troiam forti quid habetur Achille?
Dardanij lachrymas, non tulit ille senis.

Tibullus libro 1. Elegia 10.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus & uerè ferreus ille fuit.

Crudus Græcè ὠμός ȣ ὁ dicitur. Crudum est propriè recẽs atq; acerbum, vt crudum vulnus, hoc est, recens & quasi adhuc cruentum. Hinc recrudescere, quod est, ad pristinam acerbitatem redire, & renouari. Crudum item non coctum, à similitudine crudæ carnis, quę adhuc cruenta est, & cruda poma, immatura: sic crudus homo, qui

qui truci est aspectu: quia facies crudum haben tis animum cruda & aspera sit & fœda facies, vt crudum & indigestum cibum habentis in stomacho, hinc crudelis & crudelitas.

Cruor Grecè λύθρον οῦ τὸ, & λυθρόω cruento dicitur. Differt autem à sanguine, quod sanguis dicitur in corpore, cruor extra. Inde cruentus & incruentus, vt victoria incruenta, id est sine hominum cæde parta: & cruentatio, id est, sanguinaria fœdatio.

Crux Grecè σαυρός ου ὁ, & σαύρωσις ιος ἡ crucifixio dicitur. Est autem crux patibulũ, in quo figuntur damnati: dictum à Greco κρούειν quod est, ferire pulsare: hinc crucio & cruciatus descendunt.

Culpa Grecè, ἔγκλημα ατος τὸ, & ἐγκαλέω culpo dicitur. Et est voluntaria inordinatio vel priuatio boni.. ex B, Tho. 22. quęst. 34. art. 2.

CVpiditas Græcè ἐπιθυμία ας ἡ, ἐπιθυμέω cõcupisco dicitur. Et est improba voluntas secundum Augustinum libro tertio de libero arbitrio.

Cupiditas est inordinatus amor pecuniæ. vel effrænatus habẽdi appetitus, quæ & cupido fœminino genere dici potest: nam cupido in masculino gen. Deũ amoris significat. Sũt qui cupiditatem à cupidine ita distinguãt, vt cupiditas leuior sit ac temperatior: cupido autẽ grauior.

Lucilius: cupiditas ex homine cupido nunquam tollitur. Hæc omnia ex cupio dicuntur, quod est opto & desidero.

Paulus ad Timoth. 1. capite 6.

Radix omnium malorum est cupiditas: quã quidam appetentes, errauerunt à fide & inserue runt se doloribus multis.

Augu. de doctrina Christiana.

Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, flagitium vocatur: quod autem agit vt alteri noceat, facinus dicitur: & hæc duo sunt genera omnium peccatorum.

August. ad quendam Comitem.

Superbia & cupiditas intantum vnum malũ sunt, vt nec superbia sine cnpiditate, nec sine superbia cupiditas possit inueniri.

Augu. libro Confessionum.

Non est in carendo difficultas, nisi cùm fuerit in habendo cupiditas.

Augu. de Conflictu uitiorum & uirtutum.

Cupiditas dicit: valde sine culpa es, qui quidem habenda cõcupiscis, quia multiplicare nõ appetis, sed egere pertimescis: & quod malus alius retineret, ipse melius expendis.

Augustinus & habetur 23. cap. q. 7. Quod autem. §. Vsq; adeo.

Vsq; adeo autem calumniandi cupiditate cęcantur, vt non attendant quàm sint inter se contraria quæ loquuntur.

Ambrosius libro de Virginitate.

Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis voluitur, laniatur, affligitur.

Idem lib. Officiorum 1.

Cùm augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus cupimus præstare diuitijs, iustitiæ formam exuimus, beneficentiam omnem amittimus.

Ioan. Chryso. super Matth. homil. 9.

Qui semel Christi seruus effectus est, non erit Mammonæ famulus. Cuius certè regionis sit Dominus: illa enim vt fugientem sequi, ita fugere cõsueuit sequentem: nullum hic honorat, vt cõtemptorem sui, nec ita irridet aliquem, vt eos qui nimium concupiscunt eam.

Ibidem.

Appositio diuitiarum maiorem accendit flammam & vehementior fit cupido.

Bernardus in sermone 6.

Nihil in hac vita laboriosius, quàm desiderijs terrenis æstuare: & nihil hîc quietius, quàm huius seculi nihil appetere.

Leo Papa in sermo.

Virum catholicum & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari: mens enim pecuniæ auida, nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.

Orig. homil. 19. super illud Leui. Quid faciam destruam.

An non tibi videtur in terra deuorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus. Qui de tera loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra. Qui ad cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei nõ metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & ad æterna nõ suspirat: talem cùm videris, dicito: quia deuorauit eum terra.

Basi. in hom. su. illud, Omniũ malorũ radix est cupiditas.

Quis non talem misereatur? quis non infelicitatem eius doleat? augustatur ex abundantia, constringitur & tristatur ex opulentia, infelix in pręsentibusbonis infelicior in futuris. Et ideo ager ei non redditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores.

Innocentius de utilitate conditionis humanæ.

Radix malorum est cupiditas: hæc sacrilegia cõmittit & furta, rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, simonias vendit, emit, iniquè petit & recipit, iniustè negociatur & fœneratur, instat dolis & imminet fraudibus, dissoluit pactum & violat iuramentum: corrumpit testimonium & peruertit iudicium.

Ibidem.

Tria maximè solent homines affectare, opes, voluptates, honores. De opibus praua, de voluptatibus

ptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Nam opes generant cupiditatem & auaritiam, voluptates pariunt gulam & luxuriam, honores nutriunt superbiam & iactantiam.

Ibidem.

O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis, quis vnquam pro voto fuit contentus: cùm adipiscitur, quod optauerat, desiderat ampliora: semper in habendis, & nunquam in habitis finem constituit. Sanguisugę duę sunt filię dicentes: affer affer. Nam crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Seneca ad Lucilium epist. 13.

Vidisti aliquando canem missa à domino frusta panis aperto ore captantem? Quicquid accipit protinus integrũ deuorat, & semper ad spẽ futuri inhiat. Idem euenit nobis: Quicquid expectantibus fortuna proijcit, sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti & attenti, in Epicuri illud chaos incidimus, quod inane sine termino est.

Idem epist. 19.

Qualem dicimus esse seriem causarũ, ex quibus nectitur fatum, talem dicimus esse cupiditatem: altera ex fine alterius nascitur. In eam dimissus es vitã, quę nunquam tibi miseriarũ terminum ac seruitutis ipsa factura sit. Plurima & vndiq; ingesta non satiant. Vtrum autem mauis ex inopia saturitatem, an in copia famem?

Ibidem epist. 31.

Turpe est nunc deos fatigare: & quid votis opus est? parem autem Deo pecunia non faciet te: Deus nihil habet.

Ibidem epist. 74.

Nullum malũ cupiditas maius habet, quàm quòd ingrata est. Nemo eorum, qui in Repub. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, & illud non tantum iucundũ est multos post se videre, quàm graue aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio, nõ respicit: nec ambitio tantũ instabilis est, verum cupiditas omnis, quia incipit semper à fine.

Ibidem.

Cupiditas felicitatẽ suam non intelligit, quia non vnde venerit respicit, sed quò tendat.

Idem in Prouerbijs.

Alienum nobis, nostrum plus alijs placet. Effugere cupiditatem, regnum est vincere.

Ibidem.

Cupiditati tarda est celeritas. Valerius auidissimum quenq; egentissimum esse dicebat.

Cicero libro Paradoxorum.

Laudetur verò hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. Quo modo autem hic, cui tandem libero imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrenet primùm cupiditates, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, & cæteras animi labes repellat: tum alijs incipiat imperare, cùm ipse improbissimis dominis dedecori aut turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modò imperator, sed liber habendus omninò non erit.

Ibidem

Quid nam illa cupiditas, quæ videtur esse liberalior, honoris, imperij, prouinciarũ: quàm dura est domina, quã imperiosa, quã vehemẽs.

Ibidem.

Quid cùm dominatio cupiditatis excessit, & alius est dominus exortus in conscientia peccatorum timor, quàm est illa misera, quàm dura seruitus.

Cicero ibidem.

Quem intelligimus diuitem, aut verbũ hoc in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta possessio est, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus sit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus se iudicet diuitem, nõ hominum sermo neq; possessiones tuæ. Qui nihil deesse sibi putat, nihil curat amplius, satiatus est, aut etiam contentus sine pecunia: concedo, diues est. Sin autem propter auiditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas, cùm isti ordini ne honestus quidem possit esse vllus, si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas, si testamenta expectas amicorũ, aut ne expectas quidem, at ipse supponis: hæc vtrũ abundantis an egentis signa sunt? Animus hominis diues, non arca appellari solet, quamuis illa plena sit, dum te inanem videbo, diuitẽ non putabo.

Ibidem.

Qui igitur non plures filias sed innumerabiles cupiditates habuerit, qui breui tempore magnas copias exhaurire possit, hũc quomodo ego appellabo diuitẽ, cùm ipse egere se sentiat.

Ibidem.

Diuitiarum fructus in copia est. Copiam autem declarat satietas rerum, atque abundantia, quam tu, quoniam nunquam assequere, nunquam omninò futurus es diues.

Cicero libro Officior.

Expetuntur autem diuitiæ tum ad vsus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates.

Ibidem.

Nec verò rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda, sed fugienda iniuria semper est.

Ibidem.

Nihil est tam angusti tamq; parui animi, quã amare diuitias.

Cicero ibidem.

Nihil honestius, magnificentiusq;, quàm pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad beneficentiam liberalitatemq; conferre.

Iuuena-

Iuuenalis satyra 14.

Sensit Alexander, testa cùm uidit in illa,
Magnum habitatorem: quanto felicior hic, qui
Nil caperet, quàm qui totum sibi posceret orbem.

Ibidem

Si nondum impleui gremium, si panditur ultra,
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo.—

Horatius Carminum libro 3. Ode 1.

Desiderantem quod satis est, neq;
Tumultuosum sollicitat mare.

De hac materia habes multa suprà in Auaritia.

Cura Græcè φροντίς ιδος ἡ, & φροντίζω curo dicitur. Est autem cura mentis, curatio autem medicinæ, curatura verò diligentię. Terentius: Reddunt curatura iunceas: hęc tamen sępissime confunduntur. Differunt item cura & solicitudo: quòd cura propriè est in spe bonorum, solicitudo autem in metu malorum. A cura veniunt curiositas & curiosus, de quibus infrà.

CVriositas Græcè πολυπραγμοσύνη ης ἡ, πολυπράγμονονος ὁ curiosus dicitur. Est autem curiositas studium perscrutãdi ea scire, quæ nulla est vtilitas, secundum Anselmum libro de similitudinibus.

Curiositas est superflua indagatio ad se non pertinentium, secundum Hugonem.

Curiositas est vitium circa cognitionem intellectus & sensuum ad peccandum, & circa inspectionem ludorum & mulierum ad concupiscendum, & spectaculorum, ex B. Thom. secunda secundæ, q. 167.

Curiosus & studiosus ita differunt: quia curiosus est cupidus cognoscendi ea quæ nihil ad se attinent: Studiosus verò quæ ad animum nutriendum liberaliter & ordinaliter pertinent, intentissimè requirit.

Esdræ quarti cap. 4.

Si fueris plurimùm scrutatus, frequenter miraberis.

Ecclesiastici cap. 3.

In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: & in pluribus eius operibus non eris curiosus.

Ibidem.

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.

Augustinus contra Manichæos libro 1.

Compescat se humana temeritas, & id quod non est, non quęrat, ne illud quod est, non inueniat.

Idem libro 10. Confeßionum.

Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigẽdum suam.

Idem in epistola ad Dioscorum.

Humilitati saluberrimę qua Dominus noster Iesus Christus (vt docet) humiliatus est, maximè aduersatur quędam (vt ita dicam) imperitissima scientia: dum nos scire gaudemus quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserit, & cæteri huiusmodi, vt docti eruditiq; videamur: cùm à doctrina & vera eruditione longè absit.

Augustinus de moribus Ecclesiæ.

Sunt qui desertis virtutibus, nescientes quid sit Deus, & quanta sit maiestas semper eodẽ modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molẽ, quam mundũ nuncupamus, curiosissimè perquirant: vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cęlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur.

Idem libro de uera Religione.

In consideratione creaturarũ non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus.

Hieronymus in epistola de duobus filijs.

Nugas tenemus, & fonte veritatis amisso, opinionum riuulos consectamur.

Gregorius homilia super illud: Iuga boum emi quinq;

Graue curiositatis est vitium, quę dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit: vt aliena sciens, se nesciens sit. Et curiosus animus, quantò peritus fuerit alieni, tãtò fiat ignarus sui.

Bernardus super Cantica.

Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit.

Idem de gradibus superbiæ.

Primus superbiæ gradus est curiositas.

Ibidem.

Si videris monachum euagari, caput erectũ, aures portare suspensas, curiosum cognoscas.

Prosper de uocatione Gentium.

Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda. Quæ autem manifestanda fecit, non sunt negligenda: ne & in illis illicitè curiosi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati.

Aristoteles libro 8. Ethicorum.

Speculari magis possumus proximos quàm nosmetipsos, & illorũ actiones quàm proprias.

Menander.

πολυπραγμονεῖν ἀλλότρια μὴ βούλου κακά. id est,
Multum curare aliena ne uelis mala.
πολλοὶ σχολὴν ἄγουσιν εἰς τὰ χείρονα. id est,
Multi otium conterunt in peiora.
τὰ πολλά πράττειν ἐστι πανταχοῦ σαπρόν. id est,
Multa facere est ubiq; putridum.
τὰ πολλὰ πράττειν, καὶ λύπας πολλὰς ἔχει. id est,
Multa facere & tristitias multas habet.

Plautus in Sticho.

Curiosus nemo est, qui non sit maleuolus.

Terentius in Heautontimorumeno.

Ita comparatam esse naturam omnium hominum, ut aliena magis iudicent quàm sua.

Ibidem.

Tantum ne ab ira tua est otij tibi, aliena ut cures, & ea quæ nihil ad te attinent?

Idem in Hecyra.

Tua quod nihil refert, percontari desinas.

DAEmonium Græca dictio. Ab illis enim δαιμόνιον τὸ, & δαιμονοφόρητος ου ὁ dæmoniacus dicitur. Est autem dæmonium animal genere, mente rationale, animo passiuum, corpore aëreum, tempore æternum, secundum L. Apuleium de Deo Socratis. ex B. Thom. prima parte b. 51. art. 1. Scribit præterea idem Apuleius dæmones irritari iniurijs, obsequijsq; ac donis placari, gaudere honoribus, varijs sacrorum ritibus oblectari: ad eos pertinere diuinationes augurum, aruspicum, vatum ac somniorum; necnon magorum miracula. Homerus propterea Deos omnes dæmones vocat, & aliquando ipsum Iouem. Verùm nostræ religionis homines dæmones appellant spiritus in cælo ab omnium rerum opifice creatos, qui de cælo ipso deiecti, partim in terræ infimo, partim in hoc aëre tanquam sibi congruo carcere damnati sunt: nocendi semper cupidi, à iustitia alieni, superbia tumidi, inuidentia liuidi, fallacia callidi, humana quandoq; corpora ingredientes, vel viuentia adhuc, vel iam mortua, & sub humana specie mulieres aliquãdo ineuntes, qui tunc incubi dicũtur: modò viris se subijcientes, & tunc succubi appellantur.

Damnatio Græcè κατάκρισις ιος ἡ, & κατακρίνω damno dicitur. Damnatio & damnum. Plautus iurisconsultus ab ademptione & quasi diminutione patrimonij dicta esse affirmat: similiter damno verbum, quod nunc significat damno afficio, vnde & condemno dicitur, & qui nullo damno afficitur, indemnis appellatur.

DAmnum Græcè ἀποβολὴ ῆς ἡ, vel ζημία ας ἡ. Differunt autem damnum & malum: quòd damnum est rei, malũ verò hominis ipsius. Quare Tere. in Andria: Quid feceris illi qui dederit damnum aut malum? Ex Donato super Terent.

Prouerbiorum cap. 12.

Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.

Augustinus in sermone de S. Stephano.

Non sic sapit lucrum, quomodo dolet damnum. Fortior in confessione Christi, qui damna non timuit, quàm qui lucra contempsit.

Idem de Charitate.

Vis vt ille non damnet, tu damna. Vis vt ille ignoscat, tu ignosce. Nemo nisi per indebitam misericordiam liberatur: & nemo nisi per debitum iudicium damnatur.

Augustinus libro de uera Religione.

Est pulchritudo vniuersæ creaturæ per hæc tria inculpabilis: damnatione peccatorum, exercitatione iustorum, perfectione bonorum.

Augustin. Donatistis, & habetur 2. q. 6. Quod errauerat.

Quod errauerat, inquit Dominus, non reuocastis: & quod perierat, non requisistis: hoc vobis ipse Deus per nos facit ipse obsecrando, ipse minando siue corripiendo, siue dãnis, siue laborib', siue per suas occultas admonitiones vel visitationes, siue potestatum tẽporalium leges.

Ambro. libro de Officijs, & habetur 14. q. 5. Deniq;.

Deniq; si non potest subueniri alteri nisi alter lædatur, commodius neutrum iuuari, quàm grauari alterũ. Ideoq; in caussis pecuniarijs interuenire non est sacerdotale, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victũ arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, pdesse velle omnibus: posse autem solius est Dei.

Gregorius, & habetur 6. q. 1. Ex merito. §. Deteriores.

Deteriores sunt, qui vitam moresq; bonorum corrumpunt his, qui substantias aliorum prædiaq; diripiunt.

Ibidem in Moralibus.

Apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis: quia & timetur, quod agitur, & tamen malum non vincitur, quod timetur.

Caßiodorus epistolarum libro 4.

Melius est præsentia damna contẽnere, quàm exiguo quæstu perpetua commoda non habere.

Seneca in Prouerbijs.

Damnum nisi ex abundantia raro venit.

Debilitas Græcè ἀσθένεια ας ἡ, & ἀσθενόω debilito dicitur. Est autem debilitare infirmiorem facere. Debilis dicitur quasi parum habilis, hoc est, malæ habitudinis.

Debitum Græcè ὀφείλημα ατος τὸ, & ὀφείλω debeo dicitur, quod est obligatus sum: quo verbo communis actio comprehenditur, vt sentit Vlpianus, siue ciuilis sit, siue honoraria, siue fidei cõmissi persecutio. Inde fit debitor, qui, vt Modestinus inquit, is propriè dicitur, à quo inuito exigi pecunia potest. Et debitum id, quod debetur, & debitio ipse actus. Cicero: Perquam dissimilis est pecuniæ debitio & gratiæ: nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id quod reddidit: qui autem debet, æs retinet alienum: Gratiam autem & qui refert habet, & qui habet, in eo ipso quod habet, refert.

Menander.

λαβὼν ἀπόδος ἄνθρωπε, καὶ λήψῃ πάλιν. id est,

Cùm acceperis redde homo, & capias rursus.

Idem.

τὰ δάνεια δούλους, τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ. id est,

Debita seruos illos, qui sunt liberi, faciunt.

Deceptio Græcè ἀπάτη ης ἡ, & ἀπατέων deceptor dicitur, & ἐξαπατάω decipio. Est autem deceptio, corruptio scientiæ, secundum B. Thom. Prima secundæ q. 53. ar. 1. Decipere est deludere,

defraudare. Inde decipula, quod eſt genus laquei ad decipiendas & capiendas feras.

DEcima Grecè δεκατισμός οῦ ἡ, & δέκα decem dicitur. Eſt autem decima portio vna ex decem. Veteres ex vnaquaque re decimam offerre dijs ſolebant. Plautus: Vt decimam ſolueret Herculi. Ab hoc autem verbo decimo deducitur, quod eſt, decimam partem detraho.

Decima enim eſt omnium bonorũ iuſtè quæſitorum pars Deo debita, extra. Tua nobis. Quidam ſic diſtinguunt primitias à decima, quod primitiæ ſunt frugum, aliorum verò dicitur decima.

Exodi cap. 22.

Decimas & primitias non tardabis offerre. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoq; & ouibus ſimiliter facies.

Exodi cap. 23.

Primitias frugum terræ tuæ deferes in domũ Domini Dei tui.

Leuitici cap. 27.

Omnes decimæ terræ, ſiue de pomis arborũ, ſiue de frugibus Domini ſunt.

Numeri cap. 18.

Omnia quæ auferetis ex decimis & in donaria Domini ſeparabitis, optima & electa erunt cuncta.

Ibidem.

Et non peccetis ſuper hoc, egregia vobis & pinguia vobis reſeruantes, ne polluatis oblationes filiorum Iſraël, & moriamini.

Auguſtinus, & habetur 16. q. 1. Decimæ.

Decimæ tributa ſunt egentium animarum: quòd ſi decimam dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis & animæ conſequeris. Non igitur Dominus Deus præmium poſtulat, ſed honorem.

Ibidem.

Hęc eſt enim iuſtiſsima cõſuetudo, vt ſi tu decimas non dederis, tu ad decimam reuoceris. Da bis impio militi, quod non vis dare ſacerdoti.

Ibidem.

Decimæ etenim ex debito requirũtur. Et qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. Et quanti pauperes in locis vbi ipſe habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tãto homicidiorũ reus ante ęterni iudicis tribunal apparebit, qui rem à Deo pauperib. delegatam ſuis vſibus reſeruabit. Qui ergo ſibi aut pręmium comparare, aut peccatorum deſiderat indulgentiam promereri, reddat decimam, etiam de nouẽ partibus ſtudeat eleemoſynam dare pauperibus.

Auguſtinus in ſermone de Decimis.

Attende, quod creatura decima inter intellectuales creaturas eſt homo, quia angeli in nouẽ ordinibus, decimus autem ordo eſt hominum. Et ideo eſt hominis decimam ſoluere, vt ruinam angelorum valeat ſupplere.

Hieronymus ſuper Malachiam.

Si quando fames & penuria rerum omnium egeſtas opprimit mundum, ſciamus hoc ex ira Dei deſcẽdere, qui ſe in pauperibus, ſi non accipit eleemoſinam, fraudari loquitur, vt ſuas poſſeſsiones poſsimus decimas & primitias interpretari.

Hieronymus Damaſo Papæ, & habetur 16. quæſt. 1.

Quoniam quicquid.

Quoniam quicquid habẽt clerici, pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes, ſuſceptioni peregrinorum & hoſpitum inuigilare debent. Maximè curandum eſt illis, vt de decimis & oblationibus, cœnobijs & xenodochijs qualẽ voluerint & potuerint ſuſtentationem impendant.

Ambroſius in ſermone 40.

Quicũq; recognouerit in ſe, ꝙ fideliter non dederit decimas ſuas, modò emendet, quod minus fecit, Quid eſt fideliter dare decimas, niſi vt nec peius, nec minus aliquãdo offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus arborum atq; pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua.

Gregorius in Regiſtro.

Presbyter ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit, non ſolùm eccleſia priuetur, ſed etiam ſacerdotij honore ſpolietur. Quia altare & decimas eſt ſpiritum ſanctum emere vel vendere, ſymoniacam hæreſim eſſe nullus fidelium ignorat.

Ioannes Chryſoſtomus ſuper illud Matt. 23. Qui decimat.

Iuſtitiam, miſericordiam & fidem, propter ſuam gloriam mandauit, ſed decimas propter ſacerdotes.

Ibidem.

Sacerdotes qui propter decimas corripiunt populum, & maiora peccata tacent, docent colare culicem & deglutire camelum, id eſt, à modico abſtinere, & maiora contemnere.

CICERO LIB. 8. EPISTOLARVM AD *Volumnium, quem Q. Voluſcum nominat Vatinius lib 5. fuit Ciceronis diſcipulus.*

QVod declamationibus noſtris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio inuides, niſi eum amares, non erat cauſa inuidẽdi, niſi fortè ipſius eloquentiæ magis, quàm quod me audiret, inuideres: Caſsius tuus & Dolabella noſter, vel potius vterque noſter, ſtudijs ijſdem tenentur, & meis æquiſsimis vtuntur auribus. Mihi iudicatum eſt, ſi modò hoc Cæſar aut patietur, aut volet deponere illam perſonam, in qua me ſæpe illi ipſi probaui, ac me totum in literas abdere, tecumq; & cum cæteris earum ſtudioſis honeſtiſsimo ocio perfrui. Tu vellem ad nos venires: omnia enim hilariora forent.

De claris Oratoribus ad Brutum, Cicero de ſe ipſo hæc prædicat.

At verò ego hoc tempore omni, noctes & dies

dies in omnium doctrinarum meditatione versabar: eram cum Stoico Diodoro, qui cùm habitauisset apud me, cumq́; vixisset, nuper est domi meæ mortuus: A quo cùm in alijs rebus, tum studiosissimè in Dialectica exercebar: quæ quasi cõtracta & astricta eloquẽtia putanda est, sine qua etiam tu Brute, iudicasti te illam iustam eloquẽtiam, quam Dialecticam dilatatam esse putant, consequi posse. Huic ego doctori, & eius artib. varijs atq; multis, ita eram tum deditus, vt ab exercitationibus oratorijs nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idq́ue faciebam multũ etiam Latinè, sed Græcè sæpius, vel quod Græca oratio, plura ornamẽta suppeditans, consuetudinem similiter Latinè dicendi afferebat: vel quòd à Græcis summis doctoribus, nisi Græcè dicerem, neq; corrigi possim, neq; doceri.

In M. Antonium Philippica 5.

Ipse interea decem & septem dies, vt digestio potius quàm declamatio videretur, de me in Tyburtinio Scipionis declamitauit: Hæc enim ei causa esse solet declamandi.

Seneca in Prologo declamationum.

Declamabat autem Cicero, non quales nunc controuersias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas Theses vocabant. Hoc autem genus materiæ, quo nos exercemur, adeò nouum est, vt nomẽ quoq; eius nouum sit, controuersias non dicimus, Cicero causas vocabat. Hoc verò alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita trãslatum, vt pro Latino sit. Scholastica controuersia multò recẽtius est, sicut ipsa declamatio, quia apud nullum authorem antiquum, ante ipsum Ciceronem & Caluum inueniri potest, qui declamationem distinguit: Ait enim, declamare est iam non mediocriter bene dicere: Alterum putat domesticę exercitationis: alterum esse veræ actionis.

Declamare qd. Declamatio pertinet ad exercitationem domesticã.

Rodolphus Agricola in prologum Senecæ.

Quia autem libri isti declamationum inscribuntur, optimum fuerit in initio dicere paulò apertius, quid sit declamatio: Igitur temporibus eis, quo primùm res Atheniensium, deinde populi Romani magnæ & potentes fuère, fuit & in Græcia, & Romæ eloquentia in summo precio & veneratione. Itaq; pueri protinus in scholis instituebantur ad benedicendum, vt cùm adoleuissent, possent in iudicijs & consilijs publicis, & priuatis proferre facundiam suam. Ergo cùm apud Grammtticos ea percepissent, quę preexercitamenta vocabantur, quę apud Gręcos Hermogenes, apud nos Priscianus scripta reliquit: tum ad Rhetoris scholam adducebantur, proponebanturq́; eis themata, qualia his libris descripta sunt: quorum alia ficta erãt, alia ex historijs, aut Poëtis sumebantur: qualia hodie apud Gręcos Sophistas pleraq; extant. Ad quæ themata in scholis pueri exercebant se stylo, scribẽdo in vtranq; partem, pro modo ingenij & eruditionis suæ, quisq; quàm optimè poterat. Deinde qui profectum processerant, & commodius iam poterant scribere, hi ea ipsa quæ scripserant, ediscebãt, & tum dicebãt: qui summus profectus erat, statim proposito themate sine scriptura dicebat. Hoc ergo erat declamare: in scholis exercitationis causa dicere: Itaque declamatio nihil aliud est, quàm oratio scholastica, ad similitudinem forensis orationis dicta.

Eloquẽtia in summo precio fuit apud Romanos & Græcos

Præexercitamenta Progymnasmata.

Summus vsus declamãdi. Declamatio qd.

Petrus Mosellanus, Præceptor meus piæ memoriæ, in progymnasmata Anthonij sophistæ.

Olim puerorum bene natorum ętas dabatur Grammaticæ, Adolescentium Rhetoricę, Dialecticæ, Musicæ, & Palæstræ, Iuuenum disciplinæ militari. Reliqua vitæ pars, prout cuiq; vel natura, vel conditio obtigerat, in Rep. cõsumebatur.

Pueri. Adolescentes. Iuuenes.

Veteres magistri adolescentes fidei suæ commissos, antè in leuioribus quibusdam Rhetorici operis partib⁹, velut Tirocinio, præludere volebant: quàm ad iustum declamationum munus perducerent: Nam ex ijs, qui eloquentię destinati erant, alius meditabatur narrationem, nunc fictam, nunc veram: alius sententiam laudati alicuius viri, ad certam rationem recensebat: Alius tractabat locum communem: alius claros homines laudabat, & improbos vituperabat: alius suadebat, aut dissuadebat legem aliquam. Breuiter, alius alio exercitationis genere, pro ætatis ingenijq́; sui captu præparabatur. Nos omnem exercitationem styli, (qui solus optimus dicendi magister est) sic negligimus, vt vix longis interuallis epistolã aliquam meditari sustineamus. Atq; vtinam redeat aliquando antiqua illa discendi ratio, rediret & vna literis literatisq́; precium.

Stylus optimus dicendi magister

Inter omnes Senecæ lucubrationes nullum opus extare integrum, & inuiolatum videtur, quod magis referebat publicæ studiorum vtilitatis, quàm hos declamationum libros. Huius igitur operis, si quod exemplar integrum, & emendatum inueniatur, nescio quid amplius desiderari posset sapientis eloquentiæ candidatis. Hic enim velut in speculo licet intueri, quomodo doctissimi viri defensionis colorem inuenerint, quomodo causę summam in propositiones diuiserint: deinde singulas in alias subiectas partiri soleant: quibus argumentis vnamquamque confirment, tum quas sententias adhibuerint, quę schemata, quos affectus mouerint, quàm variè idem thema à diuersis ingenijs tractari potuerit. Et in ijs quæ perperã inuenta, aut ineptis schematibus siue verbis explicata, quæ stulta & causæ sufficientia, quæ ἀσύϛατα, secumq́; pugnãtia, quæ ἀπροσδιόνυσα & extra causam dicta. Hæ cẽsurę hominum in omni doctrinæ genere pręcellẽtium, incredibile dictu, quantum vtilitatis attulissent, non solum ad benedicẽdum, verum

Erasmus in prologo declamationum Senecæ. Vtilitas declamandi.

etiam ad iudicandum, siue in forensibus causis, siue in concionibus popularibus militaribúsue, siue in cõfessis, siue in omni vitę functione, quę maxima ex parte linguæ prudentis officio temperatur. Ea inueniendi, iudicandiq; facultas, si statim pueris tradatur, mihi videtur multò plus fructus allatura, quàm quę nunc in scholis traditur Dialectica: quam tamen nec improbo, nec summouendam censeo, modò resectis nugalib. argutijs, ad vsum potius quàm ad puerilẽ ostentationem tradatur.

Magna vtilitas censuræ.

Prudens lingua moderatrix vitæ nostræ.

Plinius libro 1. epistolarum, ad Septitium Clarum.

Magnum prouentum Poëtarum annus hic attulit, toto mẽse Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis, pręterijt. Iuuat me, quod vigẽt studia, proferunt se ingenia hominum & ostentant: tametsi ad audiendum pigrè coitur. At hercule memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, cùm in palatio spaciaretur, audissetq; clamorem, & causam requisisset, cùmq; dictum esset, recitare Nouianum: subitùm recitanti, inopinatumq; venisse. Lege Suetonium iu Augusto.

Claudi' Cęsar de clamãtes audiuit.

Fabius Quintilianus libro 4. cap. 2.

Declamatio est forẽsium actionũ meditatio.

Declamationes, quibus ad pugnam forẽsem, velut præpilatis, exercere solebamus, olim iam ab illa vera imagine orandi recesserunt, atq; ad solã compositæ voluptatem neruis carent, non alio mediusfidius vitio dicentium, quàm quo mãcipiorum negotiatores formę puerorum virilitate excisa lenocinantur.

Li. 5. c. 2.

Quale discrimen declamandi & veri agendi, comperies apud Fabium libro 1. cap. 13. Ibidem de Responso Actij elegantissimo.

Fabius libro 2. cap. 11.

Vtilitas maxima declamandi.

Declamandi ratio, vt nouissimè inuenta, ita multo est vtilissima: Nam & cuncta illa, de quibus diximus, in se fere continet, & veritati proximam imaginem reddit: Ideoq; ita est celebrata, vt plerisq; videretur ad formandam eloquẽtiam vel sola sufficere. Mox subdit.

Totum aũt declamãdi opus, quod diuersum omninò à forensib. causis existimãt, ij profectò nec rationem quidẽ, qua ista exercitatio inuenta sit, peruident: Nam si foro non præparat: aut scenecæ ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est. Quid enim attinet iudicem pręparare, qui nullus est; Narrare, quod oẽs sciant falsum: probationes adhibere causæ, de qua nemo sit pronunciaturus? Et hæc quidem ociosa tantum. Affici verò, & ira & luctu permouere, cuius est ludibrij, nisi quibusdam pugnæ simulachris ad verum discrimẽ, aciemq; iustam consuescimus? Nihil ergo inter forense genus dicendi, atq; hoc declamatorium intererit, si profectus gratia dicimus nihil.

Declamatiões veritatis imaginẽ referunt

Declamatio, eò quod est iudiciorum consilio rumq; imago, similis esse debet veritati, &c.

B. Rhenanus in maximum philosophum Platonicum.

Vetus ille declamandi recitandiq; mos quàm solennis fuerit olim solẽnis, cùm ex alijs autoribus, tum enim ex Plinianis epistolis abundè liquet: cuius vtilitas maxima fuit: Nempe quod hunc ceu Lydiũ lapidem (vt est in prouerbio) scripta sua probarent. Quoties enim apud multitudinẽ dicimus, facilè experimur num felix sit inuẽtio, num dispositio concinna, modò apposita elocutio: & quanquam taceant auditores, ex illorum tamen vultibus intelligere licet, album an atrũ (quod aiunt) calculum recitantibus, aut dicentibus nobis adijciant.

DEclaratio Græcè δήλωσις ιος ἡ, & δηλόω declaro dicitur, quod est aperio, manifesto: vnde declaratio venit. & declaratus à clarus, quod est lucidus.

Declinatio Græcè κλίσις ιος ἡ, & κλίνω declino dicitur.

Decliuis vel decliuus (vtroq; enim modo dicitur) & tertiæ & secundæ inflexionis, Græcè dicitur κατωφερής έος ὁ. Est autem decliuis inclinatus atq; incuruus. Ita & accliuis & accliuus Græcè κατάντης έος ὁ ἡ, & est arrectus, & in cliuum acuminatus.

Decrementum Græcè μείωμα ητος τὸ, & μειόω decresco dicitur, quod est diminuor: sicut accresco adaugeor. Est autem decrementum motus à perfecta magnitudine in imperfectam magnitudinem, secundum Arist. 3. Physicorum.

Decrepitus Gręcè παρήλιξ κος ὁ, & παρηλικία ας ἡ decrepitas dicitur. Sunt autem decrepiti senes, in dubio vitæ cõstituti. Crepera enim res, dubia est, vt Nonius inquit, vnde crepusculum. i. lux dubia, & creperum bellum anceps. Vel decrepiti dicuntur, quòd nec mouere se propter senectutem, nec vllum facere crepitum possunt, id est, sonum. Est enim crepitus sonus propriè cymbalorum, tympanorum, & aliorum huiusmodi.

Dedecus Græcè αἶσχος εως τὸ, & αἰσχίων ονος ὁ ἡ turpior dicitur. Est autem dedecus ignominia & veluti infamia quædam. Ita dedecet pro eo accipitur, quod est inconueniens, ineptũ & turpe. Vnde dedecoro qud fœdo, & contumelia atque ignominia afficio. Cicero: Magistratum ipsum dedecorabat. Huius oppositum est decoro media producta, quod est orno Et decorũ quando substantiuum est, quod significat decẽtiam quandam rebus, personis, temporibus & locis, siue in agendo, siue in loquendo accommodam.

Defectus Gręcè ἔκλειψις ιος ἡ, & ἐκλείπω deficio dicitur.

Definire & diffinire quid sint, & quomodo differant, vide infrà in Definitio

Defensio Græcè ἀντίληψις ιος ἡ, & παραλαμβάνω defendo dicitur. Defendo & offendo contraria sunt. Est enim offendere, incurrere in aliqd atq; incidere. Terentius: Offendi aduenien hinc quen-

quendam mei loci atq; ordinis hominem, hoc est, incidi. Defendere verò est depellere. Virgi. solstitium pecori defendite, id est, depellite. Et quoniam qui incidunt in aliquid, solent sępe lędere id, in quod incidunt: econuerso, qui depellunt, tuentur: factum est, vt offendere pro lędere vsurpetur, & defendere pro tueri, & quasi vim depellere.

Degener Græcè ἀγενὴς εος ὁ ἡ dicitur. Estque idem quod ignobilis. Venit autem à degenero as, quod est à generis nobilitate descisco. Virg. Degeneres animos timor arguit.

Delectatio Græcè τέρψις ιος ἡ, τέρπω delecto dicitur. Est autem delectatio operatio habitus secundum naturam sine impedimento, secundum Aristo. libro 7. Ethicorum.

Delectatio est superfluitio quædam naturæ, secundum Commentatorem super 10. Ethicor.

Delectatio est voluptas suauitate auditus vel aliorum sensuum animum deliniens, secũdum Ciceronem lib. 4. Tusc. quæst.

Delectatio est motus in apparenti animali, consequens apprehensioné boni naturalis præsentis per sensum, secundum B. Tho. prima secundę q. 11, art. 1.

Delectatio est quietatio cognita in re conuenienti, vt B. Th. ibidem. Differt autem delectatio à gaudio, quòd delectatio contingit secundum sensum exteriorem & interiorem: Gaudium verò secundum interiorem tantùm, ex B. Tho. 4. Sent: dist. 49. q. 3. art. 1. Dicitur aũt delecto à delicio verbo, quod propriè est attraho & duco. Et quoniam quæ grata & iucunda sunt nos attrahere atq; allicere solét, factum est vt delectare sit gratum esse & iucunditate afficere. Vnde delectatio: delectamentum & delectamen.

Deliberatio Gręcè βούλευσις ιος ἡ, & βουλεύομαι delibero dicitur. Est autem liberare particulare verbum quod significat libertate donare. Interdum vniuersale, quod est absoluo. Liberare etiam pro eo vsurpamus, quod est addicere. Vnde in licitationibus rem, quæ venalis proposita est, plus offerenti addicere vel liberare dicimur. Et non modò qui vendit, sed etiam, qui emit rem ipsam sic venditã liberare dicitur. Hinc liberationis vocabulum Paulus iuriscon. affirmat eandem vim habere, quam solutionis liberata à veteribus pro effata, hoc est, locuta vsurpari solebat. A libero fit delibero hoc est decerno, statuo: nam capto cõsilio, mens à cogitatione liberatur. A delibero fit deliberatio.

Delitiæ Græcè τρυφὴ ῆς ἡ, & τρυφηλός οῦ ὁ delitiosus dicitur. Sunt autem delitiosi, qui nõ possunt sustinere aliquos labores, nec aliquid minuens delectationẽ, secundum B. Tho. secunda Secũdæ q. 138. art. 1. Differunt autẽ delitiæ & mollities, quia mollities propriè respicit defectum delectationũ: sed delitiæ respiciũt causam impeditiuã earum, scilicet laborem vel aliquid tale: ideo delitiæ sunt quædam mollities, ex B. Tho. secunda Secundæ q. eadem.

Delitiæ dicuntur à delicio, de quo verbo vide suprà in delectatio. Hinc delicatus plenus delitijs, vel in delitijs viuere assuetus. Sunt auté propriè delitiæ, quæ maximè nobis voluptati sunt, à deliciendo nos, hoc est, ab alliciendo nos ad voluptatem.

Ecclesiastes 2.

Dixi ego in corde meo: Vadam & affluam delitijs, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.

Augu. super Ioannem.

Si habet animus vnde oblectetur extrinsecùs, sine delitijs manet interiùs.

Augustinus super epistolam Ioannis, & habetur distin. 41. Delitiæ.

Delitię quęlibet si absq; desiderio percipiantur, non officiunt, & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinentiæ.

Gregorius in homilia.

Corporales delitiæ cùm non habentur, graue in se desiderium accendunt: cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidiũ vertunt. At contrà, spirituales delitię, cùm non habentur, in fastidio sunt, cùm habentur in desiderio. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. In istis autem saturitatem appetitus, saturitas appetitũ parit, augét enim spirituales delitię desideriũ in mente dum satiant.

Ioan. Chryso. de compunctione cordis.

Sicut impossibile est vt ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compunctioné cordis vigere in delitijs. Contraria enim hæc sibi sunt inuicem & peremptoria. Illa enim mater est fletus, hæc mater est risus. Illa cor constringit, ista dissoluit.

Ioan. Chrys. de Reparatione lapsi.

Centum si placet annos demus delitijs, adde & alios centum si libet, adde & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonne omne tempus huius vitæ quo delitijs frui videmur, & indulgere libidini, quasi noctis vnius somnium ad æternitatis comparationem videtur.

Cassiodorus epist. libro 4.

Facilè onus afflictionis sentiunt, qui vti suauibus delitijs consueuerunt.

Seneca epist. 52. ad Lucilium.

Nullum laborem recusant manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur. In primo puluere deficit vnctus & nitidus.

Horatius epist. libro 6. epist. 1.

—Vis rectè uiuere? quis non.
Si uirtus hæc una potest dare, fortis omissis
Hoc age delitijs,

Delictum Græcè πλημμέλεια ας ἡ, & πλημμελέω delinquo dicitur. Est aũt delictũ boni desertio.

Quid aliud sonat nomen nisi derelictum? Et quis deliquit, nisi qui summum bonum dereliquit, secundum Augustinum in quæstio. super Leuitico.

Delictum communiter significat quamcunq; omisionẽ, sed strictè omisionem pertinẽtium ad Deum: vel quando scienter & cum cõtemptu omittit homo, id quod facere debet, secundum B. Thom. secun. q. 79. art. 4. A linquo fit oppositum delinquo, quod propriè significat prætermitto. Quoniam verò præmittere ea, quæ præmitti non debent, peccare est, delinquere etiam pro peccare vsurpatur. Hinc delicta peccata dicuntur, quæ aut proposito, aut impetu, aut casu fiunt. Proposito delinquitur à latronibus, factionem habentibus. Impetu ab ebrijs, ad ferrum venientibus. Casu, cùm in venatu telum in feram missum hominem interimit.

De hac materia vide infra in Peccatum.

Delusio Græcè καταπαιγμα τος τὸ, & καταπαίζω deludo dicitur. Est autem deludere & eludere, deridere atq; decipere. Plautus:

Quid me deluditis, & nocte excluditis foras.

Dementia Græcè ἄνοια ας ἡ, & ἄνους ὁ ἡ demens dicitur, qui quasi deorsum à mẽte dicitur. Quomodo autem differat ab amente, vide suprà in Amens.

Democratia Græca dictio est δημοκρατία ας ἡ. Et est principatus populi vel popularis status, & est, cùm ad commodum egenorum Respublica à pauperibus gubernatur, secundum Aristotelem libro 4. Politicorum.

Demonstratio Græcè δεῖξις ιος ἡ, & δεικτικός οῦ ὁ demonstratiuus dicitur, & δεικνύω demonstro. Est autem demonstratio, certis ac necessarijs rationibus alicuius rei probatio.

Denominatiuum Græcè παρώνυμον ου τὸ dicitur. Dicuntur autem denominatiua, quæcunq; aliquo solo differentia casu habent appellationem, secundum Aristotelem libro Prædicamentorum.

Depositum Græcè παρακαταθήκη ης ἡ dicitur. Et est quod custodiendum alicui datum est, vt habetur ff. depositi. l. in prin. Differt autem à mutuo, quia depositum datur ad vtilitatem dantis: sed mutuum ad vtilitatem accipientis, B. Thom. secunda secundæ q. 62. art. 6.

Deponere est apud sequestrũ collocare. Hinc depositum dicitur.

Deprecatio Græcè δέησις ιος ἡ dicitur, venitq; à deprecor, quod quandoq; significat vehementer precor, aliquando detestor & propulso, & quasi precando depello. Ouidius:

Sæpe precor mortem, mortem quoq; deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.

Derisio Græcè καταγέλασις ιος ἡ, & καταγέλαστος ου ὁ ridiculus, & καταγελάω derideo dicitur. Est autem derisio, cùm aliquis malum alicuius personæ vel defectum in ludum, vel risum ponit, vt erubescat & verecundetur. Derisionis finis est vt erubescat.

Conuitiatoris verò, vt tollat honorẽ, B. Tho. secunda secun. q. 57.

Derisio de re notabili est peccatum mortale. Et est grauius quàm contumelia: sed grauisimũ derisio Dei: secundò, parẽtum: tertiò, iustorum, secunda secundæ q. 75. art. 2.

Derideo, illudo, contemno, & de aliquo rideo, siue risum moueo: à quo derisor & derisus quartæ declinationis.

Derogare & abrogare quid sint, & quomodo inter se differant, vide suprà in Abrogatio.

Descriptio Græcè καταγραφή ης ἡ, καταγράφω describo dicitur. Est autem descriptio rei propositę per quasdã proprietates declaratio. Quid aũt differat à definitione, vide infra in definitio.

Desiderium Gręcè ἔφεσις ιος ἡ, & ἐφίεμαι desidero dicitur. Et aũt desiderium libido eius, quod nondum adsit, secundum Cic. Tuscul. quæ.

Desiderium est motus appetitus in amabile & inchoatio amoris, ex B. Thom. secun. sent. disti. 29. q. 1. art. 3.

Desiderium differt ab amore, quia desideriũ est de bono non habito: sed amor est de bono absolutè, secundum eundem, prima parte, quæ. 20. art. 1.

Desidia Græcè ῥαθυμία ας ἡ, & ῥάθυμος ου ὁ desidiosus dicitur. Est autem desidia ignauia, & desidiosus, piger & ignauus: ita & deses desidis à desido, quod est otiosus sedeo, vel subtersedeo, vt Virgilius: Subsidit dubius.

Despectio Græcè ἐξουθένωσις ιος ἡ, & ἐξουθενέω despicio dicitur. Est autem despectio siue despicientia siue despectus quartę declinationis, idẽ quod contemptus: quoniam ea quæ contemnimus, quasi deorsum & ante pedes nostros proiecta aspicere solemus. De hac materia vide suprà in Contemptus humilium.

Desperatio Græcè ἀπόγνωσις ιος ἡ, & ἀπογινώσκω despero dicitur. Et autem desperatio ægritudo sine vlla rerum expectatione meliorum, secundum Cic. libro 4. Tuscul. quæst.

Desperatio est, quando ex falsa existimatione propter peccata, quæ fecit, vel bona, quę omisit, desperat de Dei misericordia, credẽs Deum nolle vel non posse sibi parcere, vel in gratiam recipere.

Desperatio non importat solam priuationẽ spei, sed recessum à re desiderata propter impossibilitatem existimatam, B. Thom. 22. quæst. 40. arti. 4.

De hac materia vide suprà vbi Spes.

Regum secundi cap. 2.

An ignoras quod periculosa sit desperatio.

Augustinus de utilitate agendi pœnitentiæ.

Nemo desperet. Iudam traditorem non tam scelus

ſcelus quod commiſit, quàm indulgentię deſperatio fecit penitus interire.

Ibidem.

Ne deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt pœnitentiæ portus. Rurſus ne ſperando augeremus, datus eſt dies mortis incertus.

Auguſtinus de pœnitentia.

Quicquid feceris, quantumcunq; peccaueris, adhuc in hac vita es: vnde te omninò ſi ſanare nollet, Deus auferet. Qui enim clamando tibi perſuaſit ne recederes, parcendo clamat vt redeas.

Auguſtinus ſuper Pſalm. 55.

Noli dicere: Nunquam talem hominem Deus correpturus eſt, tam malum, tam peruerſum. Noli deſperare: quem roges attende, non pro ipſo quo ores: magnitudinẽ morbi vides, potentiam medici non vides.

Auguſtinus libro de Symbolo.

Latro agnouit, Petrus negauit: In Petro demonſtratur, iuſtum non debere de ſe præſumere. In latrone nullum impium debere diffidere conuerſum: timeat ergo bonus, ne pereat per ſuperbiam: & malus, ne deſperet per multam malitiam.

Hieronymus in epiſtola ad Abidam.

Deus enim cuſtos æquali ſorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnuſquiſque quod vult, ſiue bonum, ſiue malum. Quid ergo poterimus dicere: Niſi ille, qui vult damnari, damnetur: & qui vult ſaluari, ſaluetur. Quæ nam fuit ſaluationis cauſa in Petro, & in Iuda ſuæ damnationis? Nempe vterq; liber erat: Sed Petrus poſt trinam negationem Domini egreſſus foras fleuit amarè: Iudas verò poſt traditionem pœnitentia ductus, deſperans de miſericordia Dei laqueo ſe ſuſpendit.

Ambroſius ſuper Lucam.

Incumbit virtuti ſeculi, qui deſperat adiutorio Dei.

Ibidem.

Nemo diffidat, nemo veterum conſcius peccatorum præmia diuina deſperet. Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum.

Gregorius in Paſtorali.

Quibuſdam ſępe magnitudo virtutis occaſio fuit perditionis, vt cùm de confidentia virium inordinatè ſecuri eſſent, per negligentiam inordinatè morerentur: mater enim negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Videndo ergo meretricem, id eſt, Magdalenam de tua liberatione non deſperes: ſed etiam Iudam iudicando ſecurus eſſe non debes: confidentia ſtatim euertit, & deſperatio poſt lapſum exurgere non dimittit.

Ioannes Chryſoſtomus de Reparatione lapſi.

Ianuas æternę ciuitatis nobis deſperatio claudit, ſpes aperit, fiducia latum præbet ingreſſum.

Iſidorus de ſummo bono libro 2. cap. 14.

Nullus debet deſperare veniam, etiam ſi circa finem vitæ ſuæ conuertatur ad pœnitentiam: vnumquenq; enim Dominus de ſuo fine, non de vita iudicat.

Ibidem.

In vita hominis finis quærẽdus eſt: quoniam Deus non reſpicit, quales antè vixerimus, ſed quales circa finem vitæ fuerimus.

Ibidem.

Perpetrare flagitium aliquod, mors eſt animæ, ſed deſperare eſt deſcendere in infernum.

Leo Papa, & habetur 32. quæſt. 2. Ancillam. §. Nemo.

Nemo enim deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus eſt: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur.

Hugo libro de uera ſapientia.

Prima ſalus eſt, declinare culpam: ſecũda, non deſperare veniam: quia ipſe ſe in æternum punit, qui apud verum iudicem ad pœnitentiam non recurrit.

Boëtius libro Diuiſionum.

Quis non videat plurimum ad bonarum artium effectum valere, ſi apud mentes hominum nunquam ſit deſperatio diſcendi.

Seneca Tragœdia 7.

Qui non poteſt ſperare, deſperet nihil.

Quintus Curtius de geſtis Alexandri libro 5.

Vt opinor ignauiam quoq; neceſsitas acuit: & ſæpè deſperatio ſpei cauſa eſt.

Idem libro 7.

Deſperatio magnum ad honeſtè moriendum incitamentum eſt.

Vegetius de re militari libro 2.

Neceſsitas enim quædam virtutis eſt deſperatio.

Valerius Maximus libro 2.

Humanę igitur imbecillitatis efficaciſsimum duramentum eſt neceſsitas.

Virgilius Aeneidos libro 2.

—Moriamur & in media arma ruamus.
Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutem.

Deſponſatio Græcè *μνηστεία, ας, ἡ*, & *μνηστεύω* deſpondeo dicitur. A ſponte autem venit ſpõdeo, quod veteres pro dico vſurpabãt. Nam qui ſpondet, ſpontè, hoc eſt, voluntariè dicit. Poſtea verò vſurpari cœptum eſt pro ſpontè promitto. Vnde qui puellam ſpondet, promiſſor dicitur: puella, quæ ſpondetur, ſponſa: cui ſpondetur, ſponſus appellatur. Hinc deſponſatio venit.

Deſtinare eſt dirigere aliquid in aliquid, vel mente proponere, B. Thom. prima parte q. 23. ar. 1. Deſtino à deſto compoſitum videtur, & idem eſt quod delibero, aſsigno, deputo, addico, quaſi ſtare facio.

Virgilius.

—Et me deſtinat aræ.

Desuetudo Græcè ἀηθεια ας ἡ, & ἀηθέω desuesco dicitur. Venit enim desuesco à desuo, quod est dissoluo. Dicimus autem dissuo, dissuesco, di suefacio & desuo, desuefacio in eadem significatione. Eorum opposita sunt consuo, consuesco, consuetudo, & alia huiusmodi.

DEtractio Græcè κακολογία ας ἡ, & κακήγορος maledicus dicitur. Et est detractio, denigratio alienæ famæ per occulta verba, secundum B. Thom. secunda se. q. 73. art. 4.

Detractio est seminatio mali occultè in proximi iniuriam. Differt autem detractio à contumelia: Quia contumeliosus per aperta dicta intendit honori derogare. Detractor verò in absentia proximi eius famam lædit, secundum B. Thom. secunda sec. q. 73.

Detractio quæ est occulta maledictio ad denigrationem famæ per impositionem falsi, per adductionem mali, per reuelationem mali occulti, &per deprauationem intentionis: de se est peccatum mortale, ex leuitate verò est veniale, nisi sit de graui: sed propter bonum cum debitis circunstantijs nullum est peccatum, ex Beat. Thom. secunda sec. q. 73. ar. 1. Quomodo autem hæc differant, scilicet, detractio, contumelia, derisio, & susurratio, vide infrà in Susurratio.

Detraho aliquando significat tollo, extraho. Terentius: Accurrunt serui, soccos detrahunt. Aliquando significat derogo, vnde detractio & detractores, qui famę alienę derogare nituntur.

Exodi cap. 22.

Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.

Prouerbiorum cap. 4.

Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procùl à tè.

Prouerbiorum cap. 13.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.

Ibidem 14.

Ventus aquilo dissipat pluuiam, & facies tristis linguam detrahentem.

Ibidem.

Cum detrectatoribus ne commiscearis.

Ibidem 26.

Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto, iurgia conquiescunt.

Ibidem.

Verba susurronis quàsi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis.

Ecclesiastes 10.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.

Ibidem.

In cogitatione tua regi non detrahas.

Sapientiæ cap. 1.

Quoniam auris cęli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ.

Ecclesiastici cap. 5.

Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris.

Ibidem.

Susurrator autem, odium & inimicitia & contumelia.

Ibidem cap. 11.

Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis ponit maculam.

Ibidem cap. 21.

Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur.

Paulus 1. ad Corinthios. cap. 6.

Nec maledici, nec rapaces, Dei regnum possidebunt.

Ibidem cap. 10.

Neq; murmuraueritis, sicut quidam patrum vestrorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.

Paulus ad Romanos 1.

Detrectatores Deo sunt odibiles.

Iacobus in epistola 4.

Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.

Augustinus de conflictu uitiorum & uirtutum.

Detractioné dicit: quis potest sustinere, quis potest silentio tegere, quanta illa vel illa praua committit, nisi fortè qui consentit? Libertas iustè increpans respondet: Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda: sed charitate fraterna in facie proximus redarguendus est. Nonnunquam etiam errata ad tempus delinquentium silentio tegenda sunt, vt pro tempore corrigantur.

Augustinus in epistola ad Hypponenses.

Cùm ipsam scripturę veritatem criminari aut obscurare non possunt, hos, per quos prędicatur inducunt in odium: de quibus effingere, quicquid in mentem venerit, possunt: vnde iam apostolicæ prophetiæ tempus videtur instare. Erit tempus, in quo sanam doctrinam non sustinebunt.

Augustinus super illud Psalm. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi.

Plus nocent in membris detrahentes christo, qui animas credentium interficiunt, quàm qui eius carnem mox resurrecturam peremerunt.

Idem libro de Paradiso.

Bilinguis serpens habetur atq; mortalis, eò, quòd Diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur.

Augustinus in mensa hos uersus dicitur habuisse.

Quisquis amat dictis absentum rodere uitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Hiero-

Caue ne linguam aut aures habeas prurientes: vt alijs detrahas, aut alios detrahentes audias.

Ibidem.

Non licet tibi vituperationem alterius patienter audire. Quia nec ab alijs optas recipi tuam: Nemo inuito auditori libenter refert detractoria. Sagitta in lapide non infigitur, sed interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor dum te videt non libenter audire, nō facilè detrahere.

Ibidem.

Plus peccat detractor, qui amorem proximi à corde alterius minuit, quàm qui victum ab ore pauperis rapit, nam sicut anima pretiosior est quàm corpus, sic grauius est animæ noxium auferre quàm corpori.

Ibidem.

Cauendum est ne quis sinistrum aliquid de aliquo loqui præsumat, nisi propter eius emendationem faciat.

Hieron. ad Celantiam.

Nulli vnquam omnino detrahas, & aliorum vituperatione non te laudabilem videri velis: magis vitam tuam ornare disce, quam alienam carpere. Et semper memor esto scripturæ dicentis: noli diligere detrahere, ne eradiceris, pauci etenim sunt, qui huic vitio renuntient.

Ibidem.

Rarum inuenies, qui reprehensibilem vitā suā exhibere velit, vt is non libenter reprehendat alienam. Tantaq; huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen quasi in extra neum laqueum diaboli incidant.

Hiero. in epist. ad Rusticum Monachum.

Sicut sagitta si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, vulnerat vulnerantem: ita detractor, cùm tristē faciem viderit audientis. Imò nō audientis sed obturantis aures suas, ne audiat sanguinem, ilico conticescit: pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur.

Idem epist. 34.

Cum detractoribus non commiscearis: quoniam repentè venit perditio, tam eius, qui detrahit, quàm eius, qui accommodat aurem.

Idem epist. ad Rusticum monachum.

Nulli detrahas: Nec in eo te sanctum putes, si alios laceres. Accusamus sæpe, quæ facimus, contra nos ipsos deferri in nostra vitia inuehimus, inuiti de eloquentibus iudicantes.

Idem super Ecclesiasten.

Serpens & detractor ęquales sunt: quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens pectoris virus sui in fratrem effundit, & nihil habet amplius à serpente.

Gregorius Natali episcopo & habetur dist. 44.
Conuiuia. §. Sciendum.

Sciendum est, quia tunc ex charitate conuiuia veraciter prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur.

Idem & hab. 6. q. 1. Ex merito §. Deteriores.

Deteriores sunt, qui vitā moresq; bonorum corrūpunt his, qui substantias aliorū, prædiaq, diripiunt. Caueat itaq; vnusquisq; ne aut linguam aut aures habeat prurientes, ne aut ipse alijs detrahat, aut alios detrahentes audiat.

Ibidem.

Parcant singuli detractioni linguæ, custodiantq; sermones suos, & sciant, quia cuncta, quę de alijs loquuntur, sua sententia iudicabuntur.

Greg. super Ezechiel. hom. 9.

Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possūt, detrahentiū sibi verba compescere, ne eorum pędicationē aut audiāt qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.

Ibidem.

Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quòd in puluerem sufflant, & in oculos suos terram excitant. Et vnde puluis detractionis perflauerit, minus inde veritatis videant.

Ibidem.

Linguas detrahentium sicut nostro studio excitare non debemus, ne ipsi pereant: ita per sui malitiam excitatas ęquanimiter tolerare, vt meritum nobis accrescat: aliquando etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eos, qui audire nos ad bonam poterant cordis innocentiam, corrumpant.

Ibidem.

Cùm linguæ derogantium corrigi nequeūt, æquanimiter sunt per omnia tolerandæ, nec detractionis sermo timendus est: ne dum vituperatio peruersorum metuitur, recti operis via deseratur.

Gregorius in Pastorali.

Non maledices surdo, &c. Surdo maledicere, est absenti ac non audienti derogare. Coram cæco offendiculum ponere, est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem prębere.

Isidorus de summo bono lib. 3.

Non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert, sed & is qui citò aurē criminib. prębet.

Bernardus libro de consideratione.

Detrahere aut detrahentem audire, quid horum sit damnabilius non facilè dixerim.

Ibidem.

Omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure loquitur, suspectum habeas: quod si corā te indicare ille renuerit, delatorem iudices, nō accusatorem.

Bernardus super Can. serm. 24.

Detractores autem quodã simulatę verecundię fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas à detractore alta præmitti suspiria, sicq; cum quadam grauitate & tarditate, vultu mœsto, dimissis supercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem: & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde non auido, & magis condolenti affectu quàm malitiosè proferri: doleo (inquit) vehementer pro eo quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum, & aliàs mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum, reuera ita est.

Caßiodorus super Psal. 3.

Dentes dicti sunt à demendo. Ideo pulchrè linguę detrahentium dentes vocantur. Quia sicut illi ciborum partes demũt, ita & isti opiniones hominum corrodunt.

Idem super Psal, Dixi custodiam.

Quis hominum sic cautus est, vt si inter æmulos loquatur, nullum verbum eius incurrat aliquam quæstionem: nam menti furore ebriæ omne quod rectũ dicitur, peruersum videtur.

Glosa Romanorum 1.

Differentia est inter susurronem & detractorem. Quia susurro inter amicos discordiam seminat, detractor aliorum bona minuit vel negat. Ne autem leuia putentur peccata susurratio & detractio, quia in verbis fiunt, ideo Apostolus dicit, detractores & susurrones Deo odibiles sunt.

Laertius Diogenes de uita & moribus Philoso.

Cùm Xenocrates esset cum quibusdam detractoribus & taceret: quærente vno, cur solus taceret: quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

Cicero in Officijs.

Detrahere igitur aliquid alteri, & hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturã quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cętera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollũt conuictum hominum & societatem.

Ibidem.

Arbitrari debemus magis esse contra naturam hominem homini detrahere sui commodi causa, quàm omnia incommoda subire, vel externa vel corporis.

Valerius Maximus libro 4.

Nulla tam modesta felicitas est, quæ malignantes dentes vitare posit.

Terentius Comœdia ultima.

Nihil est Antipho, quin malè narrando poßit deprauarier.

Ouidius Metamorpho. lib. 13. fabula 1.

—Neq; enim benefacta malignè
Detractare meum est.

Ouidius de Ponto.

—Lædere uiuos,
Liuor & iniusto corpore dente solet.

Horatius Sermonum libro 1. satyra 4.

—Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos.
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis:
Fingere qui non uisa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Horatius episto. libro 1. epist. 19.

Arcanum neq; tu scrutaberis ullius unquam.
Commissumq; teges, & uino tortus & ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

DEVS & dea Græcè θεός ὁ ἡ, & θεῖος, vel θεῖκος οὗ ὁ diuinus dicitur. Est autem Deus animal sempiternum & optimum, secundum Aristotelibro 11. Mataphy.

Deus est incorporalis mens, quæ per omnem rerum naturam diffusa & intenta, vitalem sensum cunctis animantibus tribuit, secundum Pythagoram, vt est apud Lactantium libro de ira Dei. Deus, vt idem Lactantius ait ibidem, tantus est, vt ab homine non posit aut verbis enarrari, ant sensibus æstimari: vnus enim (idem ait) est princeps & origo rerum Deus, sicut Plato in Timeo & sensit & docuit: cuius maiestatem tantam esse declarat, vt nec mente comprehendi, nec lingua exprimi posit. Socrates apud Xenophontem ait, formam Dei non oportere cõquiri. Plato in libris Legum ait: Quid omninò sit Deus, non esse quærendum; quia nec inueniri posit nec enarrari.

Deus quid sit scire non possumus. B. Tho. prima parte quæst. 1. art. 7.

Deus non habet diffinitionem, ibidem.

Dei cognitio per essentiam est naturalis soli Deo, angelo autem per similitudinem, nobis verò per speculum, id est, per speciem aliorum, B. Tho. prima parte q. 56. art. 3.

Deus (ait Cicer. lib. 1. de Natura deorum) quid aut qualis sit roges me? autore vtar Simonide: de quo, cùm quęsisset hoc idem tyrannus Hiero deliberãdi causa sibi vnam diem postulauit: cùm idem ex eo postridie quæreret, biduũ petiuit: cùm sæpius duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero quęreret cur ita faceret: quia quantò, inquit, diutius cõsidero, tanto mihi res videtur obscurior.

Deus propriè diffiniri non potest: tum quia Deus non est sub genere, sed est super omne genus, tum quia non est compositus ex genere & differẽtia, nec ex aliquo alio, sed est purus actus & summè simplex.

Deus licèt facilius sit dicere quid non sit, quàm quid sit: ita tamen ab aliquibus describitur.

Deus

Deus est mens vniuersi.

Deus est quicquid vides totum, & quicquid non vides totum.

Deus est animus per immensas mundi partes omnemq́; naturã cõmeans atq; diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt.

Deus est infinita mẽs, quę per seipsam mouet.

Deus est præstans quædam natura, qua nihil est melius, cuius prouidentia mundum, quem condidit, assiduè gubernat.

Deus, vt quidam putant, dictus est à dando: quia hominib. dat quicquid cõmodum est, vel dicitur eò q̃ nihil ei desit. vel à θεός quod Deum significat, vel ἀπὸ του θεωρέω, qd' est video & speculor, quia peruigil omnia contéplatur & videt. vel ἀπὸ τοῦ δέομαι. i. timeo, quod mortalibus sit timẽdus. Statius: Primus in orbe deos fecit timor.

Genesis 50.

Num Dei possumus resistere voluntati?

Exodi 15.

Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia?

Ibidem.

Dominus regnabit in ęternum & vltrà.

Exodi 34.

Dominator Dñe Deus misericors & clemens, patiẽs & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in milia, qui aufers iniquitatẽ & scelera atq; peccata, nullusq́; apud te per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrũ in filijs ac nepotib. in tertiam & quartã progeniem.

Numeri 23.

Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutusq́; est & non implebit?

Isaiæ.

Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis absq; iniquitate iustus & rectus.

Iosue 1.

Confortare & esto robustus. Noli metuere, & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quęcunq; perrexeris.

Iosue 2.

Dominus Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.

Ibidem.

Hoc diligentissimè pręcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum.

1. Regum 2.

Nõ est sanctus vt est Dominus, neq; enim est alius extra te: & nõ est fortis sicut Deus noster.

1. Paralipomenon 17.

Domine non est similis tui, & non est alius Deus absq; te.

Ibidem cap. 21.

Dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me angustię premunt, sed melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quàm in manus hominum.

Ibidem 22.

Prębete igitur corda vestra & animas vestras vt quęratis Dominum Deum vestrum.

2. Paralipomenon cap. 2.

Magnus est enim Deus noster super oẽs deos.

2. Esdræ cap. 8.

Virtus Domini erit cum eis, qui inquirunt eum in omni affectu.

3. Esdræ 8.

Solus enim es, & vna plasmatio nos sumus manuum tuarum.

Tobiæ 3.

Iustus es Dñe, & omnia iudicia tua vera sunt, & oẽs vię tuę misericordia, veritas & iudicium.

Tobiæ 4.

Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. *Hester 13.*

Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuę resistere voluntati.

Ibidem.

Tu fecisti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

Iob 43.

Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniq tas, op' enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. *Iob 37.*

Digne eũ inuenire nõ possumus, magnus fortitudine, iudicio, & iustitia, & enarrari nõ potest, ideo timebũt eum viri, & nõ audebũt contemplari omnes, qui sibi vidẽtur esse sapientes.

Psal. 32.

Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. *Psal. 126*

Nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborauerũt, qui ædificant eam: Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilat, q custodit eã.

Psalmo 127.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. *Psal. 134.*

Omnia quęcunq; voluit Dominus fecit in cęlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

Psalmo 144.

Prope est Dñs omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Ibid.

Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.

Ecclesiastes 8.

Intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorũ quæ sunt sub sole, & quantò plus laborauerit ad quęrendum, tantò minus inueniet: etiamsi dixerit sapiens,

piens, se nosse, non poterit reperire.

Ibidem.

Quomodo ignoras quę sit via spiritus, & qua ratione cōpingantur ossa in ventre pregnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

Sapientiæ 15.

Nosse enim Deum, consummata iustitia est, & scire iustitiam & virtutem suam, radix est immortalitatis.

Sapientiæ 16.

Tu es Domine, qui vitę & mortis habes potestatem, & deducis vsque ad portas mortis & reducis.

Ecclesiastici 1.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.

Ecclesiastici 33.

Timenti Deum non occurrunt mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis.

Isaiæ 55.

Quęrite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Mathæi 9.

Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.

Matthæi 14.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.

Marci 10.

Nemo bonus nisi vnus Deus.

Ibidem 12.

Primum omnium mandatum est: Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.

Lucæ 5.

Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?

Ioannis 3.

Deum nemo vidit vnquam.

Ad Romanos 1.

Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas.

Ad Romanos 4.

Quęcūq; promisit Deus, potēs est & facere.

Ibidem 8.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

1. ad Corinth. cap. 2.

Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.

Ibidem 10.

Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

2. ad Corint. 3.

Non sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

2. ad Corint. 8.

Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.

ad Philip. 2.

Deus est enim, qui operatur in vobis velle & & perficere bona voluntate.

1. ad Timoth. 2.

Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.

ad Hebræos 12.

Etenim Deus noster ignis consumens est.

Actuum cap. 10.

Aperiens Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarū acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Iacobi 1.

Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

2. Petri 3.

Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.

Augustinus libro de Trinitate, & habetur de Conse. dist. 3. Omnes quos.

Omnes quos potui legere, qui ante me scripserunt de Trinitate, quę Deus est, diuinorum librorum veterum & nouorum catholici tractantes hoc intenderunt secundum scripturas docere: Quòd pater & filius & spiritus sanctus vnius eiusdemq; substantiæ inseparabili æqualitate diuinam insinuant vnitatem: ideoq; non sunt tres dij, sed vnus Deus, quamuis pater filiū genuerit, & ideo filius non sit, qui pater est, filiusq; à patre sit genitus & ideo pater nō sit, qui filius, spiritusq; sanctus nec pater sit nec filius, sed tantummodo patris & filij spiritus, & patri & filio etiam ipse coęqualis, & ad trinitatis pertinens vnitatem, non tamē eandem trinitatem natā de virgine Maria, & sub Pontio pilato crucifixam, & sepultam, tertia die resurrexisse & in cælum ascendisse, sed tantummodo filium.

Ibidem

Pater & filius & spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur.

August. de Trinitate libro 1.

Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur, quàm trinitas.

August. epist. ad Macedonium.

Deus perpauca in hoc seculo punit, ne diuina

na prouidentia non esse credatur, & multa seruat vltimo examini, vt futurum iudicium commendetur.

Ibidem epist. 2.

Non ego meo ingenio vel merito, sed eius dono sum, si quid laudbile sum: nam quædam acutissima & excellentissima ingenia tantò in maiori errore errant, quantò confidentius tanquam suis viribus cucurrerint, nec suppliciter ac veraciter Deum, vt viam sibi ostenderet, petiuerunt.

Augustinus libro Meditatio.

Quid est Iesus nisi saluator? igitur propter temetipsum esto mihi Iesus. Noli Domine, noli sic attendere malum meum, ne obliuiscaris bonum tuum. O bone Domine si ego admisi vnde me damnare potes, tu non amisisti, vnde me seruare soles.

Augu. libro Supportationum parte 3. cap. 1.

Iustum est vt creatura laudet Deum creatorem, ipse enim nos ad laudandum se creauit, qui nostris non indiget laudibus. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipsa sibi sufficiens, magnus enim Dominus noster, & laudabilis valde. Hunc itaq; mens diligat, lingua canat, scribat manus, atq; in his sanctis studijs fidelis animus se exerceat.

Aug. libro 7. Confessionum.

O æterna veritas & vera charitas, & chara æternitas, tu es Deus meus vbi suspiro die ac nocte.

Aug. libro 12. Confess.

Es gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudiũ tu es ipse, & ipsa est vita beata gaudere à te, de te, propter te. Ipsa est & nõ altera, bona quippe vita est gaudium de veritate, hoc est enim gaudium de te, qui es veritas.

Augustin. super illud Pater noster, &c.

Deus est in seipso, sicut alpha & ω: in mundo, sicut rector & author: in angelis sicut sapor & decor: in Ecclesia, sicut paterfamilias in domo: in animo, sicut sponsus in thalamo: in iustis sicut adiutor & protector: in reprobis, sicut pauor & horror.

August. de Creatione.

Si aliquando Dominus tardius dat, commendat dona, non negat: diu desiderata dulcius obtinentur: citò autem data vilescunt. Seruat tibi Deus quod nõ vult citò dare, vt & tu discas magna magnè desiderare.

Augu. libro 8. de ciuitate Dei.

Platonici dicunt beatum esse hominem fruentem Deo, non sicut corpore vel seipso fruitur animus, aut sicut amicus amico, sed sicut luce oculus.

Ibidem.

Quicunq; philosophi de Deo senserũt, quod rerum creatarum sit effectiuum, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarum: quod ab illo nobis sit principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ, illos cæteris anteponimus, eosq; nobis propinquiores fatemur.

August. super Genesin libro 5.

Omnia priusquam fierent in notitia facientis erant, & vbiq; ibi meliora, vbi veriora.

Ibidem libro 8.

Deus solus Dominus est, quia illi animo, nõ ad suã, sed ad nostram vtilitatem seruimus: nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cùm per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua etiam ipse seruiret.

Aug. sup. Ioannem sermone 3.

Cùm Deus immortalitatem tribuit, dona sua coronat, non merita nostra.

Aug. super Ioan. serm. 19.

Deus tibi totũ est: si esuris panis: si sitis aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est: si nudus es, immortalitate tibi vestis est.

Aug. super Ioan. serm. 50.

Quare Dominus vnum proditorẽ inter duodecim habere voluit? nisi vt malos toleremus, nec corpus Domini diuidamus.

Augu. super Psal. 26.

Quicquid præter Deum est, dulce non est: Quicquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det.

August. sup. Psal. 54.

Siue tribulemur, & angustemur, siue lętemur, & exultemus, ille laudandus est, qui & in tribulationibus erudit, & in lætitia consolatur. Laus enim Dei à corde & ore Christiani recedere nõ debet, non vt laudet in prosperis, & maledicat in aduersis: sed quemadmodũ Psalmus ille scribit: Semper laus eius in ore meo. Gaudes, agnosce patrem blandientem: tribularis, agnosce patrem emendantem: siue blandiatur, siue emendet, eum erudit, cui parat hęreditatem.

August. super Psal. 74.

Non est quò fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum.

August. super Psal. 126.

Deus totus oculus est, quia omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur: totus pars est, quia vbiq; est.

Aug. de uerbis Domini serm. 3.

Christus filius Dei, qui nos fecit, liberat nos non à barbaris, sed à diabolo: non à corporis captiuitate, sed ab animæ iniquitate. Solus est qui sic liberat, nemo se liberum dicat, ne seruus remaneat: sed non remanebit in seruitute anima nostra quia quotidie dimittũtur debita nostra.

Ibidem.

O magna Dei bonitas, cui pro cõditione reddere debemus obsequia, vtpote serui Domino, famuli Deo, mancipia redẽptori. Amicitiarũ nobis

bis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debitæ seruitutis extorqueat, vt quos nolle seruire conspicit, sponte beneficiorum suorũ possit promissionibus inuitare.

Augustinus libro de Pœniten.

Quo ibo à spiritu tuo? nemo fugit ab illo, nisi ad illum: ab eius seueritate, ad eius bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem? nisi eius præsentiam ibi inuenias: si ascenderis in cælum, ibi est: si descenderis in infernũ, adest.

Idem de Catechumenis.

Quicquid homo fecerit, laudabilem in suis factis Deum inuenit. Si rectè egit, laudabilem inuenit per instrumentum præmiorum: si peccauerit, laudabilem inuenit per iustitiam suppliciorum: si peccata confessus ad rectè viuendum redierit, laudabilem inuenit per iustitiam indulgentiarum.

Augu. de uera religione.

Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetunt ea, quę Christus Iesus contempsit, aut fugiunt quæ Christus sustinuit, tota itaq; vita eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

Idem libro de spiritu & anima cap. 4.

Nemo de Dei pietate diffidat, quia maior est sua misericordia, quàm nostra miseria: & quisquis ad Deum toto corde clamauerit, exaudiet illum, quia misericors est.

Augu. in homilia de obedientia.

Nihil Deus iubet, quod sibi prosit, sed cui iubet.

Idem de decem chordis in principio.

Gaudemus ad Dei misericordiam, sed timeamus ad Dei iudicium.

August. libro 2. de Trinitate.

Natura Dei est inuisibilis, potest tamen videri in aliqua specie, quam ipse elegerit, non quam natura formauit.

Augustinus libro de Trinitate

Beata Trinitas pater & filius & spiritus sanctus est vnus Deus, & summum bonum, quod non nisi purgatissimis mentibus cernitur: mentis enim humanæ acies inualida in tam excellentem lucem non figitur, nisi per iustitiam Dei emundetur.

Aug. libro 8. de Trinitate.

Duo autem mutuo se amantes sunt pater & filius, amor autem qui est eorum nexus, est spiritus sanctus, ergo tres personæ in diuinis.

August. 4. super Genesin ad literam.

Virtus Dei ab his, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisq; natura concideret.

Hieronymus epistola 1.

Deus secundum quod eum definire potest humana mens naturæ ipsius vel substantię, quę est super omnia appellatio est. Pater arcani & ineffabilis sacramenti vocabulum est. Deum cùm audis substantiam intellige, sine initio sine fine simplicem, sine vlla admixtione inuisibilem, incorporeum, inæstimabilem, in quo nihil adiutũ, nihil creatum sit, & sine authore: est enim ille qui est omnium author. Patrem cùm audis, filij intellige patrem. Qui filius supràdictæ est imago substantiæ, sicut enim nemo dicitur domiuus, nisi habeat vel possessioné, vel seruum cui dominetur. Et sicut nemo magister dicitur, nisi discipulũ habeat, ita & pater nullo pacto quis dici potest, nisi filiũ habens: hoc igitur ipso nomine quo Deus pater appllatur, cum patre pariter subsistere etiã filius demõstratur. Quomodo aũt Deus pater genuerit filiũ, nolo discutias, nec te curiosius ingeras in ꝓfundo arcani, ne fortè dum inaccessę lucis fulgoré pertinatius perscruteris, exiguũ ipsum qui mortalibus diuino munere cócessus est, perdas aspectũ.

Hieronymus epistola 1.

At si putas in hoc omni indagationis genere vtendum. Prius tibi propone, quæ nostra sunt, quę si cósequenter valueris expedire, tũc à terrestribus ad cęlestia, & à visibilibus ad inuisibilia properato. Expedi primò, si potes, quomodo més, quæ intra te est, generet verbũ, & quid sit in ea memoriæ spiritus: quomodo hæc cùm diuersa sint rebus & actibus, vnũ tamẽ sint vel substantia vel natura, & cùm è mente procedat nunquã tamen ab ipsa separentur. Et hęc quanuis in nobis & maximè in nostra substantia habentur, tamen tantò nobis occulta videntur, quantò aspectui corporeo inuisibilia.

Ibidem.

Scito adhuc diuinę generationis mysterium tantò esse differentius & eminentius, quantò creator creaturis potentior, quantò artifex opere suo præstantior, quãtò ille, qui semper est eo, qui ex nihilo cœpit esse, nobilior. Credendus est ergo Deus esse pater vnici filij sui Domini nostri, non discutiendus. Neque enim fas est seruo de natalibus Domini disputare.

Ibidem.

Nhil ibi dicas impossibile vbi aderat virtus altissimi, nihil de humana fragilitate cogites, vbi plenitudo inerat diuinitatis.

Ibidem.

Etenim (vt breuiter aliqua etiam de secretioribus perstringamus) ab initio Deus cùm fecisset mundum, præfecit ei, & prępofuit quasdã virtutum cęlestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus.

Ibidem.

Deo autem qui vbiq; est, & nunsquam deest, quid infernum est, aut quid supernum.

Hieronymus epist. 4.

Vna est Dei sola natura, quæ vera est, ad idem nim quod subsistit non habet aliunde, sed suũ est.

est. Cętera quæ creata sunt, etiam si videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt, & potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet.

Idem epistola 5.

Quod si Deus tantus venisset, vt claritatem suam & potestatem hominibus ostenderet, forsitan omnis creatura inualida & casura succumberet: sed saluare venerat filius Dei: ita humano sumpto corpore Deus in potestate docebat vt magister, persuadebat vt frater, efficiebat vt Deus, eligebat vt præscius, curabat vt medicus, vt humanus cōpatiebatur. Et iam peractis omnibus ac impletis, quę aut Lex, aut Prophetę prędixerant, aut salus hominis exigebat. In nouissimo ꝓ morte hominis immortalis moriebatur, vt sublata mortalitate hominibus immortalitatem donaret.

Idem epistola 6.

Omnipotens Deus pater, & filius & spiritus sanctus vnus atq; trinus, vnus videlicet in natura, trinus in personis: solus inuisibilis, solus immensus atq; incomprehensibilis: solus incircunscriptus: solus incorporeus, & immortalis: vbiq; præsens, sed latens: vbiq; totus, sed immensus: Inuisibilis est, quia in essentia sua videri non potest, Apostolo testante, qui inquit: Quem vidit nullus hominum, nec videri potest. Et in Euangelio: Deum nemo vidit vnquam: Incorporeus est, quia nullis membrorum lineamentis compositus est, siue compactus existit, sicut veritas in Euangelio dicit: Spiritus est Deus, & qui adorat eum, in spiritu & veritate oportet adorare: Immensus est, quia quantitas eius vel qualitas à nullo metiri potest.

Hieron. contra Iouinianum epist. 9. cap. 16.

Neque enim possumus scire iudicia, & ex nostro arbitrio illius sententiæ præiudicare.

Hieronymus in epistola contra Rufinum, & habetur distin. 56. Nasci de adulte. §. Deus corporis crea.

Deus corporis creator, & animæ est. Noli despicere bonitatem figuli, id est, qui te plasmauit & fecit, vt voluit, ipse est Dei virtus & Dei sapientia, qui in vtero virginis Mariæ ædificauit sibi domum.

Idem in epistola ad Habidiam.

Deus enim cunctos æquali sorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisq; quod vult, siue bonum, siue malum. Quid ergo poterimus dicere, nisi ille qui vult damnari damnetur, & qui vult saluari saluetur. Vide suprà in Desperatio.

Hieronymus contra Pelagium.

Deus semper largitur, semper donator est: nō mihi sufficit, quod semel dedit, nisi semper det. Peto vt accipiam, & cùm accepero, rursus peto, auarus sum ad accipienda Dei beneficia. Nec ille deficit in dando ipsa, nec ego satior in accipiendo: quantò plus bibo, tantò plus sitio.

Hieronymus in Matthæum.

Erubescant qui putant Saluatorem timuisse mortem, & passionis pauorem, cùm dixit: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Nam ipse tradendum se nouit, & tamen non declinauit insidias, territus fugit in tantum, vt etiam cæteris ire nolentibus pergat intrepidus.

Ibidem.

Dominus vt veritatem assumpti probaret hominis est quidem contristatus, sed ne passio in animo illius dominaretur, prope passionem cœpit contristari. Contristabatur enim non timore patiendi, quia ad hoc venerat, vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat, sed propter infelicissimum Iudam & omnium Apostolorum dispersionem, & reiectionem populi Iudęorum, & euersionem miseræ Ierusalem.

Hieron. in homi. Cùm appropinquasset Iesus.

Prauam animam multis modis Deus visitare consueuit, nam assiduè hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando miraculo, vt & vera, quæ nesciebat, audiat, & adhuc superbiens, aut contemnens, aut dolore compuncta sedeat, aut beneficijs deuicta, malum quod fecit, erubescat.

Hieronymus super Naum.

Si crudelis & rigidus Deus, quod in diluuio deleuit genus humanum, super Sodomam ignē & sulphur pluit, Aegyptios summersit fluctibus, Israëlitarum cadauera prostrauit in deserto: scitote ideo eum ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret, quia non in idipsum bis iudicat Dominus.

Ambrosius in Isaac.

Adest Deo, qui exit de seculo: adest Deo, qui illum cogitat, qui eum intuetur, qui in ipso sperat: adest ille, iuxta Deum est, qui extra se non fuerit.

Idem de Virginitate libro 10.

Omnia Iesus Christus est nobis si volumus: curari desideras medicus est: si febrib. æstuas, fons est, si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si ire desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum appetis, alimentum est: Gustate igitur & videte, quoniam suauis est Dominus.

Idem libro de Ieiunio.

Iugum & onus Christi leue est, & non conterit colla: honestat, non alligat ceruicem vinculis, sed mentem gratia.

Ambrosius super Beati immaculati.

Deus interuallo locorum non relinquitur, sed prauitate morum gestorum vnusquisq; suis studijs, aut se Deo iungit aut separat.

Ibidem.

Dominus Iesus veniens in hunc mundum per

virginis partum subiecit curę nostrę omnes cõtrarias potestates, vt fide tua, verbo tuo, & operibus tuis conterantur. Si ergo non conteris aduersarium, tua culpa est, qui permissa potestate non vteris. In nobis igitur aut subijciatur aduersarius, aut resultet.

Idem super Lucam libro 1.

Non in loco Deus videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circunscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, & cùm absens est videtur, & cùm præsens est non videtur.

Ambrosius super Lucam cap. 15.

Impios quæsiuit Dominus, qui eum non quęrebant, & pro eis voluit mori: quomodo clamantes ad se non exaudit?

Ambrosius super Lucam libro 5.

Vberior est Dei gratia, quàm precatio: semper enim plus tribuit Dominus quàm rogatur, nam latro rogabat, vt memor esset sui Dominus, cùm veniret in regnum suum: Dominus autem ait: hodie mecum eris in Paradiso.

Gregorius in homilia super illud Lucæ: Ecce cœperunt simul excusare.

Offert Deus quod rogare debuerat, non rogatus dare vult, quod vix credi poterat, vt largiri dignaretur etiam postulatus. Magna enim pietas Dei omnipotentis super nos afficitur, quę sedeserentes non deserit.

Gregorius in homilia de uno martyre.

Sicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

Gregorius libro 2. Moralium.

Creator omnium Deus pater omnipotens vbiq; est, & vbiq; totus est, in parte non est, quoniam vbiq; est: & tunc minus inuenitur, quando is, qui vbiq; totus est, in parte quæritur.

Gregorius ibidem super Ezechielem homilia 8.

Nunquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè est: nec tamen ibi deest, vbi longè est: quoniam vbi non est per gratiam, adest per vindictam. Deus vbiq; præsens est, & vix inueniri potest, stantem sequimur, & apprehendere non valemus.

Ibidem.

Ponamus ante oculos quæ sit illa Dei natura, quæ tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, super excedit omnia, sustinet omnia. Nequaquam autem Deus ex vna parte sustinet, atque ex alia superexcedit, neq; ex alia parte implet, atq; ex alia parte circumplectitur: sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur: sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet: sine inquietudine superius regens, sine latitudine inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circundans. Est itaq; inferior & superior sine loco, & amplius sine latitudine, est subtilis sine extenuatione. Et qui per molem corporis nusquam est, per incircũscriptam substantiam suam nusquam deest.

Gregorius ibidem, & in Moralibus.

Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circundans, interius penetrans.

Idem Moralium libro 15.

Deus idcirco laudes suas nobis indicat, vt valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes verò eius visione perfrui, vnde Psalmista: Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium, ac si apertè dicat: Idcirco fortitudinem suę operationis insinuat, vt eum, qui audierit, donis + dicet.

Idem libro 19. Moralium.

Deus vitam malorum tolerat, vt cùm aduersarius noster Diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quasi contrarijs armis vtatur, per ipsos quippe viuos sęuiens cruciat, vel nescius purgat.

Gregorius libro 18. Moralium.

Deus bona facit & ordinat, mala non facit, sed ab iniquis facta, ne inordinatè veniant, ipse disponit.

Gregorius libro 26. Moralium.

Deus nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus, si hęc cũcta percuteret, extremũ iudicium vnde restaret?

Idem libro 33. Moralium.

Deus primò elegit indoctos, postmodum philosophos: & per oratores docuit piscatores, sed per piscatores subegit oratores.

Gregorius in Registro.

Deus in hac vita electis suis non promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, vt medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant.

Gregorius libro 9. Moralium super illud Iob 9. Si æquitas iudicij quæritur.

Ille causas examinat, qui eas per alienum testimonium non explorat.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Deus gaudet non de suo lucro, sed de nostra salute: tristatur non de sua iniuria, sed de nostra perditione.

Ioannes Chrysostomus in homilia de Cruce.

Iesum Christum habemus magistrum, vt non peccemus: & defensoré, si peccauerimus: & confessorem, si conuersi fuerimus: & interpellatorem pro nobis, si quod boni à Domino desideramus,

mus,& datorem cum patre eorum,quæ impetramus.

Idem de reparatione lapsi.

Deus cùm pœnas infert & punit,non cum ira passibili,sed omni clementia ineffabili facit medentis,non perimentis affectu.

Bernardus in sermone Natiuitatis.

Quid tam necessarium perditis?quid tam optabile miseris?quid tam vtile desperatis?Christus salus singulis,forma exemplaris,vita salutaris,salus infirmantium,forma suspirantium,vita sperantium.

Bernardus in sermone de Natiuitate.

Venit medicus ad ægros,venit redemptor ad vẽditos,venit via ad errantes,venit vita ad mortuos,venit cum salute,cum vnguentis,cum gloria,nec sine salute Iesus,nec sine vnctione Christus,nec sine gloria venit Dei filius.

Idem de Consideratione libro 5.

Non parum apprehendisti,si hoc tibi de Deo compertum sit,quod nusquam sit,qui non clauditur in loco & nusquam non sit,qui non excluditur loco.

Ibidem.

Deus non partibus constãt,vt corpus:non affectibus distat, vt anima:non formis substat, vt omne quod factum est: nunquid verendum ne cogitatio transuolet illum:quantumcunq; in altum prospiciat vltrà est. In terra quod homo cogitare possit altissimum quęrere ridiculum est, statuere ipsum vltrà,non citra quærendus est.

Bernardus in sermone 57.

Quàm diues es in misericordia,quàm magnificus in iustitia, quàm munificus in gratia, Domine Deus noster,non est qui similis sit tibi.Munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator pijssime, gratis respicis humiles,iustè iudicas innocentes,misericorditer etiam saluas peccatores.

Hugo de claustro animæ libro 1.

Sicut nullum est momentum,quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia. Sic nullum debet esse momẽtum,quo eum præsentem non habeat in memoria.Omne tempus in quo de Deo non cogitas,hoc te computa perdidisse.

Caßiodorus super Psalm.39.

Iesus Christus pauper est de nostro,de suo diues:qui ideo indignam humanitatis insumpsit naturam,vt abundantiæ suę nos participes faceret.

Caßiodorus super Psalm.Magnus Dominus.

Virtus inexplicabilis,pietas incomprehensibilis,sapientia ineffabilis, cuius diffinitio est finem in sanctis laudibus non habere.

Boëtius de Consolatione libro 3.metro 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cæliq; sator,qui tempus ab æuo
Ire iubes,stabilisq; manens,das cuncta moueri,
Tu namq; serenum.

Ibidem.

Tu requies tranquilla pijs,te cernere finis,
Principium,uector,dux,semita,terminus idem.

Ibidem lib. 3.prosa 10.

Deum rerum omnium principem bonum esse communis humanorum conceptio probat animorum:nam cùm nihil Deo melius excogitari queat, id quo melius nihil est, bonũ esse quis dubitat?

Ibidem.

Ne in infinitum ratio procedat,confitendum est summum Deum summi perfectiq; boni esse plenissimum, sed perfectum bonum veram esse beatitudinem constituimus, veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est.

Ibidem libro 3.prosa 12.

Deus per se regit omnia quæ homini esse consensimus,&hic est veluti quidam clauus atq; gubernaculum,quo mundana machina stabilis atque incorrupta seruatur.

Ibidem.

Nihil est quod naturam seruans Deo contraire conetur.

Ibidem libro 4.prosa 6.

Omnium generatio rerum cunctusq́; mutabilium naturarum progressus, & quicquid aliquo mouetur modo causas,ordinem,formas ex diuinæ mentis stabilitate sortitur.

Idem libro 4.prosa 6.

Fortissimus in mundo Deus cũcta regit, cùm omnia secula præuidet ac prospicit. Neq; enim fas est homini cũctas diuini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone,hoc tantum prospexisse sufficiat,quod naturarum omnium proditor Deus,idem ad bonum dirigens cuncta disponat.

Ibidem metro 6.

Sedet interea conditor altus,
Rerumq́; regens flectit habenas,
Rex & Dominus,fons & origo,
Lex & sapiens arbiter æqui.

Ibidem.

Hic est cunctis continuus amor,
Repetuntq; boni fine teneri:
Quia non aliter durare queant.
Nisi conuerso rursus amore
Refluant causæ,quæ dedit ipse.

Lactantius Firmianus diuin.institu.lib.1.cap.2.

Stoici acerrimè retulerunt,dicentes,nec fieri mundũ sine diuina ratione potuisse:nec constare,nisi summa ratione regeretur.

Ibidem.

Nemo est enim tam rudis,tam feris moribus, qui non oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat,cuius Dei prouidentia regatur hoc omne,

ne, quod cernitur, aliquam tamē esse intelligat ex ipsa rerũ magnitudine, motu, dispositione, cõstantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri, quin id, qđ mirabili ratione constat, consilio maiore aliquo sit instructum.

Ibidem cap. 3.

Nemo est quidem, qui sapiat, rationemq; secum putet, qui non vnum Deum esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi fortè arbitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum atq; virium.

Ibidem.

Deus autem qui est æterna mens, ex omni vtiq; parte perfectæ consummatæq; virtutis est. Quod si verum est, vnus sit necesse est.

Ibidem.

Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis habet imperium? neque immeritò, cùm illius sint, quę vbique sunt, omnia: cùm ad eum solum omnes vndiq; copię congregantur.

Ibidem.

Qui autem putat hanc tãtam magnitudinem non posse ab vno regi, fallitur. Nec enim quanta vis potestasq; sit diuinæ maiestatis, intelligit, si existimat singularem Deum, qui facere mundũ potuit, eundē regere non posse, quem fecit.

Ibidem.

At si concipiat animo quanta sit diuini huius operis immensitas, cùm antea nihil esset, tamen virtute atq; consilio Dei ex nihilo esse conflatã. Quod opus nisi ab vno inchoari perficique non potuit, iam intelliget multò facilius ab vno regi, quod est ab vno constitutum.

Lactantius Firmianus diuinarum institutionum libro 1. cap. 3.

Nam si Deus est nomen summæ potestatis, incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis, nulli rei subiectus. Ergo dij non sunt, quos parere vni maximè Deo necessitas cogit.

Ibidem.

Nemo potest esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis diuinam claritatem.

Ibidem.

His igitur tot & tantis testibus comprobatur vnius Dei potestate ac prouidētia mundum gubernari, cuius vim maiestatemq; tantam esse dicit in Timæo Plato, vt eam neq; mente concipere, neq; verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam & inæstimabilem potestatem.

Ibidem.

Dubitet ergo aliquis an quicquam difficile aut impossibile sit Deo, qui tanta tamq; mirifica opera prouidentia excogitauit, virtute constituit, ratione perfecit; nunc autem spiritu sustentet, potestate moderetur: inexcogitabilis, ineffabilis, & nulli alij satis notus, quàm sibi.

Lactan. Firmian. diuinar. instit. libro 1. cap. 11.

Iuuare hominis est, opis aliquid conferentis in eum, qui est alienus & exigui beneficij. Nemo sic Deum precatur, vt se adiuuet, sed vt seruet, vt vitam salutemque tribuat, quod multo plus ac maius est, quàm iuuare. Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios iuuare, cùm eos generat aut educat. Illud enim leuius est, quàm vt eo verbo magnitudo paterni beneficij exprimatur. Quantò id magis conueniens est Deo, qui verus est pater, per quem sumus, & cuius toti sumus, à quo fingimur, animamur, illuminamur, qui nobis vitam impartit, salutem tribuit, victum multiplicem subministrat, &c. Non intelligit beneficia diuina, qui se iuuari tãtummodo à Deo putat. Ergo non imperitus modo, sed & impius est, qui nomine Iouis virtutem summæ potestatis imminuit.

Lactan. Firmian. diuinar. institut. libro. 2. cap. 1.

Equidem, sicut oportet, de summa rerum sæpenumero cogitans, admirari soleo maiestatem Dei singularis, quæ continet regitq; omnia, in tantam venisse obliuionem, vt quæ sola coli debeat, sola potissimum negligatur.

Ibidem.

Quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ? qui non agnoscunt cultum Dei, quem prorsus ignorari ab homine fas non est: nam & cùm iurant, & cùm optant, & cùm gratias agunt, non Iouem, aut deos multos, sed Deum nominant. A Deo ipsa veritas cogente natura, etiam ab inuitis peccatoribus erumpit. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus, nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficijs eius fruentes honorem dare diuinæ indulgentiæ debent.

Ibidem.

At verò, si qua necessitas grauis presserit, tunc Deum recordantur: si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum cõfugitur, à Deo petitur auxilium, Deus, vt subueniat oratur. Si quis in mari vēto sæuiente iactatur, hunc inuocat: si quis aliqua vi afflictatur, hunc potius implorat, si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius diuinum atque vnicum nomen hominum sibi misericordiam quærit: Nunquam igitur Dei meminerũt nisi dum in malis sunt. Postquã metus deseruit & pericula recesserunt, tum verò alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerunt, ne verbo quidem gratias agunt.

Lactan. Firmian. diuina. instit. libro 2. cap. 4.

Non placebat Persio, quod aurea vasa templis inferan-

inferantur, superuacuum putanti esse inter religiones, quod non sanctitatis, sed auaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est Deo, quem rectè colas inferre pro munere: Compositum ius, fasq́; animi, sanctosq́; recessus; mentis & incoctum generoso pectus honesto.

Idem libro 2. cap. 5.

Quantò igitur rectius est omissis insensibilibus & vanis, oculos eò tendere, vbi sedes, vbi habitatio est Dei veri, qui terram stabili firmitate suspendit, qui cælũ distinxit astris fulgentibus, qui solem rebus humanis clarissimum, ac singulare lumen, in argumentum suæ ac vnicæ maiestatis accendit. Terris autem maria circumfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.

Iußit & extendi campos, subsidere ualles,
Fronte tegi syluas, lapidosos surgere montes.

Ibidem.

Satis est homini ad plenam perfectamq́; prudentiam, si Deum esse intelligat, cuius intelligétiæ vis, & summa hæc est: Suspiciat & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem.

Ibidem.

Inest ergo syderibus ratio ad peragendum meatus suos, sed Dei est illa ratio, qui fecit & regit omnia.

Lactantius Firmian. libro 2. cap. 9.

Nemo quærat ex quibus ista materijs tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit, omnia fecit enim ex nihilo. Nec audiendi sunt Poëtę, qui dicunt chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum atq; elementorum: postea verò diremisse omnem illam congeriem, singulisq́; rebus ex confuso aceruo separatis in ordinemq́; discerptis, instruxisse mundũ pariter & ornasse.

Ibidem.

Credibilius est materiam potius à Deo factã, quia Deus omnia potest, quàm mundum à Deo non esse factum, quia sine mente, ratione, consilio nihil fieri potest.

Ibidem.

Deniq; cùm aperiret homini veritatem Deus, ea sola scire nos voluit, quæ interfuit hominem scire ad vitam consequendam: quæ verò ad curiosam & prophanam cupiditatem pertinebant reticuit, vt arcana essent. Quid ergo quæris, qui nec potes scire? nec si scias beatior fias? Patefacta est in homine sapientia, si & Deum esse vnum, & ab ipso facta esse vniuersa cognoscat.

Lactan. Firmia. diuina. instit. libro 2. cap. 10.

Vnde autem vel quomodo Deus hęc duo principalia ignem & aquam vel accenderit, vel eliquauerit, solus scire potest, qui fecit.

Idem libro 2. cap. 12.

Qui enim dicit omnia sua sponte esse nata, nihilq́; diuinæ prouidentiæ tribuit, hic profectò rationem non asserit, sed euertit. Quod si neq; fieri quicquam sine ratione, neq; nasci potest, apparet diuinam esse prouidentiam, cuius est proprium, quod dicitur ratio.

Ibidem.

Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominem, quod Cicero, quamuis expers cælestium literarum, vidit tamen, qui libro de Legibus primo, hoc idem tradidit, quod Prophetæ, cuius verba subieci: Hoc animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, pręclara quadam conditione generatum esse à summo Deo: solum est etenim ex tot animantium generibus atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cùm cætera sint omnia expertia.

Ibidem.

Deus ergo veri patris officio functus est, ipse corpus effinxit, ipse animam, qua spiramus, infudit; illius est totum quicquid sumus. Quomodo id fecerit, si nos oporteret scire, docuisset: sicut docuit cætera, quæ cognitionem nobis & pristini erroris, & veri luminis attulerunt.

Idem libro 2. cap. 17.

Nam Deus neque nomine, cùm solus sit, eget: neque angeli cùm sint immortales, dici se deos aut patiuntur, aut volunt, quorum vnum solumq́; officium est seruire nutibus Dei, nec omninò quicquam nisi iussu Dei facere.

Ibidem cap. 18.

Dicet aliquis: Cur ergo Deus hæc fieri patitur, nec tam malis succurrit erroribus? Vt mala cum bonis pugnent, vt vitia sint aduersa virtutibus, vt habeat alios, quos puniat, alios, quos honoret. Vltimis enim temporib. statuit de viuis, ac mortuis iudicare, de quo iudicio mihi erit in vltimo libro disputatio. Differt ergo donec veniat temporum finis, quo effundat iram suam in potestate ac virtute cælesti, sicut Vatum prædicta priorum terribili monitu horrificant: Nunc autem patitur homines errare, & aduersum se quoq; impios esse ipse iustus, & mitis, & patiens. Nec enim fieri potest, vt non is in quo perfecta sit virtus, sit etiam perfecta patientia. Vnde quidam putant ne irasci quidẽ Deum omnino, qui affectibus, qui sunt perturbationes animi, subiectus non sit, quia fragile est omne animal quod afficitur & commouetur: quæ persuasio veritatem atq; religionem funditus tollit.

Idem libro 2. cap. 19.

Calcãda terrena, vt cælestia consequamur: ita enim res se habet, vt quisquis qui animam suam, cuius origo de cælo est, ad interna & ima prostrauit, eò cadat, quò se ipse deiecerit. Ideoq́ue oportet rationis ac status sui memorem, non nisi ad superna niti semper ac tendere: quod qui fecerit, hic planè sapiens, hic iustus, hic homo, hic cælo Deoq́; dignus iudicabitur, quem suus parens non humilẽ, nec ad terram more quadrupedum,

dum, sed stantem potius, ac rectum, sicut eum fecit, agnouerit.

Idem libro 2.

Vellem igitur Ciceronem paulisper ab inferis surgere, vt vir eloquentissimus ab homunculo non diserto doceretur, sicut est vnus huius mundi constitutor & rector Deus, vna veritas, ita vnam esse simplicem sapientiam necesse est, quia quicquid est verum ac bonũ, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare.

Idem libro 3.

Est enim Deus qui solus potest honorare virtutem, cuius merces immortalitas sola est, quã qui non appetunt, nec religionem tenent, cui ęterna sua iacet vita, profectò neq; virtutis vim sciunt cuius premium ignorant, nec in cœlum spectant, quod ipsi se facere putant, cùm res nõ inuestigabiles quęrũt, quia ratio in cælum spectãdi nulla est alia, nisi aut religionem suscipere, aut animam suam immortalem esse credere. Quisquis enim aut colendum Deum esse intelligit, aut immortalitatis spem propositam sibi habet, animus eius in cælo est, & licèt id non aspiciat oculis, animi tamen lumine aspicit.

Ibidem.

Omnis sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat & colat, hoc nostrum dogma, hæc summa est, quanta itaq; voce possum, testificor, proclamo, denuntio: hoc est illud, quod philosophi omnes in tota vita sua quęsiuerunt, nec vnquam inuestigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia religionem aut prauam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt.

Ibidem.

Qui vult igitur sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ noscat, humana contemnat, diuina suspiciat, vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci.

Lactan. Firmia. diuin. institut. lib. 4. cap. 3.

Nam si diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficẽtia genus humanum sustentat, & quasi paterna indigẽtia fouet, vult profectò gratiam sibi referri, & honorem dari. Nec constare homini ratio pietatis potest, si cęlestibus beneficijs extiterit ingratus, quod nõ est vtiq; sapientis.

Ibidem.

Vnus ergo colendus est, qui potest verè pater noster nominari, idem etiam diuinus sit necesse est. quare sicut potest indulgere, ita etiam coercere: pater ideo appellandus est, quia nobis multa & magna largitur: dominus ideo, quia castigandi & puniendi maximam habet potestatem: Dominum verò eundem esse, qui sit pater etiam iuris ciuilis ratio demonstrat.

Idem libro 4. capite 4.

Deus autem qui vnus est, quoniam vtramq; personam sustinet, & patris, & Dei, & amare eũ debemus, quia filij sumus, & timere, quia serui.

Ibidem.

Fons autem sapientiæ Deus est, à quo hi duo riui, si aberrauerint, arescant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi. Sic fit, vt philosophi & qui deos colunt, similes sint aut filijs abdicatis, aut seruis fugitiuis, quia neq; illi patrem quærunt, neq; hi Dominum: & abdicati hęreditatem non assequuntur, & fugitiui impunitatem.

Ibidem.

Solus pater vocandus est qui creauit, solus Dominus nuncupandus qui regit, qui habet vitæ, & necis veram ac perpetuã potestatem. Quẽ qui non adorat, & insipiens seruus est, qui Dominum suum aufugit, & impius filius qui suum verum patrem vel occiderit, vel ignoret.

Idem libro 4. cap. 13.

Summus igitur Deus ac parens omnium, cũ religionem suam transferre voluisset, doctorem iustitiæ misit è cælo, vt nouis cultoribus nouam legem in eo, vel per eum daret, non sicut antè fecerat per hominem, sed tamen nasci eum voluit, tanquam hominem, vt per omnia summo patri similis existeret. Ipse enim Deus pater & origo, & principium rerum quoniam & parentibus caret, ἀπάτωρ atq; ἀμήτωρ id est, sine patre atque matre à Trismegisto verissimè nominatur, quòd ex nullo sit procreatus.

Idem lib. 4. cap. 25.

Deus nobis viam superandæ carnis & aperuit, & ostendit, qui virtus perfecta & omnibus vinculis absoluta coronam vincentibus, & mercedem expetendæ nobis immortalitatis impartit.

Idem libro 4. cap. 26.

Hos enim rectè mortuos existimaueris, qui datorem vitæ Deũ nescientes, atq; animas suas à cęlo in terram deprimentes in laqueos ęternę mortis incurrunt.

Ibidem.

Deus namq; (sicut superius dixi) cùm statuisset hominem liberare, magistrum virtutis legauit in terram, qui & præceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, & operibus, factisq; præsentibus iustitiæ viam panderet, qua gradiens homo & doctorem suum sequens ad vitam æternam intraret.

Ibidem capite 28.

Apparet nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi vt abiectis vanitatibus & errore miserabili, Deum cognoscat, & Deo seruiat, nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis iustitiæ ad cultum religionis instituat. Hac enim cõditione gignimur, vt generati, nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur: hoc vinculo pietatis obstricti Deo & relegati sumus, vnde

vnde ipsa religio nomen accepit.

Idem lib.5.cap.7.

Sed Deus vt parens diligētissimus, appropinquante vltimo tempore nuntium misit, qui vetus illud seculum fugatamq; iustitiam reduceret, ne humanum genus maximis & perpetuis agitaretur erroribus: redijt ergo species illius aurei temporis & reddita quidem terræ, sed assignata paucis iustitia est, quæ nihil aliud est, quàm Dei vnici sola, pia, & religiosa cultura.

Idem lib.5.cap.11.

Ad placandum enim Deum, quem colas, his rebus opus est, quibus illum gaudere & delectari scias.

Ibidem cap.15.

Deus enim, qui homines generat, & inspirat, omnes æquos, id est, pares esse voluit, eandem conditionem viuendi omnibus posuit, omnes ad sapiētiam genuit, omnibus immortalitatem spopondit: nemo à beneficijs eius cęlestibus segregatur. Nam sicut omnibus vnicū suū lumen æqualiter diuidit, emittit omnibus fontes, victum subministrat, quietem somni dulcissimā tribuit: sic omnibus æquitatē virtutemq; largitur. Nemo apud eū seruus est, nemo Dominus: si enim cūctis idem pater est, ęquo iure omnes liberi sumus. Nemo Deo pauper est, nisi qui iustitia indiget: nemo diues, nisi qui virtutibus plenus: nemo deniq; egregius, nisi qui bonus & innocens fuerit: nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit: nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleuerit.

Idem libro 5.capite 20.

Nam si is, qui in hac terrestri militia regi suo fidem seruat in aliquo egregio facinore, si postea vixerit, acceptior fit & clarior: si perierit, summā consequitur gloriā, quòd pro duce suo morte occubuerit: quanto magis imperatori omniū Deo fides seruanda est, qui non tantū viuentibus, sed & mortuis pręmiū potest virtutis exoluere. Igitur Dei cultus, quoniā militię cęlestis est, deuotionem maximā, fidemq; desiderat. Quomodo enim Deus aut amabit colētem, si ipse non ametur ab eo: aut præstabit pręcanti quicquid orauerit, cùm ad precandum neq; ex animo, neq, obseruanter accedat?

Lactan.libro 5.cap.23.

Deus, inquit Seneca, homines pro liberis habet, sed corruptos & vitiosos luxuriosè ac delicatè patitur viuere, quia non putat emendatione sua dignos: bonos autem quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsum virtutis exercet. Nec eos caducis ac mortalib. bonis corrūpi ac deprauari sinit: vnde nemini debet mirū videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur à Deo. Imo verò cū vexamur ac pręmimur, quàm maximè gratias indulgentissimo patri agere debemus, qui corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus nos Deo esse curæ, quoniam cùm peccamus, irascitur.

Lactan.Firmia.diuin.institut.lib.6.cap.1.

Nihil enim sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè religioseq; litauit.

Idem libro 6.capite 3.

Deus, qui cælestis viæ dux est, immortalitatē nulli homini nato negat.

Idem libro 6.cap.6.

Fons autem bonorum Deus est, malorum verò ille scilicet diuini nominis semper inimicus: ab his duobus principijs bona malaq; oriūtur: quæ veniunt à Deo hanc habent rationem, vt immortalitatem parent, quod est summum bonū: quæ autem ab illo altero, id habent officiū, vt à cælestibus auocatum, terrenisque demersum interficiant sempiternùm, quod est summum malum.

Idem lib.6.cap.8.

Quisquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cœlum, & (vt apertius loquar) non hominem sequi debet sed Deum: non his terrestribus simulacris, sed Deo seruire cælesti: non ad corpus referre omnia: sed ad mentem: non huic vitę operam dare, sed æternæ.

Ibidem.

Vnusq; erit communis quasi magister & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui, qui non parebit, ipse fugiet, ac naturam hominis aspernabitur hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.

Idem libro 6.cap.9

Huius legis caput primum est, ipsum Deum nosse, soli obtemperare, solum colere: non potest enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ suæ Deum nescit, quod est summum nefas: quæ ignoratio facit, vt dijs alienis seruiat, quo nihil sceleratius committi potest, hinc iam procliuis est ad malitiam gradus per ignorantiam veri ac singularis boni, quia Deus quem nosse refugit, fons est ipse bonitatis.

Ibidem.

Omnis doctrina & virtus philosophorum sine capite est, quia Deum nesciūt, qui est virtutis ac doctrinę caput, quem qui non agnoscit, licèt videat, cęcus est: licèt audiat, surdus: licèt loquatur, elinguis est. cùm verò conditorem rerum, parentéq; cognouerit, tunc & videbit & audiet & loquetur. Habere enim caput cœpit, in quo sunt sensus omnes collocati, hoc est, oculi, aures & lingua: nam profectò is videt, qui veritatem in qua Deus est, vel Deū, in quo veritas est, oculis cordis aspexerit: is audit, qui diuinas voces

ces ac pręcepta vitalia pectori suo affigit: is loquitur, qui cęlestia deserens, virtutē ac maiestatem Dei singularis enarrat. Quare non est dubium, quin impius sit, quisquis Deum non agnouerit, omnesq; virtutes eius quis habere aut tenere se putat, in illa mortifera via reperiũtur, quæ est tota tenebrarum.

Ibidem.

Ergo in Dei agnitione & cultu, rerum summa versatur, in hoc est spes omnis & salus hominis: hic est sapientiæ gradus primus, vt sciamus quis sit nobis verus pater, eumq; solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic deuotissimè seruiamus, in eo promerendo actus omnis & cura & opera collocetur.

Idem libro 6. cap. 12.

Qui apud Deum diues est, pauper esse nunquam poterit.

Idem libro 6. cap. 13.

Deus enim purgari homines à peccatis maximè cupit, ideoq; agi pœnitentiam iubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se vlterius non peccaturum. ignoscitur itaq; his, qui ad peccatum ignoranter incauteq; labuntur: veniam non habet, qui sciens peccat.

Idem libro 6. cap. 20.

Ad vitam enim Deus inspirat animam, non ad mortem,

Idem libro 6. cap. 23.

Hinc diuinæ legi summa deuotione parendũ est. Sint omnes, qui Dei discipulos se profitebuntur, ita morati & instituti, vt imperare sibi possint: nam qui voluptatib. indulgent, qui libidini obsequuntur, hi animã suã corpori mancipant, ad mortemq; condemnant, qui se corpori addixerunt, in quo habet mors potestatē. Vnusquisque igitur, quantum potest, formet se ad verecundiam, pudoremque colat, castitatem mente & conscientia tueatur. Nec tantùm legibus publicis pareat, sed sit super omnes leges, qui legem Dei sequitur. Quibus bonis si assueuerit, iam pudebit eum in deteriora descendere, modò placeant recta & honesta, quæ melioribus iucundiora sunt, quàm praua & inhonesta peioribus.

Idem libro 6. cap. 25.

Verbo enim sacrificare oportet Deo, siquidē Deus verbum est, vt ipse confessus est.

Lactan. Firmian. lib. 7. cap. 2.

Nam si mũdum cum omnibus quę sunt in eo contemplari velis, intelliges, profectò quantũ Dei opus humanis corporibus antestet: Ita quãtum inter opera diuina & humana interest, tantum distare inter Dei hominisque sapientiam necesse est: Nam quia Deus incorruptus atque immortalis & ideo perfectus, quia sempiternus est, sapientia quoque eius perinde vt ipse, perfecta est, nec obstare illi quicquã potest, quia nulli rei Deus ipse subiectus est.

Ibidem.

Deo enim sola opera nota sua sunt, homo autem non cogitando aut disputando assequi ea potest, sed discendo & audiendo ab eo, qui scire solus potest & docere.

Idem libro 7. cap. 9.

Ante omnia, quoniam Deus ab homine videri non potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret Deum non esse, quia mortalibus oculis non videretur, inter cætera institutorũ suorum miracula, fecit etiam multa, quorum vis quidem apparet, substãtia tamen nõ videtur, sicut est vox, odor, ventus, vt harum rerũ argumento, & exēplo etiam Deum licèt sub oculos non veniat, de sua tamen vi & effectu, & operibus cernimus. Quid voce clarius? aut vento fortius? aut odore violentius? hęc tamen cùm per aërē feruntur ad sensusq; nostros veniunt, & eos potentia sua impellũt, non cernuntur acie luminũ, sed alijs corporis partibus sentiuntur: similiter Deus nõ aspectu nobis, alióue fragili sensu comprehendendus est, sed mentis oculis intuēdus: cùm opera eius pręclara & miranda videamus.

Idem libro 7. cap. 27. & ult.

Pater enim noster ac Dominus, qui condidit, firmauitq; cælum, qui solem cum cæteris sideribus induxit, qui libratam magnitudine sua terram vallauit, montibus mare circumdedit, amnibusq; distinxit, & quicquid est in hoc opere mundi, conflauit, atq; perfecit è nihilo: perspectis erroribus hominũ, ducem misit, qui nobis iustitiæ viam panderet, hunc sequamur omnes, hunc audiamus, huic deuotissimè pareamus: quoniam solus (vt Lucretius)

Veridicis hominum purgauit pectora dictis.
Et finem statuit torpedinis, atq; timoris
Exposuitq; bonum summum, quò tendimus omnes.
Quid foret atq; uiam monstrauit limite paruo.
Qua possemus ad id recto contendere cursu.

Non monstrauit tantùm, sed etiam pręcessit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret: Deseratur (si fieri potest) via perditionis, & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta cælatur. Et quantò quisq; annis in senectutē vergentibus appropinquare cernit illum diem, quo sit ei ex hac vita demigrandum, cogitet quàm purus abscedat, quàm innocens ad iudicium veniat. Non vt faciunt, quorum cæcis mentibus lux negatur, qui iam deficientibus corporis viribus in hoc admonentur instantis vltimæ necessitatis, vt cupidius & ardèntius hauriendis libidinibus intendant, qua ex voragine liberet se quisque dum licet, dum facultas adest, seque ad Deum tota mente conuertat, vt illum diem securus expectet, quo præses, Dominusque mundi Deus de singulorum factis, cogitatio-

gitationibusque iudicabit.

Lactantius Firmianus de ira Dei, cap. 1.

Hoc differt ab humanitate diuinitas: quòd humanitatis est ignorātia, diuinitatis scientia, vnde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras, quibus offusa est hominis cogitatio: quoniam in carne mortali agentes, nostris sensibus diuinare non possumus: Lumen autem mentis humanę Deus est, quem qui cognouerit, & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet. Remoto autem Deo, cælestiq; doctrina, omnia erroribus plena sunt, recteque Socrates, cùm esset omnium Philosophorum doctissimus, tamen vt cæterorum argueret inscitiam, qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait: se nihil scire, nisi vnum, quòd nihil sciret. Intellexit enim doctrinam illam nihil habere in se certi, nihil veri.

Ibidem cap. 4.

Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm prouidentia? sed nihil prouidet, amisit omnem dignitatē. Qui ergo totam Deo substantiam tollit, quid aliud dicit, nisi Deum omninò non esse?

Idem de ira Dei, cap. 7.

Multum enim refręnat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei viuere, si non tantum quę gerimus, videri desuper, sed etiam, quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo putemus.

Ibidem cap. 11.

Tantus est Deus, vt ab homine non possit, aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari.

Ibidem.

Vnus est igitur princeps & origo rerum Deus, sicut Plato in Timæo & sensit, & docuit, cuius maiestatem tantam esse declarat, vt nec mente comprehendi, nec lingua exprimi possit.

Idem de ira Dei, cap. 12.

Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur.

Idem libro de ira Dei, cap. 21.

Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur.

Lactantius de ira Dei, cap. ult.

Quapropter nemo vaniloquētia philosophorum inductus ad contemptum se Dei erudiat, quod est maximum nefas. Debemus hunc omnes & amare, quòd pater est, & vereri, quòd Dominus, & honorificare, quòd beneficus, & metuere, quòd seuerus, vtraq; persona in eo venerabilis. Quis salua pietate non diligat animę suæ parentem, aut quis impunè contemnat eum, qui rerum dominator habeat in omnes veram & æternam potestatem.

Lactantius Firmia. de opificio Dei cap. 16.

Et miratur aliquis, si diuina mens, Dei per vniuersas mundi partes intenta discurrit, & omnia regit, omnia moderatur, vbiq; præsens, vbique diffusa cùm tanta sit vis, ac potestas mentis humanæ intra mortale corpus inclusæ, vt ne septis quidam grauis huius ac pigri corporis, cui illigata est, coërceri vllo pacto possit, quò minus sibi liberam vagādi facultatem quietis impatiens largiatur.

Anselmus super Psalm. 25.

Deus hominem mirabiliter creat foris, sed mirabilius intus recreat: maius enim fuit de Saulo persecutore discipulum facere, quàm Lazarum dormientem de monumento suscitare.

Amselmus lib. Cur Deus homo, cap. 15.

Deum impossibile est honorem suum perdere, aut enim peccator soluit spontè, quod debet, aut Deus ab inuito accipit. Sicut autē homo peccando rapit, quod Dei est, ita Deus puniendo aufert, quod hominis est.

Idem libro 2. cap. 9.

Quid misericordius intelligi valet, quàm qđ peccatori ęternis tormentis damnato, & non habenti vnde se redimat, Deus pater dicit: accipe vnigenitum meum & da pro te: & ipse filius: tolle me, & redime te. Quasi enim hoc dicunt, cùm ad Christianam fidem nos trahunt.

Seneca ad Lucilium.

Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum, malorumq; nostrorum obseruator, & custos. Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipse: bonus verò vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere? Ille dat cōsilia magnifica, & erecta in vnoquoq; bono viro.

Idem epistola 92.

Quis dubitare potest mi Lucili, quin deorum immortalium munus sit, quòd viuimus.

Ibidem.

Summa illa & pulcherrima omnium natura quos periculo eximit, nec periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus Deos credere, deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est, scire illos esse, qui præsident mundo, qui vniuersa, vt sua temperāt, qui humani generis tutelam gerunt.

Seneca libro de Beneficijs.

Dij quoq; multa ingratis tribuunt.

Ibidem.

Deus quidem munera vniuerso humano generi dedit, à quibus excluditur nemo.

Ibidem.

Insita sunt omnium artium nobis semina, magisterq; ex occulto Deus producit ingenia.

Ibidem.

Quid enim est aliud natura, quàm Deus? & diuina ratio toti mūdo, partibusq; eius inserta: ergo nihil agis ingratissime mortaliū, qui te nega

gas

gas Deo debere, sed naturæ, quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est vterq;, nec distat officio.

Plato in Timæo.

Genitorē vniuersitatis tam difficile est inuenire, quàm inuētum impossibile dignè profari.

Idem libro de Legibus.

Bonus quidem Deus, & quidem Deus causa bonorum: malorum autem omnium non causa.

Plato in Timæo.

Mundus à Deo factus est.

Ibidem.

Deus author maximus est.

Ibidem.

Charitas Dei fuit causa factionis mundi & originis omnium rerum.

Ibidem.

Deus est summum bonum, supra omnem substantiam, omnemq; naturam, quod cuncta expetunt, cùm ipse sit plenæ perfectionis, & nullius societatis indigus.

Plato in Phædro.

Imperfectus quidem, & immundus in infernum abiens, perfectus, & purgatus hinc transiēs cum Deo habitabit.

Aristoteles libro 1. Metaphysicæ.

Deus videtur omnib. esse causa & principium quoddam.

Idem libro 2.

Infinitum non est scibile.

Idem libro 9. Metaphysicæ.

In æternis non est malum, nec corruptio, nec peccatum.

Idem libro 11. Metaphysicæ.

Primus motor est actus purus sine omnipotentia, substantia sine omni accidente, simplex sine omni compositione.

Ibidem.

Primus motor mouet sicut amatum, & desideratum.

Ibidem.

A primo principio dependet cælum, & tota natura.

Ibidem.

Primus motor nullam habet magnitudinem corporalem.

Ibidem.

Etiam bonum vniuersi consistit in principio primo, ad quod omnia ordinantur.

Ibidem.

Entia nolunt malè disponi, nec est bonū pluralitas principantium, vnus ergo princeps.

Idem libro 12. Metaphysicæ.

Deus est animal, hominis beneficū, metaphoricè sumitur hîc animal.

Ibidem.

Dicimus Deum esse animal sempiternum, optimum, quare vita & duratio, continua, & æterna, existit in hoc enim Deus.

Ibidem.

Illud est magis simplex, quod est propinquissimum simplicissimo.

Ibidem.

Quòd igit est substātia sempiterna, & immobilis, separata à sensibilibus, manifestū est ex his

Ibidem.

Principium & primum entium est immobile, & secundum se, & secundum accidens.

Idem libro 3. Physicorum.

In perpetuis non differt posse & esse.

Ibidem.

Contingit aliquid dare secundum speciem quod simul mouet & mouetur, & aliquid quod tantum mouetur, ergo erit dare aliquid quod tantum mouet, & non mouetur.

Aristoteles libro 8. Physicorum.

Primus motor tantùm vnus est & æternus.

Ibidem.

Primus motor nullam habet magnitudinem nec finitam, nec infinitam, vnde ipse est incorporeus, indiuisibilis & æternus.

Aristoteles libro de cælo & mundo.

Nihil est perfectum nisi trinitas.

Ibidem.

Deus & natura nihil faciunt frustra.

Idem libro 11. de Animalibus.

Debemus inspicere formas, & delectari in artifice, qui eas facit.

Aristoteles libro 7. Ethicorum.

Deus est aliquid honorabilius virtute.

Ibidem.

Sicut bestiæ nō est virtus: ita nec malitia Deo.

Idem libro de regimine Principum.

Deo nihil est difficile, & sine eo nihil est possibile fieri, vel possideri.

Ibidem.

Deus gloriosus nihil otiosum siue vacuum facit in natura.

Idem libro de bona fortuna.

Deus bene videt pręsentia, pręterita & futura.

Idem libro 2. Topicorum.

Iustitiam facere non inest Deo: quia iniustitiā facere idem est, quod spontè nocere, Deo non est ergo.

Laër. Diog. de uita & moribus Philosophorum.

Interrogauit Thaletem Milesium quidam, si lateret Deos homo iniustè agens: sed nec cogitans, inquit.

Ibidem.

Interrogatus Secundus Philosophus ab Adriano Imperatore quid est Deus? scripsit: Deus est immortalis mens, incontemplabilis celsitudo, forma multiformis, multiplex spiritus, incogitabilis inquisitio, insopitus oculus, omnia continens, lux bonum.

Macrobius super somnium Scipionis libro 1.

Sic Plato, cùm de Deo loqui esset animatus, dice-

dicere quid sit, non est ausus: hoc solum de Deo sciens, quod scire, qualis sit, ab homine non possit. Solem verò ei similimum de visibilibus solum reperit, & per eius similitudinem viam sermoni suo attollendo se ad cóprehensibilia pate facit. Nam Deus, qui prima causa est, & vocatur vnus omnium quęq; sunt, & quę videntur esse, princeps & origo est. Hic superabúdanti candidate maiestatis de se mentem creauit. Hęc mens, quę νοῦς vocatur, qua patrem inspicit, plenam similitudinem seruat authoris.

Cicero libro 1. de natura Deorum.

Plato in libris legum quid sit omninò Deus inquiri oportere non censet.

Ibidem.

Omnibus fere in rebus, maximè in physicis, quid non sit, citius, quàm quid sit, dixerim. Roges me, quid, aut qualis sit Deus, authore vtar Simonide, de quo cùm quęsiuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberádi causa sibi vnum diem postulauit: cùm idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit, cùm sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret cur ita faceret, quia quantò (inquit) diutius considero, tantò res mihi videtur obscurior.

Cicero libro 2. de natura Deorum in principio.

Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiaq; contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur.

Ibidem.

Vndiq; omni ratione concluditur, méte consilioq; diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conseruationemq; admirabiliter administrari.

Ibidem.

Esse igitur Deos perspicuum est: vt id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.

Ibidem.

Dico igitur, prouidentia Deorum mundum, & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari.

Ibidem in medio.

Nihil est autem præstantius Deo, ab eo igitur necesse est múdum regi. Nulli igitur est naturæ obediens, aut subiectus Deus: omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus intelligentes esse Deos concedimus etiam prouidentes, & rerum quidem maximarum. Ergo, vtrum ignorent, quæ res maximę sint, quoque hæ modò tractandæ, ac tuendæ, an vim non habent, qua tantas res sustineant & gerant? At & ignoratio rerum aliena, naturæ Deorum est, & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minimè cadit in maiestatem deorum, ex quo efficitur id, quod volumus: Deorum prouidentia mundum administrari. Atqui necesse est, cùm sint dij, si modò sint, vt profectò sunt, animantes esse, nec solum animantes, sed rationis compotes, inter seq; quasi ciuili conciliatione, & societate coniunctos, vnum mundum, vt communem Remp. atq; vrbem aliquam regentes; sequitur vt in his sit eadem, quæ in genere humano, ratio, eademq; veritas vtrobiq; sit, eademq; lex, quę est recti pręceptio, prauiq; depulsio, ex hoc intelligitur, prudentiam quoq; & mentem à dijs ad homines peruenisse, ob eamq; causam maiorum institutis mens, fides, virtus, concordia, consecratę & publicè dedicatę sunt.

Ibidem in fine.

Nemo vnquam vir magnus sine aliquo afflatu diuino fuit.

Ibidem.

Magna dij curant, parua negligút: magnis autem viris prosperè eueniunt semper omnes res.

Ibidem, estq; ultima sententia libri 2.

Mala enim & impia consuetudo est contra deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulatè.

Ibidem.

At obscurum Deo nihil esse potest.

Idem libro 3. de natura Deorum, in fine.

At Diagoras, cùm Samothraciam venisset, ἄθεος ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, tu, qui deos putas negligere humana, nónne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salui peruenerint? ita sit, inquit, illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, in marique perierunt.

Cicero libro 2. de Diuinatione.

Nec enim ignorare potest Deus, qua mente quisquis sit.

Franciscus Petrarcha libro 1. de Vita solitaria.

Videt igitur Deus nos, auditq; priusquam loquamur. Ipse est enim qui tacito Mosi ait: Quid clamas ad me? præuenit verba nostra & affectus anticipat, cogitationes nostras intelligit de longinquo, hoc est, mulò antè quàm fiant. Preces nostras exaudit, antequam sonent. Necessitates nostras aspicit, antequã veniant. Exitus nostros speculatur, antequam nati sumus. Sed ita nos aspicit, vt indignos licèt inueniat misereatur, nisi fortè (quod procùl absit à nobis) contumacia, pertinaciaq; misericordiam expellamus.

Lucius Apuleius de deo Socratis.

Summus Deus infinitus est, non solum loci exclusione, sed etiam naturæ dignitate.

Ibidem.

Dij ab hominibus differunt loci sublimitate, vitæ perpetuitate, naturæ perfectione.

Ibidem.

Nihil Deo est perfectius & potentius.

Ibidem.

Deus ab omnibus animi passionibus liber est, vnde nec dolere, nec lætari potest.

Ibidem.

Nihil est Deo similius & gratius, quàm vir animo perfecto bonus, qui hominib. cæteris antecellit, quod ipse à dijs immortalibus distat.

Ibidem.

Quapropter debet Deus nullam perpeti vel operis, vel amoris temporalem perfectionem, & idcirco nec indignatione, nec misericordia contingi, nullo angore contrahi, nulla alacritate gestire, sed ab omnibus animi passionibus liber, nec dolere vnquam, nec aliquando lætari, nec aliquid repentinum velle, vel nolle.

Plautus in duobus captiuis.

Est profectò Deus, qui, quæ nos gerimus audit, videtq; is, vti tu me hîc habueris, proinde illum illic curauerit. Bene merenti, bene profuerit: malè merenti par erit.

Homerus in α. Iliadis.

Verba sunt Achillis ad Palladem.

χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε θεὰ ἔπος εἰρύσασθαι
καὶ μάλα περ θυμῷ κεχολωμένον· ὣς γὰρ ἄμεινον
ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ. Id est:

Oportet quidem uestrum ô dea uerbum obseruare, & quamuis ualde animo iratum, sic enim melius qui deis paruerit, dij certè exaudiunt ipsum.

Idem in γ. Iliados.

παρὰ γὰρ θεοὶ εἰσὶ καὶ ἡμῖν. id est,
Dij autem adsunt & nobis.

Idem in δ. Iliados.

χαλεπὴ δὲ θεοῦ ἐπιμήνις. id est,
Molesta autem Dei est ira.

Ibidem.

οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσιν αἴθοπα οἶνον,
τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται. Id est,

Non enim cibum edunt, non bibunt calidum uinum, idcirco sine sanguine sunt, & uocantur immortales.

Homerus in μ. Iliados.

θεῶν δ' ἀέκητι τέτυκτο
ἀθανάτων· τῷ καὶ οὔτι πολὺν χρόνον ἔμπεδον ἦεν. Id est:
Dijs inuitis factum est
Immortalibus, idcirco non ad multum tempus firmum durauit.

Homerus in δ. Iliados.

ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν. id est,
Sed nondum simul omnia Dei dederunt hominibus.

Homerus in π. Iliados.

ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος ἠέπερ ἀνδρῶν,
ὅς τε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην. id est:
Sed semper Iouis potentior mens quàm uirorum,
Qui & uirum fortem terrefacit & priuat uictoria.

Homerus in α. Odyssee.

θεῶν δ' ὑποδείσατε μῆνιν. id est,
Deorum autem euitate iram.

Idem in γ. Odyssee.

ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαῶσαι. id est,
Facilè Deus uolens, & procùl existens uirum saluaret.

Ibidem.

οἱ δ' αἰεὶ βούλοντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων. id est,
Semper uoluerunt dij esse in memoria sua præcepta.

Homerus in δ. Odyssee.

θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι. id est,
Dei autem omnia sciunt.

Homerus in ζ. Odyssee.

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,
ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖς, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ. id est,
Iuppiter ipse distribuit diuitias olympius hominibus bonis atq; malis, quomodo uoluerit unicuiq;.

Homerus in ι. Odyssee.

θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. id est,
Sed dij omnia possunt.

Homerus in ξ. Odyssee.

οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
ἀλλὰ δίκην τίουσι, καὶ αἴσιμ' ἔργ' ἀνθρώπων. id est,
Non enim mala opera Dei beati amant,
Sed iustitiam honorant, & decentia opera hominum.

Homerus in ρ. Odyssee.

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. id est,
Sanè semper similem ducit Deus ad suum similem.

Phocylides.

πρῶτα θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας. id est,
In primis uenerare Deum, pòst uerò tui parentes.

Pittacus.

πρὸ πάντων σέβου τὸ θεῖον. id est,
Ante omnia cole numen.

Hesiodus.

οὐκ ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι. id est,
Nequaquam sanè poßibile est Iouis mentem decipere.

Ibidem.

μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον,
χερσὶν ἀνίπτοις, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν,
οὐ γὰρ τοί γε κλύουσιν ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς. id est,

Nunquam matutinis horis Ioui libare uelis, calidum uinum manibus illotis, neq; alijs immortalibus. non enim ipsi exaudiunt, sed respuunt preces.

Euripides in Medea.

πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί. id est,
Multa autem præter spem faciunt Dei.

Menander.

θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις. id est,
Deo uolente etiam in uimine nauigares.

Idem.

ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός. id est,
Mens enim nobis in unoquoq; est Deus.

πάντῃ γὰρ ἐστι πάντα τε βλέπει θεός. id est,
Vbiq; enim est, omniaq; inspicit Deus.

Virgilius libro 1. Aeneidos.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma
At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

Virgilius libro 2. Aeneidos.

Iuppiter omnipotens precibus si flecteris ullis
Aspice nos.—

Ibidem 3. Aeneidos.

Fata uiam inuenient, aderitq; uocatus Apollo.

Idem 4. Aeneidos.
—An te genitor cum fulmina torquens,
Ne quicquam horremus, cæciq; in nubibus ignes
Terrificent animos, & inania murmura miscent.

Claudianus de laudibus Stiliconis.
Est ignota procul nostræq; imperuia menti
Vis adeunda deis.

Sillius Italicus libro 4.
Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris
Naturam nescire Deum.

Ouidius Metamorphoseôn libro 8. fabula 6.
—Immensa est finemq; potentia cæli
Non habet, & quicquid superi uoluêre peractum est.

Ouidius Metamorphoseôn libro 13. fabula 1.
Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Ouidius epistola Phillidis ad Demophoonta.
Si de tot læsis sua numina quisq; Deorum
Vindicet, in pœnas non satis unus eris.

Idem Tristium libro 2. elegia 1.
Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter exiguo tempore inermis erit.

Ibidem.
Iure igitur genitorq; Deûm, rectorq; uocatur,
Iure capax mundus nil Ioue maius habet.

Ibidem.
Sed solet interdum fieri placabile numen,
Nube solet pulsa candidus ire dies.

Ibidem.
Sed tamen ut fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Idem Tristium libro 4. elegia 7.
Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,
Non sit ut inferius, suppositumq; Deo.

Idem de Ponto libro 2. elegia 8.
Est aliquid spectare Deos, & adesse putare.

Idem libro 3. elegia 6.
Crede mihi miseris cælestia numina parcunt,
Nec semper læsos & sine fine premunt.

Ouidius Fastorum libro 3.
—Sæui flectitur ira Iouis.

Idem libro 5.
Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit.
Sæpe Iouem uidi, cùm iam sua mittere uellet
Fulmina, thure datum sustinuisse manum.
At si negligitur, magnis iniuria pœnis
Soluitur, & iustum præterit ira modum.

Propertius libro 2. elegia 27.
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.

Horatius Carminum libro 3. Ode 5.
Cælo tonantem credidimus Iouem
Regnare.

Iuuenalis satyra 10.
Nil ergo optabunt homines? si consilium uis
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusq; sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptißima quæq; dabunt dij.
Charior est illis homo, quàm sibi.

Dantes inferni cap. 19.
O summa sapienza quante larte
Che mostri in cælo, in terra, e nel mal mundo.
Et quanta gusta tua uirtu comparte. id est:
O summa sapientia quanta est ars,
Quam monstras in cælo, in terra, & in inferno,
Et quam iustè tua uirtus diuidit.

Dantes Florentinus purgatorij cap. 3.
Matto e che spera che nostra ragione
Possa transcorrer linfinita uia
Che thiene una substantia in tre persone
State conte humana gente al quia
Che se possuto hauer ueder tuto
Mester non era paturir Maria,
Horribil furon li peccati mei.
Mala bonto infinita infinita ha si gran bracia
Che prende cio che siriuolge a lei. id est:
Amens est, qui sperat, quòd nostra ratio
Poßit transcurrere immensam uiam, rationemq;
Quæ retinet unam substantiam in tribus personis
Sit tibi satis ô humana gens nosse sic esse,
Quoniam si potuisses uidere totum,
Haud opus erat Mariam ipsam parere
Horrenda fuerunt peccata mea.
Sed bonitas immensa Dei tam grandia habet brachia
Vt apprehendat quicquid ad se reuoluitur.

Idem purgatorij cap. 14.
Ma uoi prendete lesca si chel hamo
De lantico auersaro ad se ui tira
Et per o pocho ual freno, o richiamo
Chiam auil cielo e intornoui si gira
Monstrandoni le suæ belleze æterne
Et lochio uostro pur a terra mira,
Vnde uoi batte chi tutto discerne. id est:
Verùm uos si escam apprenditis, ut hamus
Antiqui hostis ad sese trahat,
Et idcirco parum prodest aut frænum, aut ipsa reuocatio.
Vos uocat cælum, & circum uos reuoluitur,
Ostendens uobis suas pulchritudines æternas,
Et oculus uester adhuc in terram aspicit,
Vnde uos excutit, qui cuncta conspicit.

Dantes Florenti. paradisi cap. 1.
La gloria di collui che tuto moue
Per luniuerso petra resplende
In una parte piu, e meno altroce. id est:
Gloria eius, qui cuncta mouet
Per uniuersum penetrat, & resplendet,
In una parte plus, & minus alibi.

Dantes Florenti. paradisi cap. 1.
Per appressando se ad suo disire
Nostro intellecto si profunda tanto
Che dietro la memoria non poire. id est:

Quoniam sese iungens suo fini.
Noster intellectus se tantum profundit,
Vt ipsum sequi nequeat memoria.

Idem cap.7.

Nostra quando pecco tota.

Vide suprà in Christi Incarnatio.

Idem cap.14.

Quel uno, e due, e tre, che semper uiue,
E regna sempre in tre, e due, & uno,
Non circumscripto, & tuto circunscriue. id est:
Ille unus & duo, & tres qui semper uiuit,
Et regnat semper in tribus, & duobus, & uno,
Non circumscriptus, & totum circumscribit.

Idem cap.22.

La spada di qha su non taglia in fretta
Ne tardo mai al parer de collui
Che disiando o temendo la spetta. id est:
Ensis dici non citò percutit,
Nec tardè unquam ut ci uidetur,
Qui cupiens, aut timens præstolatur eundem.

Idem Paradisi ca.31.

Che la luce diuina e penetrante
Per l'uniuerso secundo che degno
Si che nulla le pote esser obstante. id est:
Nam lux dinina penetrat
Per uniuersum uti dignus est
Sic ut nihil sibi obstare poßit.

Franc. Petrar. Cantilena 16. stantia 5.

Tutte le cose di che il mondo e adorno
Vscir buone di man del mastro eterno. id est:
Cuncta quibus mundus ornatus est
Exierunt ab æterno opificè.

Idem Triumpho æternitatis

Ma tarde non fur mai gratie diuine
En quelle spero cheo me anchor farano
Alte operatione & peregrine. id est:
Sed tardæ nunquam fuerunt gratiæ diuinæ,
In eis spero ut in me adhuc facient
Dignas ac nobiles operationes.

DEuotio Græcè θρησκεία ας ἡ, & θρῆσκος ȣ ὁ deuotus seu religiosus dicitur. Est autem deuotio voluntas prõpta faciendi, quod ad Dei seruitium pertinet, secundum B. Tho. secunda secundæ q.82.art.1.

Deuotio est specialis actus voluntatis promptè tradendi se ad famulatum Dei, secundũ B. Tho. ibidem vbi suprà. Dicitur autem deuotio à voueo, quod est aliquid Deo sanctè promitto. Vnde & huiusmodi promißio votum dicitur. Deuoueo, destino, imprecor: hinc deuotor, qui aliquid imprecatur, & deuotum destinatũ, quod modò ad prosperum, modò ad aduersum refertur.

Virgilius.

Præcipuè infœlix pesti deuota futuræ.

Augustinus super Psal.85.

Non putrescit cor si leuetur ad Deum. Frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares illud ad superiora: frumento tuo quæris mutare locũ, & cor permittis in terra putrescere Frumentum leuares ad superiora, cor leua in cęlum. Et vnde inquis possum? Qui funes? quæ machinæ, quę scalæ opus sunt? Gradus affectus est. Iter tuũ voluntas tua est. Amando ascendis. Negligendo descendis. Stans in terra in cælo es, si Deum diligis.

Augustinus super Ioan.

Si habet animus vnde oblectetur extrinsecus, sine delcijs manet interius.

Ibidem.

Nescio quid corporaliter & spiritualiter in nobis facit Deus. Quod nec sonus sit, qui aurẽ percutiat, nec color, qui oculis discernatur, nec odor, qui naribus capiatur, nec sapor, qui faucibus iudicetur, nec durum & molle, quod tangendo sentiatur. Et tamẽ aliquid est, quod sentire facilè est, explicare non poßibile.

Aug. libro de Virginitate.

Anima Deo deuota sic actus corporis & terrenos exuit mores, vt vestiat, quomodo se velit induere. Consuetudo enim boni vsum veteris prauitatis amisit.

Ibidem libro de Viduis.

Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ vsum, sexus infirmitatem mentis deuotione transgreditur.

Ibidem de fœmina diuite.

Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cęsari cẽsum reddebant: modò autem, quia recesſit deuotio Dei, accesſit inductio fisci: hoc tollit fiscus, quod non tollit Christus: hoc turpibus datur, quod pauperibus non erogatur.

Bernardus super Cantica.

Temporis pręteriti fructus est compunctio, futuri flos, est deuotio.

Ibidem.

Mel in cẽra, deuotio in litera, alioqui litera occidit, si absq; condimento spiritus glutieris.

Ibidem.

Est vnguentum contritionis, & vnguentum deuotionis, est vnguentum pietatis: primũ pungitiuum dolorem faciens: secundum temperatiuum, dolorem leniens: tertium sanatiuũ, morbum expellens.

Ioan. Caßia. in colla. Ioan. abbatis.

Melius est deuotum in minorib. quàm indeuotum in maioribus professionibus inueniri.

DIabolus Gręca dictio est διάβολος ȣ ὁ calumniator, & διαβολὴ ῆς ἡ calumnia, διαβάλλω criminor dicitur. Quid autem sit diabolus vide suprà in Dęmonium. Sanè cœpit ille malignus spiritus diabolus dici, postquam homini inuidit.

Genesis capite 3.

Ipse enim hostis calcaneo semper insidiatur, id est, fini hominum.

Paulus ad Corint. 2. capite 11.

Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpātur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.

Ibidem.

Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.

Paulus ad Ephe. cap. 6.

Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiȩ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stara.

Petrus apostolus 1. cap. 5.

Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquā leo rugiens circumit quȩrens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.

Iacobus cap. 4.

Resistite diabolo, & fugiet à vobis.

Augu. in sermonibus communibus serm. 4.

Quid prauius? quid malignius? quidue nostro aduersario nequius? qui posuit in cælo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni nostro opere zizania seminauit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriā, in exercitatione ignauiam, in cōuersatione iuuidiā, in gubernatione auaritiā in correctione iram, in prȩsulatu siue dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in mēbris operationes iniquas, invigilando mouet ad praua opera, in dormiēdo ad somnia turpia. Lætos mouet ad dissolutiionem, tristes autem ad desperationem. Sed vt breuius loquar: omnia mala mundi sua sunt prauitate commissa.

August. ad Iulianum comitem.

Diabolus est angelus per superbiam separatus à Deo, qui in veritate non stetit, & doctor mendacij, quia ab ipso primum inuentum est mendacium. Ipse est aduersarius effectus generis nostri, inuentor mortis, superbiȩ institutor, radix malitiȩ, scelerum caput, princeps omniū vitiorum, persuasor turpium voluptatum. Hinc ergo cùm illum primū hominem à Deo factum Adam patrem omnium nostrum intueretur, videretq; hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatū, temperantia compositum, charitate circundatum, immortalitatȩ vestitum, ęmulus atq; inuidus tantam beatitudinem hominem ęternū accepisse, quòd ipse dum esset angelus per superbiam agnoscitur amisisse. Inuidit statim insatiabilis homicida, primum parentem nostrum tantis & talibus bonis expoliauit, & nos interemit.

Augu. super Genesin libro 12.

Spiritualium rerum corporalium similitudines in animo nostro quemadmodū innotescant spiritibus immundis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, vt eas inuicem nostro spiritu videre nequeamus, explicare difficilè est. Certissimis tamen indicijs cōstat enūtiatas dęmonibus cogitationes hominum, qui tamen si virtutum internā speciem in hominibus cernere possent, multos non tentarent. Sicut in Iob mirabilem patientiā si posset diabolus cernere, nollet à tētato vtiq; superari.

Augu. de ciuitate Dei libro 9.

Christus se tantū dęmonibus innotuit quantum oportuit. Innotuit igitur dæmonibus non per id quod est vita æterna, & lumen incommutabile quod illuminat pios: sed per quædam tēporalia siue virtutis officia, & per occultissima signa suȩ potentiȩ, quȩ angelicis sensibus & malorū spirituū potius, quàm infirmitati hominū possent esse cōnspicua. Deinde quando ea paululum subducendo indicauit, & aliquando altius latuit, dubitauit de illo princeps dæmonū eumq́; tentauit an Christ us esset.

Idem de Diffinitionibus ecclesiasticorum dogmatum.

Internas animi cogitationes diabolum non videre certi sumus: sed motu eas corporis ab illo & affectionum iudicijs colligi, & experimento didicimus: secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum.

Aug. super homilia 3.

Diabolus non inualesceret contra nos, nisi ei vires ex vitijs nostris præberemus, & locum ei introeundi & dominandi nobis peccando faceremus; vnde, Nolite locum dare diabolo.

Aug. libro de Natura dæmonum.

Sciendum est hanc esse naturam dæmonum, vt aerij corporis sensu terrrenorum corporum sensum facilè præcedant, celeritate etiam propter aerij corporis superiorē mobilitatem, non solùm cursus quarumlibet rerum, vt hominū vel ferarum, verumetiam volatus auium incōparabiliter vincant. Quibus duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet prædití, hoc est, acumine sensus & celeritate motus multò antè cogitata nuntiant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur.

Aug. contra Faustum.

Nullus homo tanta iustitia est præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, ad perficiendam vel probandam virtutem.

Aug. lib. 1. Retracta. & hab. 26. q. 5. Quodam loco.

Quodam loco dixi dæmones aliquando hominum dispositiones non solùm voce prolatas verumetiam cogitationes conceptas, cùm signa

quędam ex animo exprimũtur in corpore tota facilitate perdiscere. Rem dixi occultissimã audatiori assertione, quàm debui. Nam peruenire ista da notitiã dæmonũ per nonnulla etiam experimenta cõpertum est. Sed vtrum quædã signa dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi spirituali ista cognoscant, aut difficilimè potest ab hominib. aut omninò non potest inueniri.

Aug. de doctrina Christiana cap. 49.

Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu incitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt. Bonæ autem cogitationes semper à Deo sunt.

Hieronymus super Matth.

Impossibile est humanam naturam non tentari. Vnde in oratione Dominica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quã ferre non possumus, non tentationem pariter refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes.

Ibidem epistola 5.

Diabolo hoc nomen est postquam homini inuidit.

Hiero. contra Iouinianum epistola 9. capite 39.

Vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Dehinc cõcupiscentia cũ conceperit parit peccatum: peccatũ verò cũ consummatũ fuerit generat mortem. liberi arbitrij nos cõdidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui vbi necessitas est, nec damnatio nec corona est. Sicut in bonis operibus perfectior est Deus, (non est enim volentis neq; currentis, sed miserantis & adiuuãtis Dei) vt peruenire valeamus ad calcem: sic in malis atq; peccatis semina nostra sunt incentiua & perfectio diaboli. Cùm viderit nos super fundamentum Christi ędificare fœnum, ligna, stipulam, tunc supponit incendiũ: ædificemus ergo aurum, argẽtum, lapides pretiosos, & tentare non audebit, quanquam in hoc non sit certa, & secura possessio. Sedet quippe leo in insidijs, vt in occultis interficiat innocentem. Et vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Et in alio loco scribitur: Fili accedens ad seruitutem Dei præpara te ad tentationem.

Idem epist. 34.

Dicimus quoq; & iudicium futurum, in quo iudicio vnusquisq; recipiet propria corporis prout gessit, siue bona siue mala. Quod si homines recepturi sunt pro operibus suis, quãtò magis & diabolus, qui omnibus existit causa peccati. De quo sentimus illud quod scriptũ est in euangelio: Quia & ipse diabolus, & omnes angeli eius cũ his, qui opera eius faciunt, & criminãtur fratres cũ ipso pariter æterni ignis hæreditatem patientur. Si quis autem negat diabolum ignibus ęternis mancipandũ non esse, partem hæreditatis Dei cum ipso, sed eam in igne accipiat, & sentiat verum esse quod negauit.

Ambrosius de uita beata & habetur 15. q. 1 Non est quod cuiquam.

Non est quod cuiquam nostram ascribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo nostrũ tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferũtur reluctantibus, voluntaria tantùm cõmissa sequitur delictorũ inuidia, quã in alios deriuamus. Voluntarium sibi militem eligit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictũ possidet, nisi se ei prius peccatorum ære vendiderit.

Idem super Lucam.

Anima nunquam à corpore vinceretur, nisi prius à diabolo tentaretur. Nam nisi quis porci more vixisset, nunquam accepisset in eo diabolus potestatem. Aut si accepisset non vt perderet, sed vt probaret. Sine permissione Dei diabolum nocere non posse cognoscas, ne potentiam diaboli magis timeas, quàm diuinitatis offensam.

Gregorius libro 2. Moralium.

Satanæ semper voluntas iniqua est, sed nunquam potestas iniusta, quia à semetipso voluntatem habet, sed potestatem à Deo. Quod enim iniquè ipse facere appetit, hoc Deus non nisi iustè facere permittit. Iniustè igitur formidari nõ debet, qui nil nisi permissus valet.

Idem 14. Moralium.

Quædam qualitates morũ sunt certis vitijs vicinæ: nam mores asperi aut crudelitati, aut superbiæ solent esse cõiuncti: mores autem blandi & paulò amplius quàm decet lætiores, nonnunquã cõiuncti sunt luxuriæ, & dissolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani vniuscuiusq; mores, cui vitio sint propinqui, & illa ponit ante faciẽ ad quæ cognoscit facilius inclinari mentẽ, vt blandis & lętis morib. sæpe luxuriã, nonnunquã vanã gloriam: asperis verò mentibus iram, superbiã & crudelitatem opponit.

Idem in libro 18. Moral.

Purgator meus malignus spiritus, qui viuentem quemcunq; accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta.

Gregorius libro 24. Moral.

Diabolus dicitur iumentum, draco, & auis. Humanũ genus tribus vitijs valde tentat, luxuria, malitia, & superbia. In eis igitur quos excitat ad luxuriam iumentum est: ad nocendi malitiam draco est: ad superbiam auis est.

Ibidem.

Fili accedens ad seruitutem, sta in timore. Hostis enim noster, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendit. Eos autem pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.

Ibidem.

Diabolus contra illos diuersis tentationibus insistit, qui possunt etiam alijs sua vtilitate prodesse, vt dum illi impediuntur, non proficiant, qui docendi sunt.

Gregorius libro 29. Moralium super illud Iob: Diuiditur æstus super terram.

Prius cōplexionem vniuscuiusq; aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos opponit. Alius namq; lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo aduersarius occultius facilè capiat, vicinas complexioni bus deceptiones parat: quia lætitię voluptas iuxtà est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus peccatū discordiæ porrigit: quia timidi supplicia formidant, patientibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcunq; voluerint blandis fauoribus trahit: Singulis igitur hominibus vitijs cōuenientibus insidiatur.

Gregorius super illud Iosue homilia 8. In matutino interficiebant omnes peccatores terræ.

Dæmones debemus interimere, non eorum substantiam perimentes, sed quia opus eorum, & studium est, vt nos peccare faciant, sine dubio eorum interitus est, si non peccamus.

Ibidem.

Si omnes nos hostes destruxerimus, tūc diem festum Domino celebramus.

Gregorius in Moralibus super illud Iob 40. Cartilago illius quasi laminæ ferreæ.

Hostis noster tanta se arte palliat, vt culpas nostras virtutes fingat, vt inde quis quasi expectet præmia, vnde dignus est æterna subire tormenta. Plerunq; enim in vlciscendis vitijs crudelitas agitur, & iustitia putatur: atque immoderata iusti zeli ira meritum creditur. Similiter effusio, misericordia: tenacitas, parcitas: & pertinacia, constantia reputatur.

Isidorus de summo bono libro 1.

Dęmones triplici acumine pręscientię vigēt, scilicet sublimitate naturæ, experientia temporum, reuelatione superiorum potestatum.

Ibidem.

Quantò propinquius finem mundi Diabolus videt, tantò crudelius persecutiones exercet, vt qui se continuò damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur.

Ibidem libro 3.

Diabolus quando decipere quenquam quærit, prius naturam vniuscuiusq; intendit, & inde se applicat, vnde aptum hominem ad peccādum inspexerit.

Ibidem.

Diabolus serpens est lubricus, cuius si capiti, id est, primę suggestioni non resistetur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur.

Ibidem.

Tunc contra eum, quem possidet Diabolus, acrius sæuit, quando se diuina virtute ab eo expellendum cognoscit.

Leo Papa sermone 8. Natiuitatis.

Multa solicitudine præcauendum est Christianis, ne diabolicis iterum capiantur insidijs, & eisdem rursum, quibus renunciauerunt, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus transfigurās se in angelum lucis, deceptionum laqueos vbique protendere, & vt quoquo modo credentium mentes corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio: quem metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudinē, ventilat curas, scrutatur effectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi quenq; viderit studiosius occupari.

Lactantius Firmian. diuinarum institutio. lib. 3.

Est autem quidem prauus ac subdolus spiritus, qui est inimicus hominis, hostisq; iustitiæ, hic insidiatur vniuersis, non fortuna: & eos qui Deum nesciunt errore impedit, stultitia obruit, tenebris circunfundit, ne quis possit ad diuini nominis notitiam peruenire. In quo vno, & sapientia continetur, & vita perpetua. Eos aūt, qui Deum sciunt, dolis & astu aggreditur, vt cupiditate aut libidine inueniat, aut peccatis deprauatos impellat ad mortē, vel si dolo nihil profecerit, violētia deijcere conatur: vulgi igitur, & imperitorum opinionib. credunt, qui fortunā putant esse, quæ tribuat hominibus bona, & mala.

Ibidem libro 6.

Scit ergo aduersarius ille noster, quanta sit vis huius cupiditatis, quam quidem necessitatē dicere maluerunt, eamq; à recto bono, & ad malū & ad prauum transferunt. Illicita enim desideria immittit vt aliena contaminet, quibus habere propria sine delicto licet. Obijcit quippe oculis irritabiles formas, suppetitq; fomenta & vitijs pabulum suppeditat, tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat & commouet, & naturalem illum incitat atq; inflāmat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumq; decipiat. Ac ne quis esset qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoq; constituit, & pudorem infelicium mulierū publicauit, vt ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quàm quas pati necesse est. His obscœnitatibus animas ad sanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demersit, pudorem extinxit, pudicitiam fugauit. Idem etiam mares admiscuit, & nefandos coitus contra naturam, contraq; institutum Dei machinatus est. Sic imbuit homines, & armauit ad nefas omne.

Beda super Matthæum.

Vtile est sanctis tentationum flammis exami-

nari, vt vel tētati, quia fortes fuerunt, appareant, vel cognita per tentationes sua infirmitate fortiores fieri discant. Et sic cùm probati fuerint, accipiant coronam vitæ.

Dantes Florentinus inferni cap. 23.

Io udi gia dire à Bologna
De diauol uitij assat. Tra quali udij
Chelli e bugiardo e padre di menzogna. Id est:
Audiui quondam dici Bononiæ
De Diaboli uitijs plurimis, inter quæ audiui
Eum mendacem esse, atq; mendacij patrem.

Dialectica Græca dictio est, & dicitur ἀπὸ τοῦ διαλέγειν, hoc est, à disserēdo. Nam διαλέγομαι disputo & dissero dicitur. Est autem Dialectica ars discernēdi verum à falso, secundum Hugonem libro 1. Didasco.

AMANTIUS. Dialectica, quæ Latinè ars disserendi nominatur, artium ferè maxima, docet vnde erui possint argumenta, explicando definit, obscura explanat interpretando, ambiguum primum videt, deinde distinguit, postremò regulam adhibet, qua vera & falsa iudicentur, & quæ quibus propositis sint, quæque non sint consequentia, quasi lucem afferēs ad ea, quæ confusè aut aguntur, aut respondentur: Quam primus fertur excogitasse Zeno Talentagori filius, Pythagorę & Democriti tempore octuagesima octaua Olympiade, discipulus Zenophanis, & Parmenidis, qui tradidit, quæ de Philosophia postea scripsit Empedocles, aliquanto autem pòst, ipsam locupletauit Dialecticam.

Distributio Dialecticæ.

Dialectica in tres diuidi potest partes, inueniendi vnam, & alteram iudicādi, tertiam, quam possimus dicere elementariam, quę argumentorum atq; argumentationum nobis suggerit elementa: vnde sensuum & verborum primordia comparantur, sine qua quid sit, de quo disputandum, & quo pacto ad id penetrandum videatur, certum non est.

Elemētariam appellamus, prædicabilium seu quinq; vocum, prædicamentorumq;, quę cathegoriæ nuncupantur, peritiam: nec non orationis partium cognitionem, vnde vis argumentorum, atq; argumentationum emanat.

Inueniendi altera pars est, quam Topicen, id est, localem dixerunt. Illa certos quosdam locos ostendit, è quibus velut thesauris quibusdam, in rem quamuis confirmandam refellendámue argumenta ducantur. Porrò inuentionem continent loci quidam: vt enim piscator, venator, auceps, certos quosdam definitos locos habere solent, in quibus etsi non semper, tamē plerunque id quod quærunt, inueniant: Ita & Dialecticus, certos quosdā habeat locos oportet, è quibus ceu latebris quibusdam, argumenta in rem omnem ducantur.

Iudicandi Analiticen, id est, resolutoriam nominauerunt: quæ formulas, & præcepta quædā argumentādi tradit, quibus ceu perpendiculis, atq; normis quibusdam explores, idoneáne sint argumenta, quæ inueneris instituto tuo, an non idonea: prosint an officiant magis: apta sint an inepta. Neque enim vt quærenti quicquam primùm occurrit, ita & commodissimum erit causæ ei, de qua erit dicendum: non magis quàm vt lapis quiuis temerè oblatus, ad vnamquamuis ędificij partem fulciendam est aptus: aut vniuersis morborum generibus, vna aliqua salubris est medicina. Ergo quemadmodum fabri nihil nisi examinatum exploratumq́ue prius, operi suo solent inserere: ita ne nos qudem temerè vnumquodque operi nostro, hoc est, orationi, qua fidem facere volumus, infulcire debemus: sed velut delectu quodam inspicienda omnia, optima eligēda. Nam velut militi parùm profutura sunt quantumlibet bona arma: qui, quemadmodum vtendum ijs sit armis, ignoret: Ita ne loci quidem vtilitatem aliquam afferrēt nobis, nisi qua via, quoquo modo ex ijs copia dicendi paranda sit, sciamus.

Vnde dicta Dialectica.

Principiò omnem disserendi rationem Græci, vt bonarum disciplinarum aliarum omnium, ita & huius inuentores, sua lingua διαλεκτικὴν appellauêre: quod nomen nonnulli Latinè tentantes dicere, disserturam vel disputaturam dixerunt; quem errorem F. Quintilianus libro 2. facilè coarguit, etiamsi non me clàm est, ab ipso Fabio nonnunquā obiter atq; aliud interim agente disputratricem eam eam vocatam esse, &c.

Dicta autē est, à διαλέγομαι, quod disserere nostri verterunt, id est, distinctè aliqua de re dicere. Significat autem colloqui & conferre cum aliquo aliqua de re. Ideoq; Plato scientiam hanc scripsit esse δοῦναι καὶ ἀποδέξασθαι λόγους. Id est, Reddere & demonstrare rationes.

Officia Dialecticæ.

Definire, Diuidere, Ratiocinari.

Differt à Rhetorica: quòd hæc splendidam magis, & ad captum popularem orationem instruit: Dialectica res nudas proponit: Rhetorica verò addit elocutionem, quasi vestitum. Veteres aliter discernebant: Rhetoricæ tribuebant forenses & suasorias materias: Dialecticæ verò omnes quæstiones alias, de quibus certa quadā methodo & ratione docēdi sunt homines: iuxtaque hoc discrimen, proprius Dialecticæ finis est, docere: Rhetoricæ autem, permouere atque impellere animos, & ad affectum aliquem traducere: vt cùm de natura virtutis disputamus, Dialectica consulenda erit, quæ quid sit virtus, & quas habeat causas, partes, effectus ostēdat. Cùm autem ad virtutem colendam homines adhortamur, loci rhetorici sequendi erunt, &c. Itaque

quæ

quæ Orator magnifico orationis splendore molitur, eadem Dialecticus breuiter & argutè, velut punctis quibusdam colligit: alioqui materia eadem & Dialecticæ & Rhetoricę, nimirum omnis res, quæ in disputationem adducitur, quam causam Aristoteles affert in Rhetoricis suis ad Theodecten: cur Dialecticen Rhetorices ἀντίστροφον dixerit. Zeno quidem ille, à quo disciplina Stoicorum promanauit, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cùm compresserat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticam aiebat eiusmodi esse: cùm autem diduxerat manum, & dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse, dicebat.

Eadem materia & Dialecticæ & Rhetor.

Alia ratio.

Struitur omnis oratio, aut sic, vt continens sit, aut, vt sit concisa. Continens est, quales sunt orationum actiones, laudationes, hortationes. Concisa, vt disputationes, & alternantia scholasticorum certamina. Rhetoricæ ergo ratio in dicendo latior: illa in loquendo contractior. Ob id Cicero Dialecticam alicubi eleganter contractam vocat eloquentiam.

Omnis oratio aut est continens, aut concisa.

Quibus comparetur Dialectica.

Comparanda est hæc facultas, tribus potissimum rebus: natura, ratione, vsu. Nam naturæ debetur, teste Aristotele, si qui nulla arte, sed tãtum ingenij beneficio vtentes, bene ratiocinentur: & quid in quaq; re probabile sit, statim videant. Dialectica autem nihil aliud est, quàm rationis humanæ ceu filum quoddã, quo cuiusq; rei cognoscendę naturam partesq; ordine quodam inuestigamus: quo in quauis re, quid veri, quid falsi sit, inquirimus: Quare neq; labor vllus fuerit assequi Dialecticam, si ad animi iudicium reuoces. Quem enim natura nobis ordinem cognoscendarum rerum inseuit, hunc exprimunt idiotæ, & literarum expertes quãdam rerum consequentiam communi naturæ captu cernunt, videntq; progressus antecessiones, & ex alijs alia colligunt. Hic ipse naturæ sensus: hæc rationis semita, Dialectica. Sæpe quæsitum est: naturá ne plus ad artes bonas conferat, an præceptiones: Verùm si parti vtrilibet omnino alteram detrahas: Natura etiam sine doctrina multùm valebit: Doctrina nulla esse sine natura poterit. Si ex pari coëant, in mediocribus quidem vtrisque maius adhuc naturæ credam esse momentum: consumatos autem plus doctrinæ debere, quàm naturæ putabo: Sicuti terræ nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit: è terra vberi vtile aliquid nullo colente nascetur: At in solo fœcundo, plus cultor quàm ipsa per se bonitas soli efficiet. Etsi Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exculpere, Parium marmor, metallum rude: At si illud idem artifex expolijsset, plus in manibus fuisset, quàm in marmore. Deniq; natura ipsa, materiæ, ars doctrinæ est: Hæc fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia, materiæ etiã sine arte precium est: Ars summa, materia optima. Naturam autem pręceptor dare non potest: Neq; enim ea humani studij, sed solius Dei munus est, & cæleste bonum.

Natura, Ratio, Vsus.

Dialectica est quasi filũ quoddam humanæ rationis.

Fab. li. 3. cap. 20.

Cicero hæc in Oration. p Archi.

Nulla est doctrina sine natura.

Notatu dignum.

Natura solius Dei munus, &c.

Ratio neq;

Rationem voco, etiam artis habitionẽ, à præceptore petendam. Nullam autem artem literis, sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse, testatur Cicero libro 7. Epistol. Fami. ad Aulum Trebatium. Ad naturam ergo docilem suscipienda est disciplina: sicut enim cæca est sine disciplina natura, sic sine natura incerta est disciplina. Errant igitur quàm maximè, qui artes præceptis nullis constare contendunt, sed natura tantum, & vulgari quadam exercitatione contineri: quorũ in sententia & ille fuit, qui interrogatus, quid esset Schema & Noëma, nesci re se quidem, sed si ad rem pertineret, esse in sua declamatione, respondit: Horum opinionem damnat Fabius libro 2. cap. 12.

Ad artes discendas magistris opus est maximè.

Vsus hîc inprimis adhibẽdus: omnium enim magistrorum præcepta superat: studiosus itaq; quisq; conabitur præceptis adiungere. Nam & naturę & doctrinæ parum admodum fuerit momenti, si exercitium subtraxeris. Plinius iunior lib. 1. ad Tacitum & 6. mirè vsum commendat. Cicero pro Cornelio Balbo: Assiduus, inquit, vsus, vni rei deditus, & ingenium & artem sæpe vincit: Est enim ratio loquendi, & regula sermonis. Cæsar etiam in commentarijs, quod diffusius Columella explicuit, quid nimirum inter vsum & artem intersit: scriptorum est, dicit: magis instruere monumenta, quàm facere artificem: Vsum & experientiam dominari in artibus, neq; esse vllam disciplinam, in quam non peccando, discatur: Nam vbi quid perperam administratum cessit inprosperè, vtatur quod fefellerat, illuminatq; rectam viam, docentis magisterium.

Bellum responsum.

Experientia dominatur in artibus.

Exercitatio est assiduus vsus consuetudoque rei alicuius tractandæ. Cicero libro 1. de Oratore: Exercitatio quædam suscipienda: Est autem magni laboris, quem plerique fugimus, caput, quàm plurimũ scribere: Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister, &c. Neq; iniuria: nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit, hanc ipsam profectò assidua ac diligens scriptura superabit.

Assiduitas.

Stylus.

Phocylides.

οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὐπετὲς ἔργον,
οὐδ' αὐτοῖς μακάρεσσι πόνος ἀρετῆς μέγα ὀφέλλει. Id est; Nullum sine labore est viris facilè opus, neque ipsis beatis: Labor autem virtutem valde auget. Nihil tam arduum, quod non diligentia vincat & sedulitas: vt pulcherrimè cecinit Virgilius

Labor.

lius in Georgicis: labor omnia vincit improbus, & duris vigens in rebus egestas: labor & paupertas scientiam inuenerunt. Extat in hanc sententiam apud Græcos prouerbium: θεοὶ τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται: Dij bona laboribus vendunt. Huc Horatius allusit: perrupit Acheronta Herculeus labor: & Sophocles in Electro: πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ. Id est: citra laborem nihil felix.

Celtes poëta. *Non iacet in molli ueneranda scientia lecto*
Illa sed aßiduo parta labore uenit.

Isocrates.

Sicuti produnt Græci, cùm quidam ei parens filium exhiberet, sciscitareturq; quídnam ei necessum arbitraretur: δεῖ (ἔφη) γραφείου καὶ νοῦ, Penna seu stylo esse opus, inquit, ac mente.

Stylo & penna opus pueris studentibus.
Da ueniam fasso studijs quoq; fræna remißis,
Duitur & digitis litera rara meis.
Impetus ille sacer, qui uatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.

Cœlius libro 6. cap. 20. Ouidius de Desuetudine libro 4. de Ponto.

NANVS. Dialogus à διὰ quod est per, & λόγος sermocinatio, quæ & sermonem & rationem comprehendit, & est tam multorum, quàm duorum.

Diaphanus Græca dictio est διαφανὴς έος ὁ ἡ, & διαφαίνω interluceo dicitur. Est autem diaphanum susceptiuum coloris alieni, non habẽs proprium colorem, secundum B. Thom. super libr. de Anima, lect. 14. col. 1. fin.

Diaphanum est quod est visibile, non quidẽ secundum se, sed propter extraneum colorem, vt aër, aqua, & multa solida, secundum Aristot. libro 2. de Anima, commento 68.

Dicacitas Græcè λοιδορία ας ἡ, & λοίδορος ου ὁ dicax & conuitiator dicitur. Est autem dicax, cuius sermo cum risu aliquem incessit. Ideo Demosthenem vrbanũ fuisse dicunt, dicacem negant. Differtq; ab vrbano, quia vrbanus is est, qui in verbis & sono & risu proprium quendam præ se fert verbis gestum, & sumptã ex conuersatione doctorum eruditionem. Deniq; cui contrarius est rusticus, hoc est, ineptè & barbarè loquens. Hinc vrbanitas, illinc dicacitas descẽdit.

Diffamatio Græcè δυσφημία ας ἡ, & διαφημίζω diffamo dicitur. Est autem diffamare alicuius famam detrahendo maculare.

Differentia Græcè διαφορὰ ᾶς ἡ, & διαφέρω differo dicitur. Est autem differentia, qua species abundat à genere, secundum Aristotelem libro Prædicamentorum.

Differentia est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quale, secundũ Aristotelem,

Ibidem.

Differentia est qua differunt à se singula, vt ibidem. Differentia est quod genus ad esse, scilicet specificum conducit, & quod est pars eius, quod est esse rei, id est, essentiæ.

Differunt autem indiuidua ab indiuiduis septem modis, versus:

Forma, figura, locus, tempus cum nomine sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non tenet unus & alter.

Difficultas Græcè δυσχέρεια ας ἡ, & δυσχερὴς έος ὁ ἡ difficilis dicitur. Est autem difficile, quod cùm labore aut multo tempore fit, secundum Aristotelem libro 1. Rhetoricorum.

Difficile est id, quod transcendit potentiam secundum naturam, vel propter impedimentũ, B. Thom. prima parte quæst. 62. artic. 2. Eius oppositum est facile.

Difficiles terræ quę sunt pene steriles, & non sine difficultate ferunt fructum.

Virgilius.

Difficiles primùm terræ, collesq; maligni.

Diffidentia Græcè ἀπειθία ας ἡ, & ἀπειθέω diffido dicitur. Est autem diffidentia motus irascibilis inæstimatam superare facultatẽ, sed in bonum est desperatio, in malum est autem timor, B. Thom. 3. sent. dist. 26. q. 1. art. 3. Est autem diffidere credulitatem deponere, siue desperare.

Diffinitio Græcè ὅρος ου ὁ, & ὁρίζω diffinio dicitur. Est autem diffinitio oratio, quę quid est, quod diffinitur, explicat quid sit, secũdum Ciceronem in Topicis.

Diffinitio est patefactio quasi rerum opertarum, cùm quid quicq; sit aperitur, secundum Ciceronem in principio secundi libri de Finibus bonorum & malorum.

Diffinitio est ratio ex differentijs vnitatem habens, secundum Arist. libro 7. metaphysicæ.

Diffinitio est ratio quę ex differentijs, scilicet tantum & ex finali harum secundum rectum diuisarum, id est, per se, & non à latere, & per accidens.

Diffinitio est terminus, qui rem totaliter includit, & nihil rei est extrà, cui non conueniat, nec aliquid est intrà cui conueniat, B. Thom. super librum Periherminias lect. 4. prin.

Diffinitio duplex, quid rei & quid nominis. Diffinitio quid rei est, quando res concipitur per aliquam formam in ipsa re, respondens ei per omnia, B. Thomas contra Gent. libro 3. capite 49.

Diffinitio quid nominis importat quasi expositionẽ significationis nominis, non tamen semper indicat essentiam, quia diffinita nõ semper habent eam, B. Thom. secun. sent. di. 32. q. 2. art. 1.

Diffinitio est rei propositę propria & dilucida & breuiter comprehensa verbis enunciatio, quę constat maximè genere, specie, differentijs, proprijs, vt homo est animal ratiõis capax, morti obnoxium. Differt autẽ à descriptione, quod descriptio est rei propositæ per quasdam proprietates declaratio, vt homo est corpus bipes, caput erectum habens, spectansq; in cælum.

Diffinitiones naturales & dialecticę differũt, quia

quia physicus siue naturalis diffinit per causam finalẽ. Sed dialecticus diffinit per genus & differentiam: & talis diffinitio ab antiquis vocatur diffinitio formalis.

Diffinitio à definitione differt, quia definire est quasi finem dare: diffinire verò est hoc ab illo finiendo ac partiendo distinguere.

Nihil perfectè diffinitur, nisi substantia ex b. Tho. 2. Sent. dist. 35. q. 2. art. 1.

Cicero libro 1. Offic.

Omnis enim quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à diffinitione ꝓficisci, vt intelligatur quid sit id de quo disputatur.

Digestio Græcè πέψις ἡ, & πέπτω digero dicitur. Est autem digestio perfectio à naturali calido ex oppositis passiuis facta, secundum Arist. libro 4. Meteororum.

Digero est idẽ quod ordino, dispono, vnde digestio, ordinatio,. Virg. Digerit in numerum.

Dignitas Græcè ἀξιότης ητος ἡ, & ἀξίωμα ατος τὸ dicitur, & ἀξιόω dignor, vel dignum puto dicitur. Est autem dignitas alicuius honesta, & culta & honore & verecundia digna autoritas, secundum Ciceronem in Rhetoricis.

Dignitas est administratio rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione, secundum Archidiaconum in c. 1. consue. libro 6.

Dignitas vel maxima est propositio, quã necesse est habere quemlibet docentem, secundũ Arist. libro 1. Posteriorum.

Dignitas venit à dignus, & significat honorem nobis propter merita vel impẽsum, vel debitum. Frequenter etiam ponitur pro decore, vt dignitas oris, dignitas habitus & huiusmodi. Differunt autem dignitas & venustas, quòd dignitas viris: venustas verò est fœminis attributa. Cicero: venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.

Dilectio Græcè ἀγάπησις ιος ἡ, & ἀγαπητός dilectus dicitur.

Diligere enim est amare, quia eum, quem amamus, diligere videmur, quasi nostra dignum beneuolentia. hinc etiam diligens, diligentior diligentissimus, & diligentia, de qua infrà.

Cantica cantic. cap. 8.

Fortis est vt mors dilectio.

Ioan. in Euan. capite 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Ibidem capite 13.

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.

Ibidem capite 15.

Hoc est præceptũ meum vt diligatis inuicem.

Ibidem.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.

Aug. libro de doctrina Christ.

Illi Deum diligunt, qui non aliud, quàm vnde nomen eius glorificetur, exercent.

Augustinus super illud 1. Ioan. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli.

Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis. Respondeant omnes, Amen: cantent omnes alleluia, baptizentur omnes, intrent ecclesias, impleant parietes basilicarum, non discernuntur filij Dei à filijs diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem nati sunt ex Deo, qui non habent charitatem non sunt ex Deo.

Idem libro de spiritu & anima.

Miser ego quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit, cùm non eram, redemit cũ perieram: non enim eram, & de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse, dedit mihi viuere, sentire, decernere: redemit de seruitio, vocauit me nomine suo, vt memoriale suũ semper esset apud me: vnxit me oleo lętitię quo ipse erat vnctus, vt ab vncto essem vnctus, & à Christo dicerer Christianus.

Augu. libro de doctrina Christiana.

Omnes homines æquè diligendi sunt: sed cũ omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporũ vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.

Aug. sup. illud Cant. 2. Ordinauit in me charitatem.

Primò diligendus est Deus, secundò parentes, inde filij, pòst domestici, qui etiam si boni sint, malis filijs præponendi sunt: Inimicos autem non sicut teipsum, sed simpliciter: sufficit enim quòd odio non habeas.

Ambrosius super Beati immaculati.

Verè diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio, quàm coacto præcepta conseruat.

Gregorius in Registro.

Pro magno diligi non debet quicquid fine concluditur. Illa appetenda illa summopere diligenda, quæ nec inuenta transeunt, nec adepta deficiunt.

Idem in Pastorali.

Nihil est pretiosius Deo, virtute dilectionis.

Nihil est desiderabilius diabolo, extinctione charitatis.

Idem libro 21. Moral.

Inimici dilectio veraciter custoditur, cùm non de profectu deijcimur, nec de ruina eius lętamur: nemo enim amat aliquẽ, quem non vult esse meliorem, & eum stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur.

Bernardus super illud Psal. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.

Quando ignorabam, me instruxit: quando errabam, me reduxit: quãdo peccabam me correxit: quando steti, me tenuit: quando cecidi, me

me erexit: quando iui, me duxit: quando veni ad ipsum, me suscepit. Et subdit: Nec pro his omnibus, quod rependã, habeo, nisi tantum vt diligam: non enim melius, nec decentius, quàm per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est.

Idem super Canticum.

Non abduci blanditijs, nec seduci fallacijs, nec iniurijs frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est.

Caßiodorus super Psal. Diligam te Deus.

Diligere quasi de omnibus eligere. Ignis est charitas Dei virtutũ progreßionibus crescens, quæ quantò magis concupiscitur, tantò efficatius ampliatur.

Prosper libro 1. de Vita contemplatiua.

Ordinem dilectionis illi peruerterunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundũ, qui contemnendus est, diligunt: aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plus, quã seipsos fortè diligunt.

Seneca in Prouerbijs.

Nihil est quod nó toleret, qui perfectè diligit.

Cicero libro 2. de Finibus bonorum & malorum.

Omne enim animal, vt ortum est, & seipsum & omnes partes suas diligit. De hac materia vide suprà in Amor proximi & Charitas.

Diligentia Græcè ἀκρίβεια ας ἡ, ἀκριβὴς ίος ὁ ἡ diligens dicitur. Est aũt diligentia idem, quod solicitudo. Ideo requiritur in omni virtute, sicut etiam solicitudo, secundum B. Tho. secunda secundæ q. 54. art. 1. huius contrarium est Indnlgentia, di est, incuria.

Menander.

εἰ μὴ φυλάττῃς μικρ', ἀπολεῖς τὰ μείζονα. id est,

Ni custodies parua, perdes maiora.

Ibidem.

τῆς ἐπιμελείας πάντα δοῦλα γίγνεται. id est,

Diligentiæ omnia subdita fiunt.

Diluculum aurora est, quasi parua diei lux, à quo diluculo aduerbiũ, hoc est, summo mane.

Diminutio Græcè ἐλάττωσις ιος ἡ, & ἐλαττόω, diminuo dicitur. Est autem diminutio maioris quantitatis in minorem mutatio.

Disciplina Græcè μάθημα ατος τὸ, & μαθητὴς ὁ discipulus dicitur, & μαθητεύω doceo dicitur. Est autem disciplina morũ ordinata correptio, & maiorũ præcedentium patrum regularum obseruatio, secundum Cyprianum.

Disciplina est obseruatio bona & honesta, cui parum est malum facere, sed studet & his, qui bene agunt, per cuncta irreprehensibilis apparere, secundum Hugonem de sancto victore.

Disciplina est pars potentialis iustitiæ contenta sub humanitate. secundum B. Tho. secunda secundæ q. 80. art. 3.

Disciplina à discere dicitur. Discere enim propriè est rem ignotam assequi, quod vel meditãdo fit, vel ab alio discendo, vnde qui docet, doctor, qui discit, discipulus dicitur, à quo disciplina ipsa ars appellatur. Et disciplinosus, qui facilè discit.

Prouerbio. capite 1.

Audiens sapiens sapientior erit, & intelligẽs gubernacula posidebit. Animaduerte parabolam & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum.

Ibidem capite 3.

Disciplinam Domini ne abicias.

Ibidem capite 4.

Tene disciplinam, ne dimittas eam, & custodi illam, quia illa est vita tua.

Ibidem cap. 14.

Noli subtrahere à puero disciplinam.

Sapientiæ cap. 3.

Sapientiam enim & disciplinam qui abijcit, infelix est.

Ecclesiastici capite 7.

Filij tibi sunt, erudi illos à pueritia.

Ibidem.

Filiæ tibi sunt, serua corpus earum.

Ibidem capite 10.

Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.

Ibidem capite 6.

Antequam loquaris disce.

Ibidem capite ultimo.

Congregate vos in domo disciplinæ.

Paulus ad Hebræos capite 12.

In disciplina perseuerate.

Paulus ad Romanos capte 2.

Qui alios doces, teipsum doces.

August. epistola ad Hieron.

Ad discendum, quod opus est, nulla ætas sera videri potest, quod etsi senes magis decet docere, quàm discere, magis tamen decet discere, quàm ignorare.

Aug. de ciuitate Dei libro 12.

Si pro viribus suis alatur infans, fiet vt crescendo plus capiat, si modum suæ capacitatis excedat, deficit antequam crescat.

Augustinus super Ioannem hom. 50. super illud 13. Qui mihi ministrat.

Vos pro modo vestro ministrate Christo bene viuendo, eleemosynã faciendo, nomen, doctrinamq; eis, quibus potueritis, prædicando. Et vnusquisq; paterfamilias hoc non ignorat, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo & vita æterna: omnes moneat, doceat, corripiat, impendat beneuolẽtiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua ecclesiasticũ, & quodammodo temporale officium impleat ministrans Christo, vt in æternum sit cum eo.

Augu-

Augustinus ad Auxentium Episcopum, & habet. 24. q. 3. cap. Si habes de hac. §. Senex à iuuen.

Senex à iuuene, & episcopus tot annorum à collega necdum anniculo, paratus sum doceri, quomodo possim vel Deo, vel hominibus iustam reddere rationem.

Augustinus libro de Moribus ecclesiæ.

Disciplina ad duo diuiditur, in correctionē, & instructionem: quorum primum timore, secundum amore perficitur.

Augustinus libro Sermonum sermo. 52.

Non enim superbia, nisi vbi negligitur disciplina: nam disciplina est magistra religionis, & veræ pietatis, quæ nec ideo increpat, vt lædat, nec ideo castigat, vt noceat: deniq; mores hominum irata corrigit, inflammata custodit.

Idem sermone 58.

Bonitas malitiam vincit, disciplina voluptatē, & vltima castigat, scientia illuminat cæcitatem.

Augustinus ad Comitem.

Quæso mi frater, vt omnibus tibi subiectis à maiore vsq; ad minorem, & dulcedinem regni cælestis, & amaritudinem, ac timorem gehennę annunties, & de eorum salute solicitus, & vigil existas: quia pro omnibus tibi subiectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes. Annuntia, & suade eis, vt caueant à superbia, detractione, ebrietate, fornicatione, ira, luxuria, periurio, & cupiditate, quæ est radix omnium malorum.

Hieronymus epistola 36.

Habet nescio quid latentis energię viua vox, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa fortius sonat.

Hieronymus in epistola de Institutione filiæ.

Nihil aliud discat audire vel loqui, nisi quod pertinet ad timorem Domini, turpia non intelligat, cantica mundana ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur, procùl sit lasciuia puerorum. Puellæ & pedissequæ à secularibus consortijs arceantur.

Ibidem.

Si solicita & prudens es, ne filia percutiatur à vipera, curnon eadem cura prouides, ne feriatur à malo iræ, ne egrediatur cum Diana, ne ludat, nec trahat cantus: postquā grandiuscula est pergat ad templum cum parentibus, nec inter turbas inueniatur.

Idem de Continentia uirginali.

Crescat in te ætas cum animis, cum ætate, iustitia, & fides eò perfectior, quò senior.

Ibidem.

Omne tempus, in quo te meliorem non senseris, hoc te æstima perdidisse.

Gregorius libro 3. Moralium.

Cor quod sine disciplina est, exaltari non valet, quia humana mens sicut malè eleuata in infimis premitur, sic bene pressa in sublimibus leuatur.

Idem Registro 7.

Peto vt paruulos dominos, quos nutris, præcipuè in moribus instruere cures. Et eunuchos qui eis deputati sunt admone, vt ea illos loqui doceant, quę eorum mentes in charitate circa se inuicem, & erga subditos in mansuetudinem compungant.

Ibidem.

Verba nutrientium aut lac erunt, si bona, aut venenum, si mala.

Gregorius Moralium libro 31. super illud Iob 32. Ab infantia creuit mecum miseratio.

Electis cum foris ætas corporis, intus si dici liceat, crescit ætas virtutum.

Gregorius libro 20. Moralium super illud Iob 20. Cùm sederem quasi rex.

Miscenda est lenitas cum seueritate, & faciendum est quoddam temperamentum, vt nec multa asperitate exulcerentur subditi, nec nimia benignitate soluantur.

Ioannes Chrysostomus super Matth. homil. 49.

Sicut terra fructuosa est iuuentus, quæ si negligitur, multas producit spinas.

Ibidem.

Immittamus ignem, comburamus pernitiosas concupiscentias. Aremus areas nostras ad seminis susceptionem, in iuuentute sobrietas fulget: quia inopinabile hoc, scilicet, tranquillitate in fluctuationibus potiri, in camino non comburi, & in iuuentute non impudicum esse.

Ioannes Chrysostomus in Prologo super Matth.

Adolescētibus in ludo literarum positis, non tam placēt solida, quàm picta, quæq; potius pulchra, quàm vtilia sectantur. Nec tam agentia diligunt, quàm sonantia, magis gaudent foliorum amœnitate conspergi, quàm fructuum vbertate nutriri.

Bernardus epistola 113.

O quàm compositum reddit omnem corporis statum, necnon & mentis habitum disciplina! Ceruicem summittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnationes cohibet, moderatur linguam, frænat gulam, sedat iram, format incessum.

Idem super Cantica.

Iugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousq; duris ac diuinis seniorum attrita legibus humiliter, & sanetur ceruicosa voluntas, bonumq; in se naturæ, quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat.

Hugo de Institutione nouitiorum.

Quamuis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen ibi conseruanda est, vbi vel neglecta, pluribus generat scandalū: vel custodita, bonę imitationis exemplum.

Hugo libro 3. Didascalicon.

Sapiens quidem cum de modo & forma di-

scendi interrogaretur, inquit:

Mens humilis, studium quærendi, uita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra remota,
Hæc reserare solent multis obscura legendi.

Audierat puto quod dictum est, mores ornāt scientiam: & ideo præceptis legendi, præcepta quoq; viuendi adiungit, vt & modum vitæ suę, & studij sui rationem lector agnoscat. Illaudabilis enim est scientia, quam vita maculat impudica. Et idcirco summopere cauēdum est ei, qui quærit scientiam, vt non negligat disciplinam.

Ibidem.

Multos hoc decipit, quòd ante tempus sapientes videri volunt, vt iam & simulare incipiant, quod non sunt, & quod sunt, erubescere. Et eò longius à sapientia recedūt, quò non esse sapientes, sed putari putant.

Ibidem.

Ab omnibus libenter disce, quod tu nescis, quia humilitas cōmune tibi facere potest, quod cuiq; proprium fecit: sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Audi Chrysippum in Prouerbijs: Quod tu non nosti, fortasśis nouit asellus.

Ibidem.

Quid est quòd ex tanta turba discētium, quorum multi & ingenio pollent, & exercitatione vigent, tam pauci inueniantur, quibus ad scientiam peruenire contingat? Sciendum, est quòd in quolibet negotio duo sunt necessaria, opus videlicet & ratio operis: quæ ita sibi annexa sunt, vt alterum sine altero aut inutile sit, aut minus efficax. Veruntamen melior (vt dicitur) prudentia est fortitudine: quia & apponenda aliquando, quæ viribus mouere non possumus, arte leuamus: sic nimirum est in omni studio, qui sine ordine & discretione operatur, laborat quidem, sed non perficit, & quasi aêrem verberans vires in ventum fundit.

Idem in summa disciplinali.

Nunc sustineant in audiendo verecundiam, qui nolunt in faciendo habere disciplinam.

Hugo de duodecim abusionibus.

Secunda abusio est discipulus inobediens.

Boëtius de Scholastica disciplina.

Discipuli subiectio in tribus cōsistere debet, in attentione, beneuolentia, & docilitate, vt scilicet sit docilis ingenio, attētus exercitio, beneuolus animo. Intentus inquam ad audiendū, docilis ad intelligēdum, beneuolus ad retinendū.

Ibidem.

Non sit scholaris discholus. Dicitur aūt discholus quasi à schola diuisus. Schola enim Grcè, vacatio Latinè: vnde discholus quasi à vacatione diuisus.

Seneca epistola 89.

Quid horum ad virtutem viam sternit? Syllabarum enarratio, & verborum diligentia, & fabularum memoria, & versuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frænat?

Ibidem.

Musica monstrat mihi, qui sint modi flebiles: monstret potius, quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifundia: potius doceat, quomodo metiar, quantum homini satis sit. Numerare docet me Arithmetica, & auaritiæ cōmodare digitos: potius doceat nihil ad rem pertinere istas computationes. Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis, ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam. O egregiam artem, scis rotunda metiri, si artifex es, metire hominis animum. Dic quàm magnus, dic quàm pusillus sit. Scis quæ sit recta linea, quid tibi prodest si quid in vita rectum sit ignoras?

Ibidem.

Hoc scire quid proderit? vt solicitus sim, cùm Saturnus & Mars ex contrario stabunt, aut cùm Mercurius vespertinum faciet occasum, vidente Saturno: potius hoc discam, vbicūq; sunt ista propitia esse, nec posse mutari.

Ibidem.

Quid quòd ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placētes facit, & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt.

Ibidem.

Quare ergo liberalibus studijs filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant.

Ibidem.

Innumerabiles quęstiones sunt de animo tantū, vnde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quandiu sit, an aliunde aliò transeat, & domiciliū mutet ad alias animalium formas, aliasq; cōiectus, an non amplius, quàm semel seruiat, & emissus vagetur in toto: vtrū corpus sit, an non sit: quid sit facturus, cùm per nos aliquid facere desierit, quomodo libertate sua vsurus, cùm ex hac effugerit cauea, an obliuiscatur priorū & illic nosse se incipiat, an de corpore abductus in sublime secesśit. Hæc tam multa, tam magna, vt habere posśint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. Laxum spacium res magna desiderat. Expellantur omnia, totum pectus illi vacet.

Ibidem.

Non multùm nocebit tibi ista transisse, quæ nec licet scire, nec prodest. Quicquid enim non meliores, beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo natura posuit.

Ibidem.

Quatuor milia librorum Didymus, Grammaticus

ticus scripsit. Miser erat, si tanta legisset superua cua.

Seneca epistola 45.

Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quò destinauit, peruenire vult, vnã sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est.

Seneca epistola 77.

Quid autem est stultius, quàm quia diu non didiceris, nõ discere? Omnis ætatis homines hæc schola admittit, tamdiu discendum est, quamdiu nescias, & si prouerbio credimus, quamdiu viuas; etiam seni discendum est.

Ibidem.

Mores primùm, mox sapientiam disce, quę sine moribus malè discitur.

Idem in Prouerbijs.

Debent homines viaticum senectutis literarum eruditione parare discendo, ne defecerint insipienti animo. Literas tanquam baculum infirmo corpori repertas esse, eundem finem esse discendiq; & viuendi.

Seneca libro de Moribus.

Educatio & disciplina mores facit. Et illud sapit vnusquisq;, quod didicit.

Idem libro de ira Dei.

Præceptores, Pædagogosque placidos pueris conuenit dari.

Lucius Apuleius de deo Socratis.

Nihil æquè miror, quàm cùm omnes cupiant optimè viuere, & sciant non alia re viui quàm animo. Nec fieri posse, quin vt optimè viuas, animus colendus sit. Tamen homines animũ suum non colunt.

Menander.

ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις εἰ μὴ νοῦς πάρῃ. id est,
Quam nihil disciplina nisi mens adsit.

Isocrates.

ἰσοκράτης ἔφη, χρὴ τοὺς διδασκάλους πολλοὺς μισθοὺς λαμβάνειν παρὰ τῶν μαθητῶν: παρὰ μὲν τῶν εὐφυῶν ὅτι πολλὰ μανθάνουσι, παρὰ δὲ τῶν ἀφυῶν, ὅτι πολλοὺς κόπους παρέχουσι. id est:
Isocrates dixit: Oportet magistros multas mercedes capere à discipulis: ab ingeniosis quidem, quia multa discũt, à rudibus uerò, quia multos labores exhibent.

Ouidius libro 1. de arte amandi.

Disce bonas artes moneo Romana iuuentus.

De hac materia vide infrà in Doctrina & Magister.

Discordia Græcè διαφωνία ας ἡ, & διαφωνός οῦ ὁ discors dicitur. Est autẽ discordia, ira acerbior intimo odio & corde concepta, secundum Ciceronem libro 4. Tuscula. Quæst.

Discordia est quædam voluntatum disgregatio, q̃ua voluntas vnius fertur in vnum, & voluntas alterius fertur in aliud.

Discordia est aliquorum diuersio, quos prius amoris vinculum colligauit, secundum Isidorũ libro Etymologiarum.

Discordia importat disgregationẽ quandam voluntatum in diuersa, B. Tho. secũ. se. q. 37. ar. 1.

Discors is est, qui corde & animo dissidet, à quo discordia.

Prouerbiorum cap. 6.

Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius: primò oculos sublimes: secundò linguam mendacem: tertiò manus effundentes innoxium sanguinem: quartò cor machinant cogitationes pessimas: quintò pedes veloces ad currendum in malum: sextò proferentem mendacia falsum testem: septimò eum, qui seminat inter fratres discordiam.

Idem cap. 20.

Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes aũt stulti miscentur contumelijs.

Ecclesiastici 4.

Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.

Ibidem cap. 8.

Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.

Ibidem.

Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.

Ibidem.

Non contendas cum viro locuplete, ne fortè constituat litem tibi.

Ibidem cap. 25.

In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & vxor sibi bene consentientes.

Hieremias cap. 15.

Væ mihi mater mea, quia genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra.

Matthæi cap. 12.

Omne regnum diuisum contra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit.

Matthæi 12. & Lucæ 11.

Omnẽ regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

Matthæus cap. 13.

Inimicus homo superseminauit zizania.

Augustinus de uerbis Domini cap. 1.

Concordare cum aduersario tuo: nescis quando via finiatur: cùm vis finita fuerit, iudex restat & minister & carcer. At si seruaueris aduersario tuo bonam voluntatem, & cùm eo consenseris, pro iudice inuenies patrem, pro ministro sæuo angelum tollentem in sinu Abrahę, pro carcere Paradisum.

Hieronymus super Psalmum 82. Quoniam cogitauère unanimiter.

Infelix populus Dei non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo.

Hieronymus super epistola ad Romanos.

Laudent nomen eius in choro.

Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro.

Ibidem.

Vbi dissensio est, ibi inuidia est, ibi chorus non est.

Hieronymus super illud Prouerb. 29. Qui uehementer emungit, elicit sanguinem.

Qui modestè alloquitur proximum, gratum accipit responsum, & quasi de vberibus, in quibus lac quærebat, butyrum exprimit. Sed qui incepto verbo rixam, & discordiam ex fraterno corde prouocat, quasi necessaria vltra modum emungens sanguinem elicit.

Ambrosius libro de Patriarchis.

Melius est emigrare cum gratia, quàm cohabitare cum discordia. Melius est sine lite abire, quàm cum iurgio residere.

Ibidem.

Nulla spacia possunt esse satis discordibus: quietis, & pacificis etiam angusta abundant: Dissonis moribus etiam spaciosa arctantur.

Ibidem.

Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.

Gregorius in Pastorali.

Discordes tamdiu nullum boni operis sacrificium immolant Deo, quamdiu à proximorum charitate discordant. Si Cain pacem habuisset in pectore, non irruisset in fratrem; si Absalon intra se pacem tenuisset, non irruisset in patrem. Si animum Iudæ seruasset conscientiæ tranquillitas, non confugisset ad laqueum.

Idem Moralium libro 19.

Peruersæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, siue prauum, siue rectũ quid à contradicentib. audiant, aduersus hoc responsionibus impugnant: quia cùm persona per contrarietatem displicet, nec recta, quę protulerint placent.

Gregorius Moralium libro 33.

Sicut noxium esse solet, si vnitas desit bonis, ita pernitiosum est, si sit in malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordant, & tantò magis incorrigibiles, quantò vnanimes fecit.

Gregorius in Pastorali.

Si Dei vocantur filij, qui pacẽ faciunt: proculdubio Satanę sunt filij, qui pacem confundunt.

Ibidem.

Sicut nihil est preciosius Deo virtute dilectionis, ita nihil est desiderabilius Diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorũ perimit, hosti Dei familiarius seruit.

Isidorus libro Etymologia.

Discordia est aliquorum diuersio, quos prius amoris vinculum colligauit. Concordia est conuenientium in rectitudine animorum indirupta quædam, & vnita complexio: seditiosus est, qui dissensionem animarum facit, & discordias gignit.

Isidorus de summo bono libro 3.

Concordia malorum cõtraria est bonorum, & sicut optandum est, vt boni pacem habeant ad inuicem, ita optandum est, vt mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si vnitas nõ diuiditur malorum.

Idem Soliloquiorum libro 2 cap. 22.

Si contristaueris in aliquo fratrem tuum, satis fac illi: si peccaueris in eum, age pœnitẽtiam coram illo. Si offenderis quenquam repropitiare eum pace, perge velociter ad reconciliationem proximi tui: offensioni tuę citò veniam postula, non requiescas nisi reconciliatus fueris fratri.

Cassiodorus epistola 22.

Decet regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est quod principẽ melius prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, & tota Respublica morum honestate vestita.

Idem libro 1. epistola 1.

Cogi debet vt sit quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus.

Boëtius de Philosoph. consolatione libro 4.

Ností ne igitur, quòd omne quod est, tamdiu manere, atq; subsistere, quamdiu sit vnum: sed interire, atq; dissolui pariter, quando vnum esse desierit.

Beda super Lucam.

Si malorum vnitas noxia non fuisset, nequaquam diuina prouidentia superbientium turbas in tanta diuersitate disipasset.

Seneca libro de Moribus.

Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura omnium rerũ tollerentur, Meum & Tuum.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Si æterna semper odia mortales agent,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor.
Sed arma felix teneat, infelix pereat,
Nil relinquent bella, tum uastis ager
Squallebit aruis, subdita tectis face,
Altus sepultas obruet gentes cinis.

Aristoteles libro 5. Politicorum.

Nobilitas generis, & diuitiæ, principia & fontes sunt seditionum.

Ibidem.

Minores vt fiant ęquales, seditionem faciunt: ęquales verò vt fiant maiores, seditionẽ faciunt & ipsi.

Ibidem.

Omnis diuersitas videtur facere seditionem.

Laërtius

Laertius Diog. de uita & moribus Philosopho.

Nec contendere cum suis pręsentibus alienis debemus: dicebat Cleobulus: nam illud quidem amentiam: hoc verò maniam significat.

Plutarchus in Apophthegmatibus.

Scilurus cùm relictis maribus filijs octoginta diem esset obiturus, hastarum fascem cuique obtendens, vt illum confringerent iubebat: id autem singulis se posse negantibus, ipse singulatim eductas hastas facilè confregit. Ita docens illos vbi vnà esse perseuerarent, firmos ac potētes fore: imbecillos aūt si separentur ac dissiderent.

Cicero libro 1. Officiorum.

Expetenda magis est decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo: sed cauēdum, ne illud bellādi magis fuga, quàm vtilitatis faciamus ratione. Bellum autem ita suscipiatur, vt nihil aliud quàm pax ipsa quæsita videatur.

Cicerò libro 1. de finibus bonorum & malorum.

Neq; enim ciuitas in seditione potest esse beata, nec in discordia dominorum domus, quò minus animus à seipso dissidens, secumque discordans gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberę potest. Atq; pugnantibus, & contrarijs studijs, consilijsq; semper vtens nihil quietè videre, nihil tranquillè potest.

Salustius in Iugurtha.

Ego vobis regnum firmum trado, si boni eritis: Sin mali, imbecillum. Nam concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Ibidem.

In omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur.

Ibidem.

Omne bellum facilè sumitur, cæterùm ægerrimè definitur. Non in eiusdem potestate initium, & finis est.

Valerius Maximus libro 2.

Conuiuium etiam solenne maiores instituerunt, idq; charistiam vocauerunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur, vt si quę inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensę, & inter hilaritatem animorū, & fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.

Quintus Curtius de gestis Alexandri libro 9.

Seditionis interdū non remedia, quàm principia maiora sunt: in tumultu festinatio quoq; tarda est. Vnum est temeritatis solatium, perpetua felicitas.

Paulus Orosius de Ormesta libro 4.

Discordia infeliciter exagitante nulla vnquā tempora vel prospera, vel domi quieta dicūtur.

Iulius Cæsar libro 7.

Magna ex dissensionibus incommoda oriri solent.

Virgilius in Bucolicis Aegloga 1.

—En quo discordia ciues
Perduxit miseros?

Idem Aeneidos libro 7. Furiam Alecton alloquitur.

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atq; odijs uersare domos, tu uerbera tectis
Funereasq; inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.—

Horatius libro 1. epistola 3.

—At uos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia uexat
Indomita ceruice feros, ubicunq; locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

Iuuenalis satyra 8.

Curandum in primis ne magna iniuria fiat
Fortibus & miseris. Tollas licèt omne, quod usquam est
Auri atq; argenti, scutum, gladiumq; relinques,
Et iacula, & galeam, spoliatis arma supersunt.
Quod modò proposui non est sententia, uerùm
Credite me uobis folium recitare Sibyllæ.

Discretio Græcè διάκρισις ιος ἡ, & διάκρινος ὁ discretus dicitur. Est autem discretio, quæ rerum consequentium continet perspicuam, dilucidamq; cum grauitate expositionem, secundum Isidorum in Synonymis.

Discretio est non tam virtus, quàm quædam moderatrix virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & vitium virtus erit: secundum B. Bernhardum super Cantica.

Discretio pertinet ad prudentiam, & est genitrix, custos, moderatrixq; virtutum: secundum B. Thom. 3. Senten. dist. 33. q. 2. art. 5.

Discretus in actiua significatione eum significat, qui personarum qualitates, & rerum momenta discernit. Hinc discretio descendit.

Discretum Græcè διακριτὸν ου τὸ, & διακρίνω discerno dicitur. Est autem discretum, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem, secundum Aristote. libro Prædicamentor.

Ad Hebræos 5.

Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.

Gregorius Moralium libro 20.

Virga tua & baculus tuus, &c. Virga enim percutimur, & baculo sustentamur. Sit ergo discretio virgæ, quæ feriat, & sit cōsolatio baculi, quæ sustentet.

Ibidem libro 29.

Aliquando in exercitatione virtus, cùm per discretionem pręetermittitur, reseruatur, vt tantò post vitia valēter feriat, quantò à percussione interim prudenter cessat.

Ibidem.

Plerunq; virtus, cùm indiscretè tenetur, amittitur: cùm discretè intermittitur, plus tenetur.

Idem Moralium libro 31.

Sanctorum prouida discretio, dum solicitè circumquaq; conspicit in altum posita, priusquam veniat, culpam deprehendit, eamq; quò

vigilanter prænotat, eò fortiter declinat.

Ibidem.

Sæpe dũ nosmetipsos plus iusto discutimus, de ipso discretiõis studio indiscretius erramus, & mentis nostrę acies, quo plus cernere nititur, obscuratur: quia qui importunè solis radios aspicit, tenebrescit.

Isidorus libro de Synodis.

Quicquid boni cũ discretione feceris, virtus est: quicquid sine discretione gesseris, vitiũ est. Virtus enim indiscreta pro vitio deputatur.

Isidorus in Synonimis.

Discretio est in dijudicandis rerũ causis prouida humanarum mentium ratio, moderatrix.

Ibidem.

Ratio est gerendorum ordo, ex causa venientium, vt quid quo loco facias & dicas, intelligas.

Bernardus super Cantica sermone 24.

In cunctis nobis semper debet præesse discretio, & quasi moderando singulas discernere voluntates, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne quod bonum est, malum, ne quod malum est, bonum esse credatur.

Bernardus super Cantica.

Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem, & perpetuitatem confert. Ergo est discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum: tolle hanc, & virtus vitium erit. Ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumq; naturæ.

Dispensatio Græcè διοίκησις εως, & διοικέω dispenso dicitur. Est autem dispensatio communis iuris relaxatio, ex B. Thom. 4. Sent. dist. 44. q. 1.

Dispensatio portat commensuratam distributionem, vel applicationem alicuius communis ad singula: ex B. Thom. prima Secundæ, q. 97. articulo. 4. & ibidem q. 88. art. 10.

Dispendo modò expendo, vnde dispendium & dispenso, dispensatio & dispensator, qui pecunias Domini expendit, & necessaria in familiã distribuit: modò dispendo significat expando, & tunc non à pendo, sed à pando venit. Plautus: Dispendito hominem diuersum, atq; distẽdite.

Dispositio Gręcè διάθεσις εως ἡ, & διατίθημι dispono dicitur, Est autem dispono idem quod ordino, à quo dispositio, quæ est rerum in ordinẽ collocatio.

Dispositio est habitus imperfectus, secũdum B. Thom. 4. Sen. dist. 4. art. 1.

Disputatio Gręcè διάλεξις εως ἡ, & διαλέγομαι disputo dicitur. Est autem disputatio actus syllogisticus vnius ad alterũ ad propositum ostendendum, secundum B. Thom. opusc. de fallatijs.

Disputo idẽ est, quod discepto, dissero: à quo disputatio, cuius diminutiuum est disputatiuncula, componiturq; ex dis, & puto. Putare enim veteres dicebant deputare, hoc est, vacantia quę cunq;, & non necessaria, aut etiam non obstantia, & aliena auferre, atque excidere, sicq; putari arbores atq; vites dicuntur. Et putamina dicuntur sarmenta, & alia quæ auferuntur. Hinc factum est, vt putare pro cogitare atq; animo voluere capiamus. Nam cogitando resecamus mente, quæ falsa sunt, aut inutilia, aut superuacanea, & quod verum est ac bonum, ei cogitando hæremus.

Dissensio Græcè διχόνοια ας ἡ, vel διαφωνία ας ἡ, & διχοστατέω dissentio dicitur. Dicitq; dissensio quandam renitentiam ad aliquid futurum, secundum B. Thom. 4. Senten. dist. 16. q. 1. art. 2.

Disidium Græcè διχόνοια ας ἡ, dicitur, est quę discordia, vnde & disidiosus, contentiosus. Dicuntur autem à disideo, quod est discordo.

Dissolutio Græcè διάλυσις εως ἡ, & διαλύω dissoluo dicitur, venitque à dissoluo, quod idem est quod discingo, religo, libero. Vnde dissolutos dicimus, qui moribus legibusque soluti luxum vitæ sequuntur, quos Græci ἀσώτους, id est, incontinentes, & luxuriosos vocant.

Dissonantia Græcè διαφωνία ας ἡ, & διαφωνέω dissono & discordo dicitur. Vnde dissonus, discors & dissonantia, cuius oppositum est consonantia.

Diuersitas Græcè διαφορά ᾶς ἡ, & διάφορος ου ὁ ἡ diuersus dicitur. Venitq; à differo, quod est sęparo, deflecto: à quo diuersio, remotio, sæparatio, deflexus, diuersus, varius, & diuerticulum, vbi de via iter flectitur, & diuersitas, varietas.

Diuinatio Græcè μαντεία ας ἡ, & μάντις εως ὁ vates dicitur. Est autem diuinatio vis cognoscens, & videns, & explicans signa, quæ à Dijs hominibus portenduntur, vt voluit Chrysippus, secundum Ciceronem libro 2. de diuinatione.

Diuinatio est vsurpatio prænuntiandi futuros euentus, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 95. art. 1.

Diuinatio est futurorum præuidentia, dicta à diuino, quod est auguror. Diuino autẽ dicitur à Diuus, propriũ enim est Dei futura prędicere.

Diuini auxilij imploratio ad tria facit, quia auxilians quilibet fauet, auxiliatur, & dirigit, ex B. Thoma super Psalmum 43. columna 2. fin.

Psalmo 19.

Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.

Isaiæ 55.

Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est.

Ad Romanos 10.

Non est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocãt illum. Omnis enim quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quomodo ergo inuocabunt

cabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt.

Ad Collossenses 3.

Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo, & patri per ipsum.

Aug. libro de ciuitate Dei, & habe. 29. quæst. 2. Qui sine.

Qui sine saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia existimat se prudentem fieri posse: non sanus, sed æger: non prudens, sed stultus, in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus, & demens permanebit.

Ambrosius super Lucam. ca. 2.

Vbique diuina virtus studijs cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Deo, nemo custodire sine Deo, nemo quicquam incipere sine Deo.

Ambrosius libro de Virginitate.

Omnis anima accedat ad Christum, quia omnia Christus est nobis. Si vulnere carere desideras, medicus est: si febrib. æstuas, fons est, si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cęlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.

Isidorus de summo bono.

Sciant liberi arbitrij defensores, nihil posse in bonum sua præualere virtute, nisi diuinę gratiæ iuuamine sustententur.

Ioan. Chrys. in tractatu de Passione.

Nullas omnino habet metas diuina clementia: sit qui inuocet, erit qui exaudiet: sit qui pœniteat, erit qui indulgeat.

Bernardus super Can.

Nomen Iesu lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & vngit inuocatum. Qui ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fouet affectiones.

Boetius de Philo. Consol. libro 1.

Nec conueniebat vilissimorum me præsidia spirituum captare, quæ tu in hanc excellentiam componebas, vt consimilem Deo faceres.

Ibidem.

In minimis quoq; rebus diuinum auxilium implorari debet. Inuocandus enim omnium pater rerum, quo prætermisso nullum ritè fundatur exordium.

Plato in Timæo.

In maximis siue minimis, diuinum debet implorari auxilium.

Salustius in Catilinario.

Non votis neq; supplicijs mulieribus auxilia deorum parantur: sed vigilando, agendo, bene consulendo prosperè cedunt omnia. Vbi socordiæ te atq; ignauię tradideris, ne quicquam deos implores, irati enim infensiq; sunt.

Cicero libro 2. de Legibus.

A dijs immortalibus sunt nobis agēdi capienda primordia.

Seneca in Hercule furente, Trag. 1.

O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Iam statue tandem grauibus ærumnis modum,
Finemq; cladi.

Terentius Comœdia 5.

Dij uortant quod agas.

Virgilius Aeneid. libro 4.

Aderitq; uocatus Apollo.

Idem Aeneid. libro 7.

Dij uostra incœpta secundent.

Idem Aeneidos libro 9.

Tu dea, tu præsens nostro succurre labori.

Ouidius Metamorph. libro 15. fabu. ult.

Funeribus fessi, postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum
Auxilium cæleste petunt.

Diuisibile Græcè διαιρετὸν οὖ τό, & διαιρέω diuido dicitur.

Diuisibile secundum vnum dicitur linea: quod verò secundum duo, superficies omninò verò tripliciter diuisibile secundum quantitatem, corpus: ex Aristotele libro 5. Metaphysicæ. Diciturque à diuido, & diuido dicitur à viduo, quod est priuo: vnde & viduæ. Viduare enim dicitur quasi iduare, quod lingua Aetrusca diuidere significat.

Diuitiæ Grecè πλοῦτος ὁ, & πλουτέω ditor dicitur. Dicitur autem diues à diuus, nam qui diues est, quasi Deus nullo indigere videtur, teste Varrone, à quo fit diuito verbum, quod est diuitem facio, vnde diuitiæ, quæ ab opibus ita differunt, quòd diuitiæ sunt, vt vtamur: opes vt alijs opitulemur: secundum Cicero. lib. de Amicitia. Sunt enim diuitię ad necessarium vsum, opes ad magnificentiam. Dicimus præterea dito ditas, diteo dites, vnde ditesco & diuito diuitas teste Marcello. Actius Astyanacte: Nil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, suas vt locupletent domos.

Prouerb. 11.

Qui confidit in diuitijs suis, corruet.

Ibidem.

Non proderunt diuitiæ in die vltionis.

Ibidem cap. 15.

Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.

Ibidem 19.

Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.

Ecclesiastes 4.

Considerans repperi & aliam vanitatem sub sole. Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens: Cui laboro & fraudo animam meam bo-

nis. In hoc quoq; vanitas est & afflictio pessima.

Ibidem capite 5.

Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Est hoc ergo vanitas, vbi multę sunt opes. Multi & qui comedunt eas, & quid prodest possessori? nisi quod cernit diuitias oculis suis.

Ecclesiastes 6.

Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequẽs apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honores, & nihil deest animę suę ex omnibus quę desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & magna miseria est.

Ibidem 10.

Pecuniæ obediunt omnia.

Ecclesiastici 5.

Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non posit.

Ibidem.

Qui amat diuitias, fructum non capit ex eis.

Ibidem.

Noli esse anxius in diuitijs iniustis.

Ecclesiastici 11.

Si diues fueris, non eris immunis à delicto.

Sapientiæ 5.

Quid nobis profuit superbia nostra, & diuitiarum iactantia contulit nobis?

1. ad Timoth. 6.

Diuitibus huius seculi præcipe nõ sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.

Ibidem.

Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in varias tentationes, & in laqueum diaboli.

2. ad Corint. capite 4.

Quæ enim videntur, temporalia sunt: quę autem non videntur, ęterna sunt.

Matth. 19.

Facilius est camelum per foramẽ acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

Iacobi 3.

Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris.

Lucæ 6.

Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram.

Marci 10.

Filioli quàm difficilè est confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

August. epist. 140.

Diuitię seculares, si desunt nõ per mala opera quærãtur in mundo: si autem adsunt per bona opera seruentur in cęlo. Animum virilem & Christianum nec debent, si accedant, extollere, nec debent frangere, si recedunt.

Augustinus super Matth.

Verę illæ diuitię, quas cùm habuerimus, perdere non possumus.

Augu. serm. 25.

Morbus diuitiarum est superbia, nam grandis animus est, qui inter diuitias isto morbo nõ tentatur: maior animus diuitias suas vincẽs cõtemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideo magnum putat, quia diues est. Superbus qui & egenus est, in carne crepat, in corde mendicat, inflatus est non plenus.

Ibidem.

Difficilè est vt non sit superbus qui diues est: tolle superbiam, diuitiæ non nocebunt.

Aug. de uerbis Domini.

Aurum est materia laborum, periculum possidentium: aurum eneruatio virtutum, aurum malus dominus, proditor seruus.

Ibidem.

Aurum amplius cruciat, apud quẽ largius fuerit. Aurum amanti se nihil de sua possessione permittit, refundẽs ei reatum suum, cui visum negat.

Aug. in hom. de diuite.

Ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris.

Aug. super Psal. 61.

Ille igitur qui non habet, non ambiat: is qui habet, non superbiat: & non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Nõ enim damnat diuitias vnde mereamur cælum, sed cor appositũ, quod scilicet non expendit, sed recondit.

Augu. super Psal. 68.

Non diuisim, non separatim, tempore messis hoc faciet: diuites intellige superbos, pauperes humiles, habeat multas pecuniarum facultates, si in eis nõ extollitur, pauper est: nõ habeat aliquid & cupiat & infletur: inter diuites reprobos eũ deputat Dominus, quia diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca aut in domo.

Augustinus ad Probam.

Sufficientiã vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, & non amplius. Quæ quidem nõ appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personę hominis, vt non inconueniens eis, cum quibus viuendum est. Ista ergo cùm habentur, vt teneantur: cùm non habentur, vt habeantur, orandum est.

Idem de uerbis Domini sermo. 13.

Diuitiæ corporales paupertate plenæ sunt. Vide in Contemptus.

Augustinus de doctrina Christiana, & habetur 1. q. 3. Totum.

Totum, quicquid homines habent in terra, omnia.

omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur, seruus, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui habebant in pecoribus quod habebant.

Aug. de uerbis Domini.

Recole diues primordia tua, dic rogo quid attuleris? Aut si dicere erubescis, audi apostolũ: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, vtiq; quando nati sumus: sed nec auferre quid possumus, vtiq; quando de mundo exibimus. Nihil attulisti, nihil auferes, quid te contra pauperem inflas? certè quãdo aliquo casu aliqua sepulchra franguntur, ossa diuitum non agnoscuntur.

Augustinus libro 1. de ciuitate Dei.

Placuit diuinæ clementiæ in posterum bona separare iustis, quibus non fruentur iniusti, & mala impijs, quibus non cruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala vtrisque voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quę mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus boni plærunq; afficiuntur.

Augu. libro 22. de ciuitate Dei.

Quid amor ipse vt rerum variarum atq; noxiarum & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidię, iracundię, inimicitię, fallatię, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia. homicidia, parricidia, crudelitas, sæuitia, nequitia, luxuria, petulãtia, impudẽtia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta & contra naturã vtriusq; sexus tot stupra atq; immunditiæ, quas turpe est dicere, sacrilegia, hęreses, blasphemię, periuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quicquid talium malorum in mẽtem non venit, & tamen de ista vita hominum non recedit.

Aug. super Psal. 66.

Si Deus bona temporalia solùm bonis daret, putarent mali propter hoc Deum colendum. Rursus si solis malis daret, timerent infirmi conuerti, ne vel fortè deessent: permixtim igitur data sunt & bonis & malis. Rursus, si solis malis auferrẽtur, ipsa sola putarẽt esse pœna, qua mali puniantur. Qui ergo dat eas bonis, cõsolatur itinerãtes, quod dat eas: amouet bonis, vt alia desiderent, quę non habent cum malis communia.

Augustinus de uerbis Domin serm. 12.

Quid prodest arca plena bonis, si inanis sit conscientia? bona vis habere, & tu bonus esse non vis: erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis, te malum habet dominum.

Ibidem.

Quid prodest ei quod habet, qui eum, qui omnia dedit, non habet?

Idem de uerbis Domini hom. 33.

Amor temporalium, viscus est spiritualium pœnarum.

Aug. libro 1. Ser. serm. 11.

Pauper enim est, qui vult esse diues.

Idem libro de quæst. Euange.

Diuitiæ iniquitatis dicuntur propter inęqualitatem, quia non omnibus æqualiter distributæ sunt. Vnus pinguedine crepat, alter necessitate deficit.

Hieronymus super illud Matthei, Non potestis Deo seruire & Mammonæ.

Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus: qui autem seruitutis iugum discusserit, distribuit eas, vt dominus.

Hiero. in epistola ad Saluiam.

Vnumquodq; non hominum, sed rerũ pondere iudicandum est, nec diuiti obsunt opes, si bene vtatur, nec pauperem ęgestas commendabiliorem facit.

Hieron. epist. 69.

Omnis diues aut iniquus, aut hęres iniqui est.

Hiero. ad Paulin. & hab. 12. q. 2. Gloria epis. §. Crates ille.

Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus, cùm ad Philosophum Athenas pergeret, magni auri pondus abiecit, neq; putauit se posse virtutes & diuitias simul possidere. Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incũbentes, quomodo possumus fideliter aliena distribuere, qui nostra timidè reseruamus? Plenus venter facilè de ieiunijs disputat. non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est.

Hieronymus ad quendam suum Leuitam. & hab. 12. q. 1. Duo sunt. §. Nihil enim.

Nihil enim miserius est, quàm propter numum Deum contemnere.

Hieron. in epist. ad Pammachium.

Facilè est viro opes contemnere, pecuniam dissipare & proijcere, quæ in momento & perdi & inueniri potest. Nam facilè abijcitur, quod extrinsecus hæret: hoc fecit Crates Thebanus. Antisthenes. Fecerũt plurimi philosophi, quos vitiosissimos legimus.

Ambrosi. super Lucam lib. 8.

Diuites discant non in facultatibus crimẽ haberi, sed in eis, qui vti nesciunt. Nam diuitiæ vt impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.

Idem super Beati immacu.

Istæ diuitiæ iniustę dicuntur, non quia aurũ & argentum iniustum sit, sed quia iniustum est eas putare diuitias, quæ non auferunt ægestatẽ auaritiæ.

Ambro. de Nabuchodonosor Historia.

Nescit natura diuites, quæ omnes pauperes generat, neq; enim vestimẽtis nascimur, nec cũ

auro argentoq́; generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra, quos ædidit, nescit fines possessionũ, sepulchro includit cespes angustus quæ & pauperi abundat & diuiti: & terra, viuentis quæ nõ cœpit affectum, iam diuitem capit.

Idem in Hexameron.

Audi, omnes nascimur nudi & morimur, nulla distinctio inter cadauera mortuorũ, nisi fortè quia grauius fœtent corpora diuitum, distenta luxuria.

Ambrosius ad Coëpiscopos.

Vacate & videte, nisi vacaueritis à terrestrib. nihil cognoscere poteritis de cęlestibus.

Idem de bono mortis.

Quid boni est in hac vita homini, qui in vmbra viuit, nec expleri potest cupiditatibus, & si impleatur diuitijs, fructũ quietis amittit? Quia cogitat custodire, quod misera cupiditate acquisiuit, vt miserius ea possideat, quæ sibi prodesse non possunt. Quid enim miserius, quàm vt custodia torqueat, quarum abundantia nihil prosit? Itaque si plena est omnis vita, vtique finis eius alleuiamento est: alleuiamentum autem bonum, mors aut finis est: mors ergo bonum est.

Grego. Moral. libro 18.

Diuitiarum modus est, primò habere quod necesse est. Diues cùm dormierit, nihil secum afferet, res suas cùm moritur secum affert, qui cùm venerit eas petenti contulit. Nam terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus: patrimoninm nostrum retentum perditur, manet erogatum. Diu enim cum reb. nostris durare non possumus, quia nos aut illas, aut illæ nos viuentes quasi deserunt pereundo. Agendum est ergo nobis, vt res absolutè perituras, in non pereuntem cogamus transire mercedem: culpam autem rerum nobiscũ ducimus, quãuis hæc omnia, pro quibus perpetrata sunt, relinquamus.

Ibidem.

Qui terrenorum amore vtitur, nullatenus in Deo delectatur. Esse sine delectatione anima nunquam potest, nam infimis delectatur, aut superioribus, & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima, quantoq́; acriori cura ardescit ad infima, tanto damnabilius frigescit à summis.

Idem 22. Moralium.

Magna est securitas cordis, si nihil habet concupiscentiæ secularis: nam cùm ad terrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillumq́; esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit vt habeat, aut adepta metuit ne amittat

Gregorius in homilia super illud. Exijt qui seminat seminare &c.

Solæ diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus efficiunt: Si ergo fratres diuites esse cupitis, veras diuitias amate: si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite: Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia ascribi festinate.

Bernardus libro de Consideratione.

Aurum & argentum & cætera huiusmodi, quantum ad animi bonum spectant, nec bona sunt nec mala: vsus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo peior, questus turpior.

Bernardus serm, 4.

Filij Adam, genus auarum, quid vobis cum terrenis diuitijs, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum & argentum verè est terra rubra & alba quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosam. Deniq; si vestra sunt, tollite ea vobiscum.

Ibidem.

Veræ ergo diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.

Ioan. Chrys. super Ioan.

Non accuso domos habentes & agros, & pecunias & mancipia, sed cum cautela hæc possideri volo, & cum decentia in ordine dominorum, & non seruorum, vt possideant ea, & non possideantur ab eis, vt vtantur eis, & non abutantur.

Idem super illud Matthæi 6. Vbi erugo & tinea demolitur.

Omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut ex seipsis veterascunt: aut luxu dominorũ suorum cõsumuntur: aut ab extraneis dolo, vel violentia vel calumnia diripiuntur.

Boetius de philo. Consol. libro 2. prosa 5.

Diuitiæ ne vel vestri, vel sui natura pretiosæ sunt, quid harum potius, aurúmne, an vis congesta pecuniæ. Atqui hæ, fundendo magis quã coaceruando melius nitent: siquidem auaritia semper odiosos, claros largitas facit. Quid si manere apud quenquam nõ potest, quod transfertur in alterum, tunc est pretiosa pecunia cùm translata in alios vsu largiendi, desinit possideri. At eadem, si apud vnum quanta est vbique gentium cõgeratur; cæteros sui inopes facit: & vox quidem tota pariter multorum replet auditum: vestræ verò diuitiæ nisi comminutæ, in plures transire non possunt, quod cùm factum est, pauperes necesse est vt faciant, quos relinquunt. O igitur angustas inopesq́; diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt.

Ibidem.

An gemmarum fulgor oculos trahit? sed si quid est in hoc splendore præcipui, gemmarũ est lux illa, non hominum, quas quidem mirari homines, vehementer admiror. Quid est enim carens animæ motu, atq; membrorum compage,

ge, quod animatæ rationabiliq; naturę pulchrũ esse iure videatur? quæ tametsi conditoris opera suiq; distinctione postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatę, admirationem vestrã nullo modo merebantur.

Ibidem.

Quid inanibus gaudijs raperis? quid bona externa pro tuis amplexaris? Nũquid tua faciet esse fortuna, quæ à te natura rerum fecit aliena.

Ibidem.

Sed si (quod naturæ satis est) replere indigentiam velis, nihil est, quod fortunæ affluentiam petas: paucis enim minimisq; natura contenta est, cuius satietatẽ si superfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod fuderis, fiet, aut noxium.

Boetius de Philo. Consol. libro 2. prosa 5.

Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis? Fugare, credo, indigentiam quæritis copia: atqui hoc vobis in contrarium cedit. Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendã preciosæ supellectilis varietatem. Verumque illud est, permultis indigere eos, qui multa possidẽt: contraque minimis indigere, qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus superfluitate metiantur. Itáne autem nullum est proprium vobis atq; insitũ bonum, vt in externis ac sepositis rebus bona vestra quæratis? Sic rerum versa conditio est, vt diuinum meritò rationis animal non aliter sibi splendere, nisi inanimatæ suppellectilis possessione videatur? & alia quidem suis rebus contenta sunt, vos autẽ Deo mente consimiles, à rebus infimis, excellentis naturæ ornamenta captatis? nec intelligitis, quantam conditori vestro faciatis iniuriam? Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit, vos dignitatem vestram infra quæq; infima detruditis.

Ibidem.

Ego verò nego illud esse bonum, quod noceat habenti, num id mentior? minimè, inquies. Atqui diuitię possidentibus persępe nocuerũt, cùm pessimus quisq; æris alieni magis eo auidius, quicquid vsquam auri gemmarumq; est, se solum qui habet dignissimum putat. Tu igitur qui nunc cõtum gladiumq; solicitus pertimescis, si vitæ huius callem vacuus viator intrasses, corã latrone securus cantares. O pręclara operũ mortalium beatitudo, quam cùm adeptus fueris, securus esse desistis.

Boëtius de Consolat. libro 2. metro. 5.

Vtinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos,
Sed sæuior ignibus Aethnæ
Feruens amor ardet habendi.
Heus primus quis fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmasq; latere volentes
Pretiosa pericula fodit.

Ibidem libro 3 prosa 3.

Primùm igitur teipsum, qui paulò antè diuitijs affluebas, interrogo, inter illas abundãtissimas opes, nunquam ne animum tuum cõcepta ex qualibet iniuria confudit anxietas? Atqui inquam tam libero me fuisse animo, quin aliquid semper vrgeret, reminisci nequeo.

Ibidem.

Opes igitur nihilo indigentem sufficientẽq; sibi facere nequeunt, & hoc erat quod promittere videbantur.

Ibidem.

Quis autem modus est, quo pellatur diuitijs indigẽtia? Num enim diuites esurire nequeũt? num sitire non possunt? num frigus hybernum pecuniosorum membra non sentiũt? Sed adest, inquies, opulentis, quo famem satiẽt, quo sitim frigusq; depellant, sed hoc modo cõsolari quidem diuitijs indigentia potest, sed auferri penitus non potest. Nam si hęc hians semper, atq; alius poscens opibus expletur, maneat necesse est, quæ possit expleri. Taceo quod naturę minimum quid: auaritię nihil satis est. Quare si opes nec submouere indigẽtiam possunt, & ipsæ suam faciũt, quid est quod eas sufficientiã præstare credatis?

Boëtius de philo. Consol. lib. 3. metro 3.

Quam fluente diues auri gurgite,
Non expleturas cogat auarus opes
Oneretq; baccis colla rubri littoris,
Ruraq; centeno scindat opima boue.
Nec cura mordax deserit superstitem,
Defunctumq; leues non comitantur opes.

Boëtius de phil. Con. libro 4.

Diuitiæ quantis implicitæ sint malis, breuissimè monstrabo. Qui enim pecuniam congregare conaberis, eripies habenti: dignitatibus fulgere velis, danti supplicabis, & qui præire cęteros cupis, poscendi humilitate vilescis: potentiam desideras, subiectorum insidijs obnoxius, periculis subiacebis: gloriã petis, sed per aspera quæq; distractus securus esse desistis: voluptuariã vitã degas, sed quis non spernat atq; abijciat vilissimæ fragillimæq; rei corporis seruũ esse.

Beda super illud Lucæ 16. Cuiusdam diuitis hominis &c.

Non reprehenditur diues, quòd terrã coluerit, vel fructus in horrea congregauit: sed quòd fiduciã vitę in illis posuerit nec pauperib. erogauerit, vt ab eis reciperet in ęternis tabernaculis

Beda super Esdram, libro 1.

Familiaris res est humanum cor opibus ac libertate dissolui, ęrumnis verò ac paupertate ad semetipsum recolligi.

Rabanus super Mat. Vbi erugo & tinea demolitur.

Omne terrenum, vel erugine consumitur, vt aurum & argentum: vel putredine & vermibus, vt vestis. Et quod ab his immune est, à furibus tolli-

tollitur, vt lapides pretiosi. In his ergo omne genus auaritiæ reprehenditur.

Rabanus super illud Matth. 28. Homo quidam diues ab Arimathia.

Magnæ dignitatis fuit apud seculum, sed maioris meriti apud Deum: quia non erat diues diuitiarum amore, sed tantummodo possessione. Ideo diuites non excludũtur à disciplinatu saluatoris. Iste enim diues erat & discipulus, quia non pecuniæ amator, sed ipsius distributor.

Seneca epist. 5. ad Lucilium.

Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quẽadmodum argento: nec illo minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi est animi pati non posse diuitias.

Idem epist. 13.

Is maximè diuitijs fruitur, qui minimè diuitijs indiget. Nemo autem solicitus bono fruitur, & illis aliquid studet adijcere: dum de incremento cogitat, oblitus est vsus.

Seneca ad Lucilium epist. 63.

Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est: contemnere aliquis omnia potest, habere omnia nemo potest. Necessarium est paruo assuescere. Quicquid vult, nemo habere potest; illud autem potest nolle, quod non habet.

Idem epist. 81.

Omnia ista nobis accedant, non hæreant, vt si auferantur sine vlla nostri laceratione discedãt. Vtamur illis non gloriemur, & vtamur parcè tanquam depositis apud nos.

Seneca epist. 112.

Turpè est beatam vitam in auro & argẽto reponere; æque turpè est in aqua & polenta.

Idem epist. 121.

Neminem pecunia diuitem fecit. Imo contrà nulli non maiorem sui cupiditatem incussit.

Seneca de remedijs fortuitorum.

Multum quis habet, aut auarus aut prodigus est. Vide suprà in Contemptus.

Ibidem.

Si vis, inquit, Phitocleam diuitem facere, non pecuniæ adijciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.

Seneca libro de Moribus.

Quæ sunt maximæ diuitiæ? non desiderare diuitias.

Cicero libro Paradox.

Quem intelligimus diuitem. Vide suprà in Cupiditas.

Cicero lib. 1. Officior.

Nihil est tam angusti, tamq́; parui animi, quã amare diuitias: nihil honestius magnificentiusq́ue, quàm pecunias contemnere.

Cicero Tuscu. quæst. libro ult.

Omitto diuitias, quas cùm quiuis, quamuis indignus, habere possit, in bonis non numero. Quod enim est bonum, id non quiuis habere potest.

Ibidem.

Lacon gloriãti cuidam mercatori, quòd multas naues in omnem oram maritimam dimisisset: nõ sanè optabilis, inquit, ista etiam quidem prudentibus, apta fortuna. An dubium est nihil sic habẽdum in eo genere, quod vita beata complectitur, si id possit amitti. Nihil enim inueterascere, nihil extingui, nihil cadere, debet eorũ in quibus vita beata consistit. Nam qui timebit, ne quid ex his disperdat, beatus esse nõ poterit. Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atq; munitum, non vt paruo metu præditus sit, sed vt nullo.

Cicero lib. de Senectute aliàs in Catone maiore.

Non enim habere aurum pręclarum mihi videtur, sed his qui habent imperare: dicebat Curius.

Cicero in Paradoxis.

Potéstne bonum cuiquam malo esse, aut potest esse quisquam in abundãtia bonorum, ipse non bonus?

Ibidem.

Nihil est neq; meum, neq; cuiuspiam, quod auferri, quod eripi potest.

Ibidem.

Neq; ego vnquam dicam bona illum perdidisse, si quis pecus aut suppellectilem amiserit.

Cicero libro de Amicitia.

Neq; altum neq; diuinum illi suscipere possunt, qui suas omnes cogitationes in rem humilem & contemptam abiecerunt.

Cicero libro Officio.

Expetuntur autem diuitiæ. Vide in cupiditas. Nec verò rei familiaris amplificatio. Vide in Cupiditas.

Ibidem.

Nihil honestius. Vide in Cupiditas.

Cicero in Paradoxis.

Quis igitur si quidem vt quisq;. Vide in Cupiditas.

Salustius in Catilina.

Diuitiæ & imperia, bella atq; certamina inter mortales excitant.

Ibidem.

Diuitiarum & formæ gloria fluxa atq; fragilis est.

Valerius Maximus libro 3.

Locuples est, qui nõ multa possidet, sed modica desiderat.

Valerius Max. libro 6.

Caduca nimirum, & fragilia puerilibusq; consentanea crepundijs, sunt istæ, quæ vires atq; opes humanæ vocantur: affluunt subitò, repentè dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atq; illuc acta, quos in subli-

sublime extulerunt, improuiso decursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaq; neq; existimari, neq; dici debent bona, quæ inflictorum malorum amaritudine, desiderium suum duplicant.

Idem libro 7.

Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens in quàm latè patentem errorem cæcas precationes tuas spargis. Diuitias appetis, quę multis exitio fuerunt: honores concupiscis, quos complures pessundederunt.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophor.

Interrogauit quidam Pythagoram: si cuperet esse diues? qui ait: Diuitias contemno habere, quæ liberalitate perduntur, & parcitate putrescunt.

Aristoteles libro 1. Politicorum.

Duplices sunt diuitiæ, scilicet naturales & artificiales. Naturales possessiones rerum: Artificiales verò, possessiones pecuniæ.

Ibidem.

Desiderium diuitiarum vadit in infinitum.

Aristoteles libro 4. Politicorum.

In omni ciuitate sunt tres species hominum, scilicet diuites, pauperes, mediocres. Inter quos optimi sunt mediocres: quia medium est semper optimum.

Ibidem.

Maximum eufortunium est, ciues mediocrē substantiam habere tanquam sufficientes eis, quia per tales bene regitur ciuitas.

Aristoteles libro 2. Elenchorum.

Diuitiæ simpliciter sunt bonæ, sed insipienti & non rectè vtenti, non sunt bonæ.

Aristoteles libro 2. Ethicorum.

Peiores sunt nuper ditati, quàm ditati ab antiquo.

Aristoteles libro 12. Ethicorum.

Moderatè ditati non minus agunt bona, quàm potentes, Imò etiam magis.

Aristoteles epistola ad Alexandrum.

Non faciunt equum meliorem aurei fræni.

Hesiodus.

πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ δόξα ὀπήδει. id est:
Diuitias autem uirtus & gloria comitantur.

Idem.

χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω. i.
Pecuniæ non raptæ, à Deo datæ multo meliores.

Idem.

σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶν ᾗσι,
ὧς δ' ἔρδειν, ἔργον δ' ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι. id est:
Tibi uerò si diuitias animus cupit in mentibus tuis,
Sic facias, operam supra operam operare.

Idem.

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι. id est:
Pecuniæ enim anima sunt miseris mortalibus.

Menander.

βουλόμεθα πλουτεῖν πάντες, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα. id est:
Volumus ditescere omnes, sed non possumus.

Idem.

δύναμις πέφυκε τοῖς βροτοῖς τὰ χρήματα. id est:
Vis sunt mortalibus diuitiæ.

Idem.

ἐὰν δ' ἔχωμεν χρήμαθ' ἕξομεν φίλους. id est:
Si autem habebimus pecunias, habebimus amicos.

Idem.

μέμνησο πλουτῶν τοὺς πένητας ὠφελεῖν. id est:
Recordare diues existens, pauperes iuuare.

Idem.

μὴ σπεῦδε πλουτεῖν, μὴ ταχὺ πένης γένῃ. id est:
Ne festina ditescere, ne citò pauper fias.

Idem.

πλούτῳ πεποιθὼς ἄδικα μὴ πειρῶ ποιεῖν. id est:
Diuitijs confisus iniusta ne conare facere.

Idem.

ῥάθυμος ὢν σὺ πλούσιος, πένης ἔσῃ. id est:
Piger existens tu diues, pauper eris.

Idem.

χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα, κ' ᾅδου πύλας. id est:
Aurum autem aperit omnia, & inferni portas.

Palladas.

χρυσὲ πάτερ κολάκων, ὀδύνης καὶ φροντίδος υἱέ,
καὶ τὸ ἔχειν σε φόβος, καὶ μὴ ἔχειν σ' ὀδύνη. id est:
Aurum pater adulatorum doloris & curæ fili,
Et habere te timor, & non te habere dolor est.

Idem.

φεύγετε τοὺς πλουτοῦντας ἀναιδέας, οἰκοτυράννους,
μισοῦντας πενίην μητέρα σωφροσύνης. id est:
Fugite diuites impudentes, habitantes domos tyrannorū,
Odio habentes paupertatem matrem modestiæ.

Euripides.

χρυσὸς δὲ κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς. id est:
Aurum autem potentius infinitis sermonibus hominibus.

Virgilius libro 3. Aeneidos.

—Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?
Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Ouidius libro 1. Fastorum.

In precio precium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper ubiq; iacet.

Propertius libro 3. Elegia 5.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ad infernas stulte ueherc rates.

Tibullus libro 3. Elegia 3.

Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri?
Aruaq; si findant pinguia mille boues?
Quidue domus prodest Phrygijs innixa columnis?

Ibidem.

Et quæ prætereà populus miratur in illis,
Inuida quæ falsò plurima uulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæq; leuantur,
Nam fortuna sua tempora lege gerit.

Ibidem.

Nec me regna iuuant, nec Lydius aurifer amnis,

Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Hæc alij cupiant, liceat mihi paupere cultu,
Securo chara coniuge posse frui.

Horatius Carminum libro 3. Ode 1.

Sed timor & minæ,
Scandunt eodem quo dominus, neq;
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.

Ibidem.

Cur inuidendis postibus & nouo
Sublime ritu, moliar atrium?
Cur ualle permutem Sabina
Diuitias operosiores?

Idem epistolarum libro 2. epistola 2.

Sit proprium cuiquam? puncto quod mobilis horæ
Nunc prece, nunc precio, nunc ui, nunc sorte suprema
Permutet dominos, & cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus & hæres
Hæredem alterius, uelut unda superuenit undam,
Quid uici prosunt? aut horrea? quidue Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum paruo, non exorabilis auro?

Et parùm infrà.

Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.

Iuuenalis satyra 10.

Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census,
Quantò delphinis balæna Britannica maior.

Ibidem.

Pauca licèt portes argenti uascula puri
Nocte iter ingressus gladium contumq; timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit uacuus coram latrone uiator.

Ibidem.

Prima fere uota, & cunctis notißima templis
Diuitiæ ut crescant, & opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro, sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato setinum ardebit in auro.

Iuuenalis satyra 14.

—Nam diues qui fieri uult
Et citò uult fieri.—

Ibidem.

—Misera est magni custodia census.

Ibidem.

—Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat edam,
Inquantum sitis, atq; fames & frigora poscunt.

Dantes inferni Cantica cap. 7.

Ho poi ueder figlio! la curta buffa
De ben che sont commißi alla fortuna.
Per che lhumana gente si rabuffa.
Che tuto loro che sotto la luna.
Et che fugia, de quæste anime stanche
Nonne potebre far possar pur una. id est:

Iam potes uidere fili breuem turbinem
Bonorum, quæ sunt commissa fortunæ,
Propter quæ homines sese commouent:
Nam totum aurum quod infra lunam est,
Et quod unquam fuit, & his animabus fessis
Non posset nec unam quidem quietem facere.

De hac materia habes, vbi suprà Cupiditas & Paupertas.

Diuitijs uirtus præferenda.

Sine diuitias diuitum esse, tu verò virtutem præfer diuitijs. Nam si uoles diuitias cum virtute comparare: vix satis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pedissequæ sint. Ex 4. libro nouæ Rhetoricæ Ciceronis.

Diues auarus pauper est sibi.

Diuitias animi solas ego iudico ueras,
Qui rebus pluris se facit ipse suis,
Hunc adeò ditem, hunc opulentum ritè uocamus,
Magnarum quis sit, qui uidet, usus opum.
Calculus ac si quem miserè numerandus adurit,
Qui miserè semper diuitias cumulat.
Hic ut apes paruo crebroq; foramine fosso
Sudat in alueolo, mel alij comedunt.

Idem Thomas Morus.

Te ditem appellant omnes, ego planè inopem te,
Nam facit usus opes, testis Apollophanes.
Si tu utare tuis, tua fiunt, sin tua serues
Hæredi, tua iam nunc aliena facis.

Τοῦ παλλαδᾶ.

Diues auarus.

Πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις ψυχὴν δὲ πένητος,
ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε σοὶ δὲ πένης.

Latinè sic uersum, authore Lilio.

Diuitias locupletis habes, animam sed egeni,
Hæredi ô diues, sed tibi solus egens.

Thomas Morus ita transtulit.

Diuitias locupletis habes, inopis tibi mens est:
O miser, hæredi diues, inopsq; tibi.

Diues auarus idem quod canis in præsepi.

In præsepe canis fœno nec uescitur ipse,
Nec sinit, ut fœnum, qui cupit, edat equus.
Seruat auarus opes, opibus non utitur ipse,
Atq; alios, uti qui cupiunt, prohibet.

Allusio ad Græcum.

Τοῦ παλλαδᾶ.

Diuitias ut Crœsus habes, sed uiuis ut Irus:
Ergo alij diues, pauper es ipse tibi.

Diues tantum nobilis.

Non habeo quoniam numos, uasa aurea, mensas,
Quas ornant gemmæ, sub quibus albet ebur.
Nec mea centenis insurgunt tecta columnis,
Nec domus antiquis fulget imaginibus:
Prædia nec grauidas Cereris mihi munus aristas
Producunt uites nec mihi Bacche tuum:
Nec meus est ostro sonipes, nec splendidus auro,
Nec nitet in digitis plurima gemma meis:

Insanion

Insanum me cerdo uocat, sutorq́; faberq́;:
Insanum diues, qui caret ingenio.
Accusat, mordet, lacerat, damnatq́;, fugatq́;,
Nec me Parnassus, nec sua templa iuuant.
Nobilis est tantum diues, magnusq́; potensq́;,
Solus habet socios, solus in orbe ualet:
Laudatur, petitur, colitur, celebratur, amatur,
Est prætor solus, est quoq; solus eques.
Sed meritis hominum si diuiderentur honores,
Insanum qui me, qui sine mente uocant,
Insanos sese, sese sine mente uiderent:
Solus honor merito qui datur, ille datur.

Diuitijs moderatè utendum.

ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο σῶν κτεάνων,
ἔστι δὲ ἀνὴρ σοφὸς οὗτος ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
φειδοῖ, καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.

Latinè Lilius uertit.

Diuitijs utare tuis, tanquam moriturus,
Tanquam uicturus parcito diuitijs:
Vir sapiens est ille quidem, qui hæc ambo uolutans
Parcit, quiq́; modum sumptibus applicuit.

Thomas Morus.

Tanquam iam moriturus partis utere rebus:
Tanquam uicturus denuo parce tuis.
Ille sapit, qui perpensis his ritè duobus,
Parcus erit certo munificusq́; modo.

Diues mortuus, & pauper, pares: ex Ausonij Epigrammatibus.

Effigiem rex Crœse tuam ditissime regum
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus:
Constitit, utq́; procùl solito maiore cachinno
Concussus dixit, quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt, regum rex ô ditissime, cùm sis
Sicut ego solus, me quoq; pauperior?
Nam quæcunq; habui mecum fero, cùm nihil ipse
Ex tantis tecum Crœso feras opibus.

Ex dictis Sapientum.

Quis diues.

Diues est nihil cupiens.

Quis diues? qui nihil cupit: At quis pauper? Auarus.

Diuitijs omnia parent:

Ex satyra 3. libro 2. sermonum Horatij.

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem,
Hæredes Staberi summam incidêre sepulchro.
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo patria.
Quid ergo
Sensit, cùm summam patrimonij insculpere saxo
Hæredes uoluit? quoad uixit, credidit ingens
Pauperiem uitium, & cauit nil acrius, ut si
Fortè minus locuples uno quadrante periret,
Ipse uideretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex,
Et quicquid uolet: Hoc ueluti uirtute paratum
Sperauit magnæ laudi fore, Quid simili isti
Græcus Aristippus? qui seruos proijcere aurum
In media iussit Lybia, quia tardius irent
Propter onus segnes. Vter est insanior horum?

Diues solus sapiens & fortis.

DIVES QVI VALET.

Ex epistola 12. Horatij ad Iccium.

Valetudo magnum bonum.

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci
Si rectè frueris, non est ut copia maior
Ab Ioue donari possit tibi, tolle querelas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si uentri bene, si lateri est, pedibusq́; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Idem epistola 19. libro 1. ad Lollium.

Aequus animus optimus

Quid credis amice precari?
Sit mihi, quod non est, etiam minus, ut mihi uiuam,
Quod superest æui, si quid superesse uolunt Dij.
Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert,
Det uitam, det opeis, æquum mi animum ipse parabo.

Diues qui nihil cupit. Ex 14. satyra Iuuenalis.

Tantis parta malis, cura maiore metuq́;
Seruantur, misera est magni custodia census.

Plutus diuitiarum Deus cur cæcus effingatur. Auaritiæ improbatio. Aloadæ qui dicantur.

Pluton esse diuitiarum Deum, & quidem cæcum, neminem puto qui nesciat, cui saltem eius nominis opus apud Aristophanem non sit incognitum. Plutarchus verò autor est, emanasse celebratū illud, in vna omnium, quæ sub sole sunt vrbium Sparta seruari diuitiarum Deum & cæcum, & iacentē, vt picturam inanimatam, ac immobilem: Quod ibi victus facilitate, & communi cœnandi instituto efficeretur, ne furto diuitiæ conciliarentur, vel potius (vt ait Theophrastus) honore haberentur: Nam, vt taceam, quod prudenter Seneca inquit, Multum esse diuitiarum contubernio non corrumpi, & affluentib. hinc inde diuitijs, vitiorum fomitibus animum seruare inconcussum. Certè, vt Philostratus inquit, non sunt tractabiles diuitiæ, debentq́; inter ardua & difficilima connumerari. Qui enim diuitijs (vt sic dicam) inebriantur, non desinunt subinde iniurios se prębere: & in magna amplaque fortunæ laxitate, cæcutiunt. Quod si opulentiæ adhiberetur vtendi ratio, reciperet iam viuendi vsum Plutus: Quod sophistæ Herodi factitatum scimus: apud quem minimè luminib. captus diuertisse videtur is Deus, quando bonorum affluentiam ad liberalitatis vsum contulit: Quod sciret τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν εἶναι πάσης κακίας. Id est: Auaritiam esse totiùs vitiositatis Metropolin. Quæ res illi, vt taceam, quod Rufus Perinthius Græcorum linguam nuncupabat, & orations linguam: immortalem apud posteros gloriam comparauit: amicos siquidē ampliter confouebat, ciuitates gentesq́; inopia ad-

In Sparta vrbe diuitiarū Deus asseruatur.

Auaritia totius vitiositatis metropolis

obrutas subleuabat. Erat enim hic thesaurus illi accuratissimus, multis bona sua impertiri. Addebatque, congruere in primis non abutenti diuitijs, indigentibus opem ferre, vt desinant indigere: non indigentibus item, ne fortè quandoq; indigeant. Inconsultum verò diuitem, ac sordidum, cumulandisq; pecunijs immorientem, esse mortuum prædicabat Pluton. Thesauros porrò, in quos nullo fine congerantur opes, Pluti carceres vocabat: Eos, qui sepositam pecuniam vice numinis colerent, Aloadas esse dicebat: Qui cùm in vincula Martem coniecissent, eidem mox rem diuinã obire perrexerunt. Postremò elegans est, apud Græcos verbum χαλκιδίζειν, id est, chalcidissare, quod signat, auidius pecuniæ inuigilare: Quoniam eiusmodi fuisse Chalcidienses feruntur.

Pluti carceres.

Chalcidizare incumbere pecuniæ.

Isocrates ad Demonicum.

Diuitiæ vitiorum magis quàm virtutis ministræ sunt: cùm quod ad ignauiam fenestram aperiunt, tum quod adolescentes ad voluptates aduocent.

DIVITIARVM VSVM QVEM *esse deceat.*

De M. Antonio Ptolemæo Bione: Diuitiarum genera duo, ex libro 11. Cœlij.

Et Græcus quidem hîc rectè admonet, & sinceriter exq; mortaliũ vsu inprimis: sed & apud Rhabirium Poëtam M. Antonius persanctè: cùm fortunam suam ad alios emigrantem ingemisceret: Hoc habeo, quodcunque dedi. Illud, inquit Seneca, quod suspicis, quo te diuitem quoq; ac potentem putas, quamdiu possides, sub nomine sordido iacet: cùm donasti, beneficium est. Propterea notissimus Poëta Martialis libro quinto ait:

Egregia vox M. Antonij.

Extra fortunam est, quicquid donatur amicis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Veræ diuitiæ quæ sint. Aristoteles.

Diuitias veras docet Aristoteles dici eas, quæ necessaria vitæ suggerunt, & vtilia ad ciuitatis & domus societatem: ijs siquidem sufficimus ad bene viuẽdum: item, esse diuitias veras, quarum acquisitionem χρηματιστικὴν nuncupant: id est, pecuniariam: Hæ verò dicuntur infinitæ, nec veræ, quoniam appetitum non explent. De quibus item intellexisse Solon videtur, sicut commeminit etiam in libro περὶ φιλοπλουτίας Plut. πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. Hoc est: Diuitiarum nullus est cõstitutus finis hominibus: Nam diuitiæ quæ necessarijs rebus constant, finitæ sunt. Extant autem organa œconomici & politici, ijs enim vtuntur ad domus & ciuitatis administrationem: Diuitias veras ex naturæ fontibus principia ducere palàm est, alteras verò minimè. Adhæc autem Epicuri illud spectare, non latere arbitror: Si ad naturam viues, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Etenim sicut prudentissimè Seneca scribit, congeratur in te, quicquid multi locupletes possederũt, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura vestiat, & eò delitiarum opumque perducat, vt terram marmoribus abscondas, & non tantum habere liceat, sed & calcare diuitias: Accedant statuæ & picturæ, & quicquid ars luxuriæ vlla elaborauit, maiora cupere ab hisdisces. Naturalia desideria finita sunt, ex falsa opinione nascentia, vbi desinant non habent. Nullus enim terminus falsò est.

Ad naturam viuẽs nunquã erit pauper.

Isocrates ad Demonicum.

Omnem diuitiarum fructum non in magnitudine opum, sed in moderato rei vsu familiaris, esse positum existima. Contemne illos, qui cumulandis opibus inuigilant, sed partis vti nesciunt: Idem enim vsu venit istis, quod his, qui equitandi nescij bonos equos habent.

Impoßibile est diuites simul & probos esse.

Plato autem de legibus quinto: Diuites valde simulq; probos esse, arbitratur impossibile, proptereaq; nec felices, vt mox pecuniarum, inquit, cura vltimum honoris teneat locum. Hinc illud Ptolemæi laudatur egregiè, qui apud amicos cœnitare assuetus, sepe etiã dormire, si quandoq; illis reponeret vasa commodò, ab eisdem sumere non verebatur: Stragula item, atq; id genus alia plura: quòd ipse in domestica supellectile nil admodum præter necessaria haberet. ἀλλὰ τὸ πλουτεῖν ἔλεγε τὸ πλουτίζειν εἶναι βασιλικώτερον. Id est: Ditare quàm ditari magis regni asseuerabat. Quid quod immodicæ diuitiæ, sicut docuit Apuleius, veluti ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt quàm regunt: quòd habeant irritam copiam, & noxiam nimietatem. Deniq; is plurimùm habet, qui minimũ desiderat. Quippe animus est, qui diuites facit: Pecunia ad animum nihil pertinet, aurum, argẽtum, magni leuatique mensarum orbes, terrena sunt pondera, quæ amare nequit sincerus, ac sui memor animus. Rem familiarem largam & vberem populo elargitus est Crates. Diogeni ac Anthisteni pera fuit & baculus, quod regibus diadema: proinde iucundum illud Bionis, qui apud Theognin legisset.

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δὲ οἱ δέδεται.

Paupertate quisquis premitur, nec dicere,
Nec facere quoq; ualet: obligata siquidem lingua illi est.

Quo, inquit, pacto ipse inops tantum nugaris, deblaterasq; aduersum nos? Diogenes diuitem indoctum esse ouem, asseuerabat, vellere aurato.

Diues pauper: Ex Hercule furente Senecæ.

Turbine magno spes solicitæ
Vrbibus errant, trepidiq; metus.
Ille superbos aditus regum,

Durasq;

Duras'q; fores expers somni
Colit, ac nullo fine beatas
Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro,
Illum populi fauor attonitum,
Fluctuq; magis mobile uulgus
Aura tumida uoluit inani.
Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia, uendens improbus Iras.
Nec sua retrò fila reuoluat.
At genus hominum fertur rapidis
Obuia fatis, incerta sui
Stygias ultrò quærimus undas
Et uerba locat, nouit paucos
Secura quies, qui uelocis
Memoras æui tempora nunquam
Reditura tenent: dum fata sinunt,
Viuite læti, propera cursu
Vita citato, uolucriq; die,
Rota præcipiti uertitur anni:
Duræ peragunt, pensa sorores.

Diues. Pauper.

Aduocati & procuratores iurgiorum venditores.

Carthaginensium & Homeri sententia de diuitijs: Ex Cœlio.

Carthaginenses verò, vt docuit Aristoteles, non optimos solum, sed & ditissimos censebant magistratibus admouendos, veluti arbitrarentur impossibile eum qui egestate premeretur, rectè sinceriterq; magistratum gerere, aut quietem optare. Diuitias porrò esse Deorum donum Homerus canit, θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε κρονίων, ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι. Sed & Solon diuitias, inquit, habere quidem cupio, per iniuriam verò consequi nolim: subsequitur enim mox supplicium. Inter L. Metelli felicitatis argumenta, id recensetur, Pecuniam magnam bono modo inuenisse, insulas collustrans. Themistocles pecuniam hinc inde corrogabat: adijt & Andrios, vrgensq; infestius: Duos, inquit, ad vos affero Deos, vim, & suasionem. At illi nec minus festiuè: duos quoq; apud se & magnos quidem residere Deos, intulére paupertatem & impossibilitatem, qui numos illi erogari prohiberent. Succurrit & in mentione illa lepida equidem nec minus inutilis historia, super Cytharędo Timotheo. Agebat is apud Archelaum, sed cùm spe aliquãto parcius ab eo donaretur, non desinebat illum lacessere: Quin succinens quandoq; Commation illud, σὺ δὲ τὸν γηγένεταν ἄργυρον αἰνεῖς, id est: Tu autem terræ filium argentum laudas? Intendebat in Archelaum: At is festiuiter, σὺ δὲ αἰτεῖς, id est, Tu autem petis. Nec minus scitu id iucundũ est, Eulogias dici munera, quæ Prælatis offerant subditi, & quæ sacra petentes consilia deferant Præsbyteri. Dicuntur verò Eulogię, velut planè benedictiones sint, εὐοῖ autem obiter vox bacchantium est. Vnde Eua mons Ducibus Messeniorum dictus est.

Egenis magistratuũ ius non conferendũ esse.

Diuitiæ donum Deorũ.

Graue dictum Solonis sapientis.

Themistocles.

Duo Dij Vis & Suasio.

Festiuũ dictum Archelai.

Eulogiæ munera præstita Ducibus

Pelopidæ dictum.

Pelopidam verò scribunt eruditi, cùm ab amicis incusaretur, quòd pecuniæ cogendæ, rei in primis necessariæ, parum curiosus foret: Per Iouem necessarię, sed Nicomedi huic erat Nicomedes claudus ac mutilus. Illud postmodum adijciamus, quod non ingratum in Symposiacis refert Plutarchus. Vbi diuites incesit domicilia cõparantis triancontaclina, & eo etiam num ampliora: Horum, inquit, conuiuia Panegyriarcho verius, quàm Symposiarcho indigere videntur. Plutum enim arbitrantur aplutum ac cæcum verè καὶ ἀδιέξοδον, id est, citra decursum, in testes sortiatur plures, sicuti Tragœdię spectatores: Nam & nobile scortum Phryne, atq; eo nomine prædiues, mœnia Thebarum substructuram se pollicita est, modò ascribi paterentur ciues, ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαφεν, ἀνέστησε δὲ φρύνη, id est: Euertit Alexander quidem, sed restituit Phryne: Illud verò non insuper habẽdum, in Tegeatum agro esse montem, Cresium nomine, id est, χρήσιον, in quo fuerit Aphinij sacellum: Nam ibi cum Aerope congressus est Mars, veluti memorant Tegeatæ, natus inde Aphinus matri nihilominus inhęsit, Partim quamuis immortuæ, ac ex vberibus vi numinis, partim, multum copiosumq; lac suxit. Qua ratione in Deos translatus Aphinus, id est, diues fertur nuncupatus.

Nicomedes claudus.

Panegyriarchus Symposiarchus

Phryne scortum nobile.

Aphinij sacellum in mõte Cresio.

Aphinus diues.

Minyas primus thesauros recondidit.

Thesaurum recondendis pecunijs hominum primus struxisse Minyas traditur. Fuit hic Chrysæ filius, ex Chrysogenia natus, & Neptuno, à quo nuncupatos ferunt Minyas, quibus imperitarit. Hic prætereà Minyas & diuitijs creditur cunctos anteisse mortales.

Orchomenus Minyæ filius fuit, vnde Orchomenij dicti: Ad eum vir Aegius venit Hyettus, post Moluri cædem in vxoris adulterio deprehensi: is ab Orchomeno regionis parte accepta, omnium primus in adulteros legẽ sanxit: Quem postea imitatus est Draco Athenis.

Hyettus primus legem in adulteros sanxit, hunc imitatus Draco.

Diuitiæ, quantumuis immensæ, animo auari non sufficiunt.

Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo: nec diuitiæ Narcißi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia.

Diuitiæ nullum à morte liberant.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secùs in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiam, moriture Deli.
Cedes coëmptis saltibus & domo,
Villaq;, flauis quam Tyberis lauit,
Cedes & extructis in altum,
Diuitijs potietur hæres.
Diues ne prisco natus ab Inacho,
Nil interest an pauper, & infima

De gente sub diuo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocius,
Sors exitura, & in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Ex oda tertia libri secundi Horatij ad Delium.

Ouidius in Metamorphosi.

Serius aut citius sedem properamus ad unam.

Horatius libro 2. Ode 2.28.

Sed omnes manet una nox
Et calcanda semel uia lethi.

NANVS. Diuortium Græcè διχόνοια ας ἡ, & διχοτομέω in duas partes diuido dicitur. Et est propriè matrimonij distractio, differtque à repudium, quia repudium inter nondum coniunctos fit, diuortium verò coniunctorum est. Quare (vt ait Modestinus) diuortium inter virum & vxorem fieri dicitur: repudium verò sponte remitti videtur, quod in vxoris personam non cadit.

Docilitas à doceo venit, quod Græcè διδάσκω dicitur, & διδακτός οῦ ὁ docilis dicitur. Est autem docilitas prudentia erudiendi imperitos, secundum Isidorum in Synonymis.

Docilitas est aptitudo bene acquirendi rectã opinionem ab alio, sicut solertia à seipso: secundum B. Thom. secunda secundæ q. 48.

Docilitas est pars prudentiæ, qua homo solicitè, frequenter, & reuerenter applicat animum suum documentis maiorum, non negligens ea propter ignorantiam, nec contemnens propter superbiam. B. Thom. secunda secundæ, quæ. 49. articulo 3.

Docere nihil aliud est, quàm disciplinæ, vel alterius cuiuscunq; rei cognitionem dare. Virgilius: Docuit post exitus ingens.

Docilis & docibilis ita differunt: quia docilis est, qui facilè docetur: docibilis verò, qui naturâ aptus est doceri.

Doctrina Græcè διδασκαλία ας ἡ, & διδάσκαλος doctor & magister dicitur. Doctrina modò pro actu ipso docendi, modò pro disciplina sumitur: vt, Plinius vir in omni doctrinarum genere excellens.

1. Esdræ 7.

Imperitos docete liberè.

Prouerbiorum 8.

Doctrinam magis, quàm aurum eligite.

Ad Romanos 2.

Qui alios doces, teipsum doces.

Ibidem cap. 15.

Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

Augustinus libro de doctrina Christiana.

Debet diuinarum scripturarum & doctor fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, & hoc opere, & sermone conciliare aduersos, remissos erigere, nescientibus quod agitur, quid expectare debeant, intimare.

Ibidem.

Doctor, & ductor id agere debent, vt non solum intelligenter: verùm & libēter, & obedienter obediatur.

Augustinus libro 3. de doctrina Christiana.

Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic onerosus, qui cognita inculcat. Nam delectandi gratia etiam nota dicuntur: vbi non ipsa, sed modus, quo dicuntur, attenditur.

Augustinus super Ioannem.

Doctrina per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas: cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.

Augustinus ibi in Ecclesia 14.

Si me posses docere quod nescio, non solum te verbis, sed & pugnis cedentem deberem patientissimè sustinere.

Augustinus super Ecclesia. 40.

Da, & accipe, & iustifica animam tuam: id est, verbum doctrinæ proximis impende, & bonorum operum exempla relinque, vt recipias premium vitæ æternæ. Tibię, & psalterium suauem facient melodiam, & super vtraq; lingua suauis.

Hieronymus ad Demetriadem uirginem.

Multi iuxta vetus elogiũ, cùm loqui nesciant, tacere non possunt: docentque scripturas, quas non intelligunt: & cùm alij persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium: prius imperitorum magistri, quàm doctorum discipuli.

Ambrosius super Beati immaculati.

Antè vita quàm doctrina quærenda est. Vita bona sine doctrina gratiam habet, Doctrina sine vita, integritatem non habet.

Gregorius super illud Prouerbiorum 25. Doctrina uiri per patientiam noscitur.

Tantò quisq; minus ostenditur doctus, quantò minus patiens. Neq; enim potest veraciter bona docendo impendere, si viuẽdo nescit aduersa æquanimiter tolerare.

Gregorius super illud Cant. 2. Neq; suscitetis, &c.

Si subditi aliquid peccant propter quod doctores à quiete surgere cogantur, non tantũ pœnam illius peccati incurrunt, sed etiam puniuntur pro inquietudine doctorũ. Quia qui doctores cęlestibus intentos inquietare pręsumunt, etiam virtutes, quas habere se credebant, perdũt.

Idem libro 9. Moralium.

Quantacunq; doctrina mens polleat, grauis eius imperitia est, velle docere meliorem.

Gregorius libro 24. Moralium.

Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre, quæ docent, & recta, quæ sapiunt, rectè ministrare non possunt. In verbis enim eorum perduntur, qui cùm docent, quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere, eosq;, quos docẽt, vt longè infra

fra se positos, velut in imo respiciunt: quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur.

Ioan.Chrys.de Compunctione cordis.

Docere & non facere, non solùm lucri nihil, sed & damni plurimũ confert. Grandis cõdemnatio est componenti quidem sermonem suũ: vitam verò suam, atq; operam negligenti.

Ioan.Chrys.in Polycratico libro 6.

Si artem, vsumq; dissocies, vtilior est vsus expers artis, quã ars quæ sui vsum non habet. Ars infœcunda est sine vsu, & vsus temerarius sine arte.

Idem super illud Mat.23.Super cathedram Mosi.

Qui malè sederit, iniuriam cathedræ facit. In iudicio sedens si bene vixeris, & bene docueris omnium iudex eris: si malè vixeris, & bene docueris, tui solius: Nam bene docendo populum instruis, quomodo populus debeat viuere: sed malè viuendo doces Deũ, quomodo te debeat condemnare.

Ioannes Chrys.super illud Matthæi 23.Quæcunque dixerint uobis facite.

Si bene vixerint, eorum est lucrũ: si bene docuerint, vestrũ est. Nolite discutere quod alienum est: frequẽter enim de malo homine bona doctrina procedit, sicut terra vilis pretiosum aurum producit. Nunquid propter vilem terrã pretiosum aurum contemnitur? Igitur sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos doctrinam accipite & mores relinquite.

Ibidem.

Doctrinam accipiamus, non mores. Apibus herbæ non sunt necessariæ, sed flores. Sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationes relinquite.

Ibidem.

Fidem prędicant, & infideliter agunt. Pacem alijs dant, & sibi non habent. Veritatem laudãt, & mendacia diligunt.

Isidorus de summo bono.libro 3.

In lectione non verba, sed veritas est amanda: sępe autem reperitur simplicitas veridica, & falsitas composita, quæ hominem suis errorib. allicit, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit. Nihil enim aliud agit amor mundanæ scientię, nisi extollere laudibus hominem. Nam quantò maiora fuerint studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus maiori intumescit iactantia.

Ibidem.

Sicut instruere solet collatio: ita destruit cõtentio: hæc enim relicto sensu veritatis lites generat, & pugnãdo verbis etiam in Deo blasphemiam facit, inde heresis & schisma, à quibus fides subuertitur, veritas corrumpitur, charitas scinditur. Contentionum studiũ non pro veritate, sed pro appetitu laudis certatur. Tantaque est in his peruersitas, vt veritati cedere nesciãt, ipsamq; rectam doctrinã euacuare contendant. In disputatione fidelium cauenda est propositio, artificiosa subtilitas, quæ callidis obiectionibus retia tendit. Ita enim versutis assertionibus prauorũ disputatio innodatur, vt recta esse simulent, quæ peruersa persuadent.

Isidorus libro Etymologia.2.

In Physica causa quærẽdi, in Ethica ordo viuendi, in Logica ratio intelligendi versatur.

Bernardus super Can.

Doctrinæ species nõ curiositatem acuit, sed charitatem accendit.

Ibidem.

Non minus pium est docere animum sapientiam, quàm præbere escam corpori.

Hugo in Didascalicon libro 3.

Sunt quidam qui nulli arti, quod suum est tribuere norunt, sed in singulis legunt omnia. In Grammatica de syllogismorum ratione disputãt: in Dialectica inflexiones casuales inquirunt, & quod magis irrisione dignum est, in titulo totum ponunt. Legunt librũ, & incipiunt, tertia vix lectione expediunt. Non omnia dicẽda sunt, quæ dicere possumus, ne minus vtiliter dicantur ea, quæ dicere debemus.

Ibidem.

In omni doctrina breue aliquid & certũ collige, quod in arcula memoriæ recondatur: vnde postmodum, cùm res exigit, aliqua deriuentur, hoc etiam sæpe replicare, & de ventre memoriæ ad palatum reuocare, necesse est, ne lõga intermissione aboleat.

Hugo libro 5.Didascalicon.

Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet & affligere spiritum, & qualitate videlicet, si obscurior fuerit, & quantitate, si prolixior extiterit, in quo vtroq; magno vti moderamine oportet, ne, quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem.

Cassiodorus super Psal.2.

Rudis dicitur nouus. Eruditus quasi à rudi sublatus, ab ignorantia diuisus, & in doctrinæ finibus collocatus.

Origines homilia 38.super Leuiticum.

Clausum habeat os peccator. Quia qui seipsum non docuit, alium docere non potest.

Beda de templo Salomonis.

Frustrà sibi officium doctoris vsurpant, qui discretionem catholicæ fidei ignorant: neq; sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicêre, conantur.

Hilarius libro 4.de Trinitate.

Intelligentia dictorũ est ex causis assumẽda, qa non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

Seneca epist.34.

Omnia facta & dicta nostra inter se cõgruant

ac respódeant sibi. Non est hic animus in recto, cuius dicta, & acta discordant.

Seneca in epist. ad Lucilium.

Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur: sed eos, qui vitã docent, qui cùm dixerint, quid faciendum sit, probant faciendo quod faciendũ sit: nec vnquam in eo, quod dixerint fugiendum, deprehenduntur.

Seneca ad Lucilium epist. 6.

Cupio omnia, quę scio, in alium transfundere, & in hoc aliquid gaudeo discere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licèt sit eximia, & salutaris, quam mihi vni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reijciam. Nullius boni sine socio iucunda est possesio.

Idem epistola 35.

Eum elige doctorem, quem magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris.

Idem epist. 45.

Quod sentimus loquamur, quod loquimur, sentiamus. Concordet sermo cum vita. Ille promissum suum impleuit, qui cùm videas illum, & cùm audias, idem est.

Seneca de 4. uirtutibus.

Quæ nosti, sine arrogantia postulanti imparties. Quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postula impartiri.

Cicero libro 1. Rhetoricorum.

In omni genere causarum necesse est beneuolum, attentum, docilem efficere auditorem. Auditorum enim beneuolẽtia captabitur, si res ab eis gestæ fortiter, sapienter, mansuetè, magnificè proferentur. Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea, quę dicturi sumus, magna, noua, incredibilia esse: aut ad illos, qui audiunt, aut ad homines illustres, aut ad Deos immortales, aut ad summam reipub. pertinere: dociles auditores faciemus, si apertè, & breuiter summã causę exponemus.

Ibidem.

Multos imitatio breuitatis decepit, vt cùm se breues putent esse, longissimi sint: cùm dent operam, vt res multas breuiter dicant.

Ibidem.

Sæpe res minus est intellecta lõgitudine magis, quàm obscuritate narrationis.

Cicero libro 2. Rhetoric.

Peritia dicendi in tribus consistit, natura, doctrina, & vsu. Natura, ingenio: docrina, scientia: vsu, assiduitate. Hæc sunt enim quæ non solùm in oratore, sed in vnoquoque homine artifice expetuntur, vt aliquid efficiat.

Ibidem.

In exordiendo causam, seruandum est vt leuis sit sermo, vt vsitata verborum consuetudo, vt non apparata oratio videatur. Vitiosum exordium est, quod nimis apparatè compositum est, aut nimium est lõgum, & quod non ex ipsa causa natum videtur, vt propriè cohæreat cum narratione: & quod neq; beneuolum, neq; docilem, neq; attentum facit auditorem.

Ibidem.

Prouerbium est sententia generalis, cui consuetudo fidem attribuit, opinio communis sensum accommodat, incorruptę veritatis integritas acquiescit.

Aristot. libro 1. Metaphysicæ.

Hi soli docent, qui causas de singulis dicunt.

Aristote. libro 6. Ethicorum.

Omnis doctrina est ex præcognitis.

Aristote. libro 1. Poëtriæ.

Doctrina naturaliter procedit de homine ad hominem, secundum comparationem, quam habet doctor ad discipulum.

Arist. lib. 1. Posteriorum cap. 1.

Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua, ex præexistenti fit cognitione.

Aristo. libro 1. Elenchorum.

Oportet discentem credere.

Horatius epist. lib. 1. epist. 19.

Virtutem doctrina paret.

Dantes floren. inferni. cap. 10.

O uoi chaueti lintellecti sani,
Mirate la doctrina, che lasconde
Sottol uellame de liuersi strami. *id est:*
O uos qui habetis sanos intellectus,
Miramini doctrinam, quæ absconditur
Sub uelamine uersuum allegoricorum.

De hac materia habes suprà, vbi Disciplina, & infrà vbi Magister.

DOlor Gręcè ἄλγος εος τὸ, & ἀλγέω doleo dicitur. Est autem dolor motus asper in corpore & sensibus alienus, secundum Cicer. libro 2. Tusculan. q.

Dolor est ægritudo crucians, secundum eundem libro 4. Tuscu. q.

Dolor est offensio animæ ex carne, & quædã ab eius passione dissensio, secundum Augustinum lib. 14. de Ciuitate Dei.

Dolor est passio animę in appetitu sensitiuo, vel intellectiuo, secundum B. Tho. prima secundæ q. 35. art. 1.

Dolor dicitur à dolando. Est enim dolare siue edolare, minuere. Et est fabrorum, cùm materiæ cõplanatur asperitas: vnde dolatus, id est, leuigatus. Iuuenalis: Dolato confisus ligno. Et dolabra instrumentum quo dolantur, id est, explanantur ligna. Iuuenalis: Si lentus pigra muniret castra dolabra. Ideoq; dicitur dolor: quia sicut lętitia augentur corpora, ita dolore minuũtur: vnde est illud Prouerbiorum 17. Animus gaudens, ætatem floridam reddit: spiritus tristis exiccat ossa.

Esdræ 4.cap.10.

Nunc ergo retine apud temetipsum dolorẽ tuum,& fortiter fer qui tibi contigerunt casus.

Hieronymus libro 4.contra Ruffinum,& dicit fuisse Aristotelis sententiam.

Cor non comedendum,id est, mœrorem de animo deponendum.

Gregorius libro 7.Moralium.

Qui peregrinationem propriã diligit,dolere etiam inter dolores nescit. Iusti autẽ verba dolore sunt plena.quia quousq; præsentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat.

Seneca ad Lucilium epist.54.

Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lachrymas, si non nimiæ decurrerunt, si illas ipsi represserimus. Nec sicci sint oculi amico amisso,nec fluant.Lachrymandũ est,non plorandũ. Per lachrymas argumenta desiderij quęrimus, & dolorem non sequimur,sed ostendimus.

Ibidem.

Finem dolendi qui consilio non fecerit,tempore inuenit.

Seneca epistola 64.

Turpissimum est in homine prudente remedium mœroris,lassitudo mœrendi.Malo relinquas dolorem,quàm ab illo relinquaris,& quã primum id facere desiste, quod si etiam voles, diu facere non poteris.Annum fœminis constituère maiores ad lugendum: non vt tandiu lugerent,sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est,quia nullum honestum.Quam tamẽ mihi ex illis mulieribus dabis, vix retractis à rogo, vix à cadauere reuulsis, cui lachrymæ in totum mensem durauerint? Nulla res citius in odium venit,quàm dolor,qui recens cõsolatorem inuenit,& aliquos ad se adducit. Inueteratus verò deridetur: nec immeritò; aut enim simulatus,aut stultus est.

Seneca episto.79.

Vinceris à dolore,si cesseris: vinces,si te contra dolorem intenderis.

Ibidem.

Magnos cruciatus habet morbus,sed hos tolerabiles interualla faciunt. Summi doloris intentio citò inuenit finem. Nemo potest valde dolere,& diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. Hoc itaque solatium vasti doloris est.

Seneca in Prouerbijs.

Animo dolenti nihil oportet credere: etiam innocentes cogit mentiri dolor.Homo ne sit sine dolore,fortunã inuenit:Læso,doloris remedium est inimici dolor. Dolor decidit,vbi quo crescat,non habet.

Cicero libro 1.de Finibus bonorum & mal.

Neq; porro quisquã est, qui dolorem ipsum quia dolor sit,amet,consectaĩ,adipisci velit,sed quia nonnunquam eiusmodi tempora incidũt, vt labore & dolore magnam aliquã quærat voluptatem.

Ibidem.

Dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.

Cicero libro 2.Tuscul.q.

Tristis enim res est dolor sine dubio, aspera, amara,inimica naturę,ad patiendũ tolerandũq; difficilis. Aspice Philoctetam,cui credendũ est gementi: Ipsum enim Herculem viderat in Oeta,magnitudine dolorum eiulantem.

Ibidem.

Satis mihi dedisti, cùm respondisti: magis tibi videri malum dedecus,quàm dolorem.

Ibidem.

Consuetudo enim laborum, perpessionem dolorum efficit faciliorem.

Ibidem.

Ipse labor quasi callum quẽdam obducit dolori.

Ibidem.

Appellata est enim à viro virtus.Viri aũt propria maximè est fortitudo: cuius munera duo maxima sunt,mortis,dolorisq; contemptio.

Ibidem.

Contemno magnitudinem doloris,à qua me breuitas temporis vindicabit antè, penè quàm inuenerit.

Ibidem.

Si summus dolor est,breuẽ esse necesse est.

Ibidem.

Sed hoc idem in dolore maximè est prouidendum, ne quid abiectè, ne quid timidè , ne quid ignauè, ne quid seruiliter muliebritérue faciamus.

Ibidem.

Ingemiscere nõnunquam viro cõcessum est, idq; raro,eiulatus ne mulieri quidem.

Ibidem.

Si gemitus in dolore ad confirmandum animũ valebit,vtamur:sin erit ille gemitus lamentabilis,si imbecillus,si abiectus, si flebilis,ei qui se dederit,vix eum virum dixerim. Qui quidẽ gemitus,si leuationis aliquid afferret,tamen videremus quid esset fortis & animosi viri: cùm verò nihil imminuatur doloris,cur frustrà turpes esse volumus.

Seruius Sul.epist.ad Cic.consolatoria.

Nullus dolor est,quem non longinquitas tẽporis minuat atq; molliat.

Iuuenalis Satyra 13.

—Flagrantior æquo
Non debet dolor esse uiri,nec uulnere maior.

Ouidius libro 2. de Remedio amoris.

Filius hunc miles, hunc filia nubilis angit.
Et quis non causas mille doloris habet.

Ari-

Aristoteles libro 10 Ethicorum.

AMANTIVS. EST dolor indigentiæ eius, quod naturæ accommodatum est: Voluptas verò, expletio, atq; satietas.

Senarius Græcus.

Πλοίȣ λιμὴν μέν, ἀλυπία δ᾽ ὅρμος βίον. id est:
Cupio in mari portum, in uita indolentiam.

Animi moderatio, & paupertas, optimæ medicinæ sunt depellendorum dolorum.

Iam hinc ad podagræ remedia veniendum est. O si quis eo morbo tentus, in hanc epistolæ partem fortè oculos coniecerit, quam putas spem concipiet fomenti cuiuspiam, aut pulueris, aut lenitiuum cuiuscunq; consilij? desinat ex me talia sperare: volo labori suo parcere, si ex his literis hoc sperat, vlterius non legat. Huius enim generis remedia medicorum eruditiores magna ex parte desperant: Reliquos si consulas, nihil homini diuiti desperandum, nihil inopi sperandum dicent: cùm tamen sæpius diuitum domos hæc pestis inhabitet. Si hos igitur audire volueris, præstabunt tibi, vt inter angustias præsentium dolorum, & futuræ sanitatis spem semper ligatus vlules, semper oleo, tristitia vnctus, atq; vnguentis madidus ingemiscas: Ego verò te siccum solutumq́;, ac liberum dolore maluerim, dieta, exercitio, laboribus, aduersus nouum hostem solidare corpusculum: hac in re nihil à medicis sperate: præter verba. Si quid aduersus podagram auxilij est, totum à paupertate, vel si frustra sit, ab animi moderatione poscendum. Podagræ medicina optima est paupertas, seu illam necessitas, seu voluntas attulerit, vltimam hanc, fragilitatem vocant: quam definiunt voluntariam paupertatem. Petrarcha hæc in libro 6. Epistol. 89. De rebus familiaribus ad Ioannem Columnam.

Idem de remedio fortunæ: dialogo 49.

Dolor. Infans meus ex alto præceps perijt. Ratio. Languidè pereũtibus mors durior sæpe, & angustiæ longiores: Dolor omnis eò tolerabilior, quò breuior.

Græci senarij.

ἀεὶ τὸ λοπεῖν ἐκδίωκε τȣ̃ βίȣ.
Semper procul mœrorem è uita pellito.
ἆρ᾽ ἐστι συγγενές τι λύπη καὶ βίȣ.
Tristitia uitæ cognata est mortalium.
βιοῦν ἀλύπως θνητόν ὄντ᾽, οὐ ῥάδιον.
Expers doloris nulla uita uiuitur.
λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τυκτȣ̃σι νόσȣς.
Aerumna morbos adijcit mortalibus.

Senarius Græcus.

τὸ ζῆν ἀλύπως, ἀνδρός ἐστιν εὐτυχοῦς. id est:
Caruisse tristitia, felicis est uiri.

Euripides in Oreste.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ᾽ εἰπεῖν ἔπος,
οὐδὲ πάθος οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
ἧς οὐ κρατεῖ τ᾽ εὐτακτος ἀνθρώπȣ φύσις. id est:

Hoc modo uertit Cicero.

Nulla est tam difficilis fando ratio,
Nec sors, nec ira, nec tam inuictum malum,
Quod non natura hominis patiendo ferat.

Idem.

Is est diues, qui mala, quæ contingũt, tantum æquo animo ferre potest. Malis, quæ eueniunt, succensere minimè debemus: tantum rectè agamus, bene rem gerimus.

Cicero hanc sententiam in Epistolis secutus: nullum malum, nihilq́ue dolendum præter culpam, dixit.

Euripides in Hecuba.

Φέρω τὸ δ᾽ ἄλγος, ἐν κακοῖσι δὲ οὐ ῥάδιον βροτοῖσιν εὐφημεῖν στόμα. id est:

Fero dolorem: namque in malis bene loqui haud facilè fuerit.

Idem.

ἀνὴρ ἄριστος ἐν ταῖς συμφοραῖς ἐλπίσι πέποιθε ἀεί, τὸ δ᾽ ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ. id est:

Vir optimus in calamitatibus semper sperat, nam dubitare, verè est improbi.

Eadem fere sententia Appollodori.

οὐκ ἀθυμεῖν τὸν καλῶς πράττοντα δεῖ, τά βελτίω προσδοκᾶν ἀεί. id est:

Non oportet eum dolere, qui bene agit, sed semper potius expectare meliora.

Sotacus.

Dolor & tristitia, procùl à te erit, si recta sectus fueris.

Prouerbium Græcum.

ὅπȣ τις ἀλγεῖ κεῖσε καὶ τὸν νοῦν ἔχει. id est:
Vbi quis dolet, ibi & mentem habet.

Antiphon.

Λύπη μανίας ὁμοιός ἐστι. id est:
Tristitia est uicina insaniæ.

Thucidides Historicus.

ὅσοι πρὸς τὰς ξυμφορὰς γνώμῃ ἥκιστα λυποῦνται, ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσι, οὗτοι ἄριστοι. id est:

Qui in calamitatibus animo minimè dolent, opera nihilominus ac diligentia obsistunt, hi optimi putandi.

Democrates.

Optima est vita plurimùm lætari, minimùm dolere: Hoc tantum assequi poteris, voluptates in rebus mortalibus spernendo.

Pittacus Mitylenæus prudentis esse ait, curare ne veniant mala: fortis verò si veniant, tolerare.

Metrodorus.

Πρᾶγμ᾽ ἐστιν ἐπὶ πόνων προσδοκᾶν. id est:
Difficilè in laboribus expectare.

Thraces, teste Plinio, dies infaustos, nigro calculo, faustos, albo notabant.

Horatius.

Thressa ne careat pulchra dies, nota.

Socrates interrogatus, quónam modo minimò doleremus, hoc fieri, dixit, nullatenus posse:

ſe: Non eſſe enim quempiam, qui ciuitates aut domos inhabitet, aut cum hominibus conuerſetur, qui non triſtitia quandoq; afficiatur.

Philomenes.

Nullus eſt vſquam mortalium cui nõ aliquid accidat, aut acciderit: Qui autem minimi facit illud, hic ſapit & felix eſt.

Menander Comicus.

Μηδὲν πράττων κακῶς, λίαν ἀθυμήσῃ ποτέ. id eſt: Nihil vnquam infeliciter gerens, etiam quandoq; valde dolebis.

Idem.

Malorum faciem tantum ne aſpice, ſed quæ intus latent bona. Etenim nulla bona, niſi admixta malis ſunt.

Cratis Cynici epigramma Græcum, quod Volaterranus ſic uertit.

Quæuis vita hominũ miſera eſt.

Quod uitæ genus expoſces? fora turbida ſectans,
Iurgia, difficileſq; ipſe ſequêris opes.
Multa domi anxietas, ruri dolor, horror in alto:
Inq; bonis dubium, ſiquid habebis, erit.
Si penares animo, durum: ſi uxorem duxeris, ibis
Sollicitus: triſtis, ſi ſine coniugio.
Pœna patri dolor eſt orbo, ueſana iuuentus
Deſipit, & membris fracta ſenecta uenit.
Ergo exoptandum eſt, aut nunquam in luce fuiſſe,
Ocyus aut tolli de medio genitum.

Plutarchus de conſolatione ad Appolonium ſcribit

Philippum Macedonum cùm tres eodem tempore felices nuncios accepiſſet, duos de victorijs, tertium de filio nato, ſcientẽ, quod aliquis dolor ſemper læta ſequeretur, Deos rogaſſe, vt alicuius moderati caſus temperamento fortunę inuidiam minuerent.

Homerus Iliados ω. id eſt, 24. libro.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν διὸς οὔδει,
Δώρων οἷα δίδωσι κακῶν ἕτερος δὲ ἐάων
ᾧ μὲν κ' ἀμμίξας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος
ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅ γε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ,
ᾧ δὲ κε τῶν λυγρῶν δώῃ λωβητὸν ἔθηκε
καί ἑ κακὴ βούβρωστις ἐπὶ χθόνα δῖαν ἐλαύνων,
Φοιτᾷ δὲ οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσιν. id eſt:

Bina Iouis ſummi dicunt in limite dudum
Vaſa, quibus ſortem Deus ipſe emittit utramq;:
Ille miſer cui ſors fati contingit amara,
Heu quantos etiam gemitus quàm dura uidebit
Exitia, atq; omnem mixtam mœroribus atris
Vitam aget, hunc homines odio ſuperiq; ſequentur.

Remedium ſapienti contra dolorem fuerit, non expectare tempus obliuionis partem cuncta mitigantem, ſed omni ſtudio præueniendo cuncta prius mala præmeditari. Ex quo Theſeus in Euripidis tragœdia, inquit: Futuras mecum cõmentabar miſerias, aut mortem acerbam, aut exilium, ſeu magnum aliquod malum, ne me imparatum cura laceraret recens.

Poſt alterum erit alienas calamitates reſpicere: Nam Cicero, itemq; Plutarchus in libro de conſolatione teſtantur Socratẽ dicere ſolitum: quod ſi malorũ aceruus omnium foret, & quiſque ex eo partem auferret, nemo non exiſtimaret minora ſua portione ea eſſe, quæ ferret.

Plautina ſententia.

Animus in re mala æquus, dimidium mali eſt.

Plutarchus eodem tractatu.

Longè faciliorem corporis dolorem exiſtimat, quod cruciati ſenſus, cùm abſque ratione ſint, mentem, rationemq; præcipitem agunt, ac de ſtatu per vim dimouent. Animus autem ſapientis ab omni exteriore impulſu liber, cùm ſui ſit tantum arbiter, ſibi melius imperabit. Vide reliqua apud Volaterranum, libro 31 Philologiæ.

Dolus Græca dictio eſt, nam δόλος ὁ, & δόλιος ὁ doloſus dicitur. Eſt autem dolus omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circunueniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita, vt habetur libro 1. ff. de dolo. NANVS.

Dolus eſt executio aſtutiæ, qua excogitatæ fuerunt viæ non bonæ ad exequẽdum aliquem finem bonum, vel malum, B. Thom. ſecunda ſecundæ q. 55. art. 4.

Dolus propriè accipitur tantum in malo, ſed abuſiuè etiam in bono. Ex B. Thoma ſecunda ſecundæ, vbi ſuprà.

Dolus principaliter fit in verbis, ſecundum B. Thom. ibidem. Fraus verò propriè in factis. Quare Ouidius lib. 1. Metamorphoſeωn vtrunq; vnico verſu comprehendit, dicens: In quorum ſubiêre locum fraudeſq; doliq;.

Dolus à dolando, id eſt, minuendo dicitur, de quo verbo ſupra in Dolor diximus. Dolus quod nunc in malam tantum partem accipitur, hoc eſt, pro fraude, ſiue machinatione ad fallendum aliquem: veteres etiam in bonam partem accipiebant pro ſolertia, ac calliditate, quæ præſertim aduerſus hoſtes, ſiue latrones adhibetur. Quare nunc dolum malum dicimus, quoniam bonus etiam dolus à veteribus dicebatur. Labeo: Dolum malum dicimus eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendúmue alterum adhibitum. Vlpianus: Non fuit autem contentus præter dolum dicere, ſed adiecit malũ, quoniam veteres etiam dolum bonum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maximè ſi aduerſus hoſtem, latronémue machinaretur. Hinc dolones virgæ, ſiue conti, in quibus tanquam in vaginis latent pugiones, dicti à fallendo, quod decipiant ferro, cùm igni ſpeciem pręſe ferant. Virgilius: Sæuoſq; ferunt in bella dolones.

Dominium vel dominatio Gręcè δεσποτεία ας ἡ, & δεσπόζω dominor, δεσπότης ὁ dñs dicitur.

Est autem dominium ius habendi, posſidendi, fruendi, & vtendi, ac diſponendi de aliqua re pro libito voluntatis, vel ſecundum aliquē determinatum modum, à quadā ſuperioritate vel autoritate diffinitum.

Dominus à domo domas dicitur, & is propriè dicitur, qui domus imperium habet, & cui omnis familia paret, ex quo factum eſt, vt dominus & ſeruus relatiua ſint, & domini appellatio ad omnes eos propagata ſit, qui alicuius rei proprietatem habent, etiamſi vſus fructus alienus ſit. Item dominus dicitur is, cui populi ſubſunt. Virgilius:

Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam.

Domus Græcè οἰκία ας ἡ, & οἰκιακός οῦ ὁ domeſticus dicitur. Eſt autem domus quotidiana ſocietas, ſecundum Ariſt. lib. 1. Politicorum. Domus Græcum videtur, illi enim δῶμα ατος τὸ tectum appellant.

Domus propriè eſt ædificium ad habitandū factum, quod ex tecto & pariete conſtat. Ponitur tamen pro quocunq; habitaculo. Vnde etiā nidos auium domos dicimus. Virg. Antiquasq́; domos auium cum ſtirpibus imis Eruit. Domus facit genitiuo domi vel domus: quando domi, locum ſignificat, vt domi ero: quando domus, ſignificat ipſum corpus, vel ædificium, vt tectum domus corruit.

Donatio Græcè δωρία ας ἡ, & δῶρον ου τὸ donū dicitur. Eſt autem donatio rei licitæ nullo iure cogente mera liberalitate facta collatio, ſecundum Hoſtienſem.

Donatio dicitur quaſi dono datio, vt habetur ff. de dona. cauſa mortis. l. Senatus. §. 1.

Donum aliqui volunt Grēcum eſſe δῶρον ου τὸ: Et eſt datio irreddibilis, ſecūdum Ariſtotelem libro 4. Topicorum.

Donum quomodo differat à munere, & prēmio: vide infra in Munus.

De hac materia vide infrà in Munus.

Donaria non ſunt loca, in quibus dona reponuntur, vt quidam putant malè ſentientes, ſed ſunt ipſa dona, quē dijs offerūtur, ſacrasq́; menſas, & aras ornant. Macro. Ornamento verò ſunt clypei, coronæ, & huiuſmodi donaria.

Dormitio Grēcè κοίμησις ιος ἡ & κοιμάομαι dormio dicitur. Quid autem dormitio ſit, vide infrà in Somnus.

Dos Græcè φερνὴ ῆς ἡ. Et eſt donatio facta à patre mulieri, vel ab extraneo, vel facta à muliere ipſi viro pro oneribus matrimonij ſuſtinendis, ſecundum Canoniſtas Gof. & Ho. in cap. Raynutius de teſta.

Dos non ſolùm ea dicitur, quē marito ab vxore datur, vnde bona dotalia: ſed etiā quicquid alicui datum eſt, vel à natura, vel ab hominibus vnde dotes animi dicimus, prudentiam, iuſtitiam, cēterasq́; virtutes. Item dotes corporis, vires, pulchritudinem, bonam valetudinē, & alia huiuſmodi. Dicitur autem dos à do das.

Dubitatio Græcè ἀπορία ας ἡ, & ἀπορέω dubito dicitur. Eſt autem dubitatio iudicio deficiēte acceptio vtriuſq; partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio.

Dubium Græcè ἀμφίβολον ου τὸ, & ἀμφιβάλλω dubito dicitur. Eſt autem dubium motus indifferens in vtranq; partem contradictionis, ſecundum Iſidorum libro Etymologiarum.

Dubium eſt æqualitas rationum contrariarum, ſecundum Philoſo.

Dubius à de & habeo componitur, quaſi dehabens, hoc eſt, non intelligens, vnde fit dubito, & ſubdubito, id eſt, aliquantulum dubito, & ſubdubius, aliquantulum dubius, & dubitatio & dubietas, quo veteres vtebantur.

Duellum Grēcè μονομαχία ας ἡ, & μονόμαχος ου ὁ gladiator dicitur. Eſt autem duellum pugna duorum pro probatione virtutis. Ita, vt qui vicerit, probaſſe dicatur: & ſi nō vicerit, defeciſſe in probatione putetur. Et dicitur duellū, quaſi duorum bellum. Poteſtque μονομαχία dici ſingularis pugna.

Dulcedo Græcè γλυκύτης ητος ἡ, & γλυκύς έος ὁ dulcis dicitur. Eſt autē dulcedo propriè in corporalibus, ſcilicet ſapor reficiens, quietans, & delectans guſtum. Sed metaphoricως dulcedo animi eſt etiam in ſpiritualibus, B. Tho. 4. Sent. diſt. 34. q. 1. art. 5.

Dulce & dulcedo veniunt à verbo delicio, quod eſt elicio, quòd dulcia maximè nos alliciant. Guſtus enim, qui eſt ſenſus ex omnibus maximè voluptuarius, dulcedine maximè mouetur. Item dulciculus diminutiuum.

Dulia Græca dictio eſt, δουλεία ας ἡ ſeruitus dicitur, & δοῦλος ου ὁ ſeruus. Eſt autem dulia honor & ſeruitus debita creaturæ: latria verò eſt honor, & ſeruitus debita ſoli Deo. Ideo differunt ſpecie. Ex B. Tho. ſecūda Secundē, quæſt. 103. articulo 3.

Durities Græcè σκληρότης ητος ἡ, & σκληρός οῦ ὁ durus dicitur. Eſt autem durū quod non cedit in ſeipſum ſecundum ſuperficiem, ſecundum Ariſto. libro 4. Meteoro.

Durum propriè eſt ſolidum, ac firmum, cuius contrarium eſt molle. Per metaphoram aūt durum aliquando pro aſpero, & nocenti ponimus. Virg. Aut durum tineæ genus. Idem: Quid iuuenis magnum cui verſat in oſsibus ignem Durus amor. Inde durities, hoc eſt, firmitas, ſoliditas, aſperitas, crudelitasque. Et durare patienter ferre. Virgilius: Durate & voſmet rebus ſeruate ſecūdis. A durum fit durities, & duritia in eodem ſignificato, ſic & duritas, & duritudo, teſte Gellio libro 19. Noctium Atticarum. Cato: Qui illius imprudentiam, qui norit duritudinem.

Ebrie-

EBrietas Græcè μέθη ης ἡ. & μεθύων, vel μεθύσιος ου ὁ, ebrius, & μεθύω inebrio dicitur. Est autem ebrietas appetitus bibendi vltra mensuram, ex quo proueuit rationis priuatio.

Ebrietas est per quam menti quædam sui obliuio generatur, ex superfluorum potuum indulgentia, secundũ Isidorum lib. Etymologiar.

Ebrietas est priuatio vsus intellectus, facta ad aliquod tempus ex immoderato potu vini, vel cuiuscunq; alterius rei potabilis.

Ebrius & ebriosus sic differunt, quod ebrius est qui nimio potu est alienatus mente, ebriosus qui sæpe sit ebrius. Ita ebrietas & ebriositas differunt, quòd ebrietas fit ex causa, ebriositas fit ex moribus. Ab ebrius fit inebrio, & eius passiuum inebrior, & ebriosè aduerbium, id est, ad ebrij similitudinem. Et ebriolo verbum dicebant antiqui. Laberius. Ebriolati mentem hilariam arripiunt.

Prouerbiorum capite 20.

Luxuriosa res vinũ & tumultuosa ebrietas. Quicunq; his delectatur non erit sapiens.

Ibidem capite 21.

Qui diligit epulas, in ægestate erit. Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.

Ibidem cap. 23.

Noli esse in conuiuijs potatorum vini, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus & dantes symbola consumentur.

Ibidem.

Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum est? Nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: Ingreditur blãdè: & in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas visiones, & cor tuum loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio maris, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices: Verberauerũt me, sed non dolui, traxerũt me, & ego non sensi. Quando euigilabo & rursus vina reperiam?

Ecclesiastici capite 19.

Operarius ebriosus non locupletabitur.

Ibidem.

Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos.

Ibidem capite 31.

Nec comprimaris in conuiuio vino.

Ibidem.

Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.

Ibidem.

Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

Ibidem.

Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio.

Ibidem.

Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatũ. Sanitas animę & corproi sobrius potus.

Ibidem.

Vinum multum potatum, irritationem, & irã & ruinas multas facit.

Ibidem.

Amaritudo animę vinum multum potatum.

Ibidem.

Ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.

Ibidem.

In conuiuio, vini non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius. Verba improperij non dicas illi, & non præmas illum in repetendo.

Isaias capite 5.

Veh qui consurgitis manead ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis.

Ibidem.

Veh qui potentes estis ad bibendum vinum & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Isaias capite 28.

Verum hi quoq; præ vino nescierunt, & prę ebrietate errauerunt.

Oseæ capite 4.

Fornicatio & vinum, & ebrietas auferũt cor.

Paulus ad Ephesios capite 4.

Nolite inebriari vino in quo est luxuria.

August. ad sacras uirgines.

Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq́; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragiũ castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.

Ibidem.

Ebrietas in vtroq; sexu multa mala appetit, & nefanda committit. Vt ait Apostolus, Regna cælestia appetentibus, denegat.

Ibidem.

Quisquis immoderatus, conuiuioq́; medius, amissis modestiæ frenis, insana fuerit ebrietate prostratus: auersus respicit stantes, quos integros videre nequit, aut sermone longo superflua verba e mittit, & vana dicta componit, malè clamans, & bene sibi sonans.

Ibidem.

Ebrius vultu deiecto, supinus accumbit, & sui

sui omninò nescius spectaculum se conuiuio præbet, & dum nihil consequitur sanum, nullo cogente præter vinum cordis sui arcana patefacit, & amicorũ sibi commissa secreta in medium prodit.

Ibidem.

Assumit inter pocula iniusta certamina, & nullis existentibus causis asperã excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum sana dicta non patitur audire: sed in contumeliam erigitur conuiuarum, & proximorum crimina.

Ibidem.

Vinum potatum moderatè est medicamentum, plus iusto sumptum venenum esse cognoscitur. Iucunditati non ebrietati creata est vini materia.

Ibidem.

Per vinolentiam, plurimi plurimæq; à sancto pioq; ꝓposito excidêre. Et sui obliti amissis honoribus ignobiles remanserunt, & sedibus paternis profugi, viam, vt sumpserunt, finierunt.

Ibidem.

Innumerabiles iugum damnationis diu recusantes vinolentia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor vino victus. Infiniti verò nimio vino impellente, iniusta impiaq; homicidia commiserunt. Quàm plurimæ vrbes diu obsessæ, nec raptæ, custodibus somno vinoque sepultis ab hostibus patefactæ sunt, & incẽdijs concrematæ.

Ibidem.

In ebrijs non ratio vlla, non vllum vitę gerendæ cõsilium, nec vlla artium, nec gestorum, aut lectionum memoria, aut industriæ prouidẽtia.

Ibidem.

Sobrietas in fœminis ad terram deponit aspectum, ebrietas autem amisso pudore inuerecundos erigit vultus.

Augustinus ad sacras Virgines.

Sobrietas cum summa trepidatione & silentio irreprehensibile emittit verbum: Ebrietas verò impuderatum facit fœminæ sermonem & vultum.

Ibidem.

Sobrietas, est mentis & sensus, membrorum omnium, corporisque tutela, castitatis, pudicitiæq; munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacisq; serua, honestatiq; semper coniuncta, criminumq; & vitiorum omnium profuga.

Ibidem.

Sobrietas est recti iudicij tenax, memoriæ recordationisq; inseparabilis sapientia, secretorũ custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, studiorum, & artium bonarum disciplina, pariter & magistra ingeniorum, & capiendarum pedissequa, bonæ famæ semper auida, salubria atque vtilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum semper ingerens.

Augustinus epistola 140.

Valde turpe est, vt quem non vincit homo, vincat libido: & obruatur vino, qui non vincitur ferro.

Idem in sermone.

Ebrietas est blãdus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum, quam qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.

Idem libro de Pœnitentia.

Ebriosus cùm absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Deo, despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutib. confunditur à dæmonibus, conculcatur ab omnibus.

Idem ibidem.

Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.

Augustinus super Genesin libro 5.

Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vrebat.

Hieronymus ad Oceanum.

Noë ad vnius horæ ebrietatẽ, nudauit fœmoralia sua, quæ per sexcentes annos contexerat.

Idem ad Titum.

In vino luxuria est, & vbicunque saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur.

Hieronymus epistola 37.

Ventrem distentum mero & cibo, sequitur voluptas genitalium.

Hieronymus epistola 33. ad Eustochium.

Vinum & adolescentia, duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus?

Hieronymus epistol. 83. exponens illud: Non oportet episcopum esse uinolentum.

Vinolentia scurrarum est. Venter enim mero æstuans, citò despumat in libidinem. In vino enim est luxuria, in luxuria est voluptas, in voluptate impudicitia: qui enim luxuriatur viuens mortuus est: qui autem inebriatur & mortuus & sepultus.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Nihil est ita Dæmoni amicum, sicut ebrietas & lasciuia, quæ est mater omnium vitiorum. Ante omnia autem vitetur à Clericis, quæ omnium peccatorum radix ac nutrix est.

Isidorus de summo bono libro 1.

Gulæ saturitas nimia, aciem mentis obtundit, ingeniumq; euertere facit.

Bernardus de sex alis Seraphin.

Ebrietas est parens litium & furoris, mater petulantiæ, deformitatis magistra. Hanc qui habet, peccatum non facit, sed ipse peccatum est. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebra voluptatis, & pudoris

ris iniuria, quam nullus nouerit Christianus.

Boëtius libro de Scholasti. disciplina.

Comessationibus & ebrietatibus species dotata permutatim cum prædicta, tanquam causa ad causatum genus gaudet sustineri. Coitum enim facit ebrietas relatiuè, nec non & cætera vitiorum genera. Vinum autē modicè sumptum acuit ingenium, & intellectui videtur afferre acumen. Non modicè autem sumptum rationē perturbat, intellectum hebetat, memoriā eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, ignauiam producit. Vbi est ebrietas ibi dominatur fortuna, vbi fortuna, ibi nulla sapientia, sed insipientia peruagatur.

Origines homilia 37.

Sobrietas omnium virtutum mater est. Sic econtrario ebrietas omnium vitiorum origo.

Innocentius de miseria hominis.

Quid turpius ebrioso? cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promittit stulta, prodit occulta, cui mens alienatur, facies transformatur.

Seneca ad Lucilium epist. 84.

Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat: sic vino exęstuante, quicquid in imo iacet abditum effertur & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum nō continent cibum vino redundante: ita ne secretum quod suum est, & alienū pariter effundūt.

Ibidem.

Audi quemadmodum Zenon vir maximus colligat virum bonum non futurum ebrium: ebrio nemo secretum sermonem cōmittit: vir ergo bonus ebrius non erit. Quemadmodum opposita interrogationi simili derideatur, attēde. Dormienti nemo secretum sermonem committit: viro autem bono committit: vir ergo bonus non dormit.

Ibidem.

Interim si hoc colligere vis, virum bonū non debere ebrium fieri, cur syllogismis agis? dic, quàm turpè sit plus sibi ingerere quàm capiat, & stomachi sui nō nosse mensuram. Quàm multa ebrij faciunt, quibus sobrij erubescunt. Nihil aliud esse ebrietatem, quàm voluntariā insaniā. Extende in plures dies illum ebrij habitū, nunquid de furore dubitabis? Nunc quoq; non est minor, sed breuior.

Ibidem.

Refer Alexādri Macedonij exemplū, qui Clitum charissimum sibi ac fidelissimū inter epulas trāsfodit, & intellecto facinore mori voluit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicosasq; hostibus tradidit. Hæc multorum annorū pertinacia bello defensa mœnia patefecit. Hęc contumacissimos & iugum recusantes, in alienū redegit arbitriū. Inuictas enim acies mero domuit.

Ibidem.

Alexandrum cuius modò feci mentionem tot itinera, tot pręlia tot hyemes, per quas victa temporum, locorumq; difficultate, transsierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutū dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus submersit. Dic ergo quare sapiens non debeat ebrius fieri? Deformitatem rerum & inopportunitatem ostende rebus non verbis, quod facillimum est.

Ibidem.

Certè detegit omne vitium ebrietas & incendit, vbi possedit animū nimis vis vini, quicquid mali latebat, detegit vel emergit. Nō facit ebrietas vitia, sed protrahit. Tunc impudicus morbū profitetur, ac publicat. Tunc petulans non linguam, non manum continet, crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido, omne vitium grassatur & prodit.

Ibidem.

Adijce, illum ignoratione sui dubia, & parū explanata verba, incertos oculos, gradū errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domū, stomachi tormenta, cùm efferuescit merum ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen vtcunque tolerabile est, dum illis vis sua est. Quid cum somno vitiatur, quæ ebrietas fuit, crudelitas facta est.

Ibidem.

Quę gloria est capere multum, cùm penes te palma fuerit, & superstes toti conuiuio fueris, cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo vini tam capax fuerit, vinceris à dolio.

Ibidem.

Ebrietates continuæ animos in furorem adducunt. Nam cùm sæpe apud se non sunt, cōsuetudine insaniæ durata vitia, vino concepto etiam sine vllo valent. vinolentiam enim violentia sequitur.

Ibidem.

Certè eruit omne vitium ebrietas, & incendit & detegit, obstantium malis conatibus, verecundiam remouet.

Seneca in prouerbijs.

Absentem lædit, qui litigat cum ebrio.

Laertius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Anacharsis illud dictum memoratur, vitem vuas tres ferre, primam voluptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris.

Ibidem.

Rogatus Anacharsis quo pacto quis abstemius fieret: si turpes, inquit, ebriosorū motus sibi ante oculos ponat.

Ibidem.

Ab adolescente conuiua Anacharsis passus contumeliam: Adolescens inquit: Si modò cùm

iuuenis es vinum non fers, quãdo senueris quomodo feres?

Macrobius libro 1. super somnium Scipionis.

Comes ebrietatis obliuio est, opinio, his ortus est memoriæ defectus.

Macrobius Saturnalium libro 7.

Nam sicut in præcipiti stantem, vel leuis tactus impellit: ita vino vel infusum vel aspersum, paruus quoq; dolor incitat in furorem.

Ibidem.

Quis enim ambigit eum, qui diuerso vino vtitur, in repentinam ruere ebritatem, nec dum hoc potus copia postulante? Qui autem fiunt crebrò ebrij, citò senescunt. Alij autem tẽpus competentis ętatis vel caluitio, vel canitie insigniunt, quæ non nisi inopia caloris eueniunt.

Valerius Maximus libro 2. tit. de institutis antiquis.

Vini vsus Romanis fœminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à Libero patre temperantiæ gradus, ad inconcessam Venerem esse consueuit. Quæcunq; enim fœmina vini vsum immoderatè appetit, & virtutibus ianuam claudit & delictis aperit.

L. Apuleius Floridorum libro 3.

Sapientis viri super mensam celebre dictum est, Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, Secũda ad hilaritatem, Tertia ad voluptatem, Quarta ad insaniam.

Aristoteles libro 5. Politicorum.

Non de facili potest inuadi, qui est sobrius, sed qui est ebrius: nec qui est vigil, sed qui est dormiens.

Aristoteles libro 7. Politicorum.

Iuuenes maximè ab ebrietate custodire oportet.

Ibidem libro 8.

Ebrietas homines impetuosos facit.

Menander.

καλὸν τὸ νήφειν ἢ τὸ πολλὰ κραιπαλᾶν.
Pulchrum sobrium esse quàm multa crapulari.

Ibidem.

ὁ πολὺς ἄκρατος μικρὰ ἀναγκάζει φρονεῖν.
Multum mirum pauca cogit sapere.

Plautus in Pseudulo.

Magnum hoc vitium inest vino, pedes captat patrum, luctator dolosus est.

Terentius in Eunucho.

Sine Cerere & Libero friget Venus.

Virgilius de uino & Venere.

Nec Veneris, nec tu uini capiaris amore,
Vno namq; modo uina Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat uires, sic copia uini,
Et tentat gressus, debilitatq; pedes,
Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma uocat.
Deniq; cùm mentes hominum furiarit uterq;,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, uinclis astringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat uterq; suis.
Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis,
Sed fines horum transilijsse nocet.

Ouidius Metamorphoseôn libro 7. fabula 14.

—Necnon & carmina uino
Ingenium faciente canunt.

Ouidius libro Metamorphoseôn 12 fabula 4.

Et ebritas geminata libidine surgit.

Ibidem.

Vina dabant animos.

Ibidem.

—Vinoq; leuant, curasq; sitimq;.

Ouidius Amorum libro 1. elegia 6.

Nox, & amor, uinumq; nihil moderabile suadent,
Ista pudore uacat, Liber amorq; metu.

Idem libro 1. de Arte amandi.

Vina parant animos, faciuntq; coloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturq; mero.
Tunc ueniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaq; frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rarißima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Propertius libro 2. elegia ultima.

Vino forma perit, uino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica uirum.

Tibullus libro 1. elegia 2.

Adde merum uinoq; nouos compescere dolores,
Occupet ut feßi lumina uicta sopor.

Horatius Carminum libro 1. Ode 18.

Siccis omnia nam dura deus proposuit, neq;
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis non te potius Bacche pater, teq; decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapythis rixa super mero
Debellata.

Idem Ode 27.

Natis in usum lætitiæ scypis
Pugnare Thracum est, tollite barbarum
Morem uerecundumq; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Idem libro 2. Ode 11.

—Dißipat Euhius.
Curas edaces.

Horatius libro 3. Ode 21.

Narratur & prisci Catonis.
Sæpe mero caluisse uirtus.
Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerunq; duro. Tu sapientium
Curas & arcanum iocoso
Consilium retegis Lyeo.
Tu spem reducis mentibus anxijs

viresq;

Viresq́;, & addis cornua pauperi
Post te nec iratos trementi
Regum apices, neq; arma militum.

Idem Sermonum libro 1. Satyra 4.

Verax aperit præcordia Liber.

Horatius epistolarum libro 1. epistola 5.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Idem ibidem epistola 20.

Laudibus arguitur uini, uinosus Homerus.
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosilijt dicenda.

Iuuenalis satyra 6.

—Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit.

Idem satyra 15.

Adde quod & facilis uictoria de madidis, &
Blesis, atq; mero titubantibus.

Ebrius differt ab ebrioso.

AMANTIVS. Ebrius dicitur, qui nimio potu alienatus est mente: Græcis μέθυσος: Contrarium est sobrius, quasi sine ebrietate, qui in cibo & potu tẽperans est, & qui non est actu ebrius: Ebriosus sępe & semper fere: ebrius dicitur, qui potu obrutus est. Sic ebrietas fit ex causa, ebriositas ex more & assuetudine.

Heraclitus.

Vir inebriatus vacillat, & ab impubere puero ducitur, animam habens humidã, ignauus quorsum vis.

Chrysippus ebrietatem ferebat esse paruam insaniam.

Pythagoras vocabat ebrietatem insaniæ meditationem, πυθαγόρας ἔλεγε, τὴν μέθην μανίας εἶναι μελέτην.

Cicero libro 4. Tusculanarum Quæstionum, & libro 12. epistolarum.

Temulentia ebrietas est, opinatio vehemens de vinolentia, quasi valde sit expetenda. Inter ebrium & ebriosum multum interest: sic ebrietatem & ebriositatem: alterum esse affectionis, alterum habitus.

Beroaldus in Ciceronem.

Temetum prisci vinum dixêre: ductũ ab eo, quod mentem labefactet: Hinc abstemij, à vino se continentes.

Seneca inquit, animum hominis nimio vino turbari, & nihil aliud esse, quàm volũtariam insaniam, quæ hominem efficiat sui ignorantem, item capitis vertiginem gignat, & ingenium obrutum prorsus sepeliat.

Ennium Poetam nunquam nisi potum ad arma dicenda accessisse dicunt: certè ad ferenda tractandaq́; arma, multa potione vini opus esse fateri oportet, cùm multò maius existat, bellum gerere, quàm describere. Cœlius Rhodiginus: Quære in verbo: carmina aquæ potoribus.

Eretriensis pictum.

Eretriensem adolescentulum ferunt, cùm diu Zenone vsus esset præceptore, atque in patriam velut postliminio rediret, sciscitante vehementius patre, quid demum ex sapientiæ hausisset fontibus: monstrabo, inquit: At pater indignabundus hoc nomine, veluti opera planè perijsset ac impensa, cùm intentaret plagas, clementer filius & quietè insolentiam ferens, ipsum hoc, inquit, ex Philosophiæ retuli contubernio, vt parentis iram possem concoquere.

EBRIETAS.

Ira, Cupido, Venus, Veneris monstrosa uoluptas,
Ebrietate ferunt continuasse gradum.
Taurus habet certas potandi tempore leges,
Sic equus, & liquidus quam uehit aër auis.
Sed nos diuina qui cum ratione uigemus,
Cur Venus & Bacchus, nocte dieq́; tenet?
Iccarus occiditur: primus quia pocula Bacchi
Protulit: hæc uulgus dira uenena ratus,
Dum poti caderent proni, facieq́; supini,
Et toto nullus corpore sensus erat.

Cyrus apud Xenophontẽ similia refert. Quęre haustus.

Vinum caret clauo.

Athenæus libro 10. Dipnosophistarum de potationibus differens, eleganter vulgò dici solere scribit, τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια, id est: Vinum non habere clauum: propterea quòd ebrietas nihil cõsultè vel moderatè, vel dicit, vel facit: Obruitur enim vel ratio, quæ claui vice sobrios moderatur ac gubernat. Huc pertinet Ouidianum illud: Vinum caret clauo.

Nox & amor uinumq́; nihil moderabile suadent,
Illa pudore uacat, Liber amorq́; metu.

POTATORVM AMICITIA VITREA.

Vincentius Obsopœus in comment. Epigrammatum Græcorum.

Noctu inter pocula, vbi vino omnes incaluimus, sumus inter nos amicissimi & humanissimi, tantò amore mutuò complectentes, vt nihil fieri posit humanius, coniunctius, & amantius: At ijsdem mane facto, & concocto vino, omnis illa vinosa humanitas & amicitia in ferinam rabiem vertitur. Ex quo facilè quisq; colligit, potatorum amicitiam non nisi esse vitream, eamq́; simul cum vino euanescere.

In ebrios.

Vesperè cum bibimus, homines sumus atq; benigni,
Manè homini siccus, trux fera surgit homo.

Ebrietas mors memoriæ.

Plinius libro 14. nimio potu, scribit, omnium fere rerum gigni obliuionem, mortemque memoriæ,

memoriæ, furoremq́; etiam latius induci: præmiumq́; summum ebrietatis, est libido portentosa, ac iucundum nephas.

Ouidius 12. Metamorpho.

Ebrietas geminata libidine regnat.

Incredibile quod sequitur, ab Aristotele tamen historiæ animalium sexto, traditur: Syracusis potator quidam egregius ouis sub storea positis in terra, tam diu potabat, donec oua æderent fœtum.

ἀυτοθελὴς ἥδισος ἀεὶ πότος:

Potio spontanea omnium suauissima.

Sunt spontè exhausti lætißima pocula potus,
Baccho & potori uina coacta nocent:
Hunc quia clam tellus uænis effundit: at illum
Fert ad lethæas immoderatus aquas.
Vinosi dira pereatis morte bibones,
Lætus ego saltem uina modesta bibam.

Vinum dißipat curas.

Funde falerna mihi, curas ut dißipet omneis
Læneus, puris & utreis Phialis.

ἄδηλον.

Indulge Baccho, sorbens lætare, futurum
Quid sit cras, hominum noscere nemo potest.
Ne temet cursu, uanoq́; labore fatiges,
Quod potes, ex animo uiuere perge tuo:
Quod potes imperti, comede & mortalia uolue
Mente tua, differt à nece uita nihil.
Si tibi contigerit, momento hac uesceris aura,
Sin moreris, rerum rex alienus eris

Martialis libro 2.

Hunc quem uina tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & cyathos, & sumina, & ostrea, non te:
Sublato uino, nullus amicus erit.

Ebrietas.

Vinum humanis corporibus grauissimus liquor, modicè sumptum non officit stomacho, non cerebro: sed digestionem adiuuat, vires alit, appetentiam ciborũ inuitat, sanguinem coloremq́; hominum iuuat: tristitię curã hebetat. Vnde Bacchum, teste Seneca de vitæ tranquillitate, Liberum dixerunt, quod animum à seruitio curarum liberet, algorem expellat, somnũq́; conciliet. Hinc Asclepiades medicus vtilitatem vini æquari vix potentiæ deorũ posse pronunciare non dubitauit: At copiosius haustũ, caput turbat, & stomachum lędit. Vnde Plinius, prorsus, inquit, vt iure dici possit, neq; viribus corporis vtilius aliud, neq; aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit: Hinc scatet ebrietatis libido portentosa, pallor, genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa: & quæ sit pœna præsens, furiales somni, & inquies nocturna: Hinc ex ore halitus fœtidi, hinc rerum omnium obliuio, morsq́; memoriæ: Nam vapore cerebrum debilitat, membra remollit. Vnde pueris & nutricibus non esse dandum, monet Aristoteles in libro de Somno & Vigilia, & Auicenna: Vinum pueris, inquit, dare, est ignem igni addere.

Vini moderatè sumpti vtilitas.

Ebrietas mors memoriæ.

Seneca morum censor grauißimus ad Lucilium.

Epulę cruditates adferũt: Ebrietates, neruorum torporem tremoremq́;: Libidines pedum, manuũ, articulorumq́; omniũ deprauationes.

Propertius Elegiarum 2.

Vino forma perit, uino corrumpitur ætas:
Vino sæpe suum nescit amica uirum.

Paulus capite 5. ad Ephesios.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

In Decretis Pontificalibus, dist. 35.

Luxurię fomentum & incẽtiuum vinum. Lege librum secundum Grabaldi.

Ebrietas uoluntaria insania.

Ebrietas è sententia Catonis, est voluntaria furoris species: Nam per eam & sensu, & mente excedimus, vt est apud Dionysium Areopagi.

Notum est, Archesilaum philosophum, cùm vinum immodicè hausisset, obijsse ætatis anno septuagesimo quinto. Rauisius Textor 2. parte officinæ, Titulo, de gulosis, edacibus, ac vinolentis.

Ebrietatis nocumenta.

Ebrietatem celeberrimi è nostris autoribus esse voluntariam dixêre insaniam. Sed ita etiã, num, vt si in plures paulò extendatur dies, habitus is, etiam manifestarius euadat furor. Mirum tamen est, quàm multi mortalium in hanc fœditatis, vt sic dixerim, coloniam transscribendi passim nomina dent: Affluunt hinc inde agminatim, non pullati solùm ac extranei, sed terrarum quoq; principes, & quos non irruentes hostium numerosi exercitus, nec volantia tela, aut è machinis vasta mole, & ruinis saxa propulsa, excussáue contriuere, fœda vini desideria deiecêre in sinũ, & velut captos iure belli ante triũphales currus, duxêre cathenatos. Alexandrum vastissima terrarum trãsmissa spacia, cum hoste barbara feritate terribili, tum vniuersa prælia, tot hyemes imbrium, & frigoris horrore defor mes, sub pellibus transactæ, tot locorum ac tẽporum inenarrabiles difficultates, tot fluminũ ex ignotis promicantium vastitas, ac deniq; tot tantorumque marium formidabilis & procellosa magnitudo, inuictum tamen, ac velut Deum humano in corpore hospitantem seruarunt: sed enim, mirum dictu, bibendi ardor infatigabilis, & Herculaneus ille, ac fatalis scyphus condidit: Hinc fœda maiestatis eius suggillatio, inter pocula amicos indignatione rapida, & vinolenta transuerberantis. Namque ita prorsum habet: Eruit omne vitium ebrietas, intendit, profert, ac conatibus deprauatis obluctantem obsistentemque verecundiam intrudit: vt frons, te attrita, vel vltra votum, insolenti hominiau gescat

gescat superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido. Iam verò Marcū. Antoninum, alioquin magnum virum, & ingenij etiam eminentis, quæ res alia in perniciem coniecit, quàm ebrietatis malum? Hæc demum medicæ artis summum authorem, falsum fieri Hippocratem coëgit, à quo sentētiarum sexto proditum scimus: Fœminis nec capillos defluere, nec pedes laborare: nisi menstrua defecerint. Errorem manifestarium, in quem non fœminea natura mutata, sed vitio deprauata & victa medicæ scientiæ cōditorem principem impegit. Agnoscit quoque interpretum eminentissimus Galenus: Nam vacuationis, inquit, ratione mulieres podagra immunes sunt: Etenim citra materiæ exuberantiā, nunquam consistit podagra, quanquam partes pati & affici ampliter possunt. Cæterùm & hoc loco monendum, vt olim vera & rata secta hæc, & pręceptio Hippocratis fuerit, non integrè suppressis menstruis, ob incertiora errata, quæ data ęuo admittebāt mulieres. At nunc ob vitę vsum lasciuiorem, atq; efferuescentis luxuriæ æstum, ciborumq; cupedias illecebras, quædā podagra tentātur antequā substiterint menses. Nil mirū igitur: Nam, vt grauissimè inquit Seneca, cum virorum licentiam æquarint, corporumq; viriliū assequutæ incommoda sunt, non minus peruigilant, non minus potant & oleo & mero vires prouocāt. Vinum omne vomitu remittūt, equo niuem rodunt, solatium stomachi æstuantis.

M. Antonius vinolētus.

Ennius articulari morbo consumptus est, quē ex immodico vini vsu contraxerat: quam rem egregiè docet Serenus:

Ennius poëta vinolentus.

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua:
Hoc uitio tales fertur meruiße dolores.

Ennius podagricus. Hæc Cœlius lib. 15. Lectio. antiquarum.

Alia ebrietatis mala.

Nec tamen ebrietatis hæc sola pernoscuntur mala, nam & illud scimus obuenisse quandoq;, vt vinolentus aliquis obmutesceret repentè, cōuulsusq; emoreretur, nisi fortè obrepsisset febris: Aut cum ad eam horam venisset, qua crapula soluitur, facultatem recepisset loquendi: Oppletis siquidem neruis spasmus superuenit siue conuulsio. Solet autem eos facilè vinū replere, quibus calida est natura: Calida nāq; peruadunt celerius: quod si resiccētur nerui, incalescantq; discutitur conuulsio, quod commolori febris valet.

Græci χραιπάλας vocant, vbi temetum capiti detrimenta concinnat. Vocatur enim græco intellectu, lucta capitis, & agitatio, & vibratio.

Crapula

Lucta capitis.

Ebrietas sacrilegium reputatur in fœmina præcipuè, sed infinitè plus in Domini sponsa.

Hieronymus.

Verissimum est, ignem in gremio gestare, qui assiduè vtatur vino.

Ventris ingluuies & ebrietas tam animæ quā corporis infirmitatis causam & materiā tribuūt.

Exempla turpis ebrietatis.

Noë fœmora ex ebrietate nudauit. Gen. 9.

Loth autem, quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. Gene. cap. 20.

Loth cū filiabus dormiuit.

Paulus ad Rom. cap. 20.

Bonum est vinum non bibere, & carnes non comedere: vinum enim post diluuium, cum carnibus dedicatum est.

Solon vnus è sapientibus, morte principem esse mulctandum lege sanxit, si deprehenderetur ebrius.

Quot nunc quotidie occidendi essent?

Pittacus Mytilenæus, quum peccarent, dupli ci dignos incommodo statuit.

Nota.

Ebrij puniendi, quod peccant, & quòd se ingurgitant præter & contra naturam.

Seneca, hominibus, inquit, inter oleum & vinum occupatis, ad votum dies agitur, si benè desudarunt, si in locum eius quod effluxit, multum potionis alterius ieiuno gutture ingesserunt bibere ac sudare vita cardiaci est.

Siceram esse, conuenit hebræo sermoni potione qualibet inebriari, qua quis potest, Græci sic: πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην, μὴ ἐξ ἀμπέλυ δὲ σκευαςὸν σύνθετον. Sunt qui vinum interpretentur dulcibus permixtum. i. ἡδύσμασι συμμιγέντα οἶνον.

A quibus Medicis aut Philosophis admittatur quandoq; ebrietas Pannaria. Ebrietas Catonis dicta in Cæsarem.

Mirari verò plurimum fateor, in vinolentia pragmatia ista medicæ sciētiæ peritorum in primis quorundam, non sine cunctatione proferē dam sententiam. Quippe 1. Canonis scribit Auicenna malum esse vtiq;, frequētem ebrietatem, quod hepatis inde ac cerebri vitietur constitutio, imbecilliores fiāt nerui: vnde tremor & cōuersio oritur, & paralysis: Sed & Apoplexia, obstipatis spirituum animalium meatibus, humecta cerebri potestate auctius redundante: Cæterum, inquit, quibusdā visum, si mense bis, aut semel admittatur ebrietas, insigne sentire emolumentum, quod somni profundiores ratione, virtutibus animalibus alleuamentum inducatur, & quies. Item proliciatur sudor, ac quæ superfluunt, resoluantur.

Plato philosophus liberaliorem aliquādo vini vsum approbasse videtur, 1. de Legibus: Sic enim retegi facilius hominum mores putat.

Seneca quoq; ille, Stoico supercilio mirè grauis, nonnunquam, inquit, & vsq; ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat curas. Inde Horatius, lib. 1. Ode 7.

Nunc uino pellite curas.

Plutarchus in uita Catonis Vticensis.

Cato Cæsarem dicebat sobrium accessisse ad euertendam rempublicam.

Euripidis illud de Venere, ad uinum transferri potest.

Εἴης μοι μέζιον δὲ πως μηδ᾽ ἀπολείποις. Id est: Adsis quidem mihi, sed temperatum moderatumq́;, nec desis.

CIBORVM ET POTVS GRAVI*tas, & corpori & animæ nocet.*

Horatius libro 2. Satyra 1.

Vides ut pallidus omnis cæna desurgit dubia,
Hesternis uitijs animum quoq; prægrauat unà
Atq; affligit homo, diuinæ particulam auræ.

QVOD PLATO *in libris, quos de Legibus composuit, largiores lætioresq́; in conuiuijs inuitatiunculas uini, non inutiles esse existimauit.*

Ex insula Creta quispiam ætatem Athenis agens, Platonicum esse se Philosophum dicebat, & viderier gestiebat. Erat autem nihili homo & nugator, at in Græca facundiæ gloria iactabundus. Præterea vini libidine ad vsque ludibria ebriosus. Is in conuiuijs iuuenũ, quæ agitare Athenis hebdomadibus Lunæ solẽne nobis fuit, simul atq; modus epulis factus, & vtiles delectabilesq́; sermones cœperant: tum silentio ad audiendum petito, loqui cœptabat: Atq; id genus vili & incondita verborum caterua, hortabatur ad bibendũ omnes. Id se facere ex decreto Platonico prædicabat. Tanquã Plato in libris quos de Legibus composuit, laudes ebrietatis copiosissimè scripsisset, vtileq́; eum esse bonis ac fortibus viris cẽsuisset: Ac simul inter eiusmodi orationem, crebris ac ingentibus poculis omne ingenium ingurgitabat: Fomitem esse quendã dicens, & incitabulum ingenij virtutisq́;, si mẽs & corpus hominis vino flagraret. Sed enim Plato in 1. & 2. de Legibus, non, vt ille nebulo opinabatur, ebrietatem istam turpissimam, quæ labefacere & minuere hominũ mentes solet, laudauit, sed hanc largiorem paulò iucundioremque vini inuitationem, quę fieret sub quibusdã quasi arbitris, & magistris cõuiuiorum sobrijs, non improbauit: Nam & modicis, honestisque inter bibendum remissionibus refici, integrariq; animos, ad instauranda sobrietatis officia existimauit, reddiq; eos sensim lętiores, atq; ad intentiones capiẽdas fieri rursus habiliores, & simul sequi penitus in ijs adfectionum cupiditatumq́; errores inessent, quos aliquis pudor reuerens concælaret, ea omnia sine graui periculo, libertate per vinum data detegi. Et ad corrigendum, medendumq́; fieri opportunior: Atque etiam hoc Plato ibidẽ dicit, non defugiendas neque respuendas esse huiusmodi exercitationes aduersum propulsandam vini violentiam. Neq; vllum vnquam continentem prorsus, ac temperantem satis fideliter visum esse, cuius vita, victusq; non inter ipsa errorum pericula, & in medijs voluptatum illecebris explorata sit. Nam cui Libentiæ Gratiæ omnes conuiuiorum incognitæ sint, quiq; illarum omnino expers sit, si eum fortè ad participandas eiusmodi voluptates, aut voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas compulerit, deliniri plerunque & capi, neq; mentem animumq́; eius consistere, sed vi quadam noua istũ labascere. Congrediendum igitur censuit, & tanquam in acie quadam cum voluptuarijs rebus, cumq; ista vini licentia cominus decertãdum, vt aduersum eas non fuga simus tuti, nec abstinentia, sed vigore animi, & constanti præsentia, moderatoq́; vsu, temperantiam continentiamq́; tueamur, & calefacto simul refectoque animo, si quid in eo vel frigidæ tristitiæ, vel torpentis verecundiæ fuerit, diluamus. Aulus Gellius libr. 15. capite 2. Noct. Atticarum.

Ad ludibria ebriosus.

Nota obsecro.

Laus hilaritatis cõuiuiorum.

Vid qui rect sus c uiuic

Delis unci nim. lup bus det tur

Encomion ebrietatis, ex Aristoph. in equitibus.

ὅταν πίνωσι ἄνθρωποι, τότε πλουτοῦσι διαπράττουσι, νικῶσι δίκας εὐδαιμονοῦσι. Hoc est: quando biberũt homines, tum ditescunt, peragunt, vincunt causas, bene fortunati euadunt.

Leges Symposiorum à Græcis promulgatæ.

ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι. Id est: Aut bibat, aut abeat. *πίνε ἢ πέντε ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα.* Id est: Aut quinq; bibe, aut tria, aut ne quatuor.

μισῶ μνάμονα συμπόταν. Id est: Odi memorem compotorem. Plutarchus iu Symposijs.

Erasmus scribit, vt Britannos *πολυφαγίας*, ita Germanos *πολυποσίας* laudem vendicare. Aeneas Syluius in libello de prauis mulieribus tribuit Teutonibus ebrietatem, & tantisper fortes dum vinum habeant.

Ebrietas fortes facit: quare carmina aquę potoribus scripta non diu viuunt.

Plato in sexto de Legibus, loquens de filiorũ procreatione, sic ait: Idcirco ebrius tanquã mente captus, ad serendum nempe verisimile est, eum fœtus inæquales, instabiles, obliquos tam membris quàm moribus procreare: Quapropter per totam quidem vitam, & maximè quamdiu generationi vacat, abstinebit quisque caueb itq; ne faciat, vel quæ suapte natura morbos inducunt, vel quæ ad petulantiã iniuriamq́ue deducant: Hæc enim in animos & corpora nascentium necessario translata, illis imprimuntur, peioresq; nascuntur: sed præcipuè die illo ac nocte ab illis abstinendum.

Dece cum nihi tia

Vitium ebrietatis grauiter describitur apud Xenophontẽ in Pædia Cyri: vbi dicitur: ebrios neq; mentis esse, neque corporis compotes. Ob id Cyro puero cum hospites inuitati, ab Astiage auo in natali die ita se ingurgitassent, visum esse venenum à Sacca pocillatore infusum fuisse.

Ebri medi & c ris ten

In bibonem, è Græco.

Serta, unguenta, meo ne gratificare sepulchro,
Vina, focus, lapidi, sumptus inanis erit.
Hæc mihi da uiuo, cineres miscero Falerno,
Nempe lutum facere est, non dare uina mihi.

Vinum venen

Aliud

ALIVD.

E terra genitus, sub terram morte recondar,
Ergo lagena mihi terrea plena uini.

IN BIBONEM.

Perdis, ait Tussæ medicus, tua lumina uino:
Consultat secum, quid uelit ergo sequi.
Sydera, terra, fretumq; solent, quæcunq; uideri,
Omnia sunt, inquit, uisa, reuisa mihi.
Multa mihi, sed uina tamen gustanda supersunt:
Multa refert annus, quum noua musta nouus.
Iam certus, firmusq;, ualebitis, inquit, ocelli,
Nempe satis uidi, non satis usq; bibi.

ALIVD.

Admonuit medicus Lippum Teodore Marullum,
Ne uinum, cæcus ni uelit esse, bibat.
Pareat ut medico, quanquam ægrè, abstemius esse
Ecce duos totos sustinet usq; dies.
Pòst sitit assueti reuocatus imagine uini,
Iamq; foras medico uera minante ruit.
Ventum erat ad uinum, cùm sic sua lumina mœstus
Affatur, posito iam peritura mero.
Huc iter est, huc me fidi duxistis ocelli,
Nunc bibite, & dulces ambo ualete duces.
Gustus odorq; manent, miratur abire colorem,
In nigras subeunt lumina dum tenebras.
Hoc tamen aduersum lenit solamine casum,
Dote meri minimùm quod cariturus erat.

IN BIBONEM.

Potando medicus periturus dixit ocellos,
Fusco, qui cùm se consuluisset, ait:
Perdere dulcius est potando, quàm ut mea seruem
Erodenda pigris lumina uermiculis.

FESTIVVM CARMEN
in ebriosum.

Tecum in colloquium quod non properantius iui,
Segnitiem incusas, conquererisq; meam.
Confiteor uerè, tibi non in tempore ueni,
Serior, aut citior, debuit hora legi.
Aut utinam eiusdem uenissem manè diei,
Aut tibi uenissem manè sequente die.
Nunc res luce nimis tractari cœpit adulta,
Quando tua factum est ebrietate nihil.

Μακεδονίου.

Bibuli ægroti urbanè dictum.

χθιζὸν ἐμοὶ νοσέοντι περίστατο δῖος ἀνὴρ
ἰητρὸς δεπάων νέκταρ ἀπειπάμενος,
εἶπε δ' ὑδροπίνειν ἀνεμώλιως οὐδ' ἐδιδάχθη,
ὅττι μένος μερόπων οἶνον ὅμηρος ἔφη.

Latinè sic sonant.

Visit heri inclemens ægrum uetuitq; Lyæi
Sumere nectareum uir medicus laticem:
Vanus adhæc lymphis, ait, utere, nescius hic quod
Vina hominum instaurant robur, Homerus ait.

DE FEBRICITANTE, ET MEDICO
bibace sanè elegans.

Febre laboraret mihi cùm puer Hemitritæa,
Fortè ibi Sauromatæ posco medentis opem.
Sensit, ut admoto salientem pollice uenam
Fortis, ait, calor est, sed calor ille cadet.
Flagitat ergo scyphum, fundumq; exhaurit ad imum,
Quantum nec Bitias ebibiturus erat.
Haud, ad æqualeis ægrotum prouocat haustus,
Et facere hoc temerè, ne uideatur, ait:
Aestuat hic ualde, bibat ergo necesse est,
Non paruo obruitur magna liquore pyra.

AVT BIBAT, AVT ABEAT.
Erasmus in Chiliadibus.

Quo quidem adagio monemur, vt aut tempori, locoq; nos accommodemus, aut ab hominum consuetudine nos subducamus. Quemadmodum Cato fecisse legitur, qui cùm non posset sumere vultum floralium licentiæ conuenientem, discessit è theatro. Natum est è priscis illis Græcorum symposijs, hoc est, compotationibus, in quibus mos erat talis sortiri quempiam, qui conuiuio quasi præsideret, ac decreta conuiualia præscriberet, quæ νόμους, id est, leges appellabant. De hisce legibus Valerius Valentinus iocoso carmine cōscripsit, cui titulum fecit, Tapullæ, teste Festo Pompeio. Porrò præfectum βασιλέα, id est, regem nominabant. Plutarchus συμποσίαρχον vocat. Varro apud Nonium modiperatorem à Latinis vocatum scribit, quasi modum imperantem, ne quis aut plus satis biberet, aut parum. Athenæus libro 10. ex Eupolidis authoritate docet, huic præfectos rei, οἰνόπτας dictos, ab alijs ὀφθαλμοὺς. Huius consuetudinis meminit Horatius in Odis. Nec regna vini sortiére talis. Commemoratur à Cicerone, libro Tusculanarū Quæstio, 5. Mihi quidem, inquit, in vita seruanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conuiuijs obtinet: Aut bibat, inquit, aut abeat. Et rectè: aut enim fruatur aliquis pariter cum alijs voluptate potandi, ne sobrius in vinolentiam, vinolentorum incidat, aut discedat. Sic iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiēdo relinquas: Hactenus ille. Quidam sic efferunt, ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, Id est, aut bibe, aut abi. Quantò ciuilior hęc lex, quàm ea, quam Empedocli in conuiuio pręscripsit conuiuij præfectus, vt aut biberet, aut vinū in illius caput effunderetur: eam rem tam indignè tulit Empedocles, vt postridie coacto concilio, & inuitatorem, cuius opera id factum erat, & symposiarcham reum peregerit, damnandosq; curarit: vt refert Laërtius Diogenes.

ECclesia Græca dictio est ἐκκλησία ας ἡ. Est autem Ecclesia vniuersalis collectio fidelium. NANVS.

Paralip. secunda cap. 6.

Ad hoc facta est domus tua, vt respicias orationem serui tui, & obsecrationem eius Domine Deus meus, & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te, aperias oculos tuos super domum istam diebus, ac noctibus, super locum in quo pollicitus es, vt inuocetur nomen tuum, & ex-

& exaudires orationem, quam seruus tuus orat in eo: Exaudi preces famuli tui.

Isaias 56.

Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Ioannes in Euangelio cap. 2.

Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.

Augustinus de Fide ad Petrum.

Ecclesia est quędam forma iustitię, id est, commune ius omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur, sine Ecclesiæ Catholicæ societate, nec alicui Baptismus prodesse potest, nec opera misericordiæ, nisi fortè vt minus torqueatur.

Augustinus super Matthæum.

Adhuc habet Ecclesia quod crescat, donec illud impleat, dominabitur à mari vsq; ad mare.

Idem libro 2. de ciuitate Dei, libro 8.

Quia populi ad Ecclesiam confluunt casta celebritate, honestaq; vtriusq; sexus discretione, vt audiant quàm bene hîc viuere debent.

Ibidem.

Nihil eis turpe, aut flagitiosum spectandum imitandumq; proponant, vbi Dei viui, aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dicta laudantur, aut beneficia postulantur.

Hieronymus epistola 88.

Alij ædificent ecclesias, vestiant parietes, columnarum moles aduehant, earumq; deaurent capita precioso ornatu, & gemmis deaurata distinguant altaria. Sed tibi aliud sit propositum, scilicet Christum vestire in pauperibus, pascere in esurientibus, visitare in languentibus, suscipere in eis qui tecto indigent, maximè domesticis fidei.

Hieronymus ad Euandrum Presbyterum.

Non altera Romanæ vrbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe. vbicunq; fuerit episcopus, siue regio, eiusdem meriti est, eiusdem sacerdotij, potentiæ, diuitiarum, & potestatis & paupertatis; humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.

Gregorius super Ezechielem, & habetur de pœnitentia distin. 2. cap. Cùm sanctam.

Cùm sanctam Ecclesiam Dominus suscipit in gradibus eius dignoscitur, quia eius gloria per illius incrementa declaratur. Quantum enim eius sancta Ecclesia ascédendo proficit, tantum Deus hominibus ex eius virtute innotescit.

Grego. li. 9. Moral. super illud Iob: Qui facit arcturum.

Quid, inquit, Arcturi nomine, qui in cæli arce constitutus septem stellarum radijs fulget, nisi vniuersalis ecclesia exprimitur. Arcturus, inquit, semper versatur, & nunquam mergitur, sic Ecclesia persecutiones tolerat, sed sine defectu perdurat.

Gregorius Moralium libro 29. super illud Iob: Aut gyrum arcturi.

Est, inquit, in Arcturo quod consideratius possumus intueri, in septem quidem stellis voluitur, & modò quidem tres ad summa eleuat, atq; ad ima quatuor inclinat, modò quatuor superius erigit, & tres inferius premit. Sic sancta Ecclesia modò cum infidelibus Trinitatis notitiam: modò verò fidelib. quatuor virtutes, quasi rotatu prædicationis status sui speciem quodammodo immutat.

Ibidem in Registro.

Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita rapacitatis ardore alienas inuadere non debet.

Idem in epistola ad Iesanum.

Arca cessante diluuio in monte requieuit quia vitæ huius corruptione cessante, cũ malorum operum fructus transierint, in cælesti patria sancta Ecclesia velut in excelso monte requiescit.

Gregorius in homilia super Ezechielem.

Sancta Ecclesia duas vitas habet, vnã qua merces colligitur, aliam in qua iam de receptis muneribus gaudet: atq; in vtraq; vita offert sacrificium: hîc videlicet sacrificium compunctionis, illic sacrificium laudis.

Ioannes Chrysostomus super illud Matthæi 22. Congregauerunt bonos & malos.

Ecclesia media est inter cælum, quod est locus tantum bonorum, & infernum, qui est locus tantum malorum. Ipsa verò Ecclesia media est, quia indifferẽter bonos, & malos colligit, quod figuratum est in arca Noë, vbi animalia mitia simul erant cum animalibus immitibus.

Bernardus in Apologetico.

O vanitas vanitatum, sed non vanior, quàm insanior, fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus, suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum.

Idem super Cantica.

O humilitas, & sublimitas, & tabernaculum cedat, & sanctuarium Dei, & terrenum habitaculum, & cæleste palatium, & domus lutea, & aula regia, & corpus mortis, & templum lucis, & despectio deniq; superbis, & sponsa Christi.

Ibidem.

Sponsa, id est, Ecclesia Christi nil sibi gloriosius putat, quàm Christi portare opprobrium.

Hugo de duodecim abusionibus.

Vndecima abusio est dissolutio in choro.

Ibidem.

Ibidem.

Duodecima abusio est irreuerẽtia circa altare.

Cassiodorus super Psalm.1.

Nouit Ecclesia beneficia Domini triumphare de suis cladib. ingrauata. Persecutionibus siquidem proficit: Afflictione semper augetur: sanguine martyrum irrigatur: tristitia magis erigitur, angustia dilatatur, fletibus pascitur, ieiunijs reficitur, & deinde potius crescit, vnde mundus deficit.

Ibidem.

Ad Ecclesiam bona spiritualia peruenerunt, & fidei insuperabile fundamentum, spei certissimum præmium, & suaue vinculum charitatis. Quarum rerum nunc tenet imagines, & in futuro est perenniter possessura virtutes.

Idem super Psalm.30.

Ecclesia enim magis incipit esse vberrima, cũ ad finem seculi erit perducta: tunc enim passionibus electorum citò implebitur numerus bonorum.

Rabanus super Matthæum.

Differentia est inter synagogam & ecclesiam. Synagoga est congregatio, ecclesia vocatio. Possunt autem irrationabilia congregari, vocari autem nequaquam. Et ideo visum est Doctoribus nominare ecclesiam.

Tibullus libro 2.

—Discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Dantes Floren. inferni cant cap.27.

Quando io udi se io me transcoloro
Non ti marauigliar, che dicendo io,
Vedra transcolorar tuti costoro.
Quegli che usurpa in terra il loco mio,
Il loco mio, il loco mio che uaca
Nela præsentia del figliol de dio,
Facto han del cimetro una cloaca
Del sanguine e della puza, undel peruerso
Che cadde qua sulagiu si placa. id est:
Quando audiui, si colorem ipse muto
Noli mirari, nam dicente me,
Videbis hos omnes colorem quoq; uertere.
Illi qui usurpant in terra locum meum,
Locum meum, locum inquam meum, qui uacat
In præsentia filij Dei,
Fecerunt ex cœmiterio unam cloacam
Sanguinis, atq; fœtoris, unde Diabolus
Qui cecidit è cælo, placatur inde.

Edacitas Græcè πολυφαγία ας ἡ, & πολύφαγος ὁ edax dicitur. Significat autem edacitas ingluuiem quandam: Edax manduconem, & voracem significat, & consumptorem, veteres mandones à mandẽdo, & manducos, & manducones à manducando. Item edones ab edendo, & phagones à phago, quod est edo, vt de vtroq; apud Plautum legitur. Sanè notandum, quod manduci effigies inter cæteras ridiculas & formidolosas imagines ire solebat in antiquorum pompa, magnis maxillis, lateque dehiscens, ingentem dentibus sonitum faciens. Plautus: Quid si ad ludos me pro manduco locem? Ab edo prætereà fit peredo, quod est vehementer edo, vnde peredia venit ipsa comessatio, sicut bibesia ipsa bibitio. Inde etiam prandium, quasi per edium. Ab edo pariter edulium fit, quod Grecè ἔδεσμα ατος τὸ, & est quicquid ad edẽdum paratur præter panem. Item edulis quod manducari potest. Horatius. *Vinca summittit capreas non semper edulis.*

Educatio Græcè ἀναζοφή ῆς ἡ dicitur. Venitq; ab educo, quod modò tertiæ, modò est primæ coniugationis, & significat nutrio, proueho, vnde liberorum eductio, vel educatio dicitur. Terentius in Andria: Eduxi à paruulo, habui, amaui pro meo. Nonnunquam educere est extraducere, & extrahere. Virgilius: Hoc dicens, eduxit corpore telum. Aliquando ponitur pro erigere. Virgilius: Aramq; sepulchri Congerere arboribus, cæloq; educere certant.

Effigies Græcè ἐκμαγεῖον ου τὸ dicitur. Estq; effigies signum ad viuam alterius similitudinem, vel ad veritatis imaginem factum, tam in picturis, quàm in sculpturis. Diciturque ab effingo, quod est ad alterius formam fingo, & qualem volo fingendo repræsento. Quintilianus: Nam mihi videtur Marcus Tullius, cùm se totum ad imitationem Græcorum contulisset effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Hinc etiam effigio, quod est ad effigiẽ formo.

Egestas Græcè ἀκτημοσύνη ης ἡ, & ἀκτήμων ονος ὁ ἡ egens & inops dicitur. Est autem propriè egẽs, cui desunt necessaria ad viuendum. Inde venit egeo verbum, & indigeo, & egenus, id est, pauper, & egestas, id est, paupertas. Egestas tamen, vt quidam volunt, sic differt à paupertate, quòd egestas est, quando ad vitam necessaria desunt. Paupertas verò, quando, licèt non adsint opes, tamen necessaria suppetunt. Tibullus: Me mea paupertas vitæ traducat inerti, Dum meus assiduo luceat igne focus.

De hac meteria videre potes multa infrà in Paupertas.

Elatio Græcè ἔπαρσις ιος ἡ dicitur. Est autem elatio ab effero, quod est proueho & extollo. Quinetiam cadauera dicuntur efferri. Terentius: Intercà effertur funus. Non quòd domo efferrentur, id est, extra domum ferrentur, vt aliqui, & falsò putant. Sed quia pompa humeris clarorum virorum feretro suppositis, quod etiam nunc fieri videmus, ferretur. Hinc est quod antiqui mortuos non modò elatos, sed etiam superbos dicebant. Plautus: Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. Efferre nonnunquam est extra ferre. Aliquando erigere, & eleuare. Virgilius:

Ostendit dextram insurgens Entellus & altè
Extulit.

ELectio Græcè αἵρεσις ἰος ἡ, & αἱρετίζω eligo dicitur. Est autem electio appetitus consiliatiuus eorum, quorū in nobis est & operari, & non operari, & ita operari, & non ita operari, & eorum in quibus est propter quod non tamen vnum, & determinatum, vt in Geometria, secundum Aristot. libro Magnorum Moralium.

Electio est consulta affectatio eorum, quæ in nobis sunt, secundum Aristotelem libro 3. Ethicorum.

Electio est quid voluntarium, cuius consultatio antecesit, secundum Aristot. ibidem.

Electio etiam est alicuius personæ idoneæ ad dignitatem, vel fraternam societatē, seruata forma canonica facta vocatio, secundum Ho.

Venitq; à lego. Vnde etiam deligo eiusdem significationis, & delectus, vt delectus militum. Sunt tamen qui velint eligere, & deligere ita differre, quod eligere sit magis idoneum ad rem gerendam secernere: Deligere verò ad nostrum emolumentum, vel illius, qui eligitur, dignitatem. Vt imperator delegit milites ad rem gerendam idoneos. Et colonus delegit taurum procreandæ soboli, vel agriculturæ meliorem. Vnde dicimus agere, vel habere delectum. Sunt qui ab eligo elegantem dictum velint, hoc est, cultum, ornatum, politum, vnde elegantia, id est cultus & ornatus. Hinc etiam eligibilis, de quo infrà.

Paulus ad Timotheum 1. cap. 3.

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Idem ad Titum ca. 1.

Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum. Sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana.

Augustinus super illud Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri.

Quis ferat, si quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore.

Hieronymus ex libro Numerorum, & habetur 8. quæstio. 1. Si ergo.

Si ergo tantus ille, ac talis Moses non permittitur iudicio suo de eligendo populi principe, de cōstituendo successore, quis erit, qui audiat, vel ex plebe, quę sępe clamoribus, aut gratia, aut precio fortassè excitata moueri solet, vel ex ipsis etiam sacerdotibus quis erit, qui idoneum ad hoc iudicet, nisi hoc si cui oranti, & petenti à Domino reueletur? Sicut & Deus dicit ad Moysen: Assume ad temetipsum Iesum filium Naue hominem, qui habet spiritum Dei in seipso, & impones manus tuas super eum, & statuas eum coram Eleazaro sacerdote, & præcepta Dei dato in conspectu totius synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illum, vt audiant eum filij Israël.

Hieronymus super Iesaiam libro 3.

Non statim multitudinis acquiescamus iudicio, sed electi in principatu nouerimus miseriā nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei, quia Dominus superbis resistens, humilibus dat gratiam.

Idem libro 12.

Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere principem. Sicut in ordinationibus malorum princeps est peccatorum, qui tales constituit: sic in ordinatione sanctorum princeps est eorum iustitiæ, qui bonos eligit.

Hiero. super epist. ad Titum 1. & habet. 8. q. 1. Moyses.

Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuitvtiq; successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, id est Iosue, vt sciremus principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorū quispiam rogauerit, & vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrauerant.

Idem contra Iouinianum.

Quæritur cur non Ioannes electus est virgo, scilicet vt esset caput Ecclesiæ? respondetur, ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur.

Idem in epistola ad Oceanum.

Res pene contra naturam est, vt sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cuius comparatione cæteri greges dicantur.

Leo Papa 1. epist. 85. ad episcopos Aphricanos, & habetur distinct. 61. capitulo Miramur. §.

Quòd si in quibus.

Quòd si in quibuslibet Ecclesiæ gradib. prouidenter scienterque curandum est, vt in domo Domini nihil inordinatum sit, nihilq; pręposterum: quantò magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite.

Ibidem, & habetur ibidem. §. Sicut enim.

Sicut enim boni operis sibi comparat fructū, qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium

cium,ita graui femetipſum afficit dãno, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum.

Ibidem.

Valde iniquum eſt,& abſurdum, quòd imperiti magiſtris,noui antiquis, rudes præferantur eruditis.

Caßiodorus libro 1.epiſtolar.

Neceſſe eſt prudentiſsimũ eligere,qui poſsit contra ſubtiliſsimos diſputare, & in conuentu doctorum ſic agere ne ſuſceptam cauſam tot erudita poſsint ingenia ſuperare.Magna res contra artifices loqui,& apud illos aliquid agere, qui ſe putant omnia præuidere.

Ibidem libro 3.

Neceſſarium probatur eſſe Reipub. perſonas dignitatibus aptas eligere, vt cui iuſtitia committitur,malis moribus nón grauetur.Alioquin inefficax eſt ab homine exigere,quod agnoſcitur non habere.Et confidenter quæritur,quod ineſſe ſentitur.

Origenes ſuper Leuitico.

Requiritur in ordinando ſacerdote,& præſentia populi,vt ſciant omnes & certi ſint,quia qui ex omni populo eſt præſtãtior,qui doctior, qui in omnivirtute eminentior,ille eligitur ad ſacerdotium, & hoc aſtante populo, ne aliqua poſtmodum retractatio cuiquam, neque quis ſcrupulus reſideret.

Origenes ſuper illud Numeri 27.Prouideat Dominus ſpiritum omnis carnis.

Diſcant electorum principes, ſucceſſores ſibi non eos.qui conſanguinitate generis iuncti ſunt, neque qui carnis propinquitate ſociantur,teſtamento ſignare,neq; hæreditarium tradere eccleſiæ principatum, ſed referre ad iudicium Dei,& non eligere illum,quem humanus affectus commendat, ſed totum Dei iudicio de ſucceſſoris electione permittere.

Ibidem.

Nulla hæc populi acclamatio, nulla propinquitatis acclamatio:propinquis agrorum &prędiorum relinquatur hæreditas: gubernatio autem populi,illi tradatur,quem Deus eligit, qui ſcilicet in ſe habet ſpiritumDei,id eſt,in quo ſit claritas legis & ſcientiæ, vt poſsint eum audire filij Iſraël.

Elemẽtum Gręcè ϛοιχιχεῖον ȣ τὸ,& ϛοιχειακός οῦ ὁ elementalis dicitur. Eſt autem elementum,in quo aliquid diuiditur inexiſtens,vt materia,vt ſyllabæ,a & b,ſecundum Ariſtotelem libro ſeptimo Metaphyſicæ.

Elementa dicta ſunt ab alendo.

Eleemoſyna Qua ſubuenitur proximo
- *Ex parte animæ, cui ſubuenitur*
  - *Poſcendo auxilium à Deo in his quæ per ſeipſum non poteſt, quod fit orando.* — *Oratio pro alijs.*
  - *Impendendo auxilium per ſeipſum contra tres defectus, ſcilicet*
    - *Ignorantiæ*
      - *Intellectus ſpeculatiui, cui ſubuenitur docendo neſcientes, & eſt* — *Doctrina.*
      - *Intellectus practici, cui ſubuenitur conſulendo ignorantibus, & eſt* — *Conſilium.*
    - *Paßionis appetitiuæ uirtutis, inter quos maximus eſt Triſtitia, cui ſubuenitur conſolando, & eſt* — *Conſolatio.*
    - *Inordinati actus, qui triplex eſt:*
      - *Peccatum cõmiſſum in Deum per inordinatũ actum uoluntatis, cui ſubuenitur corrigẽdo & caſtigando, & eſt* — *Correctio fraterna, uel Caſtigatio.*
      - *Peccatum commiſſum in nos, cui ſubuenitur remittendo iniuriam, & eſt* — *Remißio iniuriarum.*
      - *Oneroſa conuerſatio propter infirmitatem uel aliam quamuis cauſam, cui ſubuenitur ſupportando, & eſt* — *Tolerantia.*
- *Ex parte corporis.*
  - *In uita*
    - *Communis*
      - *Interior*
        - *Defectus alimentorum, cui ſubuenitur per cibationem & potum, & eſt* — *Cibatio, Potatio.*
      - *Exterior*
        - *Nuditas, cui ſubuenitur tegmento, & eſt* — *Veſtigatio.*
        - *Defectus habitationis, cui ſubuenit colligẽdo, & eſt* — *Hoſpitatio.*
    - *Spiritualis ex cauſa*
      - *Intrinſeca*
        - *Infirmitas, cui ſubuenitur ſubueniendo infirmis, & eſt* — *Viſitatio infirmorum.*
      - *Extrinſeca*
        - *Captiuitas, uel in carcere detentio, & eſt* — *Captiuorum redemptio*
  - *Poſt uitam* — *Sepultura.*

Ex B.Thoma ſecunda ſecundæ quæſtio.32.articulo 2.& 4.Sentent.diſtinctio.15.

VERSVS. *Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,*
Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Eleemosyna Græca dictio est ἐλεημοσύνη ης ἡ, ἐλεήμων ονος ὁ misericors dicitur. Est aũt eleemosyna opus in quo datur aliquid indigẽti, ex compassione, propter Deum, secundum theologos, 4. Sen. dist. 15. & B. Tho. secun. sec. q. 32. ar. 1. Dicitur ab ἔλεος ἔεος τὸ quod est misericordia.

Tobias cap. 4.

Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors.

Ibidem.

Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue.

Ibidem.

Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude: prẹmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fidutia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Ibidem cap. 12.

Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recõdere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.

Iob cap. 6.

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.

Dauid Psalmo 40.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Prouerbiorum cap. 3.

Honora Dominum de tua substãtia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebũtur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.

Prouerbiorum 10. cap.

Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.

Ibidem cap. 14.

Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Ibidem.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius, honorat aũt eum, qui miseretur pauperis.

Ibidem cap. 19.

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.

Ibidem cap. 21.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.

Ibidem cap. 22.

Qui pronus est ad misericordiam benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi.

Ibidem cap. 28.

Qui dat pauperi non indigebit. Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

Ecclesiastici cap. 3.

Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccato, & Deus ꝓspector est eius, qui reddit gratiam.

Ibidem cap. 4.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere.

Ibidem.

Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem inopia tua.

Ecclesiastici cap. 7.

Exorare, & facere eleemosynam ne despicias, ne dicas in multitudine munerum meorũ respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo munera mea suscipiet.

Ibidem.

Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua gratia datus in cõspectu omnis viuẽtis, & mortuo non prohibeas gratiam.

Ibidem cap. 13.

Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi.

Ibidem cap. 29.

Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo, & qui præualet manu, mandata seruat.

Ibidem cap. 35.

Qui facit misericordiam, offert sacrificium.

Daniel cap. 4.

Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis.

Isaias cap. 58.

Si videris nudum, cooperi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Matthæi cap. 10.

Gratis accepistis, gratis date.

Matthæi cap. 6.

Thesaurizate vobis thesauros in cælo.

Ibidem.

Cùm facis eleemosynam noli tuba canere.

Ibidem cap. 19.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.

Matthæus cap. 25.

Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi, esuriui enim, & dedistis mihi manducare.

Lucas cap. 11.

Date eleemosynã, & omnia mũda sunt vobis.

Ibidem cap. 12.

Vendite quæ possidetis, & date eleemosynã. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quo fur non appropiat, neq; tinea corrumpit: vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Ibidem cap. 14.

Cùm facis prandium, aut cœnam noli vocare amicos

amicos tuos, neque fratres tuos, neq; cognatos neque vicinos, neque diuites, ne fortè & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio: sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Ibidem capite 16.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Ioan. 1. capite 3.

Non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate.

Ibidem.

Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo.

Ibidem.

Debemus enim animas pro fratribus ponere.

Ibidem capite 13.

Hoc mandatum do vobis vt diligatis inuicē.

Paulus 1. ad Corin. capite 13.

Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

Augu. super Psal. 103.

Valde malè dirigit is, qui bene audit, & malè operatur. Si potes dare, da: si non potes, affabilē te fac, coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat nō habeo, charitas non de sacculo erogatur.

Aug. de uerbis Domini serm. 15.

Dicit tibi Christus, da mihi ex eo, quod dedi tibi. De meo quæro. Da & redde, habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem: temporalia mihi das, æterna tibi restituam, teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Ibidem serm. 30.

Si vis facere eleemosynam à te incipe. Quomodo enim misericors est alteri, qui crudelis est sibi? Vnde scriptum est: miserere animę tuę, mendicat ante te anima tua. Redi ad conscientiam tuam, quicunq; malè viuis, & ibi inuenies animam tuam. Mendicantem inuenis, pauperē inuenis, ærumnosum.

Ibidem.

De iustis laboribus facite eleemosynas, non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt nō vos audiat, cum pauperibus quibus tollitis. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore, & vsuris, fidelibus dico, quibus corpus Christi erogamus.

Ibidem.

Vtantur diuites consuetudine infirmitatis suę, sed doleant aliter se non posse: melius enim facerent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? vtere cibis electis & pretiosis, sicut consueuisti, qui aliter non potes, quia si consuetudinem mutas, ægrotas: Conceditur tibi. Vtere necessarijs, da pauperibus superflua: vtere pretiosis, da pauperibus vilia.

Augu. de serm. Domini.

Beati illi, qui subueniunt miseris, quoniā eis repenbitur, vt per misericordem Dominum de miseria liberentur. Nam idipsum videtur iustū, vt qui à potentiore adiuuari vult, adiuuet inferiorem, in quo est ipse potentior.

Augu. in serm. de Eleemosyna.

Talis debet esse misericordia, quæ suscipiatur, non quę repellatur: quæ peccata purget, nō quæ animam grauet: de bono, de iusto labore, de propria facultate, non de pauperis ægestate.

Augu, in serm. de Diuite.

Eleemosyna mundat peccata, & ipsa interpellat pro nobis ad Dominum, quia quicquid pauperibus dederimus, ipsum integrè possidebimus.

Augu. de uera Innocentia.

Multa nos in facultatibus superflua habere probabimur, si necessaria sola teneamus, nam vana quærentibus nihil sufficit, & alienorum quodammodo retentor est, qui quod dandnm est pauperibus, inutiliter retinet.

Augustinus in sermone de uerbis Domini, & habetur distin. 45. ca. Duæ.

Duę sunt eleemosynæ, vna cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est dimittere ei, à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti alquando quæris, & non habes: indulgere peccanti quantum volueris redundat tibi. Eleemosyna cordis multò maior est, quàm eleemosyna corporis. Charitatis eleemosyna sine substantia terrena sufficit: illa verò, quæ corporaliter datur, si sine benigno corde tribuit, omnino nō sufficit

Augustinus in Enchridion, & habetur de Pœnitentia dist. 3. Qui uult,

Qui vult ordinatè dare eleemosynam, à seipso debet incipere, & eam sibi primò dare. est enim eleemosyna opus misericordiæ verissimæ, de qua dictum est: miserere animæ tuæ placens Deo propter hoc renascimur vt Deo placeamus.

Augu. in Enchiridion.

Multa sunt genera eleemosynarum, quæ cū facimus adiuuamur, vt nobis dimittantur peccata, sed ea nihil est maius, quàm cùm ex corde dimitimus peccata.

Idem in tractatu de misericordia Dei.

Eleemosyna est secundus baptismus. Quis enim est sine peccato? Nam sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. In horreis nostris habemus fidutiam, quas flammas nostras vnus panis extinguat: & ante fores

gehennæ stat misericordia, & non permittit aliquem in carcerem mitti.

Ibidem.

Perfecta misericordia est, vt antè occurrat esurientibus, quàm roget aliquando mendicus. Non enim perfecta pietas est, quæ precibus extorquetur.

Hieronymus super Malachiam.

Si quando fames & penuria, & rerum omniũ egestas, opprimit mundum, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui in pauperibus, si non suscipiant eleemosynã, fraudari legitur, & sua possessione priuari.

Hieron. in epist. ad Nepotianum.

Sunt qui pauperibus tribuunt parum, vt amplius accipiãt, & sub prętextu eleemosynę quęrunt diuitias, quæ magis venatio appellanda est, quàm eleemosyna: sic bestiæ, sic aues capiũtur, & pisces. Modica enim in hamo esca ponitur, vt pleni in eo sacculi protrahantur. Melius est autem non habere quod tribuam, quàm impudenter petere, quod reconciliando datur.

Ibidem.

Non memini me legisse mala morte mortuũ qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.

Hiero. super illud Ecclesiastici 12. Da misericordiam & suscipias peccatorem.

Qui indigenti eleemosynam tribuit, nec pro delicto spernit, misericordiam verè facit: natura enim respicienda est, non persona: qui enim dat indigenti peccatori, non quia peccator est, sed quia homo est, non peccatorem: sed iustum nutrit.

Hieron. ad Demetriadem uirginem.

Mensulam tuam pauperes & peregrini nouerint, tu cum illis Christum conuiuam noueris.

Idem ad Nepotianum.

Legi, relegi, perlegi, Nunquã vidi hominem pium mala morte perire.

Hieronymus & habetur 12. q. 3. Gloria Episcopi. §. Amico rapere.

Amico rapere quippiam, furtum est. Ecclesiã fraudare sacrilegium est: accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis illud reseruare, vel cautum, vel timidum est, aut, quod apertissimi sceleris, exinde aliquid subtrahere omnium prædonum crudelitatem superat.

Ambro. de Officijs, & habetur dist. 86. Pasce.

Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, fame occidisti.

Ambrosius libro de Officijs.

Beatus plane, de cuius domo nunquã vacuo sinu pauper exiuit. Neq; enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi, atq; inopis ærumnam.

Ambrosius super Lucam, & habetur dist. 86. In singulis. § Non publicanus.

Non publicanus, non miles excipitur, non agricola, vel miles vrbanus, diues, & pauper, omnes in communi admonentur, vt conferant nõ habenti. Misericordia enim plenitudo virtutũ est, & ideo omnibus est forma præposita perfectę virtutis: ne vestimentis, alimentisq; suis parcant, misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate cõditionis humanę mensura seruetur: vt non sibi vnusquisq; totum eripiat, sed quod habet, cum paupere partiatur.

Gregorius Moralium libro 12.

Eleemosyna superbi diuitis eum redimere non valet, quã perpetrata simul rapina pauperis ante Dei oculos ascendere non permittit.

Ibidem libro 19.

Qui indigenti proximo exteriorem substãtiam præbet, sed vitam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est obtulit authori, & hoc quod maius est, seruauit iniquitati.

Gregorius Syagrio episcopo, & habetur 1. q. 1. cap. Non est putanda.

Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur, quia qui hac intentione mala accipit, vt bene dispenset, grauatur etiam potius, quàm iuuetur.

Grego. in Registro.

Quicquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuũ, quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur.

Grego. in Postorali.

Tot pene quotidie diuites perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscõdunt: nam cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur.

Ioannes Chrys. super Math. serm. 9. & habetur de pœniten. dist. 1. cap. Medicamentum.

Medicamentum fortius quod maximè operatur in pœnitentia, hoc est, sicut in præceptis medicinę medicamentum quidem herbas multas accipit, vnam autem dominatissimam: sic & in pænitentia dominatior, ista herba, & potentior est & vniuersum ipsa efficit. Audi enim quid dicit scriptura diuina: Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis.

Ioan. Chrys. super Mat. sermone 9.

Eleemosyna amica Dei consistit, & semper ei propinqua est. Pro quibuscunq; voluerit facilè munus gratiæ impetrat, vincula peccatorũ ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem, huic cum multa fiducia portæ cęli aperiuntur.

Leo Papa super Illud. Date inquit, & dabitur uobis.

Da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas, quãuis non habeas, nisi quod acceperis

ceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Infidelis autē & iniquus est etiam si quid quod æstimat diligēdum, non vult habere perpetuum.

Petrus Rauennas in quodam sermone.

Manus pauperis est gazophylacium Christi: & quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi vt detur tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.

Plato in Timæo.

Bonos viros decet esse communes.

Martialis libro 5.

Callidus effracta numos fur auferet arca,
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor usuram pariter, sortemq; negabit,
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica,
Mercibus extructas obruit unda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis
Quas dederis solas semper habebis opes.

De hac materia habes suprà in Amor proximi, & Charitas.

Elenchus Græca dictio est ἔλεγχος ου ὁ, & ἐλέγχω arguo dicitur. Est autem elenchus syllogismus ad cōtradicendum, id est, ad redarguendum falsam propositionem secundum B. Tho. super lib. 4. Metaphysicæ lect. 6. fi.

Eligibilis Græcè αἱρετός οῦ ὁ, & αἱρέομαι eligo dicitur. Est autem eligibile quod in deliberando cæteris prætulimus, secundum Aristotelem libro 3. Ethicorum.

Eloquentia Græcè λογιότης ητος ἡ, λόγιος ου ὁ eloquens dicitur. A loquorq; descendunt. Est autem loqui uerba proferre, differtque à dicendo. Quoniam dicere est eleganter & facundè loqui. Quintilianus: Nā mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui dispositè, ornatè, copiosè dicit. Loquor autem à loquo descendit. is enim, qui loquitur, suo loco quodq; verbum sciens ponit. Nam qui primo incipit fari, & vocabula, & reliqua verba dicit, antequam suo loco ea ponere possit. Talemq; Chrysippus affirmat non loqui, sed vt loqui. Quapropter vt hominis imago non est homo: sic in coruis, cornicibus, pueris primitus fari incipientibus, verba non esse verba: & loqui non dicent. A loquor quod est dico (quod est proprium oratoris) fit eloquens qui dicendi ratione prouectus est. Et eloquentia dictio ex omni parte perfecta. Et eloquenter aduerbium, hoc est, facundè: Et eloquium quod modò sermonem, modò eloquentiam significat.

Iuuenalis.

Eloquium aut famam Demosthenis aut Ciceronis.

Claudianus.

Eloquio dulces quondam solatus amicos.

Hiero. epist. ad Paulinum presb. & est in prologo Bibliæ.

Ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de vltimis Hispaniæ, Galliarumq; finibus quosdā venisse nobiles legimus. Et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit.

Gregorius lib. 6. Moral.

Ille beneloquendi facundiam percipit, qui sinum cordis per recta viuendi studia extendit nec loquentem conscientiam prępedit, cùm vita linguam antecedit.

Isidorus libro de summo bono.

Sæpe reperitur simplicitas veridica, & falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit.

Isidorus libro 3. de sum. bono.

Antiqui forensem eloquentiam caninam linguam nucupabant, eò, quòd causidici in certaminibus causarum, omissis quę agunt, veluti alterutrum sese lacerant, iurgiaq; causarum ad iniurias suas comminutant.

Cassiodorus super Psal. 71.

Eloquēs est ille, qui scit parua submissè, media temperatè, magna granditer dicere: qui scit inuenire præclarè, enuntiare magnificè, disponere apertè, & fucare varijs.

Lactan. Firm. lib. 6. diuin. institutionum.

Nam carmen compositum & oratio cum suauitate decipiens capit mentes, & quò voluerit, impellit. Inde homines literati, cùm ad religionem Dei accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati, minus credunt. Assueti enim dulcibus & politis, siuè orationibus, siue carminibus diuinarum literarum simplicem, cōmunemq; sermonē pro sordido aspernātur. Id enim quærunt quod sensum demulceat. Persuadet autem quicquid suaue est, & animo penitus dum delectat, insidet. Num igitur Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex disertè loqui non potest? imò verò summa prouidentia carere fuco voluit ea, quę diuina sunt: vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

Seneca epist. 40.

Nihil ordinatū est, quod præcipitatur & properat. Sic itaq; habe, vt istam vim dicendi rapidam aptiorem esse circulāti iudices, quàm agenti rem magnam ac seriam docentiq;. Atque stillare illam nolo quàm currere: nec extendat aures nec obruat. Nam illa quoq; inopia & exilitas, minus intentum auditorem habet tędio interruptæ tarditatis. Facilius tamē insidit, quod expectatur, quàm quod præteruolat. Denique tradere discipulis homines præcepta dicuntur: non traditur quod fugit. Remedia nō prosunt, nisi immorentur.

Ibidem.

Quis medicus ægrotos in trāsitu curat? Quid

quódue nullam quidem voluptatem habet, talis verborum sine delectu ruentium strepitus? Quemadmodum per procliue currentium: non vbi visum est gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit, ac longius, quàm voluit, effertur: Sic ista dicendi celeritas, nec in sua potestate est, nec satis decora philosophię: quę ponere debet verba non proijcere, & pedetentim procedere. Quid ergo? non aliquando & insurget? Quidni? sed salua dignitate morũ, quam violenta ista & nimia vis exuit. Habeat vires magnas, moderatas tamen, perennis sit vnda, non torrẽs. Circunspiciat se sermo noster & æstimet, & prębeat æstimandum: proferatur tamẽ malo, quàm profluat.

Seneca Declamationum libro 10. in procœmio.

Magna debet esse eloquentia, quæ in initijs placeat.

Seneca de Consolatione ad Paulinum.

Potest quidem eloquentia quæ paua sunt approbare pro magnis. Rursum magna attenuare & ad minima deducere.

Aristoteles libro 1. Rhetoricon.

Rhetorica docet vera & iusta persuadere, & contraria horum fugere.

Plato libro de Repub.

Ornamentum maximum Reipub. eloquentia philosophorum.

Cicero in prologo Rhetoricorum ueterum.

Me quidem diu cogitãtem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, vt existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus: eloquentiam verò sine sapientia, nimiũ obesse plerunque, prodesse nunquam. Quare, si quis omissis rectissimis atq; honestissimis studijs rationis & officij, cõsumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus ciuis patriæ alitur. Qui verò ita se armat eloquẽtia, vt non oppugnare commoda patriæ, verùm propugnare possit, is mihi vir, & suis, & publicis rationibus vtilissimus, atque amicissimus ciuis fore videtur. Ac si volumus huius rei quæ vocatur eloquentia, siue artis, siue studij, siue exercitationis cuiusdam, siue facultatis à natura profectæ considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum, atq; optimis rationibus perfectum.

Cicero in procœmio Rhetoricorum nouorum.

Non enim parum fructus habet copia dicendi & commoditas orationis, si recta intelligentia & diffinita animi moderatione gubernetur.

Cicero libro 2. de natura Deorum.

Iam verò domina rerum, vt vos soletis dicere, eloquendi vis, quàm est præclara, quamq; diuina? quæ primùm efficit, vt ea quæ ignoramus, discere: & ea quę scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates, iracundiasq; restringimus: hæc nos iuris, legum, vrbium societate deuinxit: hęc à vita immani & fera segregauit.

Cicero libro 2. de finibus bonorum & malorum.

Omnem vim loquendi Aristoteles in duas tributam esse partes dicebat. Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici aũt compressius.

Cicero in oratione pro Archia.

Hęc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis solatiũ & refugium pręstant, domi delectant, foris non impediunt, pernoctant nobiscum, peregrinantur & rusticantur.

Aulus Gellius libro 18. dicebat Publius.

Comes facundus in via est pro vehiculo.

Valerius Maximus libro 8.

Potentiam eloquentiæ plurimùm valere animaduertimus.

Ouidius Metamorphoseõn libro 13.

—Et quid facundia posset,
Tunc patuit, fortisq; uiri tulit arma disertus.

Ouidius de Ponto libro 3. elegia 4.

Non opus est magnis placido lectore poëtis,
Quemlibet inuitum difficilemq; tenent.

Ouidius Tristium libro 3. elegia ultima.

Vtq; uiret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternum sic habet illa decus.

Iuuenalis satyra 10.

—Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia & torrens dicendi copia, multis
Et sua mortifera est facundia. *Ibidem.*
Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare: & totis quinquatribus optat.
Quisquis adhuc uno partam colit asse Mineruam
Quem sequitur custos angustæ uernula capsæ
Eloquio, sed uterq; perit orator: utrunq;
Largus, & exundans læto dedit ingenij fons.
Ingenio manus est, & ceruix cæsa, nec unquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.

De hac materia habes suprà vbi concio.

ELoquentia est copiosè loquẽs sapientia: Est Asia ministra comesq; sapientiæ, vber, lata, & ad motus animorum, vulgiq; sensus accommodata. Græcis λογιότης dicta. *Cicero in Par. Orat.*

LAVS ELOQVENTIAE.

Idem libro 1. de Oratore.

Neq; verò quicquam præstabilius est, quàm posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, volũtates impellere quò velit, vnde autem velit, deducere: Hæc vna res in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillisq; ciuitatib. præcipuè semper floruit, semperq; dominata est: Quid enim est aut tã admirabile, quàm ex infinita multitudine hominũ existere vnũ, qui

qui id quod omnibus naturâ sit datum, vel solus cum paucis facere possit? Aut tam iucundũ cognitu, atq; auditu, quàm sapiẽtissimis sententijs, grauibusq; verbis, ornata oratio & perpolita? Aut tam potens, tamq; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, senatus grauitatẽ, vnius oratione conuerti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus? Age verò ne semper forum, subsellia, rostra, curiamq; mediteris, quid esse potest in ocio aut iucundius aut magis proprium humanitati, quàm sermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim vno præstamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicẽdo sensa possumus: Quamobrẽ quis hoc iure miretur, summeq; in eo elaborandũ esse arbitretur, vt quo vno homines bestijs maximè præstent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Vt verò iam ad illa summa veniamus, quæ vis alia potuit, aut dispersos homines vnum in locum congregare, aut à fera agrestiq; vita ad hunc humanum cultum, ciuilemq; deducere, aut iam cõstitutis ciuitatibus, leges, iudicia, iura describere? Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia, consecter, cõprehendam breui: Sic enim statuo perfecti oratoris moderatione & sapientia, non solùm ipsius dignitatem, sed & priuatorũ plurimorum, & vniuersæ reipub. salutem maximæ contineri. Quamobrem pergite, vt facitis adolescentes, atq; in id studium, in quo estis incumbite, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & reipub. emolumento esse possitis.

Cicero in Salustium.

An ego falsò scripsi: cedant arma togæ, concedat laurea linguæ, qui togatus armatos & pace bellum oppressi, audes eloquentiam vt vitium mihi obijcere? cuius semper nocens eguisti patrocinio. An vllũ existimas posse fieri ciuẽ egregiũ, qui non his artib. & disciplinis sit eruditus? An vlla alia putas esse rudimẽta, & incunabula virtutis, quib. animi ad gloriæ cupiditatẽ alunt.

Cicero libro 1. de arte Rhetorica.

Eloquẽtia est animi ratio. Eloquentia multæ vrbes sunt constitutæ, plurima bella restincta, fortissimæ societates, sanctissimæ amicitiæ comparatæ.

Facultas dicendi partim natura profecta, partim studio comparata.

Eloquẽtia artis, studij, exercitationis, à natura profecta & industria.

Facultas Eloquentia pars est quædam ciuilis rationis. Officium eius est dicere apposité ad persuasionem.

Finis persuadere dicẽdo; in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, consideratur. Vt medici officium dicimus esse curare appositè ad sanandum: finem curatione sanare.

Materia artis dicitur, in qua omnis ars atq; facultas ea quæ conficitur ex arte, versetur: vt si medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera: quòd in ijs omnis medicina versatur. Aristoteles tribus in generibus rerum, versari Rhetoris officium putauit, demonstratiuo, deliberatiuo, iudiciali.

ELOQVENTIAE *dignitas & utilitas.*

De Oratore 2.

Oratore profectò nihil præclarius: Nam vt vsum dicendi omittã, qui in omni pacata & libera ciuitate dominatur, tãta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, vt nihil hominũ aut auribus, aut mentib. iucũdius percipi possit: Quis enim cantus moderatæ orationis pronũtiatione dulcior inueniri potest? Quod carmen artificiosa verborũ cõclusione aptius? Qui actor in imitanda, quàm orari in suscipiẽda veritate iucũdior? Quid aũt subtilius, quã acutæ crebræq; sententiæ? Quid admirabilius, quàm res splendore illustrata verborũ? Quid plenius, quã omni genere cumulata oratio? Neq; enim vlla nõ propria oratoris est res, quæ quidẽ ornatè dici, grauiterq; debeat: Huius est in dãdo cõsilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: eiusdẽ & lãguentis populi incitatio, & effrenati moderatio. Eadẽ facultate & fraus hominũ ad pernitiẽ, & integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutẽ ardentius? quis à vitijs acrius reuocare? quis vituperare improbos asperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatẽ vehementius frangere accusando potest? quis mœrorem leuare mitius consolando?

De claris Oratoribus,

Nec enim in constituentib. Rempub. nec bella gerentibus, nec impeditis, ac regum dominatione deuinctis, nasci cupiditas dicendo solet. Pacis est comes, ocijq; socia, & iam bene cõstitutæ ciuitatis quasi alũna quedã, eloquentia: ita ait Aristoteles, quũ sublatis in Sicilia tyrannis res priuatæ longo interuallo iudicijs repeterentur, tum primũ, quòd esset acuta illa gens & controuersa natura, artem & præcepta Siculos Caracem & Thiseam conscripsisse.

Cicero lib. 4. de finibus bonorum & malorum.

Eloquẽtia principib. est maximo ornamẽto.

Idem 1. Officiorum libro.

Eloquentia ad communitatis commoda vtilior, quàm contemplatio.

Idem libro 2. de Officijs.

Atq; hoc præceptum officij diligenter tenendum est, ne quem vnquã innocentem iudicio capitis arcessas; id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nã quid est tã inhumanũ, quã eloquẽtiã à natura ad salutẽ hominũ & cõseruationem

nem datam, ad bonorum pestem, pernitiemque conuertere? Nec tamen vt hoc fugiendum, ita est habendum religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium, impiumque defendere: vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est semper in causis verum sequi: Patroni nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere.

Eloquentiæ patrocinium aduersus obtrectatores: Cicero de perfecto Oratore.

Quis vnquam dubitauit, quin in Repub. nostra primas eloquentia tenuerit semper, vrbanis pacatisq; rebus? secundas, Iuris scientia? quum in altera gratiæ, glorię, præsidij plurimum esset: in altera persecutionum, cautionumq; præceptio: quæ quidem ipsa auxilium ab eloquentia sæpe peteret, ea verò repugnante, vix suas regiones fi nesq; defenderet. Cur igitur Ius ciuile docere semper pulchrum fuit, hominumq; clarissimorum discipulis domus floruerunt, ad dicendum si quis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, vitu peretur? Nam si vitiosum est dicere ornatè: pellatur omninò è ciuitate eloquẽtia: sin ea non modò eos ornat, penes quos est, sed etiam vniuersam Rempub. cur aut discere turpe est, quod scire honestum est: aut quod nosse pulcherrimu est, id non gloriosum docere?

Nomina clarorum Oratorum.

Actius Pisauriensis.
Acatitis è Cęsarea Palæstinæ, sodalis Libanij Sophistæ.
M. Aemilius Lepidus.
Aeschines Atheniensis.
Sp. & L. Albini Mumij filij.
C. Albutius Silus Nouanensis.
Alexander Ephesius.
Anaximenes Lampsacenus discipulus Diogenis Cynici, Pręceptor Alexandri Magni, & in expeditionibus comes.
Andocides Atheniensis Leogori filius.
Antiphus Rhamnusius, qui Athenis præcepta tradidit.
M. Antonius auus Triumuiri.
Aristides Atheniensis.
Aristogiton Atheniensis impudens, qui scripsit Apologiam ad Demosthenem Ducem, contra Timotheum: Ad Lycurgum contra Timarchum, & contra Hiperidem.
Asinius Pollio Augusti amicus nasuto iudicio.
Licinius Caluus.
Carbones duo.
Charisius Atheniensis, filius sororis Demosthenis.
Cassius Seuerus eloquentissimus in agendo.
Q. Luctatius Catulus, Marij collega in consulatu.
M. Cœlius Ciceronis discipulus, acri turbulentoq; ingenio.
Cephalus Atheniensis, is primùm procemia & epilogos inuenit.
C. Cæsar. M. Corn. Cethegus & Pub.
Cyneas legatus Pyrrhi.
Cleon Halicarnasæus.
Cleomachus Magnesius.
Clodius Pulcher.
Clodius Quirinalis.
Cordus Cremutius declamator.
C. Cotta, sincerus, siccus, sanus.
L. Crassus festiuus.
Curiones tres continua serie, in vna familia.
Demades Atheniensis.
Demetrius Valerius, auditor Theophrasti.
Demochares, nepos Demosthenis.
Dexippus Herennius.
Domitius Apher.
Demostenes Atheniensis.
Egesias Magnesius.
Epicrathes Atheniensis.
Eudemus præceptor Philopomenis.
Hermogaras Rhetor.
Herodes Atticus.
Sergius Galba suorum temporum eloquentissimus.
L. Gellius.
C. & Tyb. Gracchi.
Gregorius Nissenus.
Hyperides Atheniensis æmulus Demosthenis.
Isocrates Atheniensis dulcis & numerosus in dicendo.
Iseus Assyrius.
Isocrates Amyclas.
Iulius Africanus cốcitatus & in cura verborum nimius.
L. Portius de quo Seneca.
Gneus & Publius Lentuli.
C. Lælius.
Lysias Syracusanus æqualis Demostheni.
L. Magius Titi Liuij gener.
L. Magius Torquatus.
Marcellus Pergamęus, de regno scripsit & Adriano Cæsari nuncupauit.
Marius Atruus Declamator.
Maritius Neapolitanus Procli discipulus.
Melitus æmulus Periclis in Repub.
Menippus Stratonicensis præceptor Ciceronis.
Metellus Macedonicus.
Messalæ duo.
Montanus Narbonensis.
Quintus Mutius Scæuola Iurisconsultorum eloquentissimus.
Nicostratus Macedo æqualis Aristidis.
Numius qui scripsit consolatoriam orationem ad Adrianum de Antonio.
Onesimus Cyprius.
Q. Hortensius.
Pericles Atheniensis Olympus dictus ob vocem tonantem.

M.Calphurnius.Pysistratus Atheniensis.
Pytheas,Plato,L.Numatius Plautus.
Plocius Gallus.
Polyenus Sardianus.
Gn.Pomponius.
Potamon Nytilenæus.
Procopius.Pherecides.
Syrus.Philostratus senior.
Philistus Milesius.
L.Philippus Quintilianus Rhetor.
Virginius Ruffus.
Ruttilius Gemminus.
Clodius Sabinus Declamator.
Serapion Alexandrinus.
L.Sisenna Romanus.
Symachus Romanus.
Sophron Syracusanus.
P.Seruius Sulpitius. C.Cotta.
Theodestes Cilix. Cornelius Tacitus.
Theopompus Verdius.
Theodorus Gadoræus.
Sextus Titius Titianus præceptor Maximi Principis dictus simia,ab imitatione.
Trachalus.Tullius Cicero pater eloquentiæ.
Quintus Varius.
Varius Germanus declamator,qui Cæsari dixisse fertur: Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent,humanitatem.
Lenodotus Adramyrenus.
Thrasymachus.
Valerius Licinianus.
Secundus Carinus. Gorgias.
Acherius. Vide aliorum nomina apud Ciceronem de perfecto oratore.

Horatius libro 1.Odarum.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti,cantus & decoræ
More palæstræ.

Cicero.

Eloquētiæ effectus est auditorū approbatio.

Adagia ad eloquentiam pertinentia.

Attica Musa.
Lepos Atticus.
Cygnea cantio.
Nihil ex agro dicis.
Nunc ipsa viuit sapientia.
Nunc ipsa floret.
Tunc canent cygni.
Nestorea eloquentia.Musarum aues.

Τοῖσι δὲ Νέστωρ
ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής·
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Vincentius. *Post hæc exilijt Nestor Neleius Heros*
Gentis dux Pyliæ,facundo præditus ore,
Dulcior à cuius lingua uox melle fluebat.

Erasmus.

Post hos assurgit Pylius dux ille disertus
Nestor,cuius ab ore fluit uox melle liquenti dulcior.

Eloquentia cur petenda.

Neq; enim nobis operis amor est, nec quia sit honesta,atq; rerum pulcherrima eloquentia,petitur ipsa,sed ad vilē vsum,& sordidum lucrum accingitur.Qui imaginem ipsam eloquentiæ diuina quadam mente conceperit,quiq; illam (vt ait Sophocles non ignobilis Tragicus)reginam rerum orationē ante oculos posuerit,fructum non ex stirpe aduocationum,sed ex animo suo,& cōtemplatione,ac scientia petet,perpetuum illum,nec fortunæ subiectum facilè persuadebit sibi,vt ipsa quæ spectaculis, campo, tesseris, otiosis deniq; sermonibus, ne dicam somno & conuiuiorum mora conterunt,Geometræ potius,ac Musico impendat, quantò plus delectationis habiturus, quàm ex illis ineruditis voluptatibus?Dedit enim hoc prouidentia hominibus munus,vt honesta magis iuuarent. Fabi.li. 1. ca. vlt.

Laus eloquentiæ.

Ipsa vitæ præcepta, etiamsi sint naturâ honesta,plus tamen ad formandas mētes valent,quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Fabi.li. 2.cap.17.

Rhetorica,bene dicendi scientia.

Orator uir bonus,dicendi peritus.

Deus ille Princeps, parens rerū, fabricatorq; mūdi nullo magis hominem separauit à cęteris quæ quidem mortalia essent,animalibus,quàm dicendi facultate:Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate,patientia, velocitate, præstantiora in illis mutis videmus:Eadem minus egere acquisitæ extrinsecus opis:nam & ingredi citius,& pasci,& tranare aquas,citra docētem naturâ ipsa sciunt:& pleraq; cōtra frigus ex suo corpore vestiuntur:&arma ijs ingenita quędā,& ex obuio ferè victus,circa quæ omnia multus hominibus labor est.Rationem igitur nobis pręcipuam dedit,eiusq;nos socios esse cum dijs immortalib. voluit.Sed ipsa ratio,neq; tā nos iuuaret,neq; tā esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mente,promere etiam loquēdo possemus.Quod magis deesse cęteris animalib. quàm intellectum &cogitationem quandam videmus:Nam & moliri cubilia,& nidos texere,& educare fœtus,& excludere,quin etiam reponere in hyemem alimēta,opera quædam nobis imitabilia, (qualia sunt cærarum & mellis) efficere,non vllius fortassis rationis est.Sed quia carent sermone,qua id faciunt,muta & irrationabilia vocantur. Deniq; homines quibus negata vox est,quātulum adiuuat animus ille cælestis. Quare si nihil à dijs oratione melius accipimus, quid tam dignū cultu,atq; labore ducamus,aut in quo malimus pręstare hominibus,quàm quo ipsi homines cęteris animalib.pręstēt.Eò quidē magis, Animalia ἄλογα. Nihil melius oratione.

magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam refert, id adeò manifestum erit, si cogitauerimus, & vnde, & quousque iam profecta sit orandi facultas, & adhuc augeri potest: Nam vt omittam defendere amicos, regere consilijs senatum, populum, exercitum, in quæ vult, ducere, quàm sit vtile, conueniatq; bono viro: nónne pulchrum, vel hoc ipsum est, ex communi intellectu verbisque, quibus vtantur omnes, tantum assequi laudis & gloriæ, vt non loqui & orare, sed, quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris?

Euripides in Hecuba.

Et studijs ferme decertatum est equis, donec vanus & suauiloquens suasor Achiuum populo non ingratus Vlysses omnem dictis flexit cœtú.

Vlysses flexanimus.

πρόσθεν θήσειν ποτὲ λόγχης σπουδαὶ δὲ λόγων κατατεινόμενον ἦσεν ἰσαί πως, πρὶν ὁ ποικιλόφρων κόπις, ἡδυλόγος δημοχαριστὴς λαερτιάδης πείθει στρατιάν.

Idem.

Τί δῆτα θνητοὶ τ᾽ ἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν ὡς χρὴ πάντα, καὶ μαστεύομεν:
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην
οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν
μισθοὺς διδόντες μανθάνειν, ἵν᾽ ᾖ ποτε,
Πείθειν ἅ τις βούλοιτο τυγχάνειν θ᾽ ἅμα.

Erasmus uertit.

Quod disciplinis dignum ut est in cæteris
Sudamus, atq; singulas inquirimus?
Ac non magis suadela, quæ mortalibus
Regina sola est, examussim exquiritur,
Datoq; precium discitur, quo quæ uelit
Ea quisq; persuadere possit & assequi.

Homer. Σοὶ δ᾽ ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων ἔνι δ᾽ φρένες ἐσθλαί
Mente uales, iuncta est facundis gratia dictis.

Laus eloquentiæ ex Isocrate.

Per alia quæ nobis data sunt, nihil à cæteris brutis pecoribus distamus: Imò celeritate, robore, & si quæ sint aliæ corporis feliciores dotes, inferiores illis sumus: at verò vbi orationis facta nobis potestas est, qua alius alium persuadere possemus, interq; nos vicissim certò iudicare, datum esset, quæ vellemus, ne à brutorum dum viuendi ratione destitimus, & vnà congregati ordineq; collecti vrbes incoluimus, leges tulimus, artes reperimus, fereq; omnium, quæ humano artificio constant, nobis fons atq; origo extitit: Siquidem is & de iustis & iniustis, turpibus & honestis sanciuit leges, quę nisi sancitę, erectęq; fuissent, fieri non poterat, vt familiari conuersatione inter nos duceremus vitam: Hoc sermone, inquam, tum malos reprehendimus, tum bonos prædicamus: hoc insipientes instituimus, prudentes exploramus: Honesta enim oratione longè maximum prudentiæ argumentum edimus: quandoquidem & sermo verus, & legitimus, & iustus, candidi fidiq; animi simulachrum sit. Huius ope de ambiguis cõtendimus, deq; incogni tis contemplamur. Nam quibus alijs dicentibus persuademus rationibus, ijsdem & de alijs consultantes vtimur, ac eos, qui in publico vulgi conuentu dicere possunt, Rhetoricos appellamus. Consilio verò illos pollere putamus, qui optimè apud sese de reb⁹ ipsi disceptauerint. Sin me summatim de hac virtute dicere oporteat, nihil rerum prudenter gestarum, citra hunc factum reperiemus: sed cùm operum, tum cogitationum omnium ducem sermonem existere, eoq; potissimum vti, quibus plurimum sit mentis: itaq; qui instituentes philosophantesq; contumelia afficere, & in eos conuitia iactare audent, æquè dignos odio, atq; sacrilegos, templorumq; & Deorum prophanatores arbitror. At ego quoscúq; sermones, qui modò iuuare quicquam possunt, amplector, ac pulcherrimos, regique conuenientissimos, & me decentes maximè, qui de studijs Reipub. administratione monent.

Collatio eloquentiæ cum cæteris artibus, ex oratione septima aduersus Sophistas.

Ex octaua oratione Isocratis, cui nomen est: Panegyrica.

Ea eloquentiæ est vis atque natura, vt ij. de iam de rebus multipliciter disserere queat, & magna humilia facere, modicis magnitudinem audere, prisca nouè recensere, de nuper natis antiquè dicere.

Ex eadem oratione.

Artificiosam venustamq; dicendi rationem, non praui quidem, cæterum animi prudentis clari opus esse: ac illos, qui sapientes & ignari habentur, hac plurimũ inter se nactos discriminis.

Labiorum & linguæ munus duplex.

Quid verò labia, nónne & ipsa in homine præsignem à cæteris rationem habét? In brutis quidem dentium modò hæc tegumenta sunt, & velut procęstria quædam: At nobis in loquendi facultate mirabile suggerunt adiuuamentum: inde q; mollia, carnosaque à rerum natura effecta sunt. Vt enim humana lingua duplici fungitur munere, conceptus animi nunntiado, & saporũ vim pręsentiendo, proptereaq; à cęteris dispar a tur, nec similis est: ita nec in labijs simplex functio est, sed dentes quidem cum decore contegunt plurimo, tum locutionem præstant articulatam, eaque namq; conflatur ex literis, quarum enunciatio plurimùm obturbata, detruncata, nec intelligibilis præstaretur, ni ad hanc rationem labra linguamq; conformasset artificis infinita prouidentia In labio superiori, quæ inest cauitas, dicitur φίλτρον: Eadem in inferiori, τύπος vocatur vel nympha, labiorum prominés pars, πρόχειλον: Eorundem mutuus congressus προσόμιον vel προσομία: Desinentia verò maxillas respectans τοῦ χαλινοῦ sortitur nomen. Sunt porrò labia, vt scienter collegit Auicenna, hostij vice ori

oriadiuncta: quod brutis comparatum creditur, ad explendā victus necessitaté, in homine promptuariū est rectæ rationis, vt quæ prudentia corde cóceperit, ea sensa promat oratio. Vnde eleganter Apuleius os esse dicit, animi vestibulum, orationis ianuam, cogitationum verò comitium.

Linguæ & orationis laus præcipua.

Cæterum leuia possunt ista censeri, si considerat quis humanæ linguæ incomparabile donū, in quo bonitas infinita inęstimabili munificentia nos vt legitimos liberos est amplexata. Quid enim in tot tantisq; corporis dotibus æqua pēsandū libra est? Huius siquidem facultate post mentem, quæ nos ex æquo ferè cum cœlitibus constituit, constat, præcipuè illa, vt dictū à Sophocle est,

Cœlius li.1.ca.31. & 32.

Regina rerum eloquentia.

Linguę donum incōparabile.

Sed illud quantam demum in humanis rebus habet excellentiam? vsu linguæ posse hominē, quæ minus intelligentia consequatur, ab altero tota facilitate percipere, queq; noris ipse magna tua gloria alijs impartiri? Eximiū est quod inde profluit, emolumentū, parturiéte semper animo, quę vel obseruaris intentissimè, vel summo excogitaris ingenio. Nescire malumus magna pars, quā id tantis laborib. & curis profecisse, vt abdita, illatebrataq; velut in sanctuarijs, aut sepulchro verius, tum pretiosa supellectilis munera supprimamus. Quid illa in calamitatibus, tanquā oneris pręmolesti alleuatio, cum amicis cōmunicatio? Quid secundis rebus incredibilius & gestiens ille ardor animi eisdē imper tiendi boni? Deniq; vt rei pretiū intelligamus, quænā & quanta cōmolita natura est, vt decenter orationis euaderemus cōpotes? Omniū primum artifex illa in pulmonibus spirandi officina nobilitatis huius præstat exordia, mox illa spiritalis fistula, quam etiam arteriam dicimus, ad os broducta, intimū velut canali à mēte perfectā vocem ita subuehit, ac excipientis linguæ ita attudit, vt artifici motu, nunc illa in palatū surrecta, nunc allisa dentibus, alioquin barbaricum, insuauemq; sonum sic moderatur, efsingitq;, vt auribus contingat iucūdissimus, & vehemētia quandoq; detonās altius, imo verò clarius fulgurans, tam potēter mouet, docet arguté, & ad delitias vsque ita delectat, adficitque, vt quod de Olympio dictū Pericle est, non Græciam modò, vt illi, sed, vniuersa ferè valeat permiscere. Quid vbi in modulatum cælestemq; exit cantū, nunc spiritu productioré, nunc inflexo variū, nunc distinctum conciso, copulatā intorto, & quod nequeas admiratione cōsequi, est vbi promittit, reuocat, infuscat, plenius edit aliquid, grauius, acutius, vibratius, summū, medium, imum. Propterea ingeniosè ac plausibiliter mihi fecisse vidētur, qui linguam plectri similem prodidēre, chordarū verò dentes, nares cornibus, queis canenti accinitur.

Nam & in hexametro Ambrosius ait, plectrū loquentis lingua est: Hæc verò omnia diuinæ maiestatis recinūt amplitudinem, & sapientiā, tuba clarius insonant, ac ingerunt ingratis & periniquis tantorū munerū ęstimatoribus, hęc vt posset munificētius lingua præstare, eius carnē struxit opifex Deus rarā, fungosam & mollē.

Ad vsum orationis, incredibile est, vbi attenderis, quanta opera machinata natura sit: Primū enim à pulmonibus arteria vsq; ad intimū pertinet, per quam vox principiū à mente ducens, percipitur & funditur. Deinde in ore sita est lingua finita dentibus & ea voce immoderatè profusam fingit & terminat, quæ sonos voce distinctos & pressos efficit, quum & ad dentes, & alias partes pellit oris. Itaq; plectri similem linguā, nostri solent dicere, chordarū dētes, nares cornibus his, quæ ad neruos resonant in cantibus.

Cicero li.2.de natura Deorū.

Oris quoq; species, & rictus ex transuerso patefactus quàm vtilis, quàm decens sit, enarrari non potest, cuius vsus in duobus cōstat officijs sumendi victus, & eloquendi: lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verbis discernit, & est interpres animi, nec tamē sola potest per se eloquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi adiuta vel offensione dentium, vel compressione labiorum: dentes tamen plus conferunt ad loquendum.

Plato in Phædro.

Lysiā, Gorgiāq; valere sinemus, qui verisimilia veris anteposuerut, ac vi orationis efficiunt, vt parua esse magna, & magna vicissim parua, vetera itē noua, & nouissima vetera videantur.

Eloquentes maximā in hominū cœtibus potentiam habent. Natura in perfecto oratore desideratur, doctrina & exercitatio: Si quid horū defuerit, mancus erit orator.

Lactant. de opificio Dei cap.8.

Plato in Phædro.

Pericles oratorum omnium perfectissimus, auditor Anaxagorę.

Cælius libro 3.cap.1.

Responsum ab Amone scribit Plato, pluris se Lacedęmoniorū aptam facere orationem, quàm aliorum munera, vel opulentissima.

Idem libro 13, capite 5.

Nominum ratio naturalis, non arbitraria.

Mirum & diuinum opus linguæ, ac orationis humanæ.

Pyrrus dicere solebat, plures vrbes Cineā oratione subegisse, quā ipse cœpisset armis. Erat autem Cineas Thessalus vir magni ingenij, qui audito Demosthene, ad illius æmulationem se contulerat: sed vim præcipuè exprimens. Confirmatum est itaque quod dicit Euripides:

Vis eloquentię.

Πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος, ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν.

ἄν. Id eſt: Cunctaa ſermo conficit, quæcunq; ferrum efficere poſsit hoſtium.

Eloquētiæ certamen.

Thucydides ab Archidamo Lacedęmoniorū rege interrogatus, vter eſſet in palæſtra ſuperior, ipſe an Pericles: Poſteaquam, inquit, ego hominem pugnando deieci, ille ſe negat cecidiſſe, itaq; vincit, & ſpectatores à ſua ſententia deiecit: Sentiens ſe bonis rationibus eſſe ſuperiorem, ſed Periclem eloquētia vincere, & quocunq; vellet agere multitudinem. Nam Thucydides vir prępotens diu in adminiſtrāda rebublica aduerſatus eſt Pericli: eam contentionem Archydamus palæſtram appellauit.

Eloquentia victor, non cauſa.

Cicero Munatio reo patrocinatus fuerat, atq; ille abſolutus. Pòſt, quum Munatius Sabinum Ciceronis amicum reum perageret, iratus Cicero exprobrauit illi beneficiū: an tu, inquit, Munati illud iudicium tua opera effugiſti, an potius mea, qui multum caliginis tribunalibus offudi?

Eloquentia popularis.

Nonnullis Demoſtheni immodicū eloquentiæ ſtudium obijcientibus, ita reſpondit: Eloquentiæ ſtudium declarare hominem popularem: contrà, negligere ſtudium eloquentiæ, eſſe eorum, qui dominari populo quærerent, vt qui hoc agerent, non vt perſuaderent dicendo, ſed vt cogerent.

Eloquētia victrix.

Iphicrates in cauſa obrutus eloquentia, patroni qui Ariſtophontem defendebat: aduerſariorum, inquit, melior eſt hiſtrio, ſed mea fabula melior: Vt fabula nonnunquam exploditur vitio hiſtrionis, ita ſępe melior cauſa vincitur à peiore patroni infantia, ſtultitiáue.

Eloquentia magnum inſtrumentum gloriæ, ſed anceps, cuſpide gemina: & hoc quoq; qualiter vti ſcias refert plurimum.

Haud ineptè quidam ſtulti eloquentiam atq; improbi, furioſi gladio æquiparant: vtrumq; enim publicè expedit eſſe inermem.

Petrarcha de remedijs fortuitis. Dia. 9.

Verus Orator eloquentiæ magiſter, niſi vir bonus, eſſe non poteſt.

Si eloquentia innocenter, & abſque iactantia vtâre, vix vlla re citius multitudinis amorem tibi cōciliabis & gloriam quæres, ſi quo niſi merę virtutis artificio quęri poteſt: ſin arroganter atq; improbè, perfacilè diſcrimen tibi, & multorum odia conflaueris.

Eloquentia apta mitigandis efferatis immanium hominum moribus.

Nullum eſt tam aſperum ingenium, quod non morum verborumq́; dulcedine mitigetur. Sic Africanus meus ille ſuperior, Syphacem regem barbarum, atque (vt Liuij verbis vtar) Romanis moribus inſuetum, & quod mirabilius fuit, Haſdrubalem quoq; Carthaginenſem, nō barbarum modo, ſed etiam immitem Romani nominis inimicum, inter cœnandum ſuaui conuictu, & comi manſuefecit alloquio. Iulius Cæſar Amiclā algis & æquo reis ſpumi aſperū, nudumq́;, & inopē piſcatorē, tam leniter fando cœpit, & illius Cæſareæ facundiæ retibus circūuoluit, vt inaudito verborū ſono, & ignoti hoſpitis admiratione ſuſpenſus, confeſtim iubente illo fragilem atq; imparem pelagi minis cymbam de tuti littoris ſtatione diſſolueret, parendiq́; ſtudio, ſciens ac volens ad interitum properaret.

Ille Philoſophorum princeps Plato Dionyſium conciliare ſibi potuit Syracuſium Tyrannum: Archelaum verò Macedoniæ regem Euripides poëta: Nec aut illi Tyrannici ſpiritus rigor, aut huic immanitas obſtitit barbarica: vtramq; duriciem ingenio & eloquentia mollituerunt.

Orator Aphtonius ſæuos carnifices ad ſe occidendum miſſos, & iam ſtrictis mucronibus irruentes, blanda oratione compeſcuit, viciſſimque crudelitatem eloquentia, niſi vnus ex eo numero, qui eum loquentem non audierat, cæteris iam digreſsis, ſuperueniens, velut aſpis incantatoris voce non audita, virus in illum ſceleſti miniſterij effudiſſet. Sed quid hominum exempla conquirimus? vrſos videmus, pardos ac leones, atque alias truces & præualidas beluas blandicijs delenitas, parui domitoris imperiū patienter excipere, nexus inſuper & minas & verbera: volucres cœlo vagas contra primæuā naturæ ſuæ legem, humanam ſocietatem anteponere libertati, vitam in vitrulis agere operto capite, præceptoq́; etiam patriæ natalis aſpectu famem ſuam nutritoris arbitrio moderari, de illius manibus cibum ſumere, vocem iubentis agnoſcere, clamoribus obedire, ire ad emittentis arbitrium, & reuerti, opimasq́; prædas non ſibi, ſed domino reportare.

Fabula de Arione.

De piſcibus nihil tale quod meminerim legi, niſi quod Delphines, neſcio qua humano generi familiaritate coniunctos ferunt: vnde & Arionem quendā tergo huius piſcis inſidentem, per tumidos fluctus maris euaſiſſe, hiſtorica ſeu potius fabuloſa narratio eſt: vectorē ipſum fidibus canentem faciunt, quo nauigationi facilior fides ſit, mulcente aures muſica & naufragium ſubleuante. Viſum eſt enim fabulam non admitti, niſi color mendacio quęreretur: gubernaculum, malus, vela, remi deerant, pro ijs omnibus vnius muſicæ ſuauitas ſubrogata eſt.

Eloquentia cæteris rebus anteponenda.

Petrarcha libro 1. epiſtola 8. de rebus famil. ad Thomam Meſſanem.

Animi cura Philoſophum quęrit: eruditio linguę oratoris eſt propria: neutra nobis negligenda, ſi

da, si nos (vt aiunt) humo tollere, & per ora virûm nobis volitare propositum est. Exhortor igitur ac moneo, vt non vitam tãtum & mores (quod primùm virtutis est opus) sed sermonis etiam nostri consuetudinem corrigamus, quod artificiosæ nobis eloquẽtiæ cura prestabit: Nec enim paruus aut iudex animi sermo est, aut sermonis moderator est animus: Alter pendet ex altero: cæterùm ille latet in pectore, hic exit in publicum: ille comit egressurum, & qualem esse vult, fingit: Hic egrediens, qualis ille sit, nũciat: Illius paretur arbitrio, huius testimonio creditur. Vtriq; igitur consulendum est, vt & ille in hunc sobriè seuerus, & hic in illũ veraciter norit esse magnificus: quanquam vbi animo consultum fuerit, neglectus esse sermo non potest, sicut ex diuerso adesse sermoni dignitas non potest, nisi animo suo maiestas adfuerit.

De Orpheo, Virgilius libro Georgicorum 4.

At cantu commotæ, Erebi de sedibus imis
Vmbræ ibant tenues, simulachraq; luce carentum:
Quin ipsæ stupuêre domus, atq; intima lethi
Tartara, cæruleosq; implexæ cornibus angues
Eumenides: tenuitq; inhians tria Cerberus ora,
Atq; Ixionæi uento rota constitit orbis.

Ex Aeneide libro 1. De uiribus eloquentiæ.

Tum pietate grauem, ac meritis si fortè uirum quem
Conspexêre, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis omnes, & pectora mulcet.

Ouidius libro 10. fabula 1.

Talia dicentem, neruosq; ad uerba mouentem,
Exangues flebant animæ, nec Tantalus undam
Captauit refugam, stupuitq; Ixionis orbis:
Nec carpsêre iecur uolucres, urnisq; uacarunt
Belides, inq; tuo sedisti Sisyphe saxo.
Tum primum lachrymis uictarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas: nec regia coniunx
Sustinet oranti, nec qui regit ima negare, &c.

Sillius Italicus libro 11. belli Italici.

Argolicis quondam populis, mirabile dictu,
Exaudita chelis: lapidem testudine felix
Ducere, & in muros posuisse uolantia saxa.
Hæc Amphionio uallauit pectine Thebas,
Ac silice aggeribus per se candente uocatis
Iussit in immensum, cantatas surgere turres.

De Arione.

Altera turbatum plectro moderata profundum,
Et tenuit Phocas & in omni Prothea forma
Traxit: & æquoreo portauit Ariona dorso.

Propertius libro 3. elegia.

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cytheronis Thebes agitata per artem,
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

Orpheus eloquentia mores hominum agrestes formauit. Virgilius.

Threicius quondam uates
Fide creditur canora
Mouisse sensus trium fratrum,
Atq; omnes tenuisse uagos.
Et surda cantu concitasse saxa,
Suaui sono testudinis.
Arbores secutæ umbram ferunt præbuisse uati.
Sed placidis hominum dictis
Fera corda mitigauit,
Doctaq; uitam uoce temperauit,
Iustitiam docuit, cætu quoq; congregauit uno
Moresq; agrestes expoliuit Orpheus.

Horatius in arte Poëtica.

Syluestres homines sacer interpresq; Deorum
Cædibus, & uictu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosq; leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. Fuit hæc sapientia quondam
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida molliri, leges incidere ligno.
Sic honor & nomen diuinis uatibus, atq;
Carminibus euenit, post hos insignis Homerus, &c.

Horatius libro 3. Oda 11. ad Mercurium.

Mercuri, nam te docilis magistro
Mouit Amphion lapides canendo,
Tuq; testudo resonare septem
Callida neruis.
Nec loquax olim, neq; grata, nunc
Diuitum mensis, & amica templis
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.
Quæ uelut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitq; tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc proteruo
Cruda marito.
Tu potes tygres, comitesq; syluas
Ducere, & riuos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulæ.
Cerberus, quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atq;
Spiritus teter, saniesq; manet
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityosq; uultu
Risit inuitò, stetit urna paulùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Horatius libro 1. Ode 12.

Quem uirum aut heroa, lyra, uel acri
Tibia sumis celebrare Clio?
Quem Deum? cuius recinet iocosa
Nomen imago.
Aut in umbrosis Heliconis oris,

Aut super Pindo, gelido'ue in Hæmo,
Vnde uocalem temerè insecutæ
Orphea syluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresq; uentos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Seneca in Hercule furente.

Nihil nõ mitigatur eloquentia.

Immites potuit flectere cantibus
Vmbrarum dominos, & prece supplici
Orpheus Euridicen dum recipit suam,
Quæ syluas & aues, saxaq; traxerat
Ars quæ præbuerat fluminibus moras,
Ad cuius sonitum constiterunt feræ,
Mulcet non solitis uocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.

Herculis Celtici effigies. Ex Luciano in Paraclesi sua. Erasmus & Budæus in Annotationibus in Pandectas.

Herculem Galli lingua gentis vernacula ogy nium vocant. Porrò Deum ipsum noua quadam atq; inusitata figura depingunt: Senex apud illos est, ad extremum vsq; occipitium recaluus, reliquis capillis si qui sunt, canis: cute rugosa, & in aterrimum exusta colorem, cuiusmodi sunt nautę isti senes, Charontem potius, aut Iapetum quempiam ex ijs, qui apud inferos versantur, diceres: in summa quiduis potius quàm Herculem esse conijceres ex imagine: Atq; tali specie cùm sit, tamen Herculis ornatum gerit, vt qui tum leonis exuuium indutus sit, tum clauam dextra teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum lęua prætẽdat, deniq; modis omnibus Hercules est: Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum Deorum contumeliam perperam facere Gallos, cùm eum eiusmodi fingerent effigie, quo nimirum illum talibus picturis vlciscerentur: quod olim in regionem ipsorum incursasset, prædas agens id temporis, cùm Gereonis armenta vestigans occidentalium gentium plerasq; regiones peruastaret. At nondum etiam dixi id, qud erat in imagine maximè nouum atq; mirandum: siquidem Hercules ille senex, ingentem admodum hominum multitudinem trahit, omnibus ab aure reuinctis: Porrò vincula, cathenulæ tenues auro electroq; confectę, pulcherrimis istis monilibus assimiles, atq; cum vinculis vsq; adeò fragilibus ducantur, tamen neq; de fugiendo cogitant, cùm alioquin commodè possint, neque prorsus obnituntur, aut pedibus aduersus trahentem obtrudunt, sese resupinantes: verùm alacres, ac læti sequuntur ducentem, admirantes, vltrò festinantes omnes, & laxatis vinculis etiam anteuertere studentes, perinde quasi grauiter laturi, si soluerentur vinculis. Ne illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omnium absurdissimum: Etenim quum non inueniret pictor, vnde cathenularum summas ansas necteret, videlicet dextera iam clauam, lęua arcum tenente, summam Dei linguam perterebrauit, atq; ex hac religatis cathenulis eos trahi fecit: ipse nimirum ad eos, qui ducebãtur, vultum ac oculos conuertebat, arridens. Hæc ego quum diutius adsistens essem contemplatus admirans, hæsitans: indignans Gallus quispiam, qui propius adstabat, nostrarum literarum non indoctus, id quod declarauit, quum Græcanicam linguam absolutè sonaret: Philosophus opinor, ex eo genere Philosophorum, quod apud illos esse fertur: Ego tibi hospes, inquit, picturę illius ęnigma explicabo, nam videre vehemẽter ad eam attonitus, ac stupefactus: Orationem nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurij, quemadmodum vos Gręci: verùm Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longè robustior extiterit.

Celtici Herculis forma.

Quod senex fingitur, nihil mirere: siquidem vna facultas dicendi vel facundia consueuit in senecta demum absolutum vigorem ostendere: si modò verum nostri dicunt Poëtæ:
Obduci iuuenum densa caligine pectus:
Contrà, senectam posse quiddam dicere
Rudi iuuenta melius ac præclarius.

Senecta eloquentia.

Hinc videlicet apud vos & Nestoris lingua mellis profuit, & Troianorum concionatores liriessam educunt vocem, videlicet floridam: Nam liria, si satis commemini, flores appellantur.

Proinde quod ab auribus vinctos, ad linguã trahit senex hic Hercules, qui non aliud quàm ipse est sermo, ne id quidem debes admirari, qui quidem non ignoras linguæ cum auribus esse cognationem: Neq; verò ad contumeliam illius illud pertinet, quod ea pertusa est: nam memini, inquit, & iambicos quosdam versiculos è comœdijs apud vos discere.

Siquidem uiris loquacibus extrema lingua perforata est omnibus.

Quin de eodem hanc habemus opinionem, vt quicquid egit, id oratione facundiaq; confecisse putemus: vtpote virum sapientem persuadendo pleraq; sibi subegisse.

Iam tela illiûs nĩmirum rationes sunt acutæ, missiles citæ, atq; animum saucientes: vnde pennigera dicta vos quoq; appellatis.

Persuadere est bonum consilium dare, Græcis καταπείθειν, Inde Pitho dicta est Dea, dicendi præses, quam Ennius suadam, Quintilianus persuadendi Deam, suadelam Horatius, Cicero leporem vocat. Hæc & flexanima dicitur, quasi animum flectens, à Græcis ψυχαγογὸς quasi ductrix & oblectatrix animæ: huius Deæ sanctissimum olim nomen apud Gallos fuit:

Marcus

Marcus Cethegus dictus illis popularibus olim,
Qui tum uiuebant homines atq; æuum agitabant,
Flos delibutus populi.

Eloquẽtia lumẽ ingenij. Probè verò: vt enim hominis decus ingenium, sic ingenij ipsius lumen est eloquentia, quæ virum excellentem præclarè tamen illi homines florem populi dixerunt, Suadęq; medulla πειθῶ, quam vocant Græci, cuius effector est Orator. Hanc Suadā appellauit Ennius πειθῶ in labris Periclis Eupolis sessitasse scribit.

Bocatius libro 12. ca. 62. Cicero de claris Oratoribus.

Mercurius filius Iouis & Maię, Deus eloquentiæ, nuntius diuorum, tegitur galero, vt ostendatur, aduersus inuidiæ fulmina, solā eloquentiam plurimum valere: Item significatur gratia, quam quis sibi apud auditores eloquentia cumulat: item viuacitas: ea enim quæuis præclara facta ab interitu asserit, dicente poeta:

O sacer & magnus uatum labor, omnia fato
Eripit, & populis donas mortalibus æuum.

Ouidius.

Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira nec ignis,
Carmina perpetuò manent. *Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetustas.*

Alata fert alaria: sermo enim velox est, & ob id ab Homero alata exprimuntur in 1. Iliad. verba eodem momento ex ore loquentis egrediuntur, & auribus auscultantium excipiuntur.

Horatius libro 1. Odarum.

Virgam defert, quā fingunt Mercurium animas ab orco euocare, alias demittere, quod nihil aliud significat, quàmplurimos è mortis faucibus subtrahi, quos carnifex expectet, mox ad suppliciū rapturus, & si velit, in mortem impellat rursus. Ita Cicero cōmuni voce, ob necatum Clodium, Milonem eripuit eloquentię viribus: Ita & Popilium Lenatem, Cœlium & innumeros alios : is eadem fandi maiestate Lentulum Cethegum, Sextilium, atq; eius farinę homines potentissimos morti tradidit.

Est & eius virgę natura ventos excitare, & tranare nubila, quod indicat eloquentem solùm seditiones commouere, & eas cupiat sedari posse. Ita fecisse Curionem apud Arminium in Cęsarem legimus: Ita & Cicero turgidum Cæsaris in Deiotarum pectus pacauit.

Virga hęc somnos dat, ac adimit: Ita eloquentia inertes sopitosque ad exercendum se admonet, quum præmia opulentissima proponit, & decoris memores esse iubet, sopit nimium audaces, & temerarios, quum non orare sit, sed potius latrare. Serpens est implicitus virgæ, quod prudentia maximè oratorem deceat.

QVANTA SIT VIS ATQVE *potentia eloquentiæ.*

Valerius libro 8. capite 9.

Potentiam eloquentiæ etsi plurimùm valere animaduertimus: tamē sub proprijs exemplis, quò scilicet vires eius testatiores fiant, recognosci conuenit.

De Valerio Publicola.

Regibus exactis plebs discedens à patribus, iuxta ripam fluminis Acienis in colle, qui sacer appellatur armata consedit, eratq; non solū deformis, sed etiam miserrimus Reipub. status à capite eius, cætera parte corporis pestifera seditione diuisa, ac ni Valerij subuenisset eloquentia, spes tāti imperij ipso penè ortu suo corruisset. Is namq; populum noua & insolita libertate temerè gaudentem oratione ad meliora & saniora consilia reuocauit, senatuiq; subiecit, id est, vrbem vrbi iunxit: verbis ergo facundis ira, consternatione arma cesserunt.

De M. Antonio.

Quę etiam Marionos, Cumanosq; Mucrones, ciuilis profundendi sanguinis cupiditate furentes, inhibuerunt. Missi enim à sæuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone eius obstupefacti districtos iam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Quàm disertū igitur eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modò vocem eius ad aures suas voluit admittere. Vide Aesopi apologiā de ventris & membrorum dissensione.

De Iulio Cæsare.

D. quoq; Iulius quàm cælestis numinis, tam etiam humani ingenij perfectissimum columē, vim facundię propriè expressit, dicendo in accusatione C. Dolabellæ, quem reum egit, extorqueri sibi causam optimam L. Cottæ patrocinio, siquidē maxima tantum eloquentia quæsta est. &c. L. Cotta eloquentissimus

Externa de Pisistrato.

Pisistratus dicendo tantum valuisse traditus est, vt ei Athenienses regium imperium oratione capti permitterent: quum præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur, sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores, quo euenit, vt alioqui prudentissima ciuitas libertati seruitutē pręferret.

De Pericle.

Pericles autē felicissimus naturæ incrementis sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitus, & instructus liberis Athenarum ceruicibus iugum seruitutis imposuit. Egit enim illam vrbem, & versauit arbitrio suo: quumq; aduersus voluntatē populi loqueretur, iucūda nihilominus & popularis eius vox erat. Itaque veteris comœdiæ maledica lingua, quamuis potentiā viri perstringere cupiebat, tamē in labris hominis melle dulciorem leporē fatebatur habitare, inq; animis eorum, qui illum audierāt, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat.

De Hegesia Philosopho.

Obseruatu dignū exemplum. Quantum eloquentia valuisse Hegesiam Cyrenaum Philosophum arbitramur, qui sic mala

vitæ repræsentabat, vt eorum miseranda imagine, audientium pectorib. inserta, multis voluntaria mortis appetendæ, cupiditatem ingeneraret. Itaque à Rege Ptolomæo vlterius hac de re disserere prohibitus est.

Ex Baptista Fulgoso libro 8. cap. 9. de eloquentia.

Epaminundas eloquentia sua persuasit Græciæ, vt Lacedæmonijs sese dederet.

Philoppomenes Megalopolitanus concives suos, qui Messeniam profugerant, occupata Megalopoli à Cleomene Spartarum Rege, per insidias scalis vrbem ingresso, hortatus est, ne in patriam tunc redirent: Ostēdit enim Cleomenem sine populo vrbē diutius non retenturum. Itaq; si patria aliquod tēpus carerent, in animum Megalopolitani inducere possent, necessariò eam cum laude recuperaturos esse: in quam si reditū accelerare vellēt, & irrito conatu id moliri contigisset, seruitus eos minimè incerta manebat. Vnus igitur Philoppomenes totum populum, in quo plerunq; plus suorum posidendorum cupiditas, quàm consilium ac ratio valere consueuit, eloquentia retinuit, ne tum periculosè reditum tentaret, quia sub patriæ, priuatarumque fortunarū desiderio quod proponebatur, fœdisimæ seruitutis venenū latere declarauit.

Seruitus fœdisima.

De Themistocle Atheniense.

Quod permulti sæpe, licèt perperam, pluris pecuniam quàm patriam facere solent, forsitan non minus Themistoclis eloquētia, quàm quorumuis aliorum, de quibus est dictum, valuisse videbitur: Atheniensibus enim persuasit, vt argenti fodinarum annuos redditus, qui quotannis populo viritim diuidebantur, ad ædificandam classem transferrent. Neq; fuit parui laboris, auarisimo populo persuadere, vt priuatis commodis suis publicam vtilitatem anteuerteret, &c.

De M. Tullio Cicerone.

Eloquētia Ciceronis plus valuit, quā autoritas toti' senatus.

P. Rullus Trib. pleb. Agrariam legem laturus erat populo, in qua quum de diuidendis in capita possesionibus ageretur, cui dubium erat, quin ei populus plurimum inhiaret, & omnia enixurus videretur, vt lex promulgari posset: eam rem quum Senatus permolestè ferret, neq; tamen ad eam impediendam modum vllum haberet, Cicero vnus, habita oratione, adeò populi ipsius mentes permulsit, atq; permouit, vt vltrò legem populus repudiaret. Quid enim hoc aliud fuit, nisi esurienti populo persuadere, vt cibum, quem pergratum mordicus apprehenderat, iam dentibus commasticatum, in guttur stomachumque ne recipere vellet? Vnius igitur Ciceronis eloquentia plusquam totius authoritas Senatus ad impediendam eam legem effecit.

De Cicadis. Socrates in Phædro.

Theocr. in Daphnide.

Cicada uocalior: Erasmus.

Τέττιγος ἐπεὶ τύγε φέρτερος ᾄδες. id est.

Quippe cantas melius quacunq; cicada.

Τῶν πάντων δ᾽ ἡγεῖτο πλατύστατος ἀλλ᾽ ἀγορητὴς
Δένδρεα ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ᾽ ἐκ φδὴ μὲ

Cunctos anteibat latißimus ille suauis
Orator, cuius non cedunt scripta cicadis,
Quæ super arboribus resident lucis in opacis.

Plutarchus in lib. An seni administranda sit Respub.

Ἀλέξανδρος ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος πῶς
Ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τῆς οἰκουμένης ἐκυρίευσεν,
εἶπε, βουλῇ καὶ μύθοις καὶ τέχνῃ στρατηγικῇ.

Alexander, interroganti quomodo tam breui tempore totius orbis imperium obtinuisset, respondit: Consilijs, eloquentia, & arte imperatoria.

Isocrates in Euagora.

Ἐγὼ δὲ ὦ Νικόκλεις, ἡγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας: πολὺ μέντοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν λόγοις τις αὐτὰς μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι, θεωρήσειεν. id est:

Arbitror equidem ô Nicocles, pulchra monumenta, esse corporum etiam imagines: verùm multò pluris facienda mentis & actionum simulachra, quas in solis orationibus artificiosè compositis spectare licet.

Democritus.

ἰσχυρὸν εἰς πειθὼ λόγος γίγνεται. id est:

Plurimum ad persuasionem sermo ualet.

Isocrates.

Ἐν μὲν πολέμῳ πρὸς ἀσφάλειαν σίδηρος χρυσοῦ κρείττων, ἐν δὲ τῷ ζῆν ὁ λόγος τοῦ πλούτου. id est:

In bello quidem ferrum auro præstat ad defendendum se: in uita autem eruditio diuitijs.

Idem.

ὁ λόγος ὥσπερ πλάστις ἀγαθὸς, καλὸν τῇ ψυχῇ περιτίθησι σχῆμα. id est:

Oratio tanquam bonus figulus, eleganti specie animam ornat.

Studium bene dicendi.

Adeò verò sollicitus erat M. Tullius bene dicendi, tamq; anxium huic rei impendit studiū, vt cùm causam oraturus esset apud cētumuiros, iamq; dies instaret, Erotam seruum manumiserit, eò quòd nunciasset cognitionem in posterum diem fuisse prorogatam. Erasmus libro 4. Apophtegmatum.

DIVERSAE NATVRAE AC DOTES Oratorum.

Quatuor dicendi genera: Macrobius libro 5. Saturnalium cap. 1.

Oratorum non simplex nec vna natura est, sed hic fluit & redundat, contrà ille breuiter & circuncisè dicere affectat, tenuis quidam, & siccus, & sobrius amat quandam dicendi frugalitatem, alius pingui & luculenta & florida oratione lasciuit, in qua tanta omnium dissimilitudine vnus omninò inuenitur Virgilius, qui eloquentiam ex omni genere conflauerat, &c. *Ibidem.*

Ibidem.

Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breue, in quo Salustius regnat: siccum, quod Frontoni ascribitur: pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.

Idem libro 7. cap. 1.

Hæc vna est de virtutibus Philosophiæ: vt si plures intersint conuiuio, alieni à disciplinis, vt fauciat dissimulationem sui, & patiatur loquacitatem maiori parti amicorum sociare, ne rara nobilitas à plebe tumultuosiore turbetur: ita veluti orator non aliter nisi orando probetur, Philosophus non vnius tacendo pro tempore, quàm loquendo philosophatur. Sic ergo pauci qui aderunt doctiores in consensum rudis consortij salua & intra se quiescēte veri notione migrabunt: vt omnis discordiæ suspicio facessat.

Ouidius libro 13. Metamorphoseôn.

Et quid facundia poßit,
Tunc statuit: fortisq; uiri tulit arma disertus.

NAEVVS. Emancipatio, est relaxatio patriæ potestatis coram iudice competente, voluntate patris, & voluntate filij concurrente. Dicta ex eo, quòd extra manum, id est, potestatem patris ponitur filius. Sanè sciendum, quòd Manceps is est, qui aliquid à populo emit, conducítue: quia manu sublata significat se authorem emptionis esse, qui idem præs dicitur, quia tam debet præstare populo, quod ꝓmisit, quàm is qui pro eo præs factus est. Est emptio Mancupi, quæ solennitate quadam fiebat, adhibitis non minus quinque testibus Romanis ciuibus puberibus, & alio ciusmodi conditionis, qui libram æneam teneret. Emptor ita dicebat: Hoc ego ex iure Quiritum meum esse aio hoc quod emptum est, hoc ære æneaq; libra, deinde libram ære percutiebat, idq; æs dabat ei, à quo rem emptam accipiebat, & hæc mancipatio vocabatur. Hinc seruus, equus, ouis, bos, aliaq; huiusmodi mancipia dicuntur quòd manu capiantur, siue mancupi emptione acquirantur, & mancipare, quasi manu capere, à quo emancipare, hoc est manumittere, & liberare. Emancipati autem duobus modis intelliguntur, aut hi qui ex patris iure exeunt, aut qui aliorum fiunt domini. Qui emancipat emācipator dicitur. Aliquando tamen econtrariò emancipatus pro dedito, & veluti in mācipium ascripto. Cicero: Ita senectus nimis honesta est: si seipsam defendit, si ius suum retinet: si nemini emancipata est: si vsq; ad vltimum spiritum dominatur in suos.

Emendatio Græcè ἐπανόρθωσις εως ἡ dicitur. Venitque à menda, quod errorem significat, vnde mendosum librū plenum errorib. dicimus. Erit itaq; emendatio à mendis, hoc est, errorib. emūdatio. De hac materia vide suprà in Correctio.

Eminentia Græcè ἐξοχή ῆς ἡ, & ἔξοχος ου ὁ ἡ, eminens dicitur. Descenditq; ab emineo, quod est supersto, quasi extra alios, hoc est præ alijs maneo. Hinc aduerbium eminenter, hoc est altè, & præemineo, præsum, antesto, quasi ante alios emineo, à quo præeminentia dicitur.

Embryo Græca dictio est ἔμβρυον ου τὸ apud Latinos masculini generis, est quod in vtero matris viuit, antequam lineamenta suæ speciei accipiat, & cōponitur ex ἐν quod est intus, & βρύω germino.

Emptio Græcè ἀγορασία ας ἡ, & ἀγοράζω emo dicitur. Vnde emptitius adiectiuum. Emptitiæ res dicuntur, quæ emptæ sunt: & emptitius miles mercenarius.

Enchiridion Græca dictio est ἐγχειρίδιον, significatq; aliquando gladiolum, interdum libellū, qui haberi frequenter in manibus debeat: vtpote vtilis, & componitur ex ἐν præpositione & χειρίδιον quod est diminutiuum à manu deductum, quæ χείρ ρος ἡ dicitur.

Enthymema Greca dictio est ἐνθύμημα ατος τὸ, & ἐνθύμιον ου τὸ cautè excogitatum dicitur. Est autem Enthymema syllogismus ex icotibus & signis, secundum Aristot. libro 1. Priorum.

Enthymema est syllogismus ex probabilib. & signis, secundum Aristotelem libro 1. Rhetoricorum.

Enthymema est syllogismus detrūcatus, procedens ex præcognito, secundum B. Thom. super librum Posteriorum col. 2. Sicut enim syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis & concessis, per ea necesse est aliud euenire: sic si fuerit imperfectus, hoc est ex duobus assumptis alterum desit, Enthymema dicitur: Vt omnis homo est animal, ergo homo est substantia. Ideo Iuuenalis dixit: Aut curtum sermone rotato, Torqueat Enthymema.

Epijcia Greca dictio est ἐπιείκεια ας ἡ. Est enim bona animositas, & est idē quod securitas. Ideo est pars potentialis fortitudinis, secundum Bea. Thom. secunda secundæ q. 118. art. 1.

Episcopatus nomen est operis, non honoris, secundum B. Tho. secunda secundæ, q. 185. art. 1.

Episcopus componitur ex ἐπὶ quod significat in, & σκοπιά ᾶς, id est, specula, & σκοπός οῦ ὁ quod est speculator. Itaq; potest inspectator interpretari. Inde episcopatus, quæ est ipsa dignitas. Et episcopium locus vbi episcopus commoratur. De hac materia vide infrà vbi Prælatus.

Erémus sine h, & cum penultima accentuata pronuntiari debet, licèt quadam corrupta consuetudine à multis in principio aspiretur, & penultima pronuntietur breui. Dicitur à Græcis ἔρημος ου ὁ, quod est solitudo. Et ita ἐρημίτης ου ὁ, eremita, id est, solitarius.

Ergastulum dici potest locus laboris vel taberna, vel officina: venitq; ab ἐργάζομαι, quod

est operor. Iuuenalis: Nempe in Lucanos & Tusca ergastula mittas.

Ergastulus verò masculino genere pro ipso operario sumitur, Plinius libro 18. na. hist. quæ imperator ergastulorum dicit, hoc est operariorum.

ERrare est aliud pro alio putare, vel falsum pro vero putare, secundum August. Vnde error qui Grecè πλανὴ ῆς ἡ &, πλανάομαι erro dicitur. Errare propriè est vagari. Virg. Recens à vulnere Dido Errabat sylua in magna. Sed quoniã pecudes errando, hoc est, vagãdo pascuntur: errare aliquando pro pasci ponitur. Virgili. Mille meæ Sicculis errant in montibus agnæ. Item quia vagando sæpe à recta via deflectitur: errare aliquando pro peccare, & delinquere accipimus, à quo fit error, quod modò delictũ significat, modò erratum. Et vagatio ipsa propriè erratio dicitur. Differt autem sic error ab erratione, vt error sit animi, erratio pedum. Terentius: Sanè hac multò propius ibis, & minor est erratio. Differũt præterea error, nescientia, & ignorantia sic: Quòd nescientia simplicem negationem scientiæ importat: Ignorantia verò quandoq; significat scientię priuationẽ. Et tunc ignorantia est carentia scientię, quam quis natus est habere. Hoc enim est de ratione cuiuslibet priuationis. Quandoq; aũt ignorantia est aliquid scientiæ contrarium, quę dicitur ignorãtia peruersæ dispositionis: puta, cùm quis habet habitum falsorum principiorum, & falsarũ opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis. Error autem est approbatio falsorum pro veris vnde approbare falsa pro veris addit actũ quendam super ignorantia. Potest esse ignorantia sine hoc, quod aliquis de ignotis sententiam ferat. Et tunc ignorans est & non errans. Sed quando iam falsam sentẽtiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare, ex B. Tho. in quæstionibus de malo, q. 3. art. 3.

Errones, vt Vlpianus inquit, dicuntur serui, qui non quidem fugiunt, sed frequenter sine causa vagantur: & temporibus in res nugatorias cõsumptis serius ad dominum redeunt.

Ecclesiastes capite 12.

Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudiciũ pro omni errato: siue bonum, siue malum sit.

Aug. & habetur dist. 38. Quamuis.

Quisquis se existimat scire quod nescit, pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est propriu m.

Idem in epist. ad Marcellam.

Interest inquantum & in quibus rebus erretur, & quàm facilè se quis corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem.

Augustinus ibidem.

Nimis peruersè seipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat: quanto enim melius & vtilius, vbi ipse errauit, alij non errant, quorum admonitu errore careant. Vos qui me multum diligitis: si talem me asseritis, vt nũquam in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis. Facilè in ea meipso iudice superamini: quoniam non mihi placet, cùm à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum: profectò non me, sed pro me aliũ sub meo nomine diligunt, si nõ quod sum, sed quod non sum, diligunt.

Augustinus ibidem.

Non enim placet sententia Tullij, maximi autoris Romani eloquij: qui nullum vnquam verbum, inquit, quod reuocare vellet, emisit: quæ quidem laus, quamuis præclarissima videatur, tamen credibilior de nimium fatuo, quàm de sapiente perfecto. Sed si in bonam partem accipiatur, vt quempiam talem fuisse credamus, qui cùm sapienter omnia loqueretur, nullum vnquam verbũ, quod reuocare vellet, emisit: hoc potius de hominibus Dei, qui à spiritu sancto locuti sunt, quàm de illo, quem sic Cicero laudat, saluberrima pietate credendum est. Ab hac ergo excellentia longè absum: vt si nullum verbũ, quod reuocare velim, protulero, fatuo sum, quã sapienti similior. Illius quippe scripta summa sunt autoritate dignissima, qui nullum verbum quidem reuocare vellet, sed quod reuocare deberet, emisit. Non mihi igitur Tulliana illa blanditur, sed angit me planè illa Horatiana sententia: Nescit vox missa reuerti.

August. libro de unico Baptismo.

O quàm detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quędam non rectè facta laudabiliter se imitari putant, à quorũ virtutibus alieni sunt.

Ambro. in libro de Chain & Abel.

Nihil grauius, quàm errantem à Deo deseri, vt se reuocare non possit.

Gregorius libro 8. Moralium.

Nonnulli dum plus exquirunt contemplando, quàm capiunt, vsq; ad peruersa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse negligunt, humiliter magistri eorum fiunt.

Origines in epist. apologetica sic se excusans.

Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, ascribunt nobis, & doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, quod à nobis nunquam audierunt: dicunt enim patrem malitiæ, & perditionis eorum, qui de regno eijciuntur, id est, diabolum me dicere esse seruandum: quod nec aliquis quidem mente captus, & manifestè insaniens dicere potest. Sed nihil mihi mirum videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis, & illa corruptione corrumpatur, quali corrupta est epistola Pauli apostoli: Nam quidam sub nomine eius falsam epistolam conscripserunt, vt turbarent Thessalonicenses, quasi insta-

instaret dies Domini, & seducerent eos.

Beda super Esdram.

Multis, qui in pace Ecclesiæ negligenter vixerant, subitò erraſſe, & in flagitia aliqua cecidiſſe profuit, dum post casum pœnitendo erecti vigilantius Domino seruire cœperunt: & qui pigri ac desides in innocentia stare videbantur, per accidentem sibi ruinam admoniti sunt, solertius erga sui custodiam cõtra omnes antiqui hostis insidias accingi: ita vt nec propriam vitam curando offenderant, postmodum etiam supernæ salutis cum sua erectione curam gerant.

Seneca epistola 42.

Ex eo error noster apparet, quòd ea sola putamus emi, pro quibus pecuniam soluimus: ea gratuita vocamus, pro quibus nosipsos impédimus, quæ emere nollemus, si domus nostra pro illis esset danda, adeò nihil est cuiq; se vilius.

Seneca in Prouerbijs.

Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.

Franciscus Petra. de uita solitaria libro 1. cap. 1.

Hoc vnum modò dixerim: altè radicatos errores non facilè verbis extirpari.

Aristoteles libro 1. de cælo & mundo.

Paruus error in principio, maximus in fine.

Cicero libro 1. de diuinatione.

Omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorq; turpis est.

Cicero libro 2. de diuinatione.

Nonnunquam etiam errorem creat similitudo.

Cicero libro 1. de finibus bonorum & malorum.

Sed quot homines tot sententiæ, falli possumus.

Erubescentia Grecè ἐρυθρίασις ιος ἡ, & ἐρυθριάω erubesco dicitur. Est autem erubescentia timor in conuitij expectatione, secundum Ioannẽ Damascenum libro 2. cap. 15. Et secundum eundem hæc est optima passio.

Differunt erubescentia & verecundia, quòd erubescentia est de turpi fiendo: verecundia de turpi facto, secundum B. Thom. 1. secundæ, q. 41. art. 4.

Dicitur autem erubescentia à rubeo & rubesco, quæ à rubeus deducuntur. Hinc erubesco rubefacio, & rubefio notę significationis, & rubor, & rubedo.

ERuditio Grecè παιδεία ας ἡ, & παιδεύω erudio dicitur. Etenim rudis siue raudus propriè dicitur res rudis, aspera, & imperfecta. Ideo hominem imperitum rudem nominamus, à quo fit erudio, quod est doceo, instruo: & eruditio doctrina, & eruditè aduerbium, doctè: ita & ruditas imperitia, & obtusitas ingenij, & rudis impolitus, à quo rudiculus diminutiuum. Sanè rudis etiam erat virga, qua emeriti gladiatores donabantur. Iuuenalis: Ergo si dabit ipse rudem, id est, libertatem, & finem pugnandi. Prætereà nouum rudus est materia pauimenti, hoc est, saxa de nouo contusa, seu testæ fractæ ad pauimẽtum faciendum, & rudus vetus materia veterum pauimentorum, & diruptorum ædificiorum, quæ lapidibus & testis confractis, calceq; ac harena constat, Plinius: Complanatæ veteri rudere erant viæ.

Menander.

ἀναφαίρετον κτῆμ᾽ ἐστι παιδεία βροτοῖς. id est:
Inseparabilis possessio est eruditio mortalibus.

Idem.

ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ. id est:
Omnes eruditio mansuetos facit.

Idem.

Βραβεῖον ἀρετῆς ἐστιν εὐπαιδευσία. id est:
Brauium uirtutis est bona institutio.

Idem.

Βλέπων πεπαίδευμ᾽ εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά. id est:
Inspiciens eruditus sum in aliorum mala.

Idem.

Γράμματα μαθεῖν δεῖ, καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν. id est
Literas discere oportet, & discentem mentem habere.

Idem.

Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. id est:
Duplex uident, qui didicerunt literas.

Idem.

Βακτηρία γάρ ἐστι παιδεία βίου. id est:
Sustentaculum enim est eruditio uitæ.

Idem.

Κάλλιστόν ἐστι κτῆμα παιδεία βροτοῖς. id est:
Pulcherrima est possessio eruditio mortalibus.

Idem.

Καὶ ἂν τοῖς ἀγροίκοις ἐστὶ παιδείας λόγος. id est
Et inter agrestes est eruditionis sermo.

Idem.

Καλόν δε καὶ γέροντα μανθάνειν σφόδρα. id est:
Pulchrum est etiam seni discere uehementer.

Idem.

Τιμὴ πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς. id est:
Honor est omnibus eruditio mortalibus.

Idem.

ὁ γράμματ᾽ εἰδὼς, καὶ περισσὸν νοῦν ἔχει. id est:
Qui literas nouit, & egregiam mentem habet.

Idem.

ὁ σοφὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν. id est:
Sapiens in seipso circunfert substantiam.

Idem.

ὁ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται. id est:
Non percussus homo non eruditur.

Idem.

ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων. id est:
Literarum expers non inspicit aspiciens.

Idem.

ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἂν μὴ νοῦς παρῇ. id est:
Quàm nihil disciplina nisi mens adsit.

Erũna Grecè μέριμνα ης ἡ, & μεριμνάω solicitus

sum dicitur. Est autem ærumna ægritudo laboriosa, secundum Ciceron. libro 3. Tuscul. quęst. Venitq; ærũna, vt aliqui volunt, ab eruo, quod est extraho, vnde eructo & eructatio. Quoniã ærumna quæ est miseria, mœror, calamitas, animam eruere videatur. Inde ærumnosus, mœstus, miser, calamitosus deducitur. De hac materia vide infrà Tribulatio.

Essentia Græcè ὀυσία ας ἡ. & est illud cuius actus est esse secundũ B. Tho. pri. parte q. 39. art. 2. venitque à sum substantiuo verbo: ita dicto, quia substat, nec alio indiget. In ipsum verbum cætera resoluuntur, vt lego, id est, sum qui lego vel sum legens: tu amabas, id est, tu eras amans, vel tu eras, qui amabas, & ita cætera.

Esse quando nominaliter sumitur, quale est apud Persium: Nostrum illud viuere triste. Et alibi. Idem scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: idem est cum essentia, vnde essentiale quod ipsius essentiæ est, & essentialiter aduerbiũ, quo nonnulli vtuntur secundũ essentiam.

Esuries Græcè λιμός οῦ ὁ, & λιμώττω famesco. Et est appetitus calidi & sicci, secundum Arist. libro 2. de Anima. Dicitur aũt ab edo, quod est comedo, dictũ ab ἔδω quod est vescor, illius supinum esum, à quo esito frequentatiuum. Et esurio quod est cupio edere, Quintilianus: Pater filios esurit. Hinc esuries edendi auiditas, & minus est quàm fames, quæ ex defectu annonæ prouenit.

Euagatio mentis est filia acediæ, cuius filiæ sex sunt, scilicet Malitia, Rancor, Pusillanimitas Desperatio, Torpor, & Euagatio mentis, secundum B. Tho. secunda secundę q. 35. ar. 4. de quibus omnibus vide suprà in arbore Acediæ, vbi describuntur. Quia propter tædium boni operis euagatur varia cogitando, vt ipsum tædium euitet: & hęc inducit ad multiloquium, & vaniloquium, & facit instabilem, venitq; à vagus: vagi enim propriè dicuntur, qui sine negotio modò huc, modò illuc inutiliter discurrunt, dicti quasi vacui, hoc est, quod sine negocijs agantur: hinc vagari dicitur inutiliter peragrare. Vagor Gręcè πλανάομαι & vagus πλανήτης ȣ ὁ dicit.

Euangelium Græca dictio est, ἐυαγγέλιον ȣ τὸ, & est bona annunciatio, nam ἐυ̃ bene, & ἀγγέλλω nuntio dicitur.

Eubulia Græca dictio est, ἐυβȣλία ας ἡ. Et est rectitudo consilij, dicta ab ἐυ̃ quod est bene, & βȣλέυω cõsulo. Quia eubulia est virtus bene consiliatiua, vel sic: Eubulia est firma cogitatio eorũ, quę sunt opportuna ad finem tempore congruo, nec nimis tardè, nec nimis velociter, & alijs circunstantijs adiunctis, secundũ B. Tho. secunda secundæ q. lib. art. 1. & secũda secundæ q. 48 ca. fi. Eubulia est pars potentialis prudẽtiæ.

EVcharistia Græca dictio est, ἐυχαριςία ας ἡ, & est idem quod bona gratia, ab ἐυ̃ quod est bene, & χάρις ἡ gratia.

Sapientiæ cap. 16.

Angelorum esca nutristi populum tuum.

Paulus ad Corin. 1. capite 11.

Quicunq; manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Paulus ibidem.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Aug. super Ioan. serm. 26.

Buccella Dominica non fuit venenum Iudæ, sed cùm accepit, in eum inimicus intrauit: non quia malum acceperit, sed bonum malus malè accepit.

Augustinus ibidem.

Qui non manet in Christo, & in quo Christus non manet, non manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem: sed tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit.

Aug. super Ioan. hom. 8.

Dominus primo distribuerat Iudę, quàm cęteris apostolis sacramẽtum corporis, & sanguinis sui. Deinde Dominus post buccellam intinctam, & porrectam suum exprimit traditorem.

Aug. libro 2. Confeßionum.

Cibus sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.

Aug. in serm. de sacramento altaris.

Iterat̃ quotidie hęc oblatio, licèt Christus semel passus sit, quod quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: & ideo quia quotidie labimur, Christus pro nobis mysticè immolatur.

Augustinus ibidem.

Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimmr. Ascripta, per quam omnes in cælo ascribimur. Rata, per quam in visceribus Christi censemur. Rationalis, per quam à bestiali sensu exuimur. Acceptabilis, vt qui nobis displicemus, per eã acceptabiles eius vnico filio simus.

Augu. de doctrina Christiana.

Quotidie eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen diebus dominicis sumendam hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit: nam habentem voluntatem peccandi, grauari magis dico eucharistiæ perceptione, quàm purificari: & ideo quamuis peccato quis mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus: & confidens de Domini miseratione, qui confessione peccati, piè peccata donare consueuit, accedat ad eucharistiam intrepidus, & securus. Sed hoc de illo, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant. Nam quem peccata vel crimina

mina post baptismum grauant, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum cõmunicatione sociare, si vult non ad iudicium, sed ad condonationẽ eucharistiam percipere, sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus.

Aug. de Ecclesiasticis dogmatibus.

Hoc sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris. Nec bonorũ dispensatorum meritis ampliatur, nec malorũ attenuatur.

Augu. ad Ianuarium libro 1.

Peccata si non tanta sunt, vt excommunicandus quisquam videatur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare.

Augustinus ibidem.

Faciat vnusquisq; quod secundum suam fidem credit piè esse faciendum.

Augustinus ibidem.

Ille non audet honorando sumere, & ille nõ audet honorando illum diem prætermittere, contemptum solum non vult cibus iste.

Augu. super illud Ioannem homilia 88. super Prouerbiorum 23. Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ posita sunt.

De mẽsa sacratissima altaris Domini, vbi corpus, & sanguis Christi apponetur. In qua mensa sedere, est humiliter accedere.

Ibidem.

Accedens enim debet esse plenus sanctimonia & immaculatus.

Augustinus libro responsionum ad Ianuarium. & habetur de Con. dist. 2. Liquidò.

Liquidò apparet, quando primò acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos, nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ ecclesiæ, quod ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit spiritui sancto, vt in honore tãti sacramenti, prius in os Christiani Dominicũ corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbẽ mos iste seruatur. Neq; enim quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cænati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent: aut sicut faciebant, quos apostolus redarguit, & emẽdauit, mensis suis ista miscere. Namque saluator, quò vehemẽtius cõmendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ apostolorum à quibus erat ad passionem digressurus: & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locũ. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper reciperetur, credo quod eum morem nemo mutasset.

Hieron. super Lucam.

Biberunt ex eo omnes, ebrietas felix, facietas salutaris: quæ quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem sumentibus donare dignatur & Iudas bibit, sed non saturatur, sed sitim extinguit ignis æterni, quia indignè sitiuit mysteria Christi.

Hieronymus ibidem.

Accepit Iesus panem, & benedicens fregit tradens, & figurans corpus suũ in panem, quod est ecclesiæ præsens: quod accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formãs sanguinem suum in calicem vino & aqua commixtum: vt alio purgaremur à culpis, alio redimeremur à pœnis: sanguine namq; agni seruatur domus à percussione angeli, & aqua maris rubri extinguntur inimici, quæ sunt mysteria ecclesiæ Christi.

Ambro. in serm. de Eucharistia

Quanta enim cordis cõtritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate istud diuinũ & cęleste mysteriũ est celebrãdum Domine Deus? vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima, humanis diuina iungũtur, vbi adest sanctorũ pręsentia, & angelorũ, vbi tu es sacerdos, & sacrificiũ mirabiliter, & ineffabiliter. Quis dignè hoc potest celebrare mysteriũ? nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum.

Ambro. & habetur de Con. dist. 2. Omnia.

Omnia quęcunq; voluit Dominus fecit in cęlo & in terra, & quia voluit sic factum est: ita, licèt figura panis, & vini in altari videatur, nihil tamen aliud quàm caro Christi, & sanguis post cõsecrationem credenda. Vnde ipsa veritas ad discipulos: Hæc, inquit, caro mea est pro mundi vita, & vt mirabilius dicã, non alia planè quàm quę nata est de Maria virgine, & passa fuit in cruce, & resurrexit de sepulchro. Hęc inquã ipsa est & ideo Christi est caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur: & cùm dignè percipitur, vitam vtiq; æternam in nobis operatur.

Ambrosius de Sacramentis libro 3.

Si tantum valuit sermo Helię, vt ignem de cęlo deponeret: non valebit sermo Christi, vt species elementorum mutetur? De totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Sermo igitur Christi qui potuit ex nihilo facere, quod non erat: non potest ea quæ sunt mutare in illud, quod non sunt? Non enim minus est nouas rebus dare formas, quàm mutare naturas.

Ibidem.

Liquet quia præter naturæ ordinem virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid quæris naturę ordinẽ in Christi corpore? cùm præter naturam sit ipse partus ex virgine.

Ambro.

Ambrosius libro de Sacramentis.

Verba Euangelistæ sunt vsq; ad accipite, siue corpus, siue sanguinem: inde sunt verba Christi, accipite, & bibite ex eo omnes, & inde singula, qui pridie, inquit, quàm pateretur in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam cõsecretur, panis est: vbi verò verba Christi accesserunt, corpus Christi est. Deniq; audi dicentẽ: Accipite, & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum: & ante verba Christi, calix vini, & aquæ est plenus, vbi verba Christi operata fuerũt, sanguis efficitur, qui plebem redemit.

Ibidem.

Si quotiescunq; effunditur sanguis in remissionem peccatorum, funditus debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur, qui semper pecco, semper habere debeo medicinam.

Ambrosius ibidem.

Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est, cęleste & venerabile Sacramentum.

Ambrosius ibidem.

Ne veluti quidẽ horror esset cruoris, sed maneret gratia redemptionis: ideo in similitudinẽ quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemq; consequeris.

Ambrosius de Viduis libro 1.

Vide quid agas sacerdos, ne febrienti manu Christi corpus attingas, prius cura te, vt possis ministrare.

Gregorius Dialogorum libro 4.

Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocẽ cęlos aperiri? in illo Christi mysterio angelorum choros? summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus atq; inuisibilibus fieri?

Gregorius libro 4.

Hæc namq; singularis victima ab æterno interitu animas soluit, quæ illam nobis mortem vnigeniti reparat, qui licèt surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur, tamen in seipso immortaliter, atq; incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in salutem populi partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hic ergo pensemus quale sit pro nobis istud sacrificiũ, quod absolutionem nostram, vnigeniti filij passionẽ semper imitatur.

Ioannes Chrysost. in homil. de perditione Iudæ.

Sicut cibus corporalis, cùm ventrem inuenit à diuersis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, nullum præstat auxilium: ita est cibus spiritualis, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non suo, sed accipientis vitio.

Isidorus de summo bono libro 1.

Qui scelerate veniunt in ecclesiam, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emendationem proficere sibi.

Innocentius de Sacramentis.

Per crucis mysterium eripit nos à potestate peccati, per Eucharistiæ sacramẽtum eripit nos à voluntate peccandi. Nam Eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, in bono confirmat, venialia delet, mortalia cauet.

Remigius super illud Matthæi: Væ illi per quem filius hominis tradetur.

Vę tradentibus Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus illum: etsi non tradant Iudęis ad crucifigendum. Tradunt tamen ipsum membris inimici ad sumendum.

Euripides Antigone.

Ὅστις δὲ πρὸς τὸ πίπτον εὐλόγως φέρει τὸν δαίμον', οὗτος ἧσσόν ἐστιν ὄλβιος. id est:

Quisquis in euentu rerum sapienter ac modestè fert fortunam, hic felicior est.

Idem.

Μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου: πλεῖ κατὰ πορθμόν, πλεῖ κατὰ δαίμονα. id est:

Fortunæ mutationem sustine: Nauiga secundum fluuium: nauiga secundum fortunam.

Idem.

Θνητὸς γὰρ ὤν, καὶ θνητὰ πείσεσθαι, δόκει: θεοῦ βίον ζῆν ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὤν. id est:

Mortalis existens, mortalia quoq; te passurum expecta:
Diuinam agere uitam cupis, cùm homo sis?

Idem in Hyppolito coronato.

Θάρσει τέκνον, καὶ μὴ χαλεπῶς
Μετάβαλλε δέμας.
ῥᾶον δὲ νόσον μεθ' ἡσυχίας,
Καὶ γενναίου λήματος οἴσεις,
Μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη. id est:
Bono animo sis fili, & noli corpus
Anxiè iactare:
Facilius enim morbum quietus,
Et forti animo præditus feres,
Laborum autem hominibus necessitas incumbit.

Idem in Alexandro.

Πάντων θανεῖν, τὸ δὲ κοινὸν ἄχος
Μετρίως ἀλγεῖν, σοφία μελετᾷ. id est:
Moriendum est omnibus, communem uerò dolorem moderatè dolere, Sapientia meditatur.

Idem in Ocolo.

Μοχθεῖν ἀνάγκη, τὰς δὲ δαιμόνων τύχας
ὅστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός. id est:
Necessarij sunt labores, Dæmonum autem fortunas qui optimè tulerit, uir sapiens est.

Idem in Bellerophonte.

Τοῖς πράγμασι γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρέων,
Μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν: ἀλλ' οὖν τυγχάνων

Tà

Τὰ πράγματ' ὀρθῶς ἢν θυτῇ, πράσσει καλῶς. id est:
Rebus ipsis indignari non oportet,
Nihil enim eis curæ est: Vtens uerè rebus,
Si eas rectè instituerit, prosperè agit.

Idem in Alcmena.

ἀλλ' εὖ φέρειν χρὴ συμφορὰς τὸν εὐγενῆ. id est:
Oportet hominem generosum infortunia bene tolerare.

EVENTVS RERVM QVALESCVNque fuerint, fortiter ferendos esse, & secundum uirtutem instituendam uitam.

Euripides in Helena.

ἔχεις μὲν ἄλγειν οἶδα· πειρᾶσθαι δὲ χρὴ
ὡς ῥᾶστα τἀναγκαῖα τοῦ βίου φέρειν. id est:
Habes quidem negotia tristia, fateor: Conandũ est tamen,
Vt quæ necessaria sunt in uita, facilimè feras.

Idem in Menalippe.

Τὰ τυγχάνοντα δ' ὅστις εὖ φέρει βροτῶν
Σοφὸν νομίζω, σωφρονεῖν τ' ἐμοὶ δοκεῖ. id est:
Rerum euentus quisquis mortalium bene fert,
Illum sapientem & moderatum uirum iudico.

Idem.

Πέπονθας οἷα χ' ἅτεροι πολλοὶ βροτῶν: τὰς γὰρ παρούσας οὐχὶ σῴζοντες τύχας, ὤλοντ' ἐρῶντες μειζόνων ἀβουλίᾳ. hoc est:
Passus est eadem, quæ multi alij homines: Nam qui præsentem fortunam non seruant, dum temerè petunt maiora, pereunt.

Sophocles in Thyeste.

Πάντων ἄριστον, μὴ βιάζεσθαι θεούς,
Στέργειν δὲ μοῖραν· τῶν ἀμηχάνων δ' ἔρως
Πολλοὺς ἔθηκε τοῦ παρόντος ἀμπλακεῖν. id est:
Omnium optimum est, non uiolentum esse in Deos,
Sed suam amplecti sortem: cupido aut rerũ impoßibilium
Effecit, ut multi præsentibus etiam frustrarentur.

Bacchylides.

εἷς ὅρος, μία βροτοῖσιν ἐστὶν εὐτυχίας ὁδός,
Θυμὸν εἴ τις ἔχων ἀπενθῆ, δύναται διατελεῖν βίον
οἷς δὲ μυρία μὲν ἀμφιπολεῖ φρενί, τὸ δὲ
Παρ' ἦμαρ τε νύκτα μελλόντων χάριν
ἄπτεται κέαρ, ἄκαρπον ἔχει πόνον. id est:
Vnus terminus, una mortalibus felicitatis est uia,
Si quis animum habens indolentem, ita poßit transigere uitam.
Quibus uerò infinitæ curæ circa mentem uersantur, quæ
Etiam nocte sequente, metu futurorum
Cor turbant, inutilis labor insumitur.

Pythagoras.

ὅσσα δὲ δαιμονίαισι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς ταύτην φέρε, μηδ' ἀγανάκτει. id est:
Quicquid dolorum hominibus Dæmoniæ fortunæ producunt, eorum tantum sortem acceptam feras, nec indigneris.

Res quæ eueniunt necessariò, bono ac æquo animo tolerandæ sunt. Antiphanes in Heniocho.

Ἀνδρὸς διαφέρει τοῦτ' ἀνήρ, ὁ μὲν κακῶς
Πράττων, τὸ λυποῦν ἤγαγ' εἰς παράστασιν,
ὁ δ' ἐμφρόνως δεξάμενος, ἤνεγκε καλῶς. id est:
Hoc uir à uiro differt: Vnus infeliciter
Agens, molestiam ipsam magis excitat:
Alter ueuò consultius, quod contingit accipiens commodè fert.

Philemon.

οὕτως ἄνανδρος γέγονας; οὐκ εὐψυχία
Τοῦτ' ἐστὶν ὃ ποιεῖς νῦν γάρ, ἀλλ' ἀνανδρία,
Τὸ μὴ δύνασθαι καρτερεῖν λυπούμενον. id est: Alij Diphtilo attribuunt.
Tam ignauus euasisti? non enim animi fortitudo
Est quod nunc facis, sed ignauia & pusillanimitas:
Dolorem sustinere non posse, nec tristitiæ tuæ moderari.

Idem.

Πόλλ' ἐστὶν ἐν πολλαῖσιν οἰκίαις κακά,
ἃ καλῶς ἐὰν ἐνέγκῃς, ἀγαθὰ γενήσεται. id est:
Multa sunt multis in ædibus mala,
Quæ bene si tuleris, bona fient.

Menander in Canephore.

ἔνεγκ' ἀτυχίαν καὶ βλάβην εὐσχημόνως.
Τοῦτ' ἐστὶν ἀνδρὸς νοῦν ἔχοντος, οὐκ ἄνω
ἀνασπάσας τις τὰς ὀφρῦς οἴμοι λαλεῖ,
ἀλλ' ὃς τὰ αὑτοῦ πράγματ', ἐγκρατῶς φέρει. id est:
Calamitatem & damnum decenter feras:
Hoc uiri prudentis est. Non eius qui
Sursum retractis superciliis, hei mihi dicat,
Sed illius, qui res suas continenter modesteq; fert.

Apollodorus.

Χαλεπὸν τύχης τι πρᾶγμα, χαλεπόν, ἀλλὰ δεῖ
αὐτὴν, φέρειν κατὰ τρόπον, ὥσπερ φορτίον. id est:
Graue omninò, molestumq; est fortunæ negotium:
Sed oportet animo, & moribus, ipsum uelut onus quodam ferre.

Menander in Androgyne.

Τὰ προσπεσόντα προσδοκᾶν ἅπαντα δεῖ
ἄνθρωπον ὄντα, παραμένει γὰρ οὐδὲ ἕν. id est:
Futuros euentus expectare oportet unumquemq;
Hominem: Nihil enim stabile permanet.

Idem.

Ἀεὶ τὸ λυποῦν ἀποδίωκε τοῦ βίου,
Μικρόν τι τοῦ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον. id est:
Tristia semper à uita repelle:
Exiguum enim & angustum ætatis tempus uiuitur.

Philemon.

Μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοὶ δέσποται,
Αὐτοὶ δ' αὑτοῖς, ἢ πέφυκε τῇ φύσει,
οἷον, τέθνηκεν υἱὸς ἢ μήτηρ τινὶ
ἢ νὴ Δί' ἄλλων τῶν ἀναγκαίων γέ τις,
εἰ μὲν λάβῃ, τοῦτ' ἀπέθανεν, ἄνθρωπος γὰρ ἦν,
Τοσοῦτον γέγονε τὸ κακὸν ἡλίκονπερ ἦν
ἐὰν ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκ ἔτ' ὄψομαι,
Ἀπώλεσεν, ἐν ἑαυτῷ τοῦτο ἐὰν σκοπῇ
Πρὸς τοῖς κακοῖς οὗτος, ἕτερα συλλέγει κακά·
ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν
Τὸ κακὸν ἀφαιρεῖται, ἀγαθὸν δὲ λαμβάνει. id est:
Multi dominæ sua sibi mala augent,
Ipsi sua culpa & maiora faciunt, quod facta sint per naturam.
Verbi gratia, obijt alicui filius, aut mater,

Aut quiuis alius ex necessarijs.
Quod si apud se cogitarit, mortuus est: Homo enim erat:
Non amplius fit malum, quàm à natura productum est:
At si exclamet: Vita mihi non uitalis est, non amplius uidebo.
Perijt, hæc secum qui reputat,
Præter mala præsentia insuper alia colligit,
Qui uerò omnia apud se ratione considerat,
Is malum adimit, & bonum capit.

Idem.

Ἀγνὼς τίς ἐσ' ἄνθρωπος, εὐδαίμων ἔσῃ,
Τέθνηκέ τις, μὴ δεινὸν ἔσω τοῦτό σοι,
Κεχύνηκέ τις, μὴ δεινὸν οὐ κεχύνηκέ τις,
ἠτύχηκέ τις, βήττει τις, οἰμώζει τις.
ἡ φύσις φέρει δ' ἅπαντα ταῦτα, φεῦγε τὰς λύπας. i.
Obscurus est aliquis, hoc nihil prohibet felicitatẽ tuam,
Obijt aliquis, noli id ægrè ferre,
Siue peperit aliqua, nihil est molestum, siue non peperit,
Calamitosus fuit aliquis, hic tußit, ille plorat,
Natura nihil non istorum fers, fuge mœrores.

Menander in Bœotia.

Πολλὰ δύσκολα
ἐν τοῖς πᾶσιν εὕροις ἄν, ἀλλ' εἰ πλείονα
Τὰ συμφέροντ' ἔνεστι, τοῦτο δεῖ σκοπεῖν. id est:
Multa ubiq; grauia
Reperies in rebus, sed an plura
Insint utilia, istud considerandum est.

Sotades.

Πλειστάκις ἀδυνκούμενός τις ἐν ἀδικοῦντι καιρῷ,
ἀνέχεταί τις ὃ μὴ θέλει διὸ φέρει γενέσθαι. id est:
Sæpe aliquis iniquo tempore iniuria affectus,
Ferendo facilè uincit, ea quæ fieri nollet.

NANVS. EVfortunium compositum videtur ex Græco & Latino, quæ est dura compositio. Teste Quintiliano, ex εὖ scilicet & fortuna. Et est cùm aliquod magnum bonum euenit, secundũ Aristot. libro 2. Physicorum.

Eugnomosina Græca dictio est. Nam εὖ bene, & γνώμη ης ἡ sententia, consilium dicitur. Et est pars potentialis iustitiæ. Quæ quid sit, vide infrà in arbore Iustitiæ.

Eusebia Græca dictio est εὐσέβεια ας ἡ pietas, & religio dicitur. Et est pars potentialis iustitię, quæ quid sit, vide infrà in arbore Iustitiæ.

Eustochia Gręca dictio est εὐστόχεια ας ἡ. venitque ex εὖ & στοχάζομαι, quod est coniectio. Vnde & στοχασμὸς οῦ ὁ coniectura. Est autem eustochia pars prudentię bene coniectans omnia, sicut solertia medium, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 48.

Eutrapelia Græca dictio est εὐτραπελία ας ἡ, & εὐτράπελος ου ὁ comis, & facetus dicitur. Est autem eutrapelia, idem quod bona conuersio: & est virtus pars modestiæ, qua ludicra, vel iocosa ad quandam animi quietem, vel ad solatium conuertuntur, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 168. Tribus tamen obseruatis, primùm vt non quæratur solatium in verbis, vel operationibus turpibus, vel nociuis. Vnde Cicero libro 1. Officiorum ait: Vnum genus iocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Secundum. Ne totaliter animæ grauitas resoluatur, de quo

Ambrosius libro 1. Officiorum.

Caueamus ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Tertium vt congruat personæ, tempori, loco, secundum alias circunstantias.

Eutrapelia est comitas, & medictas bomolochiæ, & agræciæ, secundum Aristotel. libro Magnorum moralium.

Eutrapelos Græci vocant à corporis dexteritate. Nam propriè Eutrapeli apud eos dicuntur, qui facilitate quadam morum præditi sunt: hoc est lepidi, elegantes, in Latino nomen non habent.

EXactio ab exigo verbo venit, quod Græcè εἰσπράττω dicitur, quod inter multa quæ habet significata aliquando significat debitum peto. Martialis: Exigis à nobis operam sine fine petitam. Vnde exigere pecuniam quæ nobis debetur, & exactores vocantur, qui pecuniam exigunt; & exactio actus ipse exigendi. Nomen exactæ pecuniæ, vult Vlpianus: non modò ad solutionem referẽdum, sed etiam ad delegationem putat, hoc est, cùm pecuniam, quæ nobis debetur, alteri aßignamus. Tunc enim exacta à nobis dicitur, etsi ille nondum soluerit. Exigere etiam est extorquere, inuestigare, agere, constituere. Virgilius: Decreuitque mori, tempus secum ipsa modumq; exigit.

Paulus ad Romanos cap. 13.

Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Gregorius in Moralibus.

Exigimus quod debetur nostro corpori, sed non impendimus, quod subiectorum debetur cordi.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Non gaudent martyres, quando ex illis pecunijs honorantur, in quibus pauperes plorant.

Isidorus de summo bono libro 3.

Magnum scelus est rem pauperum præstare diuitibus, & de sumptibus inopum acquirere fauores potentum, arenti terræ aquam tollere, & flumina, quæ non indigent, irrigare.

Petrus Rauennas in epistola.

Ministerialium siquidem tanta est multitudo, quanta est locustarum, vt istis residentibus alij succedãt: quod ex parte fuerit deuoratum, alij deuorent exitialiter, & consumant, impleturque eis illud propheticum: Residuum erucæ comedit locusta: residuum locustę comedit bruchus:

cus: residuũ bruci comedit erugo. Pauper enim veretur aperire malitiam exactorum, ne grauiora moliantur in eum, & fiant posteriora hominis peiora prioribus.

Exhalatio Græcè ἀναθυμίασις ιος ἡ, & ἀναθυμιάζω exhalo & vaporo dicitur. Et est substantia calida, & sicca à terra vel terreo vi solis educta, de qua suprà vide in Cometes, & in arbore Corporis. Dicitur autem ab exhalo, quod est expiro: vnde exhalatio expiratio est. Virg. Vt regē æquæuum crudeli vulnere vidi vitam exhalantem.

Examinatio Gręcè βασανισμός οῦ ἡ, & ἐξετασμός οῦ ὁ, & ἐξετάζω atq; βασανίζω examino dicitur. Venitq; ab examen, quod est filum quod in trutina regitur. Vnde examino verbũ, quod est scrutor, inuestigo, exquiro, exploro. Quare examinatio exquisitio est. Examē prætereà significat apum, vesparum, crabronum, & huiusmodi congregationem, quòd hæc ita vniantur, vt simul videantur ligata.

Exanimatio Gręcè λειποψυχία dicitur. Est autem exanimatio metus subsequens, & quasi comes pauoris, secundum Cic. libro Tuscu. Quæ.

Excæcatio Græcè ἐκτύφλωσις ιος ἡ, & ἐκτυφλόω excæco dicitur. Et est affectus diuinæ reprobationis, secundum B. Tho. prima secundæ q. 79. art. 4. Differunt autem aggrauatio, excęcatio, & obduratio, secundum diuersos affectus gratiæ, scilicet in visu & affectu. Vt B. Tho. ibidem ar. 3.

Excæcatio & obduratio important duo, scilicet metum animi adhærentis malo, & auersi à Deo, & subtractionem gratiæ, secundũ B. Thomam ibidem.

Excandescētia Græcè ὀργιλότης ητος ἡ dicitur. Et est ira nascens, & modò desistens, secundum Cic. libr. 4. Tuscul. Quæst. Et quod excandesco significat irascor tractũ est à ferro ignito quod candet. Ita hominem ira inflammatum dicimus excandescere: hinc excandefactus præter modum iratus. Et excandefacio, irrito, inflammo. De hac materia vide suprà in Ira.

Excogitatio Gręcè ἐξεύρεσις ιος ἡ, & ἐξευρίσκω excogito dicitur. Et est configuratio vel confirmatio cogitationis ad exprimendum exterius, conceptum interius. Differunt autem excogitare & cogitare. Quia cogitare est animo vel mente rimari. Excogitare est cogitando inuenire.

Excommunicatio Græcè ἀφορισμός οῦ ὁ, & ἀφορίζω excommunico dicitur. Est autem excommunicatio censura à canone, vel à iudice ecclesiastico prolata, priuans communione sacramentorum, & quandoq; hominum, secundum Paulum super Rubrica eiusdem tituli.

Paulus ad Corinthios 1. cap. 5.

Ego iam iudicaui tradere huiusmodi hominem in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.

Augu. super Matth. & habetur 11. q. Ridiculum

Ridiculum est, vt cum dicamus, qui vinculis peccatorum suorum ligatus est, propter hoc solum quòd episcopus dicitur habere huiusmodi potestatem, vt soluti ab eo, soluti sint in cælo, & ligati in terris, ligati sint in cælo. Sit ergo irreprehensibilis, qui alterum ligat, aut soluit.

Augustinus super Ioan. & habetur 11. q. 3. Nihil.

Nihil se sic debet formidare Christianus, quā separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius, quisquis autem, inquit Apostolus, spiritum Dei non habet, hic non est eius.

Augustinus super Psal. 28. & habetur 11. q. 3. Custodi.

Custodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit causam tuam, præualebit in te falsum testimonium, sed apud homines, nunquid apud Deum valebit? Vbi causa tua dicenda est, quando Deus erit iudex, alius testis quàm conscientia tua non erit, inter iustum iudicē, & conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam.

Augustinus super Psal. 37. & habetur ibidem. Et si.

Et si ad tempus damnaris ab homine, & si dixerit sententiam procōsul in Cyprianum, aliud est terrena sella, aliud est tribunal cęleste. Ab inferiori accipiat sententiam, à superiore coronā.

Augustinus super Psal. 182. & habetur ibidem. Qui iu.

Qui iustus est, & iniustè maledicitur, prēmiũ illi redditur.

Augustinus de uerbis Apostoli sermone 68. & habetur 11. quæst. 3. Omnis Christianus.

Omnis Christianus dilectissimi, qui à sacerdotibus excommunicatur, Satanę traditur, quomodo? quia extra ecclesiam Diabolus est, sicut in ecclesia Christus: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prędicabat, excommunicatos à se esse demonstrat.

Augustinus in epististola ad Vincentium, & habetur 23. quæ. 7. Quemadmodum.

Quemadmodum membrum si pręcidatur ab hominis viui corpore, non potest tenere spiritum vitæ, sic homo si præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ, etiam si figuram membri teneat, quam sumpsit à corpore.

Augustinus, & habetur 24. quæ. 3. Corripiantur.

Corripiantur itaq; à præpositis suis subditi, correctionib. de charitate venientibus, pro culparum diuersitate, diuersis vel minoribus, vel amplioribus: quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam fecit episcopale iudiciũ, qua pœna nulla maior in ecclesia est, potest (si Deus voluerit) in * correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neq; enim scimus quid contingat sequēti die, aut ante finem vitæ huius de aliquo tali desperandum est, aut contradici Deo potest, ne respiciat, & det pœnitentiam: & acce- * Aliàs, correctionē.

pto sacrificio spiritus cōtribulati, cordisq; contriti, à reatu (quāuis iustæ dānationis) absoluat damnatum, quem ipse non damnat. Pastoris tamen necessitas habet (ne per plures serpant dira contagia) separare ab ouibus sanis morbidam: ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanādam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.

Augu. in sermone de Quadragesima.

Nos à cōmunione quenquam prohibere nō possumus (quamuis prohibitio hęc nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari, siue ecclesiastico iudicio nominatum atq; commotum.

Hiero. & hab. 24. quæst. 3. Resecandæ.

Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosæ oues à caulis repellendæ, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeant, & corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexādria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, per totum orbem eius flamma populata est.

Hieron. super Matth. & hab. 11. q. 3. Quomodo.

Quomodo sacerdos mundum leprosum nō facit: sic episcopus vel presbyter non alligat eos qui insontes sunt, nec soluit noxios, sed pro officio suo cùm peccatorum varietates audierit, scit qui ligandus sit, qui absoluendus.

Hieron. lib. Iudicum, & hab. 11. quæst. 3. Audi.

Audi deniq; Apostolum dicentem de eo, qui peccauerat: Tradidi, inquit huiusmodi hominē satanę in interitum carnis, vt saluus fiat spiritus eius in die Domini. Vides ergo, quia & modò non solùm per apostolos suos tradidit Deus delinquētes in manus inimicorum, sed etiam per eos, qui ecclesiæ præsident, & potestatē habent non solùm soluendi, sed etiam ligandi. Traduntur autem peccatores in interitum carnis, cùm pro delictis suis à Christi corpore separantur. Et, vt mihi videtur, dupliciter etiam nunc traduntur homines de ecclesia in potestatem * diaboli hoc modo, quo superius diximus, cùm delictum eius manifestū fit ecclesiæ, & de ecclesia per sacerdotem pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, & conuerso eueniat ei illud quod sequitur, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. Alio verò modo quis traditus est * Zabulo, cùm peccatum eius non est manifestū hominibus: Deus aūt qui videt in abscondito perspiciens eius mentem, & animum eius vitijs ac passionibus seruiētem, & in corde eius non se diligi, sed aut auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, vel alia huiusmodi, istum talem Dominus tradidit satanæ. Quomodo tradidit eū satanę? discedit à mēte eius, & auertit se, & refugit à cogitationib. eius malis, & desiderijs indignis, & relinquit domum cordis eius vacuā.

*Alij legunt, Zabuli.

Fortè, diabolo

Grego. & habetur 11. quæst. 3. Sententia.

Sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.

Ioannes Chrysostomus in epistola ad Hebræos. & habetur 11. quæst. 3. Nemo.

Nemo contemnat ecclesiastica vincula: non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatē dedit, & dominos fecit homines tanti honoris.

Isidor. & habetur 11. q. 3. Cum excommunicato.

Cum excommunicato neq; orare, neq; loqui nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent, nec vesci licet. Si quis enim cum eo aut palā, aut absconsè locutus fuerit, statim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.

Origines super Leuiticum homil. 48.

Interdum fit, vt aliquis non recto iudicio eorum, qui pręsunt ecclesiæ depellatur, & foras mittatur, sed non exit ante, hoc est, si nō ita egerit, vt mereretur exire, nihil lęditur in eo quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus, & ita fit, vt interdū ille, qui foras mititur intus sit: & ille foris sit, qui intus retineri videtur.

Beda super Matth. & hab. 11. quæst. 1. Quicunq;.

Quicunq; ab vnitate fidei vel societatis Petri apostoli quolibet modo semetipsos segregauerint, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cælestis ingredi.

Excusatio Gręcè ἀπολογία ας ἡ, & ἀπολογέομαι excuso dicitur. Est autem propriè excusatio obiecti criminis dilutio, & venit ab excuso, quod est quasi ex causa detraho. Huius diminutiuum est excusatiuncula. hinc excusabile, excusatione dignum.

David Psal. 150.

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

August. de Charitate serm. 4.

Cœpisti non defendere peccatum tuum, iam inchoasti iustitiā, perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit.

Aug. in epist. ad Publicolam.

Absit, vt id quod propter bonum ac licitum facimus: si ex hoc præter nostram voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur.

Hieron. super Hieremiam.

Prona est ad excusationem sui humana peruersitas, vt quicquid meritò sustinet, immeritò sustinere videatur.

Gregorius libro 10. Moral.

Fit plęrunq;, vt dum iniqui correcta in se mala defendere nequeunt, ex verecundia peiores fiant, & sic in sua defensione superbiant, vt quędam vitia contra vitam corripientis exquirant & in eo se criminosos non existimēt, si crimina alijs imponant, qui cùm vera inuenire nequeāt, fingunt vt ipsi quoq; habeant, quod non impari iustitia increpare videantur.

Ibi

Ibidem lib.22.

Vsitatum generis humani vitium est, libendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo excusare.

Ibidem.

Peccatum peccato addit, qui culpæ, quam facit, patrocinia defensionis adiungit.

Gregorius in Pastorali.

Quidam dicere nonnunquam solent, concessis vtimur, aliena non quærimus, & si digna misericordię retributione non agimus, nulla tamē peruersa perpetramus: cùm tamē diuitem post hanc vitam vltrix gehenna susceperit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato vsu totum se illicitis addidit.

Gregorius in Registro.

Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit.

Bernardus super Cant. serm. 11.

Noli iudicare proximum, sed magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorātiam, puta surreptionē, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus tibi, & dicito apud temetipsum, vehemens fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si sic accepisset in me similiter potestatem?

Bernardus de 12. gradibus humilitatis.

In quacunq; hominum verseris frequentia, caue alienę conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, & si perpetratū actum quid deprehendes, nec sic iudices proximum, magis autem excusa.

Ibidem.

Cùm superbo imputatur culpa, crescit, non amputatur: quia cùm argutus fuerit, cor eius declinat ad excusanda peccata. Multis autem modis fiunt excusationes in peccatis: aut enim dicit, qui se excusat, non feci, feciq́; , sed bene feci: aut si malè, non multū malè, non mala intentione. Si aūt de illo conuincitur, sicut Adam & Eua aliena suasione excusare se nititur.

Cassio. sup. il. Psa. excusandas ad excusationes in peccatis.

Hoc enim maximum vitium est, quo laborat humanitas, vt post peccatum suum maximè ad excusationis confugium, quasi pœnitudinis se cōfessione prosternat: quod facinus inter summa peccata constat numeratum esse, quia inde nascitur, vnde ad pœnitentiam reus tardius venire videatur.

Prosper de uita Contemplatiua.

Superbus vult credi se constantem, prodigus liberalem, auarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, ignauus quietum, timidus cautum.

Seneca in epistola. 1.

Nemo se auarum intelligit esse, nemo cupidum: cæci tamen ducem quærunt, nos sine duce erramus: dicimus, non ego ambitiosum, sed nemo Romæ aliter potest viuere, non ego sumptuosus sum, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium quod iracundus sum, adolescentia hoc facit. Quidem nos decipimus, non extrinsecus est malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet, & ideo difficulter ad sanitatem venimus, quia nos ægrotare nescimus.

Ibidem.

Intellige tua esse vitia, quæ putas rerū. Quędam enim locis & temporibus ascribimus, at illa, quòcunq; transierimus, secutura sunt.

Glosa Ecclesiastici 5.

Ne dicas te ex infirmitate carnis tuę peccare, tanquam reflectēs culpam in autorem. Hoc est enim declinare cor in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

Glosa super Psal. 14.

Maximum est vitium excusationis. Nam quasi cornu contra Deum erigit, qui per aliquos peccata sua nititur excusare, vt per Diabolum, vel per aliquos suasores, vel per necessitatem stellarum.

Glosa super Psalmum 70

Malum est peccare, peius est perseuerare, perniciosius est defendere, seu in Deum culpā refundere.

Cicero libro 10. Officiorum.

Vtendū est etiam excusatione aduersus eos, quos inuitus offendas quantumcunque possis id quod feceris, necesse fueris. Nec aliter potueris facere.

Cicero Rhetoricorum ueterum libro 2.

Voluntario facinori nulla est excusatio imprudentiæ.

Terentius Comœdia 6.

Nam qui post factam iniuriam se expurgat, parum ibi prosit.

Executio Græcè πλήρωσις ιος ἡ, & πληρόω exequor & perficio. Executor propriè is dicitur, qui rē iudicatā ducit ad effectū, venitq́; ab exequor, quod est persequor & absoluo. Apuleius: Neq; enim in tenebris, sed in ꝑpatulo iussa domini exequebar. hinc exequię de quibus infrà.

Execratio Græcè κατάρα ας ἡ, & καταράομαι execror dicitur. Et est malorum deprecatio. Ab execror quod propriè est mala deprecor, fit execrabile, deprecabile, euitandum. Deducuntur autem hæc omnia à sacrum.

Exequiæ Gracę κτέρισμα ατος τὸ, & κτέρος funus dicitur. Sunt autem exequię ipsa funeris celebratio, dum corpus effertur. Dictæ quòd scilicet in funere exequimur, à quo exequari, quod est in exequijs cōuiuari & epulari. Varro: In ipsum propter ius liberi semitracti exequantur. Differunt aūt sic ab inferijs, quòd exequię sunt

 dum

dum cadauer effertur. Inferiæ postquã sepultũ est, & sunt sacra mortuorũ, quæ in ferijs fiebãt. Dicuntur etiam parentalia. Nam parentare est sacra mortuis facere: dicta quòd ita pareãt mortuis, qui ita viuentes iusserant fieri, vel quod parentibus hoc præstent.

Exemplar Græcè ἀρχέτυπος ου ὁ dicitur. Et est id ad cuius imitationem fit aliquid ex intentione agentis, secundum B. Tho. in quæstionibus de veritate q.8.art.8.

Exemplum Græcè παράδειγμα ατος τὸ dicitur. Et est alicuius facti, vel dicti præteriti cum certi autoris nomine propositio, secundum Ciceronem libro 2. Rhetor. Exemplum est, non vt totum ad totum, neq; vt totum ad partem, sed pars ad partem, simile ad simile; quando vtraq; sub eodem genere sunt, sed vnum altero magis perspicuum, secundum Cice. lib. 1. Rhetoricor.

Exemplum est, quod aut sequamur, aut vitemus. Exemplar aũt est, ex quo aliud simile faciamus. Exemplũ est res, quę nobis imitanda proponitur, vt puta, in Catone, qui ne turpiter seruiret mortem sibi cõsciuit. Itaque exemplar est ipse Cato, quo sumitur exemplum. Illud cõtentum, hoc continens. Exemplum igitur incorporale est. Exemplar verò plęrũq; corporale. Nõnunquam exemplum pro exemplari ponitur. Ouidius loquens de li. Metamorp. ait: Pluribus exẽplis scripta fuisse reor. exẽplis dixit pro exemplaribus, cùm eius operis vnum sit exemplũ.

Matthæi capite 5.

Non potest ciuitas abscondi supra montẽ posita, neq; accendunt lucernã, & ponũt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra corã omnibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

1. ad Corint. 19.

Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.

Ad Philippenses 4.

Modestia vestra nota sit omnibus hominib.

Ad Titum 2.

In omnibus teipsum præbe exemplũ bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanũ irreprehensibile, vt is, qui ex aduerso est, vereatur: nihil habens malum dicere de nobis.

Paulus ad Romanos capite 2.

Charissimi obsecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem nostram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

Aug. in lib. de ciuitate Dei, & hab. 13. quæ. 5. Non est.

Non est innocentiæ parcẽdo sinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officiũ, non solùm nemini malũ inferre, verum & cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alij terreãtur exemplo.

Augustinus ad Casulanum & hab. dist. 9. Sana.

Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cuius quidem exempla concordant, sed illa quæ tantum digniora sunt imitatione, quantum excellentiora pietate.

Aug. in ser. de communi uita cleric. & ha. 12. q. 1. Nolo ut.

Nolo vt aliquis de nobis inueniat malè viuendi occasionem, prouidemus enim bona, vt ait Apost. non solũ coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: propter nos conscientia nostra nobis necessaria est: propter vos fama nostra non polluit, sed pollere debet in vobis. Duę res sunt conscnietia & fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conscientiæ negligit famam, crudelis est.

Aug. in libro de Pastoribus.

Qui in conspectu populi malè viuit, quantũ in illo est, eum à quo attenditur, occidit.

Ibidem.

Omnis qui malè viuit in cõspectu eorũ quib. pręposĩtus est, quantũ in ipso est, occidit, & fortè qui inuitatur moritur, qui non inuitatũ viuit, & tamẽ quantũ ad illud ptinet, ambo occidũt.

Augu. libro de ouibus.

Non tantum curemus habere bonã conscientiam, sed quantũ potest nostra infirmitas, quantum vigilantia fragilitatis humanæ, curemus nihil etiam facere, quod veniat in malam suspitionem infirmo fratri.

Hieronymus epistola 9.

Qui in Christũ credimus, Christi sectemur exempla. *Hier. & hab. 24. q. 3. Resecandæ.*

Resecãdę sunt putridæ carnes, scabiosa ouis à caulis repellẽda. Vide suprà in Excõmunicatio.

Hieron. & habetur. 8. quæst. 1. Qualis.

Qualis enim erit ędificatio discipuli, si intelligat magistro se esse maiorẽ? vnde nõ solũ episcopi, præsbyteri & diaconi debẽt magnopere pręuidere, vt cunctũ populũ, cui pręsident, conuersatione & sermone pręeant: verumetiã inferior gradus, exorcistę, lectores, custodes ędium acolyti, & omnes omninò, qui domui Dei deseruiunt, quia vehementer ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quàm clericos.

Hieron. in epist. ad Heliodorum.

Domus episcopi, & cõuersatio, quasi in speculo posita magistra est publicæ disciplinæ, quicquid fecerit id sibi omnes faciendum putant.

Hieron. in epist. & est in glosa 1. Timot. 3.

Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantũ ędificat exemplo & vitę merito ecclesiã Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Innocens absq; sermone conuersatio, quantũ exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latra-

latratu canum, & baculo pastorum, deterrenda est rabies luporum.

Ambro. super Beati immaculati.

Est insitum bonis, vt castum pudicus, prudentem sapiens, misericors liberalem, affectu pio diligat, & virtutes suas in alijs amet. In plærisque iusti aspectus iam monitio correptionis est perfectioribus lætitia est.

Grego. Ianuario epis. & habetur 2. quæst. 7. Paulus.

Paulus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc est obseruanda, cùm culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorũ: vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos: & rursus. Maledictus puer centum annorum.

Gregorius Ioanni episcopo Constantinopol. & habetur dist. 22. De Constantinopolita.

Ego etiam minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum: stultus enim est, qui se in eo primum existimat, vt bona quæ viderit discere contemnat.

Gregorius libro Moralium.

Cùm maiores voluptati deseruiunt, nimirum minoribus lasciuiæ fręna laxantur.

Idem libro 9.

Bona, quæ facere ipsi negligimus, hęc ad correctionem nobis Deus ab alijs fieri demonstrat, vt qui præceptũ non attendimus, saltem exemplis excitemur, atq; in appetitu rectitudinis, nil sibi mens nostra difficilè existimet, quod perfectè peragi ab alijs videt.

Idem libro 10.

Nullum ego cõsilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas quæ oporteat fieri, prouocans eum ad meliora, & consulens ei, neq; verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

Idem libro 19.

Quid est quod omnipotens Deus & virtutes suas taceri voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt quasi inuitus indicatur? nisi quòd seruis suis exemplum dedit, vt ipsi virtutes suas occultari desiderent: & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti facta sua occultanda seipsos custodiunt. Sed dum produntur inuiti bona ad proximos extrà transmittant, occultentur igitur studio, sed necessitate publicẽtur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorum publicatio sit vtilitas aliena.

Idem libro 24.

Volãtia animalia se vicissim feriunt alis suis, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, considerantes inuicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percussit, qui exemplo sanctitatis me ad melius accendit, & ala meum vicinum animal ferio, si quando alteri opus bonum, quod imitatur, ostendo.

Idem libro 30.

Qui plenissimè intelligere appetit qualis sit, tales debet aspicere, qualis non est, vt in bonorum forma metiatur, quantum ipse de subiecto difformis est. Iustorum enim species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Lectio hæc bonorum vita.

Gregorius in Moral. sup. illud Iob 30. Si quando ridebam ad eos, non credebant.

Dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, subditi ipsi ad illicita resoluuntur.

Idem lib. 1. Dialogor.

Sunt nonnulli quos ad amorẽ cęlestis patriæ plus exempla quàm pręedicamenta succendũt.

Gregorius in Pastorali.

Plærunq; contingit, vt qui negligenter de se mala opinari permittant, per semetipsos nulla quidem vnquam faciant, sed tamen per eos qui se imitati fuerint multiplicius delinquunt.

Ibidem.

Qui bona occultè faciũt, & cum quibusdam factis publicè mala de se opinari permittunt, cũ seipsos rectè virtute viuificãt, alios in se per exempla malę ęstimationis occidunt, & cum salubris vini potũ sorbeant, pestiferi veneni poculum alijs infundunt.

Ibidem.

Nemo amplius in Ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namq; hunc redarguere nullus præsumit, & exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Gregor. in Pastorali de seipso.

Dum monstrare, qualis debet esse pastor, inuigilo, pulchrũ depinxi hominẽ pictor fœdus.

Grego. super Ezechielem hom. 5.

Qui in occulto bene viuit, sed alieno profectui minimè proficit, carbo est: qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumẽ rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est, quia & sibi ardet, & alijs lucet.

Gregorius hom. 5.

Perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, & nihil in illis aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla.

Idem in hom. super Euangel.

Cùm clericum videmus admonendus est, quatenus sic viuat, vt exemplum vitæ secularibus præbeat, ne si quid in illo reprehenditur ex eius officio ipsa religionis nostræ æstimatio grauetur.

Ioannes Chrysost. & habetur distin. 40. capite Multi sacerdotes.

Ideoq; malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim

tuo sedes, siquidem bene vixeris & bene docueris, populum instruis: si bene docueris, & malè vixeris tui solus condemnator eris. Nam bene viuendo & bene docendo populum instruis, quomodo viuere debet: bene autem docendo, & malè viuendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare,

Isidorus de summo bono, lib, 1. par. 1. cap. 11

Qui sanctum virum imitatur, quasi exemplũ aliquod intuetur, seseque in illo quasi speculo prospicit, vt adijciat quod deesse virtutis agnoscit. Minus enim seipsum homo ex seipso considerat. Sed dum alterum intendit, id quod minus est, virtutis addidit.

Idem in Syno. soliloquio. lib. 1. cap. 10

Aspice ex alio tormento quod timeas. Respice in alieno exitio quod pauescas. Euita foueam in quam alium videris cecidisse coram te. Pericula aliena in te pertimesce. Quæ verbis doces, exemplis ostende.

Idem Soliloquio. libro 2. cap. 3.

Vita malos, caue iniquos. Si fueris socius conuersationis, eris & virtutis. Similis simili cõiungi solet: vitã cum malis ducere periculosum est & cum his, qui prauę voluntatis sunt sociari.

Isidorus de summo bono libro 2.

Maioris est culpæ manifestè quàm occultè peccare, dupliciter enim reus est, qui apertè delinquit, quia agit & docet.

Bernardus in sermo.

Non tibi videtur grauiorem Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernitioso, scandali occasione ab eo peruertit animas quas redemit, quàm à Iudæo qui sanguinem suum fudit.

Idem in serm. 6.

Sermo quidem viuus & efficax exemplum operis est, plurimũ faciens suasibilem, tunc cũ intendimus, quod dicitur, dum monstratur scibile quod suadetur.

Bernardus in epistola 72.

Pulcherrimus ordo est & saluberrimus, vt onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas qualiter oporteat alijs moderari.

Leo Papa in serm. de Ieiunio.

Validiora sunt exempla quàm verba, & plenius opere docetur, quàm voce,

Hugo de claustro animæ, libro 3.

Sic luceat lux vestra corã hominibus: id verò ex hoc fit: cùm apparet misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione.

Caßio. libro 1. Epistolarum epist. 38.

Illi prudentiores sunt semper habiti, qui multorum hominum conuersationibus probantur eruditi.

Idem libro 5. episto.

Clarius enim suas maculas reddunt, si illi ad quos multi respiciunt aliqua reprehensione sordescunt. Alioqui expedit non videri quã cunctorum irrisione signari. Omnes ergo, qui grauiorum celsa petimus vitiorum, humilia deferamus, sit in nobis frõs libera, vt aliorum possimus emendare peccata, æquat crimen omne quod inquinat, & ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat

Idem libro 5. epist. 44.

Instructus redditur animus in futuris, quando præteritorũ commouetur exemplis.

Idem libro 10. epist. 13.

Res minor ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure iudicem sustinet, qui peccatis præstat exempla.

Idem libro 12. epist. 3.

Nemo amplius acquirit, quàm qui se bona cõuersatione tractauerit.

Lactantius Firmianus libro 3. Diuinarum institutionum aduersus gentes.

Qui docent tantum nec faciũt, ipsi preceptis suis detrahunt. Bonũ est autem recta & honesta præcipere, sed nisi & facias mendacium est, & incongruens atq; ineptum, non in pectore, sed in labris habere bonitatem. Qui nimiũ parcus est, discit aqua & polẽta vitã posse tolerari. Qui odit vxorẽ, huic enumerantur cœlibatus bona. Habenti malos liberos, orbitas prædicatur. Aduersus impios parentes, nullum vinculum esse naturæ, literæ licet paucæ sint, variæ tamen collocatæ, innumerabilia verba conficiunt. Non enim fas, aut eum qui sceleratus, in vita feliciter effungere, quod meretur, aut eum qui ob iustitiam miserrimus fuerit, sua mercede fraudari.

Innocẽtius Papa, & hab. dist. 20. De quibus causis

Sanctorũ exẽpla perspicaciter recordamini.

Seneca ad Lucilium in epistola.

Id agamus, vt meliorem vitam sequamur quã vulgus, non vt cõtrariam. Alioquin quos emendare volumus, fugamus à nobis & auertimus. Illud quoq; efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent ne imitanda sint omnia. Hoc primũ Philosophia promittit, secundũ omnem humanitatem & cõgregationem, à qua professione dissimilitudo nos separabit. Videamus ne ista, per quę admirationem parare volumus, ridiculosa & odiosa sint.

Idem epistola 25.

Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias quẽ interesse cogitationib. tuis iudices. Hoc quidẽ longe magnificentius, est, sic viuere, tanquã sub alicuius boni viri, ac semper pręsentis oculis. Cũ iam protceris tantũ, vt sit tibi etiam tui reuerẽtia, & doceris, nec te eum feceris, cum quo peccare nõ audeas.

Idem in prouerbijs: Licebit dimitti pædagogũ.

Dignus tibi sis, coram te peccare pudeat, discipulus est prioris posterior dies. Ex vitio alterius

rius sapiens emendat suum. Optimum est maiorum sequi vestigia, si rectè præcesserint.

Ibidem.

Bonum est in malo alieno fugienda tueri.

Seneca in sententijs Oratorum.

Si bene egeris, ipse tibi personæ autoritatem dabis: viri boni est scire pati, nec facere iniuriã. Author malus bonam rem turpem facit.

Seneca libro Declamationum.

Filius quid imitandum sit, discet exemplo.

Idem Tragœdia 6.

Ferre quam sortem patienter omnes
Nemo recusat.

Aristoteles libro 1. Poëtriæ.

Exemplis vtimur in dicendo, vt faciliùs intelligatur quod dicitur.

Idem libro 1. Priorum.

Exempla non ponimus, quia ita sint, sed vt sentiant addiscentes.

Idem libro 2. de cælo & mundo.

Opposita iuxta se posita magis elucescunt.

Idem libro 9. Ethicorum.

Accipere virtutes virtuosorum beatissima est vita.

Idem libro 9. Ethicorum.

In omnibus oportet imitari meliorem, vel quod melius est.

Idem 10. Ethicorum.

Magis mouent exempla, quàm verba.

Ibidem.

In actionibus humanis minùs creditur sermonibus, quàm operibus.

Ibidem.

Quando sermones dissonant in operibus sensibiliter, tunc contemnuntur.

Idem libro 7. Politicorum.

Iuuenes sunt custodiendi, vt nec dicant, nec audiant malum, vel turpe aliquod, quia ex dicere & audire aliquid turpium, de facili fit facere aliquod turpe.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophor.

Interrogatus Solon, qualis debet esse populi rector, respondit: populi rector prius se, quàm populum rectificare debet. Alioquin erit velut qui vmbram curuam rectificare conatur, priusquam virga curua vmbram faciens, recta fiat.

Ibidem.

Per viam publicam ne ambules, id est, ne multorum sequaris errores, Pythagoras dicebat.

Ibidem.

Cùm Virgilio ab imperitis obijceretur, quòd alienos versus suo operi inserebat, respondit: magnorum virorum est, clauam extorquere de manu Herculis.

Plutarchus in Apophthegmatibus.

Alexander adhuc puer, cùm & lenitate corporis, & pedum velocitate plurimum valeret, hortatus à patre, vt Olympiacis ludis stadium curreret, ait: facerem id quidem, si cum regibus mihi certamen futurum esset.

Ibidem.

Prætereà cùm Alexander res gestas legeret, collachrymauit, dixitque ad amicos, is cùm hac esset ætate Darium vicit, mihi verò in hanc vsq; diem gestum est nihil.

Macrobius saturnalium libro 6.

Considerandum hunc esse fructum legendi, æmulari ea, quæ in alijs probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris in aliquem vsum tuum opportuna deriuatione cõuertere. Quod & nostri tam inter se, quàm ex Græcis, & Græcorum excellentes inter se sæpe fecerunt.

Idem saturnalium libro 1.

Plebeia ingenia magis exemplis, quàm oratione capiuntur.

Cicero libro Officiorum.

Plerunq; autem præceptis parentum imbuti ad eorum cõsuetudinem moremq; deducimur.

Idem Rhetor. libro 2.

Exemplum vitiosum est, si aut falsum est vt reprehendatur, aut si improbum, vt non sit imitãdum, aut maius, aut minus, quàm res postulat.

Cicero Rhetor. nouor. libro 4.

Hoc ipsum maximum artificium est, in arte sua posse alienis exemplis vti.

Ibidem.

Nam rerum omnium imperiti, qui vniuscuiusque rei de rebus antè gestis exempla petere non possunt: hi per imprudentiam facillimè deducuntur in fraudem. At hi qui sciunt quid alijs acciderit, facilè ex eorum euẽtibus suis possunt rationibus prouidere.

Valerius Maximus libro 2. titulo de institutis antiquis.

Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitãda, virtutem iuuenum, alacriorem redderent. Quid hoc splendidius? quid hoc vtilius certamine? Pubertas carnis suum decus reddebat, defuncta virium cursu ętas, ingredientes actuosam vitam fauoris nutrimẽtis prosequebatur.

Ibidem.

Spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumit.

Qu. Curtius de gestis Alexandri libro 6.

Liberior est in mutuas querelas dolor.

Lucius Apuleius de Deo Socratis.

Quin nos quoq; Socratis exemplo & commemoratione erigimur.

Plautus in Pseudulo.

Probum esse patrem oportet, qui gnatum suum esse probiorem, quàm ipsus est, postulat.

Ibidem.

Id ne tu mireris si patrizet filius.

Claudianus.

Scilicet in uulgus manant exempla regentum.

Ouidius de Ponto libro 3. elegia 2. ad Cottam.

Cùm feriant unum, non unum fulmina terrent:
Iunctaq; percusso turba pauere solet,
Cumq; dedit paries uenturæ signa ruinæ,
Sollicito uacuus sit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia uitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?

Idem 6. Fastorum.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cùm iudex, alios quod monet, ipse facit.

Horatius carminum libro 3. ode 5.

Hoc cauerat mens prouida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis: & exemplo trahentis
Perniciem ueniens in æuum.
Si non periret immiserabilis
Captiua pubes.

Horatius Sermonum libro 1. satyra 1.

Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris:
Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.

Iuuenalis satyra 14.

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntq; parentes.
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.

Ibidem.

—Expectas ut non sit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere cursu,
Vt non terdecies respiret? conscia matri
Virgo fuit, ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cynœdis.
Sic natura iubet, uelocius & citius nos
Corripiunt uitiorum exempla domestica.

Ibidem.

Sed reliquos fugienda patrum uestigia ducunt,
Et monstrata diu ueteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnis huiusce, etenim uel
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis
Turpibus, ac prauis omnes sumus, & Catilinam
Quocunq; in populo uideas, quocunq; sub axe,
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus usquam.
Nil dictu fœdum, uisuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras: nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
Nam si quid dignum censoris fecerit ira,
Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum,
Nec uultu dederit, morum quoq; filius, & cùm
Omnia deterius tua per uestigia peccet,
Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis,
Vnde tibi frontem libertatemq; parentis,
Cùm facias peiora senex? uacuumq; cerebro
Iam pridem caput hoc uentosa cucurbita quærat?

Iuuenalis satyra 14.

Hospite uenturo cessabit nemo tuorum,
Verre pauimentum, & nitidas ostende columnas.
Arida cum tota descendat aranea tela.
Hic lauet argentum, uasa aspera tergeat alter.
Vox domini fremit instantis, uirgamq; tenentis:
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis uenientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus, & tamen uno
Semodio scobis hæc emendat seruulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum uitioq; carentem.
Gratum est, quod patriæ ciuem, populoq; dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis,
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quib. hunc tu
Moribus instituas, serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur iumento, & canibus, crucibusq; relictis,
Ad fœtus properat, partemq; cadaueris affert.
Hic est ergo cibus magni quoq; uulturis, & se
Pascentis, propria cùm iam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu uenantur aues, nunc præda cubili
Ponitur: inde autem, cùm se matura leuabit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam
Quam primùm rupto prædam gustauerat ouo.
Aedificator erat Centronius, & modò curuo
Littore Caietæ, summa nunc Tyburis arce,
Nunc prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina uillarum, Græcis, longeq; petitis
Marmoribus, uincens Fortunæ, ac Herculis ædem.
Vt spado uincebat capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parua tamen mensura relictæ
Partis erat, totam hanc turbauit filius amens,
Dum meliore nouas attollit marmore uillas.

Exemptio Græcè ἀνευθυνία ας ἡ, & ἀνεύθυνος ὁ ἡ exemptus dicitur. Et is est, qui non subest iurisdictioni ordinarij. Diciturq; ab eximo, quod est aufero, excipio. Differũt aũt eximo & eripio, vt placet Pomponio iurisconsulto: quòd cripere est de manibus auferre per raptum. Eximere verò quoquo modo auferre. Itaq; erit eximendi verbum generale, vtputa: Si quis non raperet aliquem, sed moram faceret, quò minùs in iudicium veniret, vt actionis dies exiret, vel res tem pore amitteretur, videtur exemisse, quáuis corpus non exemerit. Hinc eximium dicitur excellés, egregium, tractum ab eo, quod in sacrificijs optimum pecus de grege eximebatur, vel quod primùm

primum erat ratum. Et eximij porci dicebantur maiores, qui ad sacrificandum electi erant: sicut oues dicebantur è grege electę: vnde egregium dicimus excellens, & eximiè & egregiè aduerbialiter, & ab eximo exemptio dicitur.

Exercitatio Græcè ἄσκησις εως ἡ, & ἀσκέω exerceo dicitur, venitq; ab arceo, quod est premo, fatigo, quasi extra arceo. Exercere propriè fatigare est. Teren. I sanè, ego te exercebo hodie, vt dignus es, silicernium. Aliquando exercere ponitur pro agitare, commouere. Pro insequi, pro laborare, colere, à cuius frequentatiuo exercitio fit exercitium & exercitatio: & exercitus fatigatus particulariter: & exercitus nomen, hoc est, militũ multitudo, qd' est exercendo fit melior.

Exercitium Græcè γυμνασία ας ἡ dicitur. Et est vitę humanę conseruati, ocaloris naturalis lima, exercitatio dormientis naturæ, virtutũ corroboratio, superfluitatum cõsumptio, ocio inimicum, tẽporis lucrum, iuuentutis debitum, & senectutis gaudium. Ille ergo solus ab exercitio sustineat, qui sanitatis beneficio vult carere, secundum Fulgentium.

Prouerbiorum cap.12.

Qui operatur terram suam, satiabitur panib. Qui autem sectatur otium, stultissimus est.

Ecclesi.cap.9

Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec oratio, nec sapiẽtia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.

Hieronymus in sermone.

Non facilè capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio.

Bernardus ad fratres.

Rusticus duros habet neruos, lacertos fortes, exercitatio hoc facit, siue cum corpore inolescit, voluntas facit vsum, vsus exercitium, exercitium vires sumministrat.

Bernardus in sermone natiuitatis Domini.

Pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio angelorum & allocutio. Agnoscant ergo homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab angelis non merentur.

Hugo de institutione nouitiorum.

Sępe illa quæ in publico non valemus, necessariò quendam prius in secreto exercitationis vsum exposcunt, quia si ea prorsus in occulto negligimus, vti postmodum eis dum opus est, in publico non valemus.

Caßiodorus libro 9.epistolarum.

Constat omnem operam, si longa intercapedine quiescat, egrè resumi. Quis enim ignoret cunctis aut artificibus, aut artibus maximũ decus vsu venire? cumq; studia consueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigrescere in artibus.

Idem libro 4.epistolarum.

Aegrescit profectò ingenium, nisi vigilatione reparetur. Citò expediuntur horrea, quæ assidua non fuerint adiectione suffulta. Thesaurus ipse quàm facilè profunditur, sic humanus sensus cùm alieno non farcitur inuento, citò potest attenuari de proprio.

Vegetius de re militari libro 2.

Omnes artes, omniaq; opera quotidiano vsu & iugi exercitatione proficiunt. Quod si in paruis verum est, quantò magis decet in maximis custodiri?

Seneca in epistola 3.

Quem in ipsa re trepidare volueris, ante rem exerceas.

Aristoteles libro Metaphysicæ.

Exercitium est causa sanitatis, & econuersò.

Idem libro 1.Rhetorices.

Exercitium vt in pluribus conseruat sanitatẽ.

M. T. C. libro 2.Rhetoricorum.

Exercitium tẽperatum conseruat sanitatem.

Idem libro 2.Ethicorum.

Exercitatio est assiduus vsus & consuetudo.

Ouidius in epistola Phedræ ad Hyppolitum.

Ars fit ubi à teneris crimen condiscitur annis.

Ibidem.

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat uires, fessaq; membra leuat.

Ibidem.

Arcus & arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Exilium Græcè φυγή ης ἡ, & φυγάς άδος ὁ exul dicitur. Exilium autem venit ab exul, qui dicitur extra solũ natale: hoc est, qui extra patriam eiectus est: hinc exulo verbum, quod est extra patriam eiectus viuo, & exulabundus in exilio vitam agens.

Euripides in Medea.

πολλ' ἐφέλκεται φυγὴ κακὰ σὺν αὑτῇ, id est: *Multa attrahit exilium mala secum.*

Ibidem.

μόχθων οὐκ ἄλλος ὑπέρθεν ἢ γαίας πατρίας στέρεσθαι. *Laborum non alius supra quàm terra patria priuari.*

Existimatio quod Græcè ὑπόληψις εως ἡ, & ὑπολογίζω reputo dicitur. Fere semper passiuè capitur, vt homo magnæ existimationis, id est, de quo omnes bene opinantur, & quem magnum existimant. Vide de hoc vocabulo suprà in Aestimatio, & de hac materia suprà in Authoritas.

Exorcismus Græca dictio est ἐξορκισμός οῦ ὁ, & ἐξορκίζω adiuro dicitur. Est autem adiuratio contra Diabolum, & habetur de conse. distin. 4. cap. Ante decem dies. De hac materia vide suprà in Adiuratio, & in adiurationis arbore.

Exordium Gręcè προοίμιον ου τὸ, & προοιμιάζω procemium facio dicitur. Et est exordium siue procemium orationis initiũ, sicuti in poesi pręfatio, in lyræ pulsatione præludium. Diciturq; ab exordior, quod est fari incipio. Redordior verò est rursus incipio.

Expe-

Expectatio Græcè ὑπομονή ης ἡ, & ὑπομένω expecto dicitur. Est autem expectatio motus spei propter cognitionem præcedentem respectu auxilij alieni, secundum B. Thom. prima secundæ, q. 40. art. 4.

Expectare dicit protésionem appetitus in aliquid, cum quiete priuante fugam, secundum B. Thom. 3. Sen. dist. 26. q. 1. art. 1. Dicitur autem expecto à verbo specio, quo non vtimur nisi in cōpositione: licèt antiqui etiam in simplici vterentur pro video: vnde augures specere, hoc est, inspicere aues dicebant, & spectionem auium pro inspectione & contemplatione. Ennius: Vos epulo postquā spexit, & vestispici custodes vestium, serui: quòd frequenti diligentia vestes inspiciebant. Plautus: Tū familia tota vestispici, iunctor, auricustos. Et quoniam cùm aliquem præstolamur, an veniat frequēter aspicere solemus, ideo expecto sumitur pro præstolor. Aliquando pro moram traho. Virgilius: Tyria Carthagine qui nunc expectat. Nonnunquam desidero. Idem: Expectatè venis. Vnde expectatio, quod modò præstolationem, moram: modò desiderium significat.

Homerus in β. Iliados.

αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι. id est:
Turpe certè diu expectare, uacuumq; redire.

EXperientia Græcè πεῖρα ας ἡ, & πειράομαι experior dicitur. Experimentum autem siue experientia nihil aliud esse videtur, nisi accipere aliquid ex multis in memoria retentis, cum aliqua ratiocinatione in particularibus, secundum B. Tho. super li. Posteriorum 2. col. 2. le. si.

Experientia est cognitio singularium. Ars verò vniuersalium, secùndum Aristotelem libr. 1. Metaphysi.

Experientia venit ab experior. Experiorque venit à perio verbo, quo vtebantur antiqui pro aperio, doceo, vnde peritos dicimus doctos, expertos. Sicuti econuersò. Imperitos, indoctos, atq; inexpertos, vnde peritia & imperitia deriuantur, ab eo verbo actiuo, perio fit compositum, quod est in vsu experior, vnde experti, periti: & experientia, vsus, doctrina. Expertes autem dicuntur ignari, rudes, nullam rerum experientiam habentes. Item expertes qui non sentiunt: vt expertes doloris, qui dolorem non sentiunt, vt expers mortis, qui non moritur. Expers humanitatis, qui nihil habet humani. Sunt tamē qui velint expertem nō ab experior venire, sed ab ex & pars, quasi extra partem. Venit autem à perio, vnde dicitur experior, à pario paris.

Menander.

ἐμπειρία γὰρ τῆς ἀπειρίας κρατεῖ. id est:
Experientia enim inexperientiæ imperat.

Demea apud Terentium in Adelphis.

AMANTIVS. *NVnquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit:*
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat: ut illa quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Plautus in Trinumo.

Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est.

Experientia rerum magistra.

C. Quam sit. De electione in 6. l. legatis. §. Ornatricibus. ff. De legatis. 3. in Authen, De appellationibus & intra quæ tempora.

Ouidius 2. de arte amandi.

Solus & artifices qui facit usus adest.

Et multùm distat scientia à praxi, sicut tactus à visu intellectuali: Experientia enim est sicut lapis, quo probatur aurum. Vide Augustinum Niphum in Metaphysicis quæstionibus egregiè disputantem de Theorica ac Praxi.

Prouerbium.

Dicendo dicere discunt.
ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν πορίζεται.

Dicendo consequimur vt dicamus. Syranus Hermogenis interpres Euagorā Sophi. taxat, qui dicendi facultatem non putarit ratione, sed vsu duntaxat constare, fieriq; vt dicendo consequeremur dicendi facultatem, ἀξιοῦντες δὲ, inquit, κατὰ τὴν συρφετὴν παροιμίαν, τὸ λέγειν ἐκ τοῦ λέγειν πορίζεσθαι. id est: Existimantis, iuxta vulgare prouerbium, dicendi facultatem dicēdo contingere. Vsurpauit & Marcus Tullius Cicero libro 1. De Oratore, in quo, inquit, fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, vt dicant, efficere solent: verùm etiam illud dicitur, peruersè dicere, homines peruersè dicendo facillimè consequi. Latius autem patet adagium, nempe ad cuiusuis rei peritiam, quàm potissimum vsus suppeditat, optimus rerū omnium magister. Proinde prouerbiales erunt omnes id genus; Fabricando fabricam disces, canendo musicam: militando militarem artem: scribendo disces scribere.

Prouerbium.

Respublica docet uirum. *id est:*
πόλις ἄνδρα διδάσκει.

Prouerbium, quo significatur, neminem ad rem gerendam idoneum esse posse, nisi qui sit vsu exercitatus. Plutarchus citat ex Simonide, tametsi hemistichium est carminis Heroici. Quantumlibet diu versatus in agro, non fies idoneus administrandæ Reipublicæ, nisi vixeris in foro curiæ. Principum ab aulis longè, qui volet esse pius, discedat: Ego expertus moneo.

Cicero 1. de Oratione.

Dicendo sæpe dicere discimus.

Exercitatio potest omnia.

Μελέτη πάντα δύναται. id est:
Cura omnia potest.

Laërtius hanc sententiam Periandro tribuit, qui Isthmum etiam tentarit perfodere. Significat autem nihil esse tam arduum, quod diligentia

tia curaq; non efficiatur. Virgil. in Geor. Labor omnia vincit improbus, & duris vrgens in reb. egestas: extat apud Græcos prouerbialis sententia, θεοί τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται. id est: Dij bona laboribus vẽdunt: Huc allusit Horatius: Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Notabilis sententia.

Sophocles in Electra.

Citra laborem nil bene est. πόνου χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.

Seneca libro 2. de ira.

Atq; nihil est, inquit, tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat asidua meditatio: Nulliq; sunt tã feri suiq; iuris affectus, vt non disciplina perdomentur. Quodcunq; imperauit animus, obtinuit. Quidam nunquam ridere consueti sunt: vino quidam, alij Venere, quidam omni humore interdixêre corporibus. Alius contentus breui somno, vigiliam indefatigabilem extendit. Didicerunt tenuissimis & aduersis funibus currere, & ingentia, vixq; humanis toleranda viribus onera portare, & in immẽsam altitudinem mergi, ac sine vlla respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimẽtum omne transcendit: ostenditq; nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indixerit.

Disciplina omnia perdomat.

Industria humana.

EXPERIENTIA ARTEM FACIT.

Manilius libro 1. Astronomicôn.

Postquam omnis cæli spes est redeuntibus astris,
Percepta in proprias sedes, & reddita certis
Fatorum ordinibus, sua cuiq; potentia formæ:
Per uarios usus artem experientia fecit.

Ibidem.

Sed cùm longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;
Aduigilare sibi iußit fortuna premendo,
Seducta in uarias certarunt pectora curas,
Et quodcunq; sagax tentando repperit usus.

Ouidius libro 6. fabula 1. Metamorphoscôs.

Non omnia grandior ætas, quæ fugiamus habet,
Seris uenit usus ab annis.

Aetas prudẽtes facit.

Idem libro 14. fabula 16.

Quodq; magis timeas (etenim mihi magna uetustas
Scire dedit) referam tota notißima Cypro
Facta, quibus flecti facilè, & mitescere poßis.

Vsus, Aßiduitas, Labor, Studium, Diligentia.

Sophocles in Thieste.

Eamus quàm celerrimè: non potest enim iusta diligentia vnquam reprehendi.
ὡς νοῦν τάχος σείχωμεν, οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως σπουδῆς δικαίας μῶμος ὄψεταί ποτε.

Euripides in Heraclidis.

Virtus per labores incedit. id est:
ἁδ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων.

In Iphigenia.

Boni viri subire labores audent, & nunquam vlla in re sunt timidi.

Τοὺς πόνους γὰρ οἱ ἀγαθοὶ τολμῶσι, δειλοὶ δ' εἰσὶν οὐδὲν οὐδαμοῦ.

Idem in Licymnio.

Πόνος γάρ, ὡς λέγουσιν εὐκλείας πατήρ. id est:
Labor, vt aiunt, bonæ famæ pater est.

Epicharmus Siculus Poëta.

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθ' οἱ θεοί. id est:
Laboribus vendunt nobis omnia bona Diui.

Anaxandrides.

ἐκ μελέτης πλείους, ἢ φύσεως ἀγαθοί. id est:
Plures studio boni sunt, quàm natura.

Critias.

Necessum est vt laborent, qui volunt feliciter agere. id est:
Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

Euripides in Erichtheo.

Labor asiduus omnia vincit. id est:
Τὸ συνεχὲς ἔργον παντὸς εὑρίσκει τέλος.

Virgilius 1. Georgicorum.

Tum uariæ uenêre artes: Labor omnia uincit
Improbus, & urgens in rebus egestas.

Euripides in Archelao.

Tibi dixi, ô fili, ut fortunam laboribus
Indages: Honorari enim tuum patrem uides.
Nullus est, qui, dum molli uitæ studet,
Gloriam adeptus sit, sed laborandum est. id est:
Σοὶ δ' εἶπον ὦ παῖ, τὰς τύχας ἐκ τῶν πόνων θηρᾶν.
ὁρᾷς γὰρ σὸν πατέρα τιμώμενον,
οὐκ ἔστιν ὅστις ἡδέως ζητῶν βιοῦν
εὔκλειαν εἰσεκτήσατ', ἀλλὰ χρὴ πονεῖν.

Menander.

Nam si uel modicum modico coniunxeris,
Idq; frequenter feceris, statim fiet hoc quoq; magnum:
Omnia enim aßiduitate conficiuntur negocia. id est:
Πάντα γὰρ τῆς ἐντελεχείας καταπονεῖται πράγματα.

Euripides in Andromeda.

εὔκλειαν ἔλαβον οὐκ ἄνευ πολλῶν πόνων. id est:
Gloriam assecutus sum, non sine multis laboribus.

Aeschylus.

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός. id est:
Solet laborantem Deus pariter adiuuare.

Euripides in Erichtheo.

ἐκ τῶν πόνων τοι τ' ἀγαθ' αὔξεται βροτοῖς.
Bona per labores augentur hominibus:
Voluptuosa autem uita, & mala timiditas,
Nec domui, nec uictui quicquam prosunt.

Idem in Creßis.

οὐκ ἂν δύναιο μὴ καμὼν εὐδαίμων εἶναι,
αἰσχρόν τε μοχθεῖν μὴ θέλειν νεανίαν. id est:
Haud poteris felix absq; labore degere:
Et iuuenem laborare nolle, turpis res est.

Sophocles in Vatibus.

Nulla res sine magno labore ueniet,
Necessum est, ut laborent, qui uolunt esse fortunati:
Omnia pulchra laborans consequitur.

Nihil non desiderium inquirentis inuenit. id est:

ὄυ τοι προτ' ἥξῃ τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου.
Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.
εὐτυχεῖν ἅπαντα τὰ καλὰ τοῦ πονοῦντος γίνεται:
ἅπανθ' ὁ τοῦ ζητοῦντος εὑρίσκει πόθος.

Philemon in Catapseudomeno.

Omnia possunt inueniri, si modò non laborem
Fugerit aliquis, qui rebus indagandis adhæret,
Aßiduitate quælibet assequi datur.

Idem. Acti labores iucundi.

Quantum delector ob exhausta mihi præterita mala,
Nisi enim tum laborassem, in præsentia non gauderem. i.
Ὡς ἡδέως μοὶ γέγονε τὰ πρότερα κακὰ,
εἰ μὴ τότ' ἐπόνεσα, νῦν ἂν οὐκ εὐφραινόμην.

Euripides in Canero.

ὀυδεὶς ἔπαινον ἡδοναῖς ἐκτήσατο. id est:
Nemo sibi laudem comparauit ex uoluptatibus.
ὀυδεὶς γὰρ ὢν ῥάθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ. id est:
Nullus socors celebris est uir.

Idem in Archelao.

Alexis in Orchestride.

Labores generositatem pariunt,
Laborantem pariter Deus adiuuat.
Inueniuntur omnia quæsita,
Nisi prius desistas, laboremq; fugias.
Quum enim homines quidam inuenerint
Partem aliquam in diuinis, tanto spacio
Distantes nempe syderum ortus, occasus, solstitia,
Defectum solis, quidnam ex rebus omnibus
Et familiaribus hominem fugere posset?

Vsus magister.

Stylus optimus dicendi magister

Docuit libro 1. Epistola ad Tacitum. Plinius & libr.6. eadem. Marcus Tullius hunc omnium magistrorum precepta superare dixit. Hinc pro Cornelio Gallo: Asiduus, inquit, vsus, vni rei deditus, & ingenium, & artẽ sæpe vincit: Est enim ratio loquẽdi, & regula sermonis. Cæsar & huic fauet sententiæ in commentarijs, quod tamen latius explicuit Columella: Quid scilicet inter artem & vsum intersit: Scriptorum, dicens, magis instruere monumenta, quàm facere artificem. Vsum & experientiam dominari in artibus, neq; esse vllam disciplinam, quæ non peccando discatur. Nam vbi quid perperam administratum cesit improsperè, vitatur quod fefellerat, illuminatq; rectam viam docentis magisterium.

Herodotus libro 7. ex oratione Mardonij.

Nihil igitur fit, quod non experiamur: Nam sua sponte nihil fit, sed omnia ab experimento hominibus fieri consueuerunt: Discant itaque nos esse in re bellica præstãtißimos hominum.

NANVS.

EXprobratio Græcè ὀνειδισμός οῦ ὁ, & ὀνειδίζω exprobro dicitur. Est autem exprobratio ingestio improperij in facie: sed oblocutio est occulta detractatio. secundum B. Tho. super Psalmum 43. col. 9. Dicitur autem exprobro ab ex & probrum: est autẽ probrum scelus, ac flagitium. Et per metaphorã pro ignominia accipitur, quę ex scelere sequi solet: vt, datũ est ei probro, hoc est, ignominiæ ascriptum, hinc probrosum dicimus ignominiosum, & opprobrare ignominię obijcere, à quo opprobrium pro ipsa ignominia. Itẽ opprobrare ignominiosum aliquid obijcere, à quo exprobratio ipsa probri obiectio.

Terentius in Andria.

Nam isthæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficij.

Cicero libro de Amicitia.

Odiosum sanè genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is potius in quem collata sunt, non cõmemorare is qui contulit.

Martialis libro 12.

Imputet ipse Deus nectar mihi? fiat acetum,
Et uaticani perfida uappa cadi.

Exquisitio venit ab exquiro, quod Græcè dicitur ἐκζητέω. Est autem exquiro idem quod diligenter inquiro. A quo exquisita dicuntur digna, electa. quasi diligenter quæsita. Et exquæstor vocatur honoratus quæstor, & primus. Et exquisitè aduerbium, hoc est diligenter, electè, cultè. Differunt autem quærere, & exquirere, quia quærere est scrutari, inquirere. Exquirere verò est secernere, & eligere.

Exultatio Græcè ἀγαλλίασις ιος ἡ, & ἀγαλλιάω exulto dicitur. Est autem exultatio expreßio exterior, prorumpens in signum interioris gaudij, quia interius gaudium sui magnitudine ad exteriora prodit, secundum B. Thom. 4. Sen. distin. 49. q. 3. art. 1. Vnde exultatio in magnis gaudijs dicitur. Venit autem exultatio ab exulo frequentatiuo huius verbi exilio, quod est, ex eo prodo, & quasi saltando prorumpo. Exulto propriè significat supra modum exilio, atq; efferor, & quasi gestibus quibusdam, & saltibus affectũ animi ostendo, siue ira id fiat, siue sęuitia, seu voluptate, aut alia quacunq; affectione. Hinc exultabundus, & exultatio deducuntur.

FAbula Gręcè μῦθος ου ὁ, & μυθέομαι fabulor, μυθώδης εος ὁ ἡ fabulosus dicitur. Est autem fabula res ad vtilitatem, siue delectationem hominum cõficta, vt sunt Poëtarum fabulæ, vt fabulæ Aesopeiæ, quæ ab Hesiodo poëta initium sumpsere. Dicitur autem fabula à fando, inde fabulæ & confabulor simul loquor, & confabulatio, hoc est collocutio. Fabula facit diminutiuum fabella. Est autem propriè sermo.

Martialis.

Quodq; tibi mœchum fabula nulla dabat.

Paulus Apostolus 2. ad Timotheum cap. 4.

Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus. Et à veritate qui-

qui iem auditum auertent:ad fabulas autẽ conuertentur.

Augustinus libro de mendacio.

Apud autores secularium literarum, vt apud Horatium, Mus loquitur muri, & mustela vulpeculæ, vt per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur significatio. Vnde & Aesopiales fabulas ad eum finem relatas nullus ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Hæc & in sacris libris, vt in libro Iudicum, cùm ligna sibi regẽ fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur.

Ambrosius libro 3. de Officijs.

Fabula etsi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, vt iuxta eam possit veritas manifestari. Referunt (inquit) seculares virũ quendam fuisse, vt quoties virium suarum destitutus amicam & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset de solo surgens magis in aduersarium præualeret, & occasio prostrati, occasio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam, cui hæc conueniunt nisi Christo? qui ad hoc cecidit, vt gloriosior resurgeret.

Isidorus libro Sententiarum, & habetur dist. 22. Ideo.

Ideo prohibetur Christianus legere figmenta Poëtarum, quia oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incẽtiua libidinum, non enim thura solum offerendo Dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiendo.

Idem libro Etymologiarum 1.

Fabulę à fando dictę, quia non sunt res factę, sed tantummodo loquẽdo dictæ, quæ ideo sunt indictæ, vt ficto animalium mutorum inter se colloquio, imago quędã vitę hominum nasceretur. Sicut mus loqtur muri, mustela vulpeculæ, & in libro Iudicum, ligna sibi regem requirunt, quod totum ad mores ordinatur, vt ad rem quę intenditur ficta quidem narratione, sed veraci significatione perueniatur. Sic enim Demosthenes vsus est fabula aduersus Philippum, qui ab Atheniensibus postulabat decem oratores, & ille finxit fabulam. Lupi suaserunt pastoribus, vt in amicitiam conuenirent. Cumq́; hoc pastoribus placuisset, petierunt lupi vt primo sibi vice securitatis canes traderent, in quibus videbatur occasio iurgiorum, annuerunt pastores, & tunc lupi omnia dempta formidine, omnem gregem non solum pro satietate, sed etiam pro libidine lacerauerunt. Sic inquit Philosophus, sublatis oratoribus in populo Atheniensium, facturus est. Oratores populi postulat, quò facilius possit opprimere spoliatam custodibus vrbem.

Alanus de complanctu naturæ.

In superficiali lyræ cortice falsum resonat fabula. Lyra enim fabula poëtica: interius verò, auditoribus intelligentiæ secretum altioris eloquitur, vt exterioris falsitatis abiecto putamine dulciorem nucleum veritatis secretæ intus lector inueniat.

Seneca libro de Beneficijs.

Istæ ineptiæ poëtis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est, & dulcẽ fabulam nectere. Sed qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, ac memoriam officiorũ animis ingerere volunt, seriò loquantur, & magnis viribus agant.

Cicero libro 2. de diuinatione.

Nihil debet esse in philosophia commẽticijs fabellis loci.

Aristoteles libro 1. Metaphysicæ.

Philomithes, id est, fabularum amator est aliqualiter philosophus, quia fabula ex mirabilibus constituitur.

Commentator super secundo Metaphy.

Consuetudo audiendi apologos, & maximè fabulas, magnum impedimentum est in cognitione veritatis.

Facetia Græcè εὐτραπελία ας ἡ, & εὐτράπελος facetus dicitur. Est autem facetus, qui facit verbis quod vult, dictus à facio, vel vt aliquibus placet, à fando, vnde facetiæ. Vel sic:

Facetus est elegans in dicendo, & delitias & diuitias quasdam sermonis habens, quæ facetiæ dicuntur, vnde facetè aduerbium, hoc est excultè, eleganter, vrbanè.

Facilitas Græcè εὐκολία ας ἡ, & εὔκολος ου ὁ ἡ facilis dicitur. Sunt autem facilia quæ vel sine labore, vel breui tempore fiunt, secundum Aristotelem libro 1. Rhetoricorum. Erit itaq; dictu vel factu facilè, quod facilè dici vel fieri potest. Cuius contrarium est difficile, quod non sine labore fieri potest. Difficiles etiam terrę dicuntur quasi steriles. Virgilius: Difficiles primùm terræ collesq́; maligni. Dicuntur autem hæc à facio.

Facultas Græcè εὐπορία ας ἡ, & εὐπορέω facultatem habeo dicitur. Est autem facultas potestas, qua aliquid habetur ad nutum, secundũ B. Tho. 1. parte q. 83. ar. 2. Dicitur autem facultas à facio, ita & difficultas à difficili. Et quoniam diuites facilè quę volunt agunt, factum est, vt facultates pro opibus capiamus. Petronius Arbiter.

Quisquis habet numos secura nauiget aura,
Fortunamq́; suo temperet arbitrio.
Multa loquor, quoduis numis præsentibus opta,
Et ueniet, clausum possidet arca Iouem.

Factio Græcè συνωμοσία ας ἡ, & συνωμότης ου ὁ coniuratus dicitur. Estq́; factio diuisio ciuium in diuersa studia, cùm aliqui principes ac primarios facere in ciuitate conantur, inter quos æmulatio est, & qui eos sequuntur, seditiosi dicũtur. Cicero: Inter bonos amicitia, inter malos factio est: à factio hæc dicuntur.

Facundia Græcè εὐστομία ας ἡ, & εὐστομός ȣ ὁ facundus dicitur. Eſt autem facundia iucunda eloquentia, vnde facundus, fatu iucundus, ſecundum Acronem ſuper arte poetica. Horat. Diciturq; facundia à fando, ita & facundus dicitur diſertus, & qui ea quæ mente cócipit ad audientes facilè atq; ornatè profert. Eritq; facundia facultas diſſerendi cum gratia, & facundè aduerbium pro diſertè. De hac materia vide ſuprà in Concio. & Eloquentia.

Fallacia, quę alio nomine dicitur locus Sophiſticus, quia ſcilicet eſt cauſa fallendi quantum eſt de ſe, licèt aliquis non fallatur per ipſum in actu, niſi ignorantia adueniente, B. Thom. opuſculo 39. capite 1. finali. Fallacia à fando dicitur, vt Varroni placet, quòd fando decipiamus, & contra quem diximus, faciamus. Et fallax appellatur, qui mentiendo decipit: hinc refello, quod ita differt à purgo: vt refellere dicatur de eo, qui factum negat: purgare de eo, qui fatetur quidem factum, ſed defendit. Hinc etiam falſarij dicuntur, qui decipiendi gratia publica ſcripta falſificāt, & falſifico verbum, à quo falſificatio, & falſitas, de quo infrà.

Falſitas Græcè ψεῦδος εος τὸ, ac mendaciū, ψεύδης εος ὁ falſus & ψεύδω fallo dicitur. Eſt autem falſitas, qua putatur eſſe, quod non eſt, ſecundum Aug. libro 7. Confeſsionum.

Falſitas conſiſtit in iuæqualitate rei & intellectus, ſecundum B. Tho. in q. de Veri. q. 1. ar. 10.

Falſum eſt ſignificatio rei, non ita ſe habentis, ſecundum Auguſt. li. de doctrina Chriſt.

FAma Græcè φίμη ιος ἡ, vel φήμισις ἡ dicitur. Et eſt illæſæ dignitatis ſtatus, legibus & moribus comprobatus.

Fama eſt inanis de aliqua re rumor, ſine veri cognitione, ſiue bonus, ſiue malus. Et hoc tantum differt à rumore, quòd rumor ſemper de re recenti dicitur. Fama verò dicitur etiam de re inueterata firmataq; in hominum opinione, quamuis incerta. Fama frequenter ponitur pro laude & celebritate.

Virgilius.

Sum pius Aeneas fama ſuper æthera notus.

Fama, vt aliqui volunt Græcum vocabū eſt. Illi enim φήμη dicunt, quod nos fama. Alij volunt dici à fando: hinc famoſum & infantem dicimus in eadem ſignificatione. Cicero. Non pol inquit, audeo. Nam me ad famoſos vetuit mater accedere. Plautus. Qui etiam me miſerum famoſum fecit flagitijs ſuis. Hinc infamia & infamatio, qua Apuleius vtitur, deriuantur, & famiger, & famigero verbum, hoc eſt, diuulgo. Et famigerabile, vulgandum apud antiquos, vt Varro teſtatur, & famigeratio diuulgatio.

Prouerbiorum cap. 10.

Melius eſt nomen bonum, quàm diuitię multę, ſuper argentum enim & aurum gratia bona.

Eccleſiaſtici capite 41.

Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum.

Aug. de Bono uiduitatis, & hab. 11. q. 3. Non ſunt audien.

Non ſunt audiendi, ſiue viri ſancti, ſiue fœminæ, qui quando reprehendūtur in aliqua negligentia, per quam fit, vt in malam veniant ſuſpitionem, vnde vitam ſuam longè abeſſe ſciūt, dicant coram Deo ſufficere ſibi conſcientiam, æſtimationem hominum, non ſolùm impudenter, verumetiam crudeliter contemnentes: cùm occidant animas aliorum ſiue blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpitionem quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita ſanctorum. Vel etiam cum accuſatione imitātium, nō quod vident, ſed quod putāt. Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum, atq; facinorum vitā ſuam cuſtodit, ſibi benefacit, quiſquis autem etiam famam, & in alijs eſt miſericors. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra.

Auguſtinus libro Confeßion.

Cauete omnes ſuſpitiones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ſeu dici, ne fingatur, antè deuita.

Idem libro de doctrina Chriſt.

Sic Doctor bonam eligat vitam, vt etiam bonam non negligat famam.

Hieronymus ad Marcellum.

Falſus rumor citò opprimitur, & vita poſterior indicat de priore. Si anno præterito fama mentita eſt, aut certè verum dixit: ceſſet vitium, ceſſabit & rumor.

Hieron. ſuper illud Matt. 4. Abijt opinio eius.

Opera ſalutis ſine fama boni odoris non ſatis relucent auditoribus: nec fama ſine opere proficit, ſine quibus forma veri ſacerdotis non commendatur.

Greg. & habetur 6. q. 1. Sunt plurimi qui.

Sunt plurimi, qui vitam bonorum fortaſsè amplius quàm debent laudant, & ne qua elatio de laude ſubrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & obiurgationé prorumpere, vt ſi qua culpa ab ore laudantium in corde naſcitur, ab ore vituperātium ſuffocetur. Hinc eſt quòd Doctor gentiū ſe in prædicatione currere teſtatur, inter infamiam & bonam famam, qui etiam dicit, vt ſeductores & veraces.

Idem in Regiſtro.

Habet proprium antiqui hoſtis inuidia, vt quos in prauorum actuum pręparatione Deo ſibi reſiſtente decipere non valet, opiniones eorum falſa ad præſens inſinuando dilaceret.

Iſidorus in ſynonimis ſoliloquiorum libro ſecundo capite 27.

Diſce bono flagrare preconio. Cuſtodi bonā famam tuam.

Caßio-

Caßiodorus libro 1.epistola 3.

Inclyti animi signum est famæ diligere commodum,& lucra causarum negligere. Nam qui affectat famæ commodū,pecuniæ negligit augmenta.

Ibidem.

Regnantis facultas tunc fit ditior,cùm remittit & acquirit thesauros famæ,neglecta vtilitate pecuniæ.

Ibidem.

Nemo futurum putat diligentem,quem in ipsa nouitate operationis suę non videt esse custodem.Proudius institutor,hortum suum fœcundis nititur ornare plantarijs,vt reddant fructus optatos,quæ sollicitis fuerāt exculta laboribus.

Idem epistola 24.

Laborē quippe non refugit,qui virtutis gloriam concupiscit.

Idem libro 2.epistolarum.

Vbiq; cognoscitur quisquis fama teste laudatur.Dum enim copia plurimùm,quę solet habere fastidium,bonum nomen repetitum,semper efficitur gloriosum.

Ibidem.

Melius est de perpetua vita quàm de fama cogitare.nostra enim post mortem non opuscula,sed opera sunt pensanda,quia si aliquid agimus nostrum est,si quid habemus alienum est.

Idem libro 4.epistola 31.

Vituperationem generant,quæ in medijs conatibus ægra deseruiunt.

Idem libro 5.epistola 12.

Pulchrum est commodum famæ, fœda neglexisse lucra pecuniæ.

Idem libro 6.epistola 12.

Interdum assidui labores,& ipsas ingratas faciunt dignitates.Graue pondus inuidię est,splēdere singulari claritate,& morum lampade non lucere.

Idem libro 6.epistola 88.

Quærat eruditus,vbi poſsit existere gloriosus,Prudens frequentiam non respuat hominū,in qua se nouerit esse laudandum. Alioquin virtutibus fama tollitur,si eorum fama in hominibus non sciatur.

Caßiodorus libro 8.epistola 23.

Hoc naturæ thesauris reponimus,quod famę commodis applicamus.

Alanus de complanctu naturæ.

Veræ famæ hæc est gloriosa proprietas,vt appatitores sui contemnat,appetat cōtemptores: famam fugiendo consequitur, quam perderet in consequendo.

Lactantius Firmianus libro 2.diuinarum institutionum.

Nam omninò fingendarum similitudinum ratio idcirco ab omnibus inuenta est,vt poſsit eorum memoria retineri, quíue morte subtracti,vel absentia fuerant separati.

Seneca de remedijs fortuitorum.

Malè autem de te opinantur homines,sed mali. Mouerer,si de te Marius,si Cato,si Lælius sapiens,si alter Cato,si Scipiones duo ista loquerentur: mouerer, si hoc iudicio facerent,quod nunc morbo faciunt.

Ibidem.

Bona opinio hominum tutior est pecunia.Bonum quod est supprimitur, nequaquam extinguitur.Bona fama in tenebris proprium splendorem tenet.

Idem in Prouerbijs.

Damnum appellandum est,cum fama mala lucratur. Honestus rumor,alterum est patrimonium.Vis omnibus esse timori?prius effice,vt neminem noueris.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Sic statue quicquid statues,vt causam tuam,famamq; in arcto stare,& ancipiti scias.

Idem Tragœdia 4.

Comtemne famam,fama vix vero fauet.

Commentator super librum de Somno & Vigilia.

Famosum secundum totum non est falsum.

Cicero Rhetoricorum nouorum libro 2.

Temerè fama nasci non solet,quin subsit aliquid.

Ibidem.

Facta,non famam spectari oportet.

Idem libro Topicorum.

Fama vulgi,est quoddam multitudinis testimonium.

Cicero in Philippicis libro 1.

Ea est gloria,laus rectè factorū magnorumq; in Rempub.meritorum,quæ tamen optimi cuiusq; magnitudine & testimonio comprobatur.

Idem libro 3.

Nihil est detestabilius dedecoratione, nihil fœdius seruitute.Ad decus & libertatem nati sumus,aut hoc teneamus,aut cum libertate moriamur,dedecus virtus propulsare solet.

Cicero libro 1.Tusculanarum Quæstion.

Quid Poëtæ? Nónne post mortem nobilitari volunt? Vnde ergo illud : Aspicite ô ciues,senis Ennij imaginis formam.Hic vestrûm pinxit maxima facta patrum.Mercedem gloriæ flagitabat ab ijs,quorum patres affecerat gloria. Idemq;: Nemo me lachrymis dedecoret,nec funera fletu faxit. Cur?volito viuus docta per ora virûm. Sed quid Poëtas?Opifices post mortem nobilitari volunt.Quid enim Phidias sui similē speciem,inclusit in clypeo Mineruæ,cùm scribere non liceret? Quid nostri Philosophi?nónne in his ipsis libris,quos scribunt de contemnenda gloria,sui nomina inscribunt?

Aristoteles libro 7.Ethicorum.

Fama quam omnes famāt,non omninò perit.

Valerius Maximus libro 2.tit.1.de institutis antiquis.

Ariopagus Athenis bonos ciues corona deco-

randi primò consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis, clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutum, siue rem, siue personam intueri velis. Nam & virtutis vberrimum alimẽtum est honos, & Pericles dignus, à quo talis muneris dandi potestas potissimum initium ceperat.

Valerius Maximus lib. 7. tit. Sapienter dicta aut facta.

Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellẽt, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipsam potius virtutem haurirẽt, quàm vmbram eius consectarentur.

Hesiodus.

Φημὴ δ᾽ ὄυτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν ϖνά πολλοὶ
Λάοι φημίζουσι, θεὸς νύτις ἐστι καὶ αὐτή. id est:

Fama autem nulla penitus perit, quàm multi populi fami
Dea certè quædam est & ipsa. (gerant.

Plautus in Mustellaria.

Ego si bonam famam mihi seruasso, sat ero diues.

Idem in Persa.

Hominum immortalis est infamia, etiam tunc viuit, cùm esse credas mortuam.

Virgilius Aeneidos 4.

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.
Parua metu primò, mox sese tollit in auras,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

ET POST.

Monstrũ horrendũ, ingens cui, quot sunt corpore plumæ,
Tot uigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot surrigit aures,
Et magnas territat urbes.

ET POST.

Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia ueri.

Ouidius Metamorphoseôs libro 7. fabula 1.

Sed te ne faceres, tenuit reuerentia famæ.

Idem libro 9. fabula 3.

—Fama loquax peruenit ad aures
Deianira tuas quæ ueris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per uestigia crescit.

Idem libro 12. fabula 3.

Orbe locus medio est inter terrasq; fretumq;,
Cælestesq; plagas, triplicis confinia mundi,
Vnde quod est usquam, quamuis regionibus absit,
Inspicitur, penetratq; cauas uox omnis ad aures.
Fama tenet, summaq; domum sibi legit in arce,
Innumerosq; aditus ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte dieq; patet, tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, uocesq; refert, iteratq; quod audit.
Nulla quies intus, nullaq; silentia parte,
Nec tamen est clamor, sed paruæ murmura uocis:
Qualia de pelagi (si quis procùl audiat) undis
Esse solent, qualẽmue sonum cùm Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet, ueniunt leue uulgus euntq;,
Mixtaq; cum ueris passim commenta uagantur.
Millia rumorum, confusaq; uerba uolutant.
E quibus hi uacuas implent sermonibus aures.
Hi narrata ferunt aliò, mensuraq; ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adijcit author.
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaq; lætitia est, consternatiq; timores,
Seditioq; recens, dubioq; authore susurri.
Ipsa quid in cælo rerum, pelagoq; geratur
Et tellure uidet, totumq; inquirit in orbem.

Idem libro 3. de Arte amandi.

Quid petitur sacris, nisi tantum fama poëtis?
Hoc uotum nostri summa laboris habet.

Ibidem.

Sed famæ uigilare iuuat, quis nosset Homerum,
Illius æternum si latuisset opus?
Quis Danaẽn nosset, si semper clausa fuisset,
Inq; sua turri si latuisset anus?

Ouidius libro 4. Tristium elegia ulti.

Non ego diuitias dando tibi plura dedissem.
Diuitis ad manes nil feret umbra suos.
Perpetui fructum donaui nominis, idq;
Quo dare nil potui munere, maius habes.

Ibidem.

—Fama manet facti.

Propertius libro 3. elegia 18.

Et terram rumor transit & maria.

Idem libro 4. elegia ult.

Hæc est fœminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

Martialis libro 1.

—Cineri gloria sera uenit.

Horatius Carminum libro 4. ode 8.

Dignum laude uirum Musa uetat mori.
Cælo Musa beat.

Horatius Carminum libro 4. ode 9.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata uirtus.

Iuuenalis satyra 10.

—Maior famæ sitis est, quàm
Virtutis, quis enim uirtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Dantes Florentinus inferni cant. 24.

Seggendo in piuma
In fama non si uien ne sotto coltre.
Senza la qual chi sua uita consuma,
Cotal uestigio in terra di se lascia,
Qual fumo in aëre, & in acqua la schiuma. id est:

—Sedendo in pluma
Ad famam non peruenitur, nec sub culcitra.
At qui sine fama suam uitam conterit,
Tale sui post se in terra linquit uestigium, Qualis

Quale aut in aëre fumus, aut in aqua spuma.

Franciscus Petrarcha Soneto 84.86.

Credete uoi che Cæsare o Marcello,
O Paulo, o African fussen cotali
Per incude giamaio per martello?
Pandolfo mio questo per sonsi frali
Al longo andar, mal nostro studio e quello
Che fa per fama gli homini immortali. id est:
Creditis uos Cæsarem, aut Marcellum,
Aut Paulum, aut Africanum fuisse tales,
Aut olim propter incudem uel propter malleum? id est:
Non statuit, sed uirtutibus ad talia deuenerunt.
Pandolfe mi, hæc opera ita sunt fragilia
Ad longum iter, sed nostrum studium hoc ipsum est,
Quod fama efficit, ut homines immortales sint.

Idem Triumpho *famæ cap. 2.*

Vidi da laltra parte giunger quella
Che tralhom del sepulchro, en uita il serba. id est:
Vidi parte ex alia eam (.i.) Famam uenisse,
Quæ trahit hominem è sepulchro, ipsum in uita seruans.

AMANTIVS. Famam à fando dici putant, vt sit, quicquid de aliquo diuulgatur siue in bonum, siue in malum.

Famæ descriptio.

Fama Dea, terræ filia dicitur: Nam cùm bellũ ob regni cupiditatem inter Gigantes Titani ac terræ filios, & Iouem esset exortum: iamq; passim terræ filij à Ioue ac cæteris Dijs trucidarentur, percita nimio dolore terra, cùm sibi aduersus hostes tam potentes arma deessent, vlcisci tamen, quacunq; via posset, illatam sibi iniuriam cogitans, coacta vtero, famam enixa est: quæ superum scelera per orbẽ terrarum disseminaret.

Fama, Nomen, Gloria, Celebritas, Infamia.

Philelphus.

Et nequit ex nihili uolucris consurgere fama.

Non omninò temerè est, quod vulgò dictitant. Apud Aristotelem vsurpatur vice prouerbij: Et apud eruditos iam olim in prouerbium abijt nobilis illa Hesiodi sententia, ἣν ἅπαντες ᾄδουσι. Quemadmodum ait Aristides, in defensione Periclis, qui dicit non vsquequaque irritum esse solere, quicquid rumore populi iactatum fuerit. Est & in operis volumine 2. cui titulus, Opera & dies.

Δεινὴν δὲ βροτῶν ὑπαλεύεο φήμην.
Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι
ῥεῖα μάλ', ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.
Φήμη δ' οὔ τις πάμπαν ἀπόλλυται ἥν τινα πολλοὶ
Λαοὶ φημίζουσι, θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή. id est:

Rumores hominum cures uitare molestos.
Fama malum est, oritur, surgitq; facillima: uerùm — Fama numen est.
Difficile hanc perferre, graue est sedare coortam.
Nam non ulla quidem prorsum perit irrita fama,
Per populos quæcunq; uolat, quia numen & ipsa est.

Atq; huc optimè quadrat germanicum illud adagium. Ein gemein gerücht ist selten erlogen. Item & hoc. Man heißt selten ein Küwe Blůmlin/ sie hab dann ein buntz flecklin. Et admonemur solicitè admodũ cauere, ne vel falsò per temeritatem in fabulam vulgi venire contingat. — Tappius in libello de german. adagijs.

Petrarcha in epistola 2. lib. 2. De rebus familiaribus.

Humanarum rerum omnium, excepta virtute fortuna, domina est: Illam quoq; sæpe oppugnare, sed nunquam expugnare permittitur: Famã certè, qua nihil est leuius, facilè rotat, ac ventosis suffragijs circumuoluit, à dignis eam transferens ad indignos. — Fortuna domina rerum excepta virtute.

Item.

Nihil quidem mobilius, nihil iniquius vulgari iudicio, super quo fama fundata est: Itaq; mirum non est, si asiduè quatitur, quæ tam tremulis innititur fundamentis. Hęc non nisi in viuos regnum habet: Mors hominem eximit ab imperio fortunæ, cessant exinde ludibria. Hæc ipsa velit vel nolit virtutem fama, ceu solidum corpus vmbra, consequitur. — Mors. — Fama virtutẽ sequitur.

Eodem loco ad Thomam Messanensem. Famam ante mortem non esse appetendam.

Fama, quam sequimur, ventus est, fumus est, vmbra est, nihil est: itaq; facilimè recto atq; acri iudicio contẽni potest. Quod si fortè, quoniam generosos animos familiaris hæc pestis insequi solet, appetitum hunc radicitus extirpare non potest, excrescentem rationis saltem falce compesce. Parendum tempori, parendum rebus est. Deniq; vt sententiæ meæ summam breuiter expediam, virtutem cole dum viuis, famam inuenies in sepulchro. — Fama quid. — Tempori parendum est.

Ioachimus Dentatus.

Fama bonos lædit, plures ad sydera tollit
Fama malos. Famæ non adhibenda fides.

Fama est flatus quidã, aura volubilis, & quod ægrius feras, flatus est hominum plurimorum. Scio cui loquor, nulliusq; odiosiores esse vulgi mores ac gesta perpendi. Vide nunc, quanta iudiciorum peruersitas: quorum enim facta condemnas, eorum sermotiunculis delectaris, atq; vtinam delectareris duntaxat, nec in eis tuæ felicitatis apicem collocasses. Quò enim spectat labor iste perpetuus, continuæq; vigiliæ, ac vehemens impetus studiorum? Respondebis forsitan: vt vitæ tuæ profutura condiscas: At verò iam pridem vitæ simul & morti necessaria didicisti.

Idem de Remed. prosperæ fortunæ. Dialogo 130.

De studio famæ.

D. Quid de me post fata dicent homines? R. Intempestiua solicitudo: hoc à iuuentute prouisum esse debuit, qualis fere vita hominum, talis est fama. D. Quæ mihi fama erit extincto? R. Facile melior quàm viuenti, cùm siluerit liuor. rarò enim vitæ hominum superstes inuidia est: Vt autem virtus radix est gloriæ, sic deceptrix inui- — Liuor post fata quiescit. — Ouidius

dia: vtq; liuidus pellex presens impedit, sic amotus veræ laudis restituit incremētum: itaq; multis busti limen inuidiæ inaccessum magnæ gloriæ vestibulum fuit. D. Quàm longa me manet fama? R. Longa forsitan, vt vos longum dicitis: Verè autem apud vos nihil est longum, vt verò non modò longa sint omnia, sed ęterna, sola virtus efficere potens est, præcipueque iustitia, de qua scriptum est: in memoria æterna erit iustus: Quod & poëta expresit, vbi ait:

Sed famam extendere factis, hoc uirtutis opus.

D. Quali post obitum fama ero? R. Quid refert quale sit, quod mox vel nescies, vel contemnes? Egregie dictum. Quid ad te hominum flatus, dum tu flatu cariturus sis. Spirantem vesci delectariq; auris non miror: at defunctum stupeo. D. Qualis mihi post exitum fama erit? R. Qualis ante exitum fuit vita, nec minus in exitu: De hoc ergo tempus omne præteritum, sed in primis præsens hora viderit. Sic enim habeo, quali quisq; dignus sit fama post mortem, nulla re melius quàm morte censeri: Quippe cùm multos per omnem vitam inglorios & obscuros (dictu mirabile) mors illustrat.

Idem de rebus familiaribus epistolarum libro 7.

Non quæritur gratis clarum nomen, nec seruatur quidem:

Magnus enim labor est, magnæ custodia famæ.

Hic versus est Petrarchæ in bello Aphricano.

Attributa famæ, ex poëtis undiq; desumpta.

Mendosa, mendax, volitans, prænuntia, loquax, volucris, vaga, incerta, turbida, improba, popularis, garrula, memor, superstes, velox, celebris, insignis, maligna, procax, mundiuaga, memorabilis, sagax, viuax, mobilis.

Ludouicus Viues in epistola quadam ad Heinricum octauum Angliæ Regem.

Non tenebræ, non solitudo obstat, quò minus in vulgus dimanet, quicquid egerit princeps: Nam lux principatus omnia reddit conspicua intentaq;, tot in se virum ora fallere, vt maximè velit, non tamē potest. Loquax enim fama, vel abditissimos recessus explorat, ac patefacit.

Petrarcha in secretis colloquijs 3. ita describit famam.

Esse scilicet sermonem de aliquo, vulgatum ac sparsum per ora multorum.

Ibidem.

Gloriæ descriptio. Describit gloriam illustrem, & peruagatur vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus omnium meritorum famam.

Petrus Sabinus.

Vana gloria famæ.
Heu mihi quàm uana est spes hæc, & gloria famæ,
Pro fama morimur, heu pudor usq; famæ.
Stet sua per totum uirtutis gloria mundum,
Rectè uiuę Deo, cætera fumus erit.

Ouidius libro 2. Fastorum.

Fama manet facti, posito uelamine currunt,
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

Idem libro 1. de sine titulo.

Scindentur uestes, gemmæ frangentur, & aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

FAMA VIRTVTIS SEMPER superstes.

Ouidius ad Perhillam eius filiam, lib. 3. de Tristibus.

Singula quid referam? Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingenijq; bonis.
En ego cum patria caream, uobisq; domoq;,
Raptaq; sint adimi, quæ potuêre mihi:
Ingenio tamen ipse meo, comitorq; fruorq;:
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.
Quilibet hanc sæuo uitam mihi finiat ense,
Me tamen extincto fama superstes erit.

Ouidius libro 4. Tristium, elegia ultima.

Non ego diuitias dando, tibi plura dedissem,
Diuitis ad Manes nil feret umbra tuos.
Perpetui fructum donaui nominis, idq;
Quo dare nil potui, munere maius habes.

Idem libro 7. Metamorphoseon 1. fabula.

Sed te ne faceres tenuit reuerentia famæ.

Plautus in Mustellaria.

Ego si bonam famam seruauero, sat ero diues.

DE FAMA.

Maphæus Phegius libro 13. Aeneid. adiecto.

Hæc inter magno uolitans prænuncia motu,
Fama ruit, latisq; animos clamoribus implet.

Ouidius libro epistolarum de Ponto ad Sextum Pompeium.

En ego lætarum uenio tibi nuncia rerum
Fama, per immensas aëra lapsa uias.

Martialis ad Decianum libro 1.

Quod magni Trasex, consumatiq; Catonis
Dogmata sic sequeris, saluus ut esse uelis:
Pectore nec nudo, strictos nec curris in enses,
Quod fecisse uelim, te Deciane, facis.
Nolo uirum facili redimit qui sanguine famam,
Hunc uolo laudari, qui sine morte potest.

Philelphus in Satyris.

Omnia si perdas, famam seruare memento:
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Virgilius 4. Aeneidos.

Extemplò Lybiæ magnas it fama per urbes,
Fama malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.

FAmes Græcè λιμός οῦ ὁ, & λιμώττω famesco dicitur. Est autem fames, appetitus calidi & sicci, secundum Aristotelem libro 2 de anima.

Fames est concupiscentia calidi & sicci, id est cibi, secundum B. Thomam super 1. de Anima. lec. 5. col. 3. principio. Diciturautem fames ἀπὸ τοῦ φάγω, quod est edo, vnde famelicus, qui agitur edendi cupiditate, & famelicosus qui frequenter famelicus est, & fameo esurio, à quo famesco,

mesco,& licèt à Græco veniat, vsus tamen obtinuit, vt per f scribatur.

Menander.

Λιμὸς μέγιστον ἄλγος ἀνθρώποις ἐστί. id est:
Fames maximus dolor hominibus est.
Λιμῷ γὰρ οὐδὲν ἐστιν ἀντειπεῖν ἔπος. id est:
Fami enim nullum est contradicere uerbum.

Fas Grecè θέμις ιος ἡ dicitur, & propriè est lex diuina. Ius verò est lex humana, secundum Bea. Thom. secunda secundæ q.57. art.1. Dicitur autem fas à fando, hoc est, pium & religiosum, & fari dignum, ad Deos enim refertur, sicut iustum ad homines. Virgilius: Fas & iura sinunt, hoc est, diuina & humana iura permittunt. Cuius contrarium est nefas, hoc est impium & execrabile, & à quo fit nefandum, & nefarium, hoc est scelestum, & quod ne fari quidem liceat, quamuis nefarium à farre potius deductum volunt, quo scelerati, quasi vita indigni vti non debent.

Fascinatio à fascino verbo deducitur: etenim βασκαίνω fascino dicitur. Est autem fascinatio iniectio ab oculis infectis propter malitiam animæ vel ex Dei permissione, vel cooperante fato occulto, vel Dæmone, secundum B. Thom. prima parte q.117. artic.3. Virgilius: Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Fascinum à fasse, hoc est, ab onere dicitur, cùm oculorum, aut verborũ, aut alicuius alterius rei maleficio homines ita ligantur, vt liberi non sint, nec mentis compotes sępeq; ad extremam maciem deueniant, à quo fascino. Est itaq; fascinare maleficè alicui pernitiem inferre, vnde effascinare, quod est maleficium tollere.

Fastidium Græcè κόρος ου ὁ, & κορέω saturo dicitur. Venit autem fastidium à fastu. Est enim fastidire propriè cum fastu quodam contemnere. Virgilius: Inuenies alium, si te fastidit Alexis. Sumitur & fastidio pro stomachor, à quo fit fastidiosum, hoc est, fastidium afferens, & fastidiosè aduerbium, hoc est, stomachosè. Veteres etiam fastidibiliter dicebant.

Homerus in v. Iliados.

Πάντων μὲν κόρος ἐστί, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος,
Μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο. id est:
Omnium quidem fastidium est, & somni, & amicitiæ,
Cantusq; dulcis, & inculpabilis saltationis.

Idem in δ. Odysseæ.

αἰψηρὸς δὲ κόρος κρυεροῖο γόοιο. id est:
Citum autem fastidium frigidi luctus.

FAtum Græcè εἱμαρμένη νῆς ἡ dicitur, vt ait Chrysippus, est sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum, & cathena voluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaq; est, secundum Aulum Gellium libro 6. cap.2. Noctium Atticarum.

Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prudentia suis quęq; nectit ordinibus, secundum Boëtium libro 4. prosa 6. de Philosophica consolatione.

Fatum est ordo seriesq; causarum. Causa autem ex omni æternitare fluens veritas serpiterna, secundum Cicero. libro de Diuinatione.

Fatum est quod ex omni æternitate verum fuerit, secundum Ciceronem libro 3. de natura Deorum.

Fatum propriè est dispositio syderum, qua quis est conceptus vel natus: Sed impropriè est prouidentia Dei. Ideo est in rebus, secundum B. Thomam prima parte q.116.

Fato qui credit mortaliter peccat. 26.q.6. Non obseruetis. Fatum dicitur à fando; significatque aliquando oraculum, id est, quod Dij fantur. Virgilius: Oblitus fatorum. Nonnunquam ponitur fatum pro morte, quia nihil homini tam necessariò impendet, quàm mors: Quare fato concedere, est mori, & fatalis dies perniciosus dicitur, & fatiferum, mortiferum: fatale etiam dicimus quicquid nobis fato debetur, siue bonum, siue malum sit.

De hac materia habes infrà, vbi Futurum, & vbi Prædestinatio.

FAuor Græcè βοήθεια ας ἡ à fando dicitur. Est autem fauor vox bene precans alicui, siue alicuius commodum & laudem tuens. Vnde fauor, & fautrix à faueo. Est enim fauere propriè bona fari. Virgilius: Ore fauete omnes. Vnde fauorabilis, à quo fauorẽ habemus, & fauorabiliter cum fauore passiuè, & faustum, felix, cui omnes fauent, & hinc faustè aduerbium, hoc est feliciter, & infaustum & infaustè, id est infelix, & infeliciter.

Augustinus epistola ad Macedonium, & habetur 14. q.6. cap. Si res. §. Non enim.

Non enim opem fert, qui ad peccandum adiuuat, at non potius adiuuat, sed obuiat subuertendo atq; opprimendo.

Augustinus contra Parmenianum, & habetur 23. q.4. Quisquis uel.

Quisquis vel quod potest arguẽdo corrigit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, ęquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto immunis, de quo scriptura dicit: Vę his, qui dicunt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequam.

Idem ibidem. Ita planè.

Ita planè sociatur quis malis, si mali aliquid cum eis committit, aut committentibus fauet.

Augustinus super Psalm. 81. & habetur 23. q.3. Ostendit propheta.

Ostendit propheta nec illos immunes à scelere esse, qui permiserunt Christum principibus interficere, cùm pro multitudine timerentur, & possent illos à facto, & se consensu liberare.

Qui desinit obuiare cùm potest, consensit.

Augustinus in sermone de Verbis euangelij, & habetur 23. quæst. 4. A malis.

A malis semper corde disiungimini, ad tempus cautè corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus, si ei non consentias, & si redarguas, hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quando facto eius consortium voluntatis, vel approbationis adiungitur. Nec ergo consentientes sitis malis, vt approbetis, neq; negligentes, vt non arguatis, neque superbientes, vt insultantes arguatis.

Idem ibidem: Recedite.

Recedite & exite inde, & immundum ne tetigeritis, sed cõtactu cordis non corporis. Quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid exire est inde? nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro vniuscuiusq; gradu atq; persona, salua pace, fieri potest. Displicuit tibi quòd quisq; peccauerit, non tetigisti immundum, redarguisti, corripuisti, monuisti. Adhibuisti etiam, si res exigit, congruam, & quę vanitatem non violat, disciplinam.

Hieron. in originali super Amos.

Quicunq; consanguinitate, vel amicitia, vel econuerso hostili odio, vel inimicitijs iudicando ducitur, peruertit iudicium Dei Christi, qui est iustitia.

Gregorius libro 8. Moral.

Qui pro virtute quam egit, humanos fauores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat.

Ibidem.

Valde perfectorum est, sic ostenso opere autoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere.

Isidorus & habetur 11. q. 3. Qui consentit.

Qui cõsentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione sæuerissima. Hinc etiam quidam sanctissimus Pater ait: Si quis peccantem defendit, acrius quàm ille, qui peccauit, coerceatur. Hinc & aliu Pater ait: si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo & culpabilem iudicandum.

Seneca epistola 29.

Nunquam volui placere populo, nam quæ ego scio non probat populus, quæ probat populus ego nescio. Quis enim placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis fauor quæritur. Similem te illis facias, oportet. Alioquin non probabunt, nisi agnouerint.

Ibidem.

Multò autem magis ad rem pertinet, qualis tibi videaris, quàm qualis alijs. Cæterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si te intrante plamor, & clausus obstrepuerint, si fœminæ puerią; laudauerint, quid ni ego tui miserear? cùm sciam quæ via ad istũ fauorem ducat.

M. T. Cicero libro Officiorum.

Vehementer amor multitudinis amouetur ipsa fama & opinione liberalis beneficentiæ, fidei, iustitiæ, omniumq; earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinẽ morum, ac facilitatem. Etenim in idipsum quod honestum decorumq; dicimus, animos omnium natura & specie sua commouet.

Felis Græcè αἴλουρος ὁ dicitur. Et est animal quod frequentissimè in domib. tenemus ad murium venatum, qui à nostris catus dicitur. Veteres catum dicebant, quem nos cautum. Vnde Catones primò volunt appellatos. Constat enim hoc animal esse astutissimum. Plinius Feles pro silentio quàm leuibus vestigijs obrepuntauibus, quàm multo speculatu in musculos exiliunt. Excrementa sua obruũt terra, Intelligentes odorem illum indicem sui esse.

Feriæ Græcè ἀργία ας ἡ &, ἀργής feriatus dicitur. Sic dictæ à ferendis epulis. In his enim epulæ fiebant ex porcorum, frugumque prouentibus. Feriarum publicarũ genera erant quatuor. Statiuæ vniuersi populi cõmunes, quæ certis & cõstitutis dieb. fiebant, in quibus pcipuè seruabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptiuæ quo quotannis à magistratibus vel sacerdotibus concipiebant certos, siue incertos dies, vt sunt Latinę, Sementinę, Paganalia, Compitalia. Imperatiuæ quas consules, vel prætores pro arbitrio indicabant. Nundinæ paganorum ac rusticorum, quibus ad negotia & merces conueniebant.

Feritas Gręcè θηριωδία ας ἡ, & θήριος ὁ ferinus dicitur. Est aũt feritas naturę quædam aspetas, dicta à ferus, qui ita differt à feroci, quòd ferox modò atrox, fortis est, & ferus modò seuerus.

Feracitas Gręcè εὐφορία ας ἡ, & εὔφορος ὁ ferax dicitur. Est autem abundantia, venitq; à ferax feracis, quod venit à fero fers. Plinius: Vt tam ferax bonarum artium seculũ videremus. A verbo fero pariter veniunt fertilis & fertilitas, fertiliter aduerbium.

Festiuitas Græcè ἑορτή ῆς ἡ, & ἑορτάζω celebro dicitur. Venit autem festiuitas à ferijs, ita & festiuus & festiuo verbum, hoc est, diem festum ago. Et festus festa festum. Vnde festus dies dicitur, & res festiua, hoc est, munda & lepida, frondem festam lætam & iucundam dicimus. Virgil. Festa velamus fronde per orbem. hinc profesti dies, qui hominibus ad rem priuatam, vel publicam administrandam concessi erant. Fasti verò erant, quibus licebat oratori ius dicere, & licebat fari prętoria tria verba do, dico, addico. Nefasti aũt his cõtrarij, quibus fari non licet.

Ouidius.

Ille nefastus erit per quem tria uerba silentur,

Fastus

Fastus erit per quem lege licebit agi.

Hinc Fastorum libri appellati sunt, in quibus totius anni descriptio continebatur.

Feudum est beneficium quod ex beneuolentia conceditur alicui, ita quod proprietates rei immobilis beneficiario penes dantē remaneat. Vsusfructus autem illius rei ita ad recipientem transeat, vt ad eum hæredesq; suos masculos, & fœminas, si de hoc nominatim est dictum, in perpetuum pertineat, ad hoc vt illæ siue sui hæredes fideliter domino seruiant, siue illud seruitium sit nominatim expressum quale debeat esse, siue non.

Fictio Græcè πλάσμα ατος τὸ dicitur. Est autem fingere, ostēdere dicto aut facto, quod non est verum, & est speciale peccatum, si hoc intendatur, secundum Beatum Thomam 3. parte quęstione 69. articulo 9. Quidam vanum, fictum, falsum, ita distinguunt: vt falsum loqui mendacis sit, fictum callidi, vanum stulti: falsum loqui culpæ sit, fictum virtutis, vanum vecordiæ. Falsis decipiamur, fictis delectemur, vana spernamus.

Fictio à fingo venit, quod propriè est formare & facere. Virgilius: Nec si me miserum fortuna Simonem Finxit. Hinc figulus, & fictilia, & figulina ars, in qua fictilia fiunt ex creta, & argilla. Aliquando tamen fingo pro simulo accipitur, quoniam ea quæ simulamus ita formamus atq; componimus, vt vera esse videantur. Hinc fictio & figmentum deducuntur, hoc est res simulata. & fictè aduerbiū, hoc est simulatè: hinc figura & figmentum, de quibus infrà.

Fideiussio Græcè ἐγγύησις ιος ἡ, & ἐγγυάομαι fide iubeo dicitur. Vnde fideiussor, qui pro alijs debitis intercedit, qui & ἐγγυητὴς οῦ ὁ dicitur.

Fides cuius B. Tho. secunda sec.
- *Materia*
  - *In qua, id est subiectum, & est intellectus* (q.1. articu.1.)
    - *Speculatiuus principaliter.*
    - *Practicus secundario.*
  - *Circa quam, id est obiectum* (q.6. artic.1.)
    - *Formale, & est ueritas prima cui credimus.*
    - *Materiale. Articuli fidei in Apostolico symbolo contenti.*
- *Causa efficiens* (q.6. artic.1.)
  - *Intrinseca, & per se sufficiens. Deus*
    - *Reuelans immediatè credibilia Prophetis & Apostolis.* (*lia reuelata.*)
    - *Mittens prædicatores ad prædicandum credibi-*
    - *Mouens per gratiam uolūtatem ad assentiendū.*
  - *Extrinseca, & per accidens insufficiens*
    - *Homo*
    - *Angelus.*
    - *quæstio.2.*
- *Actus*
  - *Principalis*
    - *Interior est credere*
      - *Deum*
      - *Deo*
      - *In Deum*
      - *Oppositum*
        - *quæst. 10. Infidelitas*
          - *Paganorum*
          - *Iudæorum*
          - *Hæreticorum.*
        - *Apostasia*
    - *Exterior confiteri quæst.1.*
      - *Oppositum*
        - *Blasphemia quæstio.13.*
          - *à fide. Diuini minis q.14.*
            - *Cordis*
            - *Oris.*
          - *In spiritum sanctū, q.2.*
            - *Desperatio*
            - *Præsumptio*
            - *Impœnitentia*
            - *Obstinatio*
            - *Impugnatio ueritatis agnitæ.*
            - *Inuidentia fraternæ gratiæ.*
  - *Secundarius & consequens, id est effectus.*
    - *q.7. art.1. Timor.*
    - *articulo 2. Purificatio cordis.*
- *Correspondētia*
  - *In donis, quæ sunt*
    - *quæst.8. Intellectus*
      - *Oppositum* (*quæst.5.*)
        - *Cæcitas mentis.*
        - *Hebetudo sensus.*
    - *Scientia. Oppositum, Ignorantia.*
  - *In fructibus*
    - *q.8. art.8. Fides.*
  - *In beatitudinibus.* (*q.8. art.7.*) *Beatitudo sexta: Beati mundo corde.*

Fides Græcè πίστις ιος ἡ, & πείθω fido dicitur. Fides multipliciter sumitur. Nam quandoque dicitur sponsio. Item fidelitas. Item conscientia. Item creditum, vel collectio creditorum. Item sacramentum. Item fides informis, de qua 1. ad Corinthios 13. Et si habuero omnem fidem, &c. Item fides viua, de qua ad Hebræos 11. & hoc modo sumpta, sic diffinitur:

Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, secundum Apostolum Paulum ad Heb. 11. Vel sic, vt

Dantes Paradisi can. 24.

Fede e substanze de cose sperate,
Et argumento delle non parenti,

Et quæsta pare a me sua quiditate.

Fides magiſtraliter ſic deſcribitur:

Fides eſt virtus, qua ea quæ ad fundamentũ religionis pertinent, rectè, firmiterque creduntur.

Fides eſt voluntaria quędam, & certa pręlibatio necdum propalatæ veritatis, ſecundum Bernardum libro de Conſideratione.

Fides eſt cogitare cum aſſentione ea quæ ad Chriſtianam pertinent religionem, ſecundum Auguſtin. lib. de pręd eſtinatione ſanctorum.

Fides ſecundum B. Thom. ſecunda ſecundæ q.8. art.1. eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus.

Fides eſt opinio vehemens, ſecundum Ariſt. libro 4. Topicorum.

Fides diffinitur per ſex diffinitiones à B. Thoma ſecunda ſecundæ q.4. ar.1. id eſt, & reducuntur ad eam, quam dat ſanctus Paulus, vt ad perfectiſsimam.

Fides propriè eſt dictorum & conuentorum conſtantia, & veritas; dicta quòd fiat, quod dictum eſt. Terentius: ſed ijs quas ſemper in te intellexi ſitas fide & taciturnitate. Hinc dare fidẽ dicimus, aliquid ſanctè promittere. Virgil. Accipe daq; fidem. Aliquando tamen pro credulitate ponitur, vnde bonæ fidei poſſeſſor, qui ignorauit rem, quam emit, alienam eſſe, aut putauit eum, qui vendidit, ius vendendi habuiſſe, vt puta procuratorem, aut tutorem fuiſſe. Sanè habere fidem, credere eſt, & accipere fidem eſt credi. A fides fit fido, quod eſt fidem habeo, id eſt, ſpem pono, & credo. Cuius oppoſitũ eſt diffido, hoc eſt, credulitatem depono, ſiue deſpero. hinc etiã fit fidentia, hoc eſt, audatia & intimiditas: & fidutia, quod pariter audaciã ſignificat, ferè ſemper in bonis rebus, quãuis & in malam partem accipiatur, ſed perrarò. Inde confido confidens confidentiſsimus. Virg. Nam quis te iuuenum confidentiſsime noſtras Iuſsit adire domos? cõfidentiſsime inquit, pro impudentiſsime, & maximè temerarie.

Fides interdum chordam citharæ ſignificat, & ipſam citharam, ita dicta, eò quòd tantum inter ſe chordæ eius, quantũ inter homines fides concordet. Cuius diminutiuum eſt fidicula pro parua cithara, ſiue pro parua chorda. Nec declinatur hæc fidis, vt placuit Priſciano & Agrętio. Sunt & fidiculę quędam tortoria inſtrumenta.

Fidus & fidelis differunt, ſecundum Donatũ ſuper Terentium: Quòd fidus eſt amicus, fidelis eſt ſeruus. Fidi in maximis. Fideles in minoribus negotijs.

Fides quid differat ab opinione, vide infrà in Opinio.

Regum 1. capite 26.

Dominus autem retribuet vnicuiq; ſecundũ iuſtitiam ſuam & fidem.

Paralip. libro 2. capite 16.

Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.

Ibidem capite 20.

Audite me viri Iuda, & omnes habitãtes Hieruſalem. Credite in Domino Deo veſtro & ſecuri eritis. Credite prophetis eius & cuncta euenient proſpera.

Eſdras lib. 3 capite 15.

Omnis incredulus in incredulitate ſua morietur.

Prouerbiorum capite 20.

Multi homines miſericordes vocantur: Virũ autem fidelem quis inueniet?

Sapientiæ capite 1.

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentãt illum, apparet autem his, qui fidem habent in illum.

Eccleſiaſt. capite 12.

Crede Deo & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum.

Ibidem.

Qui timetis Dominum credite illi, & non euacuabitur merces veſtra.

Ibidem.

Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius & derelictus eſt? Aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.

Ibidem capite 32.

In opere tuo crede ex fide animę tuæ, hęc eſt enim conſeruatio mandatorũ. Qui credit Deo, attendit mandatis, & qui cõfidit in illo, non minoratus erit.

Iſaias capite 25.

Qui incredulus eſt infideliter agit.

Abacuc capite 2.

Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus autem in fide ſua viuet.

Matthæus capite 14.

Modicæ fidei quare dubitaſtis?

Idem capite 17.

Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic tranſi hinc, & tranſibit, & nihil impoſsibile erit vobis.

Idem capite 21.

Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis, & ſi monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet. Et omnia quęcunq; petieritis in oratione credentes accipietis.

Marcus capite 9.

Si potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti.

Idem

Idem cap.11.

Et respondens Iesus, ait discipulis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic mōti, tolle te, & mitte te in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunq; dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.

Marci cap.16.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.

Lucæ cap.8.

Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, & hi radices non habent.

Lucæ cap.17.

Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & diceti huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, obediet vobis.

Lucæ cap.18.

Respice, fides tua te saluum fecit.

Ioannis cap.1.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Ioannis cap.3.

Exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso nonpereat, sed habeat vitam æternam.

Ibidem.

Qui credit in eum, non iudicatur: Qui autem non credit, iam iudicatus est.

Ioannis cap.3.

Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Ioannis cap.5.

Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternā. Et in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitam.

Ioannis cap.8.

Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

Ioannis cap.11.

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

Ibidem.

Nónne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei.

Ioannis cap.12.

Credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Ibidem.

Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

Ioannis cap.20.

Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt.

Paulus ad Romanos cap.3.

Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.

Paulus ad Romanos cap.4.

Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Paulus ad Romanos cap.8.

Quod non videmus, speramus.

Paulus ad Romanos 10.

Corde creditur ad iustitiam.

Ibidem.

Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.

Ibidem.

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Ibidem cap.14.

Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Paulus ad Corinthios 1.cap.2.

Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Paulus ad Corinthios 2.cap.6.

Quæ pars fideli cum infideli.

Idem ad Galatas cap.3

Omnes enim filij Dei estis per fidem in christo Iesu.

Paulus ad Ephesios cap.2.

Gratia enim estis saluati per fidē, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.

Idem cap.6.

In omnibus sumentes scutum fidei, vt possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.

Paulus ad Thessalonicenses 2.cap.2.

Non enim omnium est fides.

Paulus ad Titum cap.1.

Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.

Idem cap.3.

Curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.

Paulus ad Hebræos cap.6.

Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedēdi à Deo viuo.

Idem ad Hebræos cap.11.

Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

Iacobus in epistola cap.1.

Probatio fidei vestræ patientiam operatur.

Ibidem.

Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circunfertur.

Iacobus in epistola cap.2.

Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?

Ibidem,

Ibidem.

Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.

Petrus apoſt.1.cap.1.

Probatio veſtræ fidei multo pretioſior eſt auro, quod per ignem probatur.

Ibidem.

Credentes autem exultabitis lętitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.

Ioannes 1.capite 5.

Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus ex Deo natus eſt.

Ibidem.

Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum: Fides noſtra.

Apocal.capite 2.

Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Augu.contra Manich.& hab.diſt.11.cap.Palam.

Palàm eſt quod in re dubia ad fidem & certitudinē valeat autoritas eccleſiæ catholicæ, quæ ab ipſis fundatiſsimis apoſtolorum ſedibus vſque ad hodiernum diem ſuccedētium ſibimet, & epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.

Auguſtinus contra Donatiſtas, & habetur 1. quæſt.1.Sicut urgeri.

Si cuius manus eſſet arida, verum quidem eſſet membrum, quamuis ſine ſanguine, & inefficax eſſet & mortuum. Sic & fides cùm ſit vera, tamen ſine operibus mortua eſt.

Auguſtinus de bono coniugali, & habe.22. quæſt.4.Si ad peccatum.

Si ad peccatum admittendum fides exhibeatur, mirum ſi fides appelletur: veruntamen qualiſcunq; ſit, ſi & contra ipſam ſit, peius eſt, niſi cùm propterea deſeritur, vt ad fidem veram legitimamq́; redeatur, id eſt, vt peccatum emendetur, voluntatis prauitate correcta. Tanquam ſi quis, cùm hominem ſolus expoliare non poſſit, inueniat ſociū iniquitatis, & cum eo paciſcatur vt ſimul id faciant, ſpoliumq́ue partiantur, quo facinore commiſſo, totum ſolus auferat: dolet quidem ille, & ſeruatam ſibi fidem non eſſe conqueritur: verum in ipſa ſua querela cogitare debet, potius in bona vita ipſi humanæ ſocietati fidem fuiſſe ſeruandam: ne præda iniqua ex homine fieret: ſi ſentit quàm iniquè ſibi in peccati ſocietate ſeruata non fuerit. Ille quippe vtrobique perfidus, ac profectò ſceleratior iudicandus eſt.

Auguſtinus de unico Baptiſmo, & habetur 23.quæſt.4.Fortè in.

Fortè in populo Dei ſtat iuxta auarus raptor inhians rebus alienis, quem noſti talem, & fidelis eſt, vel potius fidelis vocatur, non eum potes de eccleſia pellere, non habes aliquem aditum caſtigando & corripiendo illum corrigere, acceſſurus eſt tecum ad altare, noli timere. Vnuſquiſq; onus ſuum portabit.

Auguſtinus ſuper epiſtolam ad Corinth.& habetur 23.q.3.Infideles.

Infideles non poſſumus Chriſto lucrari, ſi colloquium eorum vitamus & conuiuium, vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus manducauit & bibit. In his verò qui intus ſunt, id eſt, in fidelibus putredo reſecanda eſt.

Auguſtinus contra Petilianum, & habetur 23.quæſt.5.Ad fidem.

Ad fidem nullus eſt cogendus, vt dicitis, ſed per ſeueritatem, imo & per miſericordiam Dei tribulationum flagellis ſolet perfidia caſtigari.

Auguſt.& habetur 24. quæſt.Vbi ſana.

Vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, quia iuſtus ex fide viuit, neq; ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittunt, quia ſimiliter vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim proximi malum non operatur, quam ſi hæretici haberent, non dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt eccleſia catholica.

Aug.libro 1.de Trinitate.

Mentis humanæ acies inualida, in tam excellenti luce non figitur, niſi per iuſtitiam fidei emendetur.

Auguſt.de uerbis Domini.

Nullæ maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla huius mundi maior eſt ſubſtantia, quàm eſt fides catholica, quę peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catecumenos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres coronat, virgines, & viduas, & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat, in hæreditate æterna cum ſanctis angelis collocat.

Aug.libro de Ouibus.

Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit, non argenti, ſed fidei.

Auguſt.libro 10. de Charitate.

Cū dilectione fides Chriſtiani, ſine dilectione fides dæmonis. Qui autem non credunt, peiores ſunt quàm dæmones & tardiores.

Auguſtinus ſuper Ioannem.

Sicut in radice arboris nulla prorſus apparet pulchritudinis ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis, vel decoris ex illa procedit: ſic ex fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt ex fidei fundamento procedit.

Auguſtinus ibidem.

Quid eſt fides? niſi credere quod vides. Vnde & quomodo capitur trinitas, rectè ò homo interrogas: ideo bene creditur, quia citò non capitur: nam ſi citò caperetur, non eſſet opus vt crede-

credereretur, quia videretur.

Augustinus super Ioannem.

Noli intelligere vt credas, sed crede, vt intelligas. Intellectus merces fidei est.

Augustinus super Ioan. ser. 45.

Ante aduentũ Christi præcesserunt iusti credentes, sic eum venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tẽpora variata sunt, non fides. Nos credimus christum ex virgine venisse, in carne passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse. Illi crediderunt nasciturum, passurũ, resurrecturum, in cælum ascensurum.

Augustinus super Ioan. ser. 18.

Ambula per fidem, vt peruenias ad spem, spes non ędificabit in patria, quem fides non consolatur in via.

Augustinus super Ioan. serm. 22.

Fides appellata est ab eo quod fit, duæ syllabę sonant, cũm dicitur fides: prima syllaba est à facto secunda à Deo. Interrogo te ergo vtrum credas, dicis credo: fac quod dicis, & fides est.

August. de spiritu & litera.

Quod imperatorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat.

August. de fide ad Petrum.

Hoc est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertingere, vel peruenire, sine hac omnis labor hominis vacuus est.

August. de Agone capite 18.

Fides est prima quæ subiugat animam Deo, deinde præcepta dat viuendi: quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & incipit lucere, quod antè tantũmodo credebatur. Cùm ergo cognitio & actio hominem beatum faciunt, sicut in cognitione cauendus est error, sic in actione cauenda est nequitia.

Hieron. in Oseæ, & habetur 1. q. 1. Illi.

Illi offerunt sacrilegum panem, & dant eleemosynas, & sectari vidẽtur humilitatẽ: quę ego si verè fiant, holocausta interpretor, cùm autẽ scientiã Dei dereliquerint, frustrà truncato capite fidei cætera membra habere se iactant.

Hieron. super Ezechielem.

Fides hosti etiam seruanda est, nec est considerandum cui, sed per quem iurauerit.

Hieronymus epistola 1.

Credo igitur primò omnium ponitur, sicut Paulus apostolus ad Hebræos, scibens dicit: Credere enim primò omnium accedentem ad Deũ oportet, quia est, & credentibus remunerator fit. Sed & propheta dicit: Nisi credititis non intelligetis. Vt ergo intelligentia auditu patefiat teste, primo omnium te credere profiteris, quia nec mare quis ingreditur, & liquido ac profundo sese committit elemento, nisi se prius credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & fruges spargit in terram, nisi crediderit venturos hymbres, affuturũ quoq; solis teporem, quib. terra confota segetes, multiplicata fruge producat, ac ventis spirãtibus nutriat. Nihil deniq; est quod in vita geri possit, si non credulitas antè præcesserit. Quid igitur mirum si accedentes ad Deum credere nos primo omnium profitemur, cùm sine hoc nec ipsa exigi possit vita cõmunis? Hoc autem idcirco in principijs præmisimus, quia pagani nobis obijcere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola persuasione consistat, & ideo ostendimus nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesserit ius credendi. Deniq; matrimonia contrahũtur, quia creditur successura posteritas, & pueri discendis artibus tradũtur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina, & imperij insignia vnus suscipit, dum credit sibi populos & vrbes, armatum etiam exercitum paritur ũ. Quid si hæc singula, nisi prius crediderit futura nullus aggreditur, quomodo nõ multò magis ad agnitionẽ Dei credendo veniatur?

Hieronymus epistola 1.

Valde alienus à fide est, qui regnum Christi dicit aliquando finiendum.

Hieronymus epistola 5.

Est autem fides, vt diffinit apostolus Paulus, substantia rerum, quas speramus, & iudex rerũ quas non videmus. Credere & videre quis non debet, quod ea quę Deus promisit potens sit, vt promissa sunt facillimè præuenire. Hæc nobis inuisibilia ante oculos ponit, ad hanc ingressi & diaboli, & potestatum huius mundi, & harum tenebrarum vniuersa deserimus, & Deo cum fidutia proximamus. Credere enim & sperarę necesse est, quæ Deus iussit. Cumq́ue ea quæ diabolus inseruit, abnegamus: fidem spes sequitur.

Hieronymus epistola 9.

Qui in Christum credimus, Christi sectemur exempla.

Hieronymus ibidem.

Frustrà nobis in eo applaudimus, cuius mandata non facimus.

Ambrosius super Marcum, & habetur 24. quæst. 1. capite 1. Non turbatur.

Ergo nõ turbatur hęc nauis, in qua prouidẽtia nauigat, abest perfidia, fides superat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo firmamentum ecclesiæ est? Illic ergo turbatio, vbi modica fides, ibi securitas, vbi perfecta dilectio. Denique etsi alijs imperatur, vt laxent retia sua: soli tamẽ Petro dicitur, duc in altum, hoc est in profundum disputationũ. Quid enim tam altum, quàm altitudinẽ diuitiarum videre, id est, scire Dei filiũ, & professionẽ diuinę generationis assumere, quã licèt mens nequeat humana plenæ rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectetur.

Ambrosius libro de Virginitate.

O thesauris omnibus opulentior fides, ô virtutibus corporeis omnibus fides fortior, medicis omnibus saluatior.

Ambrosius libro de Trinitate.

Aufer argumenta, vbi fides quæritur: in ipsis gymnasijs suis iam dialectica taceat, piscatorib. creditur, non dialecticis.

Ambro. super Beati immaculati.

Citò fides inexercitata languescit, & crebris otiorum teratur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuetũ autem bello viperum hesterna fraus instruit, & gloriosè prouehit palma victoriæ, pax ergo fidei corruptelæ materia est.

Ambrosius libro de Chaim & Abel.

Fides est radix omnium virtutum, & quod super hoc fundamentum ædificaueris, hoc solũ ad operis tui fructus & virtutis proficit mercedem.

Ambrosius libro 1. Officiorum.

Quis fideles putat, quos vel pecunia vel adulatione obligatos sibi crediderit?

Ibidem.

Liquet etiam in bello fidem & iustitiam obseruari oportere. Fundamentum enim iustitiæ est fides.

Idem libro 3.

Vnusquisq; nihil promittat inhonestum: at si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe est.

Gregorius Theodorico & Theoderoberto Regibus Francorum, & hab. 1. q. 1. Fertur Symoniaca.

In sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meritum non habet: beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operib. mortua est.

Gregorius in homilia Ascen. super illud Marci: Qui uerò non crediderit, condemnabitur.

Fortasse vnusquisq; apud se dicat: Ego iam credidi: saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis adducitur, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui cõfitentur se nosse Deum, factis autem negãt. Hinc Ioannes: Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.

Gregorius homilia 26.

Diuina operatio, si ratione cõprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum.

Idem homilia 28.

Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus adimplemus.

Idem super Ezechielem.

Nisi prius fides teneatur, nullatenus ad spiritualem amorem attingitur. Non enim charitas fidem, sed fides charitatem præcedit. Nemo potest amare, quod nõ credidit, sicut nec sperare.

Ioannes Chrysostomus super illud Mat. 12. Volumus à te signa uidere.

Sicut semper discere, signum est nunquam posse perficere, sic testimonium semper quærere, signum est nunquam velle credere.

Ioannes Chrys. super illud Mat. 13. inuenta autem una pretiosa margarita.

Vna est veritas, & non partita: sicut qui margaritam habet, ipse nouit, quantum diues est, & tamen multis potest esse non cognitus: ita qui si dei veritatem detinent, noscunt quòd diuites sunt: infideles auté thesaurum nescientes hunc, diuitias nostras ignorant.

Ibidem.

Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quia quantumcunque pluuiam susciperet, non fructificaret.

Ibidem sup. illud Mat. 20. At illi magis clamabant.

Talis est natura fidei, quantò magis vetatur, tantò magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas.

Ioannes Chrys. super Mat. 25.

Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam.

Idem super illud symboli: Credo in Deum.

Fides religionis catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ.

Isidorus in Synonimis libro 2. & habetur 22. quæst. 4. In malis.

In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

Bernardus super Cant. sermone 25.

Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, vt viuat fides tua. Fidem tuã dilectio animet, actio probet. Nõ incuruet terrenũ opus, quẽ fides cœlestiũ erigit.

Idem super Cantica.

Quid non inueniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima. Ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit.

Ibidem.

Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, bonum opus, deuotionem vinum.

Idem sermone 12.

Non fidei, sed perfidei, non confidentiæ, sed diffidentiæ est in semetipso habere fiduciam.

Ibidem.

Is fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquã vas perditũ, sed sic perdés ani-

animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam.

Bernardus sermone 67.

Trãsgreditur enim fides rationis fines, humanæ naturæ vsum, experientiæ terminos.

Idem de duodecim gradibus Humilitatis.

Fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit, qualis sit cuiusq; fides, tribulatio probat.

Leo Papa, & habetur distinctio. 11. Hoc uestræ.

Hoc vestræ indicimus charitati, vt ab apostolicis institutis nullo vlterius recedatis excessu: quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas, in aliquo crediderit esse negligendas.

Boëtius libro de Trinitate.

Eruditi est hominis vnumquodq;, vt ipsum est, ita de eo fidem capere & tentare.

Seneca ad Lucilium epistola 89.

Fides sanctissimum humani pectoris bonum est. Nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur prælio. Vre, inquit, cæde, occide, non prodam. Sed quò magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condet.

Seneca in prouerbijs.

Fidẽ nemo vnquam perdit, nisi qui nõ habet.

Seneca Tragœdia 6.

Non intrat unquam regium limen fides.

Idem Tragœdia 8.

Precio parata, uincitur precio fides.

Idem Tragœdia 9.

Teneris in annis haud satis clara est fides.

Idem Tragœdia 10.

Nam rara fides, ubi iam melior fortuna ruit.

Commentator super 3. Physicorum.

Fides vulgi fortior est, quàm fides Philosophorum.

Cicero libro 1. Rhetoricorum nouorum.

Anim⁹ sine fide stabilis amicis esse nõ potest.

Cicero libro 1. Officiorum.

Fundamentum iustitiæ est fides, dictorũ conuentorumq; constantia & veritas.

Cicero libro Officiorum.

Nec promissa ea seruanda sunt, quæ non sunt his, quibus promiseris vtilia, nec si plus ea noceant illi, cui promiseris quàm prosint.

Ibidem.

Nam illis promissis standum quis non videt? quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit.

Ibidem.

Nec enim vlla res vehementius Rempub. continet, quàm fides, quæ nulla esse potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.

Cicero libro de Amicitia.

Sed nihil stabile quod est infidum.

Ibidem.

In vita tyrannorum nulla fides.

Cicero libro 2. de Diuinatione.

Deiotarus vetat expectare fortunam, dum præstatur fides.

Salustius in Iugurtha.

Expertus sum parum fidei miseris esse.

Qu. Curtius de gestis Alexandri libro 8.

Fides, stabile & æternum facit imperium.

Paulus Orosius de Ormesta libro 3.

In magna malorum multitudine difficillima dictis fides.

Lucianus.

οὐκ ἔστι κακῶς κεχρημένον ἄνδρα
τοῖς ἰδίοις, εἶναι πιστὸν ἀλλοτρίοις. id est:

Non est malè utentem uirum
Proprijs, esse fidum in alienis.

Plautus in duobus captiuis.

Fac fidelis sis fideli, caue fidem fluxam geras.

Terentius in Andria.

Nulla in re est cuiquam hominum fides?

Virgilius libro 4. Aeneidos.

Nusquam tuta fides.

Lucanus libro 1. Pharsaliæ.

Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

Lucanus libro 3. Pharsaliæ.

Cum fato conuersa fides.

Lucanus libro 9.

Nulla fides unquam miseros elegit amicos.

Ibidem libro 10.

Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur,
Venalesq; manus ibi fas, ubi maxima merces.

Ouidius Metamorphoseôs libro 15. fabula 28.

Fides rebus tamen est addenda probatis.

Ouidius in epistola Helenæ ad Paridem.

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Ouidius epistola Acontij ad Cidippen.

Non boue mactato cælestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.

Ibidem.

Promittes uotum? scit te promittere falso,
Iurabis? scit te fallere posse Deos.

Ouidius libro 1. de arte amandi.

Quos credis fidos, effuge tutus eris.
Cognatum fratremq; caue, fidumq; sodalem
Præbebit ueros, hæc tibi turba metus.

Ibidem libro 3.

Prona uenit cupidis in sua uota fides.

Ouidius Tristium libro 3. elegia 10.

Vix equidem credar, sed cùm sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.

Ouidius Fastorum libro 3.

Tarda uenit dictis difficilisq; fides.

Propertius libro 3. elegia 7.

Non est certa fides, quam non iniuria uersat.

Idem libro 3. elegia 19.

Contineant nobis omnia prima fidem.

Tibullus libro 1. Elegia 9.

Tu mihi iurabas nullo tibi diuitis auri
Pondere non gemmis, uendere uelle fidem.

Horatius libro 2. epist. 2.

Multa fidem promissa leuant.

Dantes paradisi can. 24.

Sopra la fede ogni uirtu si funda,
Sel mundo se riuolse al Christianesmo.

Ibidem.

Dixi io sensa miraculi, quæstuno
Et tal, che gli altri non sonno il centesmo.

Ibidem.

Et io respondo, io credo in uno dio
Solo & æterno che tutol ciel moue
Non moto, con amor & con disio.
Et a tal creder non ho io pur proue
Physicæ metaphysicæ ma dal mi,
Anco la uerita che quinci pioue
Per Moyse, per propheti & per psalmi,
Per leuangelio, & per uoi che scriuesti,
Poi che lardento spirto ue se almi.
Et credo in tre persone æterne & queste
Credo una essentia si una si trina,
Che soffera coniuncto sono & este. id est:

Supra fidem omnis virtus fundatur,
Si mundus reuertitur ad Christi normam.
Dixi, sine miraculis, hoc vnum
Tale est, vt alia cõparatione huius non sint centesimum.
Respondens ego, credo in vnum Deum
Solum & æternum, qui omne cælum mouet
Non motum, cum amore & desiderio.
Et ad id credendum non habeo rationes
Physicas & Metaphysicas, sed à me,
Imo à veritate, quæ huc impulit
Per Moysen, per prophetas, & per Psalmos,
Per euangelium, atq; per vos scriptores,
Postquam ardens spiritus vos sanctos fecit.
Et credo in tres personas æternas & has.
Credo vnam essentiam, sic vnam, & sic trinam,
Vt patiatur coniunctim, sunt & est.

Franciscus Petrar. can. 19. Stantia 3.

I mi fido in collui, chel mund rege. id est:
Confido in eo, qui mundum regit.

Idem Triumpho amoris ca. 4.

Lei & ogni mio bene ogni speranzo
Perdere elessi, per non romper fede. id est:
Ipsa est bonum omne meũ, atq; spem omnem
Perdere elegi, ne ipsam fallerem.

Idem Triumpho Famæ ca. 2.

Gite superbio o miseri Christiani,
Consummando lun laltro & non ui caglia
Chel sepulchro de Christo e in man de cani. id est:
Ite superbi ô miseri Christiani,
Lacerantes vos inuicem, nec cura sit,
Vt sepulchrum Christi sit in manibus canum.

Fidentia Græcè θράσος εος τὸ, & θρασύς έος ὁ temerarius dicitur. Est autem fidentia per quam magnis & honestis rebus multum ipse animus in se fidutiæ cum certa spe collocauit, secundum Ciceronem in Rheto. vnde autem dicatur, vide suprà in Fides.

Fidutia Græcè παῤῥησία ας ἡ, & παῤῥησιάζω audacter loquor dicitur. Est autem fidutia spes futuri auxilij, concepta ex dictis aliorũ, vel ex his quæ sunt in se, vel in alio, secundum B. Tho. secunda secundę q. 129. art. 6. & dicitur à fide.

Fidutia seu confidentia dicit motum irascibilis inæstimatum non excedere facultatem. Et circa bona est spes, sed circa mala est audatia. secundum B. Tho. 3. Sent. di. 29. q. 1. art. 3.

Fidutia est omnium bonorũ: magnanimitas est magnorũ secundũ eundẽ 3 Sen. di. 33. q. 3. ar. 4. Fidutia vnde veniat, vide suprà in Fides.

Figura Græcè τύπος ου ὁ, & τυπόω figuro dicitur. Est autem figura forma quanti, secundum B. Tho. 1. par. q. 8. art. 1.

Figura dat terminationem quanti: Forma verò dat esse specificum artificiato. Sunt tamen idem vel propinquæ, ex B. Thom. contra gen. 3. ca. co. fi.

Figura à fingo suprà in Fictio. Sunt & figuræ quas Greci σχήματα dicunt quasi cultus & ornamenta orationis: hinc schemata lexeos & schemata dianœas, hoc est figuræ verborum & figuræ sententiarum, & figuro verbum & figuratũ, vnde oratio figurata, & figuratè. i. per figuram.

Figmentum Græcè πλάσμα ατος τὸ. Est autem idem quod fictio, de quo suprà in Fictio.

Filius Græcè υἱεύς ὁ, vel υἱός οῦ ὁ, & υἱότης ητος filiatio dicitur. Appellationeq; filiorum, vt iurisconsulti sentiunt, etiam filiæ cõtinentur, sed non econtrario. Filium ἀπὸ τοῦ φίλου, hoc est, ab amore dictum volunt, quod omnium constantissimus amor sit parentum in filios.

Homerus in B. Odyssææ.

Παῦροι γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους. id est:
Pauci certè filij similes parentibus sunt.
Plures peiores, pauci autem patre meliores.

Homerus in δ Odysseæ.

Πολλὰ γὰρ ἄλγε᾽ ἔχει πατρὸς πάις οἰχομένοιο. id est:
Multos certè dolores sustinet patre filius absente.

Phocylides.

Μὴ μὲν ἐπ᾽ ἄρσενι παιδὶ τρέφειν πλοκάμιδος χαίτης,
Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μήθ᾽ ἄμματα λοξὰ κορύμβων.
ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη. χλιδαὶ δὲ γυναιξί.
Παιδὸς δ᾽ εὐμόρφου φρουρεῖν νεοτήσιον ὥρην.
Πολλοὶ γὰρ λυσσῶσι πρὸς ἄρσενα ἔρωτος. id est:
Neq; in masculo filio nutrias crinium iubam,
Neq; uerticem capitis implices, neq; uincula obliqua corymborum.
Masculum non decet coma, mollicies cõuenit mulieribus.
Filij pulchri custodias iuuenilem florem.
Multi enim rabiescunt in masculam mixtionem amoris.

Hesio-

Hesiodus.

Μουνογενὴς δὲ παῖς σώζοι πατρώϊον οἶκον. id est:
Vnicus autem filius seruat paternam domum.

Empedocles in Medea.

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κ' ἂν θρασὺς σπλαγχνός τις ᾖ,
ὅταν ξυνειδῇ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά. id est:
Redegit enim in seruitutem uirum, etsi audacißimus quis sit,
Quando conscius sit matris uel patris malorum.

Periander.

υἱοὺς παίδευε. id est:
Filios erudi.

Cleobolus.

Τοὺς τέκοντας ὑπομονῇ νίκα. hoc est:
Parentes patientia uince.

Pittacus.

ἅπερ αὐτὸς τοῖς γονεῦσι δράσεις,
Ταῦτα προσδέχου πάθειν καὶ αὐτός. id est:
Quæ ipse erga tuos parentes feceris,
Eadem expecta pati & tu.

Idem.

Μὴ ἔριζε γονεῦσι, κἂν δίκαια λέγῃς. id est:
Noli contendere cum parentibus, etsi iusta dicas.

Idem.

Γονέας αἰδοῦ. id est:
Parentes uenerare.

De hac materia vide infrà in Parentes.

Filij plerunq; à patribus degenerant.

Homerus Odyssææ β.

AMANTIVS. Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους. i.
Pauci gnati similes patri sunt; plures peiores,
Pauci uerò patre meliores.

In filium à parentibus degenerantem.

ἄδηλον.

Γυμνὸν ἰδοῦσα λάκαινα παλίνζοπον ἐκ πολέμοιο
Παῖδ' ἑὸν ἐς πᾶσαν ὠκὺν ἴεντα πόδα
ἀντίη ἀΐξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχῃ·
ἄρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ
ἀλλόζιον σπάρτας εἶπεν γένος, ἔρρε πόθ' ἀδαν
ἔρρε ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδος, καὶ γενέτας.

Thomas Morus Anglus.

In patriam amißis celeri pede dum redit armis,
Conspiciens gnatum, sæua Lacæna, tuum:
Obuia, subiata corpus transuerberat hasta:
Hæc super occisum mascula uerba loquens:
Degener ô Spartes genus, ito in tartara tandem,
Ito, degeneras & patria & genere.

G. Lilij.

Quum nondum è bello gnatum remeare Lacæna
Vidit, & in patrios accelerare lares,
Insultans contra pectus traiecerat hasta,
Horrida in extinctum uoce uirago furens:
Spartanam quando es patriam mentitus, auesq;
Ad manes tandem degener, inquit, abi.

Turpe est filium non esse similem patris bonis morib.

Nunc signum quoddam Hipponici sustulimus naturæ, ad quem velut exemplar vitam formes oportet, legemq; tibi mores illius esse putas, & imitatorem te æmulumq; paternæ virtutis præbeas. Turpe namq; fuerit, pictores pulcherrima quæq; exprimere animantium, & liberos non imitari industriam parentum. Existimes autem nullum ita pugilem contra aduersarios suos decere meditari, sicut te consyderari quo pacto cum patris tui ratione viuendi decertes. Fieri aũt nõ potest, vt animum quisq; taliter formet, nisi multis antè honestisq; preceptis fuerit expletus: corpora namq; moderatis laboribus, animus verò actionibus honestis roboratur. Experiar igitur breui ea tibi exhibere, quibus obseruandis in vita plurimum mihi videaris virtutibus additurus, & gloriam apud homines cunctos consecuturus, &c.

Corpus moderatis laboribus: animus autem actionibus honestis roboratur.

FILII MATRVM ORNAMENTA.

Ex Valerio Maximo libro 4. cap. 4.

Bartholomæus Amantius ex tempore faciebat hos versus 6. Idus Nouem. Anno &c. 29.

Arboribus uitis decori est, & uitibus uua,
Estq; aruis seges, & taurus & ipse gregi.
Et sunt matronis decori sua pignora castis,
Artibus ingenuis sint crudita modò.
Illius exemplum nobis Cornelia præstat,
Gracchorum mater docta, beata simul:
Isti cùm mulier quædam spectanda referret
Ornamenta sui corporis eximia:
Traxit eam sermone schola è quousq; redirent
**Filioli, deinceps talia uerba refert.*
Hæc sunt ô nostri preciosa monilia colli,
Hospita, nec uideor ijs minor esse bonis.
Qui nihil affectat mirum omnia poßidet ille:
Sic pauper, locuples, deniq; diues, inops.
Certius atq; isthoc, quia rerum dispcrit usus,
Magnæ & opes paruo tempore sæpe ruunt.
At cæcæ nullos timet usurpatio mentis
Fortunæ incursus, damna nihilq; facit.
Diuitias igitur fragiles contendimus. at quid?
Maxima rixamur inter & esse bona?
Pauperiemq; loco nostris maioribus ante
Dilectam extremi ponimus esse mali.
Diuitijs frons est hilaris, uerùm intus amaris
Et trucibus plena est sollicitudinibus.
Horridior paupertatis conspectus, at illa
Est intus certis consolidata bonis.
Quod melius uaria te conditione docere
Personæ iunctæ, quàm data uerba queunt.

FILIOS ACCENDIT GENVS PARENtum & uirtutis.

Baptista Mantuanus ad Ludo. Fuscarium.

Est profectò (vt videre videor) magnum virtutis adiumentum, claris ortum esse parentibus. Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis ha-

bent,ne degenerare videantur,maiorum suorũ dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aspirare felicitatem: Sic Philippi nomen Alexandrum: sic maioris Affricani gloria minorem Scipionem: sic Cæsaris Iulij fama Octauianum excitauit: sic denique Pyrrhus Achileides animosus imagine patris. Te quoq; Ludouice,quãquam Deo & natura ducente, tuisque annitentibus studijs, virtutem amas: non parum antecessorum tuorum te iuuare possunt imagines, quorum mores æquare vt arduum & difficile, sic certè pulchrum & laudabile.

Pulchrũ est filios imitari virtutes parentũ

Erasmus Chiliadis 3. Centuria 9.

PROVERBIVM.

Filius degenerans.

In filium, qui paterno degenerat instituto: vel qui non diu fruitur à patre relictis, sed excutitur à maiorũ facultatibus. Appositè autem torquebatur ex Iliados ρε.

ἀλλ᾽ οὐχ υἱὸς ἐν ἔντεσι πατρὸς ἐγήρα. Id est:

At non consenuit patrijs in filius armis.

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα.

Heroum filij noxæ.

Veteribus illud obseruatum fuit,præstantiũ virorum filios multum à progenitorum moribus abfuisse. Vnde & Demosthenes dixit:

Τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὥσπερ εἱμαρμένη εἴη φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς. Id est:

A viris egregijs,perinde quasi fato quodam id accidat, improbos proficisci filios. Atq; hæc Demosthenis sententia refertur ab Aristide in Cmione. Manet & hodie vulgatus iocus: nempe ex sapientissimis patribus stultissimos propagari liberos. Euripides in Heraclidis generatim hanc sententiam ad omnes mortales retulit:

A bonis improbi proueniunt.

ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως εὕροις ἂν ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός. Id est:

Vnum forsan inter plurimos inueneris, qui patre non sit nequior.

Declarat hoc argumentum Celius Spartianus in Seuero Cæsare, multis exemplis declarans ita ferè vsu venisse, vt viri seu virtute, seu literis, seu fortunæ indulgentia insignes, aut nullos omnino liberos habuerint,aut tales reliquerint, vt magis ex vsu rerum humanarũ fuerit,illos absq; liberis discedere.

Nunquam ex malo patre bonus filius.

Euripides hanc sententiam prouerbio celebrem fuisse testatur: Ex malo patre non progigni bonos liberos.

φεῦ φεῦ παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει, οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός. Id est:

Heus Heus,vt illud dictitant rectè: probum patre ab improbo non posse nasci filium. Adstipulatur huic dicto prouerbium illud: κακοῦ κόρακος, κακὸν ὠόν. Id est: Mali corui,malum ouum. Itẽ illud Theognidis: οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδον φύεται. Id est: Non etenim ex squilis rosa nascitur.

Horatius oda 4. libro 4. de laudibus Drusi.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis,est in equis patrum
Virtus,nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed uim promouet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Vtcunq; defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

EXEMPLA EORVM, QVI CLARIS *orti parentibus degenerarunt: Desumpta ex collectaneis Baptistæ Fulgosi, de dictis factisq; memorabilibus, libro tertio, capitulo 4.*

Chtesippus Chabriæ Atheniensis filius. Gersa & Eliezer Mosi filij. C. Caligula Germanici filius. Commodus Imperatoris M. Antonini philosophi filius. Licinius Galienius Imperatoris Pub. Cornelij Licini Valeriani filius.

Exempla filiorum qui à parentibus degenerarunt.

Carinus Carini Imperatoris filius: Samuelis prophetæ filius: Heinricus Imperator Heinrici secundi filius: Vincislaus Cæsaris Boemiæ regis Caroli quarti filius: Noradinus Damascenus Sulthanus Saladini filius: Ioannes vicecomes primi ducis Ioannis Galeazij filius: Item Francisci Sfortij filij, maior natu Galeatius, Philippus, & Ludouicus.

Ex Valerio Maximo, eodem libro & capitulo.

Scipio ignobilis Affricani filius: Q. Fabius, Q. Fabij maximi Allobrogizi & ciuis & Imperatoris clarissimi filius: Clodij pulchri filius: Hortensius Corbio Quinti Hortensij eloquentissimi ciuis nepos.

Filij parentum similes sunt.

Marullus poeta.

Scilicet est olim uis rerum in semine certa,
Et referunt animos singula quæq; patrum.
Nec leporem canis æmathius, timidámue columbam
Notus Hyperboreo falco sub axe creat.

LIBERI BENE EDVCATI, MAXI*ma parentum ornamenta sunt, & omnibus diuitijs potiora.*

Valerius Maximus libro quarto capite de paupertate.

Maxima ornamenta esse Marionis liberos, apud Pomponium Ruffum collectorum libro sic inuenimus.

Cornelia Gracchorum mater, cùm Campana mulier vel matrona apud illam hospitata, ornamenta sua pulcherrima seculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone quousq; è schola redirent liberi: Et hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eo quidem certius, quàm qui cuncta possidet: quia

quia dominium rerum collabi solet. Bonę mentis vsurpatio nullum recipit fortunę incursum. Itaq; quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? Cùm & illarum frons hilaris multis intus amaritudinib. sit referta: & huius horridior aspectus solidis ac certis bonis abundet. Quod melius personis, quàm verbis representabitur.

Valerius Maximus libro 5. capite 4. De pietate in exemplo Darij.

Proxima & optima rerum naturę pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo vsu literarũ indigens, proprijs ac tantis viribus, charitatem parentum, liberorũ pectoribus infundit: Quid ergo doctrina proficit? vt politiora, sed non vt meliora fiant ingenia: Quoniam quidem sola virtus nascitur magis quàm fingitur.

MVLTA BONA SIMVLQVE *mala in liberis.*

Menander.

εὐδαιμονία τοῦ πατρὸς υἱὸς νοῦν ἔχων, Id est: Lætitia patris, filius sapiens. Verba sunt ferè libri Sapientię.

Pythagoras in aureis carminibus.

Τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, τούς τ' ἄγχισ' ἐκγεγαῶτας. Id est: *Ipse parentes atq; tuos uenerare propinquos.*

Agatho.

ὡς ἡδὺ τῶν φυσάντων, πείθεσθαι τέκνα. Id est: Quàm dulcè genitoribus, filios obtemperantes habere?

Aristoteles in Polyticis tradit, parentes liberis domi, nõ vt dominos seruis, sed legitimi regis more, qui patrem agat, imperare debere: Liberos verò eos tanquam Deos colere ac venerari oportere.

D. Hieronymus se comperisse ait, apud Delphos tria hæc fuisse scripta: Deos colendos, parentes venerandos, & à carnibus abstinendum.

Theophrastus.

Oportet ante omnia Dijs non tam multa, quã frequenter, & piè sacrificare. Deinde parentum alere senectutem, eorumq; consilijs vitam accommodare. Qui autem hęc neglexerit, contra naturæ & iustitiæ leges aget. Vxoris igitur & filiorum curam suscipiendam, vt ab ipsis in senectute recipiamus.

Anaximenes.

Τί γὰρ δικαιότερον ἢ τὸ τοὺς γενέσεως καὶ παιδείας αἰτίους ἀντευεργετεῖν. Id est: Quid iustius, quàm generationis & eruditionis autores remunerari?

Isocrates ad Demonicum.

Τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς παῖδας Id est: Talis esto erga parentes, quales erga te futuros esse cupis liberos tuos.

Huiusmodi in parentes pietatem, tũm sustentationem Græci θρεπτήρια vocant. Hinc apud Homerum adolescẽs in bello cadens queritur, non potuisse Threpteria, id est, merita nutritionis reddere.

Valerius Maximus.

Traditur mulieris exemplum apud Valeriũ libro 5. capite 4. de pietate illius, quę parentem in custodia fame necandam, clam ingressa, vbere alebat.

Feras etiam hæc charitas excitat, vt apud Aelianum: ciconiæ parentes in senectute alimentis sustentant: Vnde in Prouerbium abijt ἀντιπελαργεῖν. Ciconia symbolum pietatis.

De liberis degeneribus.

Apohthegma Aristippi: incusante quodam, quòd filium sic abijceret negligeretq;, quasi ex ipso natus non esset: An non, inquit, & pituitam & pediculos à nobis natos, velut inutiles procul à nobis abijcimus? Sen sit eos non habendos pro filijs, qui nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui cõmendent, nisi quòd ab ipsis progeniti sint. Ita senex in comœdia: Tantisper te volo meum, dum id, quod te dignum est, facis. Erasmus lib. 3. Apophtheg.

LIBERI PLERVNQVE SEQVVN *tur mores parentum.*

Cicero in oratione pro C. Rabirio Posthumio.

Hoc generi hominum prope natura datum, vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit: hanc ferè qui sunt eius stirpis, quod sermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur, cupidissimè persequuntur: Siquidem non modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius: sed etiam in deuotione vitæ & ipso genere mortis imitatus est P. Decium filius.

Petrarcha de remedijs utriusq; fortunæ, Dialog. 44. de filio rebelli uel contumaci.

Dolor. habeo filium contumacem. Ratio. Aequum est, vt qui patrem ferre non poteras, filiũ feras, vtiq; sarcinam grauiorem, magis animum premit, pungitq; acrius superbi filij verbum vnum irreuerentius prolatum, quàm sęueri patris quęcunq; durities: ille enim iniuriam facit, hic iure suo vtitur.

Dolor. Filium habeo rebellem. Ratio. Impudenter de minorũ rebellione conqueritur, qui maiorum iusta contempsit imperia.

Dolor. Filius inobediens est mihi. Ratio. Tandem fortassis intelligis, quid ille tam durus pater visus est tibi.

Dolor. Filium patior insolentem. Ratio. Si ętatis est vitium, cum ætate transibit: Multorum ferox adolescentia progressu temporis, ad virtutem mirificis profectibus flexa est.

Dolor. Repugnantem habeo filium. Ratio.

Non solus, & Dauid & Mithridates Ponti Rex, & Seuerus Imperator Romanus rebellantes filios habuêre. Et multis post seculis Britannici pacẽ regni (vt fama loquitur) turbauit regij adolescentis in patrem concitata rebellio: Sed quisquis sua deflet incõmoda, nullus aliena vel publica. D. Impius ac rebellis est filius mihi. R. Magna tibi portio paternæ molestiæ dempta est, mortem filij timere. D. Habeo ignauum ac inertem filium. R. Nescis, vt Africanus ille vir magnus dissimillimum filium sibi longeq; degenerem amauit vnicè & profectò maior, non dicã, amor, sed miseratio debetur ei, quem minus adiuuat natura. Nullius rei eget, qui virtutum diues est: quarũ indigentia verè miseros ac proinde misericordiæ egentissimos facit: Tu in filio etsi non virtutem, ama quod filius: si ne id quidẽ, at quod homo est. Postremò si nihil est quod ames, miserere. Proprium patris, vt seueritas, sic misericordia est.

D. perditæ filius vitæ mihi est. Ratio. Pondus infaustũ, eoq; grauius, quod dum ferri potest, nequit abijci. Perfer, & quæ datur, corrige: Sic enim aut filium curaueris, aut certè patris officium egeris: Hoc tibi debitũ, illud optabile. D. Impius, inhumanus, intractabilis est filius. R. Siquidem mollicies ac voluptas in perfidiã ac scelus eruperint, venenosum animal exigendum domo est, neq; vbi, sed quid natum, æstimandum: & in syluis ortas auiculas pascitis, & domi natos Scorpiones occiditis.

D. Impius filius est mihi. Ratio. Periculosa seponere antequam noceant, sapientis est: Non te pietatis vmbra decipiat, nulla impio debetur impietas. Est vbi sit crudelitatis species, esse piũ, sed dum aliquid vel minimum spei est, semper ad misericordiam inclina: mementoq; te patrẽ esse, non autem iudicem. Neq; hic tibi Terentianum illud excidat: Pro magno peccato, paululum supplicij satis est patri.

Volaterranus, libro trigesimo Philologiæ, Titulo: Ex liberis bona malaq;.

Palam est, ignauos sæpe filios claris ortos esse parentibus, vt de Scipione legimus, Cicerone, Herode Attico: causam Aristoteles in Problematib. adfert: Mentẽ viri præstantis, magis à natura sensus carnisq; remotam, ac quasi suspensam, inopem, ingenij incæptis genituram præstare: contra verò claros ex ignauis & improbis, bonos sæpe genitos videmus, vt tot sanctos viros ex crudelibus & nepharijs. Plærunq; tamen iuxta Græcum Prouerbium euenire solet κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Plato felicẽ dicit fieri genituram ex vtrisq; bonis: Malam verò ex vtrisq; malis. Bonum autem intelligit ex concordi discordia prouenientem, vt videlicet acriora ingenia mitioribus copulẽtur, vehementiora remissioribus.

In politicis & legibus.

Impiorum liberorum præmatura mors esse solet.

Apud Homerũ est exemplũ de Hippothoo Ili. ρ.

οὐδὲ τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε. id est:

Neq; nutricandi grata parentibus ille
*Reddidit officia, *sed ei breue contigit æuum.*

*Hoc Græcè non... loco... sen...

Euripides in Oenomao.

ἀμηχανῶ δ᾽ ἔγωγε, κοὐκ ἔχω μαθεῖν
εἴτ᾽ οὖν ἄμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα
θνητοῖσιν εἴτ᾽ ἄπαιδα καρποῦσθαι βίον:
ὁρῶ γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἔφυσαν, ἀθλίους
ὅσοισι δ᾽ εἰσὶν, οὐδὲν εὐτυχεστέρους:
καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, ἔχθιστη νόσος
κ᾽ ἂν εὖ γένωνται σώφρονες κακὸν μέγα
λυποῦσι τὸν φύσαντα μὴ πάθωσι τι. id est:

Dubius equidem sum, neq; dijudicare possum,
Vtrum melius sit progigni liberos
Mortalibus, aut sterili uita frui:
Istos enim, quibus liberi nulli sunt, miseros esse uideo.
Et contra illos, qui prolem genuerunt, nihilo feliciores:
Nam si mali fuerint, extrema calamitas est:
Rursus si probi euadant, magnum pariunt malum.
Affligũt enim genitorem, dum ne quid patiantur, metuit.

Idem in Andromache.

Ψυχὴ τέκν᾽ ὅστις δ᾽ αὔτ᾽ ἄπειρος ὢν λέγει,
ἧσσον μὲν ἀλγεῖ δυστυχῶν δ᾽ εὐδαιμονεῖ. id est:

Si quis imperitus liberos solatium appellauerit,
Ille minus quidem sentit doloris, ac in medio infortunio
fortunatè uiuit.

Menander in Epicteto.

ἢ μόνον δεῖ ζῆν, ἢ παίδων γενομένων
πατέρ᾽ ἀποθανεῖν: οὕτω τὸ μὲν ταῦτ᾽ ἐστὶ τοῦ βίου πικρόν.

Aut oportet viuere solum ac cœlebem, aut natis iam liberis, mori parentem: Adeò omnis deinceps vita acerba est.

Sophocles in Electra.

Δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν: οὐδὲ γὰρ κακῶς
Πάσχοντι, μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται. id est:

Magna uis est procreationis: Nam neq; si mala
Patiatur aliquis, prolem à se genitam odisse potest.

Menander comicus.

οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων, ἣν λύπη,
φόβος, φροντὶς, πέρας οὐδὲν ἐστί.

Patrem esse plurimum habet molestiæ
Metusq; curas infinitas.

Sophocles in Aiace.

ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος id est:

Nihil sapere iucundissima uita est.

Incertus author.

Φροντίδες οἱ παῖδες μέγα μὲν κακὸν, εἴ τι πάθοιεν
εἰσὶ δὲ καὶ ζῶντες φροντίδες οὐκ ὀλίγαι
ἡ γαμετὴ χρηστὴ μέν τινα τέρψιν ἔχει αὐτὴν,
ἡ δὲ κακὴ, πικρὸν τὸν βίον ἀνδρὶ φέρει.

Curas pariunt liberi, magnum malum, si quid humanitus
cis accidat.
Viuentes etiam non modicæ curæ causa sunt.
Vxor bona quidem aliquid in se habet iucundi,
Mala uerò acerbam facit marito uitam.

Democritus.

Τεκνοτροφίη σφαλερόν· ἣν μὲν γὰρ ἐπιτύχῃ ἀγῶνος μεστὴν καὶ φροντίδος κέκτηται, ἣν δὲ ἀποτυχῇ ἀνυπέρθετον ἑτέρῃ ὀδύνῃ. id est:

Periculosa est educatio liberorum: Nam si res bene cedat, multum solicitudinis & curarum affert: si malè, alios dolores necessarios parit.

Euripides in Menalippo.

ἴστω δ᾽ ἄφρων ὤν, ὅστις ἄτεκνος ὢν τὸ πρὶν
Παῖδας θυραίους εἰς δόμους ἐκτήσατο·
Τὴν μοῖραν εἰς τὸ μὴ χρεὼν παραστρέφων·
ᾧ γὰρ θεοὶ δίδωσι τὸ μὴ φῦναι τέκνα
οὐ χρὴ ἐγκαλεῖσθαι πρὸς τὸ θεῖον,
ἀλλὰ γεγονὼς αὐτὸς γὰρ οὐδεὶς οἶδε πῶς id est:

Hic se stultum fateatur, qui cùm antea liberis careret,
Externam prolem ædibus suis accersiuit.
Fatum peruertens contra quam oportebat:
Nam cui liberos procreare Dij non concesserunt,
Id pati debet, non incusare numen,
Nullus enim per se nouit, quomodo natus sit.

Dictum Aristippi Philosophi.

Μεμφομένης αὐτῷ τῆς γυναικὸς τό τὸν υἱὸν οὐ προσίεται, καὶ λεγούσης τὸ ἐκ σοῦ εἴη, ἀποπτύσας, καὶ γὰρ τοῦτο εἶπεν ἐξ ἐμοῦ, ἀλλ᾽ οὐδὲν μοι χρήσιμόν ἐστιν. id est

Vxore Aristippum accusante, quòd filium non admitteret, ac dicente, atqui ex te natus est: expuens, hoc etiam inquit ex me, sed inutile mihi est.

Democritus.

οὐ δοκεῖ μὴ χρῆναι παῖδας κτᾶσθαι· ἐνορῶ γὰρ ἐν παίδων κτήσει πολλοὺς μὲν καὶ μεγάλους κινδύνους, πολλὰς δὲ λύπας, ὀλίγα δὲ τὰ εὐθηλέοντα, καὶ ταῦτα λεπτά τε καὶ ἀσθενέα. id est:

Non probo liberorum propagationem: Nam in ipsorum possessione multa magnaq; discrimina inesse video, & molestias plurimas: Pauca verò iucunda, eaq; tenuia & exilia.

NANVS, Firmamentum Græcè στερέωμα ατος τὸ, & στερεόω firmo dicitur. Est cælum stellatum, & supre ma sphærarum secundum Aristotelem, non autem secundum Astrologos modernos, ex Beato Thom. prima parte q. 68. art. 1. 2. 3.

Firmus, hoc est, stabilis, constans, à ferendo dicitur: quòd constanter omnia ferat, vnde firmitas de qua infrà, hoc est, stabilitas, constantia, quæ & firmitudo dicitur, & firmiter aduerbiũ, stabiliter, inconcussè: & firmo verbum, quod est sisto, stabilio, vnde firmator, firmatrix, firmatio, hinc affirmatio, de qua suprà, affirmatiuum, affirmo quod est firmo. Infirmo, quod est debilito, & infirmus debilis, & infirmitas debilitas: refirmo, rursus firmo, confirmo, approbo, confirmator, & confirmatrix, & confirmatio, confirmatiuum.

Firmitas Græcè στερεότης ητος ἡ, & στερεόω firmo dicitur. Est autẽ firmitas virtus faciens permanentiam in opere. Constantia verò in proposito, B. Thom. 3. Sent. di. 33. q. 3. art. 3.

Fiscus est bursa Cæsaris vel principis, 16. q. 7. Maiores. Propriè tamen significat folliculum, quo testes teguntur: ponitur interdum pro sacculo, in quo pecuniæ publicæ reconduntur, vnde fiscum aliquãdo pro ærario accipimus, à quo fiscalis deducitur.

Flagellum Græcè μάστιξ γος ἡ, & μαστιγόω flagello dicitur.

Flagellum significat nonnũquam ramorum seu virgarum summitatem. Virgilius in Georgicis: Néue flagella summa petas: eò quòd crebrò ventorum flatu agitentur. Est autem flagellum diminutiuum de flagrum. Dicitur verò flagellum etiam, quia caro percussa conflagrare, hoc est, ardere videatur. Horatius: Nec scutica dignum horribili insectere flagello.

Fœlicitas Græcè εὐδαιμονία ας ἡ, & εὐδαίμων ονος ὁ ἡ fœlix dicitur. Est autem fœlicitas quędam operatio animæ per virtutem perfectam, secundum Aristotelem libro 1. Ethicorum.

Fœlicitas est, quod vitam sufficientem, optabilem, ac nullius indigam præstat, secundum eundem.

Ibidem.

Fœlicitas est virtus in vita perfecta, secũdum Aristotelem libro Maio. moral.

Fœlicitas est virtutis operatio, vt vsus quidã perfectus, secundum Aristotelem libro 7. Politicorum.

Fœlicitas est operatio quædam secundũ virtutem perfectam operantem exterioribus bonis, secundum Aristotelem 8. Ethicorum.

Fœlicitas est vel forma secunda cum virtute, vel per se sufficientia vitę, vel vita tuta, & iucundissima, vel possessionum facultas, & corporis vires cum factiua, conseruatiua, amplificatiua horum virtute, secundum Aristotelem libro 1. Rhethoricorum.

Menander.

Δίκαιον εὐπράττοντα μέμνησθαι θεοῦ. id est:
Iustum est fœliciter agentem recordare Dei.

Idem.

Κατ᾽ ἰδίαν φρόνησιν οὐδεὶς εὐτυχεῖ. id est:
Iuxta propriam sententiam nullus fœlix est.

Idem.

Κοινὸν δὲ καλὸν ἐστι χρηστὸς εὐτυχῶν. id est:
Commune autem bonum est bonus fœlix.

Idem.

Οὐκ ἐστὶν ὅστις πάντ᾽ ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ. id est:
Non est qui in omnibus uir fœlix fit.

Idem.

Πολλοὶ μὲν εὐτυχοῦσιν, οὐ φρονοῦσι δέ. id est:
Multi quidem fœliciter agunt, non sapiant quamuis.

Idem.

Τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν. id est:
Fœliciter agentem, & sapere putamus.

Idem.

Τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς. id est:
Bene

Bene enim agenti omnis terra patria.
Τῶν εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς. id est:
Felicium omnes sunt affines.
ὡς εὐκόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι. id est:
Quàm facilè cadunt splendidæ fortunæ.

Lucianus.

Θεοῦ μὲν ἐκτὸς οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτός. id est:
Deo quidem sine, nullus fortunatus est mortalis.

De hac materia vide infrà in Prosperitas.

Fœmina θήλεια ἀς ἡ, θῆλυς ος ἡ dicitur. Mulier autem quæ dicitur fœmina à fœminis mollitie, vt quidam putant: vel à fœtu, vt credibilius est. A fœmina fit fœminium & fœmininum, & diminutiuũ fœmellæ: & effemino verbum quod significat in muliebrem molliciem atq; lasciuiã conuerto, cuius pasiuum est effœminor: vnde effœminatus mollis, lasciuus: & effœminatio mollities & lasciuia. Et effœminatè, hoc est, molliter & lasciuè.

De hac materia vide infrà in Mulier.

Fœmina non debet esse iudex, 3.q.7: infamis §. Tria sunt.

Fœmina propter verecundiam sexus nisi in sua & suorum causa nõ permittitur pro aliquo aduocare. 15.q.3.§.1.& 4.§.2.

Fœmina nisi in crimine læsæ maiestatis, & in hæresi, & in Simonia non permittitur accusare. 15.q.3. Certis de causis, & in cap. sequenti.

Fœmina quantũcunq; docta & sancta in conuentu virorum non debet prædicare. 23. distin. Mulier. & de conse. dist. 4. Mulier.

Fœminæ quantũcunq; sanctę, vel monachæ non debent pallas altaris, vel vasa sacra contingere, 23. dist. Sacratas.

Fœmina sancta mente est diligenda, non corporali frequentiã 32. dist. Hospitiolum.

Fœmina extranea non debet clerico cohabitare. 81. dist. cum omnibus, & 6. cap. seq.

Fœminarũ accessibus copulantes pleno corde coniungi Deo non possunt 32. di. Hospitiolũ.

Fœminarum cohabitatio prohibetur clerico, nisi fortè sint mater, vel soror, vel consimilis persona carens suspitione, 23. dist. his igitur, 81. distinct. volumus.

Fœminas cohabitare cum clericis, B. August. noluit, etiam cum sorore propter coniunctarũ personarum societatem, 81. dist. legitur.

Fœminam solam vt alloquatur solus clericus religio non permittit, 81. dist. in omnibus.

Fœminam alloqui debet nullus clericus, nisi certis locis & temporibus, vt mala excludatur suspitio.

Ibidem.

Fœminæ confabulatio per modica, & cõpendiosa verba cum clerico esse debet. q. 2. Diffinimus, & c. seq.

Cum fœminis se balneare non licet clericis, & alijs Christianis. 81. distin. non oportet.

De fœminarum formis non est disputandũ. 32. distin. Hospitiolum.

Fœnus τόκος ου & τοκίζω fœnero. Est autem fœnus vsura. Sed differunt, quia vsura est lucrum de capitali acceptum: fœnus verò est lucrum de vsura, vel sic:

Fœnus ex solo ipso est: Nam dicitur naturalis fructus terræ. Ouid. Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager. Et inde ad vsuram transfertur, quasi pecunia per se fructũ producat, sicut terra. Ita & fœnum fœtum terræ dicimus, & fœnus fœtum pecuniæ. A fœnore diminutiuum fit fœnusculum: & fœnero verbum, quod est pecuniã, siue aliam rem ad fœnus mutuo, & cum accusatiuo iungitur. Mart. Hæc sapit, hęc omnes fœnerat vna deos. huius pasiuum est fœneror: vnde res fœnerata dicitur ad vsuram tradita. A fœnero fœnerator qui apud Græcos Danista dicitur, & fœneratitius, vnde pecunia feneratitia quæ ex vsuris est collecta: hinc & fœnum dicitur, quòd herbæ eædem manentes quotannis nouas pariant.

De hac materia vide in Vsura.

Fomes Gręcè ῥιπὴ ῆς ἡ dicitur. Et est languor naturæ, qui carnis concupiscentia appellatur, vt habetur 15. q. 1. §. vt itaq;.

Fomes est cõcupiscentia habitualis, quę prouenit ex hoc, quòd ratio non habet virtutem totaliter inferiores vires refręnandi, secund. B. Tho. in q. dispu: de Ma. q. 4. artic. 6.

Fomes à fouendo, hoc est, nutriendo ignem. Est enim fomes assula ex arbore excussa dum cęditur. Item quæcunq; materia sicca, in qua facilè ignis inflammatur. Virg. Suscepitque ignem folijs, atq; arida circum Nutrimenta dedit. rapuitq; in fo. fl. Per Metaphoram autem fomitem appellamus, quicquid accendit nos, atque excitat ad aliquid agendum. Gellius. Fomitẽ esse quendam dicens & incitabulum ingenij virtutisq; si mens, & corpus homine viuo flagraret.

Forma Græcè μορφὴ ῆς ἡ, & μόρφωσις formatio dicitur. Est autem forma quæ dat esse specificum artificiatum. Quomodo autem differat à figura, vide suprà in Figura.

Forma nihil aliud est (vt hoc loco accipimus) quàm recta proportio membrorum, decenti colore superinfusa. Eadem ferè cum pulchritudine, quam Cicero 3. Tuscula. definit, aptam quãdam figuram cum coloris quadã suauitate.

Cuius laus (teste Aristotele 1. Rhetoricorũ) non solùm decore ipso constat, & specie, sed etiam dignitate, & veneratione, cum quadam etiam seueritatis nota.

De forma Thomas Morus Anglus.

Quid forma confert? Hercules nihil cerno:
Si ferueas, deformis ecce formosa est:
Sin frigeas, formosa iam fit informis.
Quid forma confert? Hercules nihil cerno.

Forma

Forma uaria. Ouidius.

Forma bonum fragile, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spacio rumpitur ipsa suo.

Idem in Ponto.

Ista decens facies longis uitiabitur annis,
Rugaq; in antiqua fronte senilis erit.
Inficietq; manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepitum paßu non faciente uenit.

Forma perennis, Stroza pater Eroticôn libro 2.

Vt prior est ætas faciem mirata Lacænæ,
Sic formam laudant nunc Ariadna tuam.
Tyndaris hoc uno fertur superasse, quod illa
Difficilis blandis nesciijt esse procis.
Tu pietate carens, & fastus plena superbi,
Formæ corrumpis maxima dona tuæ.
Nec magis Euryali gemitu lachrymisq; moueris,
Quàm prece turbati flectitur ira Sali.
Quid faceres, si Nestoreos hic uinceret annos,
Et tegeret crispas horrida barba genas?
Exemplo tibi sit pharetrati mater amoris,
Dignata est puero iungere Diua latus:
Illo etiam fertur lachrymas fudisse perempto,
Et solitus roseo fugit ab ore decor.
Abstulit Endymion tenera Latoïda forma,
Dum patrio niueas monte reducit oues:
Ipsa licèt Dea sit, noctis aurora tenebras
Pellat, in amplexum non pudet ire senis.
Inuidisse Deos perhibent, cùm mollia cano
Oscula Tithono culta puella daret.
Tu iuuenem, quo non formosior alter in urbe,
Spernis, & insano cogis amore mori:
Si sapis ipsa tuæ fructum decerpe iuuentæ:
Respice, iam properans terga senecta premit.
Quod si nec facies, qualem Narcissus habebat,
Nec mouet antiquo sanguine clara domus:
Te saltem moueant generose Palladis artes,
Queis inter priscos hic numerandus erit.
Huic si tu faueas, hunc si digneris amare,
Cantabit laudes Dia puella tuas.
Atq; immortalis famæ tibi quæret honorem,
Et tua post obitum fama perennis erit.

NANVS. FOrmido Græcè δειλία ας ἡ, & δειλός οῦ ὁ formidolosus vel timidus dicitur. Est autem formido virtus, medio modo se habens circa timores & audacias propter bonum, secundum Aristotelem libro 3. Ethicorum.

Formido est metus permanens, secundum Ciceronem libro Tusculanarum Quæstionum.

Dicitur autem formido à fero fers, & est metus qui vehementius in mouendo, vt ab se abeat foras, fertur: hinc formido verbũ, id est, timeo, & formidabile timendum, & formidolosus qui formidat. Terentius: Num formidolosus es mihi homo? & formidolosè, id est, cum timore. Apophoreta verò quæ sunt munera, quæ dari solebant in saturnalibus: quem morem quoq; hodie seruamus mense Decembri, non à fero, sed à Phero Græco, quod ab his quos salutabant referrentur, nam ἀποφορεῖν modò auferre, modò referre significat. Hinc Martialis nouissimum sui operis librum Apophoreta inscripsit: hoc est, munera Saturnaliorum.

FOrnicatio Græcè πορνεία ας ἡ, & πορνεῖον ου τὸ lupanar dicitur. Est autem fornicatio omnis illicitus coitus, vt habetur 32. quæst. 2. ca. Meretrices. §. Qui ergo. Propriè tamen est inordinatus concubitus naturalis, quo solutus solutam naturali vsu cognoscit, solutus inquam quolibet vinculo coniugij, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis seu voti.

Fornicatio vt habetur 36. q. 1. ca. lex illa, licèt videatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus, qui fit extra vxorem legitimam, tamẽ specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.

Fornicatio dicitur à fornice, i. ab arcu triumphali, vbi Romę fiebat fornicatio, & propriè est soluti cum soluta, secundum B. Tho. 4. sent. dist. 41. ar. 4. Fornix dicitur, vt nonnulli putant, à furno: furnum verò veteres dixêre quasi furuum, & furnum, nigrum vel obscurũ dicebant. Suntque fornices loca in arcuum similitudinem ædificata subobscura, inde fornicor, quod est meretricor. quoniam meretrices in fornicibus habitare consueuerũt, inde fornicator & fornicatio deducuntur: hoc est, meretricator & meretricatio. De hac materia habes infrà vbi Luxuria.

Fornicatio est duplex, scilicet spiritualis, & corporalis seu carnalis, 28 q. 1. idololatria, 32. q. 7. Non solum.

Fornicatio spiritualis est idololatria, quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio, 28. q. 1. idololatria.

Fornicatio spiritualis dicitur consensus mentis ad fornicandum, iuxta illud: Qui viderit mulierem, &c. 32. q. 7. Non solum.

Fornicans episcopus, vel presbyter cum sua filia spirituali, si publicum est, debet deponi: si occultũ, episcopus 55. annis, & presbyter 12. debet pœnitere, 30. q. 1. omnes, & 2. c. seq. Qui sint filij spirituales, & quot modis, vide suprà in Filius.

Fornicatio carnalis dicitur omnis pollutio immunda, 32. q. 7. per totum.

Fornicatio simplex est peccatum mortale, gl. in cle. vlt. de hæreticis, in ver. non est, & est soluti cum soluta.

Fornicationis excusationem non affert necessitas famis sicut furti. ff. de ri. nup. l. palam. §. non est sicut à furto, quia ꝓpter necessitatẽ res quã furatur est facta communis, sed in fornicatione non est ita. Imò potius debet quælibet mala pati, quàm malo consentire, vt 32. q. 5. ca. ita ne. & glos. in ca. si quis. de furtis.

Fornicatoris notorij missa audienda non est. c. vestra dux. de cohab. cle. & muli. & intelligit de

de notorio facti,de quo vide in litera N. Notorium triplex.

Fornicantes fœminæ cum clericis, debent in seruitutem redigi 32.dist.eos qui.

Fornicatio non est multum aggerenda propter maius malum vitandum,32.q.2.Ancillam.

Fornicandi occasionem,vt non det vxori maritus se continere debet,27,q.1.nubendi.

Fornicationis propter solam causam vxor dimittitur,quantum ad cohabitationem 32.q.1,dixit dominus.

Exodi cap.32.

Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam,dormieritq; cum ea,dotabit eam,& habebit eam vxorem.Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis,quam virginibus dare consueuerunt.

Deuteronomij cap.22.

Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit, dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti,& habebit eam vxorem,quia humiliauit illam. Non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.

Tobias cap.4.

Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.

Prouerbiorum cap.30.

Tria sunt insatiabilia,& quartum quod nunquam dicit,sufficit: Infernus,os vuluæ,& terra quę nunquā satiatur aqua.Ignis verò nunquam dicit,sufficit.

Ecclesiast.cap.19.

Qui se iungit fornicarijs,erit nequam.

Paulus 1.ad Corinthios cap.5

Nolite errare,neq; fornicarij,neq; idolis seruientes,neq; adulteri,neq; molles,neq; masculorum concubitores,neq; fures,neq; auari,neq; ebriosi,neq; maledici,neq; rapaces regnum Dei posidebunt.

Ibidem.

Fugite fornicationem.Omne enim peccatum quodcunq; fecerit homo extra corpus est. Qui autem fornicatur in corpus suum peccat.

Paulus ad Ephesios cap.5.

Fornicatio aūt & omnis immūditia aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.

Ibidem.

Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator,aut immundus,aut auarus,quod est idolorum seruitus,non habebit hęreditatem in regno Christi & Dei.

Paulus ad Thessalonicenses cap.4.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra,vt abstineatis vos à fornicatione,vt sciat vnusquisque vestrum vas suum posidere in sanctificatione & honore,non in pasione desiderij,sicut & gentes quæ ignorant Deum.

Augustinus de conflictu uitiorum & uirtutum,& habetur 27.q.1.Nubendi.§.Fornicatio.

Fornicatio autem nulli impunè conceditur.

Aug.super Exodum,& habetur 32.q.4.Meretrices.

Omnis mœchia etiam fornicatio dicitur in scripturis,sed vtrum omnis fornicatio mœchia dici posit in eisdē scripturis,non mihi interim occurrit locutionis exemplum.Sed si omnis fornicatio etiam mœchia dici non potest,vbi sit in decalogo prohibita illa fornicatio,quam faciūt qui vxores non habent cum fœminis,qui viros non habēt:an inueniri posit,ignoro.Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, non enim rapinā permisit, qui furtum prohibuit,sed vtiq; à parte totum intelligere voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur:profectò nomine mœchiæ omnis illicitus cōcubitus atq; illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi.

Augustinus de uerbis Domini.

Nihil est iniquius,quàm causa fornicationis vxorem dimittere,si ipse conuincitur fornicari. Occurret enim illud:In quo alterum iudicas, teipsum condemnas.

Hieronymus epistola ad Titum,& habetur 14.q.6. Furtum autem.§.Quomodo.

In fornicatione non idcirco diuersa fit fornicatio,si mulier sit pulchra aut deformis,ancilla aut ingenua,aut paupercula,aut opulenta, sed qualiscunq; illa fuerit,vna est fornicatio.

Idem,& habetur 32.q.1.capite Dixit.

Dixit Dominus in Euangelio:Quicunq; dimiserit vxorem,nisi ob fornicationem,& aliam duxerit,mœchatur:& qui dimissam duxerit.mœchatur.Sola fornicatio est,quæ vxoris vincit affectum,imò quæ vnam illam carné in aliam diuiserit,& se fornicatione à marito separauerit, non debet teneri,ne virum quoq; sub maledicto faciat,dicente scriptura: Qui tenet adulteram,stultus & impius est.Vbicunq; igitur fornicatio est,vel fornicationis suspicio,liberè vxor dimittitur. Et quia poterat accidere,vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptialem veteri copulæ crimen impingeret,sic priorem dimittere iubetur vxoré, vt prima viuente secundam non habeat.

Hieronymus,& habetur 32.q.2.cap.Sicut non.

Sicut non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est, sic non omne matrimonium, quo non viro suo secundum præcepta Christi vxor iungitur,ritè coniugium appellari potest, sed magis adulterium.

Ibidem 32.q.4.cap.In eo.

In eo fornicator maioris criminis est,quia tollit membra Christi,& facit ea membra meretricis,erunt quippe duo in carne vna,qui non est fidelis, nec credit in Christo, membra sua facit membra

membra meretricis. Econtrariò infidelis in fornicatione sua, vtrum violet vel ædificet templa idolo, nescio.

Hieronymus ad Damasum Papam.

Considerandum pueris est, vt casti & pudici permaneant, & frequentius ad ecclesias sciant conuenire debere. Quia frequẽtius sunt armandi, quibus adhuc propter ætatem minus stabilem, pugna Diaboli futura sit grauior. Obseruanda illis omnia cum timore, & ante omnes cauendum à fornicatione, quæ initium ad idololatriam habet, & necesse est vtrunq; nouerit, qui secutus est alterum.

Ambrosius de Fuga seculi.

Deus sine peccato est, qui non fecit peccatũ: homo autem ad imaginem Dei est. Fugite ergo fornicationem, persequuntur enim vos illecebræ peccatorum, persequitur libido, sed tu fuge tanquam furiosam dominam, quæ si te comprehenderit, nec de die, nec de nocte requiescere sinet, exagitat, vrit, incendit.

Isidorus, & habetur 32.q.8.Non solum.

Non solum de commissa fornicatione peccatum regnat in homine, sed si adhuc delectatur atq; animum teneat, proculdubio regnat. Fornicatio carnis adulteriũ est, fornicatio animi idolorum est seruitus. Est autem spiritualis fornicatio, de qua Dominus ait: Qui viderit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisq; diuersa turpitudinis voluntate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, vt homo à Deo separetur. Inter cætera septem vitia, vitium fornicationis maximum scelus est, quia per carnis immunditiam templum Dei violatur.

Isidorus de summo bono libro 3. cap. 39.

Cui impulsu Dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini iudicij metus, æterna tormenta incendij, ante oculos præponantur: quia omnis pœna grauioris supplicij formidine, superatur. Sicut enim clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.

Seneca Tragœdia 4.

Vincit sanctos dira libido.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Cùm quidam stolidus audiente Pythagora diceret: Malle se cum mulierib. esse, quàm cum philosophis conuersari. Et sues (inquit Pythagoras) libentius in cœno, quàm in aqua versantur.

De hac materia vide infrà in Luxuria.

Ἀγαθίου σχολαστικοῦ.

Ποίην τὶς πρὸς ἔρωτας ἴοι τρίβον; ἐν μὲν ἀγυιαῖς,
Μαχλάδος οἰμώξεις χρυσομανῆ σπατάλην.
εἰ δ᾽ ἐπὶ παρθενικῆς πελάσεις λέχος, ἐς γάμον ἥξεις
ἔννομον, ἢ ποινὰς τὰς περὶ τῶν φθορέων.
Κουριδίαις δὲ γυναιξὶν ἀτερπέα κύπριν ἐγείρειν,
Τίς κεν ὑποτλαίη, πρὸς χρέος ἑλκόμενος,
Μοίχια λέκτρα κάκιστα καὶ ἔκτοθεν εἰσὶν ἐρώτων,
ὧν μέτα, παιδομανὴς κείσθω ἀλιτροσύνη.
Χήρη δ᾽ ἡ μὲν ἀκόσμος, ἔχει πάνδημον ἐραστὴν,
Καὶ πάντα φρονέει δήνεα μαχλοσύνης.
ἡ δὲ σαοφρονέουσα, μόλις φιλότητι μιγεῖσα,
Δέχνυται ἀστόργου κέντρα παλιμβολίης,
Καὶ στυγέει τὸ τελεσθέν. ἔχουσα δὲ λείψανον αἰδοῦς
ἂψ ἐπὶ λυσιγάμους χάζεται ἀμβολίας.
ἢν δὲ μιγῇς ἰδίῃ θεραπενίδι, τλῆθι καὶ αὐτὸς
Δοῦλος ἐναλλάγδην δμωΐδι γιγνόμενος.
εἰ δὲ καὶ ὀθνείῃ, τότε σοι νόμος αἶσχος ἀνάψει,
ὕβριν ἀνιχνεύων σώματος ἀλλοτρίου.
Πάντ᾽ ἄρα Διογένης ἔφυγεν τάδε. τὸν δ᾽ ὑμέναιον
ἦδεν παλάμῃ, Λαΐδος οὐ χατέων.

Fortitudo duplex, scilicet

- Mentalis secunda secundæ, q.123.ar.2.Beat. Thom.
  - Vno modo ut definit Arist. 3.Ethi.& est medietas inter audaciam & timorem propter bonam mortem & hæc est duplex, scilicet
    - Aßimulata & non uera, quia scilicet nõ habens fortitudinem ueram operatur fortia, quod fit quintupliciter, propter
      - Paßionem
        - Timoris, & dicitur ab Arist. politica, id est, ciuilis, cuius gradus tres aßignantur, quorum
          - Primus sustinere uel aggredi ardua uel periculosa morti propter uirtutem uel bonum commune, sed ut uitentur ... pationes & opprobria, uel ut acquirantur honores.
          - Secundus est sustinere uel aggredi ardua, ut suprà, timo... næ futuræ, secundum leges statutas.
          - Tertius est sustinere uel aggredi, ut suprà, coactione p... pœnæ, ut cùm præcipitantur uel occiduntur fugientes.
        - Iræ uel furoris, cùm quis propter iram fortiter agit, quæ secundum Stoicos est cos fortitudinis.
        - Spei, cùm scilicet propter multas uictorias acquisitas, non propter artem ... rum experientiam, fidutiam concipiunt, & spem uictoriæ, ut in ebrijs con... & tales à Philosopho bonæ spei dicuntur.
      - Artem, sicut in militibus, qui propter peritiam & exercitium, non reputant gra... la belli, arti suæ fidentes, ut ait Vegetius de re militari: Nemo facere metuit, quod ... dicisse confidit.
      - Experientiam, & Philosopho 3. Ethicorum dicitur fortitudo militaris.
      - Ignorantiam, cùm scilicet nescientes pericula occurrũt grauibus & arduis, & ... de fortitudine habent.
      - Lucrum. Horatius: Impiger extremos currit mercator ad Indos,
        Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
    - Vera, secũdum Beat. Thom. & est ea, quæ firmat animam ut timeat & audeat mori, propter quod, quando, ubi, & secundum cæteras circunstãtias: cuius
      - Materia
        - Circa quam, id est, obiectum, & est terribile circa pericula mortis.
        - In qua. i. subiectum perfectibile per fortitudinem, et irascibilis pars appetitus ...
      - Partes
        - Integrales, quæ sunt ea, quæ oportet concurrere ad perfectum actũ fortis, & sic sunt quatuor, quas ponit Cicero, scilicet
          - Fidutia, qua quis in aggrediendo periculo mortis promptum ... bet animum.
          - Magnificentia, qua fortis persistit in executione eorum, quæ ... tialiter inchoauit circa pericula mortis.
          - Patientia, qua fortis hominis animus non frangitur, aut ... sua magnitudine difficultate imminentium malorum.
          - Perseuerantia, qua fortis animus non frangitur, uel decidit ... pria magnitudine, non modò difficultate, sed insuper diu... tolerantiæ imminentiæ malorum. q.128.
        - Subiectiuas non habet, quia non diuiditur in multas species, quia est circa ma... ualde specialem, de quibus suprà.
        - Potentiales uel annexas, & sunt
          - Secundum Ciceronem Magnificentia, fiducia, patientia, toleranti...
          - Secundũ Macrobium
            - Magnanimitas, quæ à Cicerone sub fidutia comprehen...
            - Fidutia, per quam magnis & honestis rebus multum ip... mus in se fiduciæ cum spe collocauit secundum Ciceronem.
            - Securitas, quæ sub fidutia continetur.
            - Magnificentia, quæ est rerum magnarum & excelsarum ... nimi quadam ampla & splendida propositione cogitatio ... administratio, id est, executio secundum Ciceronem.
            - Constantia, quæ à Cicerone sub magnificentia comprehend...
            - Tolerantia, quam Cicero sub patientia ponit.
            - Firmitas, quam Cicero uocat perseuerantiam.
          - Secundũ Andronicum
            - Epijcia, id est, bona animositas, & est idem quod securit... sub fidutia comprehenditur, & est robur animæ ad per... opera ipsius.
            - Leuia, id est, patientia uel tolerantia, & est habitus ... tribuens ad conari, qualia oportet, & sustinere quæ ra...
            - Magnanimitas, quam sub fidutia Cicero comprehendit.
            - Virilitas, & est habitus per se sufficiens tributus in his ... cundum uirtutem sunt, & est idem cum fiducia.
            - Perseuerantia, ut Cicero.
            - Magnificentia, ut Cicero.
            - Andragatyma, id est strenuitas, quam Cic. comprehendit sub magnificentia, cui opponitur per
              - Excessum, bannausia ... sumptio latinè dici...
              - Defectum, paruifi...
      - Actus
        - Principalis — Sustinere
        - Secundarius — Aggredi
        - quibus opponitur: Timor, Audacia, Intimiditas.
  - Secundo modo, ut diffiniuit August. lib. 83. q. dicẽs quòd fortitudo est firmitas animi eorum quæ tẽporaliter molesta sunt & sic est quædam generalis conditio cuiuslibet uirtutis, & non est uirtus specialis.
- Corporalis, quæ in 5. consistit, scilicet
  - Vigore complexionis
  - Robore membrorum
  - Abundantia cibi
  - Constantia mentis
  - Experientia bellicæ artis.

Beatus Thomas super Esaiam 3. prin. quæstione 123. articulo 6.

Fortitudo Græcè ἀνδρεία ας ἡ, & ἀνδρεῖος ου ὁ fortis & virilis dicitur. Est autem fortitudo aggresio terribilium vbi mors imminet propter bonum commune saluandum, secūdum Arist. libro 3. Ethicor.

Fortitudo est virtus quæ animum super periculi metū agit, nihilq; nisi turpia timet, tolerat fortiter vel aduersa vel prospera. Præstat autem fortitudo magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam firmitatem, secundum Macrobium.

Fortitudo est scientia perferendarum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo, summę legi parens sine timore, secundum Ciceronem libro 4. Tusculan. q.

Fortitudo est animi affectio, legi summæ in perpetiendis rebus obtemperans. Vt ibidem.

Fortitudo est probata (vt dicunt maiores) scientia rerum tolerandarum & non tolerandarum, non excedens modum per immoderatam audaciam, nec deficiens per pœnæ sensibilitatem, secundum Aulum Gellium libro 12. Noctium atticarum.

Fortitudo est, quę gratia reipublicę se exponit, & non cedit neq; fugit periculis excrescentibus, secundum B. Thomam opusculo de regimine principum.

Fortitudo est firmitas animi in sustinendis & repellendis his in quibus maximè est difficile firmitatem habere propter bonum virtutis, B. Tho. secunda secundæ q. 123. art. 2.

Fortitudo est virtus moderatiua timoris & audaciæ, propter bonum reipub. B. Tho. super epistola ad Hebræos 11. prin.

Fortitudo & magnanimitas cōueniunt in modo & forma, & differunt in materia. B. Thom. 3. Senten. di. 3. q. 33. art. 3.

Fortitudo firmat contra mala, magnanimitas est in persecutione bonorum. B. Tho. secunda secundæ q. 129. art. 5.

Fortitudo moderatur timorem, patientia & perseuerantia tristitiam, mansuetudo iram, B. Tho. secunda secundæ q. 136. art. 2.

Fortis propriè est, qui animum habet infractum, vel qui validis viribus præditus est. Dicitur autem à ferendo, quòd æquo animo ferat aduersa. A fortis fit fortiter aduerbium, & fortifico pro fortem facio. Plautus: Fortifico animum. Et fortesco pro fortis fio. Næuius: Crescit animus & fortescunt vires. Hinc etiam forticulus diminutiuum.

Deuteronomij cap. 31.

Viriliter agite & cōfortamini. Nolite timere.

August. epistola ad Hieron.

Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet.

Hieron. super Esaiam.

Fortitudo atq; constantia via regia est, à qua declinat ad dexteram qui temerarius est & pertinax: ad sinistram qui formidolosus est & pauidus.

Hieronymus super Ioel.

Iusti & fortis viri est, nec aduersis frangi, nec prosperis subleuari, sed in vtroq; esse moderatum.

Amb. libro 1. Offi. & habetur 23. q. 3. Fortitudo.

Fortitudo quæ bello tuetur à barbaris patriā vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.

Ambrosius libro 1. Offi.

Non mediocris animi est fortitudo quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium & iustitiam custodit, & quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, vt auaritiā effugiat tanquam labem quādam, quæ virtutem effœminat.

Ambrosius libro 1. de Offi.

In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò vt exteriora corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despiciēda magis quā expetenda ducat. Secundò, vt ea quæ summa sunt, omnesque res in quibus est honestas, præclara animi intentione vsque ad effectum prosequatur.

Ambrosius super Beati immaculati.

Fortis propriam contumeliam non dolet, sed aliena peccata, & in sua iniuria lapsum alterius ingemiscens, causam se fuisse deplorat lædentis errori. Nam si iustus sum, afficior propter charitatem, propter ecclesiæ damnum, propter corporis detrimentum.

Ambrosius in epistola ad Simplicianum.

Stultus vt luna mutatur, sapiens enim nō metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, nō tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, vbi virtus est, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vēto doctrinę, sed manet perfectus in Christo fundatus charitate, radicatus fide.

Grego. libro 5. Moral.

Fortitudo non nisi in aduersitate ostēditur. Tanto enim quisq; in fortitudine potissimè se demonstrat, quanto aliena mala tolerabilius tolerat: nam minus in se cōualuit, quem aliena iniquitas sternit, qui in eo quod ferre non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus iacet.

Ibidem.

Fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur. Quia quò plus se posse conspicit, eò virtus sine moderatione rationis, deterius in præceps ruit.

Gregorius libro 8. Moral.

Iustorum fortitudo est carnem vincere, pro-

prijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metũ in corde superare. *Ibidem.*

Reproborum fortitudo est, transitoria sine cessatione diligere, cõtra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec ex aduersitate quiescere, ad inanẽ gloriam etiam cum vitę detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solùm verbis ac moribus, sed etiam gladijs impugnare, in semetipso spem ponere, iniquitatem quotidie sine vllo desiderij defectu perpetrare.

Gregorius ibidem.

Nonnunquam culpa fortium occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati. Sicut influente aqua paulatim consumitur terra, sic leniter surrepente vitio, mens etiam fortis absorbetur.

Gregorius in quadam homilia.

Fortes facti sunt sancti, carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cælestia appetunt: occidi possunt, flecti autem nequeunt, nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi vnquam à veritate conticescunt.

Gregorius super Ezechielem hom. 21.

Sancti quorum vita in prosperitate & aduersitate fortiter stat, lapidibus quadris comparantur. Lapis enim quadrus æqualiter stat, in quocũq; fuerit latere versus. Quisquis igitur in prosperitate nõ extollitur, in aduersitate nõ frangitur, suasionibus ad mala non trahitur, vituperationibus à bono opere nõ reuocatur, lapis quadrus est, qui quasi ex omni latere statũ habet, qui casum in qualibet mutatione non habet.

Bernardus in libro de Consideratione.

Fortitudinis mater prudentia: non enim fortitudo est, sed temeritas, si cuius ausis non paret prudentia.

Bernardus ibidem.

Bonus circuitus est, si iustitia quęrit, prudentia inuenit, fortitudo vendicat, tẽperantia possidet, vt sit iustitia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in vsu.

Hugo de claustro animæ libro 3.

Sunt quidam qui corpere fortes sunt, debiles aũt animo, parcũt sibi, seipsos amantes, sequuntur otiũ, vacant fabulis, tales accusantur de furto, rapina, & mendacio. Sunt enim fures qui cõmuni necessitati subtrahunt, quod cõmune fecerunt, cùm renunciarent mũdo, seipsos abnegantes. Sunt raptores corã Deo, quia eo vidente qui nouit occulta cordium, cõmuni vitæ quod sciunt aut quod possunt, violenter auferũt. Sũt mendaces coram Deo & hominibus, qui quod vouerunt, reddere possunt, sed nolũt. Sic igitur coram fratribus suis fures, coram Deo raptores, coram Deo & hominibus mendaces sunt.

Caßiodorus super Psal. 1. Beatus uir.

Vir vocatur à viribus, qui nescit in aduersis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se iactare, sed animo stabili defixus, & cælestium rerum cõtemplatione firmatus, manet semper impauidus.

Boetius de consol. libro 3. Metro 5.

Qui se uolet esse potentem,
Animos domet ille feroces.
Nec uicta libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat ultima Thyle,
Tamen atras pellere curas,
Miserasq; fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Boetius de con. philosophiæ libro 4. prosa 7.

Vir sapiens molestè ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur: & virum fortẽ non decet indignari, quoties bellicus increpuerit tumultus. Vtriq; enim, huic quidem gloriæ propagandæ: illi verò confirmandæ sapientiæ difficultas ipsa materia est. Ex quo enim virtus notatur, quod suis viribus nitens non superetur aduersis.

Lactantius Firm. diuinarum instit. lib. 1.

Ille solus vir fortis debet iudicari, qui temperans est, moderatus & iustus.

Ibidem libro 2.

Timiditas in sapiente esse non debet.

Seneca ad Lucilium epistola 2.

Primum argumentum cõpositæ mentis existimo, posse consistere & secum morari.

Seneca epist. 22. ad Lucilium.

Turpè est cedere oneri, luctari cum officio, quod semper recepisti. Non est vir fortis & strenuus qui laborem fugit.

Idem epistola 24. de Catone qui se occidit.

Vltima illa nocte Platonis librum legit, scilicet Cato, posito ad caput gladio. Duo hic in rebus extremis perspexerat, alterum vt vellet mori, alterum vt posset.

Longè plurib. & alijs verbis refert Seneca Catonis mortem epist.

Ibidem.

Stricto gladio ait ad Fortunam: Nihil egisti, & impressit mortiferum corpori vulnus.

Seneca ad Lucilium in epist.

Fortis & compositus animus est, qui nec oblatum quicquam sibi sentit, nec abiectum: sed in eodem habitu est quocunq; res cedunt siue geruntur. Vulgaria bona supra res suas eminẽt: siue aliquid ex istis, vel omnia casus excusserit, minor non fit.

Idem epistola 58.

Fortes quidem & paratißimi fundere sangui nem

nem suum, alienũ videre non possunt. Alij gladium facilius recipiunt, quàm vident.

Seneca ad Lucilium epistola 68.

Sic dolores, molestias, iniurias virtus sua magnitudine elidit atq; opprimit.

Seneca ibidem.

Quæris an omne bonum optabile sit. Si bonum est, inquis, fortiter torqueri, & magno animo vri, & patienter ægrotare, sequitur, vt ista optabilia sint. Distingue. * Torméta à me abesse velim, sed si sustinenda fuerint, vt me in illis fortiter, honestè, animoseq; geram, optabo. velim non incidere in bellum, sed si incido, & vulnera, & famem & omnia quæ bellorum necessitas affert, vt generosè feram, optabo. Ita non incommoda optabilia sunt, sed virtus qua perferuntur incómoda. Pati tormenta non optabile est, sed fortiter pati.

*Verba aliquot desunt.

Seneca ad Lucilium in epistol.

Non quia difficilia sunt, multa nõ audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt.

Idem epistola 73.

Non mirum est in tranquillitate non concuti. Id mirare, ibi extolli aliquem vbi omnes deprimuntur, ibi stare vbi omnes iacent. Sapienti viro nihil mali potest euenire. Stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit. Nihil illi eorum quæ ferenda sunt displicet. Nam quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non quæritur.

Seneca ad Lucilium in epistol.

Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitus: sed est scientia distinguendi, quid sit malũ, & quid non sit. Diligentissima est in tutelis fortitudo, & patientissima est eorum, quibus falsa spes malorum est.

Seneca in epistola.

Quemadmodũ hostis est pernitiosior fugientibus: sic omne fortuitum incommodũ magis instat cedéti, quàm aduerso. Parata tibi est pax, si in aliquo certamine debellata fortuna est: corpus conualitudo tenet, non animum.

Seneca epistola 89.

Fortitudo contemptrix timendorum est.

Idem.

Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea quæ possunt euenire formandus, exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare.

Idem.

Fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat.

Idem Hercule furente Tragœdia 1.

Altè uirtus animosa cadit.

Ibidem.

Prona est timori semper in peius fides.

Idem Tragœdia 3.

Sed flecte mẽtem, pectus antiquum aduoca, uictasq; magno pectore ærumnas doma.
Resiste tantis in malis, uinci malum est.

Idem Tragœdia 5.

Haud est uirile terga fortunæ dare.

Idem Tragœdia 6.

Iuuenile est uitium, regere non posse impetum.

Ibidem.

Audax uirago non tulit retro gradum.

Idem Tragœdia 7.

Fortuna fortes metuit, ignauos premit.

Aristoteles libro 2. Poetriæ.

Locum medium optimum dicimus in bello, quia fortes tenent locum medium, inter locum timidorum & audacium.

Idem libro Magnorum Moralium. 1.

Si aliquem valde facias impauidũ quòd deos non timeat, non fortis, sed insanus est. Fortis ergo erit, nõ qui timet omnia, neq; qui nihil mensurat timore, sed qui auget fortitudinem.

Ibidem.

Si quis non timet timenda, aut aliquid quod supra hominem terribilium est, non fortis est, sed insanus.

Ibidem.

Non vtiq; absq; passione & motu fit fortitudo.

Plutarchus in Apophthegmatibus.

Caius Marius cum vtroq; in crure varices pateretur, solutus, crus medico secandũ præbuit, neq; vllo emisso suspirio, nec contractis superciliјs sectionem pertulit. At cùm medicus transitum faceret ad aliud crus, noluit, inquiens, curationem eo dolore dignam non esse.

Macrobius libro 6. Moral.

Nam trophæum ferre à forti viro pulchrum est, si autem vincaris, est vinci à tali nullum probrum.

M. T. Cicero libro 1. Officior.

Ita probè diffinitur à Stoicis fortitudo, cùm eam esse virtutem dicunt pugnãtem pro æquitate.

Ibidem.

Verùm animus paratus ad periculum si sua cupiditate non vtilitate communi impellitur, audacię potius quàm fortitudinis nomẽ habet.

Ibidem.

Fortes & magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam. Vera autẽ sapiensque animi magnitudo honestum illud quod maximè natura sequitur, in factis positũ non in gloria iudicat, principemque se esse mauult quàm videri.

Ibidem.

Non est consentaneum qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate. Nec qui se inuictum à labore pręstiterit, vinci à voluptate.

Quamobrem & hęc vitanda ſunt,& pecunię eſt fugienda cupiditas.

Ibidem.

Fortis verò animi & conſtantis eſt,non perturbari in rebus aſperis.

Ibidem.

Nam vt aduerſas res,ſic ſecundas immoderatè ferre leuitatis eſt.Præclara eſt in omni vita æquabilitas,& idẽ ſemper vultus eademq́; frons.

Ibidem.

Quod enim viriliter magnoq́; animo fit,id dignum viro & decorum videtur. Quod contra fit,id vt turpe eſt,ſic indecorum:quare pertinet quidem ad omnem honeſtatem, hoc quod dico decorum,& ita pertinet,vt non recondita quadam ratione cernatur,ſed ſit in promptu.

Idem.

Sequamur id quod acutum & perſpicax natura eſt,& id quod ad hominum ſocietatẽ accommodatum,& id quod vehemens ac fortè.

Idem.

Nihil autem eſt quod tam deceat,q̃ in omni re gerẽda cõſilioq́; capiendo ſeruare conſtantiam.

M.T.C.*libro* 2.*Tuſculanarum Quæſt.*

Appellata enim eſt ex viro virtus.Viri autem propria maximè eſt fortitudo : cuius munera duo maxima ſunt,mortis dolorisq́; cõtemptio. Vtendum eſt igitur ijs,ſi virtutis compotes,vel potius ſi viri volumus eſſe,quoniam à viris virtus nomen eſt mutuata.

Ibidem.

Quæ ſunt iſta arma?contentio,confirmatio, ſermoq́; intimus:quum ipſe ſecum cauet turpe quicquam,languidum,non virile.Obuerſentur ſpecies honeſtæ animo.Zeno præponatur Eleathes,qui perpeſſus eſt omnia potius,quàm conſcios delendæ tyrannidis indicaret.De Anaxarcho Democritio cogitetur,qui cùm in manus Cyprij Nicocreontis Regis incidiſſet, nullum genus ſupplicij deprecatus eſt,neque recuſauit. Calanus Indus,indoctus ac barbarus,in radicibus Caucaſi natus,ſua voluntate viuus combuſtus eſt.Nos ſi pes condoluit,ſi dens (ſed fac totum dolere corpus) ferre non poſſumus. Opinio eſt enim quędam effœminata ac leuis,nec in dolore magis,quàm eadẽ in voluptate,qua cum liqueſcimus,fluimusq́; mollitia,apis aculeum ſine clamore ferre non poſſumus. At verò,Caius Marius ruſticanus vir,ſed planè vir cum ſecaretur,vt ſuprà dixi,principiò vetuit ſe alligari,nec quiſquam ante Marium ſolutus dicitur eſſe ſectus.Cur ergo poſtea alij?valuit authoritas. Vidés ne igitur eſſe opinionis,non naturę malum? Et tamẽ fuiſſe acrem morſum doloris,idem Marius oſtendit : crus enim alterum non præbuit. Ita & tulit dolorem,vt vir,& vt homo maiorem ferre,ſine cauſa neceſſaria noluit:Totum igitur in eo eſt,vt tibi imperes.

Ibidem.

Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit,vtemur:ſin erit ille gemitus lamẽtabilis,ſi imbecillis,ſi abiectus,ſi flebilis, ei qui ſe dederit,vix eum virum dixerim. Qui quidẽ gemitus ſi leuationis aliquid afferret,tamen videremus quid eſſet fortis & animoſi viri.Quum verò nihil imminuatur doloris,cur fruſtra turpes eſſe volumus? Quid eſt enim fletu muliebri viro turpius.

Ibidem.

Ad ferendum igitur dolorem placidè & ſedatè plurimùm proficit, toto pectore, vt dicitur, cogitare,quàm id honeſtum ſit.Sumus enim natura(vt antè dixidi,cendum eſt enim ſępius)ſtudioſiſsimi appetentiſsimiq́; honeſtatis : cuius ſi quaſi lumẽ aliquod aſpexerimus,nihil eſt quod vt eo potiamur,non parati ſimus & ferre & perpeti.

Ibidem.

Nam ſi omnia fugiendæ turpitudinis,adipiſcendæq́; honeſtatis cauſa faciemus,non modò ſtimulos doloris,ſed etiam fulmina fortunæ cõtemnamus licebit.

M.T.C.*libro* 3.*Tuſculanarum Quæſt.*

Pręterea neceſſe eſt qui ſit fortis,eundem eſſe magni animi:qui magni animi,inuictum:qui inuictus ſit,eum humanas res deſpicere,atq; infra ſe poſitas arbitrari. Deſpicere autem nemo poteſt eas res,propter quas ægritudine affici poteſt,niſi fortis. Ex quo efficitur,fortem virum ægritudine nunquam affici. Omnes autem ſapientes,fortes.

Idem libro 4.

Ergo is,quiſquis eſt,qui moderatione & conſtantia quietus animo eſt,ſibiq́; ipſe placatus,vt neq; tabeſcat moleſtijs,neq; frangatur timore, nec ſitienter quid appetẽs,ardeat deſiderio,nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat, is ſapiens eſt,quem quærimus:Is eſt beatus,cui nihil humanarum rerum,aut intolerabile ad demittendum animum,aut nimis lętabile ad efferendum videri poteſt.

Ibidem.

An fortitudo niſi inſanire cœperit, impetus ſuos non habet?Quid?Herculẽ,quem in cælum iſta ipſa,quam vos iracundiam eſſe vultis,ſuſtulit fortitudo, iratum ne cenſes conflixiſſe cum Erymanthæo apro,aut leone Nemæo? An etiam Theſeus Marathonij tauri cornua deprehendit iratus?Vide ne fortitudo minimè ſit rabioſa,ſitq́ue iracundia tota leuitatis:neque enim eſt vlla fortitudo,quæ rationis expers eſt.Contemnendæ ſunt humanæ res,negligenda mors eſt,patibiles & labores & dolores putandi.

Ibidem.

Fortitudo eſt igitur animi affectio legi ſummæ in perpetiendis rebus obtẽperans. Vel con-

ſeruatio

seruatio stabilis iudicij in eis rebus, quæ formidolosè videntur, subeundis & repellendis. Vel scientia rerum formidolosarum contrariarúmq; aut omnino negligendarum, conseruans earum rerum stabile iudicium. Vel breuius vt Chrysippus (nam superiores definitiones erant Sphæri, hominis imprimis bene diffinientis, vt putant Stoici. Sunt enim omninò omnes ferè similes, sed declarant communes notiones, alia magis alia.) Quomodo igitur Chrysippus? Fortitudo est, inquit, scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo, summę legi parens sine timore.

Idem libro ultimo.

An Lacædemonij Philippo minitanti per literas se omnia, quę conarentur, prohibiturum, quęsiuerunt, num se esset etiam mori prohibiturus? Vir is, quem quærimus, non multo facilius tali animo reperietur, quàm ciuitas vniuersa. Quid ad hanc fortitudinē, de qua loquimur, temperantia adiuncta, quæ sit moderatrix omnium commotionum? Quid potest ad beatè viuendum deesse ei, quem fortitudo ab ęgritudine, & à metu vindicet, temperantia tum à libidine auocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat? Hęc efficere virtutem ostenderem, nisi superioribus diebus essent explicata.

Ibidem.

Dolor videtur esse acerrimus virtuti aduersarius. Is ardentis faces intentat, is fortitudinē, animi magnitudinē, patientiam se debilitaturū minatur. Huic igitur succumbet virtus? Huic beata sapientis & constantis viri vita cedet? Quàm turpè, ô dij boni: pueri Spartiatæ non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacædemone vidimus ipsi incredibili contentione certantes, pugnis, calcibus, vnguibus, morsu deniq;, vt exanimarentur priusquā se victos faterentur. Quę barbaria, India vastior aut agrestior? In ea tamen gente primum ij, qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi niues, hyemalemq; vim perferunt sine dolore. Cumq; ad flammam se applicauerint, sine gemitu aduruntur. Mulieres verò in India, cùm est cuiusq; earum vir mortuus, in certamen iudiciumq; veniunt, quàm plurimum ille dilexerit (plures enim singulis solent esse nuptæ) quæ victrix, ea læta prosequentibus suis vnà cum viro rogo imponitur: illa victa, mœsta discedit, nunquam naturam mos vinceret: Est enim ea semper inuicta: sed nos vmbris, delitijs, otio, lāguore, desidia animum infecimus: opinionibus maloq; more delinitum molliuimus,

Idem libro Paradoxorum.

Quomodo igitur & cui tandem hic liberè imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrēnet primùm libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerçeat auaritiam & cæteras animi labes repellat. Tunc incipiet alijs imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori aut turpitudini parêre desierit. Dum quidem his obediet, non modò imperator, sed liber omnino habendus non erit.

Idem libro 2. de Oratore.

Magna laus & admirabilis videri solet tulisse sapienter casus aduersos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem.

Idem Rheto. nouorum libro 3.

Res magnas & excelsas sequi & appetere oportet, si fortitudinis partibus vtemur.

Ibidem.

Fortitudini fortuna quoque adiumento esse solet.

Cicero libro 3. de Finibus bonorum & malo.

Is qui magno sit animo atq; forti, omnia quæ cadere in hominem possunt, despicit & prò nihilo putat.

Salust. Catilinar.

Necessitudo etiam timidos fortes facit.

Salustius in Iugurtha.

Ego naturam vnam communem omnium existimo, sed fortissimum quenq; generosum esse.

Ibidem.

Is clarus est, qui prælio strenuus est, & bonus consilio: quorum alterum ex prudentia timorem, alterum ex audacia temeritatem consequi plærunq; solet.

Ibidem.

Secundis rebus feroces sumus.

Aulus Gellius in principio lib. 2. Noc. atti. cap. 1.

Inter labores voluntarios, & exercitia corporis, ad fortuitas patientiæ vices, firmamentum id quoque accepimus Socratem facere insueuisse. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius atq; pernox, à summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconniuens, immobilis, ijsdem in vestigijs & ore atque oculis eundē in locum directis, cogitabūdus, tanquam quodam secessu mentis atq; animi facto à corpore.

Idem libro 2. Noc. atti. capite 11.

Lu. Sicinium Dentatum, qui tribunus plebis fuit, Sp. Tarpeio, A. Thremo cōsulibus, scriptū est in libro Annaliū, plusquā credi debeat strenuum bellatorem fuisse: nomenq; ei factum ob ingentem fortitudinē, appellatumq; esse Achillem Romanū. Is pugnasse in hostem dicitur centum & viginti prælijs, cicatricem auersam nullam, aduersas quinq; & quadraginta tulisse. Coronis esse donatū aureis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis 14. torquibus tribus & 80. armillis plus centum, 60. hastis, duo de viginti phaleris item donatus est, quinquies viciesq; populi militaria dona habuit multijuga, in his prouocatoria plęraq;. Triumphauit cum Imperatoribus suis triumphos nouem.

Idem libro 12.cap.5.Noctium Atticarum.

Fortitudo autem non ea est, quæ contra naturam monstri vice nititur, vltraq; modũ eius egreditur, aut stupore animi, aut immanitate, aut quadam misera & necessaria in perpetiendis doloribus exercitatione, qualem fuisse accepimus ferum quendam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui cùm vulnera eius à medicis execabantur, ridere solitus fuit. Sed ea vera & proba fortitudo est, quam maiores nostri scientiam esse dixerũt, & rerum tolerandarum & non tolerandarum. Per quod apparet, esse quædã intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant aut sustinendis.

Valerius Maximus libro 2.

Eneruos animos odisse virtus solet.

Idem libro 3.

Magnum fortitudinis exemplum antiquitas affert.

Ibidem.

Capi ergo virtus nescit, patiẽtia dedecus ignorat, fortunæ succumbere omni fato tristius ducit, noua & speciosa genera interitus excogitat, si quisquam interierit, qui sic extinguitur.

Ibidem.

Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præstò erant sacrificãtí: è quibus vnus thuribulo arrepto ante ipsum astitit, in cuius brachio carbo ardens delapsus est, quo etsi ita vreretur, vt adusti corporis eius odor ad circunstantium nares perueniret, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso thuribulo, aut edito gemitu, regias aures aspergeret. Rex quoq; patientia pueri delectatus, hoc certius perseuerantiæ experimentum sumere voluit, consueto enim sacrificauit diutius, nec hac re eum proposito repulit. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, sciSset quòd eius stirpis milites vinci non possent, cuius infirmam ætatem tanto robore præditam animaduertisset.

Ibidem.

Non est eiusdem & capere aliquos velle, & timere. Fortiter se gerere in aduersis rebus quid aliud est, quàm sæuientem fortunam in adiutorium sui pudore victam conuertere.

Idem libro 4.

Multo enim, multoq; seipsum, quàm hostem superare operosius est: nec aduersa propera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem.

Idem libro 5. titulo de parenti.

Ne Anaxagoras quidem supprimendus est. Audita namq; morte filij, Nihil, inquit, mihi inexpectatum aut nouum nuntias. Ego enim illum ex me natum, sciebam esse mortalem.

Valerius Maximus libro 6.

Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus, maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est, à Tarquinij Superbi Regis filio per vim stuprum pati coacta, cùm grauissimis verbis iniuriam suam in consilio necessario rum deplorasset, ferro se quod veste tectum attulerat, interemit, causamq; tam animoso interitu, imperium consulare pro regio permutando, populo Romano præbuit.

Qu.Curtius de gestis Alexandri libro 5.

Multa exilia patent fugienti. Patria est, vbicunq; vir fortis sedem sibi elegerit.

Idem de gestis Alexandri libro 5.

Canis timidus vehementius latrat quàm mordet.

Ibidem.

Altissima quæq; flumina minimo sono labi videmus.

Iulius Cæsar libro 6.

Nemo est tam fortis, quin rei nouitate perturbetur.

Menander.

ἀνδρὸς, τὰ προσπίπτοντα γενναίως φέρειν. id est: *Viri est, accidentia generosè ferre.*

Plautus in Asinaria.

Hem ista virtus est, quando vsui est, qui malum fert fortiter: fortiter malum qui patitur, idem post * patitur bonum. ** Alias, potitur bono.*

Virgilius Aeneidos libro 2.

—Moriamur & in media arma ruamus.
Vna salus uictis nullam sperare salutem.

Virgilius Aeneidos libro 2.

Quondam etiam uictis redit in præcordia uirtus.

Virgilius Aeneidos libro 6.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Qua tua te fortuna sinet.—

Ibidem.

Nunc animis opus Aenea, nunc pectore firmo.

Virgilius Aeneidos libro 9.

Est hic est animus lucis contemptor & istum
Qui uita bene credat emi quo tendis honorem.

Lucanus Pharsaliæ libro 7.

—Fortißimus ille est.
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest.

Ouidius Metamorphoseôs libro 4. fabula 10.

In audaces non est audacia tuta.

Idem libro 10. fabula 11.

Audentes ipse Deus iuuat.

Ouidius Tristium libro 3. elegia 2.

Suffecitq; malis animus non corpus ab illo
Accepit uires, uixq; ferenda tulit.

Martialis libro 1. Epigrammatum de Mutio.

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iußit abire uirum.

Vrere

Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptæ fama est & gloria dextræ,
Si non errasset, fecerat illa minus.

Martialis libro Epigrammatum de Portia.

Coniugis audisset fatum cùm Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor.
Nondum scitis ait mortem non posse uagari,
Credideram satis hoc uos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas,
I nunc & ferrum turba molesta nega.

Horatius carminum libro 2. ode 3.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli.

Horatius epistolarum libro 1. epistol. 3. ad Iulium Florum

—Quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses:
Quò te cælestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium, parui properemus, & ampli,
Si patriæ uolumus, si nobis uiuere chari.

Horatius Sermonum libro 2. satyra 2.

—Viuite fortes.
Fortiaq; aduersis opponite pectora rebus.

Dantes Florentinus inferni cant. 17.

Inanzi a bon segnor, fà seruo forte. id est:
Aspectus boni domini, efficit seruum fortem.

Idem Purgatorij, Cant. 5.

Sta come torre ferma, che non crolla
Giamai lacima, per soffiare de uenti. id est:
Sta sicut turris firma, quæ non mouet
Vnquam summitatem, propter uentorum flatum.

AMANTIVS. Fortitudo est cõseruatio stabilis iudicij in ijs rebus, quæ formidolosæ vidẽtur subeundis, vel repellendis. Cicero libro 4. Tusculan. Quæstionum. Aristoteles libro 3. Ethicorum definit esse aggresionem terribilium, vbi mors imminet, propter bonum commune saluandum. Aristotes 2. Ethicorum: Fortitudo est mediocritas in metu & confidẽtia. Perionius in libro 3. Ethicorum definit esse mediocritatẽ earum rerum, quę hominibus vel fiduciam prębent, vel terrorem afferunt. Vel; Fortitudo est virtus, pugnans pro ęquitate. Item scientia, secundum Socratem & Aristotelem 3. Ethicorum, rerum tolerandarum, & non tolerandarum.

Aristoteles ibidem.

Fortis quis. Fortis propriè ac verè dicitur is, qui morte honesta proposita, ijsq; omnibus, quæ mortem afferunt, cùm appropinquant, metu vacat. Ibidem declarat, quid ab audaciâ, & fidentia differat.

Ibidem Aristoteles libro 3. Ethicorum.

Fortes vnde dicti. Fortes ex eo nominantur, quòd ea, quæ acerba sunt & videntur, forti magnoq; animo perferũt. Itaq; molesta res est fortitudo, eaq; iure laudatur; difficilius est enim res periculorum molestiaq; plenas ferre, quàm se à voluptate abstinere. Sed fortitudinis finis iucũdus est, etsi propter eas res quæ circũfusę sunt, minus appareat.

Pontanus Iouinianus libro 1. de fortitudine bellica & Heroica.

Partes fortitudinis: Tolerantia, Duritia, Patientia. Firmitas. Virtutes quæ fortitudini famulantur, est tolerantia, quæ est æqua laborum ac molestiarum perpeßio: Item duritia, imbecillitatis mollitieiq́ue expultrix. Item patientia, stabilis & firma perpeßio eorum omnium, quę dura, aspera, difficilia, grauia, ærumnosa contingere vnquã possunt. Firmitas quoq;, quæ periculosis atq; aduersis nullo modo succumbendum esse doceat.

Item.

Animi magnitudo, quæ nihil humile, nihil abiectum agi sinat. Fidentia quoque, quæ vires atq; animos vbiq; suggerat. Et despicientia, quę mala omnia contemnenda suadeat, cunctaque præter virtutem pro nihilo ducendo moneat.

Confirmatio. Confirmatio etiam, quæ est robusti ac virilis animi institutio, vrgentibus malis minimè cedendi.

Generositas. Generositas item, quæ suadeat cuncta præter decus laudemq; contemnenda.

Præstò est etiam cautio, animi compositio: quarum altera doceat, non esse periculis temerè obiectandum: Altera ne dolore, ira, libidine, aut impetu victi rapiantur. Quid de constantia dicam, quæ non modò fortitudinis, sed temperantię quoq; fida comes est? quando dolores reprimit, voluptates euagari non sinit, resistit periculosis, non cedit aduersis, cõpescit impetus, iram cohibet, libidini reluctatur, non concutitur repentinis, non opprimitur malorum aceruis, immota inuictaq; & vbiq; ac sibi semper cõstans. Est huic adiuncta etiam contentio, inde dicta: quòd totis viribus contendat, vt victrix composq́; euadat.

Menander.

ὅταν τι πράττης ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα
πρόβαλλ' ἑαυτῷ, τοῦτο γινώσκων ὅτι
τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει. id est:
Quum quid sanctum agis, bonam spem
Tibi propone, certus quod
Conatum iustum etiam Deus adiuuat.

Sophocles in Eriphyle.

ἀνδρῶν γὰρ ἐσθλῶν στέρνον οὐ μαλάσσεται. id est:
Virorum fortium pectus non languescit.

Idem in Creusa.

ὅστις γὰρ τόλμῃ πρὸς δεινὸν ἔρχεται,
ὀρθὴ μὲν ἡ γλῶσσ' ἐστὶν ἀσφαλὴς δ' ὁ νοῦς. id est:
Quisquis audacter periculum adit,
Recta quidem & lingua est, & mens firma certaq;.

Euripides in Hercule.

Πότερα γενίσθαι δῆτα χρησιμώτερον:
σύνετον ἄτολμον ἢ θρασῶν τε κ' ἐμμανῆ:
τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν τὸ σκαιὸν ἀλλ' ἀμύνεται

τὸ

Τὸ δ' ἡσύχιον ἔργον, ἐν δ' ἀμφοῖν νόσος. id est:
Vtrum sané utilius? an esse
Prudentem sine audacia: an audacem & furentem?
Alterum quidē horum inhumanum est, sed mala repellit:
Alterum uero tranquilla res, in utroq; tamen est uitium.

Homerus.

οὐ μέν μοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξεις
ἀλλὰ ἰθὺς μεμαῶτι διὰ στήθεσφιν ἔλασσον. id est:
Non quidem fugienti mihi, dorso hastam infiges,
Sed ex aduerso ruenti per pectora adige.

Socrates interrogatus quid robur esset, dixit: motus animæ cum corpore.

Græca ita sonant uerba.

Σωκράτης ἐρωτηθεὶς τί ῥώμη, εἶπεν, κίνησις ψυχῆς μετὰ σώματος.

Epictetus Philosophus.

Διὰ τοῦτο ἐπαινεῖν ἀγριππῖνον δίκαιον ὅτι πλεῖστον ἄξιος ἀνὴρ γενόμενος οὐδὲ πώποτε ἐπῄνεσεν ἑαυτὸν, ἀλλ' εἰ δὲ ἄλλος τις αὐτὸν ἐπῄνει ἠρυθρία. οὗτος δ' ἔφη ὁ ἀνὴρ τοιοῦτος ἦν, ὥστε τοῖς συμβαίνουσι ἀεὶ ἑαυτῷ δυσκόλοις, ἔπαινον γράφειν εἰ μὲν πυρέττοι, πυρετοῦ, εἰ δὲ ἀδοξοίη, ἀδοξίας, εἰ δὲ φεύγοι φυγῆς: καί ποτε μέλλοντι αὐτῷ ἀριστήσειν ἐπέστη ὁ λέγων, ὅτι φεύγειν αὐτὸν κελεύει νέρων, καὶ ὃς ἔφη, οὐκοῦν εἶπεν ἐν Ἀρικίᾳ ἀριστήσομεν. id est:

Agrippinus fortissimus vir. Notabilis sententia. Encomium febris. Ob hoc meritò laudandus Agrippinus, quòd in magno precio cùm haberetur, nunquam laudauit seipsum: sed etiam si aliquis eum laudibus veheret, erubescebat. Hic enim ait, talis vir erat, vt eius quod illi accidisset mali, Encomium scriberet: Siquidem febricitat febris, sua notaretur infamia: infamiæ si exularet, exilij. Et quidam ei iam pransuro superuenit, qui diceret, quod eum Nero proscriberet: Et ille ait: Ergo in Aricia prandium sumemus.

Διογένης.

οὐδένα καλὸν ἔφησεν εἶναι πόνον, οὗ μὴ τέλος εἶναι εὐψυχίαν, καὶ τόνον ψυχῆς, ἀλλ' οὐχὶ σώματος. id est:
Diogenes dixit, nullum bonum esse laborem, cuius finis non sit magnanimitas & intentio, firmitasq; animæ, non autem corporis.

Democritus.

ἀνδρείη τὰς ἄτας μικρὰς ἔρδει. id est:
Fortitudo dispendia minuit.

Musonius.

Καὶ ἂν τοῦ συμφέροντος μάλιστα προαιρῇ ἔχεσθαι. μὴ δυσχέραινε ταῖς περιστάσεσιν, εὐθυμούμενος ὅσα ἤδη σοι τῶν ἐν βίῳ, οὐχ ὡς σὺ ἐβούλου συνέπεσεν ἀλλ' ὡς συνέφερεν.

Democritus.

ἀνδρεῖος οὐχ ὁ τῶν πολεμίων κρατῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἡδονῶν κρείσσων: ἔνιοι δὲ πόλεων μὲν δεσπόζουσιν, γυναιξὶ δὲ δουλεύουσιν. id est:

Maxima victoria vincere voluptates. Fortis est, non qui hostes modò superat: sed & qui voluptatibus superior existit: Aliqui autem licèt ciuitatibus imperent, mulieribus seruiunt.

Plato dixit, viros bonos vita non longa, sed clara & illustri opus habere.

Darius ille Xerxis pater seipsum laudans, dicebat in bellis, & rebus periculosis fieri se prudentiorem.

Ex Chrijs Dionis.

Lacæna mulier filio in acie claudo facto, & id molestè ferēti, non, inquit, ô fili doleas: In quouis enim gressu propriæ virtutis recordaberis.

Aristoteles in Chrijs.

Anaxarchus Physicus dicente ei Alexandro, suspendam te: minare ijs, inquit, è vulgo, mea autem nihil interest, super terram ne, an infra terram computrescam.

Ibidem.

Gorgone Lacedæmonia Leonidæ vxor, filio in militiam proficiscenti scutum dans, inquit: Aut hoc, aut super hoc.

Democritus.

Iustitiæ laus & gloria, mentis fiducia, & animi bonus status: iniustitiæ autem fuga calamitatis terminus.

Herodotus lib. 1. Historiarum.

Magnæ quippe res etiam magnis cum periculis volunt percipi.

Græcè.

Μεγάλα γὰρ πρήγματα, μεγάλοισι κινδύνοισιν ἐθέλει καὶ αἱρέεσθαι.

Thucidides in concione Cinci.

Absq; animositate nullus dolus contra periculum valet: Metus enim memoriam stupefacit, dolus autem sine ea nihil valet, vel prodest.

Græcè.

ἄνευ δὲ εὐψυχίας οὐδεμία τέχνη πρὸς τοὺς κινδύνους ἰσχύει: φόβος γὰρ μνήμην ἐκπλήσσει, τέχνη δ' ἄνευ ἀλκῆς οὐδὲν ὠφελεῖ.

Idem in Epitaphio.

Acerbior namque viro prædito mente animi infracti cum timore afflictio videtur, quàm ea mors, quæ cum robore & communi spe obruit, sine sensu doloris.

Ibidem.

Hoc enim præ cæteris primarium habemus, vt & audeamus ipsi maximè, & deliberemus de his, quæ aggressuri simus: Nam cæteris imperitia audaciam, cōsultatio autem pigritiam affert. Præstantissimi autē animo iure censeri queunt, qui cùm dura & iucunda liquidò cognorint, tamen propter illa à periculis non declinant.

Zenon Eleates à Tyranno tortus, vt manifestaret coniuratores: Si fuerunt, inquit, certè Tyrannum agebas.

Nicolaus in collectaneis de moribus.

Ombrici in pugnis aduersus hostes, turpissimum ducunt, victos viuere, sed necesse est aut vincere, aut mori.

Iamblichus in Epistola ad Olympium de fortitudine.

Fortitudo primaria intelligatur, quæcunque immota intellectualis facultas, & maximi vigoris intellectualis actus, mentisque constantia, & immu-

immutabilis habitus intra ſeſe huiuſmodi ſanè fuerint ſpecies, quæ in vita ſpectabantur fortitudinis, ſiue per ſe ſubſiſtens, ſiue ſuum robur communicantes, ad eum qui in verbis elucet ſolidum, firmumq́; ſtatum.

Plato interrogatus, quo affectu eſſe conueniat aduerſus calamitates: ita dixit, vt prouidẽs aliquis non incidat in eas: ſi tamen inciderit, condemnationem etiam ſui non curet.

Græcè.

Πλάτων ἐρωτηθεὶς πῶς ἔχειν δεῖ πρὸς περιπτώματα, οὕτως εἶπεν ὥστε προϊδόντα μὴ ἐμβῆναι, ἐμβάντα δὲ καταγνοίας μηδὲ φροντίσαι.

Λεωνίδης ἀκούσας ἐπισκιάζεσθαι τὸν ἥλιον τοῖς περσῶν τοξεύμασιν ἔφη, ὅτι καὶ ὑπὸ σκιᾷ μαχούμεθα. Id eſt

Leonides cùm audiſſet ſolem obumbrari Perſarum telis, bene habet, inquit, quod etiam ſub vmbra pugnabimus.

Diogenes cernens Megarenſes longos muros educere: ô vos, inquit, nequam, non molem curate, ſed eos qui ſuper muris collocabuntur.

Agis, Rex Lacedæmonios non interrogare ſolebat quot ſint, ſed vbi ſint hoſtes: & quodã interrogãte, quot eſſent Lacedæmonij, inquit, ſat multi ad arcendos malos.

Iambilychus.

οὐ τὸ ζῆν ἐπὶ πλεῖστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν. id eſt:
Non vita maximi facienda, ſed bona vita.

Fortitudo ἀνδρεία, exempla illius, item & Apophtegmata, Gnomæ, ſententiæ ſimul & Chriæ.

Xenephonti in Scialonte coronato & ſacrificanti, quidam annunciauit Grillium filium ad Mantineam præliantem interemptum eſſe: At is depoſita corona rogabat, quo pacto dimicãs mortuus eſſet: Ad hoc illo dicente, fortiſsimè: Impoſita iterum corona, ſacrificium peregit.

Demoſthenes in oratione de corona.

Mors quidem hominibus eſt vitæ terminus, etiam ſi quis incluſum in cauea ſeſe ſeruet: Oportet autem bonos viros ſemper omnia bona capeſſere, bona ſpe fultos & ferre interim quicquid Deus dederat fortiter.

Cleanthes ſub lingua vlcere ei enato, cibum nequibat tranſmittere: Quum verò meliuſculè haberet, & cibum ei medicus adhiberet: Tu verò me, inquit, vis maiore parte vitæ ſuperata reuerti: deinde iterum eandem denuo ingredi, atq; è viuis excedere.

Socrati reo Lyſias orationem quandam à ſe compoſitam adferens, iubebat ea vti: Ad hęc Lyſia adijciente, eam eſſe elegantiſsimam: Etiam roſas, ait, eſſe pulcherrimas, at ſibi non conuenire inde cõtextum ſertum. Morieris igitur infert, Lyſias, niſi iſta ratione te defenderis: Tum ille: certè etiam ſi nunc deuitem, tamen omnino breui moriar.

Philippus venit ad Spartam, & ante eam caſtris fixis, miſit nuncios, multa & dira minitans, ni faciant imperata. Quidam ergo ex Lacedæmonijs auditis minis, gratiam, inquit, ſe ei habere, quòd non obſtet, quò minus pugnãtibus liceat mori.

Ariſtoteles in libello de uirtutibus.

Fortitudinis eſt inconcuſſum à mortis metibus, & conſtantem in malis, & intrepidum ad pericula eſſe, & malle honeſtè mori, quàm turpiter ſeruari, & victoriæ cauſam præſtare: Præterea autem fortitudinis eſt, & laborare, & in animo inſtituere, & poſſe. Accedit autem fortitudini & audacia, & animi præſtantia, & fiducia, & confidentia: Ad hæc induſtria & tolerantia.

Ἀνδρεῖος ἄφοβος ἀνὴρ, ἁμαρτάνει οὖν ὁ λέγων τὴν ἀνδρείαν ἐγκράτειαν φόβων. id eſt:

Vir fortis eſt, qui omni metu caret. Errat igitur qui fortitudinem ait moderationem eſſe timoris.

In Ilio ſacrificanti Alexandro ſacerdos dixit, ſe oſtenſurum Paridis lyram: at ille imò Achillis, ait, ſi habes, oſtende, ac ante lyram potius haſtam.

Coriſcus admodum ſenex, cùm à quodam graui morbo conualuiſſet. Apage, inquit, quàm inuitus reuerſus ſum, iam magnam itineris partem emenſus, quod oportet omnino proficiſci.

Plato.

Ἀλλὰ καὶ ἐπιχειρεῖν τοῖς καλοῖς καλὸν, καὶ πάσχειν ὅ τι ἂν ξυμβῇ. id eſt:

Verum etiam, bona capeſſere decet & perpeti quodcunq; accidat.

Clitomachus morbo correptus, cùm in veternum incidiſſet, vbi euigilauit: Nihil me, inquit, fallet amor vitæ, ſeq́; ipſum enecauit.

Eraſiſtratus ille Chius iam grãdæuus hulcus in pede immedicabile cùm haberet: Bene habet inquit, quòd patriæ memoria refricatur, & cicutam cùm bibiſſet, diem obijt.

Herodotus libro 7. Hiſtoriarum.

Demaratus hæc dicit: Quoniam veritate omninò in dicendo nos vti iubes, ne quis poſtea mendacijs conuincatur à te: Græciæ paupertas quidem ſemper connutrita cõſeruatur: Virtus animi aduentitia eſt, ſimul per ſapientiam effecta, ſimul per legem firmam & ſanctam. Ea dum Græcia vtitur, & paupertatem propulſat, & dominationem.

Pyrrho exercitum ducente contra Lacedæmonios, & multa minante, Deroyllidas vnus ex ſenioribus exurgens in concione, dixit: Si quidem Deus eſt, qui minatur, non timeamus: nihil enim iniuſtè agimus: ſin homo, norit quod viris mineturꝰ

Plutarchus de uirtute morum.

Fortitudinem mediocritatem eſſe dicunt timiditatis & temeritatis: quarum alia ſuperatur à modo, altera ei præſtat in iraſcentiæ affectu.

Idem

Idem in Apophthegmatibus.

Agesilaus de fortitudine atq; iustitia percunctatus, vtra melior esset: Nihil inquit, fortitudine indigeremus, si omnes iusti essemus.

Aristoteles in libello de uirtutibus.

Fortitudo virtus est animosi, per quam non facilè mortis metus ingruit.

FORTVNANVS. Fortuna Græcè τύχη, & τυχηρός fortunatus dicitur. Est autem fortuna causa per accidens in agentibus à proposito, semper & frequenter in his quæ propter hoc fiunt, secundũ Aristotelem libro 2. Physico.

Vel sic:

Fortuna est causa per accidens, vt in paucioribus præter intentionem, in his, quę sunt propter finem, & à proposito, secundum B. Tho. li. 11. Metaph. le. 8. fi.

Fortuna quid aliud est? quid fors? quid casus? quid euentus? nisi cùm sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere atq; euenire, vel aliter cadere atq; euenire potuerit, secundum Ciceronem libro 2. de diuinatione.

Fortuna dicitur à fero fers, quòd temerè & sine ratione feratur. Est enim fortuna accidentium rerum, subitus atque inopinatus euentus. Hæc eadem fors dicitur. Terentius: O fortuna ô fors fortuna, vt nunquam es perpetuò bona. Aliud (ait Donatus) est fortuna, & aliud fors fortuna. Fortuna dicta est incerta res, fors fortuna euentus fortunæ bonus. Nam fors fortuna est, cuius diem festum colunt: qui in arte aliqua viuunt, huius ędes trans Tyberim erant. Sanè fortunæ vocabulum medium est, sed cùm fortunã solam dicimus, intelligimus felicitatẽ, vnde fortunatos felices nominamus, infortunatos verò infelices, & infortunium malam fortunã: fortunare est prosperare & bonis augere. Cicero. Tibi patrimonium dij fortunent, hinc fortunę dicuntur diuitiæ, & fortunatim aduerbiũ, prosperè ac feliciter. Plaut. Fortunatim omnia succedant. Fortunatę etiam Insulę in mari Atlantico vltra Gorgodas, sic dictæ à fructuum vbertate.

Fortuna & casus sic differunt, quòd casus in plus est quàm fortuna, quia omne quod est à fortuna, est à casu, sed non conuertitur. Casus non solùm est in hominibus qui voluntariè agunt, sed etiam in alijs animalibus, sicut quod equus casu venit, quando salutẽ adeptus est, licèt causa salutis non venerit. In his quæ simpliciter fiunt causa alicuius extrinseci, tũc dicimus quòd fiunt à casu. Sed à fortuna dicimus illa fieri tantum de numero eorum quæ fiunt à casu, quæcunq; accidunt in habentibus propositũ. Quare infans & bestia nihil agit à fortuna. Ex Arist. libro 2. Physico.

August. de ciuitate Dei libro 4. capi. 18.

Quomodo ergo Dea fortuna aliquando bona est, aliquãdo mala? an fortè quando mala est, dea non est? sed in malignum dęmonem repentè conuertitur.

Boetius libro 1. de Consol. metro 1.

Dum leuibus malefida bonis fortuna faueret.
Pene caput tristis merserat hora meum.
Nunc quia fallacem mutauit nubila uultum,
Protrahit ingratas impia uita moras.
Quid me felicem toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Boetius libro 1. de Consol. prosa 4.

At verò hic etiam nostris malis cumulus accedit, quòd ęstimatio plurimorum nõ rerum merita, sed fortunæ spectat euentum, eaque tantum iudicat esse prouisa, quæ felicitas commendauerit. Quò fit, vt æstimatio bona prima omnium deserat infelices. Qui nunc populi rumores, quàm dissonæ multiplicesq; sententiæ, piget reminisci. Hoc tantum dixerim ego vltimã esse aduersę fortunę sarcinam, quod dum miseris aliquod crimen affigitur, quę perferunt meruisse creduntur.

Boetius libro 1. metro 5.

Nam cur tantas lubrica uersat
Fortuna uices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna.
At peruersi resident celso
Mores solio, sanctaq; calcant
Iniusta uice colla nocentes.
Latet obscuris condita uirtus
Clara tenebris, iustusq; tulit
Crimen iniqui.
Nil periuria, nil nocet ipsis
Fraus mendaci compta colore:
Sed cùm libuit, uiribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudet subdere reges.

Idem libro 1. prosa 6. dicente philosophia.

Hunccine inquit mundum temerarijs agi fortuitisq; casibus putas? an nullũ credis ei inesse regimen rationis? Atqui inquam nullo æstimauerim modo, vt fortuita temeritate tam certa moueantur. Verùm operi suo cõditorem præsidere Deum scio. Non vnquam fuerit dies, qui me ab hac sententiæ veritate depellat.

Ibidem.

Postremò æquo animo toleres oportet quicquid intra fortunæ aream geritur, cùm semel iugo eius colla submiseris. Quod si manendi abeundiq; scribere legem velis ei, quantum tibi dominam spontè elegisti, nonne tu iniuriosus fueris? & impatientia sortem tuam exacerbabis, quam permutare non possis.

Boetius de Conso. libro 2. prosa 1.

Si ventis vela committeres, non quò volũtas peteret, sed quò flatus pelleret promouereris. Si aruis semina crederes, feraces inter se annos sterilesq; pẽsares. Fortunę te regẽdum dedisti, dominæ

minæ moribus oportet obtemperes. Tu verò voluentis rotæ impetum retinere conaris. At omnium mortalium stolidissime si manere incipit, fors esse desistit.

Idem libro 2. metro 1. de fortuna ait.

Hæc cùm superba uerterit uices dextra
Aestuantis more fertur Euripi.
Dudum tremendos sæua proterit reges
Humilemq; uicti subleuat fallax uultum
Non illa miseros audit aut curat fletus,
Vltroq; gemitus dura quos fecit ridet
Sicq; illa ludit, sic suas probat uires,
Magnumq; suis monstrat ostentum,
Si quis uisatur una stratus, ac felix hora.

Boëtius de Consolatione libro 2. prosa 2.

Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus. Infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascẽde si placet, sed ea lege, ne vti cùm ludicri mei ratio poscit descẽdere, iniuriam putes, an tu mores ignorabas meos.

Ibidem prosa 3.

An tu in hanc vitæ scenam, nunc primùm subitus hospesq; venisti? Vllam ne humanis rebus inesse constantiam reris? cùm sæpe ipsum hominem velox hora dissoluat. Nam & si rara est fortuitis manendi fides, vltimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam manẽtis. Quid ergo referre putas? tu ne illam moriendo deseras, an te illa fugiendo deserat?

Ibidem prosa 8.

Etenim plus reor hominibus aduersam quàm prosperam prodesse fortunam. Illa enim semper specie felicitatis, cùm videtur blanda, mentitur. Hæc semper vera est, cùm se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit, hæc instruit. Illa mẽdacium specie bonorum mentes fruentium ligat, hęc cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaq; illam videas ventosam, fluentem, suiq; semper ignaram. Hanc sobriam succinctamq;, & ipsius aduersitatis exercitatione prudentem.

Boëtius de Consolatione libro ultim. metro 1.

Sic quæ permissis fluitare uidetur habenis,
Sors patitur frænos ipsaq; lege meat.

Seneca ad Lucilium in epistola.

Munera ista quę fortunę putatis, insidię sunt.

Idem in epistola.

Initia in nostra potestate sunt, de euentu fortuna iudicat.

Idem in epistola.

Omnem fortuna licentiam in oculis habe, tanquam quicquid potest facere factum sit.

Idem epistola 92.

Quid est quod non fortunæ conuoluat, & florentissimo detrahat? quodq; non eò magis aggrediatur & quatiat, quò speciosius fulget? Quid illi arduum, quidue difficile est?

Ibidem.

Nihil priuatim, nihil publicè stabile est. Tam vrbium, quàm hominum fata voluuntur.

Idem epistola 103.

Quid autem stultius, quàm mirari vllo die factum, quod omni die potest fieri.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Iniqua rarò maximis uirtutibus
Fortuna parcit, nemo se tutò diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus aliquando inuenit.

Ibidem.

O fortuna uiris inuida fortibus,
Quàm non æquè bonis præmia diuidis.

Seneca in Tantalo tragœdia 2.

Habere regnum casus est, uirtus dare.

Ibidem.

Ima permutat breuis hora summis.

Ibidem.

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum,
Nemo tam Diuos habuit fauentes,
Crastinum ut posset sibi polliceri,
Res Deus nostros sceleri citatas
Turbine uersat.

Ibidem Tragœdia 4.

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq; manu.
Munera cæca, peiora fouens.

Idem Tragœdia 6.

Ne turpe puta quicquid miseros fortuna iubet.

Ibidem.

Violenta nemo imperia continuit diu.
Moderata durant: quoq; fortuna altius
Euexit, ac leuauit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet.

Ibidem.

Misero datur quodcunq; fortunæ datur.

Idem Tragœdia 7.

Fortuna fortes metuit, ignauos premit.

Ibidem Tragedia 7.

Rapida fortuna, ac leuis
Præcepsq; regno eripuit, exilio & dedit.

Idem Tragœdia 8.

Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioq; nimis excelsa loco.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certum ue sui tenuére diem.
Alia ex alijs cura fatigat.
Vexatq; animos noua tempestas.

ET POST.

Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat: metui cupiunt,

Metuiq; timent. non nox illis
Alma, recessus præbet tutos:
Non curarum domitor
Pectora soluit.

Seneca ibidem.

Quicquid in altum fortuna tulit, ruitura leuat.

Ibidem.

Cæca est temeritas quæ petit casum ducem.

Aristoteles libro 2. Physicorum.

Fortuna non est, nisi in agentibus à proposito & à voluntate.

Ibidem.

Casus est solum in animalibus irrationalibus & in rebus inanimatis, vnde dicitur, quòd casu tripus cecidit & stetit.

Aristoteles libro 7. Ethicorum.

Fortuna superexcellens impedit felicitatem.

Idem libro 8.

Quantò maior est fortuna, tantò minus est secura.

Aristoteles libro de Bona fortuna.

Sine exterioribus bonis, quorum domina est fortuna, non contingit felicem esse.

Ibidem.

Vbi plurimus intellectus & ratio, ibi minima fortuna.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Interrogatus Chio, quid est fortuna? ait, ignarus medicus. multos enim excæcat.

Cicero de Amicitia.

Non solum ipsa fortuna cęca est, sed etiam eos plerunq; cæcos efficit, quos complexa est.

Cicero libro 2. de natura Deorum.

Fortuna amica varietati, constantiam respuit.

Idem libro 3.

Fortunam nemo ab inconstantia & temeritate seiunget.

Cicero in Paradoxis.

Cui spes omnis & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil certi esse potest.

Cicero libro 1. de Diuinatio.

Sic enim se profectò res habet, vt nunquam perfectè veritatem casus imitetur.

Idem libro 2.

Nihil enim est tam contrarium rationi & constantiæ, quàm fortuna.

Ibidem.

Geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerunq; disparem videmus.

Cicero Rhetoricorum ueterum libro 2.

Nam fortunam quidem & laudare stultitia, & vituperare superbia est.

Idem Rhetoricorum nouorum libro 2.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam, perhibent Philosophi, saxiq; instar globosi dicunt esse volubilem.

Idem libro 4.

Ei non multùm potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quàm in casu præsidium collocauit.

Ibidem.

Nam si quis spei non multùm collocarit in casu, quid est quod ei magnoperè casus obesse posit.

Ibidem.

Quod si in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casu collocarunt, non sunt omnia committenda fortunæ, ne magnam in nos nimis habeat dominationem.

Salustius in Catilinario.

Fortuna in omni re dominatur, ea res cunctas ex libidine magis quàm ex vero celebrat obscuratq;.

Idem in Iugurtha.

Humanarum rerum pleraq; fortuna regit.

Ibidem.

Grauis est casus è regno in seruitium.

Ibidem.

Quippe res humanæ ita se habent. In victoria vel ignauis gloriari licet, sed res aduersæ etiam nos detrectant.

Ibidem.

Res humanæ fluxæ & mutabiles sunt.

Valerius Maximus libro 4.

Dominium rerum collabi solet, bona mens præfertur diuitijs, bonæ mentis vsurpatio, nullum tristioris fortunæ recipit incursum.

Idem libro 5.

Mortalium negotia fortuna versat.

Idem libro 6.

Nemo nimiæ fortunæ credere debet.

Idem libro 9.

Humanæ autem vitæ conditionem præcipuè primus & vltimus dies continet. Quia plurimum interest, quibus auspicijs incoëtur, & quo fine claudatur. Ideoq; demum eum felicem iudicamus, cui & accipere lucem prosperè, & reddere placidè contingit. Medij temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò tranquillo motu peragitur, ipse semper minor, dum & cupidè votis extenditur, & fere sine ratione consumitur. Namq; si eo bene vti velis, etiam paruum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando. Enimuerò nimio studio retinendum bonum.

Qu. Curtius de gestis Alexandri libro 3.

Etiam naturam plerunq; fortuna corrumpit.

Ibidem.

Homines cùm se permiscuêre fortunæ, etiam naturam dediscunt.

Idem libro 2.

Fragilitatis humanæ nimia in prosperis obliuio est.

Idem

Idem libro 7.

Versabilis fortuna est.

Ibidem.

Fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est, nec inuita teneri potest.

Idem libro 8.

Contra obsequia fortunæ, nō satis cauta mortalitas est.

Ibidem.

Quis neget eximiam quoq; gloriam, sæpius fortunæ, quàm virtutis esse beneficium.

Ibidem.

Fortuna rebus, famam preciumq; constituit, & militię probrum, plerunq; vertit in gloriam.

Lucius Apuleius de Asino aureo libro 1.

Ne tu fortunarū lubricas ambages & instabiles incursiones & reciprocas vicissitudines ignoras.

Iulius Cæsar libro 4.

Non est sæpius fortuna tentanda.

Idem libro 9.

Multum tum in omnibus rebus, tum in re militari potest fortuna.

Ibidem.

Sic & ad subeundum periculum, & ad vitandum, multùm fortuna valet.

Iulius Celsus libro 7.

Fortunæ credendum est, & ad vtramq; rem se illi offerendum.

Idem libro 10.

Fortuna plerunq; eos, quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem casum reseruat, superiorum ipsorum dissimilis.

Menander.

ἄνθρωπος ὢν, μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης. id est:
Homo existens, recordare communis fortunæ.

Idem.

Δοὺς τῇ τύχῃ τὸ μικρὸν ἐλήψῃ μέγα. id est:
Si dederis fortunæ paruum aliquid, accipies magnum.

Idem.

Θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστι καὶ τύχῃ. id est:
Deo pugnare graue est & fortunæ.

Idem.

οἷς μὲν δίδωσι, οἷς δ' ἀφαιρεῖται τύχη. id est:
Aliquibus quidem dat, aliquibus autem aufert fortuna.

Idem.

Πᾶσι γὰρ εὖ φρονοῦσι συμμαχεῖ τύχη. id est:
Omnibus quidem bene sapientibus auxiliatur fortuna.

Idem.

ῥέγχει παρούσης τῆς τύχης τὰ πράγματα. id est:
Stertunt præsente fortuna negotia.

Idem.

στρέφει δὲ πάντα τ' ἐν βίῳ μικρὰ τύχη. id est:
Permutat autem omnia quæ sunt in uita, parua fortuna.

Idem.

Τύχης τὰ θνητὰ πράγματ', οὐκ εὐβουλίας. id est:
Fortunæ mortalia negotia, non consilij.

Idem.

Ταυτόματον ἡμῶν ἄμεινον βουλεύεται. id est:
Casus nobis melius consulit.

Idem.

Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει. id est:
Mortalia omnia mutationes multas habent.

Idem.

Χειμὼν μεταβάλλει ῥαδίως εἰς εὐδίαν. id est:
Tempestas mutatur facilè in serenitatem.

Idem.

ὡς ποικίλον πρᾶγμ' ἐστὶ καὶ πλάνον τύχη. id est:
Quàm uaria res est & erratilis fortuna.

Ex primo Epigrammaton.

Οὐκ ἐθέλουσα τύχη σε προήγαγεν, ἀλλ' ἵνα δείξῃ,
ὡς ὅτι καὶ μέχρι σοῦ πάντα ποιεῖν δύναται. id est:
Non propitia fortuna te promouit, sed ut ostendat,
Quod etiam in te omnia facere potest.

Lucianus.

ὁ μὴ πλάζων, φίλος εἶ θνητοῖς, φίλος εἶ μακάρεσσι,
καί σευ ῥηϊδίως ἔκλυον εὐξαμένου.
ἂν πλάσῃς, οὐδεὶς ἔτι σοι φίλος, ἀλλ' ἅμα πάντα
ἐχθρά, τύχης τε ῥοπαῖς συμμεταβαλλόμενα. id est:
Non errans, amicus es mortalibus, amicus es beatis,
Et te facilè exaudiuerunt precantem.
Si erraueris, nullus amplius tibi amicus, sed simul omnia
Inimica, fortunæq; momentis commutata.

Sophocles in Aiace.

Τῆς ἀναγκαίας τύχης
οὐκ ἔστιν οὐδὲν μεῖζον ἀνθρώποις κακόν. id est:
Immutabili fortuna,
Nullum est peius hominibus malum.

Palladas.

Οὐ λόγον, οὐ νόμον οἶδε τύχη μερόπων δὲ τυραννεῖ,
Τοῖς ἰδίοις ἀλόγως ῥεύμασι συρομένη.
Μᾶλλον τοῖς ἀδίκοισι ῥέπει, μισεῖ δὲ δικαίους.
ὡς ἐπιδεικνυμένη τὴν ἄλογον δύναμιν. id est:
Non rationem, non legem nouit fortuna, hominibus autem imperat,
Proprijs sine ratione fluxibus tracta.
Magis iniustis fauet, odit autem iustos,
Veluti ostendens temerariam potentiam.

Plautus in duobus captiuis.

Sed fidem fortuna humana frangit, arctatq; ut lubet.
Me qui liber fueram, seruum fecit ex summo infimum.
Qui imperare insueueram, nunc alterius imperio obsequor.

Plautus in Cistellaria.

Immundas fortunas æquum est squalorem sequi.

Plautus in Pseudolo.

—Sed profectò hoc sic erit:
Centum doctum hominum consilia sola hæc deuincit Dea,
Fortuna. Atq; hoc uerum est: proinde ut quisq; fortuna utitur,
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus.

Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus: stultum autem illum cui uertit mali.
Stulti haud scimus frustra ut simus: cùm, quod cupienter dari.
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, poßimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus. Atq; hoc euenit
In labore atq; in dolore, ut mors obrepat interim.

Terentius Comœdia 5.

O fors fortuna, ut nunquam perpetuò es bona.

Virgilius in Bucolicis.

Sors omnia uersat.—

Virgilius in 2. Aeneidos.

Nec si me miserum fortuna Simonem
Finxit, uanum etiam mendacemq; improba finget.

Ibidem.

Aspirat primo fortuna labori.

Idem libro 3.

Viuite fœlices quibus est fortuna peracta,
Iam sua.

Idem Aeneidos libro 10.

Et quamcunq; uiam dederit fortuna sequamur.

Idem Aeneidos libro 11.

Multa dies uariusq; labor mutabilis æui
Rettulit in melius multos, alterna reuisens,
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Virgilius libro 12. Aeneidos.

Forsan miseros meliora sequantur.

Ibidem.

Quò Deus, & quò dura uocat fortuna sequamur.

Ibidem.

Sors & uirtus miscentur in unum.

Virgilius de fortuna.

O Fortuna potens,
Tantum iuris atrox quæ tibi uendicas:
Euertisq; bonos, eligis improbos:
Nec seruare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus:
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Iustos illa uiros pauperie grauat:
Indignos eadem diuitijs beat.
Hæc aufert iuuenes, & retinet senes,
Iniusto arbitrio tempora diuidens.
Quod dignis adimit, transit ad impios,
Nec discrimen habet, rectaq; iudicat.
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica.
Nec quos clarificat, perpetuò fouet.
Nec quos deseruit, perpetuò premit.

Ennius in 7.

Fortibus est fortuna uiris data.

Idem in 8.

Multa dies in bello conficit unus,
Et rursus multæ fortunæ fortè recumbunt,
Haud quenquam semper fortuna secuta est.

Actius in Telepho.

Nam si à me regnum fortuna atq; opes
Eripere quiuit, & uirtutem nequiuit.

Lucanus libro 2. Pharsa.

Sors incerta uagatur,
Fertq; referrq; uices, & habent mortalia casum.

Lucanus libro 3. Pharsa.

Neq; enim iam sufficit ulla
Precipiti fortuna uiro.

Ibidem.

Seruat multos fortuna nocentes.

Idem libro 8. Pharsal.

—Longi pœnas fortuna fauoris
Exigit à misero.—

Ouidius Metamorphoseôn libro 7. fabula 26.

Flebile principium melior fortuna secuta est.

Idem libro 13. fabula 4.

Tanta homines rerum inconstantia uersat.

Ouidius Metamorphoseôn libro 15. fabula 4.

Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim: sic ad ferrum uenistis ab auro
Secula, sic toties uersa est fortuna locorum.

Idem Metamorphoseôn libro 15. fabula 42.

—Omnia uerti
Cernimus, atq; alias assumere robora gentes,
Concidere has, sic magna fuit censuq; uirisq;
Perq; decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis ueteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitijs tumulos ostendit auorum.
Clara fuit Spartæ, magnæ uiguêre Mycenæ,
Necnon & Cecropis, necnon Amphionis arces,
Vile solum Spartæ est, altæ cecidêre Mycenæ,
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

Ouidius Tristium libro 2.

Cùm cœpit quassata domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus.
Cunctaq; fortuna rimam faciente dehiscunt,
Ipsa suo & quondam pondere tracta ruunt.

Ibidem.

Scilicet in superis etiam fortuna luenda est,
Nec ueniam læso numine casus habet.

Ouidius Tristium libro 5. Elegia 9.

Vilia qui quondam miseris alimenta negarat,
Nunc mendicato pascitur ille cibo.
Paßibus ambiguis fortuna uolubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxq; loco.
Sed modò læta manet, uultus modò sumit acerbos:
Et tantùm constans in leuitate sua est.
Nos quoq; floruimus: sed flos fuit ille caducus:
Flammaq; de stipula nostra, breuisq; fuit.

Ouidius de Ponto libro 4. Elegia 3.

Hæc Dea non stabili quàm sit leuis orbe fatetur,
Quæ summum dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, & quauis incertior aura:

Par illi leuitas improbe facta tua est.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu, quæ ualuêre, ruunt.
Diuitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen uitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracusia modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipse rogauit
Summissa fugiens uoce clientis opem.
Cuiq; uiro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.
Ille Iugurthino clarus, Cimbroq; triumpho,
Quo uictrix toties Consule Roma fuit.
In cœno Marius iacuit, cannáq; palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda uiro.
Ludit in humanis diuina potentia rebus:
Et certam præsens uix habet hora fidem.

Idem.

Casus in euentu est.

Ouidius epistola Breseidis ad Achillem.

An miseros tristis fortuna tenaciter urget?

Ouidius.

Nempe dat & quodcunq; lubet fortuna rapitq;,
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

Ouidius libro 3. de Arte amandi.

Dum licèt & spirant flamina nauis eat.

Tibullus libro 1. Elegia 5.

Versatur celeri sors leuis orbe rota.

Martialis lib. 4. Epigrammatum de puero glacie occiso.

Quid non læua sibi uoluit fortuna licere?

Horatius carminum libro 1. ode 34.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus
Obscura promens, hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Horatius carminum libro 3. ode 29.

Fortuna sæuo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna,
Laudo manentem, si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me inuoluo, probamq;
Pauperiem sine dote quæro.

Iuuenalis satyra 3.

—Ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties uoluit fortuna iocari.

Idem satyra 7.

Si fortuna uolet, fies de rhetore consul:
Si uolet hæc eadem, fies de consule Rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? an ne aliud quàm
Sydus, & occulti miranda potentia fati?
Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos,
Felix ille tamen, coruo quoq; rarior albo.

Idem satyra 10.

Turba tremens sequitur fortunam ut semper & odit
Damnatos.

Iuuenalis satyra 13.

Victrix fortunæ sapientia.

Ausonius.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.

Et paulò pòst.

Fortunam reuerenter habe quicunq; repentè
Diues ab exili progrediêre loco.

Franciscus Petrarcha cant. 8. stantia 7.

Rade uolde aduien, chall alte imprese
Fortuna iniuriosa non contrasti,
Cha glanimo si facti mal soccorda. id est:
Rarò euenit ut magnis negotijs
Iniuriosa, non aduersetur:
Namq; animosis factis malè eadem concors est.

Franciscus Petrarcha triumpho Famæ.

Che poucho ual contra fortuna scudo. id est:
Quippe parum ualet contra fortunam clypeus.

Fortunæ instabilitas. AMANTIVS.

Fidere fortunæ quenquam dementia summa est:
Hæc mutat turbatq; uices, nec parcitur ulli:
Hæc humiles tegetes in celsa palatia mutat,
Sæpius hæc Irum de Codro fecit egentem.

Fortuna è Græco.

Non tibi quod faueat, sic te fortuna leuauit,
Vel de te liqueat, uult sibi quid liceat.

Fortuna è Græco.

Lubrica non seruat certum fortuna timorem,
Sed rotat instabilem cæca subinde rotam.
Sternere summa libet, libet infima tollere, rerum
Inq; uicem nulla uertere lege uices.
Maxima cùm bona sunt, iam sunt mala proxima: rursus
Maxima cùm mala sunt, proxima iam bona sunt.
Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore,
Nec citò uenturis præmoriare bonis.

Fortuna mutabilis.

Thomas Morus.

Sorte sub ambigua deuinctus uertitur orbis,
Inq; uicem redeunt, candida & atra dies.
Imus ad arbitrium fortunæ luminis orbæ,
Ad uentum exposita uertimur inq; rota,
Omnia dant casus adimuntq;: ita uertitur ordo,
Si tamen est ordo, cuncta regi temerè.
Vidi ego regnantes Venetos, seruireq; uidi,
Sublimesq; iterum uidi, iterumq; humiles.
Paruum inter spacium, nec multos temporis annos:
Vsq; adeò uariat sors, uariatq; citò.

V. Huttenus de fortunæ ludibrio.

Erexit fortuna rotam, sic perdita mundo
Illudit, quoties hanc iuuat esse leuem:
Erexit Cirum attoniti regesq; ducesq;,
Ante uagam mœsti stant hilaresq; Deam.

Illa uiros durare iubens, spe mulcet inani:
Ambiguum axe mouens orbem, iterumq; mouens:
Aeternum facit hoc, nec adhuc tamen implet hiantes,
Dum sæpe à summo mutat ad ima loco,
Dum nunc afflat opes, dum nunc subuertit honores:
Dum facit immeritos, attenuatq; bonos:
Dumq; onerat curis, & solicitudine uexat:
Vltra omnem fallax expatiata modum.
Sic aptam, tamen esse aliquid numenq; putamus,
Hunc fucum nostris olim it hæc oculis.

ALIVD.

Vsq; adeò fortuna nihil moderabile suadet,
Oblitosq; sui, quos regit, esse facit.

Fortunæ mutabilitas.

Multa cupis, fortuna tibi cùm plurima donet
Galle, nec hinc modus est, nec modus inde tibi:
Debes ipse tamen fortunam nosse, ferendo
Plurima, sæpe nocet dum ratio omnis abest.
Ipsa quidem cæca est, ut cui det nesciat, & quid:
Nescit in euentum quem tibi donet item.
Ecce autem quæ sunt mutantia tempora casus:
Lilia quàm possunt ista uirere diu.
Friuola fortuna est, tempus mutabile certè,
Gloria sit quamuis magna, caduca tua est.

Seneca epistola 99.

Animus valẽtior omni fortuna. Errant, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant tribuere fortunam: Valentior enim omni fortuna animus est, & in vtramque partem ipse res suas ducet: beatæq; ac miseræ vitæ sibi causa est.

Ouidius libro ultimo Tristium.

Rara quidem est uirtus, quam non fortuna gubernat:
Quæ maneat stabili: quum fugit illa pede.

Horatius libro 4. de bello Alexandrino.

Eleganter hoc. Fortuna plerunq; eos, quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem casum reseruat.

Fortunæ potentiæ ex 35. ode libro 1. Horatij.

O Diua, gratum quæ regis Antium,
Præsens uel imo tollere de gradu
Mortale corpus, uel superbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicunq; Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbesq;, gentesq;, & Latium ferox,
Regumq; matres Barbarorum, &
Purpurei metuunt tyrannis.
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam: ne populus frequens
Ad arma cessanteis, ad arma
Concitet, imperiumq; frangat.
Te semper anteit sæua necessitas,
Clauos trabaleis, & cuneos manu
Gestans ahena, nec seuerus
Vncus abest, liquidúmq; plumbum.
Te spes & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat:
Vtcunq; mutata potenteis
Veste domos inimica linquis.
At uulgus infidum, & meretrix retrò
Periura cedit, diffugiuntq; cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi, &c.

Amici illi perfidi.

De fortuna Virgilius.

Fortuna indignos tollit.

Fortuna omnipotens insipientibus,
Tantum iuris atrox quæ tibi uendicas!
Euertensq; bonos, eligis improbos,
Nec seruare potes muneribus fidem.

In fortunam è Græco.

Si fortuna uolet, fies de paupere diues:
Si uolet Irus eris, qui modò Crœsus eras.

In fortunam è Græco.

Qur non è cunctis fortunæ nomen amatur?
Hanc adamat diues, quam miser odit inops.

Fortuna plerunq; inuidet uirtuti.

Mantuanus in Epigrammatibus ad Falconem.

Cur aliquando fuit tibi sors inimica nocensq;,
Quod uirtus fuerit semper amica tibi:
Aemula uirtuti sors est: quos eleuat illa,
Ista premit crispo torua supercilio.

Fortuna nunc mater, nunc nouerca, ex Epithetis

Rauisij Textoris.

Miseri ergo, qui miseriam (si modò diuitiarum penuria miseria dici debeat) sibi perpetuam fore existimant.

Nam neq; perpetuas sentit maris unda procellas:
Nec furit æternis Ennosigæus aquis.
Nec semper nautis, ratibusq; odiosa carybdis,
Murmurat aßiduis improba uorticibus.
Fulminibus iactis, tonitruq; per aëra moto,
Tandem pacati desinit ira Iouis.
Dum satis Aemanio Boreas certauit olympo,
Aeolij tandem carceris antra petit.
Dumq; satis pluuiæ terris dedit imbrifer arcus:
Pura serenatis nubibus aura redit.
Sic ubi inhumanas fortuna exercuit iras,
Tota nouercali plena frequensq; odio:
Afflictis tandem pacato numine ridet,
Datq; adiutrices (quæ nocuêre) manus.

Nullus tam felix, qui per omnem uitam eandem expertus sit fortunam.

Inuenias unum (toto qui uixerit æuo
Liber ab aduersis) Samiæ telluris alumnum,
Ac dominum: tanquam illius fortuna fuisset
Immemor: At uitæ supremo in margine totam
Accepit, plenoq; hausit cratere uenenum.

Polycrati tristis exitus post perpetuam felicitatem.

Intelligit Polycratem Samiorum Tyrannum, fortuna opibusq; clarum, ac perpetua vsum felicitate, vt cui nihil vnquam sinistrè contigisset, nulla

superatus tandem ab Oreste seipsum suspẽdit.

nulla accidisset iactura, post multos arridentis fortunæ lusus, ac lenè spirantes Fauonios, versa postremò fauoris ac prosperitatis rota, ab Oreste Cyri præfecto superatum, suspendio vitam finiuisse, &c.

Ea omnia notissimo sunt argumento, non nimis arridente fortuna superbiendum, quam (si tantillum oculos deieceris) mutatã statim & infestam videas: quam tamẽ paulò antè propitiam tibi experiebare.

Seneca in Troade.

Quò fortuna altius euexit ac leuauit humanas opes, hoc se magis supprimere felicẽ decet, variosq́; casus timere: metuẽtem Deos nimium fauentes magna momento obrui vincendo didici.

Descriptio fortunæ per Lactantium libro 3. De falsa sapientia cap. 29.

Fortuna est accidentium rerum subitus atq; inopinatus euentus. Multa enim (inquit Cic.) efficit inopinata nobis, propter obscuritatẽ ignorationemq́; causarum. Interrogatus Chilo quid sit fortuna: ignarus, inquit, medicus: multos enim excæcat.

Fortuna ignarus medicus

Fortunæ simulachrum apud Schytas sine pedibus fingebatur, vt manus tantum & non pedes haberet. Apud Smyrnæos eiusmodi fuit, vt polum capite fulciret, manu altera sustinens Amaltheæ cornu.

Polycrates Tyrannus Samiorum tãta vsus est felicitate, vt nullum vnquam mœroris argumentum in tota vita potuerit reperire: Nam cùm ad excitandum sibi dolorem annulum ingẽtis precij coniecisset in mare, eundẽ postmodum repperit in pisce, à piscatore sibi oblato.

Improbi, stulti, indigni, plerunq; fortunati: Probi autem sunt infortunati, miseri, & inhonorati.

Euripides in Bellerophonte.

Τιμή σ' ἐπαίρει τῶν πέλας μᾶλλον φρονεῖν, θνήσκοιμ' ἄν. οὐ γὰρ ἄξιον λεύσσειν φάος, κακοὺς ὁρῶν ἐκδίκως τιμωμένους. id est:

Honor te effert, vt sapias altius tuis propinquis: emoriar, indignum est enim aspicere lucem, videndo malos immeritò & iniustè honoratos.

Idem in Distiæ.

Πολλοῖς παρέστην κ' ἀφθόνησα δὴ βροτῶν
ὅστις κακοῖσιν ἐσθλὸς ὢν ὅμοιος ᾖ,
Λόγων ματαίων εἰς ἅμιλλαν ἐξιών:
Τὸ δ' ἦν ἄρ' οὐκ ἀκουστὸν οὐδ' ἀνασχετόν,
Σιγᾶν κλύοντα δεινὰ πρὸς κακιόνων. id est:
Multis adfui, & æmulatus sum hominem, eiq; indignatus,
Qui bonus existens, similis fieret malis,
In certamen inanium descendens uerborum.
Hoc uerò nequaquam audiri potest, neq; tolerari,
Tacere audientem opprobria à peioribus.

Idem in Oenæo.

ὅταν κακοὶ πράξωσιν ὦ ξένοι καλῶς
ἄγαν κρατοῦντες κ' οὐ νομίζοντες δίκην
Δώσειν, ἔδρασαν πάντ' ἐφέντες ἡδονῇ. id est:
Quando mali, ô hospes, fortunati agunt,
Nimis dominantes, nec pœnam putantes
Luituros se, nihil non perpetrant indulgentes uoluptati.

Idem in Supplicibus.

ἤδη νοσῶδες τοῦτο τοῖς ἀμείνοσιν,
ὅταν πονηρὸς ἀξίωμ' ἀνὴρ ἔχῃ,
Γλώσσῃ κατασχὼν δῆμον, οὐδὲν ὢν τὸ πρίν. id est:
Valde molestum est melioribus,
Quando uir malus dignitatem obtinet.
Lingua populum regens cùm prius nihil fuerit.

Ibidem.

Φεῦ φεῦ κακοῖσιν ὡς ὅταν δαίμων διδῷ καλῶς, ὑβρίζουσ' ὡς ἀεὶ πράξοντες εὖ. id est:

Pape, quàm mali homines, ubi fortunam nacti sunt prosperam, contumeliosi fiunt, tanquam semper fortunatè ucturi. Idem.

Πολλοὶ γεγῶτες ἄνδρες οὐκ ἔχουσ' ὅπως τῶν κακῶν ἐξουσίας δείξωσιν αὐτούς. id est:

Multi uiri nati honesto loco, non possunt seipsos palàm ostendere, propter malorum potestatem.

FORTVNA MELIORE NEMO SE extollat, ex Troade Senecæ, &c.

Nihil violentum diuturnum

Violenta nemo imperia continuit diu:
Moderata durant. Quoq; fortuna altius
Euexit, ac leuauit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet.

Fortuna dominatur humanis rebus.

Audis humanis sors fallacißima rebus,
Et contempta uenis: sæpe uocata fugis,
Eligis indignos pietatis imagine, dignos
Supprimis, & nulli tempora longa faues.
Et geris imperium mundi, sceptrumq́; uolutas:
Orbis te dominam dicimus, atq; deam.
Iam fortuna uale, cursu sursumq́; deorsum,
Non secus atq; soles, fac imitare pilam.

Bonos deprimit, malos exaltat fortuna.

FORTVNA INCONSTANS ET PERfida, ex B. Mantuano.

Fortunam antiqui uates dixerẽ bifrontem,
Et modò terribiles in nos conuertere uultus:
Clementem modò sese oculis promittere blandis,
Nec seruare fidem, sed calliditate proterua
Principibus, regnisq́; graues inducere casus.
Quod si scire uelis non dementisse Poëtas,
Authores documenti huius, lege temporis acta
Inclyta præteriti, ueteresq́; recurre per annos:
Aspice Pompeium terra pelagoq́; ferentem
Victrices aquilas, & mox quasi fulmine misso
Cælitus, attonitum, magnoq́; à Cæsare uictum
Ire uagum & tutas inuestigare latebras,
Incassum dirumq́; uolentem euadere fatum:
Nec tibi læta magis Cæsar fuit: omnia namq;
Vt tibi subiecit terrarum regna, repente
In tua ciuiles armauit uiscera dextras:
Et quanquam aduersi uenisset epistola casus

Nuncia: nil tanto tamen in discrimine iuuit:
Namq; tuam mentem in uinclis fortuna tenebat.

Lactantius fortunam pictam à veteribus fuisse testatur, cum copia & gubernaculo, tanquã opes tribuat, & rerum humanarum teneat regimen. Vnde & omnipotens à plęrisq; vocata est, quòd pro arbitrio possit diuitias commutare, victorias largiri, pauperem subleuare, & opulétum deprimere.

Gyges Rex Lydorum gemmam habuit tantæ virtutis in annulo, vt ea ad se versa, videret quoscunq; vellet, nemini conspicuus: Vnde beneficio annuli omnia consequebatur ex animi voto. Lucianus in Dialogo de votis. Plato libro 2. de Rep. Eras. Chil. 1. Centuria 1.

Multum ergo delirant maximi quiq; Principes, si occurrentibus tot exemplis non facilè credant, & fateantur caducum esse, & pilę instar volubile, quicquid arbitrio fortunæ subiacet.

Fortuna sicut pila est.

Pacuuius de ea sic ait:

Fortunam insanam esse, & brutam perhibent Philosophi, saxiq; ad instar globosi prædicant esse volubilem.

Fortuna insana, bruta, cæca.

Quia quò saxum impulerit sors, cò cadere fortunam autumant: cęcam ob eam rem vocant quia nihil cernat, quo se applicet: insanam autem aiunt, quia atrox, instabilisque sit: brutam, quia dignũ aut indignũ nequeat internoscere.

Borbonius in quempiam è Græco.

Magnus es & polles opibus, nec propria uirtus
Nec genus in causa, sed Dea cæca fuit.

Apelles interrogatus cur eam sedentẽ pinxisset: Quoniam, inquit, stare non potest.

Socrates fauorem fortunæ Theatro similem esse dicebat: Vbi indigni meliora plærunq; loca accipiunt.

Cicero in Lælio, non ipsa, inquit, solum fortuna cæca est, sed eos etiam plærunque efficit cæcos, quos complexa est. Itaq; illi offeruntur fere fastidio & contumacia, nec quicquam insipiente fortunato intollerabilius fieri potest.

Graue hoc.

Franciscus Bufalus ciuis Romanus duos filios mutuis vulneribus se petentes vidit, totidem ob seditionem securi percussos: alium qui nouercam interfecerit, illam verò, quæ præsente marito venenum hauserit. Huc & referendũ exemplum Oedipodis, qui, patre interfecto, matri se commiscuit, & ex ea liberos suscepit, qui mutuis vulneribus se confoderunt.

Infortunatissimus pater.

Borbonius in fortunam è Græco.

Obruit exitiabilius fortuna potentes,
Quàm quos hîc humiles ridiculosq; facit.

Seneca in hyppolyto.

Res humanas ordine nullo
Fortuna uersat, spargitq; manu
Munera cæca, peiora fouens.

Apuleius libro 7. Meta. de ea sic inquit.

Subibat me, inquit, non de nihilo veteris priscæq; doctrinæ viros finxisse ac pronuntiasse cæcam, ac prorsus exoculatam esse fortunam, quæ semper suas opes ad malos & indignos conferat: nec vnquam iudicio quenquam mortalium eligat. Quanta sit eius potestas, satis superque indicat distichon Iuuenalis:

Indignis solùm cõfertur op.

Si fortuna uolet, fies de Rhetore consul.
Si uolet hæc eadem, fies de consule Rhetor.

Plutarchus in libello de fortuna Romanorũ ait, vmbram eximiæ & antiquæ fortunæ, cum primis fundamentis erectam fuisse: Primus, inquit, fortunæ delubrũ Ancus Martius substruxit, fortunamq; virili nomine dicauit: Propterea fortasis, quòd in victoria fortiter obtinenda, peiores sunt fortunæ partes.

Ancus Martius delubrũ primus fortunæ struxit.

Blondus libro 1. de Rom. Triumphante scribit, apud Nemorensem lacum fuisse templũ fortunæ virilis, vbi virgines Deæ immolarent. Certum est Tullum regem, suos omnes actus fortunæ adscripsisse, cuius beneficio ab ancilla matre, ad regnum fuerat euectus.

Tullus Hostilius suos omnes actus fortunæ adscripsit.

Fuit & apud Romanos fortunæ barbatæ simulachrum, quæ cultoribus suis malas speciosius vestiret: se spernentes, malè barbatos, glabrosq; redderet.

Fuit & vtriusq; fortunæ simulachrum, bonę scilicet & malæ, ara vetus: inquit Cicero libro 3. de Legibus. Fuit in exquilijs malæ, & execratæ fortunæ.

Templũ bonæ & malæ fortunæ.

Plinius libro 36. capite 5. ait: Bonę fortunę simulachrum à Praxitile factum, Romæ in Capitolio fuisse, &c.

Exemplum fortunatißimi Regis.

Enhippus Rex Argiuorum, miræ felicitatis, cuius clypeum, qui apud Græcos rem præclarè gessissent, per vrbem incedentes ferebant, honestatis causa. Vide Rauisium textorem in 2. parte officinæ, de fortunatis & felicibus.

FORTVNA ET EIVS SVBITA mutatio.

Valerius lib. 6. capite ulti. de uarietate casuum.

Caduca nimirum & fragilia, puerilibusque consentanea crepundijs sunt ista, quę vires atq; opes humanæ vocantur: Affluunt subitò, repentè dilabũtur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus iuxta radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta: quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaq; neq; debẽt existimari neq; dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinẽ desiderio sui duplicant.

Sabellicus de subita mutatione fortunæ libro 7. capite 8.

Sapienter fecisse videri possunt, qui fortunã volucrem, cæcam, variamq; finxêre: nihil certè hac vna (si quid illa est) inconstantius, nihil magis variabile: nunc blanda & indulgens, nunc sęua &

ua & infesta: nec vllis infestius irascitur, quàm quos indulgentissimè fouit: fitq; ex matre subitò nouerca, ex nouerca mater, nec si quæratur, causa alia reddi possit, quàm quod ita libeat, quodq; incertæ sortis sint res humanæ, circumscribit sese tamé stulta mortalitas, prudentiamque reputat suam, tãquam homo semper sapiat, præsertim in rebus subitis & inopinis, in quib. ne sapientes quidem satis sibi sapiunt.

Theognides.

Καὶ σώφρων ἥμαρτε, καὶ ἄφρονι πολλάκι δόξα
ἕσπετο, καὶ τιμῆς τὶς κακὸς ὢν ἔλαχεν. id est:
Et sapiens repulsus est, & insipientem sæpe gloria
Secuta, & malus aliquis honorem nactus est.

Idem.

Πολλοῖς ἀχρήστοισι θεός διδοῖ ἀνδράσιν ὄλβον
ἐσθλὸν, ὅς οὐδ᾽ αὐτοῖς βέλτερος οὐδὲν ἐὼν
οὐδὲ φίλοις, ἀρετῆς δὲ μέγα κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται:
αἰχμητὴς γὰρ ἀνὴρ, γῆν τε καὶ ἄστυ σώζει. id est:
Deus multis inutilibus uiris largitur opes
Bonas, quæ nec ipsis utilitatem ullam,
Nec amicis ferent: Virtutis autem ingens gloria nunquam peribit,
Vir enim pugnando fortis, agros & ciuitatem defendit.

Demosthenes in Olynthiaca prima.

Τὸ γὰρ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. id est:
Feliciter agere præter dignitatem, malè sapiendi ansam præbet stolidis.

Idem in Philippicis.

αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων εἰσίν: εἰ δέ τις πταίσει τοτ᾽ ἀκριβῶς διακαλυφθήσεται ταῦτα πάντα. id est.

Mira vis est melioris fortunæ in occultandis & obumbrandis hominum peccatis: At si quid acciderit sinistrè, tum ista omnia prorsus detegentur.

Arystonimus in Tomarijs.

ἔοικεν ὁ βίος θεάτρῳ, διὸ πολλάκις χείριστοι τὸν κάλλιστον ἐν αὐτῷ κατέχουσι τόπον. id est:

Similis est vita theatro: quo circa sæpius pessimi quiq; honoratissimum inter homines locum obtinent.

Sophocles.

Δεινόν γε τοὺς μὲν δυσσεβεῖς κακῶν ἄπο
Βλαστόντας, τοὺς μὲν πράσσειν καλῶς,
Τοὺς δὲ ὄντας ἐσθλοὺς ἔκ τε γενναίων ἅμα
Γεγῶτας εἶτα δυστυχεῖς πεφυκέναι.
οὐ χρῆν τάδ᾽ οὕτω δαίμονας θνητῶν πέρι
Πράσσειν: ἐχρῆν γάρ τοὺς μὲν εὐσεβεῖς βροτῶν
ἔχειν τι κέρδος ἐμφανὲς θεῶν πάρα,
Τοὺς δὲ ὄντας ἀδίκους τῶν δὲ τὴν ἐναντίον
Δίκην κακῶν τιμωρὸν ἐμφανῆ τίνειν:
κ᾽ οὐδεὶς ἂν οὕτως εὐτυχῇ κακὸς γεγώς id est
Intolerabile est, homines impios & malis parentibus
Ortos fortunatè uiuere,
Bonos autem & generosa stirpe
Natos, aduersam sibi fortunam experiri,
Non oportebat Deos hac in re ita de hominibus
Statuere: Conueniret enim pios quidem homines
Manifestum aliquod lucrum à Dijs consequi:
Iniustos uerò homines contrà,
Pœnam malorum euidenter ultricem luere:
Et hoc modo nullus improbus prosperitate frueretur.

Menander de indigno bonorum contemptu.

εἴς τις προσελθών μοι θεῶν λέγοι κρατῶν. id est:
Si quisquis potens Deus me accedens diceret:
Postquam mortuus fueris, denuò reuiuisces:
Eris autem quod uoles, canis, ouis, hircus,
Homo, equus: Rursus enim uita tibi transigenda est:
Sic fata iubent, tu quod mauis elige.
Quiduis potius statim mihi dicturus uideo,
Fac me quàm hominem, indigna prosperitate.
Et rursus in prosperitate immerita solus animaliũ homo
Afficitur. Optimus equus diligentiori cura,
Quàm alius colitur, canis si bonus fueris,
In precio longè maiori habeberis, quàm malus canis.
Gallinaceus generosus peculiaribus alimentis
Nutritur: ignauus uerò etiam timet præstantiorem.
At homo licèt probus, nobilis & ualde
Generosus sit, nihil id ei prodest in hoc seculo.
Adulator autem omnium optimè uiuit: Deinde
Sycophanta, tertio loco fraudulentus loquitur.
Asinum fieri præstat, quàm deteriores
Se splendidius uiuentes intueri.

Græcos versus inuenies in loco communi de Viro bono in litera V. Quos & Fabritius in Latinos versus senarios Iambos vertit, ibidem.

Περὶ τῶν παρ᾽ ἀξίαν δυστυχούντων. id est:
De illis qui indignè miseri sunt.

Menander comicus.

οὐδέν με λυπεῖ μᾶλλον ἢ χρηστὸς τρόπος
εἰς χαλεπὸν ὅταν ᾖ συγκεκλεισμένος
οἰκτρότατόν ἐστι πειρᾶν ἐπὶ γήραος οὐδεὶ
ἀδίκου τύχης δίκαιος εἰληφὼς τρόπος. id est:
Nihil tam ægrè fero quàm bonum ingenium,
Vbi in uitam difficilem inclusum est.
Miserrima res est, cùm in senectutis limine aliquis
Præditus bonis moribus, iniquam fortunam experitur.

Idem.

Ω μεταβολαῖς χαίρουσα παντοίαις τύχη,
Σὸν ἐστ᾽ ὄνειδος τόδ᾽ ὅταν οὗτος ἀνὴρ
Δίκαιος, ἀδίκοις περιπέσῃ συμπτώμασιν. id est:
O uarijs gaudens mutationibus fortuna:
Hoc tibi dedecori est, cùm ille uir
Iustus iniustis casibus obruitur.

Alexis Poëta.

οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ἔχουσιν αἱ τύχαι φρένας:
οὐδεὶς γὰρ ἂν τιοῦτος ηὐτύχει ποτέ. id est:
Fieri non potest, ut fortuna mentem habeat:
Aliter nullus unquam huiusmodi hominum fortunatus foret.

Antiphanes.

οἴμοι τάλας ὡς ἄδικον, ὅταν ἡ μὲν τύχη.

λίπῃ τινὸς τὴν τάξιν, ὁ δὲ τρόπος μένει. id est:
Me miserum, quàm iniusta res est cum fortuna:
Ordinem deserit alicuius, mores autem manent.

Euripides in Heraclidis.

Τὴν δ᾽ εὐγένειαν τῆς τύχης νικωμένην
Νῦν δὴ μάλιστ᾽ ἐσεῖδον· οἵδε γὰρ πατρὸς
ἐσθλοῦ γεγῶτες, δυστυχοῦσ᾽ ἀναξίως. id est:
Nobilitatem à fortuna uinci
Nunc præcipuè uidi: isti enim parente
Honesto nati, immeritò fortunati sunt.

Menander in Olynthia.

Ὡς ἄδικον, ὅταν ἡ μὲν φύσις
ἀποδῷ τι σεμνὸν, τοῦτο δ᾽ ἡ τύχη κακοῖ. id est:
Quàm iniusta res est, cùm natura quidem
Egregium aliquid contulerit, Fortuna autem impedimento est.

Idem.

Πολλοὺς δι᾽ ἀνάγκην γὰρ πονηροὺς οἶδ᾽ ἐγὼ, ὅταν ἀτυχήσωσι γεγενότας, οὐ φύσει ὄντας τοιούτους. id est.

Ego multos noui, malos propter necessitatē factos in aduersa fortuna, cùm non suapte natura huiusmodi essent.

Fortuna immeritos auget honoribus, innocuos uerò cladibus afficit. Herodotus in libr. 9.

Ξεῖνε ὅ τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ, οὐδὲ γὰρ πιστὰ λέγουσι θέλει πείθεσθαι οὐδείς. ταῦτα δὲ περσέων συχνοὶ ἐπιστάμενοι ἑπόμεθ᾽ ἀναγκαίῃ ἐνδεδεμένοι. ἐχθίστη δὲ ὀδύνη ἐστὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις ἄν τις πολλὰ φρονέοντα, μηδενὸς κρατέειν id est:

O hospes, id quod à Deo præfinitum est, auerti per hominem non potest: Nam ne vera quidem dicētibus parêre vult quisquam: hæc scientes plurimi Persarum, sequimur necessitate vincti. Grauissimus autem dolor est inter homines, si quis permulta sciens, nihil obtineat.

Eusebius.

Πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐπειδὰν δοκέωσι παρ᾽ ἀξίαν πρήσσειν, δυσανασχετεόντες ἔπειτα δὲ ὀνολογεόμενοι πρὸς ἑωυτοὺς καὶ τοὺς πλησιάζοντας τοιάδε διαλέγονται· ὁ μὲν γαμέει καὶ ἐξ οἴκων τῶν εὐδαιμόνων ἐγὼ δὲ ἄγαμος, καὶ ὁ μὲν οἰκίην ἔχει μεγάλην, καὶ οἰκοδομέει μεγαλοπρεπῶς καὶ ἀγροὺς κέκτηται πολλοὺς, ἐγὼ δὲ ἀνέστιος, καὶ ἀκτήμων καὶ τῷ μὲν παρὰ πολλὰ χρήματα. ἐμὲ δὲ ἀχρηματίη πᾶσα ἔχει. καὶ ὅδε μὲν καὶ ὅδε ἄρχουσι καὶ τετιμέαται, τὸ δ᾽ ἐν ἰδιωτέῳ λόγῳ καὶ ἀτίμῳ. πρὸς οὓς χρὴ παραμυθεόμενον τάδ᾽ λέγειν, ὡς οὐ χρὴ ἐπ᾽ ἄλλων εὐτυχίῃ ἄχθεσθαι ἀλλὰ ἥδεσθαι, διὰ τὸ ὁμογενές, εἰδέναι δὲ ὅτι, καὶ αὐτοὶ πολλῶν ἔς τε τὰ ἑαυτῶν ἐγκρύψαντες καὶ τὰ ἐκείνοις παρέοντα εὑρίσκουσιν ἐόντες ἄμεινον πρήσσοντας, καὶ ὅτι οὐδεὶς ὑπὸ τῆς τοῦ πέλας εὐτυχίας τῆς ὀφειλομένης ἑαυτῷ εὐπρηγίης ἀποστερέωται.

Id est:

Multi homines cùm fortunam sibi iniuriam esse putant, ægrè ferentes ac insuper quæritantes apud se & alios qui accedūt, huiusmodi verbis vtuntur: Iste vxorem ducit, idque ex familia fortunata: ego interim innuptus ago: Iste domum permagnam habet, ædificat splendidè, & agros multos possidet: Ego sine domo, sine possessionibus viuo: Isti pecunia abundant: me omnimoda pecuniarum inopia premit: Ille & ille magistratum gerunt, & honorantur: Ego priuatus, & sine honore dego. Tales homines hunc in modum solari oportet: Non esse dolendum ob aliorum felicitatem, sed gaudendum: vt qui generis & natura sint eiusdem: & quod agnoscere debeant, sibi quoq; multa esse commoda, ita vt si sua inspexerint penitius, & rursus ea, quæ alijs multis adsunt, & quod nullus ob alterius prosperitatem sibi debita felicitate priuetur.

Seneca in hyppolyto.

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq; manu
Munera cæca, peiora fouens.

Claudianus libro 1. in Ruffinum.

Sed cùm res hominum tanta caligine uolui
Aspicerem, lætosq; diu florere nocentes,
Vexariq; pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causæq; uiam non sponte sequebar
Alterius, uacuo quæ semina currere motu
Affirmat, magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, uel nulla putat, uel nescia nostri. NANVT.

FOrum est exercendarum litium locus, & dicitur iudiciale forū à ferendo, quia illuc causę ferantur. Et est forū venale à ferēdo quia venalia illuc ferantur. Et est forum boarium, in quo boues vēduntur, forum olitorium, in quo herbę venduntur, quod erat antiquum macellum. Forum piscarium, in quo pisces vęneunt. Forū cupedinis, in quo venduntur cupedia. Cupes enim & cupedia, antiqui lautiores cibos nominabāt. Vnde cupidenarij dicti sunt omnes, qui esculenta vendunt, ab eo quòd alimenta rebus cupidineis præbeant. Dicitur etiam forum locus in quo cum populo agitur, cōciones habentur, lites tractantur, quòd ibi iudicia feruntur: vnde & forenses dicuntur, qui in foro versantur. Et circumforanei, qui circa forum spatiantur venditantes aliquid, aut ementes, aut sciscitantes, aut tempus inaniter terentes. Fori etiam masculino genere & pluraliter tantum, sunt tabulata nauium, ab eo quòd incessus ferant. Siquidem per eos nautæ discurrunt. Virgili. Laxat foros. Cicero: Alij per foros cursitent. Significant & fori pluraliter tantum loca erecta, vt ex his spectetur. Et foruli sunt armariola, in quibus libri reponuntur. Iuuenalis: Hic libros dabit, hic forulos.

FRater Græcè ἀδελφὸς οῦ ὁ, & ἀδελφικὸς οῦ ὁ fraternus dicitur. Dicitur autem frater quasi ferè alter, secundum Aulum Gellium lib. 13. noct. At ex sententia P. Nigidij. Salustius in Iugurtha. Quis autem amicior quàm frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris?

ris? Hinc fratria fratris vxor. Fraterculus diminutiuum,& fratrueles duorum fratrum filij.

Sapientiæ capite 10.

Per iram homicidij fraternitas deperijt.

Paulus ad hæbræos capite 13.

Charitas fraternitatis maneat in vobis.

August. & habetur 14.q.5.Immolans.

Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit, necessariò fratres sunt.

Augustinus libro 1. de unico baptismo, & hab. dist.56.capite Ismael.

Ismael vt separaretur à populo Dei non obfuit mater ancilla Agar, sed obfuit fraterna discordia, nec profuit potestas vxoris, cuius magis filius erat, quia per ipsius iura cõiugalia & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus est.

Ioannes Chrys. super Mat.

Pro se orare necessitas cogit, pro alijs autem charitas fraternitatis hortatur, dulcior autem ante Deum est oratio, nõ quàm necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.

Rabanus super Mat.

Vera fraternitas est, quæ fratrem veneratur deuotum, corripit dissolutum, quę pręsenti obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit, placatum non prouocat, iratum vt maiorem metuit.

In collationibus patrum & abbatis Ioseph.

Hæc est vera fraternitas, quæ nullis casibus scinditur, quam non solum dissociare vel deserere locorum vel temporum interualla nõ pręualent, sed nec mors quidem ipsa diuellit.

Ibidem.

Hæc est vera & indirupta fraternitas, quæ gemina amicorum perfectionẽ ac virtute concrescit, cuius semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.

Ibidem.

Nihil prodest, si moribus ac proposito dissidentes, vna habitatione iungantur, nec obest parili virtute fundatis, per locorum interualla disiungi. Apud Deum namq; morum cohabitatio, non locorũ vnitas, fratres habitatione coniungit. Nec potest vnquã pacis integritas custodiri, vbi voluntatum diuersitas inuenitur.

Ibidem.

Huius primum fundamentum est substantiam mundialem in contemptu habere. Iniustũ enim atq; impiũ est, si post abrenuntiatã mundi, & omnium quæ in eo sunt, vanitatem, preciosissimæ dilectioni fratris, supellex vilissima, quę superfluit pręferatur. Secundũ est, vt vnusquisq; ita suas resecet voluntates, ne se sapientẽ atq; consultũ esse iudicans, suis malit quàm fratris diffinitionibus obedire. Tertiũ est, vt sciat omnia etiam quæ vtilia, ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis & pacis. Quartum est, vt credat, nec iustis, nec iniustis de causis penitus irascendum. Quintum, vt aduersus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam eo modo quo suã curare desideret, sciens æqualiter sibi pernitiosam alterius esse tristitiam, ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est de fratris etiam mente depulerit.

Salustius in Iugurtha.

Quis est amicior, quàm frater fratri, aut quẽ alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris.

Horatius epist. libro 1. epist.3.

—At uos

Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia uexat
Indomita ceruice feros, ubicunq; locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

FRaus Græcè ἀπάτη, κϛ ἡ, ἀπατηλός cũ ὁ fraudulosus & fallax dicitur. Est autem fraus executio iniustitiæ in factis, secundum B. Thom. secunda secundæ q.55.art:5.

Fraus non potest esse sine dolo, sed bene dolus sine fraude. Ideo fraudi inest dolus sicut species generi, ex B. Tho.

Ibidem.

Fraus dicitur à ferendo & est deceptio quę alicui infertur, fraus pro periculo quandoq; ponitur. Virg. Quis Deus in fraudem, quæ dira potentia nostra, Egit. Inde fraudo as, & fraudor passiuum, & defraudo quod est fructum minuo, vel per fraudem aliquid decerpo. Terent. Suum defraudans ingenium comparsit miser.

Dauid Psal.30.

Erubescant impij, & deducantur in infernũ. Muta fiant labia dolosa.

Ecclesiast. capite 19.

Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.

Hierimias capite 6.

A propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciũt dolum.

Augustinus de Diffinitionib.

Fallacia est, per quam motibus deceptorijs veritas palliata, vel odium alterius, vel propriũ commodum intendit.

Aug. libro 3. Confeßionum.

Sunt qui seducunt per Philosophiã, magno, blando & honesto nomine colorantes & fucantes errores suos.

Hiero. in epist. ad Rusticum monachum.

Iudas de apostolatus fastigio in proditionis tartarum labitur, nec familiaritate communi, nec intinctione buccellæ, nec obsequij gratia frãgitur, ne hominem tradat, quem filium Dei nouerat.

Ambro. super illud Mat.26. Et oscul. est eum.

Instrumento pacis mortẽ irrogat, seruus dominum, discipulus magistrum sic prodit, quasi inquit, per instrumentũ pacis perimis ipsam pacem,

cem, de osculo machinaris ipsam proditionem.

Ambrosius libro de Virginibus.

Venena non dantur nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraque virtutum.

Gregor. super illud Iob. Verebar omnia opera mea.

Duo timenda sunt in bonis operibus, desidia & fraus.

Idem libro 9. Moral.

Sciendum quoque est, quòd tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc proculdubio aut tacta cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut res quælibet exterior desideratur.

Ibidem.

Solus in Dei opere fraudẽ non facit, qui cùm ad studia bonæ actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat.

Ibidem.

Dolosus aduersarius ferire simul nititur, & apertè sçuiens, & insidiosé latens, vt dũ occulta sagitta metuitur, minus ante faciem, hasta timeatur, vel dum ante faciem hastę resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur.

Isido. Sententiarum li. 2. & hab. 22. q. 5. cap. Quacunq;.

Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & nomen Dei inuanum assumit, & proximum dolo capit.

Isidorus in Synonimis.

Dolus est cùm aliud agitur, & aliud simulatur. Callidus est, qui exitũ virtutis dolo ac fraude imitatur.

Origines super episto. ad Roman lib. 4.

Dolus est, cùm aliud quis lingua loquitur, aliud volutat in corde, quod crimen, nescio, si vel nudos quosque & electos relinquat: sed puto quòd alius plus, alius minus, nemo tamen sit ab hoc perfectè liber, nisi ille de quo dicitur, qui peccatum nòn fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Bernardus super Cant.

Diuturna fraudatio studiorum est nutrix, suspitionum fomes, impatientiæ fax, nouerca amoris, desperationis mater.

Caßiodorus libro 5. epist.

Insperatum bonũ est, si is ad quem deceptionis pertinet periculum, sibi gratię procuret augmentum. Ius enim exigit, sagittas fraudis, redire in dolosum verticem sagittantis.

Seneca in Prouerbijs.

Fraus est accipere, quod non possis reddere. Repelli se homines facilius, quàm decipi ferũt.

Seneca in Tragœdijs.

Fraus sublimi regnat in aula.

Cicero libro 3. de Natura deorum.

Malitia est versutia & fallax ratio nocendi.

Idem Officior. libro 1.

Cùm duobus modis fiat iniuria, aut vi, aut fraude. Fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur, vtrunq; verò ab homine alienissimum. Totius autem iniustitiæ nulla est capitalior, quàm eorum, qui cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni videantur.

Cicero libro de Amicitia.

Maxima culpa est in eo, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur.

Laert. Diog. de uita & moribus Philoso.

Magis amicorum inuidiam, quàm inimicorũ insidias cauere debemus. Illud enim apertum, hoc cælatum est malum, nocendiq; fraus, quæ non speratur, potentior est.

Virgilius libro 6. Aeneid. loquens de inferno.

Hic quibus inuisi fratres dum uita manebat.
Pulsatúsue parens, & fraus innexa clienti
Aut qui diuitijs soli incubuêre repertis,
Nec partem posuêre suis, quæ maxima turba est.

Ouidius de Arte amandi lib. 1.

Tuta frequensq; uia est, per amici fallere nomen,
Tuta frequensq; licet sit uia, crimen habet.

Idem libro 3.

Reddite depositum, pietas sua fœdera seruet,
Fraus absit, uacuas cædis habete manus.

Catullus.

Nec fata impia fallacium hominum cælicolis placent.

Franciscus Petrar. trumipho amoris.

Che se prehende dilectio di far frode
Non se de lamentar saltrui linganna. id est.
Qui delectatur faciendis fraudibus
Stultè conqueritur, si se alter decipit.

Frons Græcè μέτωπον τὸ dicitur, & est pars faciei, quæ sub sincipite posita inter ipsum & oculos est, secundum Aristotelem libro 1. de Animalibus: diciturq; à ferendo, quòd indicia animi præ se ferat. Est enim tristitiæ, hilaritatis, clementię, sçueritatis indicium. Varro tamen illam partem potius vult à foraminibus oculorũ dici. Huius compositum bifrons, quod geminã frontem habet, & frontosus, quo nonnulli pro impudente vtuntur. Et est frons frondis noti significati, similiter à ferendo dicta, quoniam frondes arborum huc & illuc vento ferantur, frondes propriè tantum arborum sunt: herbarum verò, arborũ, & florum tam frondes quàm folia.

Frugalitas Græcè λιτότης ητος ἡ, & λιτὸς ὁ frugalis dicitur. Est autẽ frugalitas virtus, quę motus animi regit & sedat, moderatamq; in omni re nouit seruare constantiam. Suntq; frugi homines, quos Græci χρησίμους dicunt, qui in omni re motus animi moderantur.

Frugalitas virtus est media, inter prodigalitatem & auaritiam, cùm nec nimis parcè rebus vtimur, nec nimis luxuriosè. Est igitur moderata parsi-

tamque in omni re nouit seruare constantiam. Suntq; frugi homines, quos Græci χρυσίμους dicunt, qui in omni re motus animi moderantur.

Frugalitas virtus est media, inter prodigalitatem & auaritiam, cùm nec nimis parcè rebus vtimur, nec nimis luxuriosè. Est igitur moderata parsimonia cibi & potus. Hinc frugaliter aduerbium temporatè, modestè. Dicuntur autem hæc omnia à frux nominatiuo pro fruge. Varro: Frux legumẽ triticum. Hinc frugi indeclinabile nomẽ. Suntq; frugi, de quibus suprà. Hinc etiam frumentum quasi frugamentũ, & fruor quasi ex vsu frugum delectationem capio. Vnde fruitio, de qua infrà.

Fruitio Græcè ἀπόλαυσις ιος ἡ, & ἀπολάυω fruor dicit. Fruor & vtor differũt, quòd fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationẽ quã aliquis habet de vltimo expectato, quod est finis, secundum B. Tho. prima secundę q. 11. artic. 1. Vti verò si cum homine iungatur conuersari est. Si verò cum alijs iungitur, est vsum habere. Martialis: Vtere lactucis & mollibus vtere maluis. Hinc vsus fit, quod interdum significationem vtendi habet. Interdum consuetudinem cõuersationemq;, aliquando pro opus est. Hinc vtilitas, pro qua nonnunquam vsum ponimus & vtiliter aduerbium. Item apud Iurisconsultos vsufructus dicitur, cùm res aliqua non nostra est, sed perinde ex ea fructum atq; vtilitatẽ capimus, ac si nostra esset, diffiniturq; ab Vlpiano, vt infrà in dictione Vsufructus.

Fucatio à fucus venit. Fucus verò Græcè φῦκος ου τὸ, & φυκιόω fuco dicitur. Et est species fictionis ad mẽtiendum pulchritudinem, ideo semper est peccatum. Sed non est mortale, nisi fiat ad lasciuiam vel contemptum Dei. Tamen licet occultare turpitudinem causatam ex infirmitate vel ex alia causa accidẽtali ex B. Tho. secunda secundæ q. 189. art. 2. Deberet scribi per ph apud nos, cùm Grǽca dictio sit, licèt consuescat à nonnullis per f scribi.

Fundamentũ Grǽcè θεμέλιον ου τὸ dicitur, & venit à fundũ, di, quod propriè est vniuscuiusq; rei, quæ aliquid in se liquoris cõtineat, vel ad continendũ facta, vt dolij, nauis, aluei fluminis lacus maris. Hinc aduerbiũ funditus, hoc est, à fundo. Et profundus, quod propriè imũ significat, vt profundũ mare dictum, quod porro habeat fundum. Aliquando etiam pro alto. Virg. Terras cælumq; profundum. Quippe ferant rapidi secum. Profundè, profunditas, profundissimus profundissimè hinc sunt.

Furor Græcè ὀργή ῆς ἡ, vel σχολὸς οῦ ὁ dicitur. Et est ira accensa, non differens re ab ira, sed secundum magis & minus, B. Tho. super Psal. 36. col. 6.

FVrtum Græcè κλόπη ῆς ἡ, & κλεπ͂ης ου ὁ, fur dicitur. Et est occulta acceptio rei alienæ, secundum B. Tho. secunda secundę q. 66. art. 3.

Furtum est minus graue quàm rapina dupliciter. Primò, quia inuolũtarium per vim est maius, quàm per ignorantiam. Secundò, quia rapina est in re, & in persona: furtum verò in re tantùm, secundum B. Tho. ibidem art. 9.

Furtum secundum legistas ff. de fur. l. 1. Est cõtrectatio rei alienæ mobilis, & corporis fraudulosa, inuito domino, lucri faciendi gratia, siue ipsius rei, siue vsus rei, siue possessionis. Differt aũt fur ab abigeo, quia fur generale nomẽ est, Abigeus speciale. Quid aũt abigeus siue abactor sit, vide suprà in Abactor. Dicitur aũt furtum, à fur, fur verò à furuum, quod veteres atrum dicebant, vnde furio, fuligo. Furtum præterea interdum significat adulterium. Ouidius Hæc tibi nempe patrem furta dedere Iouem, quod adulteria sicuti & latrocinia furtim, hoc est, clam soleant perpetrari.

Exodi capite 20.

Non furtum facies.

Ibidem capite 21.

Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte moriatur.

Leuitici 19.

Non facies furtum.

Deuterono. 5.

Furtumq; non facies.

Tobias cap. 2.

Non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

Esaias. capite 33.

Vę qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?

Paulus ad Ephe. capite 4.

Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonũ est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

Augustinus in serm. de decem plagis.

Nemo habet iniustum lucrũ sine iusto damno, verbi gratia: Qui furatur, acquirit vestem. sed perdit fidem, vbi lucrum ibi damnum, lucrum in arca, damnum in conscientia.

Hieron. & hab. 12. q. 2. ca. Glori. episcop. §. Amico.

Amico rapere quippiã furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegiũ est, accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis illud reseruare, vel cautum vel timidum est: aut quod apertissimi sceleris est, exinde aliquid subtrahere, omnium prædonũ crudelitatem superat.

Seneca ad Lucilium.

Nulli verò etiam cui rapina cessit feliciter, gaudium rectè durauit in posterum.

Seneca in Prouerbijs.

Alienum nobis, nostrum plus alijs placet.

Ibidem.

Alienum æs, homini ingenuo acerba est seruitus.

Aristoteles libro 2. Rhetoricorum.

Omnis fur malignus est.

Cicero Officiorum libro 3. cap. 3.

Detrahere aliquid alteri, & alterius incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam quàm mors, quàm dolor, & cætera quæ possunt corpori accidere.

Ibidem.

Si vnusquisq; rapit ad se commoda aliorum, & distrahit quæ potest, emolumenti sui gratia, societas & communitas hominum euertitur.

Salustius in Iugurtha.

Oportunitas & iam mediocres viros spe prędæ transuersos agit.

Iulius Cæsar.

Ex pecuniæ cupiditate factiones dissensionesq; nascuntur. Nam & prædæ cupiditas multos longius euocat.

Phocylides.

Φωρῶν μὴ δεξῇ κλοπίμην ἀνδρῶν παραθήκην,
ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας. id est
A furibus ne suscipias furtiuum uiris depositum.
Ambo enim fures, & qui recipit, & qui furatus est.

Plautus in Pœnulo.

Malè partum, malè disperit.

Catullus in Epithalamio.

Nocte latent fures.

Iuuenalis satyra 3.

—Me nemo ministro
Fur erit.

Futurum Græcè μέλλων ὄντος τὸ dicitur. Et est quod nondum aduenit, cùm aduenturum sit.

Actuum Apostolorum cap. 1.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta quę pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; in vltimum terræ.

Menander.

Θνητὸς πεφυκὼς τ' οὐπίσω πειρῶ βλέπειν. id est:
Mortalis natus, in futurum conare inspicere.

Idem.

Μένει δὲ ἑκάστῳ τοῦθ' ὅπερ μέλλει παθεῖν. id est:
Imminet autem unicuiq; hoc quod debet pati.

Idem.

Μή μοι γένοιθ' ἃ βούλομ', ἀλλ' ἃ συμφέρει id est:
Ne mihi fiant quæ uolo, sed quæ conducant.

Idem.

οὐδεὶς τὸ μέλλον ἀσφαλῶς βουλεύεται. id est:
Nullus de futuro tutò deliberat.

GAudium Grecè χαρὰ ᾶς ἡ, vel χάρμα ατος τὸ, vel χαρμονὴ ῆς ἡ dicitur, & χαίρω gaudeo. Et est gaudium passio concupiscibilis proueniens ex perfectionis appetitę coniunctione, secundum interiorem apprehensionem sensus vel intellectus, secundum Beatum Thomam 4. Sententia. distictione 49. quæstione 3. articulo 1.

Vel sic:

Gaudium est affectio animi, alicuius præsentis boni opinione concepta, à quo gaudeo verbum. Sunt qui velint gaudium à verbo Græco deduci, illi enim γαυρὸν superbum dicunt. Differunt autem sic gaudeo & lætor, quòd lætari est extrinsecus, gaudere verò intrinsecus, quare propriè lætus is dicitur, qui hilaritatem, quam intùs habet, etiam vultu ostendit.

Gaudere & gratulari differunt, vt placet Donato super Terentio, quia gaudemus nobis, gratulamur alijs, vel gaudemus nostris, gratulamur alienis.

Prouerbiorum cap. 15.

Cor gaudens exhilarat faciem, mœrore animi deijcitur spiritus. Animus gaudens ætatem floridam facit. Spiritus tristis exiccat ossa.

Augustinus libro 9. Confessionum.

Est gaudium quod non datur impijs, sed ijs qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita, gaudere te propter te, ipsa est & non est altera.

Augustinus super Psalm. 52.

Temporalibus gaudet qui bona æterna non norunt desiderare.

Idem super Ioannem.

Comparemus gaudia veritatis cum gaudio vanitatis, & si honoremus, doleamus, & si dolemus, oremus, si oramus, exaudimur, si exaudimur, & illos lucramur.

Augustinus de Conflictu uitiorum & uirtutum.

Inepta lætitia dicit, vt quid animi gaudium intùs abscondis? Ingredere in publicum, lætus dic aliquid foris, vnde vel tu, vel proximi rideant, fac eos lætos tua lætitia.

Hieronymus super Esaiam.

Animi lætitia interdū corporis dolores mitigat, quod si ad ægrotationem corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas.

Gregorius libro 12 Moralium.

Dignum est itaq;, vt in se semper homo mœrores inueniat, qui derelicto errore gaudium in se quærebat.

Idem libro 20. Moralium.

Sępe à disciplinę metu resoluimus subditos, si nostro regimini hilaritatis fræna relaxamus, quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audaciùs ipsi ad illicita resoluuntur.

Idem Moralium libro 24.

Iubilum dicitur, quando ineffabile gaudium mēte concipitur, quod quia nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri, tamen quibusdam proditur motibus, quamuis nullis proprietatibus exprimatur.

Idem Moralium libro 28.

Iubilatio dicitur cùm cordis lætitia oris efficacia non expletur, sed quibusdam modis gau-

dium prodit, quod ipse qui gaudet, nec regere præualet, nec explere.

Ibidem.

Solet lætitia arcana mentis aperire, atq; aperiendo amittere: aduersa verò cùm nos exterius deprimunt, interius cautiores reddunt.

Boetius de Consolatione lib. 1. metro ult.

Tu quoq; si uis | *Pelle timorem,*
Lumine claro | *Spemq; fugato,*
Cernere uerum, | *Nec dolor adsit*
Tramite recto | *Nubila mens est,*
Carpere callem, | *Vinctaq; frenis,*
Gaudia pelle, | *Hæc ubi regnãt.*

Seneca in epistola 60.

Dicimus nos magnum gaudiũ ex illius consulatu percepisse, quod non est gaudium, sed sępe initium futuræ tristitiæ. Gaudio enim iunctum est, non desinere, nec in cõtrarium verti. Et post multa omnes tendũt ad gaudiũ sed vnde stabile & magnum consequantur ignorant. Ille ex cõuiuijs & luxuria, ille ex ambitione & circunfusa clientũ turba, ille ex amica, alius ex studiorũ liberalium vana ostentatione, & nihil sanantib. literis. Omnes istos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt, sicut ebrietas quæ vnius horę hilarẽ insaniã lõgi tẽporis tędio pẽsat

Seneca in Prouerbijs

Malum alienum tuum ne feceris gaudium.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Dum fata sinunt uiuite læti,
Properat cursu uita citato.
Volucriq; die rota præcipitis
Vertitur anni.

Caßiodorus libro 4. epist.

Nouum est sub amore Principis custodire molestiam, quæ tam clara quàm rara est, quia gaudia semper animos inquietãt, modus enim rarò lętis rebus interuenit.

Cæsarius in Admonitione 2.

Verum gaudium non possidetur, nisi pax & iustitia teneatur: prima enim est & quasi radix iustitia, secunda pax, tertia gaudium. De iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur.

Hugo libro 3. de Anima.

Vis nunquam esse tristis? bene viue, bona vita semper gaudium habet.

Cicero Tuscul. quæst. libro 4.

Gestiens lætitia turpis est, vt si ridere concessum sit, vituperatur tamen cachinnatio.

Ibidem.

Et vt nimis afflicti molestia, sic animi elati lętitia iure iudicantur leues.

Ibidem.

Atq; vt confidere decet, timere non decet: sic gaudere decet, lætari non decet.

Ouidius Metamorph. libro 2. fabula 24.

—Vsq; adeo nulla est sincera uoluptas,
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.

Ouidius epist. Hero. ad Leandrum.

Longa mora est nobis omnis quæ gaudia differt.

Martialis epigram. libro 1. ad Iulium.

Exspectant curæq; catenatiq; labores.
Gaudia non remeant, sed fugitiua uolant.
Hæc utraq; manu complexuq; asscre uoto,
Sæpe fluunt imo sic quoq; lapsa sinu.
Non est (crede mihi) sapientis dicere, uiuam:
Sera nimis uita est crastinum uiue hodie.

Gazophylacium dictio est composita ex Persico & Græco. Persico quidem vt Gaza, quæ apud nos opes significat, & φυλάττω custodio. Et est arca, siue quiuis alius locus, in quo preciosior supellex conseruatur.

Genealogia est generationis series. Componiturq; ἐκ τῆς γενέας, id est, generatione, & λόγȣ sermone.

Generatio Gręcè γεννητή, ῆς, ἡ, & γεννάω genero dicitur. Est aũt generatio mutatio ex non ente in ens, secundum Arist. lib. de ge. & cor. vel sic:

Generatio est mutatio huius totius in hoc totum, nullo sensibili manente eodem vt subiecto, secundum eundem.

Generatiua potentia est actiua, & est in patre perfectè, in matre verò imperfectè, secundum B. Tho. 3. parte q. 32. art. 4.

Genitum est, quod est ens, contingens prius non esse, secundum Arist. lib. 1. de cælo & mundo. Dicitur autem genitus à gigno, & non à genero, & conuenit animatis tantum, secundum B. Tho. 3. Sent. dist. 8. q. 1. art. 1.

Generosus Græcè ἐυγενής, έος. ὁ. ἡ, ita differt à nobili, quòd nobile est id, quod ex bono prodijt genere. Generosum quod non à sui natura degenerauit, secundum Aristotelem libro 1. de Animalibus.

Generosus est præclaro genere natus, vnde generositas, hoc est, nobilitas, & generosè nobiliter.

Genus Græcè γένος, εος, τὸ. dicitur. Et est quod prędicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, vt animal prædicatur de homine & asino, quæ specie differunt, secundum Aristotelem libro Prædicam.

Genus multis modis dicitur. Est enim propriè principium vniuscuiusque generationis, vel ab eo qui genuit, vel à loco in quo genitus est, vt Orestes à Tantalo ducit genus. Ouid. Et genus à magno ducẽtem forte Gradiuo. Et Plato est Atheniensis genere. Patria enim generationis principium cuicunq; est, quemadmodũ & parentes. Hinc per metaphoram multitudo dicitur genus, vt Romanorum genus. Et est genus cui supponitur species vt suprà diffinitũ, quod sit quasi principium sub se positarũ specierũ. Genus item vocamus esse per quod alicuius rei qualitas declaratur, vt genus mortis,

genus vitæ, genus exempli, genus marmoris, genus coloris, genus vestis. Virgilius: Quod genus hoc hominum. A genus fit generatim, hoc est, per singula genera.

GEometria dictio est Græca composita, ex γέας quod est terræ, & μέζον mẽsura, & est terræ mensura. Qui verò huius artis peritiam habet geometra, geometer, geometres dicitur. Iuuenalis: Grammaticus, rhetor, geometra, pictor, aliptes, Augur, schœnobares, medicus, magus omnia nouit. Ita enim legendum arbitror, non geometer, nec geometres, vt aliqui præcepêre. Quoniam apud Græcos γεωμέζης ου ὁ geometra dicitur. Quod cùm per ω scribatur necessariò illud o longatur. Terra autem ab illis modò γῆ ῆς ἡ, modò γέα ας ἡ, modò γαῖα ας ἡ, scribitur. Itaque geometra habebit primam syllabam longam diphthongo. Ita & γαίης longa ferè Homero & Phocylidi. Homerus enim ait in Odissea δυτοι ἐγὼ γαίης

Παζώης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Phocylides.

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντα πρὸς αὐτήν.

Nec negamus ge in compositione à Græcis nonnunquam breuiari. Verùm dicimus ω breuiari non posse.

Gingiuæ à gignendis dentibus dicuntur secundum Lactantium libro de opificio Dei.

Glacies Græcè κρύσαλλος ου ὁ, & κρυσαλλόδης εος ὁ ἡ glacialis dicitur. Et est coagulatio frigidi & humidi, secundum Aristotelem libro 1. de generatione & corruptione.

Dicitur autẽ glacies quasi gelacies, vnde glacior verbũ, hoc est, in glaciem astringor, & glacialis quod glaciari, hoc est, in glaciem astringi potest. Iuuenalis: Et glacialem oceanum.

GLoria Græcè δόξα ης ἡ, & δοξαλογέω glorifico, ἔνδοξος ου ὁ gloriosus dicitur. Est frequẽs de aliquo fama cum laude, secundum Ciceronem in Rhetoricis.

Gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum, secundum Ciceron. in oratione pro M. Marcello.

Gloria est clara notitia cum laude, secundum Ambrosium super Epistola ad Romanos.

Paulus ad Corinthios 2. cap. 1.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

Ioannes Chrysostomus hom. 4.

Si gloriari cupis, gloriam despice, & omnibus gloriosus eris.

Boëtius de Consolat. libro 3. prosa 6.

Gloria verò quàm fallax sæpe, quàm turpis est? Vnde non iniuria Tragicus exclamat: O gloria gloria, in millibus mortalium nihil aliud facta, nisi aurium inflatio magna: plures enim magnum sæpe nomẽ falsis vulgi opinionibus abstulerunt. Quo quid turpius excogitari potest. Nam quę falsò prędicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Quæ si etiam meritis conquisitæ sint, quid tamen sapientis adiecerunt conscientię, qui bonum suum non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur.

Cassiodorus libro 1. epistola 23.

Laborem quippe non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit.

Idem libro 1. epistola 3.

Crescere virtutes solẽt ad pręconij fastigium.

M. Cicero in Paradoxis.

Neque est enim vllum bonum, de quo is qui habeat, nõ possit honestè gloriari.

Franciscus Petrarcha de remedijs prosperæ fortunæ.

Gaudeo, inueni magnam gloriam. Respondeo. Magna in exiguo qualiter explicẽtur non intelligo. Si temporum, si locorum angustias metiare, magnam hîc gloriam esse non posse fateberis. Nam & liquidò cernitur, quæ nam sit hæc mortalis atq; terrenæ gloriæ magnitudo: si tamen fulgens & digna sit tibi gloria, gaude non quod habeas, sed quod meruisti.

Qu. Curtius de gestis Alexandri libro 8.

Quis neget eximiam quoq; gloriam, sæpius fortunæ quàm virtutis esse beneficium.

Valerius Maximus libro 8.

Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tãgatur, illa verò claris viris interdum ex humilibus rebus petita est.

Salustius in Iugurtha.

Meminisse debemus post gloriam inuidiam sequi.

Ibidem.

Difficilè est inuidiam gloria vincere.

Ouidius Metamorphoseôn libro 11. fabula 8.

An obest quoq; gloria multis.

Martialis libro 5 Epigrammatum ad Regulum.

Vos tamen ô nostri non festinate libelli,
Si post fata uenit gloria non propero.

Tibullus libro 4.

Nil opus inuidia est, procùl absit gloria uulgi,
Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu.

Aristoteles libro Ethicorum 4.

GLoria est maximum bonorum externorũ, virtutis merces, quæ bonis viris tribuitur. AMA TIVS

Lodouicus Viues libro 3. de Anima.

Honor non est, sicut Aristote. existimauit, & eum pleriq; Gentiles secuti (preciũ virtutis) sed testificatio, qua testamur nos sentire atq; existimare, virtutẽ in illo inesse quem honoramus.

Ouidius in epistolis Heroinis.

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria, simplicitas digna fauore fuit.

Idem.

Excitat auditor studium, laudataq; uirtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Beroaldus in commen. in Quæ. Tuscul. librum 1.

Gloria virtutem sequitur, vt corpus vmbra, ne scilicet diuelli, disiungiq; vllo modo posit.

Cicero libro 1. Tusculanarum Quæstio.

Quare si ipsa ratio minus perficiet, vt mortem negligere possimus: at vita acta perficiat, vt satis superque vixisse videamur. Quanquam autem sensus abierit, tamen summis & proprijs bonis & laudis & gloriæ, quamuis non sentiant mortui, non carent: Etsi enim nihil in se habeat gloria cur expetatur, tamen virtutem tanquam vmbram sequitur.

Valerius Maximus libro 2.

Gloria virtutis vberrimum est alimentum.

Cicero 1. Tusculanarum Quæstionum.

Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studium gloriæ, iacētq; ea semper, quæ apud quosque improbantur.

Idem libro 2.

Sæpe multi, qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ amorem, aut etiam vt ius suum & libertatem tenerent, vulnera exceperunt, fortiter & tulerunt.

Beroaldus in libello de Felicitate.

Gloria est fax mentis, quæ sola animos mortalium perurit, inflammatq; ad magna capescenda, ad pericula intrepidè subeunda, in tantum, vt viri magni excellentia animi prestantes summum bonorum in gloria collocauerint: ad gloriam perinde ad metam actiones suas omnes direxerint: Deniq; pro gloria mori nō recusarint.

Cicero libro 3. Tusculanarum Quæstionum.

Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute: Ea virtuti resonat, tanquam imago gloriæ: quia quæ rectè factorum plerunque comes est, non ea à bonis viris repudianda: Illa autem quæ se eius imitatricem esse vult, temeraria atq; inconsiderata, & plerunq; peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis, simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit.

Beroaldus in Comment. ibidem.

Duplex est gloria. Altera adumbrata, & ex populari rumore progenita propagatáq;, quæ nec iudicio peruenit, nec firma perdurat, quam veluti vitium sapiens minimè expetit: Altera est solida, vera ac durabilis, quę ex consensu bonorum producitur. Sicut enim consuetudo sermonis consensus est eruditorum, vt ait Quintilianus: sic consentiens laus bonorum gloria appellatur: quam D. Augustinus dixit esse iudiciū hominum bene de hominibus opinantium, hęc autem bonis viris non est contemnenda: Quum tamen sapiens, non gloria, sed conscientia rectè factorum virtutem metiatur. Cicero scripsit de gloria, sed illi, vt pleriq; alij, temporum calamitate desiderantur. Inter gloriam & claritatem hoc interest: quòd gloria multorū iudicijs constat, claritas autem bonorum. Author est Seneca libro Epistolarum moralium 18.

Ouidius 4. Tristium libro.

Ardua per præceps gloria uadit iter.

Senarius.

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε. id est:
Bene audias malim, quàm fias ditior.

Ouidius.

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intrà
Fortunam debet quisq; manere suam.

Beroaldus in comment. in lib. 3. Tuscula. Quæst.

Tutior interdum & beatior est vita ingloria; quàm gloriosa. Hinc illud votum Tragici Poëtę: *Me tellus lare secreto tutoq; tegat.*

Apud Virgilium, mauult ille mutas agitare inglorias arteis: Quidam vitam inhonoratam putant esse supplicium: inde fit vt ambiant, rogent, supplicēt, iniurias & contumelias non paucas perferant, vt ad honores cupitos exambitosque aliquando perueniant. Hinc à Cypriano dictum est verè ac decenter: Fascibus ille oblectatus & honoribus, esse priuatus & inglorius non potest: hic stipatus clientum cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatis pœnā putat esse, cùm solus est. Grauis sententia Cypriani.

Cicero in Officijs.

Vix inuenitur, qui laboribus susceptis periculisq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

Ibidem.

Cauenda est etiam gloriæ cupiditas: Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.

Laërtius Diogenes.

Cato Marcus Portius, vir tantæ constantiæ fuit, vt gloriæ eius nullus vnquā laudando profuerit, nec vituperando nocuerit: hic licèt gentilis, humanam tamen gloriam fugiebat. Sed vt de illo scribit Salustius: quò minus appetebat gloriam, eò magis eum gloria sequebatur.

Laërtius.

Plancus Numatius discipulus Ciceronis, Orator insignis, dicere solitus est, vt si quis iure honorem sibi deferri velit, inter miseros ei viuendum esse. Alij Plato tribuūt.

Petrar. de Remedijs memorabilib. li. 2. Tra. secundi ca. 43.

Africanus Scipio apud Ciceronem laudat in primis illud Xenophontis, qui dixerit, eosdem labores Imperatori faciliores multò esse, quàm militi: ex eo, quod præsentem molestiam venturæ spes gloriæ soletur ac minuat. Atq; illud non tantum in re militari, sed in reliquis omnibus locū habet, latissimeq; patet. Neq; enim frustra princeps oratorum ait: Honos alit artes, omnesque incendimur ad studium gloriæ, laudis: & nostrorum non secundus Poëtarum: Gloria immensum calcar habet.

Senarius Iambus.

Ζήτει σαυτῷ δόξαν ἐγκαταλιπεῖν. id est:
Ad posteros tuam transmitte gloriam

Senarius.

Κενῆς ἢ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον, id est:
Vana est, puto ærumnosius nil gloriâ.

Petrarcha de remedijs prosperæ fortunæ, dialogo 92.

Gloria vera nisi bonis artibus non quæritur: vnde tibi partum nomen vide: sic intelliges, an gloria vera sit, famam si casus dedit eripiet.

Idem.

Gaudeo. Multum est gloriæ. Ratio. Caue, ne, quam gloriam veram putas, imago falsa sit glorię. In rebus hominum multa regnat illusio.

Socrates de Regno.

Verisimos honores esse puta, non qui ex metu palàm tibi habentur, sed cùm soli sunt, si prudétiam tuam plusquam fortunam tui ciues admirentur.

Idem Patrarcha.

Gaud. Multum est glorię. Ratio. Vt nemo pauper magnæ pecuniæ famam quærit, vt nisi fallat: Sic nemo ignauus magnæ virtutis opinionem. Vterque tamen sibi conscius, quicquid de se alij loquantur, quantum vel pecunię in arcusa, vel virtutis in animo sit.

Idem.

G. Insignis est gloria. R. Si ex merito, modestè vtere, ne superbię illi notam applicueris: Sin minus, fac ne diu populum fallas.

Vel mereri stude, vel graue non tuum indumentum exue. Inglorium esse pręstiterit, quàm mendacio gloriosum. Vera etiam gloria cum labore seruatur, quid de falsa gloria speres? Quũ omnis fictio difficilis sit, tum difficillima est, quam multi vndiq; obseruãt. Rari nempe sunt gloriosi, hos propter dissimilitudinem obscurum atq; iuuidum vulgus obseruat: Graue est inter tot hostiũ insidias latere, præstringere omnium oculos non potes, in te tanto studio defixos, λάθε βιώσας, id est: falle viuens. In fortuna humili vita felicior est illis, qui obscurè viuunt à publicis negocijs semoti, vt cùm vita secessissent, nemo illos vixisse sentiat.

Idem.

G. Gloriosus appareo. R. Melius forsitã lateres, & certè tutius. Hoc grauiter dixit is, qui multa leuiter. Bene qui latuit, bene vixit. Nec vixit malè, qui natus moriensq; fefellit. (Ouidius in Trist.)

Idem.

G. Clarus lateq; notus sum, longeque conspicuus. R. Liuor abdita penetrat rimaturque, putas conspecta prætereat? Quid quòd pauci sint, quib. expediat apparere & conspici: Pauci quorum famæ non noceat ad plenum nosci. Notissimum Claudiani dictum: Minuit præsentia famam: quantò magis illam minuit notitia? Ra- (Liuor abdita penetrat)

rò sunt homines, quod videntur. G. Gloriosus videor. R. Caua nube circumdatus delitescis: si parumper emerseris, quò plus gloriæ falsæ fuit, eò verè plus erit infamiæ. G. At gloria vera est. R. Id nemo te melius nouit: Ita demum si externi iudicis incorruptum animũ tuis in rebus assumpseris. Gloria quidem, vt sapientibus placet, quasi quædam vmbra virtutis est: illam comitatur, illam sequitur, quandoque etiam antecedit. Laus sapienti vtilis, stulto nocet. Ex his vides, vmbram per seipsam esse non posse, rei cuiuspiam sit oportet. Vis igitur gloriam veram esse, fac vt vera & solida virtus sit. (Gloria virtu: quasi vmbra.) (Isocra- tes in epi- stola ad Thimo- teum.)

Diogenes Laertius libro quarto de uitis Philosophorum, in Bione.

Bion Borysthenites solitus est dicere: Gloriã amorum esse matrem: Pulchritudinem, alienũ bonum.

EX CHRIIS ARISTOTELIS.

Stobæus in collectaneis.

Tassus Hermoneus nullam gloriam diligebat pro qua non laborasset. Δόξης οὐδεμίας ὤρα ἧς οὐκ ἐξεπονεῖτο.

Isocrates ad Demonicum.

Gloriam sic facillimè consequeris, si ipse vitare conspiciaris, ea quæ facta ab alijs reprehenderes.

GLoria ęterna δόξα ας ἡ, vel κλέος ἔσος τὸ, & αἰώνιος ου ὁ ęternus dicitur. Gloria æterna quam sancti habét, est magna quintupliciter. Est enim intensa, æterna, extensa, perfecta & integra, ex B. Tho. super Esa. capite 34. in fine.

Esdre 3. capite 8.

Hoc seculum fecit altissimus propter multos: futurum autem propter paucos.

Dauid Psal. 23.

Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animã suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Dauid Psal. 43.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.

Dauid Psal. 149.

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Esaiæ capite 33.

Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.

Baruch capite 3.

O Israël quàm magna est domus Dei, & ingẽs locus

locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem excelsus & immensus.

Matthæus cap.13.

Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.

Ioannes cap 17.

Hæc autem est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

Paulus ad Romanos cap.8.

Existimo enim quod non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis.

Idem cap.11.

O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehēsibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Paulus ad Corinthios 1.cap.2.

Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.

Idem ad Corinthios 2.cap.4.

Quæ enim videntur temporalia sunt, quę autem non videntur æterna sunt.

Paulus ad Corinthios cap.2.

Scimus enim quoniam terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cælis.

Augustinus de Misericordia libro 1.cap.1.

Ex parte cognoscimus quamdiu in hoc seculo sumus, sed si ad illam lucem patris luminum veniemus, nihil in creaturis erit, quod nesciamus.

Augustinus ad Orosium q.26.

Plus videtur in Deo creatura, quàm in seipsa videatur. Plus in arte qua factum est, quàm in seipsa quæ facta est.

Augustinus de Trinitate lib.1.cap.2.

Summum bonum non nisi mentibus purgatissimis cernitur. Mentis enim humanæ acies inualida, in tam excellēti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur.

Augustinus super Genesin ad literam.

Lætitia bonæ conscientiæ paradysus est, vnde & ecclesia in sanctis temperatur, & piè, & iustè viuentibus paradysus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum.

Augustinus de uerbis Domini sermone 12.

Hoc opus est bonum, quod non potes inuitus amittere. Potes aurum amittere, etiam nolēs: potes deinde honores, & etiam ipsam salutem amittere. Bonum verò, quod verè bonum est, nec inuitus accipis, nec inuitus amittis.

Augustinus libro 21.de ciuitate Dei.

Ibi quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur, quod non aderit. Omne quod ibi erit, & quod est, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit, omninò beatissimū. Ita semper fore certum erit. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus. Amabimus & laudabimus esse, quod erit in fine sine fine.

Ibidem.

Quod Deus præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur. Desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest.

Augustinus libro 22.de ciuitate Dei.

Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli defertur indigno, sed nec eum ambiet nullus indignus, vbi nullus permittetur esse, nisi dignus. Vera pax, vbi nihil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, is qui seipsum, quo melius & maius nihil esse posit, promisit. Quid est enim aliud, quàm quod per Prophetam dixit: Ego illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, vbi ego ero vnde satientur. Ego ero quæcunq; ab hominibus desiderantur honestè, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus: vt sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hic munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus, sicut vita communis.

Augustinus de Symbolo libro 3.

Facilius possumus dicere in illa vita æterna quid ibi non sit, quàm quid ibi sit: Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia.

Augustinus super isto Psalm.

Beati immaculati in via, tāquam diceret: scio quid velis, quæris beatitudinem: si ergo vis esse beatus, esto immaculatus.

Augustinus super Psalm.49.

Hęreditas inquam (qua Christi cohæredes sumus) non minuitur copia possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.

Ibidem.

Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantū emit Zachæus dando medium patrimonium. Regnū Dei tantum valet, quantum habueris.

Augustinus super Ioannem homilia 3.

Talis erit illa delectatio pulchritudinis, vt semper tibi præsens sit, & nunquā satieris: imò semper satieris, & nunquam satieris. Si enim dixero

quòd nunquam satiaberis, fames erit. Si dixero quòd satiaberis, tunc tibi nec fastidiū erit, nec fames. Quid dicā, nescio, sed Deus habet quod exhibeat.

Augustinus super Ioan.

Non erit aliqua inuidia disparis claritatis, quoniā regnabit in omnibus vnitas charitatis.

Augustinus super Ioannem homilia, Ego sum pastor bonus.

Ibi hymnidici angelorum chori. Ibi societas ciuium supernorum. Ibi dulcis solennitas à peregrinatione huius tristi labore redeuntium. Ibi festiuitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube.

Aug. sup. illud Ioan. Hæc est uita æterna, ut &c.

Infelix qui omnia nouit, & te nescit: qui autem te & illa nouit, non propter illa beatus, sed propter te solùm.

Augustinus in epistola.

Diuitię si diliguntur, ibi seruentur, vbi perire non possunt. Honor si diligitur, illic habeatur, vbi nemo indignus honoretur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, vbi adepta nihil timetur. Vita si diligitur, ibi acquiratur, vbi nulla morte finitur.

Augustinus ad Diascorum.

Tanto illud quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color: nec auris audiuit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascēdit, quia cor hominis non debet illuc ascendere, sumemus capacius, quāto illud & fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius.

Augustinus de spiritu & anima.

Ecce venale est regnum Dei. Eme si vis, nec multū existima de re magna propter pretij magnitudinem, tantum valet quantum habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis, res ista tibi valet tantum quantum es: tu te da, & habebis illam. Sed malus sum inquies, & fortè me non accipit: dando te illi, bonus eris.

Augu. de fide & operibus.

Regnum cęlorum vim patitur, ideo, quia reatus quòd litera sine spiritu iubendo faciebat, credendo soluitur, & violentia spiritus sancti impetratur.

August. de spiritu & litera.

Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius? viuere, Deo viuere de Deo.

Augu. de uerbis Domini serm. 32.

Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus: nam vnusquisque hic & in domo sua hospes est. Alioquin si non esset hospes, non inde transiret, si autem transiturus est, velit nolit hospes est. Si dimittit illam domum filijs, hospes hospitibus dimittit.

Ibidem sermone 13.

Diuitię corporales paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus. Quales enim diuitiæ sunt, propter quas latronē times, propter quas times seruum tuum, ne te occiso auferat & fugiat. Si veræ diuitię essent, securitatem tibi pręstarent. Illæ ergo veræ diuitiæ sunt, quas cùm habemus, perdere non possumus.

Aug. super Ezechielem homilia 10.

Mentem quam spiritus sanctus replet, in amaritudine temporalium, & æternorum delectatione commouet. Dulce etiam est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cęlestibus gaudia nulla gustauit, & quantò minus æterna intelligit, tantò delectabilius in temporalibus requiescit.

August. ult. de ciuitate Dei.

Quāta erit felicitas? vbi nullum erit malum, nullum deerit bonum.

Ibidem.

Perfectè vacabimus, perfectè videbimus, quia ipse est Deus, qui est finis ętatum & dierū, & ipse est finis omnium desideriorum, qui sine fine videbitur, sine fatigatione laudabitur.

Hieronymus super illud Psal. Beatus uir qui non abijt in consilio.

Beatus vir, qui non cogitauit, nec fecit, nec docuit mala: non stetit, non perseuerauit in delicto: sed per pœnitentiam ad meliora conuersus est.

Hieron. super Psal. 68.

Regnum cælorum non est dantis, sed accipientis: non est enim personarū acceptio apud Deum, sed quicunq; se talem præbuerit, vt regno cęlorum dignus fiat, hic accipiet, quod nō personæ, sed vitæ parum est.

Gregorius libro 4. Moralium.

Quoniam electus in hac vita est dilectio operum, in alio quoq; vita erit proculdubio dignitatum discretio, vt qui hic alius alium superat, illic alius aliū retributione transcendat: & quāuis illa retributione dignitas eadem non sit, vna tamen omnibus vita beatitudinis erit.

Gregorius libro 4. Dialogor.

In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si enim dispar retributio in illa beatitudine æterna non esset, vna potius mansio quàm multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines, propter meritorū consortium communiter lætantur, & tamen vnum denariū omnes laborantes accipiunt, quæ in multis mansionibus distinguuntur, quia & vna beatitudo, quā illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, quam per opera diuersi sequuntur.

Gregorius super Ezechielem homilia 8.

Quantalibet intentione se humana mens tetenderit, etiam si phantasias imaginum corporalium à cogitatione cōpescat: si omnes circunscriptos spiritus ab oculis cordis amoueat: adhuc

huc tamen in carne mortali posita, videre gloriam Dei non valet, sicut est; sed quicquid de illa est, quod in mente resplendet, similitudo & non ipsa est.

Grego. in hom. & Aug. in Enchirid.

Temporalis vita æternæ vitæ cōparata mors est dicenda potius, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernę ciuitatis quanta sint gaudia, angelorũ choris interesse, cum beatissimis spiritibus, gloriæ conditoris assistere, præsentē Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis affici metu, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

Ioannes Chrys. de reparatione lapsi.

Nulla erit in futuro discordia, sed cũcta consona, cuncta conuenientia. Omniũ enim sanctorum erit vna concordia. Nullus ibi diaboli metus, nullæ insidiæ dæmonum. Terror gehennæ procul, mors neq; corporis nec animæ, sed immortalitatis munere metus vterque resolutus.

Ibidem.

Intuere cœtũ non solùm ex hominibus, sed ex angelis, atq; archangelis, thronis, & dominationibus, principibus, ac potestatibus conuocatum. De rege autem, qui horum medius residet dicere vox nulla sufficiet. Effuget omnem sermonem atq; omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia.

Ibidem.

Si quotidie oporteret nos tormenta perferre. Si ipsam gehennam paruo tempore tolerare pro eo vt Christum videre possemus in gloria venientem, sanctorum eius numero sociari: nō erit dignum pari ratione omne quod triste est modò fugere vel auersari, vt tanti boni tantęq; gloriæ participes haberemur.

Isidorus de summo bono libro 1. capite 4.

Quibusdam gradibus per creaturam progreditur homo ad intelligendum creatorem, id est, ab insensibilibus surgēs ad sensibilia, à sensibilibus surgens ad rationalia, à rationalibus surgens ad creatorem.

Isidorus libro Etymologiarum 14.

Paradysus vndiq; septus est romphæa flammea & muro igneo, ita vt eius cum cælo pene iungatur incendium. Cherubin quoq;, id est, angelorum præsidium ipsum regit, vt flamma homines, angeli dæmones submoueant.

Caßiodorus super illud Psalmi: Extendens cælum sicut pellem.

Bene dicitur Dominum cælum extendere, vbi meretrices & publicanos eum constat admittere: nam cùm sint per iustitias cæli iustorum, facti sunt & gratiæ largitate peccantium.

Caßiodorus epist. libro 2.

In cęlesti beatitudine veraciter sine fine gaudium est, sine aliquo tędio manens semper æternitas, & inspectio sola diuinitatis efficit, vt beatius nil esse possit. Hæc veraciter perennitatem præstant, hæc iucunditatem accumulant.

Boëtius libro 3. de Consol. prosa 2.

Omnis mortalium cura, qaam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire. Id aũt est bonum, quo quis adepto, nihil vlterius desiderare queat, quod quidem est omnium summum bonorũ, cunctaq́; intra se continens bona. Cui si quid abforet, summum esse non posset: quoniam relinqueretur extrinsecus, quod posset optari. Liquet igitur esse beatitudinem, statum bonorum omnium aggregatione perfectum. Hunc vti diximus, diuerso tramite, mortales omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominũ veri boni naturaliter inserta cupiditas, sed ad falsa deuius error abducit.

Boetius ibidem prosa 9.

Ea vera & perfecta liberalitas est, quæ sufficientem, potentem, reuerendum, celebrem, lætumq́; perficiat.

Boetius libro 3. prosa 10.

Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vera est ipsa diuinitas, diuinitatis adeptione iusti, sapientię sapientes fiunt, ita diuinitatem adeptos, deos fieri simili ratione necesse est; omnis igitur beatus Deus. Sed natura quidem vnus, participatione verò nihil prohibet esse quàm plurimos.

Ibidem.

Omnium igitur expetendorum summma atq; causa bonum est. Quod enim neq; re, neq; similitudinę vllum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest: contraq́; etiam, quę natura bona non sunt, tamē si esse videãtur, quasi vera bona sint appetũtur. Quo fit vt summa cardo, atq; causa expetendorum omnium, bonitas esse iure credatur.

Boetius de Consol. libro 3. metro 10.

Huc omnes pariter uenite capti,
Quos ligat fallax grauibus catenis
Terrenas habitans libido mentes.
Hîc erit uobis requies laborum,
Hîc portus placida manens quiete,
Hoc patens unum miseris asylum.

Boetius de Consolat. librò 3. metro 12.

Felix qui potuit boni,
Fontem uisere lucidum.

Boetius de Consol. libro 4. prosa 2.

Omnes igitur homines boni pariter ac mali, indiscreta intentione ad bonum peruenire nituntur.

Ibidem.

Sed summum bonum quidem æquè malis bonisq; propositûm, boni quidem naturali officio virtutum petunt: mali verò, variam per cupiditatem, quod adipiscendi boni naturale officium non est, idipsum conantur adipisci.

Boëtius de Consolat. libro 4. prosa 3.

Cùm ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sunt, fieri beatos liquet. Sed qui beati sunt, Deos esse conuenit. Est igitur præmium bonorum, quod nullus deterat dies, nulla minuat potestas, nullius fuscet improbitas, Deos fieri. Quæ cùm ita sint, de malorum quoq; inseparabili pœna dubitare sapiens nequeat. Nam cùm bonum malumq;, item pœna atque præmium aduersa fronte dissideant, quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant: Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa suppliciũ est.

Lactantius libro 3. diuinarum institutionum.

Summo labore summum bonum assequi necesse est.

Ibidem.

Magnum esse credis videre cælum atque solem, cur non ipsius virtutem, prudentiam, potestatem metiris antè, cuius opera miraris?

Ibidem.

Necesse est vt mirabilior sit, qui mirabilia fecit. Nam si te quispiam vocasset ad cœnam, in eaq; optimè acceptus esses, num sanus videare, si pluris faceres ipsam voluptatem, quàm authorem? Adeò ad corpus Philosophi referunt omnia, nihil prorsus ad mentem, nec vident amplius, quàm sub oculos venit.

Ibidem.

Sed non ideo nascimur, vt ea quę facta sunt, videamus, sed vt ipsum factorem rerum omnium contemplemur.

Idem libro 7. diuinarum institutionum cap. 13.

At verò morte suscepta, quod vlterius bonum spectari potest, nisi æternitas? superest citare testes, quorum authoritate argumenta firmentur. Et omissis testimonijs Prophetarum, Hermes naturam hominis describens, vt doceret quẽadmodũ esset à Deo factus, hęc intulit:

Καὶ τὸ αὐτὸ δὲ ἀμφοτέρων φύσεων τῆς τε ἀθανάτου, καὶ τῆς θνητῆς μίαν ἐποίει φύσιν ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν πῆ μὲν ἀθάνατον, πῆ δὲ θνητὸν ποιήσας, καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως, καὶ τῆς θνητῆς καὶ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα καὶ θαυμάσῃ. i.

Et idem ex vtriusque naturis immortali ac mortali, vnam faciebat naturam hominis. Eundem in aliquo quidem immortalem, in aliquo autem mortalem faciens, istum ferẽs in medio diuinæ immortalisq; naturæ & mortalis ac mutabilis, constituit, vt vniuersa cernens, vniuersa miretur.

Ibidem.

Profectum vlteriùs non requirit, qui ad superna peruenit.

Richardus de Trinitate libro 1. cap. 13.

Quoties per visibilium speculationẽ ad inuisibilium contemplationem assurgimus, quid aliud quàm quandã scalam erigimus, per quam ad ea, quæ supra nos sunt, mente ascendimus?

Rabanus super illud Matthæi 20. Multi sunt uocati, pauci uerò electi.

Ad fidem plures veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur: omnes enim *Canonici vocantur ad electionem, sed vnus eligitur. *forte canonici.

Seneca ad Lucilium.

Summum illud bonum habet & ipsum suam sedem: non nascitur vbi ebur, non vbi ferrum.

Seneca.

Imaginare tecum quantus sit ille fulgor, tot syderibus inter se lumen immiscentibus, nulla serenum vmbra turbabit, ęqualiter splendebit omne cæli latus.

Ibidem.

Dies & nox aëris infimi vices sunt: tunc in tenebris vixisse te dices, cùm totam lucem totus aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscurè intueris, & tamen illam procùl admiraris.

Ibidem.

Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam suo loco videris.

Ibidem.

Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsistere sinit, nihil humile, nihil crudele. Deos rerum omnium esse testes ait, illis nos approbari, illis in futurum parari iubet.

Aristoteles libro 1. Ethicorum.

Cognitio finis vtilis est in arte, sicut lignum sagittæ.

Idibem cap. 3.

Simpliciter vtiq; summum bonum, est secundum seipsum eligibile semper, & nunquã propter aliud tale. Itaq; felicitas esse videtur.

Ibidem cap. 4.

Optimum & pulcherrimum & delectabilissimum est felicitas. Non omninò felix est, qui semper turpissimus est, vel ignobilis est, vel solitarius est sine prole.

Ibidem cap. 5.

Quid prohibet dicere felicem bonis sufficienter ditatum?

Ibidem libro 9. cap. 9.

Felicem esse, est bene viuere & bene operari.

Ibidem libro 10.

Speculatio veritatis est ipsa felicitas.

Cicero libro 5. Tusculanarum Quæstionum.

Equidem beatos existimo, qui sint in bonis nullo adiuncto malo.

Valerius

Valerius Maximus, libro 7. titulo Sapienter dicta aut facta.

Solon neminem, dum adhuc viueret, beatū dici debere arbitrabatur, quod ad vltimū vsq; fati diem ancipiti fortunæ subiecti essemus.

Franciscus Petrarcha de remedijs aduersæ fortunæ.

Mures thalamum infestant. Quid scis, an ipsi in thalamo exorti, quem tu forsan peregrinus inhabitas, de te iustius queri posśint, qui natale illis aduena solum eripis. Sed omisśis iocis horum omnium ratio est vna. Idcirco equidē his infestis vitam agitis, vt discatis alteram optare, atq; illuc animum habeatis, vbi nec mures, nec fures, nec araneæ, nec tineæ, nec damna, nec tædia vlla sunt.

Virgilius Georgicôn libro 2.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atq; metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumq́; Acherontis auari.

Dantes Florentinus purgatorij cant. 15.

Come esser pote, chun ben distributo,
I piu possseditor facia piu ricchi
De se, che se da pochi e posse duto?
Et elli a me. Pero che tu resicchi
La mente pur a le cose terrene.
Di uera luce tenebre dispichi.
Quello infinito & ineffabil bene
Che la sue, cusi corre ad amore,
Come a lucido corpo ragio uene.
Tanto si da, quanto troua dardore:
Si che quantunq; charita si stende,
Cresse soure ssa lœterno ualore.
Et quanta gente piu lassu si tende,
Piu ue da ben amar, & piu ui fama,
Et come specchio, luno al altro rende. id est:
Qua ratione fieri potest, ut unum bonum diuisum,
Eius plures possessores faciat ditiores
Sui, quàm si à paucis possessum fuerit?
At ille inquam mihi, quoniam tu mittis
Mentem adhuc in res terrenas,
Ex uera luce tenebras excerpis.
Illud immensum & ineffabile bonum,
Quod sursum est, sic currit ad amorem,
Quemadmodum à lucido corpore radius prouenit.
Tantum se retribuit, quantum reperit ardoris.
Quapropter quanto magis charitas extenditur,
Crescit supra seipsam æterna uis.
Et quanto plures illuc se plus intendunt,
Plus est quod bene ametur, & plus amatur,
Et sicut speculum, unus alteri reddit.

Dantes Paradisi cant. cap. 1.

La gloria di colui che tutto muoue,
Per luniuerso penetra e resplende:
In una parte piu, e meno altroue.
Nel ciel, che piu de la sua luce prœhende,
Fui io, e uide cose che redire
Ne sa, ne puo, chi lasu descende,
Per che appressando se al suo desiro
Nostro intellecto si profunda tanto,
Che drieto la memoria non po ire. id est
Gloria illius qui cuncta mouet,
Per uniuersum penetrat & resplendet,
In una parte plus, & minus alicubi.
In cælo, quod plus eius lucis suscipit,
Fui ego, & uidi res, quas rursum dicere
Nec scit, nec potest, qui huc illinc descendit:
Quoniam sese iungens suo fini
Noster intellectus, se tantum profundit,
Vt ipsum sequi nequeat memoria.

Dantes Paradisi cap. 2.

Accender ne douria piu il desio.
De ueder quella essensa, in che se uede.
Come nostra natura e dio sunio.
Lbl se uedra cio che tenem per fede,
Non dimonstrato, ma sia per se noto,
A guisa del uero primo, che lhuom crede. id est
Accendere nos deberet plus affectus
Videndi eam essentiam, in qua uidetur
Qualiter nostra natura & Deus unita fuerint.
Ibi uidebitur quicquid tenemus fide,
Non demonstratum, sed fiet ex se notum,
Instar ueri primi, quod homo credit.

Ibidem cap. 3.

O ben creato spirito, chaurai
Di uita æternali a dolceza senti,
Che non gustata, non sintente mai. id est:
O bene create spiritus, qui habebis
Vitæ æternæ dulcedinem, sentis
Quæ non gustata, minimè percipitur.

Ibidem cap. 5.

O bene natos, a cui ueder li throni
Del triumpho æternal concede gratia.
Prima che la militia sabandoni. id est.
Quàm bene natus est, cui uidere thronos
Vitæ æternæ concedit gratia,
Antequam militia relinquatur.

Ibidem cap. 9.

Ahi animæ inganate, fatue & sempre,
Che da si fati ben torceti i cuori,
Drizando in uanita ie rostre tempie. id est:
Heu animæ deceptæ, fatuæ & simplices,
Quæ à tam immenso bono inflectitis corda,
Dirigentes in uanitatem capita uestra.

Ibidem cap. 10.

Et se le phantasie nostre son basse
A tant alteza non e marauiglia,
Che soural son non fu occhi candasse. id est:
Cùm phantasiæ nostræ sint exiguæ
Tantæ magnitudini, non est mirum:
Nam supra solem oculus non tendit.

Ibidem.

Ne la corte del ciel, ondio reuegno,

Si trouam molte gioie chare, e belle
Tanto, che non se possunt trar del regno. id est:
In regia cælesti, unde ego redeo,
Inueniuntur multæ gemmæ preciosæ, & pulchræ
Tantum, quod non possunt trahi è regno.

Ibidem cap. 19.

Ad questo regno non soli mai, che nō credete in Christo,
Ne pria, ne po chel si chiuuasse al legno.
Ma uedi, multi cridam Christo, Christo,
Che sarano in iudicio assai men prope
Allui, che tal che non cognobe Christo.
Et tai Christiani damnara lethiope,
Quando se partirano in doi collegi,
Luno in æterno richo, è laltro inope.
Ad hoc regnum
Nunquam ascendit, qui non credidit in Christum,
Nec antè, nec postquam affixus fuit ligno.
At respice, multi clamant Christe, Christe,
Qui erunt in iudicio minus prope
Illum, quàm quispiam qui Christum nunquam nouit.
Et tales Christianos damnabit Aethiops,
Quando separabuntur in duo collegia,
Vnum perpetuò diues, & inops alterum.

Ibidem cap. 20.

Regnum cælorum uiolenza pate
Da chaldo amore da uiua speranza.
Che uince la diuina uoluutate.
Non aguisa che lhmo alhom sobranza,
Ma uince lei per che uol esser uinta,
Et uinta uince con sua beuinanza. id est:
Regnum cælorum uiolentiam patitur
A calido amore & uiua spe,
Quæ superat diuinam uoluntatem.
Non sicut homo luctans, uincit hominem,
Sed uincit eam, quoniam uult uinci,
Et uicta uincit, sua benignitate.

Dantes Paradisi cant. cap. 30.

Luce intellectual piena damore.
Amor di uero ben, piendi lætitia.
Letitia, che transcende ogni dolzore,
Quiui uedrai luna e laltra militia,
Di paradyso & luna in quelli aspetti,
Che tu uendrai all ultima iustitia. id est:
Lux intellectualis, plena amoris:
Amor ueri boni, plenus lætitiæ:
Lætitia, quæ transcendit omnem dulcedinem.
Illic uidebis utranq; militiam,
Paradysi, & unum in his aspectibus,
Quos tu uidebis in ultima iustitia.

Ibidem.

Lume è lasu, che uisibil face,
Lo creator, a quella creatura.
Che sol in lui ueder hala sua pace. id est:
Lumen est sursum, quod est uisibilis fax.
Creator, illi creaturæ.
Quæ tantum in eo aspiciens habet suam pacem.

Franciscus Petrarcha soneto 199.

Aeterna uita e ueder dio,
Ne piu si brama, ne bramar piu lice. id est:
Aeterna uita est uidere Deum,
Nec plus appetitur, aut appetere plus licet.

Franciscus Petrarcha Triumpho æternitatis.

Beati spiriti, che uel somno choro
Si trouar anno, o trouano in tal grado,
Che fia in memoria æterna il nome loto. id est:
Beati spiritus, qui in summo choro
Inuenirentur, aut inueniuntur in tali gradu,
Vt fiat in memoria æterna nomen eorum.

Ibidem.

O felice quell animæ, chin uia
Somno o soranno di uenir al fine,
Di chio ragiono, qualunq; si sia. id est:
O felices animæ illæ, quæ in uia
Sunt aut erunt ueniendi ad finem,
De quo loquor, qualiscunq; sit.

- *Gloria uana, quæ & inanis gloria, peccatum*
  - Mortale,
    - *Cùm quis gloriatur de aliquo falso, diuinæ reuerentiæ contrario.*
    - *Cùm quis constituit ultimum finem, in gloria humana, ad quem ordinat etiam uirtutis opera, & pro gloria acquirenda, non recusaret facere etiam ea, quæ sunt contra Deum.*
  - *Veniale,*
    - *Cùm quis gloriatur de aliquo, diuinæ reuerentiæ non contrario.*
    - *Cùm licèt gloriam optet, tamen pro illa acquirenda nihil faceret, contra charitatem Dei & proximi.*
  - Capitale quia inde aliqua alia ducuntur peccata
    - *Directè*
      - *Per uerba, & sic est* — *Iactantia.*
      - *Per facta uera, & habentia aliquam admirationem, & sic est* — *Præsumptio uanitatum.*
      - *Per facta falsa, & sic est* — *Hypocrisis.*
    - *Indirectè ostendẽdo se non esse alio minorem, quatuor*
      - *Quantum ad intellectum, cùm quis nimis innititur suæ sentẽtiæ, nolens credere meliori sententiæ, & sic est* — *Pertinacia.*
      - *Quantum ad uoluntatem, cùm non uult à propria uoluntate discedere, ut alijs concordet, & sic est* — *Discordia.*
      - *Quantum ad locutionem, cùm quis uerbis clamosè contra alium litigat, uel non uult uerbis ab alio superari, & sic est* — *Contentio.*
      - *Quantum ad factum, cùm quis non uult facta sua præcepto superioris subijcere, & sic est* — *Inobedientia.*

Gloria vana, quę & inanis gloria appellatur, Græcè κενοδοξία ας ἡ dicitur, & est vitium capitale, cuius filiæ sunt septẽ, scilicet inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, discordia, præsumptio nouitatum, pertinacia: secundum B. Thomam secunda secundæ, quæstio. 21. articulo 4.

Dicitur autem gloria vana tripliciter, & est peccatum. Primò, quando est de non ente, vel de translatorijs, vel de peccato: secundò, quando quæritur ab hominibus, & non à Deo: tertiò, quando non ordinatur ad debitum finem, secundum B. Tho. secunda secundæ, q. 132. art. 1.

Paulus ad Galatas cap. 6.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicẽ prouocantes, inuicem inuidentes.

Augustinus libro de conflictu uirtutum & uitiorum.

Inanis gloria dicit: age bonum quod vales, ostende bonũ cunctis, quod agis, vt bonus à cunctis dicaris, vt sanctus & venerabilis ab hominibus prædiceris, vt Dei electus voceris, vt nemo despiciat, sed vniuersi debitum tibi honorem persoluant.

Idem libro Confeßionum.

Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanus gloriatur, non enim eam cõtemnit, dum gloriatur intus de gloria, quàm amplexatur.

Idem super Psalmo 7.

Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel solum, vel maximè cauendum esse perfectis, quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimo vincit.

Idem super Psalm. 149.

Inanis gloria huius seculi fallax est suauitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas, initium sine prouidentia, finis cum pœnitentia.

Hieronymus ad Nepotianum.

Ne nimis religiosus velis videri, nec plus humilis quàm necesse est, gloriam fugiendo non quæras.

Ambrosius in suo Pastorali.

Non est tanti gaudij, excelsa tenere, quanti mœroris est, de excelsis corruere, nec tantam gloriam sequi post victoriam, quãtam ignominiam post ruinam.

Gregorius libro 6. Moralium.

Cùm bene viuitur valde timendum est, ne mens despectis cæteris, de gloria singularitatis eleuetur.

Idem libro 2. Moralium.

Sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat, eleuatur.

Ioannes Chrysost. super illud Matt. 5. Nolite tuba canere.

Tuba est omnis actus, vel sermo, per quam ipsa operis iactantia designatur: tuba ergo canere est pompam vanæ laudis appetere.

Idem super Matthæum.

Nihil enim ita pecunias concupiscere facit, vt gloriæ cupido, propter hoc nanq; famulorum greges, equos auro opertos, & argenteas mensas, expetunt homines, non vt vtilitatẽ, aut voluptatem impleant, sed vt multis ostendantur.

Ibidem.

Dicebãt apud se: Si bene fecerimus cum pauperibus, quis non videt? si viderint, non multi

vident: & si multi vident, pro tempore vident: & transit tempus, & cum tempore beneficij memoria. Melius est ergo ædificia facere quæ aspiciant homines, non in hoc tempore solo, sed & in posterum. O insipiens, quid tibi prodest ista memoria? si vbi es torqueris, & vbi non es laudaris.

Idem super Ioannem.

Qui omnium pecuniarum contemptum habent, & nulli imaginationi totius mundi se immiscuerint, & tyrannidas corporum concupiscentias sustinuerunt, hi multoties capti à vana gloria, omnia perdiderunt.

Idem homilia 5.

Vanitas vanitatum, &c. Hunc versiculum si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, & in vestibulis suis scriberent, in foro, in domo, in ianuis, in ingressibus, & ante omnia in conscientijs suis, vt semper eum oculis cernerent, & corde sentirent.

Isidorus libro 1. de Summo bono.

Quisquis ex deteriore iam melior esse cœpit, caueat de acceptis extolli virtutibus, ne grauius per vanam gloriam corruat, quàm prius per lapsum vitiorum iacebat.

Bernardus super Cantica.

Non bona, sed pax hominibus bonę voluntatis. Iniquus est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelare ad gloriam dicitur, nec pacem inde retinens, nec gloriam apprehendens. Nec calami est, laudabilis scriptura, nec gloria linguę, aut labiorum, sermo bonus.

Petrus Rauennas in quodam sermone.

Diuitias siquidem & honores, solicitudo inseparabiliter comitatur. Pompa mundi, & fauor populi fumus est, & aura subitò euanescēs: quæ si plerunq; placeant, pœnitudinem inducunt, si delectant ad modicum, productiori spatio displicebunt.

Boëtius libro 3. de Consolatione prosa 6.

Gloria verò quàm fallax sæpe, quàm turpis est? vnde non iniuria Tragicus exclamabat: gloria in milibus mortalium nihil aliud est, quàm aurium inflatio magna.

Idem libro 2. de Consolatione prosa 5.

Sic rerum versa conditio est, vt diuinum meritò rationis animal, non aliter sibi splendere, nisi inanimatæ supellectilis possessione videatur.

Seneca epistola 88.

Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ? vnius omnes coloris. Quid ista vehicula cælata? Instrati ostro alipedes, pictisque tapetis Aurea pectoribus dimissa monilia pendent, Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum. Ista nec dominum possunt facere meliorem, nec mulam.

Idem libro de Moribus.

Nunquid fortis se fortem gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum?

Ibidem.

Nunquid diues in opib. suis gloriatur, cuius spem fur vel tyrannus arripit?

Ibidem.

Nunquid nobilitas gloriabitur effecta, nonnunquā indignis & miserabilioribus seruiens.

Idem in Prouerbijs.

Citò ignominia fit superbi gloria.

Valerius Maximus libro 8.

Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur.

Menander.

Ζήτει σεαυτῷ δόξαν ἐγκαταλίπειν. id est:
Quære tibi ipsi gloriam relinquere.

Idem.

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν θέλει. id est:
Bene audire magis quàm ditescere uelis.
Κένης δὲ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον. id est:
Vana autem gloria nihil miserius.

Tibullus circa finem.

Procùl absit gloria uulgi.

Dantes Florentinus Purgatorij cantic. cap. 11.

O uana gloria de humanæ posse.
Con poco uerde in su la cima dura.
Non e il mundan rumor altro chun fiato
Di uento, chor uien quinci, & hor uien quindi,
E muta nome, per che muta lato.
La nostra nominanza e color dherba,
Che uent & ua, e quei la discolora,
Per cui ellescie de la terra acerba. id est:
O uana gloria humanarum uirium,
Etenim exigua uiriditas in summitate permanet.
Non est mundanus rumor, nisi flatus quidam
Ventorum, qui uenit nunc hinc, nunc illinc,
Et mutat nomen, quoniam regionem mutat.
Nostra fama est, color herbæ,
Quæ uenit & abit, & ille, id est sol, colorem adimit,
Per quem exit ex tellure aspera.

Gnome Græca dictio est, & γνώμη ης ἡ dicitur. Et est virtus, de agendis ab homine bene iudicatiua, secundum legē naturalem, in illis in quibus lex communis deficit, vtputa: Impugnatori ciuitatis non esse reddendum depositum. Ex B. Thom. prima Secundæ, q. 57. art. 6. & secunda Secundæ. q. 61. art. 4.

Gradatio Græcè ἐπιπλοκή ης ἡ, & ἐπιπλώμενος superueniens dicitur. Est autem gradatio apud Rhetores, cùm ex prima sententia secunda oritur, & ex secunda tertia, & ita deinceps complures: sicut in catena multi circuli coniuncti, alligantur, sic in hoc schemate complures sentētiæ connexæ sunt, hoc modo: Damo familiam abstractam tormentis excruciauit, cruciatam vinxit,

xit, vinctam, in publicum proiecit.

Gradus Græcè βαθμός οῦ ὁ βαίνω gradior dicitur. Sunt autẽ gradus hi, ex quibus scalæ constant, & per quos ad ædificiorum altiora conscenditur: à gradiendo, hoc est, eundo dicti, quod per eos eatur. Et per similitudinẽ scalarũ dicimus gradum cognationis, vt Paulus Iurisconsultus affirmat: & est gradus consanguinitatis, habitudo personarum distantium, qua cognoscitur quanta distantia personę inter se differant: secundum B. Thom. 4. Sent. di. 40. ar. 2.

Gradus item est gradientium pedum vicissitudo, interdum gradus est firmitas standi. A gradus fit gradatim, aduerbium, quod significat per gradus & ordinatè, & lentè.

Grammatica est scientia scribendi & cognoscendi quod profertur, secundum Aristot. lib. 6. Topicor. diciturq; à γράμμα ατος τὸ quod est litera, vnde & γραμματεία ας ἡ quod est literatura, & γραμματικός οῦ ὁ literatorius dicitur.

Grammatica est ars literaria, quę in emendatè loquendo scribendoque consistit, vt literæ suas custodiant voces, & velut depositum reddant legentibus.

Grassator Græcè ὁδοιδόκος ου ὁ, vel φονεύς εος ὁ, & φονικός οῦ ὁ mortifer, & φονοκτονέω interficio dicitur. Est autem grassator, qui hostiliter graditur. Callistratus: Grassatores, si prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur. Venit à grassor aris, quod significat gradiendo sæuire. Iuuenalis: Subitus grassator agit rem. Nonnunquã sumitur pro gradi, & ambulare, quandoquidem est frequentatiuum de gradior. Nęuius: Sæpe hac eadem grassatus via.

GRatia χάρις ιτος ἡ, & χάρισμα ατος τὸ dicitur, & χαριτόω gratia impleo. Gratia multipliciter accipitur, aliquando enim pro amore, aliquando pro confessione beneficij, seu alicuius indulgentiæ, vel authoritatis: aliquando accipitur pro dono Spiritus sancti.

Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerãdi voluntas continetur, secundum Ciceronem in Rhetoricis.

Gratia est, per quam dicuntur homines, roganti gratis aliquid facere, non pro re alia, nec vt sibi quicquã qui faciunt eueniat, sed vt cui faciunt, secundum Ciceronem lib. 2. Rhetoric.

Gratia nihil aliud est, quàm quædam inchoatio gloriæ in nobis, vel auxilium, quo indiget homo ad beatitudinem consequendam: secundum B. Thom. secunda secundæ q. 23. art. 3.

Gratia est virtus specialis reddens gratiam benefactori, secundum B. Tho. secunda secundæ, q. 106. art. 1. eadem gratitudo dicitur.

Gratiæ à Græcis χάριτες dicuntur, eò quòd lętitiam significent: nam & lętari videntur, qui dant & accipiunt beneficium. Tres ideo esse finguntur, quia & benefici esse in alios debemus, & aliorum beneficia suscipere, & his, qui in nobis liberales fuerunt, retribuere. Dare autem & accipere & retribuere, tres actus sunt in se distincti. Alij dicunt ideo tres fingi, quia acceptum beneficium, cum fœnore reddi debet. Quapropter solebant veteres ita Gratias pingere, vt vna earũ auersam faciem teneret, quasi à nobis profecta. Duę verò nos aspicerent, vt duplex nobis beneficium rependi debere ostenderent. Nudę præterea pingebantur, quia beneficia sine fuco esse debent, & nullo tegi velamine. Item connexæ, quia insolubiles decet gratias esse & amicitiæ fœdus perpetuum esse. Horatius: Segnesq; nodum soluere gratiæ: has quidem dicunt Ioue patre genitas, quoniam à Ioue omnis procedit gratia. Item matre Eurydomene, vel Eurymone, vel Eurymeduse. Dicitur enim Eurydomene ἀπὸ τοῦ εὐρὺ καὶ δίδωμι, hoc est, abundanter dando. Eurymone ἀπὸ τοῦ εὐρὺ καὶ νέμω, hoc est, abundanter retribuendo. Eurymeduse verò ἀπὸ τοῦ εὐρὺ καὶ μέδω, hoc est, rego. Quoniam qui liberales & munifici sunt, cæteris imperare consueuerunt. Alij ex Venere & Marte, alij ex Venere & Libero patre, alij ex Herebo & Nocte genitas dixêre. Fingũtur lauari in Acidalio fonte Orchomeni, vrbis Boëtiæ, quoniam pura esse beneficia debent, & nihil sordidum habere, nullamq; spem retributionis.

Prouerbiorum 22.

Melius est nomen bonum, quàm diuitię multæ: super argẽtum enim & aurum, gratia bona.

Paulus ad Corinthios 2. cap. 12.

Ait Dñs ad Paulum, sufficit tibi gratia mea.

1. Petri cap. 4.

Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores, multiformis gratiæ Dei.

Augustinus super Ioannem.

Si gratiam ideo dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: Noli ad præmiũ diligere Deum, ipse sit præmium tuum.

Idem de uerbis Apostolorum.

Si leuis morbus esset contemneretur, medicus non quæreretur: si medicus non quæreretur, morbus non finiretur: ideo vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.

Idem in Enchiridion.

Sola gratia discernit redemptos à perditis, quos in vnum coaceruat, massa perditionis, ab origine ducta creationis.

Idem libro de Baptismo paruulorum.

Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat: occulta causa esse potest, iniusta non potest.

Idem de spiritu & litera.

Lex Dei ciuitas est: lex data est, vt gratia quęreretur: gratia data est, vt lex impleretur.

Idem de libero arbitr. & hab. de Con. dist. 4. cap. Gratia.

Gratia quæ per Christum datur, non solum

peccatorum remiſsionem facit: ſed etiam vt lex impleatur, vt natura liberetur, nec peccatū dominetur. Spiritus etiam gratiæ dat fidem, quæ etiam non petita à Deo conceditur, vt homini petenti, & alia concedantur: nam fides non eſt liberi arbitrij tantum, ſed donum Dei.

Idem in epiſtola ad Paulinum.

Operibus debitum redditur, gratia datur, vnde & nuncupatur. Si autem dixeris, quòd gratiam bene operādi fides mereatur, negare non poſſumus: imò gratis dediſſe confitemur. Si autem ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quàm donatur? Non dicat hoc homo fidelis, quia cùm dixerit, vt merear iuſtificationem, habeo fidem. Reſpondetur ei, quid habes, quod non accepiſti? Cùm igitur fides impetrat iuſtificationē, ſicut vnicuiq; Deus partitus eſt menſuram, & ipſius fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.

Idem libro de natura & gratia.

Chriſti gratia ſine qua nec infantes, nec ætate grandes, ſalui fieri poſſunt: non meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod gratia nominatur.

Idem de gratia & libero arbitrio.

Gratia ad hoc datur, vt lex compleatur, vt natura liberetur, & peccatum non dominetur, vt velimus, ſine nobis operatur incipiens, quod volentibus cooperatur perficiens: ſine illo autem nihil operante, cùm volumus ad bona opera nihil valemus.

Ambroſius ſuper Lucam.

Vberior eſt gratia, quàm petitio: ſemper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur.

Idem libro de Officijs.

Gratia vehementior eſt ad diligēdum, quàm natura. Reddendo vacuatur pecunia: gratia autem & habēdo ſoluitur, & ſoluendo retinetur.

Idem ſuper illud Matthæi 6. Pater noſter qui es.

Vide quàm breuis eſt oratio, & omnium plena virtutum, primus ſermo quantæ eſt gratiæ? homo faciem tuam non audebas ad cęlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & ſubitò accepiſti gratiam Chriſti, omnia peccata dimiſſa ſunt: Ex malo ſeruo factus es bonus filius, imò præſume, non de operatione tua, ſed de gratia Dei. Gratia enim ſaluati eſtis, vt dicit Apoſtolus, non enim hæc arrogantia eſt, ſed fides, pręedicare quod acceperis, nō eſt ſuperbia, ſed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrē, qui per lauacrum te genuit: ad patrem, qui per filium te redemit. & dic pater noſter, bona pręſumptio, ſed moderata: patrem dicis quaſi filius. Sed noli ſpirituali ter tibi aliquid vendicare, ſolus Chriſti eſt pater ſpiritualis, nobis omnibus in communi eſt pater, quia illum ſolum genuit, qui nos creauit.

Gregorius libro 8. Moralium.

Dum nos gratia diuini reſpectus illuminat, cuncta mentis noſtræ nobis abſcondita manifeſtat.

Ioannes Chryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Hebræos.

Aliquando pleriq; & vitam habentes mundam non accipiunt gratiam, quare? ne in ſuperbiam eleuentur, ne inflentur ventoſitate iactantię, ne altitudo muneris negligentiores efficiat.

Bernardus de libero arbitrio.

Gratiam in tribus conſiſtere arbitror. In odio præteritorum, contemptu præſentium bonorum, & deſiderio futurorum.

Idem ſermone 77.

Pręoccupatum quippe ſecularibus deſiderijs animum, declinatio ſancta declinat, nec miſceri poterunt, vana veris, æterna caducis, ſpiritualia carnalibus, ſumma imis, vt pariter ſapias, quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.

Idem ſuper Cant. ſermone 54.

In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere, ſicut ſcriptum eſt: Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pauidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur, & hoc eſt ſemper pauidum eſſe.

Ibidem.

Gratia balſamum puriſsimum eſt, & ideo purum, ſolidum & profundum vas requirit.

Leo Papa, & habetur 1.q.1.ca. Gratia.

Gratia ſi non datur gratis, vel accipitur, gratia non eſt. Simoniaci autem non gratis accipiunt, igitur gratiam quæ maximè in eccleſiaſticis ordinibus operatur, non accipiunt: ſi autem non accipiunt, non habent: ſi autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare poſſunt: quid ergo dant? profectò quod habent. Quid autem habent? ſpiritum vtiq; mendacij: quomodo hoc probamus? quia ſi ſpiritus veritatis, teſtante ipſa veritate de qua procedit, gratis accipitur, proculdubio ſpiritus mendacij eſſe conuincitur, qui non gratis accipitur vel datur.

Menander.

Καλὸν δὲ θησαύρισμα κειμένη χάρις. id eſt:
Pulcher autem theſaurus collatum beneficium.

Idem.

Χάριν λαβὼν εὐκαιρῶν ἐν καιρῷ δίδου. id eſt:
Beneficium cùm acceperis tempeſtiuum in tempore da.

Idem.

Χάριν χαρίζου καθ' ὅσον ἰσχύεις ὅμως. id eſt:
Gratiam gratis da, inquantum potes tamen.

Idem.

Χάριτας δικαίας καὶ δίδου καὶ λάμβανε. id eſt:
Gratias iuſtas & da & cape.

Idem.

Idem.

Χάριν λαβὼν μέμνησο, ἢ δοὺς λάθου. id est:

Gratiam cùm acceperis, in memoria habe: & cùm dederis, obliuiscere.

Lucianus.

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι. ἢν δὲ βραδύνῃ
πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις. id est:

Celeres gratiæ dulciores, Si autem tardauerit,
Omnis gratia uana, neq; dicetur gratia.

Ausonius ita uertit.

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia namq;
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

Idem aliter.

Si bene quid facias facias citò, nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Dantes Florentinus, purgatorij cant. cap. 18.

El studio de ben far gratia rinuerda.

Franciscus Petrarcha Triumpho æternitatis.

Ma tardæ non fur mai gratiæ diuinæ,
In quelle spero che in me anchor farano
Alte operatione & pelegrine. id est:

Sed tardæ nunquam fuerunt gratiæ diuinæ,
In ijsdem spero quod in me facient
Ingentes operationes ac excellentes.

GRatitudo vel gratiarum actio Græcè εὐχαριςίας ἡ, & εὐχαριςός gratus, & εὐχαριςέω gratias ago dicitur.

Gratiarum actio siue gratitudo, est virtus specialis reddens gratiam benefactori, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 106. art. 1. Gratias agere, propriè est verbo ostendere, nos memores esse beneficij accepti. Habere gratias, est animum ac mentem gratam habere, & inuicẽ gratificandi voluntatem. Referre gratiam, est facto beneficium aut iniuriam acceptam compensare. Sanè notandum est, quod dicimus habere gratiam, & gratias: agere gratias, non gratiam: referre gratiã, non gratias, & ita eruditi ac probatissimi authores ferè semper loquuntur.

1. ad Thessalonicenses 5.

Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.

Aug. super illud Psal. Tota die repleatur os meum laude.

Quid est tota die, id est, sine intermissione laudare in prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis: antequam essem, quia fecisti me: cùm essem, quia salutẽ dedisti: cùm peccassem, quia ignouisti: cùm conuersus essem: quia adiuuisti: cùm perseuerassem, quia coronasti.

Idem sup. illud Psa. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.

Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati, & habere te cognosce, & nihil ex te habere, vt nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo, quoniã sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quæ habui: quia tu dedisti, nõ quæ ego merui.

Idem in epistola ad Marcellinum.

Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias. Hoc nil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.

Idem libro de uerbis Domini sermone 8.

Siue nos accusemus, siue Deum laudemus, semper illi gratias agere studeamus, à quo gratia gratis datur.

Ambrosius super Lucam sermone 5.

Nihil est quod dignũ referre possemus pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus? Quid pro cruce obita, & sepultura reddemus? Licèt crucem pro cruce, funus pro funere: nunquid reddimus quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habeamus omnia? Reddamus igitur amorem pro debito, & charitatem pro munere, gratiam pro sanguine, pro precio pecuniam.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum homilia 25.

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria, & beneficiorum & perpetua confessio gratiarum.

Idem in tractatu de Symbolo.

Admoneo vos, vt Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite: & dissoluentur mala. Si prospera venerint, benedicite, & perseuerabunt bona & prospera.

Bernardus super Cantica.

Disce inferendo gratias, non esse tardus, non segnis, disce ad singula dona gratias agere.

Idem super Cantica sermone 12.

Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quę de cordis pudicitia & vera simplicitate procedit. Pudicã sanè dixero propter eos, qui de malis actibus suis gloriantur, Deo gratiã dicere solent, quasi Deus in ore ipsorum lætetur.

Et infrà.

Verã adiunxi propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis suis verbotenus gloriantes, corde retinent, quod ore præbuerunt. Illi impiè mala sua Deo, isti Dei bona fraudulenter intorquent sibi.

Ibidem.

De omni bono apparenti, à nobis referantur Deo laudes, idque non fiat quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine, sicut à secularibus: sed nec quadam necessitate, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos sinceritate fida, deuotione solicita, hilaritate grata, sed non dissoluta.

Idem super Cantica sermone 1.

Quoties tentatio superatur, aut vitium subiugatur, aut imminens periculũ declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa & inueterata quæcunque animæ passio semel, perfecteq; sanatur, aut multum diuq; cupita, & sæpius petita virtus tandem aliquando Dei munere obtinetur: toties personare debet gratia-

rũ actio, & vox laudis. Debet ad singula queq; beneficia benedici Deus in donis suis, alioquin ingratus reputabitur. Cùm discussio venerit, quis non potest dicere Deo: Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ.

Idem ad Imericum Cancell.

Danti, rependi quicquã gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit. Nam spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non suscipit.

Caßiodorus super illud: Voluntariè sacrificabo tibi.

Voluntariè Deo sacrificant, qui inter angustias pasionum iugiter gratias agunt.

Idem super illud: Quoniam misericordia tua.

Iugiter sibi subuenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper asistit.

Seneca ad Lucilum epistola 8.

Sapiens omnia examinabit secum, quantum acceperit, à quo, quando, vbi, quemadmodum. Itaq; negamus quenquam scire gratiam referre, nisi sapientem.

Idem epist 82.

Hoc certè inquam iustitiæ conuenit, suum cuiq; reddere, beneficio, gratiam: iniuriæ, talionem: aut certè malam gratiam.

Ibidem.

Non omnes gratis sciunt deberi beneficiũ, potest etiam, & imprudens, & rudis, & vnus de turba. Ignorat autem quantum pro re debeat.

Idem epist. 83.

Sapienti notum quanti res queque taxanda sit, nam stultus, & si bonæ voluntatis est, aut minus quàm debeat, aut tempore, aut quo non debet loco reddit, id quod referendum est, effundit atq; abijcit.

Ibidem.

Nemo etiam referre gratiam scit nisi sapiẽs, stultus autem quemadmodum potest referat, scientia illi potius, quàm voluntas deest, velle non dicitur. Sapiẽs omnia inter se comparabit, maius enim aut minus fit, quãuis idem sit tempore, loco, & causa.

Ibidem.

Gratus sum, non vt alius mihi libentius præstet, priori irritatus exemplo, sed vt rem iucundisimam faciam. *Ibidem.*

Credamus itaq; nihil esse grato animo honestius, omnes hoc vrbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt, in tanta iudiciorum diuersitate referendam bene merentibus gratiam, omnes vno ore affirmabũt, in hoc tam discors turba consentiet.

Idem libro de Beneficijs.

Beneficiorum memoria senescere nõ debet.

Ibidem.

Acceptum beneficium, æterne memoriæ infigendum est.

Ibidem.

Gratus etiam si à seruo suo beneficium accepit, existimat, non à quo, sed quid acceperit.

Aristoteles libro 4. Ethicor.

Laus & gratiarum actio debetur danti, & nõ accipienti.

Idem libro 5. Ethicor.

Oportet regratiari, vel famulari ei qui gratis facit.

Idem libro 8. Ethicor.

Retributio posibilis esse debet, non condigna, vt patet de Deo & parentibus, quibus non possumus æquale reddere.

Idem libro 9. Ethicor.

Magistris, dijs & parentibus non potest reddi æquiualens.

Cicero libro 2. de finibus bonorum & mal.

Volo & esse & haberi gratus.

Idem Rhetor. ueterum libro 1.

Nam si his, qui imprudenter læserũt ignosci conuenit, his qui necessario profuerunt, habere gratiam non oportet.

Idem libro 2.

Impudens est, qui pro beneficio non gratias, verùm mercedem postulat.

Ibidem.

Contrà autem de pecunia ratiocinari sordidum est, cùm de gratia referenda deliberatur.

Idem in Philippicis.

Cui gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda tamen tanta est, quàm maximam animus capere posit.

Plutarchus in Apophtegmat.

Cato senior aiebat, malle pro collato beneficio gratiam non recipere, quàm pro illata iniuria supplicium non subire, & his semper omnibus qui deliquerũt, præterquã sibi veniã dare.

Plautus in Rudente.

Addecet bene merenti bene ferre gratiam.

AMATIS

GRatia beneficium significat, eò quòd gratis detur: teste Augustino.

A gratia gratus deducitur, qui gratiam pro beneficio refert: vel saltem est memor accepti beneficij. Cuius contrarium est ingratus: Græcis dictus ἀχάριστος.

Menander Comicus.

ἀχάριστος ὅστις εὖ παθὼν ἀμνημονεῖ. Id est: Ingratus, qui beneficio affectus obliuiscitur.

Gratulari, grates agere, siue gratari Dijs dicimus, pro eo quod est gratias agere, siue supplicare.

Ouidius libro 3. Fastorum.

Quisquis ades, casteq; colis penetralia Vestæ,
Gratari Iliacis thuraq; pone focis.

A gratus fit gratificor, quod est aliud quàm gratum facio, licèt vtrunq; à facio deducatur. Etenim gratũ facere, est quiddã minus & prope idẽ quod obsequi & inseruire. Cicero: si húc iuue-

iuueris, gratissimum mihi feceris. Gratificari verò est quiddam magis, & quasi idem quod beneficum esse, & beneficia conferre: Quapropter Deos non gratum facere, sed gratificari hominibus dicimus.

Quilibet dicitur gratus, nisi doceatur ingratus. In Authen. de secund. nupt. §. fui. & cum de appella. cognosci §. fui. Ingratitudo enim est vitium, quod tollit debitum honestatis, dum nõ refertur gratia. Imò ex quo Respub. nihil aliud sunt, quàm commercium dandi & accipiendi beneficia, certumq; sit vitam hominum mortẽ esse, vbi plures ingrati fuerint. Vitium itaq; maximum esse constat, bene meritis negligere referre gratiam. ff. de manumiss. Testa. l. seruos. l. centurio. l. omni modo. C. de inoffic. test. Valerius Maximus libro 5. Titulo de Ingratitudine.

Gratitudo est laudatissima virtutũ omnium res Deo & hominibus grata & iucunda, gratiq; nominis. M. Sabellicus libro 7. cap. 1.

Cicero in oratione pro Cneo Plancio.

Etenim iudices, cùm omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tum nihil est, quod malim, quàm me & gratum esse, & videri. Hæc est vna virtus, non solùm maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarũ. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parẽtes? Qui sunt boni ciues, qui bello, qui domi, qui de patria benemerentes, nisi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui sancti, qui religionẽ colentes, nisi qui meritam dijs immortalibus gratiam, iustis honoribus & memori mente persoluunt? Quæ potest esse iucunditas vitę, sublatis amicitijs? Quę porrò amicitia esse potest inter ingratos? Quis est nostrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui nõ magistri sui atq; doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse alitus atq; doctus est, cũ grata recordatione in mente versetur? Cuius opes aut tãtæ esse possunt, aut vnquam fuerunt: quæ sine multorum amicorũ officijs stare possint? Quæ certè sublata memoria & gratia nullę extare possunt. Equidem nil tam proprium hominis existimo, quam nõ modò beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari. Nihil porrò tam inane, tam ferum, quàm committere vt beneficio non dicatur indignus, sed victus esse videatur.

Gratitudo mater virtutum. *Boni ciues.* *Pietas.* *Inter ingratos amicitia nulla esse potest*

Prouerbia.

ἀντιπελαργεῖν, est mutuam officij vicẽ rependere: à ciconiæ natura sumptum, quæ Græcè πέλαργος dicitur. Ea inter aues vna pietatis symbolum obtinet. Erasmus.

Idem. Pro bonis glomi.

ἀντ᾽ ἀγαθῶν ἀγαθίδες. id est: Pro bonis glomi: dici consueuit, vbi quis beneficium, quod in alium contulisset, cumulatè cumq; fœnore reciperet. Agathides enim Gręcis glomi dicuntur.

Idem. Sylosontis chlamijs.

Συλόσωντος χλαμύς. Sylosontis Chlamijs. Dici solitum in eos, quibus munus exiguum in tempore, magno cum fœnore redijt.

Idem Erasmus.

Benefactorum memoria.

Vbi quid boni contigit alicui propter veterum benefactorum memoriam.

Ὡς χαλκοεργίης εὐεργεσίη μέγ᾽ ἀμείνων.
Officio fungi multò, ac delinquere præstat:
Obtestatio ueterum meritorum.

Gratitudo.

Ἰχθύας ἀγκίστρῳ τις ἀπ᾽ ἠόνος εὔζυγι βάλλων
εἵλκυσε ναυηγοῦ κρᾶτα λεπτοζυγέα.
οἰκτείρει δὲ νέκυν τὸν ἀσώματον ἐξ ἀσιδήρου
χειρὸς ἐπισκάπτων, λιτὸν ἔχωσε τάφον,
εὗρε δὲ κευθόμενον χρυσοῦ κτέαρ ἦ ῥα δικαίοις
ἀνδράσιν εὐσεβίης οὐκ ἀπόλωλε χάρις.

Vrsinus Velius uertit.

Capturos pisces hamata in littore seta,
Naufraga fortè hominis calua prehensa fuit:
Qui caput auulsum membris miseratus inermi
Prosubigens fecit: uilia busta manu.
Pondus ubi infossi terræ graue repperit auri.
Gratia sic iustis, nulla bonisq; perit.

Andreas Alciatus.

Quum curuos piscator aquis educeret hamos,
Naufragij anfractum sustulit ære caput.
Maxima mox hominis flens infortunia, paruo
Quæ super hinc fuerant, condidit ossa solo.
Pondera sed fodiens ingentia repperit auri,
Iusto homini nunquam gratia facta perit.

Chilo Lacedæmonius.

Beneficij dati obliuisci decet, accepti meminisse. Vulgus hominum contrà facit: Si quid cui benefecerunt, & sine fine prædicant, & sine modo exaggerant: Si quid in ipsos collocatum fuerit officij, mox aut obliuiscentur, aut dissimulant, aut eleuant. Carmen Ausonij sic habet: *Si bene quid facias, non meminisse fas est.*

Erasmus libro 4. Apophthegmatum.

Hipparcho Euboico vita defuncto Philippus præ se ferebat, quàm illius mortem acerbè ferret: Itaq; cuidam volenti dolorem ipsius mitigare, dicentiq;: Attamen ille tempestiuè decessit, iam natu grãdis. Sibi quidem ipsi, inquit Philippus, tẽpestiuè decessit, sed mihi præproperè: Mors enim illum anticipauit, priusquam à me beneficium accepit, nostra dignum amicitia. Perquam rarum est, principem sentire gratiarum affectus, sed amicis, pleriq; non aliter, quàm equis vtuntur: dum vsui sunt, curãt: inutiles factos, abijciunt, eosq; spoliãt citiùs, quàm beneficio iuuant.

Volateranus libro 29. Philologiæ capite de referenda gratia.

Referre gratiam ad iustitiam pertinere videtur, quo nullum esse magis, ait Cicero, necessarium. Sed & nullum quoq; difficilius esse cõperimus, quia quę ex liberalitate spontè damus, li-

benter damus: quæ non spõte, non item. Quod eleganter Hesiodus his versibus expressit.

ὃς μὲν γὰρ κεν ἀνὴρ ἐθέλων ὅ γε κ᾽ ἂν μέγα δῶκ,
χαίρει τῷ δώρῳ καὶ τέρπεται ὃν κατὰ θυμὸν
ὃς δέ κεν αὐτὸς ἕληται ἀναιδείφι πιθήσας
καὶ σμικρὸν ἐὸν τό τ᾽ ἐπάχνωσε φίλον κῆρ. Id est:

Quisquis sponte dabit quamuis ingentia, gaudet:
Idem forte procax quisquam si postulat ultro,
Vel minimum, hærebit mœrens. longeq; grauatus.

Seneca de beneficijs inquit, Epicurum queri nos esse ingratos, nec præterita inter bona connumerare, anxios tantùm futurorum. Memoriæ itaque minimum tribuit, qui spei plurimùm.

Idem.

Beneficium nullum perit, qui enim perdit, computauerat. Beneficiorum verò simplex ratio: si reddet aliquid, lucrum est, si non reddet, damnum non est.

Hesiodus facit tres gratias: Aglaen, Euphrosinam, & Thaliam. Homerus vnam ex his Pasithoan appellat: atque illis matrimonio addicit: respiciũt se inuicem complexis dextris, vt redditio beneficij notetur: hilares sunt, sicut dantes & accipientes: præterea virgines, quòd sine spei conceptione detur: vestibus fluentibus & lucidis, quòd sine alligatione alterius, aut obligatione tribuatur. Denique iuuenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Tres sunt, promerentium videlicet, & reddentium, & amborum simul.

Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit.

Quidam aliquid intempestiuè subitò remittunt, nihil se tales velle debere testantur. Qui enim nimis citò soluere cupit, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus est.

Beneficiũ qui non potest sustinere, hoc est, pro facultate sua animum reddẽdi non habet, non accipiat: Aliquando tamen non reddendũ, quando videlicet plus mihi detracturus sum, quàm illi collocaturus: vel illi parum, aut nihil redditum accesserit, mihi multùm.

EXEMPLA GRATITVDINIS EX *Valerio Maximo, Fulgoso, & Sabellico desumpta.*

Crinitus elegans carmen fecit, de ingratis fugiendis: quod inuenies in litera I. in verbo Ingratitudo.

Sabellicus libro 7. capite 1. exemplorum, De gratitudine.

Laudatissima virtutum gratitudo, res cælo & hominibus grata, gratique nominis, in quo genere vt vetustissimum, ita maximè pium Israëlitæ exemplum ædidêre, qui excusso seruitutis iugo, perque medios pelagi fluctus in pacatam terram egressi, confestim Deo seruatori hymnũ cecinêre, quem Moyses itineris autor est piè meditatus.

De eadem gente.

Fuit & in Rabaam Hierecuntiam eadem gẽs non ingrata, quam in Hierecuntis excidio solã cum tota domo præstitit incolumẽ: quòd suos hęc exploratores in vrbe deprehẽsos, per diem texisset, cùm ad supplicium quærerentur, noctuq; tutos in castra dimisisset.

De Dauide.

Gratus & Dauid rex, qui Ionathæ opera sæpius seruatus (erat Ionathas filius Sauli regis, quo nullus unquam hominum fuit Dauidi infestior) postquam regno Dauid potitus est, Ionathæ eius filium complexus, cùm omnem alioqui progeniem Sauli hostiliter insectaretur, vnum ob patris memoriam clementer fouit, regioq; conuiuio adscripsit.

De Cyri gratitudine in Iudæos.

Cyrus maior, quod in Esai ę libris ducẽtis antè & amplius annis editis, nomen suum disertè positum inuenit, Prophetę carmen, hoc habuit: Volo Cyrum, quem multarum & magnarum gentium regem constitui, populum meum ad propria remittere, ibique mihi templum iterum suscitari: Ipse inquam Cyrus prophetica prædictione lætatus, edicto testatus est, se Iudæos in patriam remittere, vt Deo templum restituerent, cuius prouidentia, multò priusquã nasceretur, fuisset rex constitutus.

De Alexandro in Hebræos.

Pari gratitudine Alexãder Macedo, cùm Hierosolymis esset Danielis prophetæ oraculo instructus, fore, vt rex Græciæ, Persarum olim opes euerteret. Certa spe victoriæ ex ea re percepta, Iaddum & cæteros sacerdotes, per quos vatidicum carmen cognouit, amplissimis donauit muneribus: ipsi ciuitati permisit, vt suis vteretur legibus, tributaque in septem annos remisit.

De Romanis mulieribus.

Proximus est publicæ gratitudini vetus ille Romanarum mulierum luctus, quę L. Brutum ob læsam Lucretiæ pudicitiam Tarquiniorum insectatione insigniter vindicatam, annum integrum luxêre.

Aliud de ijsdem mulieribus.

Pulchrum facinus, & in primis memorabile, quod in ea vrbe, quæ futura erat caput, & arx omnium gentium, virilis gratitudo cum muliebri toties certarit. Enimuerò matronæ rursus ob insignem pietatem à Martio Coriolano matri exhibitam, eum extractum menses decem luxêre. Idem copiosius, Valerius libro quinto capite 2.

De populo Romano.

Satuit populus Romanus Antonio Musæ medico signum Aesculapio proximum, ob Augustum periculoso morbo seruatum, monumentum

mentum publicæ gratitudinis haud vulgare, præcipuumque artis decus, quod potentissimi populi omniumq; gentium victoris iudicio vnus aliquis hominũ medicinæ Deo æquari debuerit, quod caput vnũ & si ciuitati gratissimũ maiore felicitate, quàm artis peritia seruasset.

De Græciæ gratißimo decreto.

Talis nec minor honos, minori gratitudinis fonte egressus, Hippocrati medico contigit in Græcia: Nam cùm pestem ex Illirico appropinquare diceretur, ex discipulis quosdã in diuersas Greciæ ciuitates dimisit, qui illis laborare incipientib. opitularentur. Quapropter eosdem quos & Herculi, Græcia honores illi decreuit.

Ex Baptista Fulgoso exempla decerpta.

Magna Syracusanorum erga Thimoleõtem Corinthium gratitudo fuit, cuius opera Dionysij secundi tyrannide liberati fuerunt: Nam cũ postea Syracusis quod supererat ętatis peregisset, (etenim vsq; ad vltimam decrepitam viuere ei contigit) nihil quod publicam rem attingeret, per id tẽpus Syracusani decreuerunt, nisi prius in consilium perlato Thimoleonte, eius sententiam perquisiuissent, à qua discedere nephas erat. Quum autem Thimoleon decessit, candidatus populus Syracusanus coronatus eum extulit, laudes eius magna lachryma rum vi decantans: publico edicto declarata funeris impẽsa: vt quanti ea cõstitisset, omnes intelligerẽt, in medio foro sepultus est, sepulchri area magna porticu circumsepta: quę à Thimoleontis nomine vocata est, in quo loco quotannis ludi in Thimoleontis memoriã ędebantur.

De Atheniensibus.

Athenarum ciuitas erga Aristidis liberos gratè se admodum egit: eorum enim memor, quæ Aristides pro Atheniensium salute Persarum bello egerat: honestè dotatas è publico Aristidis filias, ex publico palatio ad maritorum ędes deduxit, Lysimachoque filio centum argenti minas, & totidẽ agri iugera, quadragintaq; dragmas in singulos dies, vnde viueret, contulit.

De Artaxerxe, Xerxis filio.

Artaxerxes Persarum rex, cùm per regnum obequitaret, è more munera populi offerebãt: Rusticus aũt quidam transeunte eo rege, habere se nihil quod daret, cernens: statim ad proximũ amnẽ se contulit, vnde impletis aqua manibus ambabus, alios, qui cùm muneribus antecesserant, currendo cõsecutus, regi aquam obtulit: eo argumento amoris motus rex, mille Daricos, & cum eis cantharũ aureũ rustico quia gratitudine vinci se nolebat, dono dedit. *Memorabile regis exemplũ*

Eadem etiam gratitudine vsus est, cùm inopem militem ditauit, quòd ei ex aquę vtre potum præbuerat, quo die aduersus Cyrum fratrem suum decertauit: & prælio defessus, magno animi corporisq; æstu torquebatur.

De Iosue, Iudæorum rege

Cùm Iosue vrbem Hierico in potestatem redigisset, & ita à Deo iussus, non vrbem solùm euertisset, sed accolas quoq; omnes peremisset: non Cananęam tamen fœminam solam, verùm omnes quoq, alios, quos ipsa domi receperat, incolumes seruauit. Missos enim à Iosue exploratores, quos Hiericontis rex vt perderet insectabatur, domi Canança texerat, ita vt regis irã euaderent. Neq; verò Iosue satis duxit, Cananæam seruare, agros quoq;, vnde viuerẽt, & pecuniam largè dedit. Quanquã à Deo iussus erat omnes, quos in Hiericõte inuenisset, occidere. Neq; enim crimen à se admitti arbitratus est: si vt in tali re gratus esset, diuinum imperiũ trãsgressus videretur: in quo non peccasse eum, res ipsa ostendit: Siquidem Deus, qui volũtatis suę transgressores grauiter castigare solebat, in Iosue nihil animaduertit.

Ex Fulgoso historico.

Humanitati atq; clementiæ, haud aliter atq; matri, non iniuria se gratitudo coniungit, in omni amicitia, ad eam seruandam, vinculum maximè necessarium. Huius gratitudinis pręclara facinora eò excellentiora videbuntur, quò illa, quæ per ingratitudinem fiunt, & detestabilia magis, & perniciosa sunt: quæ si cum gratitudine conferantur, tenebris ipsis collatum lumen clarissimum videbitur.

De Agrippa Iudæorum rege.

Agrippa cùm Romæ in priuata fortuna esset, atque cùm propter falsas suspiciones Tiberij catenis ante palatiũ ad arborem vinciri iussisset, vt inde in carcerem duceretur: eo in loco propter solis ardorem, animiq; molestiam, magna siti torquebatur. Et cùm prętereũtem Taumastem vidisset Caij seruum, aquæ prægelidæ vas ferentem, orauit, vt bibere se fineret: Quod ille cùm amanter fecisset. Dixit Agrippa: se pro ipsa re gratiam aliquãdo relaturũ. Haud multò pòst igitur Tiberio Caius in principatu successit, à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerát, liberatus, atq; in Iudæa rex constitutus fuit: qui tunc à Caio impetrauit, vt eius imperio Taumastes liberaretur. Itaq; postea suorum numero acceptũ, regni procuratorẽ fecit: moriensq; testamento cauit, vt vxor atq; liberi eodem apud se loco Taumastẽ retinerent. Quę res exemplo esse potest, omnibus inseruiendũ, quantum fieri potest.

EXEMPLA GRATITVDINIS EX *Valerio & alijs decerpta.*

Valerius lib. 5. cap. 2.

Gratas animi significationes, & ingrata facta libuit oculis subijcere: vt vitio atq; virtuti iusta merces æstimationis ipsa comparatione accederet. Sed quoniam contrario proposito sese distinxerũt, nostro quoq; stylo separẽtur prio remq;

remq; locum obtineant, qui laudem, quàm qui reprehensionem merentur.

De Fabio Maximo.

Magnum grati populi Romani specimen in Q. Fabio Maximo enituit: Nam cùm quinq; consulatibus feliciter salubriterq; Reipub. administratis decessisset, certatim æs contulit: quo maior ac speciosior eius funeris pompa duceretur. Eleuet aliquis præmia virtutis: cùm animaduertat fortes viros felicius sepeliri, quàm viuere ignauos.

De Mithridate.

Mithridates rex magnificè gratus apparuit: quoniam pro Leonico acerrimo defensore salutis suæ, à Rhodijs nauali pugna excepto, omnes hostium captiuos permutauit: sanctius esse existimans, ab inuisissimis circunueniri, quàm bene merito gratiam non referre.

De Attalo rege.

Liberalis populus Romanus magnitudine muneris, quòd Attalo regi Asiam dedit dono, sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eandem Asiam populo Romano legauit. Itaq; nec huius munificẽtia, nec illius tam memor beneficij animus, tot verbis laudari potest, quot amplissimę ciuitates vel amicè datæ, vel piè redditæ sunt. His & horũ similibus exẽplis beneficentia generis humani nutritur atq; augetur. Hæ sunt eius faces, hi stimuli, propter quos iuuãdi & emerendi cupiditate flagrat. Et sanè amplissimæ & speciosissimæ diuitiæ sunt, feliciter erogatis beneficijs latè posse censeri.

Ex Sabellico libro 7. cap. 1.

Alexander Romanorum Pontifex, qui tertius eius fuit nominis, nouitate suorum temporum Federico Imperatori per Venetos, in vestibulo sancti Marci, reconciliatus, restitutusque in pristinã dignitatem: grato animo vmbella & alijs insignibus Veneti principis maiestatem excoluit. Volaterranus, lib. 22. Anthropologiæ. Latiora de vitis Pontificum.

Ex eodem.

Franciscus Dandalus, quia ad publicam Anathematis, quo notauerat Venetos, ignominiam deprecandã, diu ad Clementis Romani Pontificis mẽsam humiliter stratus iacuisset, ad quod ipsum fuerat publicè in Galliam missus: ex ea legatione reuersus, magno omnium ordinum fauore, princeps est ciuitatis factus: vt qui nuper in squalore & sordibus pro patria conspectus esset, sublimi loco conspiceretur, auro & purpura conspicuus.

Idem Sabellicus refert li. 8. Ennea. 5. secunda parte.

BRVTORVM GRATITVDO IN DOmimos, *ex Fulgosi libro 5. capite de gratis.*

Titi Sabini canis dominum in carcere nunquam deseruit, eoq; postea ad scalas gemonias deducto, in gementium morem, latrando semper domino astitit. Mirantibus hominibus, panem, qui oblatus erat, non manducans, ori domino admouebat: Qui posteaquam in Tyberim proiectus fuit, in amnem secutus dominũ, vt poterat, ex aqua caput eius alleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur: Quibus enim potuit modis gratias referre enixus est, quòd ab eo enutritus & dilectus esset.

De cane Iasonis Lycij.

Lycij canis, postquam dominum suum conspexit mortuum esse, omni cibo abstinuit, vt ei non superuiueret. Canes alij, alter Lisimachi regis, alter Hieronis in rogos se coniecerunt.

Scribit D. Ambrosius in examerone, Canem domini corpus noctu à milite in Antiochia occisi, semper custodijsse, iuxta, vt poterat, gementem: ad quem spectandum (quia res mira videbatur) cùm postridiè multi conuenissent, atque in eis is esset, qui eam cædem patrarat: qui ignotum se cæde noctu peracta arbitrabatur, à cane dentibus comprehensus, cũ insuper latratum vrgeret, & ipse præ animi conscientia plurimum perturbaretur, suspitionem perpetratę cædis fecit. Itaq; captus à magistratu, confessione criminis extorta, dignam pœnã luit.

De Aquila.

In vrbe Sextio aquila virgini pro æducatione aues, quas captabat, adferebat: postea in eodem rogo cum virgine mortua combusta est.

Exempla Gratitudinis brutorum animalium.

In omni animantium genere homini exempla ostenduntur, vt ipse quoque ad eam virtutem ardentius accendi possit. In equum Antiochi Regis Centaretrus Callata cùm Regem in prælio occidisset, conscendit: quo facto, visus est equus sentire tergo suo domini hostem insidere: itaque dentibus apprehenso fræno, ita vt nulla iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contendit, atque ab eo se, insidentemq; simul hostem pręcipitauit, sui domini mortem vltus.

De eq... Antio... [margin note, partly cut off]

De Aspide atq; Aegyptio.

Aspis in Aegypto in pauperis domo enutrita, illic peperit: & cùm vnius filiorum morsu interemptum hospitis filium vidisset, hic serpens filios suos omnes occidit, neque vltra in ea domo conspecta est.

Serpentis gratitudo.

O admiranda Dei virtus: Aspis fera erga hospitem suum gratam se etiam filiorum morte ostendere voluit: & homo, qui rationale animal est, aspide sæpe longè crudelior, hominem & hospitem perdit.

Quum Pyrrhus vrbem Argos erupisset, Elephas inter alios vnus, victoriæ cognomento, in vrbis porta magistrũ, à quo regebatur, mortuum præsensit: cuius rei dolore percitus, sine discrimine amicos hostesque vrgendo, inter hostes progressus prius non destitit, quàm ma-

Elephas gratitu... [margin note, partly cut off]

gistri

gistri corpus adinuenit: captum autem propo-scide addentibus retro in tutum ab hoste locũ retulit: Et militem non pudebit in hostium potestate interdum domini corpus deserere? cùm belua ingenio fera, tãto labore, periculoq; suo magistrum redimere voluerit.

Gratitudo Leonis erga Androdum seruum.

De leone & Androdo seruo Daco, qui ab eo, ad bestias damnatus, fuit seruatus. Vide Aulũ Gellium noct. Atticarum libro 5: capite 14. Fulgosus de Gratis etiam recenset.

Dicitur & Hieronymum ad onera ferenda parentem habuisse leonem, quem pede debilitatum hic curauerat. Item Macharium Aegyptium Heremitam, leænam mansuetam habuisse atq; ob id, quòd catulos oculis captos damno liberasset, pecudum ferarumq; aliarum, vt inde is indumenta conficeret, pelles detulisse referunt. Et Ruffinus hoc etiam verum esse scribit.

EXEMPLA GRATITVDINIS ALE-*xandri, Atheniensium, Xantippi, Populi Romani erga bruta animalia: ex Fulgoso.*

De Alexandro Magno.

Adeò insignis quibusdam gratitudinis virtus visa est, vt ea non tantùm erga homines, sed & in bruta quoq; animalia vteretur: Quemadmodum Alexander erga Bucephalum equum suum egit, ipsius nominis vrbe in eo loco condita, vbi sub eo confossus fuit quem conspicuo quoq; sepulchro decorauit.

De mulis Atheniensibus.

Athenienses mulos, qui magno labore ad Hecatonpylon ferenda materia opus fecerant, omni labore postea immunes fecerunt: permittentes, vt soluti passim, vbi vellent, depascerentur.

De cane Xantippi.

Non minus erga canem suum Xantippus Atheniensis gratus extitit, qui maria pernatans, vsq; in Salaminam eum secutus fuerat: quo tẽpore, adueniente in Greciam Xerxe, maior Greciæ pars in eam se insulam recepit. Nam ne tanto amori ingratus foret, mortuo cane, in Salaminę arce sepulchrum ei condidit, quod Cynotaphium appellatum est.

De anseribus Capitolinis.

Nec Populum Romanum puduit, perpetuo gratitudinis honore anseres prosequi, quod dormientibus vigilibus, cùm Galli iam in summum capitolium perrepsissent, clamore milites Romanos excitarũt: statuit enim vt in eo loco in posterũ, magnus anserũ numerus publica impẽsa aleretur, ad eãq; cẽsores inter tot publica onera publicanos primò obligarent. Ne aũt minus seuerũ quàm gratũ populus idem præberet, ipso die quo hoc cõtigerat, in loco designato, quotãnis aliquot viuos canes suspendebãt: quod ipsi, quib. maximè inuigilandũ fuerat, anseribus vigilantibus dormierant.

De coruo Romano.

Imperante Tiberio Cæsare, populus Romanus coruum sepeliuit, ferẽtibus feretrũ duob' Ethiopibus seruis, præcinente tibicine ac musicis, cũ prius eum, qui coruũ occiderat, lapidib. obruisset. Hoc aũt egit, quia hæc auis nominatim mane Drusum ac Germanicum Cæsarem, ac multos præterea alios, postremoque totum populum salutabat. Huius igitur honoris vltionisq; exemplo patet, quantum laudis gratitudo mereatur, quæ in homines exercetur, cùm erga irrationale animal victor gentium populus ea vti voluerit. Ex Fulg. li. 5. cap. 2. de Gratis.

Nihil citius senescit beneficio.

Ouidius 2. de Ponto.

Vt quanquam longe toto sumus orbe remoti,
Scire tamen poßis nos meminisse tui.
Nominis ante mei uenient obliuia nobis,
Pectore quàm pietas sit tua pulsa meo:
Et prius hanc animam uacuas reddemus in auras,
Quàm fiat meriti gratia uana tui.

Seneca.

Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.

Item.

Beneficia dare qui nescit, iniustè petit.

Item.

Beneficium accipere, libertatem uendere est.

Item.

Beneficia plura recipit, qui scit reddere.

Et.

Beneficia se dedisse qui dicit, petit.

Item.

Beneficium sæpe dare est, docere reddere.

Ouidius 2. de Ponte ad Ruffum.

Ore ferant grates, quoniam non possumus ipsi,
Dij tibi qui referent, si pia facta uident.

Chilo Lacedæmonius.

Beneficij dati obliuisci decet, accepti meminisse: vulgus hominum contrà facit: si quid cui benefecerunt, & sine fine prędicant, & sine modo exaggerant: si quid in ipsos collocatũ fuerit officij, mox aut obliuiscuntur, aut dissimulãt, aut eleuant. Carmen Ausonij sic habet:

Si bene quid facias, non meminisse fas est.

Beneficij obliuio.

Aristoteles percunctanti quod citò senesceret, Ratio est, inquit: Sentiens iniurię memoriã esse tenacissimam, beneficij breuissimam.

BENEFICIVM MERITVM.

Eras. libro 3. Apophteg. de Diogene.

Quibusdam prædicantibus eius benignitatem, qui Diogeni quiddam donarat, quin & me, inquit, laudatis, qui accipere merui. Plus enim est meminisse beneficium: quàm dedisse. Iuxta illud P. Mimi

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Plautus

Plautus in captiuis.

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida est bonis.

APOPHTEGMATA DE GRATItudine & ingratitudine.

Seneca de beneficijs cap.21.

Duo sunt genera grati hominis: Dicitur gratus, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit: hic fortasse ostentare se potest, habet quod iactet, quod proferat. Dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono dedit: hic intra conscientiã occlusus est, quę illi contingere potest, vtilitas ex affectu latenti? Atq; etiam hic si vltra facere nil potest, gratus est, amat, debet, referre gratiam cupit, quicquid vltra desideras, non ipsi deest. Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppeditant. Nec minus canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus obstrepẽtium non sinit. Volo referre gratiam, post hoc aliquid superest, non vt gratus, sed vt solutus sim. Sæpe enim & qui gratiam retulit, ingratus est, & qui non retulit, gratus: Nam vt omnium aliarum virtutum, ita huius ad animũ tota æstimatio redit, hic si in officio est, quicquid defuit, fortuna peccat. Est aliquando gratus etiã qui ingratus videtur, quẽ mala interpres opinio in contrarium tradidit.

Actio gratiarum pro beneficijs.

Haud opis est nostræ grates persoluere dignas,
Tantis pro meritis, officijsq; tuis.
In me quæ toties animo conferre benigno
Haud meritum & mera dexteritate soles.
Tot tibi sint igitur grates, quot Gargara messes:
Mellificus quot habet dulcis Hymettus apes:
Ver placidum quot diffundit uernantia campis
Gramina, syderibus quot micat atq; polus.
Quot rigidas fouet Ida feras, quot & aura uolucres,
Auritos lepores quotq; alit altus Athos.
Ergo uale, & placidis me perge amplectier ulnis:
Te quoq; mi poterit nulla abolere dies.

GRATITVDO PRINCIPIS

Eras. libro 4. Apopht.

Veteranus quidam, cùm vocatus in ius periclitaretur, adijt in publico Cæsarem, rogans vt sibi vellet adesse, Cæsar è comitatu suo selectũ ilico dedit, eiq; litigatorem commendauit. Hic miles vociferans: at non ego Cæsar, periclitãte te Actiaco bello vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui: simulque detexit cicatrices. erubuit Cæsar, atq; ipse descendit in aduocationẽ, veritus ne non modò superbus, verumetiam ingratus videretur.

NANVS. GRauitas Græcè βάρος εος τὸ, & βαρύς έος ὁ grauus dicitur.

Est autem graue, quod est natũ ferri ad medium, secundum Aristotelem, libro primo de cælo & mundo.

Grauissimũ est, quod substat omnibus deorsum latis, secũdum Aristotelem ibidem. Et est graue per abusionem, quod nos grauat, & molestia afficit, hinc senectus grauis, morbus grauis, dolor grauis: quoniam qui talia ferunt, vellent tanquam onus graue deponere. Ita & constantem ac prudentia præditum, grauem dicimus, quod nec precibus, nec minis, nec alia passione moueatur à recto. Oppositum faciũt, qui leues sunt.

Ouidius.

Tu leuior folijs, tunc cum sine pondere succi.

Hinc grauitas quæ est firmitas ac constantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam seueritas.

GRauitas est, per quam loco ac tempori, itẽ & personæ, animus consentaneus talem elegantiam corporis & sermonis habitum gerit, cum dignitate. Cuius extrema: morositas & abiectio &, vt Apuleius fingit, placentia. Partes ipsius: tristitia & seueritas.

Vel est firmitas & constantia animi, in moribus, vultu, verbis, rebus agendis quædam seueritas. Græcis σεμνότης dicta.

Fulgosius libro 6. capite 4. De ijs quæ grauiter dicta uel facta sunt.

Grauitas in verbis rebusq;, cùm superbia aut iactantia caret, in omni hominum genere laudatur: & tamen ijs præcipuè, qui in ampliore fortuna constituti sunt, cõgruere magis videt.

Themistocles cùm ad mare descendisset, vt occisorum Persarum stragem inspiceret, cùm passim humi mortuorum corporibus militũ sparsos torques, & armillas aureas videret, ad amicum conuersus dixit: Tu, qui Themistocles non es, ista collige: Grauissimo verbo ostendens, conditiones, quibus hominum gradus discriminantur, eas esse, quę faciant, vt aliquid agere, aut deceat, aut non deceat.

De eodem.

Quum Symonides poëta, prætoris Themistoclis operam pro amico in re iniqua peteret: Respondit Themistocles, nec Symonidem fore bonum poëtã, nisi mensuram modũq; in canendis carminibus, quę scribebat curaret: neq; se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac iustitiæ alicuius gratiam præposuisset.

De Lacedæmonijs.

Grauiter Lacedæmonij quoq; Macedonum Philippo regi responderunt, cùm rem iniquam ab eis petijsset: Hoc enim responso vsi sunt: Lacedæmonij Philippo regi, de eo quod ad nos scripsisti, nõ: nulla alia vel excusatione, vel verbo addito.

Erasmus libro 1. Apophteg.

Alcamenes Telecri filius cuidam percunctãti, quo pacto quis optimè regnum seruare posset: Si lucrum, inquit, non magni fecerit: Longe,

gè lateque dissentiens à vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum constabilire student, quàm attenuandis ciuium, suisque augendis opibus, cùm iustitia & æquitas maximè reddant diuturnum imperium.

De Syagro Lacedæmoniorum Legato.

Grauissimum fuit responsum Syagri, cùm vnà cum Atheniensibus, quo tempore Xerxes expectabatur, ad Gelonem tyrannum Syracusanum missus fuit, vt in eo bello opem ab eo peterent: Nam cùm Gelo offerret trecentos triremes, duo equitum, & octo peditum millia, ac præterea grandem pecuniam, ac vim magnam frumenti, si Græci in eo bello eum ducem creare vellent, Syagrus respondit, non accipere se conditionē, quia ad quærendos milites, & non ad sumendum ducem missus erat. Pluris enim patriæ dignitatem, quàm eam necessitatem, in qua eos fortuna deprehenderet, facere voluit.

De Sene Lacedæmonio.

Quum in Spartanorum consilio quidam vitæ parum probatæ, lingua promptus sententiam suam apprimè prudēter dixisset, quoniam maiorem senatus partem magno opere mouerat: Et propterea dictum erat, vt in eius verba decretum conscriberetur: Senex quidam inter alios vehementer senatum reprehendit, quod ab illaudato vitæ homine, aliquo modo consilium cepisse videri vellet: Ostendens eiusmodi rem vehementer grauitati Lacedæmoniorum aduersari. Sed cùm omnes illius tamen sententiam laudarent, persuasit vt eandem ipsam rem, quàm eloquens, cæterùm bonus parum dixerat, ab alio quoque non æquè diserto, bono tamen viro dici iuberent: & sub eius nomine Senatusconsultum conficerent. Quamobrem ne (vt monebantur) grauitatis immemores fuisse viderentur, bono consilio vsi, authoris nomen præterierunt.

De Romano Senatu.

Ingenti grauitate Romanus Senatus vsus est: quum vrbe à Coriolano atque Volscis obsessa, quanquam Senatusconsultum de pace conscripsisset, aperire tamen nunquā voluit, nisi prius Romano agro Volsci cum exercitu excessissēt: ne aliquando diceretur timore coactos Romanos, pacem cum Volscis fecisse.

Alia de eodem alijsq; viris, populus: item exempla, grauiter dicta & facta, videto apud Fulgosum, atq; Valerium Maximum, libr. 6. cap. 4.

GVbernare est rem ad debitum finem conuenienter perducere, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 102. artic. 2. NANVS.

Gubernatio est executio prudentiæ, secundum B. Thom. prima secundæ, q. 22. art. 1. κυβερνάω Græcè, guberno Latinè dicitur.

Gula est inordinatus appetitus delectabilium secūdum gustum, & est peccatum

- *Mortale, cùm quis delectationi ciborum & potus inhæret, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes huiusmodi consequatur.*
- *Veniale, cùm est immoderata concupiscentia delectabilium gustus, ita tamen, quod propter hoc nihil ageret præter legem Dei.*
- *Generale habens species quinq;, in hoc uersu subscripto contentas, nam articulo 4.*
  - *Quantum ad comestibile, triplex contingit inordinatio:*
    - *Prima quantum ad substantiam dicitur lautè, cùm cibaria nimis preciosa quæruntur.* Lautè.
    - *Secunda quantum ad qualitatem, cùm nimis accurata cibaria quæruntur.* Studiosè.
    - *Tertia quantum ad quantitatem dicitur nimis, cùm maior debito quantitas sumitur.* Nimis.
  - *Quantum ad modū comestiōis, & contingit inordinatio duplex, sci.*
    - *Prima cùm nimium præuenitur cibi tempus, & dicitur* Præproperè.
    - *Secunda, cùm non seruatur debitus modus, & dicitur* Ardenter.
  - *Versus.* Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.
- *Capitale, quia ex inordinato appetitu delectabilium gustus, deordinatur homo, art. 5. & 6.*
  - *Ex parte animæ quatuor,*
    - *Primò acies mentis uel rationis per fumositates ciborum, & dicitur* Hebetudo sensus.
    - *Secundò affectus qui deordinatur consequenter per defectum rationis, & dicitur* Inepta lætitia.
    - *Tertiò locutio quæ deordinatur superfluis & inhonestis, & dicitur* Multiloquium & Turpiloquium.
    - *Quartò actus exterior, qui deordinatur per defectum rationis, cuius erat exteriora componere, & dicitur Iocularitas uel Scurrilitas.*
    - *De quibus uide in Gula, quid dicat Gregorius primo Moralium, nonnulla.*
  - *Ex parte corporis*
    - *Consequitur emißio quarundam superfluitatum, & dicitur Immunditia.*

Ex B. Thom. secunda secundæ, q. 148.

GVla Grecè λαιμαργία ας ἡ, & λαίμαργος ου ὁ gulosus & heluo, & λαίμος ου ὁ guttur dicitur. Et est gula immoderata cibi auiditas, vel inordinatus appetitus cibi & potus, secundum Bea. Thom. Secunda secundæ, q.148. art.1. & Albertus Magnus in Compendio suo libro 3. cap.20. hinc degulo verbum, hoc est, gulæ trado. Plautus: Postquam degulato patrimonio pauper est factus. Hinc gulosè, id est auidè. Hinc etiam ingluuies, id est ventris rapacitas.

Exodi 32.

Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

Prouerbiorum 21.

Qui diligit epulas in egestate erit, & qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.

Ibidem cap.33.

Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescẽdum conferunt: quia vacãtes potibus & dantes symbola consumentur.

Ecclesiastes 7.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens homo cogitat, quid futurum sit.

Ad Romanos cap.14.

Is qui mandacat, non manducantẽ non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.

Augu. de doctrina Christiana, & hab. dist.41. Quisquis.

Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quàm sese habent mores eorũ, cum quibus viuit aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorũ, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus eorum, sed libido in culpa est. Quid igitur locis & tẽporibus & personis conueniat dilgenter attendẽdum est, nec temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, vt sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis preciosissimo cibo sapiens vtatur: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum holus ardescat.

Augustinus libro quæstionum Euangelicarum.

Non vsus, sed concupiscentia reprehendenda est: non enim interest omninò quid alimentorum sumas, vt succurras necessitati corporis, dummodo congruat in generibus alimentorũ his, cum quibus tibi viuendum est, neq; quantum sumas interest multum, cùm videamus aliorum stomachum citius saturari cibis, & eos cum illis ipsi paruo quo satientur ardenter, intolerabiliter & omninò turpiter inhiare.

Augustinus super illud ad Roma.14. Noli propter escam destruere opus Dei, omnia quidem munda sunt.

Non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo inuenit, & Esau primatum suum, non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.

Idem lib. de uerbis Domini, & hab. di.41, Non cogantur.

Non cogantur diuites pauperum cibis vesci: vtantur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse sustentari: si consuetudinem mutant, ægrotant, vtantur superfluis, dent inopibus necessaria: vtantur preciosis, dẽt pauperibus vilia.

Idem libro 9. Confeßionum.

Hoc me docuisti Deus, quemadmodum medicamenta, sic alimẽta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ.

Ibidem.

Cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, quæ plerunq; præire conatur, vt eius scilicet causa fiat, quod salutis causa facere me dico, vel volo.

Idem libro Sermonum sermone 1.

Caro iumentum est, quod est fræno & fame domandum, quia de via quæ ducit Hierusalem excludere conatur.

Hieronymus epist. ad Furiam de uiduitate seruanda.

Non Aethnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesuuius & Olympus, tantis ardoribus ęstuant, vt iuueniles medullę vino plenę, & dapibus inflammatæ.

Idem libro 2. contra Iouinianum.

Esus carnium, & potus vini, ventrisq; saturitas, seminaria sunt libidinis.

Idem epistola 95.

Caro domanda, vt sessorem spiritum sanctũ, moderato atq; composito portet incessu.

Idem 80.

Cibus sit holusculum & similia, raroq; pisciculi: & ne præcepta gulæ longius trahã, sic semper comedas, vt semper esurias, vt statim post cibum possis legere, psallere & orare.

Idem ad Helbiam.

O miserabiles, quorum palatum non nisi ad preciosos cibos excitatur.

Idem epistola 94.

Infelices sunt qui maiorem habent famem, quàm ventrem.

Idem contra Iouinianum, & hab. de con. dist. 5. Ne tales.

Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comestos magno paratos, & perditos labore doleamus. Holerum ac pomorum, ac leguminum facilior apparatus est, & arte impendijsq; coquorum non indiget, & sine cura sustentat humanum genus moderatè sumptus. Quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet, & leuiore digestione decoquitur.

Ibidem.

Ibidem.

Hæc sunt sibila serpētis antiqui, his consilijs draco de paradyso hominem expulit.

Ambrosius super Lucam libro 5.

Indecorum est homines curare de cibo, qui militāt Dei regno. Nouit rex quemadmodum familiam pascat & vestiat, & ideo dixit: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.

Idem in sermone de Ieiunio.

Malę dominę seruitur Gulę, quę semper expetit, nunquam expletur, quid enim insatiabilius ventre? Hodie suscipit, cras exiget: cùm impletus fuerit disputatur de continentia, cùm digesserit, valedicitur virtutibus.

Idem libro 3. de Officijs.

Conuiuia extraneorum occupationes habent, subrepunt fabulę, & propter voluptatem pocula.

Gregorius Moralium libro 1.

Nonnulla sunt vitia quæ à conuiuijs separari, aut vix, aut nunquam possunt. Penè omnes epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur, vnde scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerūt ludere. Penè semper epulas loquacitas sequitur, cumq́; venter reficitur, lingua effręnatur. Vnde diues apud inferos in lingua cruciabatur.

Idem homilia 11. super illud Matthæi 2. Per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.

A regione nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus. Sed ad eam necesse est, vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, carnis appetitus refrænando, redeamus.

Idem Moralium libro 30.

Neq; ad conflictum spiritualis agonis consurgitur, si nō prius in nosipsos hostis positus, gulæ scilicet appetitus edomatur.

Ibidem.

Incassum contra exteriores hostes in campo bellū geritur, si intra ciuitatis mœnia insidians ciuis habetur.

Idem in expo. B. Iob, & habetur de con. distin. 5. Quinq;.

Quinque modis nos vitium gulæ tentat: aliquando namq; indigentiæ tempora præuenit: aliquādo tempora non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quæ sumenda sunt, procurari accuratius expetit: aliquando autem & qualitas ciborum & tempus congruit, sed ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit: nonnunquam & abiectius est quod desideratur, & tamen in ipso æstu immensi desiderij deterius peccat.

Idem Moralium libro 30.

Sic voluptas plerūq; sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisq; discernat. Nam dū solum debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit: & tantò gula securius in pręceps ruit, quantò sub honesto nomine necessitatis * explendæ se collegit.

* Fortè, explendam: alij habent expellendam.

Idem in Pastorali.

Coquorum princeps muros Hierusalem destruxit, quia dum venter ingluuię tenditur, virtutes animæ luxuria destruuntur.

Bernardus ad Abbatem Cluniacen. epistola 2.

Inter prandia quantum fames dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo, & ibidem fercula ferculis apponuntur. Et pro solis carnibus, à quibus aliquoties abstinetur, grandia piscium corpora apponuntur. Cumq́; prioribus saturatus fueris, si secundos scilicet pisces attigeris, videtur tibi non gustasse pisces. Tanta quippe accuratione, & arte coquorum omnia apparantur, quatenus quatuor aut quinq; ferculis deuoratis, priora non impediunt nouissima, nec saturitas minuit appetitū. Palatū quippe, dum nouellis seducitur condimentis, paulatim descuescit ad cognita. Pòst, venter quidem tumescit, oneratur, sed varietas tollit fastidium.

Ibidem.

Quis dicere sufficit quod modis (vt de cæteris taceam) sola oua vertantur, versantur, durantur, liquantur, quandoq; vertuntur, subuertuntur, diuiduntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur? Vt quid hæc omnia? nisi vt soli fastidio consulatur.

Ibidem.

Dum oculi coloribus, palatum saporibus alliciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec quem sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quàm reficitur: & cùm crebris ructibus se repletum indicet, nondum curiositas satiatur.

Bernardus super Cantica homilia 31. super illud: Qui uoluerit animam suam saluam facere.

Quid hic vos dicitis obseruatores ciborū, neglectores morū? Hippocrates & Socrates docent animas saluas facere in hoc mundo, Christus & discipuli eius perdere Quem vos è duobus sequi vultis magistrū? Manifestū se facit, qui disputat, hoc oculis, hoc capiti, hoc stomacho nocet.

Ibidem.

Legumina ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ pectus nō sustinet. Quare hoc est, vt totis fluuijs, agris, hortis & cellarijs vix inuenire possis, quod comedas? puta quæso, te monachum esse non medicum: non de complexione iudicandum, sed de professione.

Idem epistola ad Fulgentium.

Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & corporales delitię, in eodē se non compatiuntur. Vbi crapulam ructantis

inter pocula Christus senserit, vina sua dulciora super mel & fauum mēti propinare dedignatur. Vbi curiosa diuersitas ciborum pascit ventrem, cælestis panis ieiunam deserit mentem.

Hugo libro de claustro animæ.

Affluentiam ciborum comitari solet insolentia verborum: saturitatem ventris sequitur leuitas operis, & vanitas mentis: vnde sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere.

Idem in summa disciplinali.

Sunt qui superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibēt, infinita frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, modò calida, modò frigida, modò assa, modò elixa, modò pipere & huiusmodi saporibus condita, secundum consuetudinem mulierum prægnantium desiderantes.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Interrogatus Diogenes quæ hora esset comessationi congrua, ait: habenti quod edat, hora est congrua, cùm famescit: non habenti verò, cùm habere potest.

Seneca ad Lucilium epistola 99.

Multos morbos multa fercula faciunt.

Cicero Tusculanarum Quæstio. libro 5.

Cùm Dionysius tyrannus cœnasset, negauit se delectatum esse in cibo. Respondit coquus: Minimè mirum, quia condiméta deficiunt: qui cùm quæreret quæ essent illa, respondit: labor, sudor, cursus, fames, sitis: talibus enim Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.

Lucius Apulcius de Asino aureo.

Non immeritò medici fidi cibo & crapula distentos, sæua & grauia somniare autumant.

Lactantius Firmianus diuinarum institutionum.

Turpe est sapienti, si ventri & gulæ seruiat: si vnguentis oblinitus, aut floribus coronatus incedat: quæ qui facit, vtiq; insipiens, & ineptus & nihil est.

Franciscus Petrarcha de remedijs utriusq; fortunæ.

Doleo. Gula sollicitor. Respondeo: Propè id quidem nulla res tam viles, tam solicitos vos habet. Terrarum tractus, cæliq; & maris abdita penetratis. Meditati estis retia, & hamos & viscum, & laqueos, & rapaces imperio rapere, & prædari vobis docuistis, ad nil aliud, nisi vt gulę satisfiat. Quam non modò explendo, sed onerando fatigatis, & angustum ventrem varia arte laxatis, ac punitis obsequendo, cui aliquanto vtilior fames esset, vtilissima verò sobrietas.

Idem ibidem.

Gaudeo. Lautis & multiplicibus vtor cibis. Respondeo: Propter crapulam multi perierũt: qui autem abstinens est, adijciet vitam: Ipse demum professor voluptatis Epicurus, tenuem victum quasi vnicum auxilium suæ professionis, & laudauit & coluit. Cibus enim tenuis ac modicus, siccos, validos, & aspectu placidos, ac odore corporis, nec sibi, nec alijs molestos facit. Victus autem crapulæ madidos, æstuantes, tremulos & olentes, & (vt Ciceronis vtar verbis) sudantes & ructantes facit: vt aspectu videatur, quid intersit inter frugalitatem & crapulam.

Plautus in Mustellaria.

Aedes plenas esse conuiuarum & mulierum, miserum est opus.

Iuuenalis satyra 1.

—Sed quis ferret istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?
Pœna tamen præsens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pauonem in balnea portas:
Hinc subitæ mortes, atq; intestata senectus,
It noua, nec tristis per cunctas fabula cœnas,
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Idem satyra 11.

Multos porrò uides quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo uiuendi causa palato est.

Ibidem.

Intereà gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo precijs obstantibus, interius si
Attendas, magis illa iuuant quæ pluris emuntur.

Ibidem.

—Buccæ
Noscenda est mensura tuæ.

Ibidem.

Nec multùm cupias, cùm sit tibi gobio tantum
In oculis.

Ibidem.

Quis enim te deficiente crumena,
Et crescente gula, manet exitus?

Ibidem.

Non præmaturi cineres, non funus acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.

Ouidius libro 3. Artis amandi.

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.

Ibidem.

Priamides Helenen auidè si spectat edentem,
Oderit, & dicet: stulta rapina mea est.

Martialis libro 5. ad Charopinum.

Improbius nihil est hac Charopine gula.

Idem libro 9. in amicos fictos.

Hunc quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mulos & sumen & ostrea, non te
Tam bene si cœnem, noster amicus eris.

Idem libro 12.

Non Albana nihil sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ pontificumq; dapes.
Imputet ipse Deus, nectar mihi fiet acetum,
Et Vaticani perfida uappa cadi.

Conuiuas

Conuiuas alios cœnarum quære magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.

Horatius sermonum libro 2. satyra 2.
Ieiunus rarò stomachus uulgaria temnit.

Idem satyra 7.
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusiq; pedes uitiosum ferre recusant
Corpus.—

Idem epistolarum libro 1. epistola 4.
Me pinguem & nitidum bene curata cute uises,
Cùm ridere uoles Epicuri de grege porcum.

Dantes purgatorij ca. 23.
Tutta esta gente che piangendo canta,
Perseguitare la gola ultra misura,
In fame e in sete qubi se risa sancta. *id est:*
Omnis gens hæc quæ cantando plorat,
Ex eo quod secuta gulam est ultra mensuram,
In fame & siti hìc fit rursus sancta.

Franciscus Petrarcha soneto 7.
La gola, il somno & lociose piume,
Hano del mondo ogne uirtu sbandita:
Et e dal corso suo quasi smarita
Nostra natura, e uincta dal costume. *id est:*
Gula, somnus, & otiosæ plumæ,
E mundo omnem uirtutem pepulerunt:
Estq; à cursu quasi iam deuia
Nostra natura, uicta est consuetudine.

HAbere Græcè ἔχειν, & ἔχω habeo dicitur. Habere autem dicimus id, quo liberè vti vel frui possumus cùm volumus: secundum B. Thom. prima parte, q. 38. art. 1. Per metaphoram significat occupare, tenere. Virgilius: Hostis habet muros. Interdum habitare. Idem: Quæ loca, quíue habeant homines. Nonnunquam intelligere. Terentius: Habes omnem rem. Aliquando facere. Cicero: Quo scelere impulsus mare haberet infestum vno myoparone. Eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Habere rem, est coire. Habere rem, litigare. Bene habere, incolumem esse. Malè habere, ægrotare. Habere item, proficisci. Habere verba, loqui. Habere rationem, respicere. Item habeo conuenire Ciceronem, id est, Cicero est mihi conueniendus, & sic de reliquis. Ab habeo fit habito frequentatiuum. Virgilius: Atq; humiles habitare casas: hinc etiam habitaculum.

Habilitas est medium inter potẽtiam vel subiectum, & actum seu formam, secundum B. Tho. prima parte q. 48. art. 4. Estq; habilitas aptitudo, & venit ab habilis, hoc est pro viribus aptus. Virgilius. Namq; humeris de more habilem suspenderat arcum venatrix. Et habiliter aptè, & habitus, de quo infrà: quæ omnia ab habeo deducuntur.

Habitus est quædam animi qualitas, acquisita ex frequentibus actibus, vel ex vno multum vehementi, quo anima faciliter disponitur ad aliquid faciendum. Differt autem à dispositione, quia habitus est de difficili mobilis à suo subiecto. Dispositio verò de facili mobilis; secundum Aristotelem libro Prędicamentorum.

Habitus est qualitas de difficili mobilis, qua homo potest vti cùm voluerit, reddens operationem delectabilem. B. Thom. 12. q. 49. art. 2. & sic est prima species qualitatis.

Habitus, prout est prædicamentum, importat habitudinem indumenti ad indutum, Beat. Thom. prima secundæ, q. 49. art. 1.

Habitus est corporũ, & eorum, quę circa corpus sunt, adiacentia: secundum Gilbertum Porretanum libro 6. Principiorum.

Habitus est secundum quem ad aliquid nos habemus, benè vel malè, secundum B. Thom. prima parte q. 83. artic. 2. & sic est postprædicamentum.

Habitus religionis est obseruantia regularis, pertinens ad tria principalia vota, vt signũ obligationis, B. Thom. secunda secundæ quęstio. 186. arti. 7.

Halo est circulus causatus ex vapore humido, existens in aëre, circundans solem, vel lunam, & huiusmodi: secundum B. Thom. Quodli. lib. 3. q. 14. art. 1.

Hęreditas Gręcè κληρονομία ας ἡ, & κληρονομέω hæredito dicitur. Et est successio in vniuersum ius quod defunctus habuit, ut l. Nihil, de ver. si.

Hæres Græcè κληρονόμος ου ὁ dicitur. Et est ille, qui principalia alicuius bona percipit: non autem qui munuscula eius capit, secundum B. Thom. super Epistolam Pauli ad Romanus 8. le. 3. col. 4. Dicuntur autem hæreditas & hæres ab hærendo, hoc est, arctè insidendo. Nam qui hæres est, hæret: hoc est, proximus est ei, cuius est hæres: licèt nonnulli hæredem dictum velint, quòd hærus fiat, hoc est, dominus bonorum, quæ ad eum perueniunt. Ab hæres fit cohæres, qui simul hæres institutus est, & exhæres qui extra hæreditatem est, & hæreditate priuatur, vnde fit verbum exhęredo, à quo exhęredatio. Hinc etiam hæreditarius, hoc est, ad hæreditatem pertinens, hęreditarius morbus, qui parentum vitio nobis obtingit: hinc hæredipeta, qui blanditijs, muneribus, & alijs artibus subornat morituros, vt ab eis hæres instituatur. Hæreo aliquando pro dubio ponitur, quoniam qui in aliqua re dubitant, non mouentur. Cuius frequentatiuum hæsito, hæsitatio dubitatio: hæsitabundus valde dubius.

HAEresis Græca dictio est αἵρεσις ιος ἡ, diciturq; ab electione, quoniam vnusquisque eligit sibi disciplinam, quam putat esse meliorem, secundum Hiero. in Epistola ad Galatas, & habetur 23. q. 3, cap. Hæresis. Videtur deduci ab ἐρείδω quod est innitor, & firmo Latinè: vel ab αἱρέομαι quod est opto seu eligo.

Hæresis ratione pertinaciæ, est species pecca-

ti in spiritum sanctum.s.impugnatio veritatis, secundum B.Tho.4.Sent.dist.13.q.2.art.2.

Hæreticus quid sit, vide infrà in præsenti capitulo autoritates beatorum Augustini & Hieronymi, incipientes: Dixit Apostolus, Qui in ecclesia, & Hæresis Græcè.

Augustinus in libro de Babtismo, & habetur de Con.dist.4.capite Non dubito.

Non dubito catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere.

Idem in expositionem Psal.4. & habetur de Con. dist.2.c.Prima quidem (inquit) hæresis.

Prima quidem (inquit) hæresis in discipulis Christi, velut à duritia eius sermonis facta est, cùm enim diceret: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternā. Illi verò non intelligentes, dixerunt ad inuicem: Durus est hic sermo, quis eum potest manducare?

Idem & habetur 24.q.1.Vbi sana.

Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia, quia iustus ex fide viuit. Neq; scismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malū non operatur quam si hæretici haberent, non dilaniarēt corpus Christi, quod est ecclesia catholica.

Idem.

Adeò diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cū interogāt nos ea quæ nescimus, sic discutiamus pigritiā, & diuinas scripturas capiamus, propterea Apostolus ait, vt probati manifesti fiant. Hi autem Deo probati sunt, qui bene possunt docere.

Idem, & habetur 24.q.3 .Dixit.

Dixit Apostolus Hæreticum hominem post primam & secundā correctionem deuita, quia subuersus est huiusmodi, & peccat in semetipso damnatus. Sed qui sentētiam suam quamuis falsam, atq; peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed à seductis, atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquā sunt inter hæreticos deputandi.

Idem contra Mani. & hab.24.q.3.Qui in Eccl.

Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumq; quid sapiūt, si correcti, & sanum rectumq; sapiant, resistunt cōtumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolūt, sed defensare persistunt, hæretici sunt.

Idem libro 2.contra Manichæos.

Ille gladium accipit, qui nulla superiori ac legitima potestate, vel iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Porro illud Hieronymi, quo ecclesia negatur aliquem persequi, non ita intelligendum est, vt generaliter ecclesia nullum persequatur, sed quod nullum iniustè persequatur. Non enim omnis persecutio culpabilis est, sed rationabiliter hæreticos persequimur, sicut & Christus persecutus est eos, quos de templo expulit.

Hieronymus in epistolam ad Galat. & habetur 24.quæst.3.Hæresis.

Hæresis Græcè ab electione dicitur, quòd.s. eam sibi vnusquisq; eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicūq; igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licèt ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est, eligens quę peiora sunt.

Idem in Esaia & habetur de pœnit.dist.1.

Omnis iniquitas.

Omnis iniquitas, & oppresio & iniustitia, iudicium sanguinis est. Et licèt gladio non occidas, voluntate tamen interficis.

Idem & hab.24.q.3.Resecandæ.

Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, nę tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpatur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoiam statim oppressus non est, per totum orbem eius flamma populata est.

Ioannes Chryso.super Mat.

Sicut cauendi sunt, qui habent speciem bonæ vitę, propter dogma nequitiæ: sic & hi, qui integræ fidei & doctrinæ sunt, & turpiter viuunt.

Bernardus super Cant.

Plus longè nocet falsus catholicus, quàm si verus appareat hæreticus.

Leo Papa & hab.24.q.3.Quid autem.

Quid autem iniquius est, quàm impia sapere, & sapientiorib. doctioribusq; non credere? Sed in hanc insipientiam cadūt, quicunq; ad cognoscendam veritatē aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, apostolicas literas, euāgelicas autoritates, sed ad semetipsos recurrūt, & ideo magistri erroris existūt, quia veritatis discipuli non fuerunt.

Innocentius Papa & hab.24.q.1.Hæretici.

Hæretici cū à fide catholica destiterint, persectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt.

Hilarius libro 2.de Trinitate.

De intelligentia hęresis, non de scriptura est, sensus, & non sermo fit crimen.

Ouidius Metamorph.libro 1.

—Sed immedicabile uulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Iuuenalis satyra 2.

Sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & prurigine porci
Vuaq; contacta liuorem ducit ab uua.

Dantes

Dantes inferni cap.9.

Maestro, quali sono quelle genti
Che sepeliti dentro da quelle arche
Si fan sentire cum sußpir dolenti?
Et ellia me quei soni hæresiarche
Collor sequaci dogne secta, & multo
Piu che non credi son le tombe agarche. idest:
Magister, cuiusmodi sunt illæ gentes
Quæ sepultæ in illis urnis
Sese audiri faciunt eiulationibus mœstis?
Et ille ad me, hi sunt hæresiarchæ
Cum eorum sequacibus ex omni secta, & multò
Magis, quàm credas, sunt tumbæ repletæ.

Hebdomada Græca dictio est ἑβδομάς άδος ἡ, & est spacium septem dierum: nam & ἕβδομος ου ὁ septimus dicitur.

Hebetudo venit ab hebeo, quod Græcè ἀμβλύνομαι, & ἀμβλύς έος ὁ hebes & obtusus dicitur.

Hebetudo sensus opponitur acuitati eius, Et est debilitas mentis in consideratione spiritualium: & est peccatum, inquantum est voluntaria, secundum B. Thom. secunda secundæ, q.8. art.6. Dicitur autem habetudo ab hebeo hebes. hebeo verò dicitur ab hebes nomine, qđ propriè significat obtusum, & carentem acumine. Cicero, aliàs habetiora, aliàs acutiora videantur cornua: vnde per metaphorā hebes ingenium dicimus, sicuti etiam obtusum. Ab hebeo fit hebesco, hoc est, hebetior fio, sicut hebeo significat hebes sum, & hebeto obtundo, à quo fit hebetesco, quod propriè de visu & oculis dicitur, cùm oculorum acies minuitur tolliturq;, & hebetudo ipsa obtusitas mentis, ingenij, visus, & huiusmodi.

Hermaphroditus is dicitur, qui habet vtrunque sexum, masculinum scilicet & fœmininū, diciturq; ab ἑρμῆς οῦ ὁ quod est Mercurius, & ἀφρός ου ὁ spuma, id est, Venus, quæ ex marina spuma nata dicitur, de hoc Ouidius libro quarto Metamorphoseôn.

Mercurio puerum & diua Cythereide natum,
Naiades Idæis enutriuêre sub antris,
Cuius erat facies, in qua materq; paterq;
Cognosci possent, nomen quoq; traxit ab illis.

Hierarchia dictio Grcca est, ἱεραρχία ας ἡ, & est sacer principatus, secundum B. Dionysium ca. 6. cælestis Hierarchiæ.

Hilaritas Græcè ἱλαρότης ητος ἡ, & est gaudij, vel exultationis in facie declaratio, secundum B. Thom. 3. Senten. dist. 26. q.1. art.3.

Hyperdulia est potissima species duliæ, ex vnione ad Deum, secundum B. Thom. Secunda secundæ, q.103. art. 4.

Hyperdulia est adoratio minor latria, & maior dulia, qua mater Christi adorari debet, vt mater Christi: dicta ab ὑπὲρ quod est super, & dulia. Quid autem sit dulia, & vnde dicatur, vide suprà in Dulia: quid latria, vide infrà in Latria.

HYpocrisis Græca dictio est, ὑπόκρισις ιος ἡ, & ὑποκρίνω simulo dicitur. Et est simulatio alienę personę, ideo semper est peccatum, & est vitium iactantiæ, secundum B. Thom. Secunda secundæ, quæst.3. art.2.

Hypocrisis potest à nobis dici dissimulatio, nam componitur ab ὑπὸ, quod est sub, & κρίσις iudicium, quasi sit iudicij subtectio, nam aliud in re, aliud in iudicio hominum se ostēdit, qui hypocriseos crimine laborat.

Hypocrita ὑποκριτής ου ὁ & dici potest simulator vel dissimulator, secundum Isidorum libro Etymologiar.

Iob cap.13.

Non veniet in conspectu Dei omnis hypocrita.

Idem cap.15.

Congregatio hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.

Idem cap.27.

Quæ est enim spes hypocritę, si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus audiet clamorem eius, cùm venerit super eum angustia? Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore?

Ecclesiastes cap.8.

Vidi impios sepultos, qui etiam, cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi iustorum operum, sed & hoc vanitas est.

Isaias cap.9.

Omnis hypocrita est & nequam.

Ecclesiastici cap.1.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labijs tuis.

Ibidem cap.19.

Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.

Hieremias cap.9.

In ore suo pacem cum amico loquitur, & occultè ponit ei insidias: nunquid super his non visitabo? dicit Dominus, aut in gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea?

Matthæus cap.6.

Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Idem ibidem.

Cùm autem oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.

Idem cap.7.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem

sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Marcus cap. 12.

Cauete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis, qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium.

Lucas cap. 6.

Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.

Augustinus de communi uita clericorum, & habetur 12. quæstio. 1. Nolo ut aliquis.

Qui enim hypocrita est, mortuus est.

Idem in sermone, & habetur 12. q. 1. Certè ego.

Nolo habere hypocritas, malum enim esse quis nesciat? Malum est cadere à proposito, sed peius est simulare propositum.

Idem in sermone Domini in monte.

Quisquis appetit videri quod non est, hypocrita est; simulat enim se iustum, nec exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit.

Idem super illud Iob 27. Quæ est spes hypocritæ.

Hypocrita, qui Latinè dicitur simulator, auarus est. Quî dum iniquè agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ.

Idem super Psalmo 63.

Simulata æquitas non est æquitas, sed iniquitas duplex: quia iniquitas est & simulatio.

Idem super illud Matthæi 7. Qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium.

Cùm cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine cõsecuti sunt, vel consequi cupierunt: tunc necesse est, vt appareat vtrum sit lupus in pelle ouina, an ouis in sua.

Hieronymus in epistola ad filiam Mauritij.

Sancta magis esse, quàm videri stude.

Idem super illud Matthæi 6. Populus hic labijs me honorat.

Quia strepitu labiorum benedicunt Dominum, & immundi mente veritati interius contradicunt.

Idem super Esaiam libro 6.

Si castum me simulo, & aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris, & in comparatione duorum malorum leuius est, in alium apertè peccare, quàm simulare & fingere sanctitatem.

Ambrosius libro de Offi. & habetur 11. q. 3. Si quis uerò.

Veritatis ea regula est, vt nihil facias commẽdandi tui causa, quo minor alius fiat. Neque si quid boni operis habeas, id ad deformationem alterius & vituperationem exerceas. Non defendas improbum, & sancta indigno committenda non arbitreris, neq; iterum arguas & impugnes, cuius crimen non deprehenderis.

Idem libro 2. de Officijs.

Quales haberi volumus, & tales simus.

Idem in sermone habito de Dominica Abraham, & habetur 22. q. 5. Cauete.

Cauete fratres mendacium. Quia omnes qui amant mendacium, filij sunt Diaboli: non solùm in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est. Mendacium namque est, se Christianum dicere, & opera Christi non facere. Mendacium est episcopum, sacerdotem vel clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari.

Idem in sermone.

Latet plerunq; sub tristi amictu lasciuia, & deformis horror vili veste obtegitur, vt secreta petulantium tegantur animorum.

Idem libro 1. Moralium.

Væ peccatori terrã ingredienti duabus vijs: duabus quippe vijs terrã peccator ingreditur: quando & Dei est, quod opere exhibet: & mundi, quod per cogitationem quærit.

Idem libro 4. Moralium.

Omnis hypocrita corpus per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo viuit.

Idem libro 8. Moralium.

Hypocrita, paratior est mori, quàm corripi, redargutione deterior redditur, & quasi diræ percussionis æstimat iaculum, puritatis verba.

Ibidem.

Simon crucem portãs nequaquam moritur, quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo viuit.

Ibidem.

Non indues vestẽ ex lana linoq; contextam. Per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur: & nimirum vestis quæ ex lana linoque contexitur, linum interius cælat, lanamq; exterius demonstrat. Vestem ergo ex lino lanaque cõtextam induit, qui in locutione, vel actione, qua vtitur intus subtilitatem malitię cooperit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit.

Idem libro 20. Moralium.

Hypocrita vt sine fine crucietur, viuere sine fine compellitur, vt cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors viuat in pœna, luet quę facta omnia, nec tamen consumentur: quia cruciatur & non extinguitur: moritur & viuit: deficit & subsistit: finitur semper & sine fine est.

Idem 23. & habetur dist. 41. Sæpe se.

Sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mẽtiuntur: vt tenacitas, parsimonia: effusio, largitas: crudelitas, zelus iustitiæ: remissio, pietas velit videri.

Idem libro 23.

Vitia se simulant sæpe virtutes, nam dissoluta

ta remisſio quaſi manſuetudo & pietas habetur: effuſio, miſericordia dicitur: malorum pertinacia, cõſtantia dicitur: timor incompetens, humilitas putatur: vocis ſuperbia, vera libertas æſtimatur: & pigritia quandoq; quaſi quietis continentia attenditur: & inquietudo vigilantia nominatur.

Idem in Registro.

Hypocritæ veſte deſpecti ſunt, & corde tument, & quaſi in hoc mundo cuncta deſpicũt, & tamen ea quæ mundi ſunt, cuncta ſimul adipiſci quærunt.

Ioannes Chryſ. ſuper Mat.

Herodes deuotionem promittit, ſed gladiũ acuit, & malitiam cordis depingit colore humilitatis. Huius perſonam repræſentant hypocritę, qui dum ficte Deum quęrunt, illum nunquã merentur inuenire.

Idem ſuper Mat. 3. Niſi abundauerit iuſtit.

Phariſæorum iuſtitia erat in oſtentatione operis, & non in rectitudine intentionis: in locutione, non in opere: in corporis afflictione, non in mandatorum obſeruatione: in minoribus obſeruantijs, relictis grauioribus legis.

Idem ſuper Mat. 7.

Nulla res ſic exterminat bonum, ſicut ſimulatio, nam malum ſub ſpecie boni cælatũ, dum non cognoſcitur non cauetur.

Bernardus ſuper Cant. ſerm. 67.

Hypocritę veniunt in veſtimentis ouium ad demendas oues, & ſpoliandos arietes. Hi oues ſunt habitu, aſtutia vulpes, actu crudelitatẽ lupi habent, neq; eſt apud eos virtutes colere, ſed iniqua tolerare, quaſi quodã virtutis intuitu.

Seneca ad Lucilium epiſt. 5.

Illud te admoneo, ne eorum more qui non proficere, ſed cõſpici cupiũt, facias aliqua quæ in habitu tuo aut genere vitæ notabilia ſint. Aſperum, incultũ, & intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictũ argento odium, & cubile humi poſitum, & quicquid aliud perverſa via ambitionem ſequitur euita.

Ibidem.

Nempe propoſitum noſtrum eſt ſecundum naturam viuere. Hoc contra naturã eſt, torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias, & ſqualorem appetere, & cibis non tantum vilibus vti, ſed horridis.

Idem epiſtola 42.

Multorum quæ imbecillia ſunt, latent vitia. Et paulò pòſt: inſtrumenta illis explicandę nequitiæ deſunt. Sic tutò ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore, non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas, luxuria & ambitio vt paria peſsimis audeat, tauor fortunæ deſtituitur.

Idem in epiſt.

Virtutem bona ſequitur fide, qui ſe non exornãt, & pingit, ſed idem ſiue ex denũciato videatur ſiue imparatus: at ſubitò nihil ſimulatio proficit, veritas in omnem partem eadem eſt.

Ibidem.

Vis videri ab hominibus an non? Nunquam bonæ honeſtatis eſt longa ſimulatio. Quid de alienis moribus & tuis iudices, multi obligandi, pauci ſunt offerendi.

Idem.

Multò magis ad rem pertinet, qualis tibi, quàm qualis alijs videaris.

Ibidem.

Nunquã bona fide vitia manſueſcunt, tigres & leones nunquam feritatem exuunt, aliquando ſubmittunt, & cùm minimè expectaueris, exaſperatur toruitas mitigata.

Idem in prouerbijs.

Malus vbi ſe bonũ ſimulat, tũc eſt peſsimus.

Ariſtoteles libro 9. Ethicorum.

Qui fingit ſe amicum, & non eſt, peior eſt eo qui facit falſam monetam.

Cicero libro 1. Offic.

Compendiaria eſt via ad gloriam, vt qualis quiſq; haberi vult talis ſit.

Cicero libro de Amicitia.

Apertè enim odiſſe vel amare, eſt magis ingenui, quàm fronte occultare ſententiam.

Ibidem.

Simulatio in omni re vitioſa, tollit enim iudiciũ viri, idq; adulterat, tũ amicitię repugnat.

Valerius Maximus libro 7. titulo, Sapienter dicta aut facta.

Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam eſſent. Qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipſam potius virtutem haurirent, quàm vmbram eius conſectarentur.

Laer. Diog. de uita & moribus Philoſo.

Nullæ ſunt occultiores inſidię, quàm hę quę latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſsitudinis nomine. Nam eum qui palã eſt aduerſarius, facilè cauendo vitare potes. Et Troianus equus idcirco fefellit, quia formam Mineruę mẽtitus eſt, dicebat Diogenes philoſophus.

Ibidem.

Inimici peſsimi ſunt, fronte hilari, corde verò triſti.

Ex 1. Epigram.

Μύσω τὸν ἄνδρα τὸν διπλὸν πεφυκότα,
Χρηστὸν λόγοισι πολέμιον δ᾽ τοῖς τρόποις. id eſt;
Odi uirum duplicem natum,
Bonum ſermonibus, inimicum moribus.

Iuuenalis ſatyra 2.

Fronti nulla fides, quis enim non uicus abundat
Triſtibus obſcœnis? caſtigas turpia, cùm ſis
Inter Socraticos notiſsima foſſa cynædos.

Ibi-

Ibidem.

—Hunc ego fatis
Imputo, qui morbum uultu incessuq; fatetur.
Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat ueniam, sed peiores qui talia uerbis
Herculis inuadunt, & de uirtute locuti,
Clunem agitant —

AMANTIUS. EST auté Hypocrisis, simulatio alienæ personæ: ὑποκρίνομαι, simulo, ago personã. Pausanias ὅθεν ὑπόκριται dicti histriones, mimi, imitatores: Plutarchus, Budæus, in Græcis commentarijs: simulatores, qui cùm intus sint mali, bonos se palàm ostendunt. Nomen hypocritæ translatum est, à specie eorum, qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum cæruleo niueoq; colore, & cæteris pigmentis, habentes simulachra oris lutea, gypsata, & vario colore distincta: nonnunquam colla & manus creta perungentes, vt ad personæ colorem peruenirent: & dum populum in ludis agerét, fallerent, modò in specie viri, modò in forma fœminæ, & præstigijs reliquis.

Achilles apud Homerum 2. Odyssa.

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὅ μῶς ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν ἄλλα δ' εἴπῃ.

Latinè uertebat Amantius.

Is mihi iuxta inuisus, ut atri limina ditis,
Qui uerbis aliud prodit, quàm mente uolutat.

Erasmus Chiliad. 4. Cent. 2.

Δούρειος ὕππος.

Δούρειος ὕππος. Id est: Dureus equus. Dicitur de clandestinis insidijs, aut vbi repẽte complures appareręnt, qui latebant antea. Sumptum ab equo Homerico, in quo Græcorũ proceres abditi, repentè prosilientes Troiam ceperunt.

Homerus libro 8. Odysseæ.

αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅ θ' εἵατο πάντες ἄριστοι
ἀργείων, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες. id est:
Fatum enim erat, perituram urbem, simul ingrederetur
Durateus præcelsus equus, qui clauserat omneis
Primores Danaum, luctumq; necemq; ferentes Troianis.

Prouerbium.

Non omnes qui habent cytharam, sunt cytharœdi. Huc ascribendum videtur, quod lepidè scripsit Seneca, quendam personam malle, quàm faciem: faciem vocat, vbi quis talis videtur, qualis est, personam, cùm præ se fert aliquis, quod non est. Non is rex, cui contigit amplum imperium, sed qui sciat administrare. Hypocrita.

Flere ad nouercæ tumulum.

Est simulare gestu doloré, cùm re gaudeas: quod idem de diuitis alicuius hæredibus non inconcinnè dicetur, in quos extat illud Publij illius Mimi dictum elegans: Hęredis fletus, sub persona risus est.

HIstoria Græca dictio ἱστορία ας ἡ, & ἱστορέω historiam narro dicitur. Est autem historia rerum gestarum expositio. Differtq; ab annalibus, quòd historia est genus, annales verò species: sunt enim annales rerum gestarum narrationes, & plurium annorum obseruato cuiuscunq; ordine anni. Sicuti Diarium est historia, quę per singulos dies scribitur, & à Gręcis ἐφημερὶς ἴδος τὸ. Iuuenalis: In cuius manibus seu pinguia succina tritas Cernis ephimeridas. Historia verò vtrunq; comprehendit, ex Aulo Gellio Noctium Atticarum libro 5. capite 18. Seruius tamen super primo Aenidos aliter sensit, & malè vt reor. Præterea annales maximi dicebantur à Pontificibus Maximis facti, quibus data potestas erat memoriam rerum gestarum in tabulas referendi.

CAdmus Milesius omnium primus historiã condidit, Pherecides, Syrus, & Hecateus. Amantius Strabo. Eusebius Moysi asignare videtur.

Iosephus libro 1. in Apionem, historiã à Cadmo inuentam credit.

Verùm vt cum Eusebio sentiam, facit antiquitas.

Quippe Moysen multis antè annis, bellum Troianum in cofesso est præcessisse.

Ex Philosophis, Laërtio Diogene teste, historias primus composuit Xenophon.

Historici.

Apud Græcos floruerunt, Thucidides, Herodotus, Theopompus.

Apud Latinos Titus Liuius, lactea Romani sermonis vbertas, Crispus Salustius, & plærīq; alij.

DE ETYMOLOGIA HISTORIAE.

Viues de causis corruptarum artium li. 2.

Historia ab ἱστορεῖν deducitur: hoc valet, vt historia sit visa res, atq; spectata, quasi quis dicat, gesta.

Φιλοσορεῖν.

Legitur apud Dioscoridẽ φιλοσορεῖν qui cognoscendarum rerum cupidi sunt, & qui inquirendi studio flagrant, qui historiæ student.

Φιλοσορῶν,

Strabo libro vltimo, pro eo, qui est inquirendarum rerum cupidus. Significat etiam ἱστορεῖν visere, Plut. in Lucullo, inspicere, & cognoscere, Plut. in Cicerone, oculis subijcere. Inde καθ' ἱστορίαν ἰέναι visendi gratia ire. Significat etiam memoriæ prodere, & sigillatim vitas commemorare. Theophrastus in 4. τοὺς δὲ καθ' ἕκαστα βίους ἱστορῆσαι. Τὰ ἱστορούμενα, à Plutarcho sępe dicuntur, pro rebus memoriæ proditis.

Budæus in commentarijs Græcis.

Historia ab ἱστορέω, quod est historiam narro, specto, video, inquiro, interrogo, scio, quæro, disco, dico, & alia: imò quicquid verè & grauiter explicatur, historia dici potest.

De

De hiſtoriæ definitione.

Cicero 1. de inuentione Rhetorica.

Hiſtoria eſt rerum geſtarum expoſitio. Vel eſt geſta res ab ætatis noſtræ memoria remota. Et Fabius Quintilianus in ſecundo Inſtitutionum libro.

Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriȩ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.

Cicero 2. de Oratore libro.

Hiſtoria olim nihil aliud erat, niſi annalium confectio.

Cornelius Agrippa de uanitate ſcientiarum.

Hiſtoria eſt rerum geſtarum cum laude aut vituperatione narratio: Quæ magnarum rerũ conſilia, actiones, exitus, regumq́; & magnorũ virorum actus, cum temporum ac locorum ordine & deſcriptione, tanquam viua quȩdam pictura, ante oculos exponit. Ideoq́; hanc tanquã vitæ magiſtram, & ad eius inſtitutionem vtiliſsimam cenſet fermè omnes: eò quòd multarum rerum exemplis cùm optimos quoſq; ob laudis nominisq́; immortalem gloriam, ad prȩclara quæque facinora accendat, tum quod impios quoſque ac prauos perpetuæ infamiæ metu à vitijs deterreat.

Viues libro 2. de Cauſ. corrupt. artium.

Hiſtoria eſt imago veritatis. Eſt autem imago ea abſolutiſsima, quæ rem neque maiorem, neque minorem reddit: non vt vmbræ in ortu & occaſu ſolis longiſsimæ, in meridie propè nullæ.

Grinæus in præfatione in Plutarchum de uitis uirorum illuſtrium.

Hiſtoricus interpres eſt geſtarum rerum, cuius iudicium ſi vitio laborat, perinde fit, vt cũ vinum ex ſeſe generoſum & nobile, graueolentiam vel è vaſe cõtrahit, vel alioqui lenocinio deprauatur: quæ res vel impoſtura, vel inſcitia maxima eſt, & intoleranda.

In quo hiſtoria ab oratione differat Lucianus.

Diuerſam hiſtoricorum eſſe ſcribendi rationem ab oratoribus oſtendit: Hiſtorici enim rei ordinem ſeruant, & materia vtuntur præparata: Oratores verò multa inuertunt & fingunt.

Proœmium hiſtoricorum duabus tantùm rebus, attentione & docilitate conſtare debet, omiſſa beneuolentia, quam præcipuè captat orator.

Plinius libro 5. ad Capitonem, uel, ut alij, ad Tacitum

Habent oratio & hiſtoria multa communia, ſed plura diuerſa, in ijs ipſis, quȩ cõmunia ſunt narrat illa, narrat hȩc, ſed aliter: huic plȩraq; humilia & ſordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, ſplendida, excelſa conueniunt: hanc ſæpius oſſa, muſculi, nerui: illam chori quidam & quaſi tubæ decent: hæc vel maximè vi, amaritudine, inſtantia: illa tractu & ſuauitate, atq; etiam dulcedine placet: poſtremò alia verba, alius ſonus, alia conſtructio.

Quid hiſtoria ab annalibus differat, Gellius ſcribit libro 5. capite 18.

Hiſtoria eſt rerum geſtarum, vel expoſitio, vel demonſtratio.

Annales verò ſunt, cùm res geſtæ, pluriũ annorum obſeruato cuiuſque anni ordine, deinceps componuntur.

Cũ verò non per annos, ſed per dies ſingulos res geſtȩ ſcribuntur, ea hiſtoria eſt Grȩco vocabulo ἐφημερὶς τῶν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας συμπιπτόντων ἀπογραφὴ. Suidas: Latini Diarium vocant. *Ephemerides, Diaria, Almanadi Arabes vocãt*

Error Seruij inceſsitur iuſtò à Philippo Beroaldo: errauit & Iſidorus li. 1. Ethimologiarum.

De uocabulo annalium & hiſtoriæ.

Hiſtoria erat annalium confectio: cuius rei memoriæq́; publicæ retinendæ cauſa, ab initio rerum Romanarum, vſq; ad Publium Mutium Pontificem Maximum, res omnes ſingulorum annorum, mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatq́; in album, & proponebat tabulã domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi: Hiq́; nũc annales maximi nominãtur, ſed nudi ſunt, nihil habent incitamenti, nec cõmouere quicquam poſſunt: ſimpliciter, ſine vllis ornamentis, ſine fuco, ſine affectib. res geſtas cõtinentes. *Antonius li. 2. de orato.* *Annales maximi.*

Sabellicus Ennead. libro 5.

Hiſtoria differt à fabula: Quia fabula neq; veras neque veriſimiles continet res: quapropter Muſæ apud Hæſiodum in Theognia, in hunc ferè modum de ſe prædicant: Scimus falſa quidem narrare ſimillima veris: ſcimus item, quoties libitum eſt, & vera fateri. Strabo lib. 1. Geographiæ, pro fari Politianus vertit.

De Hiſtoriæ diuiſione & eius ſpeciebus.

Hiſtoria vel fabularis, & ea voluptatis gratia, vt in argumentis comicorum: aut adhortationis, vt in fabulis Aeſopi: vel ad fidem, quæ per turpia contexitur, vt in quibuſdam poëticis figmentis: aut pio tegitur velamine: quod ſolũ veteres genus Philoſophi admiſerunt.

Quatuor ſpecies hiſtoriæ.
- *Vel enim de locis eſt: ut Geographia.*
- *Vel de temporibus: ut Chronica.*
- *Vel de generatione: ut Genealogia.*
- *Vel de geſtis: ut Annales, hiſtoriæq́; cæteræ.*

Elementa Hiſtoriæ.
- *Perſonæ, Cauſæ, Locus* — *Tempus, Modus, Inſtrumentum* — *Materia, Res.*

De hiſtorica ueritate.

Hiſtoriæ proprium eſt: vera non falſa ſcribere, atq; hoc ſine oſtentatione.

Leges hiſtoriæ.

Prima lex hiſtoriæ ne quid falſi dicatur.

Deinde: ne quid veri taceatur, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo; ne qua ſimultas: hæc quidem fundamenta nota ſunt omnibus.

Historiæ credendum, Isocrates in Panathenaico 52.

Polybius hæc duo ab historiæ lege refert alienissima esse: falsa scribere, & planè inter se repugnantia.

DIODORVS SICVLVS.

Vera dicere proprium historiæ.

Lucianus item, non minus verè quàm luculenter tradit, proprium esse historiæ, & illi sacrificandum, vt vera omnia dicat: Et veluti si quis oculos animati effoderit, quicquid superest corporis fit inutile: ita adempta ex historia veritate, narratio omnis inutilis est.

Strabo libro 1. Geographiæ.

Historiæ finis est veritas: nec ostẽtationi, sed fidei veritatiq́; historia componitur. Ergo historia non debet egredi veritatem, & honestè factis veritas sufficit.

Politianus in Suetonium.

Aristobulus. Laudatur Alexander Macedo, quòd is Aristobulo historiam de suis rebus & gestis sibi inter nauigandum recitanti, (vbi hominem & adulatorem, & multa supra veritatem adfinxisse cognouisset) ereptũ manibus librum in Hydaspem fluuium demersit: Et tu, inquit, ô Aristobule, eodem fueras pacto præcipitãdus, qui pro me tuis scriptis solus pugnas, quiq́; vel iaculo ipso interficias elephantos. (Dignum rege dictum.)

Dido apud Ausonium.

Historicis magis credendũ quàm poetis.

Vos magis historicis lectores credite ueris,
Quàm qui furta Deum, concubitusq́; canunt.
Falsidici uates temerant qui carmine uerum,
Humanisq́; Deos adsimulant uitijs.

De Historia Cicero in 1. de Legibus.

Victruuius. In historia veritas obseruatur: in poësi omnia ad delectationem spectant. Fabius Quintilianus libro 10 Institutionum. Poetæ voluptatem, fingendo non modò falsa, sed etiam incredibilia, sectantur. (Antonius 2. de orato. 72)

Horatius in arte poëtica.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poëtæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere uitæ.

Paulò pòst.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

DIFFICILE EST VERVM OBseruare *in historia.* Diodorus, *Plutarchus, Iosephus.*

Libet autem nobis reiectis fabulis, ad ipsam claram historiæ lucem & veritatem accedere. Quod sicubi necessitas coget nos ab hac parũper digressos, ad id quod verisimile sit, conferre: à quo fortasse historia abhorreat, nec admittat vllum cum probabilitate commercium: æquis auditorib. opus erit, quiq́ benignè & humanè initiũ orationis exaudiãt, atq́; approbẽt.

Herodotus in lib. 1. Prologo. Strabo in 3. In bruto 103.
De annalibus Alexander, li. 4. ca. 20.

Laudibus domesticis facta est historia mendosior: multa enim scripta sunt in eis, quę facta non sunt: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem traditiones: cùm homines humiliores, in alienum eiusdem nominis infunderetur genus.

Mentiri ergo nonnunquam licet, & id honestum esse ostendit Fabius.

Cicero ad Luceium li. epistolarum 5. inquit, amori nostro plusculum etiam, quàm concedit historiæ veritas, largiare.

Viues libro 2. de causis corruptarum artium.

Haud ignoro, satis esse historiæ, si sit vera quæ vt reliqua habeat omnia, si veritatem non habet, obtinere nomen suum non potest. Sed tamen iucunditas orationis detinet lectorem, vt res illas gestas velit cognoscere, neque id semel: cui lectio vna sufficit, vel Liuij, vel Taciti vel Thucydidis? Quis non autores illos sæpius sumit in manus, & sæpius perlegit?

Idem libro 5. de tradendis disciplinis.

Experimenta nostra accedunt ætate, & rerũ actibus: aliena ex cognitione prioris memoriæ discuntur, quæ historia nuncupatur: Eaq́; efficit, vt præteritis nõ minus videamur interfuisse, quàm præsentibus: illisq́; perinde vti posse ac nostris. Meritò sacerdos Aegyptius Solonem & Gręcos, qui recordationem priscę memoriæ non tenerẽt, pueros appellauit. Historia, si adsit, ex pueris facit senes, sin absit, ex senib. pueros.

Herodotus in proœmio.

Herodoti Halicarnasei historia hęc est, vt neque ea, quæ gesta sunt ex rebus humanis, obliterentur ex æquo, neq; ingentia & admirãda opera vel à Græcis ædita, vel à Barbaris, gloria fraudarentur.

Historiographi munus.

In omni rerum gestarũ narratione illud scribentis videtur esse officium, vt libris singulis ciuitatum, aut Regũ facta integra ab initio ad finem vsq; comprehendat: quod ita præcipuè narratæ res, fideliori memoria retineantur, & aptiores fiant ad cognoscendum. Quæ enim interrupta, sinẽ principio continuũ non habent, ea intentionem & studiũ legẽtium abrũpunt, quæ verò continenter ad exitum deducuntur, absoluta vtiq; rerũ ipsarũ vtũtur declaratione.

DE HISTORIAE VTILITATE,

Plinius libro 8. epist. ad Laceranum. Diodorus Siculus lib. 1. de fabulosis antiquorũ gestis.

Historiæ vtilitas est magna. Hęc enim felicitatem nobis participat, & citra vllum documentũ prodest homini. Quid enim pulchrius, quã non, quod alij egerint quærere, sed quid optimè actum sit nobis proponere, ad imitandum seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores efficit? Laudantur à iunioribus: at hos tantò antecellit historia, quantò plura exempla comple-

plectitur diuturnitatis temporis, quàm hominis ætas. Prætereà iuniores historica lectio antiquioribus æquat prudentia. Adde, quod natu maioribus rerum experimenta subministrat, priuatos viros imperio dignos efficit, imperatores ob immortalem gloriá ad prçclara facinora impellit: & vt in summa dicam, omniũ rerũ series, quibus hominis felicitas paratur, tribui historiæ debet: est enim custos eorum, quæ cũ virtute acta sunt, testem se malefactis præbens.

Cornelius Celsus. Quintilianus in 5. & 12. Plura Plinius ad Cornelium 5. Epist. libro.

Historia necessaria est oratori: nã sine exemplorũ adminiculo, ieiunꝰ insulsusq́; est orator.

Historia quoquo modo scripta, oblectat.

Historia per sese tenet lectores: nullius aut facultatis, aut disciplinæ tantæ vtilitas, quanta historiæ existit.

Magnas meritò gratias rerũ scriptorib. homines debẽt, qui suo labore plurimũ vitç mortaliũ profuêre: Ostendũt enim legentibus præteritorũ exẽplis, q̃d nobis appetendũ sit, q̃dúe fugiendum: Nam qui multarum experimento rerũ, varijs cum laboribus periculisq́;, procul ipsi ab omni discrimine, gesta legimus: nos admonẽt maximè, q̃d conferat ad degẽdã vitã. Ideoq́; Heroum sapientissimus est habitus is, qui sępius aduersam fortunam expertus, multorum vrbes, ac mores conspexit.

Effect us historiæ.

Sola historia, verbis parcis res gestas repræsentans, omnem complectitur vtilitatem: Nam & ad honestum impellit, detestatur vitia, probos extollit, deprimit improbos: denique rerũ quas describit, experimento plurimum proficit ad rectam vitam.

Sententia.

Aequè commodis, incommodis vt vita, sic vitæ imago historia scatet: in vsu tantum vitæ, sita vitæ prudentia totius est.

Diodorus Siculus in procemio uitarum Philippi & Alexand.

Nihil vtilius iucundiusq́; cogitari potest, q̃ in humanæ vitæ Theatro, quod historia partibus omnib. mirè instructũ habet, sedentem periculis aliorum, sine suo periculo, cautum sapientemq́; fieri: exempla capere omnigena, quæ ad vsum tuum vtiliter qualibet in re traducas. Cumq́; maximorũ hominũ de summis rebus maximis cõsilijs interfueris, id ꝙ cupidissimè homines auemus, eorundem etiã euentib. interesse, & ꝙ per angustiã vitç hominũ impossibile sit alioqui, secula tota memoria cõiungere: maximorũ imperiorũ auspicia, progressus, & finem videre: malorũ seu priuatorũ, seu publicorũ causas liquidè cognoscere: in omni ardua, magnaq́; re, qui ante te periclitetur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec vsquã experimẽto certo destitui, ac vt in summa è retroactis (quod proprium sapientis viri officiũ est) futura scienter in omneis euentus perspicere, præsentia iudicare.

Historia non docet legentẽ, sed tantũ materiam suppeditat, & talẽ vnicuiq; prębet vsum, qualiter, qui legit, affectus est animo.

Elegantißimum simile.

Quemadmodũ in amplissimo maximeq́; multiplici, & om̃igenis cupedijs referto conuiuio fit, vt quanq̃ aliud alijs, paucis eadem, sua cuiq;, voracibus omnia ꝓbentur: ac prout quisq; palato est, sic præsenti lautitia afficiatur: tamen & modus sit aliquis, quẽ posuit natura & alimẽti genus certũ, simplexq́; & incorruptũ maximè, maximè corporib. idoneũ: à quorũ alterutro quisquis discedit, & vltra vel modũ, vel iudicium naturç sibi indulget, incõmodi plꝰ ex istis voluptatib. quã voluptatis reportet: Sic in illa totius vitç humanç diuersitate, quanquã mille species, mille proposita sunt: ac qualiter est animo quisq; & iudicio cõparatus, sic de vita vel sua, vel aliena sentiat: tamen vnicus virtutis veræ callis est, quem qui scienter tenet, rectè vita solus vtitur. Cæteri, quemadmodũ illi in cœna dubia, cùm omnia inuitent, quid potissimũ sequantur, quò tendant, nec in sua ipsius, nec in aliena inuenire vita possunt vnquam. Sola virtus rectè vitam instruit.

Erasmus in præfatione in Suetonium.

Nullis ex libris plus vtilitatis capi potest, quã ex eorum monumentis, quæ res publicè priuatimq́; gestas bona fide posteris prodiderũt. Ex bonæ enim fidei scriptorib. super alias innumeras, hæc ꝓcipua capitur vtilitas: ꝙ nõ res æquè, vel bonorũ regũ animos, ad res cum laude gerendas accendit: vel Tyrannorũ cupiditates cohibet ac refrenat, dum vtriq; cernunt horũ literis suam vitã omnem, mox in totius orbis, imò seculorum omniũ theatrum producendum: Et quicquid in abdito nunc vel patrant, vel ascito fuco prætexunt, vel metu dissimulari cogunt, verius quàm ignorari, paulo pòst clarissima in luce sub oculis omniũ traducendũ, cùm iã metu pariter ac spe libera posteritas, nec vllo corrupta studio, magno consensu rectè factis applaudet, pariq́; libertate his diuersa explodet, exibilabitque.

Rodolphus Agricola de formandis studijs.

Rerum ad actiones moresque nostros pertinentium ratio, ab historicis etiam Poëtis, & Oratoribus petenda est: Quoniam ij & benefacta laudando, & quæ contra facta sint vituperando, non docent quidem, sed quod efficacissimum est, exemplis propositis, quæ rectè secúsue fiant, velut in speculo ostendunt.

Historia iudicium formari, dicendique facultatem augeri Demosthenes censuit, cùm Thucydidem adeò familiarem sibi fecit, vt octies Nota.

etiã deſcripſerit. Amauit Xenophontẽ Cicero.

Et quum vniuerſa hiſtoria πολιτεία quędam ſit, varias conſtituendarũ rerum publicarũ formas adumbrat. Nam vt hîc nihil aliud dicam, quid admirabilius eſt τῶν πολλιτικῶν. collatione apud Herodotũ, vbi perſarum ſatrapæ, alij δημαρχίαν, alij ὀλιχαρχίαν, alij μοναρχίαν pbãt. Quo loco vides grauiſsimum ſcriptorem, mores omnes, vitiaq́; ciuitatũ, velut in tabula depinxiſſe. Verum nemo tam imprudens eſt, qui nõ hoc conſilio animaduerterit cõſcriptas eſſe hiſtorias: vt omniũ humanorum officiorũ exempla, tanquã in illuſtri poſita loco, cernerentur: Quæ ſi nihil ad erudiendos excitandosq́; animos cõducunt mortaliũ, quid fuit, cur Scipio ſenſerit ſe clarorum virorum imagines intuentem ad virtutem accendi?

Philipp. in oratione de eloquentia.

De nominibus hiſtoricorũ vide officinam Rauiſij Textoris, in parte ſecunda.

De ſtylo Hiſtorico.

Stylus in hiſtoria fuſus & continuus, nõ periodicus, niſi cum Proſopopeias aſciſcit in concionibus: quem nõ debere eſſe hiantem & aſperum, nec rhythmo diffluentem, Lucianus ſcribit. Hiſtoriȩ enim cõpoſitio currere debet. Cicero iubet, ſtylum eſſe in hiſtoria fuſum atque fractum. Et alicubi, leui æquabiliq́; tractu diſtinctam hiſtoriam eſſe tradit.

Porrò hiſtoria clara diſtinctione eſt coloranda, molli ſucco, iucundoque alenda.

Cœlius Antipater impolitus.

Xenophon nimium dulcis, nec ſatis vehemens.

Efficitur autem ſtylus hiſtoricus locorum varietate ornatior: ideoque optimum eum eſſe oportet Geometram, qui hiſtoriam ſcribit. Victorinus & Celſus plura de phraſi hiſtorica: ſi placet videre.

De hiſtorica breuitate.

Hiſtoria debet eſſe breuis, qua maximè ſecũdum fidem oblectamur, & nobis potius, quàm oratio ſatis facit: nec inſtitui tamen hiſtoria poteſt, niſi præparato ocio, nec exiguo tempore abſolui: qua de re breuitatem illam cenſeo præſertim admirandam, qua nihil, quod ad inſtitutum ſit conductorũ omittitur, vt Herodoti apud Græcos: apud nos Saluſtij, & Cornelij Taciti. Seneca lib. 3. Declamatio. inquit: Orationes Saluſtij in honorem hiſtoriarũ leguntur. Et lib. 9. Declamationib. Quum ſit præcipua in Thucidide virtus, breuitas. Hac eum Saluſtius vicit, & ſuis cum caſtris cecidit.

Hiſtoriæ præmium.

Hiſtoriæ prȩmium immortalitatem maximè eſſe, cùm plurimi tradiderunt, tum Cicero qui ad Lucium Luceium ſcribit: ſui vt rumores illius monumentis cõmendentur. Quod & Plinius iunior optat. C. Taciti inſeri hiſtorijs, ꝙ immortales eas futuras auguraretur.

Totum hiſtoriæ opus, non ad intuitum rei, pugnamq́; prȩſentem: ſed ad memoriam poſteritatis, & ingenij famam componitur.

Memento non ad prȩſens, vt qui nunc ſunt, te laudent, te honorent, ſed æternitatem reſpiciendo, ſic hiſtoriam ſcribe, vt à poſteris prȩmium laboris expectes.

Politianus in Suetonium.

Non debet autem hiſtoriæ conditor inanes illos præſentium rumuſculos, ſtatim quaſi magnum preciũ aucupari: ſed ſolidum poſteritatis expectare iudicium. Quod feciſſe Cnidium quendam architectum ferunt, qui regi fabricatus maximam illam, pulcherrimamq́; in Pharo Aegypti turrem: vnde videlicet nautis nocturna lumina oſtenderẽtur, ſuum quidem nomen in lapide muri ipſius clã incidit: calcem deinde ſuper inducens, Regis nomen inſcripſit, fore id quod accidit, auguratus: vt autem multò pòſt literæ illæ cum lorica ſua defluerent, atque inſculptum ſaxo appareret, nam hæc erat inſcriptio:

Soſtratus Dexiphanis Cnidius Dijs ſalutaribus ob nauigantes, non ille feculi ſui tantũ leuiſſimum captabat adplauſum, ſed ſibi in longum tempus, dum turris iſta ſtaret, proſpiciebat: quod idem eſt in hiſtoria conſpiciendum.

Eraſmus lib. 4. Apophtegmatum.

De Alexandro Magno.

Cùm nuncius quidam gaudio geſtiens, porrectaq́; manu accurreret, rem proſperè geſtam narraturus: Quid mihi, bone vir, magni nũciabis, niſi nuncies Homerũ reuixiſſe? Significans omnium præclarè geſtorũ gloriam abolendã, niſi contingeret talis præco, qualis fuit Homerus.

Cicero pro Archia.

Ilium profectus Alexand. Achillis ſtatuam coronans, O te fœlicem, inquit, Achilles, cui viuo talis amicus, mortuo talis contigerit prȩco: de Patroclo loquens, & Homero, quorum ille fidiſſimus Achilli fuit amicus, hic defunctum Iliade tota celebrauit.

Quum tranſmiſſo Helleſponto Troiam inuiſeret, veterum heroum geſta animo reuoluens, quidam, ſi vellet, pollicitus eſt ſe Paridis lyram daturum: Hic Alexãder, minimè, inquit, illa mihi eſt opus, cùm Achillis lyram habeam: Hac vir ſtrenuus fortium virorum laudes canere conſueuit, quũ Paris ſua lyra molles ac laſciuos modulos incineret. Plutarchus in eius vita. Diodorus Siculus.

Eraſmus libro 5. Apopthegmatum.

Themiſtocles cùm aliquando Theatrum peteret, interrogãti cuidam, cuius vocem eſſet libentiſsimè auditurus: Eius, inquit, à quo artes meæ quã optimè canerẽtur; ingenuè faſſus, ſe

magno gloriæ studio teneri. Solent autē olim musici in publico virorum illustrium laudes canere.

Silius Italicus.

Felix Aeacide cui tali contigit ore
Gentibus ostendi. creuit tua carmine uirtus.

Dionysius Halicarnaseus lib.1. Antiquitatum.

Persuasus sum esse eis, qui velint industriæ suæ posteris monumenta relinquere, quæ non simul cum corpore consumat tempus, ac præcipuè scriptorib. historiarum, in quibus omnes collocandam veritatem suscepimus prudētię & sapientiæ. Primùm quidem, materias eligere pulchras, & excellentes, plurimamque vtilitatem ijs, qui lecturi sunt, afferentes: deinde parare congruas conscribendæ materiæ facultates, multa cum diligentia atque industria.

Historiæ laus & Encomium, nec ulla res utilior est.

Illa ego quæ gestis præsum custodia rebus,
Digero, quod caueas, quodq; sequaris iter.
Priscaq; ne ueteris uanescat gloria sæcli.
Viuida defensant, quæ monumenta, damus.
Et sua uirtuti per me sunt præmia, rursum,
Impia famosis defero facta notis.
Eloquor, & summi quantum iactentur & imi:
Eloquor & cæcæ fasq; nefasq; Deæ.
Quod maius theatrum, circusq; capacior, aut quæ
Doctior humanas scena referre uices?
Me sine quis prudens? unde experientia maior?
Quis me adijt, tandem non mage doctus eat.
Omnis enim nostro pendet prudentia sensu:
Riteq;, nil nostra qui caret arte, sapit.

ALIVD *Historiæ Encomium.*

Omnibus utilitas multum si uera fatemur
Humana ingenijs sensim prouecta Mineruæ
Debet, ab obscuris per quæ mortalis egestas
Emersit tenebris summa ad fastigia lucis:
Per quæ detersa illuuie, uictuq; ferino
Ad nitidam Cererem, potioraq; tecta latebris.
Egressa adiecit, curam noua uita recentum,
Orbe nouo Agrestum, meditandoq; ædidit arteis
Paulatim uarias, & commoda plurima passim
Repperit, in medium referens, ueteremq; perosa
Ritum ciuili pedetentim pectora more
Imbuit, & studijs sese oblectauit honestis.
Hinc nitor ingenuus rerumq; politior usus:
Hinc hominum iusti cœtus, atq; oppida primum
Condita, concubitus mixti sine lege repressi
Hinc pudor & sanctæ socialia fœdera tedæ,
Et thalamus concors, & casti cestus amoris
Extitit, & frenos Venus impermissa momordit,
Vis æquo, iuriq; locum sine cæde reliquit:
Fasq; Deum subijt menteis Ascreaq; uirgo,
Et pietatis honos, superisq; accepta ferendis
Relligio, paxq; una potens, nisi credere nollet:
Et facere humanum genus, & seruare beatum,
Hic quanquam ueteres cælesti carmine uates,
Non minimum populos sibi promeruere, canoris
Dum numeris mouere feras, syluasq; sequenteis
Traxêre, & plectro manes domuêre profundos:
Et qui sidereos orbeis, solisq; labores,
Ac lunæ uarios simulantis cornua uultus,
Falciferiq; senis stellam, natiq; benignum
Lumen, & Odrisij iubar exitiale gradiui,
Tranquillasq; faces placidæ radiosq; Diones,
Mercurijq; citis uersum talaribus astrum:
Fataq; fortunasq; uirûm docuêre sagaces:
Quiq; dolos primi cæcos dissoluere elenchi
Fallacis, linguaq; animos uincire diserta:
Qui morbos sanare herbis & uulnera lectis,
Atq; Machaonia parcas inhibere medela
Aggressi, qui quid uitium, quid praua libido
Turbet, agens animos cæcis ambagibus ægros:
Contra quid uirtus ratione instructa salubri
Conferat, aduersos casus, sortemq; malignam
Despiciens, subigensq; metus, & gaudia uulgi,
Spesq; leues ridens, & opum certamina uictrix,
Fortunæ & mortis terrore excelsior omni
Eximio studio, & cura inuenêre magistra.
Omnibus ijs quamuis mortalis uita iuuetur,
Plurimum & in precio seclorum iure ferantur:
Nulla tamen doctam res utilitatibus æquat
Historiam, sola hæc annos & tempora nobis
Præterita, & prisci memorans insignia mundi
Suggerit ignaris, quicquid longæua uetustas
Gestorum tenebris tegit, & caligine uoluit,
Immensoq; situ atq; altis premit inuida lustris,
Hæc nobis rerum primæua ab origine pandit
Omnia, ut obscuro pulcher concreuerit orbis
Principiò, blanduscq; nouis effulserit æther
Ignibus, & tellus hic montibus ardua celsis
Hic in planiciem & campos effusa patenteis
Protulerit subitò nemora, & genus omne ferarum,
Aspersas maculis Tygres, Lybicosq; Leones,
Fulmineosq; sues, & recto uertice regem
Cunctorum de limo hominem traxisse figuram
Progenerante Deo Diuûm, mundiq; capacem:
Hæc eadem seruatum unum cum coniuge iustum
Diluuio stagnante refert, rubrumq; per æquor,
Hebræis patuisse uiam, mersasq; quadrigas
Gurgite Niliaci rursus refluente tyranni,
Et quicquid sacræ testatur pagina famæ.
Hac scimus prodente Ducûm, Heroûmq; potentûm
Nomina, fortunas, uires, & gesta, tot usquam
Millibus annorum diuersis partibus orbis,
Hæc tumidum Xerxis flatum, pauidumq; recenset
Tempestate fugam, Persas, Aciesq; Darei,
Pelleamq; manum, Hannibalem, Tyriosq; furores,
Romuleumq; decus, raptos ab utroq; Triumphos
Littore Cæsaribus, &c.

Homo græcè ἄνθρωπος. ὁ. ἡ. dicitur. Est autē homo animal rationale, & mortale. Diciturq; nō ab humo, vt Varro inquit, quoniam id est commune omnibus animalibus, sed à cōcordia, nam ὁμόνοια. ας. ἡ. concordia est, & consensus, & ὁμονέω, quod est cōcordo, consentio. Est enim homo omnium animalium maximè sociabilis. Quare à consortio & concordia hominem dictum existimamus. Nam ὅμοιος. ὁ. ὁ. similis, & ὁμοιότης. ητος. ἡ, similitudo dicitur, vnde homographia similis scriptura, siue pictura: homonymus, eiusdem nominis: homæoptoton, similiter cadens. Vir. Sed neque currentē, nec se cognouit euntem. Tollentemq; manus, saxumque immane mouentem. Homœoteleuton similiter desinens, cùm plures dictiones in eandem vocem terminantur. Ab homo veniunt eius diminutiua, homuncio, homunculus, & homululus, qui græcè ἀνθρωπάριον dicitur, & homicida, homicidium, humanus & humanitas, de quibus infrà.

Genesis 1. *Dixit Deus.*

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Iob cap. 8.

Sicut vmbra sunt dies nostri super terram.

Iob. cap. 13.

Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

Idem cap. 14.

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.

Idem cap. 16.

Ecce enim breues anni transeūt, & semitam per quam non reuertar, ambulo.

Idem cap. 25.

Homo putredo, & filius hominis vermis.

Idem cap. 24.

Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.

Psalmo 8.

Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniā visitas eum? Minuisti eū paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ibidem.

Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Psalmo 28.

Vniuersa vanitas omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertransit homo. Sed & frustra conturbatur, thesaurizat, & ignorat cui congregauit ea.

Psal-

Psalmo 89.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorū nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.

Ponit... ranei ... araneæ tela. Ver... bum ... meditabuntur in passi. sig. pro ... existimabuntur, seu reputabuntur.

Psalmo 143.

Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt.

Prouerbiorum 27.

Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superuentura pariat dies.

Ibidem cap. 31.

Fallax gratia, & vana est pulchritudo.

Ecclesiastes cap. 1.

Vanitas vanitatū, & omnia vanitas: quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole.

Ibidem.

Vidi quæ fiant cuncta sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.

Ibidem cap. 5.

Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: Quomodo venit, sic reuertetur: Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum? Cunctis etiam diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.

Ibidem cap. 6.

Nonne ad vnum locum properant omnia? Omnis labor in ore eius, sed anima eius nō implebitur bonis.

Ibidem cap. 9.

Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.

Ibidem.

Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuutur homines in tempore malo, cùm eis extemplo tempus superuenerit.

Ibidem cap. 10.

Ignorat homo quid ante se fuerit, & quid post se futurum est, quis ei poterit indicare?

Ecclesiastici cap. 8.

Memento, quoniam omnes in corruptione sumus.

Ibidem cap. 10.

Cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.

Ibidem cap. 14.

Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi: alia generantur, & alia deijciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo.

Ibidem cap. 18.

Numerus dierum hominum, vt multum, centum

centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt.

Ibidem cap. 40.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, in diem sepulturæ in matrem omnium.

Ibidem.

Omnia enim quæ de terra sunt, in terram cõuertentur.

Hieremias cap. 27.

Maledictus homo qui confidit in homine.

Ibidem cap. 20.

Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem, & dolorem, vt consummerentur in cõfusione dies mei?

1. Corinth. 6.

Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi.

2. Corinth. 5.

Dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.

Augustinus libro de quantitate animæ.

Anima facta est similis Deo, quia immortalẽ & indissolubilem fecit eam Deus. Imago ergo ad formam pertinet, similitudo ad naturam.

Augustinus super Ioannem sermone 18.

Alia vita pecorum, alia hominum, alia angelorum: vita pecorum terrenis voluptatibus æstuat, id est, sola terrena quærit: vita angelorũ sola cœlestia: vita hominum media, & inter vitam angelorum, & vitam pecorum. Si viuit homo secundum carnem, pecoribus cõiungitur: si secundum spiritum, angelis sociatur.

Augustinus lib. de Ioseph.

Procliuis & mutabilis est in vtrunque humana conditio, vt quocunque intenderit, eò perpendat & vergat, vel ad studia virtutum, vel ad illecebras delictorum.

Gregorius lib. 3. Moralium.

Ad hoc homo positus erat in paradiso, vt si ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis se astringeret, ad cœlestem angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalib. ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum?

Ibidem.

Omnem creaturam sensibilẽ Deus armatã & munitam creauit, alios veloci pedum cursu, alios vnguibus, alios pennis, alios cornibus, hominem solum sic disposuit, vt virtus illius sit ipse Deus, & in eo quo inferiorem eum fecit, in ipso fortiorẽ esse voluit in se, vt necessitate infirmitatis coactus, semper necesse habeat Dominum suum requirere.

Idem super Matthæum 10.

Præ omnibus malis hoc est pessimum malũ, quęlibet bestia vnum habet & propriè malum, homo autem omnia: diabolus enim ad iustum accedere non audet, sed malus homo nó timet, sed contemnit.

Bernardus lib. Meditation.

Homo nihil aliud est, q̃ sperma fœtidum, saccus stercorum, & cibus vermium. Post hominẽ vermis, post vermem fœtor, & horror, sic in hãc speciem vertitur omnis homo.

Ibidem.

Cor hominis sicut molẽdinum voluitur velociter, & nihil respuit, sed quicquid imponitur, molit, si autem nihil apponitur seipsum cõsumit. Semper est in motu, nunquam quiescit, sed siue dormiat, siue vigilet, somniat, & cogitat quicquid illi occurrit, & sicut molendinum harenã si imponitur exterminat, pix inquinat, palea occupat: Sic cor cogitatio amara perturbat, immunda maculat, vana inquietat, & fatigat, & dum futurum nõ curat gaudium, nec diuinum quærit auxilium, ab amore cœlesti clógatur, & inuoluitur in istis vanis, illud recipit curiositas, deducit cupiditas, allicit voluptas, seducit & polluit luxuria, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia.

Bernardus de Consideratione utilitatis humanæ.

Septem sunt de essentia hominis, quæ si homo consideraret, in æternum non peccaret. s. materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, damnatio detestabilis, & consideratio gloriæ ineffabilis.

Idem super Cantic. sermone 48.

Donec in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est patiatur inquietudines tentationum, tribulationumq́; aculeos. Videat quàm vigilem solicitamq́; esse oporteat super custodia sui, septa vndique spinis, hinc inde aculeos intendentibus, vnde dicitur. Sicut lilium inter spinas.

Bernardus Cant.

Homo cùm in honore esset non intellexit. In quo honore? Habitabat in paradiso, & in loco voluptatis conuersatio eius, nihil molestiæ nec indigẽtię sentiebat, odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & cõstitutus super opera manuũ plasmatoris. Magis autem ob insigne diuinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors ac societas cum plebe angelorum, & cum omni militia cœlestis exercitus. Sed mutauit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Ibidem.

Heu tristis & lachrymosa mutatio, vt homo paradisicola, terrę Dominus, cæli ciuis, dome-

sticus Domini Sabaoth, supernorum spirituũ & cœlestium virtutum cohæres, repentina se conuersione inuenit, & propter infirmitatem iacentem in stabulo, & propter pecorinã similitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est: In chamo & freno maxillas eorum constringe &c.

Ibidem.

Vide hominem prius quatuor virtutibus amictum: quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, veritas docebat, iustitia regebat, pax fouebat.

Hugo in Didascalicon lib. 1.

Cortex ambit arborẽ, penna tegit uolucrẽ, piscem squama operit, lana ouem induit, pilus iumenta & feras uestit, concha testudinem excipit, ebur elephantem iacula non timere facit. Nec tamen sine causa factum est, quod cum singula animalium naturæ suæ arma habeant secũ nata, solus homo inermis nascitur & nudus. Oportuit enim, vt illis, quę sibi præuidere nesciunt, natura consuleret: homini autem ex hoc etiam maior experiendi occasio præstaretur, cùm illa quę cæteris naturaliter data sunt, propria sibi ratione inueniret: multo enim magis nitet nunc ratio hominis hæc eadem inueniendo, quàm habẽdo claruisset: nec sine causa prouerbium sonat, quod ingeniosa fames omnes excuderit artes.

Hugo in summa disciplinari.

Diligenter obseruandum est, vt membra singula suum teneant officium, vt neque manus loquatur, nec os audiat, nec oculus linguæ officium assumat.

Ibidem.

Alij nauigant brachijs incedentes, in duplici quodam monstro, vno tempore pedibus deorsum in terra ambulantes, & lacertis sursum volant in aëra.

Innocen. de miseria humana.

Formatus est homo de luto, de puluere, & de cinere, quodcunq; est vilissimo, & spurcissimo spermate conceptus in fœtore luxuriæ, quódque deterius est in labe peccati natus ad laborem, timorem, dolorem, miserrimus ad mortẽ. Agit praua, quib. offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum: agit turpia quibus polluit famam, polluit personam, polluit consciẽtiam: agit vana, quibus negligit sana, negligit vtilia, negligit necessaria.

Lactant. Firmia. lib. 2. diuina. institutiõ.

Omnia enim tribus tẽporibus contineri necesse est, pręterito, præsenti & futuro. Præteriti est origo, pręsentis substãtia, futuri dissolutio. Quæ omnia in singulis hominibus apparent. Incipimus enim cùm nascimur, & sumus cùm viuimus, & desinimus cùm interimus. Vnde etiam tres Parcas esse voluerunt poëtæ: vnam quæ vitam hominibus ordinat: alteram quę cõtexat: tertiam quæ rumpat & finiat, quæ in hoc versiculo continentur. Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat.

Lactantius Firmianus lib. 2. cap. 1. diuinar. institutio. aduersus gentes.

Homines autẽ ipsos miror ad tantam cæcitatem esse deductos, vt vero ac viuo Deo mortuos ante ferant: terrenos autem in terraq; sepultos, ei qui fundator ipsius terræ fuit. Et tamen huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia diuini nominis veniret hic error.

Ibidem.

At verò si qua grauis necessitas presserit, tũc Deum recordãtur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimẽta frugibus longa siccitas denegauerit, si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium, Deus vt subueniat oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactatur, hunc inuocat: Si quis aliqua vi affligatur, hunc potius implorat: Si quis ad extremã medicandi necessitatem deductus, victum pro cibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius diuinum atque vnicũ nomen, hominũ sibi misericordiam quærit. Nunquid igitur meminerunt, nisi dum in malis sunt? Postq̃ metus desierunt, tum alacres ad deorum templa concurrunt: his libant, his sacrificant, hos coronãt. Deo autem, quem in sua necessitate implorauerunt, ne verbo quidem gratias agunt. Adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria verò vitia omnia, sic impietas aduersus Deũ nascitur.

Ibidem cap. 12.

Deus igitur rerum omnium machinator, fecit hominẽ quod Cicero, quamuis expers cœlestium literarum, vidit tamen: qui libro de Legibus primo, hoc idem tradidit, quod prophetæ, cuius verba subieci: Hoc animal prouidũ, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & cõsilij, quem vocamus hominem, præclara quadam cõditione generatum esse à summo Deo solum. Est enim ex tot animãtium generibus atque naturis, particeps rationis, cùm cætera sint omnia expertia. Vidésne hominem, quamuis longè à veritatis notitia remotum, tamen, quoniam imaginem sapientiæ tuebatur, intellexisse, non nisi à Deo hominem potuisse generari.

Idem lib. 2. cap. 13. diuin. instit.

Cùm ergo marem ad similitudinem suã primùm finxisset, tum etiam fœminã cõfigurauit ad ipsius hominis effigiem, vt duo inter se permixti sexus propagare sobolem possent, & omnem terrã multitudine opplere. In ipsius autẽ hominis fictione illarum duarum materiarũ, quas

quas inter se diximus esse contrarias, ignis & aquæ conclusit, præfecitq; rationem. Ficto enim corpore spirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis, vt ipsius mundi ex cõtrarijs constantis elementis similitudinẽ gereret. Constat enim ex anima & corpore, id est, quasi è cælo & terra, quãdoquidem anima, qua viuimus velut è cælo oritur à Deo: corpus è terra, quod è limo diximus esse formatum.

Lactant. Firm. lib. de Opificio Dei, uel formatione hominis cap. 2.

Dedit enim homini artifex ille noster ac parens Deus sensum atq; rationem, vt ex eo appareret nos esse generatos, quia ipse intelligentia, ipse sensus, ac ratio est.

Ibidem cap. 8.

Cùm igitur statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cælestem, cætera vniuersa terrena, hunc ad cæli contemplationem rigidum erexit, ibi pedem constituit, scilicet vt eadẽ spectaret, vnde illi & origo est. Illa verò depressit ad terram, vt quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecto ventri pabuloque seruirent. Hominis itaq; solius recta ratio, & sublimis status, vultus Deo patri communis ac proximus originem suam fictoremq; testatur.

Seneca ad Lucilium epist. 50.

Punctum est quod viuimus, & adhuc puncto minus, sed hoc minimũ specie quadam longioris spatij natura diuisit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud ab adolescentia ad senectutem, aliud ipsam senectutem. In quã angusto, quot gradus posuit? cuius breuitatem aliquando cogitemus.

Idem ad Lucilium epist. 77.

Omnia suo bono constant, vitem fertilitas commendat, vinum sapor, & velocitas ceruum, Quare fortia dorso iumenta sint quæris: quorum hic vnus est vsus sarcinas ferre. In cane sagacitas prima est, si feras inuestigare debet: cursus, si cõsequi: audacia, si mordere & inuadere. Id in quoq; optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quidem ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est, cętera illi cum animalibus satisque communia. Valet, & leones: formosus est, & pauones: velox est, & equi: corpus habet, & arbores: Impetum habet & motum voluntarium, & bestiæ & vermes: habet vocem, sed quanto clariorem canes? acutiorem aquilæ? grauiorem tauri? dulciorem mobilioremque lusciniæ.

Ibidem.

Si quis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit, improbabis illum. Item si quis nihil quidem illorum habeat quæ retulit, careat pecunia, clientum turba, nobilitatẽ, aliorum & proauorum serie, si ex confesso bonus sit, probabis illum. Ergo hoc vnum bonum hominis, quod qui habet, etiamsi alijs destituitur laudandus est: quod qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac reijcitur.

Ibidem.

Quæ conditio rerum, eadem & hominum est. Nauis bona dicitur, non quæ preciosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureũ rostrum est, nec cuius tutela ebore cælata est, nec quę fisci aut opibus regijs pressa est, sed stabilis & firma, & iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum maris incursum solida, gubernaculo parens, velox, & non sentiens ventos. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balthæus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit quæritur. Eo quodque laudatur, cui cõparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoq; nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneretur, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, quàm perlucido poculo bibat, sed quàm bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicita, & recta, & ad naturæ suę voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est honestum, & vnicum hominis bonum.

Ibidem.

Quid autem sit hoc dicam. Vir bonus quod honestè se facturum putauerit, faciet sine pecunia, etsi laboriosum erit faciet, etiamsi damnosum sit, faciet etiamsi periculosum erit. Rursus quod turpe erit non faciet, etiamsi pecuniam afferat, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam: ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe inuitabitur.

Aliter hæc apud Senecam legũtur.

Idem epist. 96.

Atqui viuere mi Lucili, militare est.

Idem in epist.

Omnis dies, omnis hora, quàm nihil sumus ostendit.

Seneca in Herculule furente, Tragedia 1.

At gens hominum fertur rapidis obuia fatis
Incerta sui. Stygias ultrò quærimus undas.

Ibidem.

Mortale cœlo non potest iungi genus.

Ibidem.

Nulli iussu cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Valerius Maximus, lib. 2.

Thraciæ verò illa natio, merito sibi sapientię laudem vendicauerit, quæ natales hominũ flebiliter exequias, cum hilaritate celebrat.

Ibidem.

Persarum admodum probabile institutum

fuit, quòd liberos suos non priùs aspiciebant, quàm septimum annum impleuissent, quo paruulorum amissionē æquiore animo sustinerēt.

Aristot. epistola ad Alexandrum.

O quàm contempta res homo, nisi supra humum se erexerit.

Aristot. lib. 1. Metaphysicæ.

Omnes homines naturaliter scire desiderāt.

Ibidem.

Humanum genus, arte & rationibus viuit.

Ibidem.

Humana natura multipliciter est ancilla.

Aristot. lib. 2. Physicorum.

Non sumus quodammodo finis omnium.

Ibidem.

Homo dicitur minor mundus, s. μικρόκοσμος.

Idem lib. 2. de Anima.

Nullum animal excellit hominem in gustando & tangendo.

Ibidem.

Homo est prudentissimum animalium.

Ibidem.

Molles carne aptos mente dicimus, duros autem ineptos.

Arist. de causa longitudinis & breuitatis uitæ.

Gentes quæ in calidis regionibus sunt, longioris vitæ sunt, q̄ quæ in feruidis regionibus.

Ibidem.

Longissimæ vitæ animalium sunt homo & elephas.

Ibidem.

Vita animalis stat per humidum & calidum.

Ibidem.

Masculi, si non coitui sunt, naturaliter sunt longioris vitæ, quàm fœminæ.

Aristot. libro 1. de Animalibus.

Nobilissimum & altissimū animal est homo.

Ibidem.

Frōs magna significat declinantē ad stultitiā.

Ibidem.

Frons parua significat leuitatem motus.

Ibidem.

Frōs lata significat prauitatem discretionis.

Ibidem.

Frons rotunda significat iracundiam.

Ibidem.

Omne animal habens aures, habet ipsas mobiles, præter hominem.

Ibidem.

Aures multum prominentes & magnæ, significant stoliditatem & garrulitatem.

Ibidem.

Situs cordis in medio pectoris est, sed in hoīe declinat modicum ad latus, ad sinistrā partem.

Aristot. libro 3. de Animalibus.

Propriū hominis est canescere in senectute.

Ibidem.

Impubes castrati non barbescunt.

Ibidem.

Homo inter animalia est multi seminis.

Aristot. lib. 15. de Animalibus.

Homines natura pingues rarò generant.

Ibidem.

Sperma hominis est superfluum nutrimenti.

Aristot. lib. 18. de Animalibus.

Viri multorum pilorum apud coxas, & à parte inferiori sunt multi coitus.

Aristot. lib. 19. de Animalibus.

Homines tantum canescunt, & nō animalia, quia homo habet cerebrum valde humidum.

Aristot. lib. 3. Ethicorum.

Homo est principium suarum operationū.

Idem lib. 1. Politicorum.

Homo naturaliter est animal politicum, & ciuile.

Ibidem.

Homini sermonem natura dedit.

Ibidem.

Homo solicitarius, aut Deus, aut bestia.

Ibidem cap. 2.

ὥσπερ γὰρ καὶ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων, Id est, Sicut optimum animalium est homo lege fruens, sic pessimum est animalium homo à lege, & iustitia separatus.

Aristoteles lib. 7. Politicorum.

Inter omnia animalia solus homo rationem habet.

Ibidem.

Finis generationis in viris, vt in pluribus, est numerus septuaginta annorum, in mulieribus autem quinquaginta annorum.

Aristoteles lib. de Sensu & sensato.

Solus homo sentit & delectatur odoribus florum.

Plato in Timæo.

Propter hoc est nobis datus sermo, vt præsto forent mutuæ voluntatis indicia.

Porphyrius libro Vniuersalium.

Homo differt ab asino qualitate essentiali, id est, differentia specifica, quæ dicitur rationalis.

Ibidem.

Sumus enim rationales nos, & dij, sed mortale appositum disiungit nos ab illis.

Lucius Apuleius de deo Socratis.

Præstantissimum animal est homo in terris existens.

Ibidem.

Improuisa pericula hominibꝰ subito oriunt.

Ibidem.

Nihil est Deo similius & gratiùs, quàm vir animo perfectò bonus, qui hominibus cæteris antecellit, quod ipse à dijs immortalibꝰ distat.

Cicero lib. 1. de Oratore.

Quid

Quid porro tam regium? tam liberale? tam munificum? quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare à periculis, retinere homines in ciuitate.

Cicero in prologo Rhetor. ueterum.

Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraq; viribus corporis administrabant. Nondum diuinæ religionis, non humani officij ratio colebatur: nemo nuptias viderat legitimas, nó certos quisquam aspexerat liberos, non ius æquabile quid vtilitatis haberet, acceperat: Ita propter errorem atque iustitiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, pernitiosissimis satellitibus. Quo tempore quidam magnus videlicet vir, & sapiens cognouit, quæ materia esset, & quantas ad maximas res opportunitas inesset hominum animis, si quis eam posset allicere & præcipiendo meliorem reddere. Qui dispersos homines in agris, & in tectis syluestribus abditos, & ratione quadam compulit in vnum locum, & cógregauit, & eos in vnamquamq; rem inducens, vtilem atque honestá, propter insolentiam primò reclamantes, deinde propter rationem atq; orationem studiosiùs audientes, ex feris & immanibus mites reddidit & mansuetos.

Cicero libro de Somno Scipionis.

Nihil est illi principi Deo, qui omnem hunc mundú regit, quod in terris fiat acceptius, quá concilia cœtusq; hominum iure sociati.

Cicero lib. 1. de Legibus.

Nihil est vnum vni tam simile quàm omnes inter nos sumus.

Ibidem.

Homines ad iustitiam nati.

Ibidem.

Itaq; ex tot generibus nullú est animal præter hominé, quod habeat notitiam aliquá Dei.

Ibidem.

Est igitur homini cú Deo similitudo: quod cum ita; quæ tandé potest esse ꝓpior, certiórue cognatio? Itaq; ad hominum commoditates & vsus, tantá rerum vbertatem natura largita est, vt ea quæ gignuntur donata cósultò nobis, nó fortuitò nata videantur. Nec solùm ea quæ frugibus atq; baccis terræ profunduntur, sed etiá pecudes, quod perspicuum sit, partim esse ad vsum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas.

Ibidem.

Ipsum autem hominem eadem natura non solùm celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus tanq̃ satellites attribuit ac nuncios, & rerú plurimarum obscurarum necessarias intelligentias enodauit, quasi fundamenta quędam scientiæ, figuramq́ue corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cùm cæteras animantes abiecisset ad pastum, solùm hominem erexit, & ad cæli quasi cognationis, domiciliją; pristini conspectum excitauit. Tum specie mira firmauit oris, vt in ea penitus recóditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quémadmodum animo affecti simus, loquuntur, & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest indicat mores, cuius vim Græci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesq; reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix est humanæ maximè societatis.

Ibidem.

Etenim ratio est, qua vna præstamus beluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus, concludimus.

Cicero libro de Senectute.

Sed credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana, vt essent qui terras tuerentur quiq́ue cælestium ordinem contemplantes imitarentur.

Idem de Oratore lib. 3.

O fallacem hominum spem, fragilemq; fortunam, & inanes nostras conceptiones, quę mediocri in spacio sæpè franguntur & corruunt, & cum ipso cursu antè obruuntur, quàm portú conspicere valuerint.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Atq; vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur omnia ad vsum hominum creari, homines autem hominú causa esse generatos, vt ipsi inter se alijs alij prodesse possint.

Ibidem lib. 2.

Atque vt magnas vtilitates adipiscimur conspiratione hominum atq; consensu, sic nulla tá detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur.

Idem libro 2. de Natura deorum.

Omnium animantium formam, vincit hominum figura.

Ibidem.

Est enim vis tanta naturæ, vt homo nemo velit nisi homini similis esse, & quidem formica formicæ.

Ibidem.

Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? eorum scilicet animantium quæ ratione vtuntur. Hi sunt dij & homines, quibus ꝓfectò nihil est melius, ratio est enim quę præstat omnibus. Ita fit credibile, deorum & hominum causa factú esse mundú, quæq; in eo mundo sunt omnia. Faciliusque intelligitur à dijs immortalibus hominibus esse prouisum, si erit

tota

tota hominis fabricatio perspecta, omnisq; humanæ naturæ figura atque perfectio.

Ibidem.

Ad hanc prouidentiam naturæ tam diligentem, tamq; solertem, adiungi multa possunt, ex quibus intelligitur quantę res hominib⁹ à dijs, quamq; eximiæ tributæ sunt, qui prius eos humo excitatos, celsos & erectos cõstituit, vt deorum cognitionẽ cælum intuentes capere possent. Sunt enim ex terra homines, non vt incolæ & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atq; cælestium, quarum spectaculũ ad nullum aliud genus animantium, pertinet.

Ibidem.

Sensus autem interpretes, & nuncij rerum in capite, tanquàm in arce mirificè ad vsus necessarios & facti & collati sunt. Nam oculi tãquàm speculatores altissimũ locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures cùm sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur, rectè in altis corporum partibus collocatæ sunt. Itemq; nares eo quòd omnis odor ad superiora fertur, rectè sursum sunt: & quòd cibi & potionis iudicium & eorũ magnum est, non sine causa vicinitatem oris secutæ sunt. Iam gustus qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris qua esculentis & poculentis, iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æqualiter fusus est, vt omnis ictus, omnesque minimos & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Atque in ædificijs architecti, auertunt ab oculis naribusq; dominorum, ea quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul emendauit à sensibus.

Ibidem.

Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus: Nos campis, nos montibus fruimur, nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges serimus, nos arbores, nos aquarum inductionib⁹ terris fœcunditatem damus, nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alterã naturam efficere conamur.

Ibidem.

Quid verò hominum ratio, non in cælum vsque penetrauit? Soli enim ex animãtibus nos astrorum ortus, obitus, cursusq; cognouimus. Ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus, defectiones solis & lunę, & cognitę, prędictæque in omne posterum tempus, quę, quãtum, quando futuræ sint.

Ibidem.

In homine ratio est, quia nihil potest esse præstantius.

Ibidem.

In homine mens est, in belua quiddam simile mentis, vnde oriuntur rerum appetitus.

Cicero lib. 2. de Diuinatione.

Quid dissimilitudo locorum, nónne dissimiles hominum procreationes habet?

Cicero lib. 2. de Finibus bonorum & malorum.

Ad maiora enim natura nos genuit & conformauit, vt mihi quidem videtur: ac fieri potest, vt errem, sed ita prorsus existimo.

Ibidem.

Hi viderunt, vt ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, vt ait Aristoteles intelligendũ & ad agendum esse natum, quasi immortalem Deum.

Ibidem.

Homines enim etsi multis alijs, tamen hoc à bestijs plurimum differunt, quòd rationem habeant à natura menti datam & acrem, & vigentem, celerrimæq; multa simul agitantem: &, vt ita dicam, sagacem, quæ & causas rerum & consecutiones videat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemq; complectatur vitæ cõsequentis statum. Eademque ratio fecit hominem appetentem, cumq; his natura & sermone & vsu cõgruentem, vt profectus à charitate domesticorum ac suorum, currat longius, & se implicet primo ciuium, deinde omnium mortalium societate, atq; vt ad Architam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriæ, sed suis, vt per exigua pars sibi relinquatur.

Ibidem.

Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri inueniendi, quod facillimè apparet, cùm vacui curis, etiam quid in cælo fiat scire auemus. His initijs inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia, tũ vana, falsa, fallentia odimus, vt fraudem, periurium, malitiam, iniuriam.

Cicero lib. 2. de Finibus bonorum & malorum, in fine.

Ad altiora quędam & mihi crede Torquate, nati sumus, nec id ex animi solùm partibus, in quibus inest memoria rerũ innumerabilium, vitæ quidem infinita inest coniectura consequentium, nõ multum à diuinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem iustitiæ fida custodia, inest in perpetiendis laboribus, adeundisq; periculis firma & stabilis doloris mortisq; contemptio.

Cornelius Tacitus.

Cuncta mortalium incerta.

Salustius in Iugurtha.

Humanæ res fluxæ, semper in aduersa mutantur.

Homerus in ζ. Iliados.

οἵηπερ φύλλων γενεὴ τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν
φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
τηλεθόωσα φύει ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη·

ὡς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡ δ' ἀπολήγει. id est,
Quale foliorum genus, tale & hominum.
Folia quidem alia ventus humi fundit, alia verò sylua
Pullulans gignit, quando veris venit tempus:
Sic hominum quidem genus, aliud quidem nascitur, aliud autem moritur.

Homerus in ο Iliad.

ἀργαλέον δὲ
πάντων ἀνθρώπων ῥύσαι γενεήν τε τόκον τε. id est,
Difficile autem
Omnium hominum seruari genus & proles.

Idem in ρ Iliad.

οὐ μὲν γάρ πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει. id est,
Non quidem certè est aliquid miseriùs hoīe,
Omnium qui spirant, & per terram serpunt.

Idem in ψ Iliados.

οὐδ' ἄρα πως ἦν
ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι. id est,
Nondum profectò accidit
In omnibus operibus peritum virum nasci.

Ibidem.

πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι. id est,
Omnes autem deis indigent homines.

Idem in ξ Odysseæ.

ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις. id est,
Alius enim alijs homo delectatur operibus.

Phocilydes.

σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντα πρὸς αὐτὴν.
λυόμενοι, κόνις ἐσμέν· ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται. i.
Corpus em̄ ex terra habemus & penitus in ipsā.
Soluti puluis sumus, aer verò spiritum recipit.

Idem.

οὐ πολλὴν ἄνθρωποι ζῶμεν χρόνον, ἀλλ' ἐπὶ καιρόν. i.
Non multū homines viuimus tēpus, sed breue.

Pallades.

ἂν μνήμην ἄνθρωπε λάβῃς, ὁ πατὴρ σε τί ποιῶν
ἔσπειρεν, παύσῃ τῆς μεγαλοφροσύνης.
ἀλλ' ὁ Πλάτων σοὶ τῦφον ὀνειρώσσων ἐνέφυσεν,
ἀθάνατον σέ λέγων, καὶ φυτὸν οὐράνιον.
ἐκ πηλοῦ γέγονας· τί φρονεῖς μέγα; τοῦτο μὲν οὕτως
εἶπ' ἄν τις, κοσμῶν πλάσματι σεμνοτέρῳ.
εἰ δὲ λόγον ζητεῖς τὸν ἀλήθινον, ἐξ ἀκολάστου
λαγνείας γέγονας, καὶ μιαρᾶς ῥανίδος. id est,
Si reminiscentiā hō cœperis, pater te q̄d faciēs
Seminauit, cessabis à superbia.
Sed Plato tibi superbiam somnians indidit,
Immortalem te dicens, & plantam cœlestem:
Ex cœno nat⁹ es, q̄d superbis valde? hoc q̄dē sic
Diceret vtiq; aliq̄s ornās figmēto venerabiliori.
Si aūt rationē quæris verā ex immodesta
Libidine natus es, & ex fœda gutta.

Sophocles in Aiace furente Vlyss. uerba.

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. id est,
Video enim nos nihil esse aliud, præter
Simulacra, quicunq; viuimus, vel leuē vmbrā.

Idem Aiacis uerba.

αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου.
κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται. id est,
Turpe est enim virum longam appetere vitam,
A malis qui nihil liberatur.

Idem.

οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτὸν,
ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται. id est,
Nō vtiq; emerem ne verbo q̄dem mortalem,
Quicunq; vanis spebus delectatur.

Virgilius lib. 3. Georgicorum.

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
Prima fugit subeunt morbi, tristisq; senectus,
Atq; labor, diræ rapit inclementia mortis.

Ouidius lib. 1. Metamorphos.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo.

Ibidem.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq; uidere
Iußit, & erectos ad sydera tollere uultus.

Ouidius Metamorph. lib. 6. fabula 6.

Proh superi quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent.– Idem lib. 15. fabula 3.
Nostra quoq; ipsorum semper requieq; sine ulla
Corpore uertuntur nec quod fuimúsue, sumúsue
Cras erimus.–

Iuuenalis Satyra 15.

– Mollißima corda
Humano generi dari se natura fatetur
Quæ lachymas dedit,

Vide supra in Clementia.

Silius Italicus.

Nónne uides hominum ut celsos ad sidera uultus.
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora.
Cum pecudes uolucrumq; genus formasq; ferarum
Segnem atq; obscœnam paßim strauisset in aluum.

Catullus Elegia 1.

Mens hominum tantis fluctuat usq; malis.

Dantes Paradisi cant. cap. 1.

O insensata cura de mortali,
Quanto son defectiui sillogismi,
Quie che ti fano in basso bater lali. id est,
O amens cura mortalium,
Quam sunt defectiui syllogismi
Illi qui faciunt ut deorsum alas quatias.

Franciscus Petrarcha soneto 27.

Quanto piu mauicino al giorno extremo,
Che lhumana miseria sol far breue,
Piu uegio el templo andar ueloce & leue,
El mio di lui sperar fallace & scemo. id est,
Quanto magis appropinquo diei extremo,
Quem humana miseria breuem efficit,
Magis uideo tempus incedere uelox & breue,
Et meam de eo spem fallacem & uanam.

Idem

Idem Soneto 81.

Poi che uoi e io piu uolte habiam prouato.
Comel nostro sperar torna fallace,
Dietro quel sonno ben che mal non spiace:
Leuati il cor a piu felice stato,
Questa uita terrena e quasi un prato:
Chel serpente tra fiori & therba giace,
Et se alcuna sua uista a gliochij piace,
E per lassare piu lanimo inuescato.
Voi donche se cerchati hauer la mente
Anci lextremo di queta giamai,
Sequiti i pochi & non la uulgat gente. id est,

Postq̃ vos & ego sæpius experti sumus,
Vti nostra spes fallax reuertitur,
Post eum somnum qui nunquàm displicet.
Tollite cor ad feliciorem statum.
Hæc vita terrena est velut pratum:
Nam semper intra flores & herbam iacet:
Et si quæpiam eius visio oculis placet,
Relinquet animum visco hærentem magis.
Vos itaq; si quæritis habere mentem
Ante extremum diem tacentem nunquam,
Sequimini paucos & non vulgares homines.

Franciscus Petrarcha soneto 230.

O nostra uita, che si bella in uista.
Cum perge ageuoimente in un matino,
Quel chen multi anni a gran pena saquista. id est,

O nostra vita, quæ tam pulchra est extra.
Quam facile amittit die vno
Id quod multis annis magno labore acquirit.

Franciscus Petrar. soneto 232.

La uita fuge, & non sarresta un hora.
Et la morte uien dietro a gran giornate,
E le cose præsente & le passate
Mi dano guerra & le future anchora. id est,

Vita fugit, nec vna quidem hora moratur,
Et mors retrò sequitur iter accelerans,
Et res præsentes simul & præteritæ
Mecum bella gerunt atque futuræ.

Franciscus Petrar. soneto 258.

Veramente si an noi puluere & umbra.
Veramente la uogla cæca engorda.
Veramente fallace e la speranza. id est,

Verè sumus puluis & vmbra,
Verè voluptas ipsa cæca & rudis.
Verè fallax est & ipsa spes.

Alia exemplaria habét voluntas.

Idem soneto 304.

O tempo, & ciel uolubil, che fugiendo
Inganni i ciechi e miseri mortali.
O di ueloci piu che uento & strali,
Hora ab experto uostro frode intendo.
Ma scuso uoi, & me stesse reprendo,
Che natura a uolar ui aperse lali,
A me de deochij, & io piu ne mei mali
Li teni, unde uergongna & dolor prehendo. id est,

O tempus, o cælũ volubile, quod dum fugis
Decipis cæcos & miseros mortales.
O dies velociores vento sagittisq́;,
Nunc expertus vestras fraudes intelligo.
At excuso vos, & meipsum arguo,
Quod natura vobis ad volandum aperuit alas,
Mihi tribuit oculos quos ego in meis malis
Detinũi, vnde & dedecus & pœnam capio.

Idem soneto 221.

Et uegio ben chel nostro uiuer uola
Et chesser non si po piu duna uolta. id est,

Video indubiè quemadmodum nostrum viuere volat
Et quod non nisi semel esse possumus.

Homicidium græcè φόνος· ȣ ὁ & φονεύς έος ὁ, homicida dicitur. Est autem homicidium hominis ab homine facta cæsio. Homicidium voluntarium dicitur, quod animo & intentione occidendi hominem cum effectu perpetratur. Componunturq́; homicidia & homicidiũ ex homo & cædo.

Genesis cap. 9.

Quicunq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.

Exodi 20.

Non occides.

Exodi 21.

Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.

Ibidem.

Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt morte moriatur.

Ibidem cap. 22.

Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quod si orto sole hoc fecerit, homicidum perpetrauit, & ipse moriatur.

Leuitici 24.

Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur.

Numeri 35.

Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidij, & ipse morietur.

Deuteronomij cap. 5.

Non occides.

Matthæi cap. 5.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Augustinus lib. 2. contra Manichæos, & habetur 32. quæst. 4. Ille gladium.

Ille gladium accepit, qui nulla superiori ac legitima potestate vel iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur.

Augustinus lib. de Ciuitate Dei, & hab. 23. quæst. 5. Si non licet.

Si non licet priuata potestate alicui hominẽ occidere

occidere innocentem, cui occidendi licentiam lex nulla concedit: profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est, & tantò nocentior cùm se occiderit, quãtò innocentior in ea causa fuit qua se occidendum putauit.

August. ad Public. & hab. 33. q. 5. De occidendis.

De occidendis hominibus, ne ab eis quisquã occidatur, nõ mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt nõ pro se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ.

Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei.

Qui sine publica administratione maleficũ interfecerit, velut homicida iudicabitur, & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit.

Augustinus super Ioannem.

Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit. Verbum seminauit & occidit: noli ergo te putare nõ esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades, occidis: vt scias quia occidis, audi Psalmistam: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ linguæ eorum, & machæra acuta.

August. & hab. de pœni. dist. 1. Homicidium.

Homicidium lege vetitũ, putabatur nõ aliud esse nisi corporis peremptio. Aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocẽdum fratri, in homicidij genere deputari.

August. & habetur ibidem periculosè.

Periculosè decipiuntur, qui æstimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt & non potiùs eos, per quorum consilium & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur.

Hieron. & habetur 15. q. 1. Si quis.

Si quis non iratus, sed propter disciplinam aliquem verberauerit, vel palmam alicui dederit, & casu occiderit, sicuti fieri solet: quantum ad gratiam innocens est, quia voluntatem non opus requirit: quantum autem ad legem reus est, quia opera lex quærit.

Hieron. in Ionam prophetam, & habetur 23. quæst. 5. Non est nostrum.

Non est nostrum mortem arripere, sed illatã ab alijs libenter accipere.

Hieron. & habetur de pœnit. dist. 1. Omnis iniquitas.

Omnis iniquitas & oppresio & iniustitia, iudicium sanguinis est: & licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis.

Hieron. in Ionam prophetam & hab. de pœnit. dist. 23. quæst. 5. Miles.

Miles cùm obediens potestati sub qua legitimè cõstitutus est hominẽ occidit, nulla ciuitatis suę lege reus est homicidij, imò nisi fecerit, reus est imperij deserti atq; cõtempti. Quod si sua sponte atq; authoritate fecisset, in crimẽ effusi humani sanguinis incidisset. Itaq; vnde punitur si fecerit iniussus, inde punietur si non fecerit iussus.

Hieron. in quæstionibus Exodi & habetur 23. q. 5. Cùm minister.

Cùm minister iudicis occidit eum, quem iudex iussit occidi, profectò si id sponte facit, homicida est: etsi eum occidat, quem scit à iudice debuisse occidi.

Hiero. ibidem, & habetur ibid. Lex.

Lex æterna ita medio quodam loco posuit aliqua, vt in eis vsurpandis meritò reprehendatur audacia, in exequendis iure laudetur obedientia. Abraham si spontaneus in occidendo filio motus fuisset, execrabilis haberetur. At iubente Deo obsecundans famulatus est.

Ambrosius lib. 3. de Officijs.

Pythagoræ præceptum fuit, nisi iussu imperatoris, scilicet Dei, de statione non discedere, id est animam è corpore non educere.

Grego. & habetur 23. q. 8. Si in morte.

Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec regem, nec ducẽ haberet: Sed quia Deũ timeo in mortem cuiuslibet hoĩs me miscere formido.

Gregorius super Ezechiæ.

Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.

Caßiod. super Psalmo 62.

Non interest quis occidat, si innocentem aliquis occidendum esse pronunciet.

Pallades.

εἰ τοὺς ἀνδροφόνȣς εὐδαίμονας ὄντος ὁρῶμεν,
ὀυπανὺ θαυμάζω, τοῦ διὸς ἐςὶ γέρας.
τὸν γὰρ γεννήσαντο μεμισηκώς, καὶ ἐκεῖνος.
κτεῖνεν ἂν εἰ ὁ χρόνος θνητὸς ἐτύγχανεν ὤν.
ἀντὶ δὲ τοῦ κτεῖναι σὺν τοῖς τίτησι κολάζει.
δέσμιον ὡς ληςὴν εἰς τὸ βάραθρον ἐνιεὶς. id est.
Si homicidas fœlices esse uidemus,
Non ualde admiror, Iouis est honor.
Genitorem enim odio persequens, & ille
Interfecisset utiq; si Saturnus mortalis fuisset.
Sed loco cædis cum Titanibus punit,
Ligatum tanquam latronẽ, in barathrum immittẽs.

Ouidius Fastorum lib. 2.

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis.
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Idem artis lib. 1.

Vacuas cædis habete manus.

Sillius lib. 4.

Cædumq; feros auertite ritus.

Tibullus lib. 3. elegia 4.

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam certa uenena dedi.

Iuuenalis satyra 10.

Et qui nolunt occidere quenquam

Posse uolunt-. *Idem satyra penultima.*

Sed iam serpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis similis fera, quando leoni
Fortior eripuit uitam leo? quo nemore unquam
Expirauit aper, maioris dentibus apri.

HOnestas græcè σεμνότης.ητος.ἡ & σεμνύνω honesto dicitur. Est autem honestas mollis compositaq́; morositas, secundum Aristotelẽ lib. Rhetor. Honestus græcè καλὸς.οῦ ὁ dicitur. Est autem honestum id quod tale est, vt detracta omni vtilitate, vllis præmijs fructibusq́; per seipsum posit iure laudari, quod quale sit, nõ tam diffinitione, qua sum vsus, intelligi potest, (quanquam aliquantum potest) quàm cõmuni omnium iudicio, & optimi cuiusq; studijs aut factis, qui multa ob eam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident. Vt enim cõsuetudo loquitur, id solùm dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum secundum Cicer. lib. 2. de Finibus bonorum & malorum. Honestum idem est, quod spiritualis pulchritudo, vel quod est honore dignũ, & est idem quod virtus. Ex b. Thoma secunda Secũdæ quæst. 145. art. 1. Refertur nonnunquam ad corporis pulchritudinem. Terentius: Ita me dij ament honestus est, hoc est, formosus.

Ecclesiast. cap. 11.

Paupertas & honestas à Deo sunt.

August. lib. 2. de Ciuitate Dei.

Tanta est probitatis vis & honestatis, vt penè omnis eius laude moueatur humana natura, nec vsq; adeò sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis.

Ambrosius lib. 2. de Officijs.

Tantus splendor honestatis est, vt vitam beatàm efficiat tranquillitas conscientiæ & securitas innocentiæ.

Seneca ad Lucilium.

Melius probas honesta, quàm sequaris. Vides vbi posita sit felicitas, sed ad illam peruenire non audes.

Cicero libro Officiorum.

Nihil turpe faciendum bono viro, etiamsi ex omni parte lateat, etiamsi omnes deos, hominesque cælare posimus. Nihil tamen in nobis auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incõtinenter est faciendum. Sapientis enim est proprium, nihil quod pœnitere posit facere, nihil iniustè, sed splendidè, constanter, grauiter, honestè omnia.

Idem Officiorum libro.

Quod enim viriliter magnoq́; animo fit, id dignum viro & decorum videtur: quòd contra fit, id vt tupe est, sic indecorũ. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc quod dico decorum, & ita pertinet, vt non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu.

Ibidem.

Illud enim honestum (quod sæpe diximus) etiamsi in alio cernimus, tam nos mouet, atque illi in quo id inesse videtur, amicos facit.

Ibidem.

Nihil honestũ esse potest, quod iustitia vacet.

Idem libro tertio.

Atq; illud quidem honestum, quod propriè vereq́; dicitur, id in sapientibus est solis, neq; à virtute vnquam diuelli potest. In his autem in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo esse potest, sed similitudines honesti esse possunt.

Ibidem.

Cùm igitur id quod vtile videtur in amicitia, cum eo, quòd honestum est, comparatur, iaceat vtilitatis species, valeat honestas.

Ibidem.

Tanta vis est honesti, vt speciem vtilitatis obscuret.

Ibidem.

Honestate igitur dirigenda vtilitas est.

HOnor græcè τιμή ῆς ἡ τιμικός οῦ ὁ honorabilis dicitur, & τιμάω honoro. Est autem honor propriè reuerentia & dignitas, quæ quauis ex causa alicui exhibetur. Virgilius:

Haud equidem tali me dignor honore.

Et quoniam multa sunt propter quæ honorem exhibere solemus, factum est, vt pro diuersitate subiectæ materiæ, hoc vocabulum diuersa significet. Hinc aliquãdo honorem pro pulchritudine ponimus. Virgilius:

Frigidus & syluis aquilo decusit honorem.

Aliquando pro obseruantia & cultu. Virgil.

Sẽper honore meo, semper celebrabere donis.

Interdum pro pudicitia, nonnunquã pro præmio. Virgilius.

Ipsis præcipuè ductoribus addit honores.

Quandoq; pro sepultura. Virgilius.

Cernit ibi mœstos, & mortis honore carentes.

Honor municipalis est reipub. administratio cum dignitatis gradu, siue cũ sumptu, siue sine erogatione contingens, secundum Callistratũ Iurisconsultum. Ab honor fit honoro verbũ quod est colo & veneror, & honorificũ, quod est plenũ honoris, & honestũ & honestas. De quibus infrà.

Honor est maximum bonorum exteriorum, secundum Aristot. lib. 4. Ethicor.

Honor est benefactiuæ gloriæ indicium, secundum Aristot. lib. 1. Rhetor. Honor est cuiuslibet virtutis præmium, secundum b. Thomam secunda Secundæ quæst. 129. artic. 4.

Prouerb. cap. 5.

Ne des alienis honorem tuum.

Paulus ad Corint. prima, cap. 9.

Bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.

Augu-

August.lib.5.de Ciuitate Dei.

Regum gentium, nationumq; imperium penes reges erat, quos ad fastigium honoris non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat.

Ibidem.

Gloriam & honorem nō debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Vnde honores quos expetūt multi, Cato petere non debuit, sed eos ciuitas ob eius virtutem, non petenti dare.

Ibidem.

Non est in hac vita, in actione amandus honor, sed opus, quod per eundem honorem fit vel potestatem, si recta atq; vtilis sit.

Gregor.Eulogio patriarchæ Alexandrino & hab. dist.99. Ecce, in præfatione.

Ego nō verbis quęro prosperari, sed moribꝰ: nec honorem esse deputo, in quo fratres meos, honorem suum perdere cognosco. Meus nanq; honor vniuersalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusq; honor debitus non negatur.

Gregor.Siagrio episc. & hab.ibid.rationis.

Cum honoris augmento cura quoq; solicitudinis debet excrescere, vt cultui vestium actionis quoq; ornamēta cōueniant. Oportet vt enixius in cūctis studijs se vestra fraternitas exerceat, & circa subiectorum actus sit cura vigilās.

Gregor.Mauricio, & hab.2.q.1.Sacerdotibus.

Sacerdotibus autem non ex terrena. Vide in Sacerdos infrà.

Gregor. in Registro.

Deiecisti eos dum alleuarentur. Cum alleuatur deijcitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit.

Chrysost.& hab.dist.40.Multi sacerdotes.

Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ, qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ.

Idem super Matthæum.

Honoris magnitudo, his qui nō digno viuūt honore, stimulus incipit esse pœnarum.

Ibidem.

Omnes quidem de suo honore soliciti sunt, de honore autem Dei nullus.

Ioan.Chrysost.de Reparatione lapsi.

Honor verus, virtus animi est: hic honor nec Cęsaribus p̄statur, neq; adulatione cōquiritur, nec pecunia præparatur. Nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti, huius honoris successor est nullus accusator, nullus ingratus.

Cassiodorus lib.4. Epistolarum.

Decet quidem cunctos patriæ suæ augmēta cogitare, sed eos maximè, quos respub. sibi summis honorib. obligauit. Quia rectū est, vt eū necesse sit plus debere, q visus est maiora suscipe.

Ibidem.

Dignum videtur vt qui est scientia pręditus, reddatur honore reuerendus.

Boëtius de Consol.philosophiæ lib.3.

Quis igitur illos pullos putet beatos?
Quos miseri tribuunt honores.

Seneca in epistolis.

Nemo eorū, quos diuitiæ honoresq; in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur, cum basi sua illū metiris. Magnus pumilio licet in monte cōstiterit. Colossus magnitudinem seruabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore q̄ neminē ęstimamus ex æquo. Cùm verò velis æstimationem hominis inire & scire qualis sit, nudum respice, ponat patrimonium, honores, & alia fortunę mendacia, corpus suum exuat, & animum intuere qualis sit quantusq;, alieno, an suo magnus.

Seneca ad Lucilium epist.82.

Abstrahunt nos à certo diuitię, honores, potentia, & cætera, quæ in opinione nostra chara sunt, pretio suo vilia: nihil habet magnificum, quo mentes nostras in se trahant, præter hoc, q̄ mirari illa consueuimus.

Aristot. lib.1. Ehicorum.

Honor maior est in honorante, quàm in honorato.

Aristot. lib.4. Ethicorum.

Honor est maximum exteriorum bonorum.

Ibidem.

Prauus honore non est dignus.

Aristot.libro Ethicorum.

Honor est præmium virtutis.

Ibidem.

Secundum virtutem solus bonus honorandus est.

Idem.

Virtuti perfectæ non est condignus honor.

Cicero libro de Amicitia.

Vbi enim istud inuenies, qui honorem amici anteponat suo?

Cicero libro ultimo Tuscul.quæst.

Contempto igitur honore, cōtempta etiam pecunia, quid relinquitur quod extimescendum sit?

Salustius in Catilinario.

Gloriam & honorem & imperium bonus & ignauus æquè sibi exoptant. Si bonus, vera via nititur: sed ignauus, quia bonę artes desunt, dolis atq; fallacijs contendit.

Valerius Max.lib.2.tit.de Institutis antiquis.

Nā & virtutis vberrimū alimentū est honos.

Ouidius lib.1. Tristium Elegia 1.

Donec eram sospes tituli tangebar amore,
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.

Horat.sermonum lib.1.Satyra 6.

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru,
Non minus ignotos generosis.

Persius Satyra 1.

-An erit qui uelle recuset.

Os populi meruisse.-

Horror græcè φρίκη. ης. ἡ de frigore & φρίττω horreo dicitur. Horror futuræ vitæ est filia luxuriæ, inquantum reputat bonum ęternum, vel bonum arduum: quod propter delectationes venereas non appetit (imò fastidit) bona æterna, ac si non essent ardua & summa.

Horror pro tremore aliquando ponitur.

Plautus:

Quis hic est horror, quid prauitas? Interdum pro aspectus toruitate. Apuleius: Quæ cum aspexisset, horrore hominis deterritus statim retrocessit: nonnunquam pro abominatione. Varro: Ira, odium, horror, eos ab incepto retrahit: nonnunquam pro veneratione. Virgilius: Arboribus suus horror inest. Ab horror horridulus diminutiuum fit. Persius: Scis comitem horridulum trita donare lacerna, id est, trementem. Horridus item asperum significat. Virgil. Et glacie riget horrida barba.

HOspitalitas græcè ξενία. ας. ἡ. & ξενοδοχεῖον. ου. τὸ hospitium dicitur, & ξενίζω hospitor, & ξένος. ου. ὁ hospes. Est autem hospes, qui est extraneus à domo, sicut aduena in ciuitate, secundum b. Thomã super epistolam Pauli ad Ephesios 2. lect. 6. col. prima fina.

Hospes propriè dicitur, qui priuatim & amicitiæ causa, vel recipit, vel recipitur. Vnde & pro amico externo capitur, & hospitium pro amicitia: hospitium etiam diuersorium significat. Cicero: Ex hac vita discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorãdi enim natura diuersorium, non habitandi locum dedit. Hinc hospitalitas, facilitas, vel benignitas in recipiendo, & hospitaliter aduerbium, benignè & faciliter.

Paulus ad Hebræos cap. 13.

Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc em̃ placuerunt quidam angelis hospitio receptis.

Petrus primæ cap. 4.

Ante omnia autẽ mutuam in vobismetipsis charitatem habentes continuam, quia charitas operit multitudinem peccatorum, hospitales inuicem sine murmuratione.

Augustinus contra 5. hæreses.

Disce Christiane sine discretione exhibere hospitalitatem, ne fortè cui domũ clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Christus.

August. contra 5. hæreses.

Obsecutus Loth angelis tãquam peregrinis, consuetudine hospitalitatis liberatus à periculo ciuitatis, & temporale euasit incendium, & æternum consecutus est præmium.

Augustinus de uerbis apostoli.

Ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet esse hominem, & maximè hospitio suscipit hominem.

Hieronymus ad Damasum Papam, & habe[tur] 3. 16. quæst. 1. cap. ultimo.

Quoniam quicquid habent clerici pauperũ est: & domus illorum omnibus debent esse cõmunes, susceptioni peregrinorum & hospitum inuigilare debent.

Ambrosius de patriar. & hab. 32. q. 7. Offerebat. §. Præferebat.

Præferebat sanctus Loth domus suæ verecundiæ hospitalẽ gratiam, etiã apud barbaras gentes inuiolabilem.

Ambrosius lib. de Officijs.

Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmijs remuneratoris immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit. Vides quia Loth angelos recepit. Vnde scis an & tu cum recipis hominem, suscipias Christũ? licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: Hospes fui, &c.

Ambrosius lib. de Officijs.

Est publica species humanitatis, vt peregrinus in hospitio non egeat, suscipiatur officiosè, pateat aduenienti ianua.

Gregor. August. Anglorum episc. & habetur 12. quæst. 2. Mos est.

Mos est apostolicæ sedis ordinato episcopo præcepta tradere, vt de omni stipendio quod accidit, quatuor debeant fieri portiones. Vna videlicet episcopo ac familiæ eius propter hospitalitatem atq; susceptionem: alia clero: tertia verò pauperibus, quarta Ecclesijs reparandis.

Ioan. Chrysost. super Matthæum.

Qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur, talem habet qui suscipit peregrinantem, & fiunt ambo æquales: & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat.

Cicero lib. 2. Officiorum.

Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim (vt mihi quidem videtur) valdè decorum patere domos hominum illustrium, illustribus hospitibus. Idq; etiam reip. est ornamento, homines externos, hoc liberalitatis genere in vrbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer vtile ijs, qui honestè multum posse volunt, per hospites apud externos populos valere opibus & gratia. Theophrastus scribit quidem Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. Ita enim instituisse, & villicis imperauisse, vt omnia præberentur quicunq; Laciades in villam suam deuertissent.

Virgil. in 1. Aeneid.

Iuppiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur.

Homerus ξ Odysseæ.

πρὸς γὰρ δίος εἰσὶν ἅπαντες
ξένοιτε πτωχοίτε.

id est, A Ioue

A " enim ſunt omnes
H...teſq; pauperesq;.

Idem in θ Odyſſeę.

ἀντὶ κασιγνήτου ξεῖνος θ' ἱκέτης τε τέτυκται
ἀνέρι ὅς τ' ὀλίγον περ ἐπιψαύῃ πραπίδεσσι. id eſt,

Loco fratris hoſpes & ſupplicator eſt.
Viro illi, qui etiam mediocriter ſit prudens.

Idem in ι Odyſſeæ.

ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ. id eſt.

Iuppiter eſt honorator ſupplicatorumq; hoſpitumq;
Hoſpitalis, q̃ hoſpites uenerabiles ſimul comitatur.

Idem in ξ Odiſſeæ.

ζεύς τοι δοίη ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὅττι μάλιστ' ἐθέλῃς, ὅτι με πρόφρων ὑπέδεξο. id eſt,

Iuppiter tibi det hoſpes, & immortales Dei alij,
Quodcunq; maximè uis, quoniam me promptus ho-
ſpitatus es.

Idem ibidem.

ξεῖν' οὔ μοι θέμις ἔστ' οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι
ξεῖνον ἀτιμῆσαι, πρὸς γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες,
ξεῖνοί τε πτωχοί τε, δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε
γίγνεται ἡμετέρη. id eſt,

Hoſpes non mihi fas eſt, neq; ſi uilior te ueniat
Hoſpitem inhonorare, à Ioue enim ſunt omnes,
Hoſpiteſq; pauperesq;, donũ quidẽ paruũ ſed gratũ
Eſt noſtrum.

Idem in ο Odyſſeæ.

χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν. id eſt,

Oportet hoſpitem præſentem honorare, ſed uolen-tem diſcedere dimittere.

Heſiodus.

μηδὲ πολύξεινον μηδ' ἄξεινον καλέεσθαι. id eſt,

Noli habere multos hoſpites, neq; ſis ſine hoſpitibus.

Menander.

ξένους πένητας μὴ παραδράμῃς ἰδών. id eſt,

Hoſpites pauperes ne ſubterfugias cum uideris.

Idem.

ξένοις ἐπάρκων τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ. id eſt,

Hoſpitibus ſuccurrens æqualia cõſequeris quandoq;.

Idem.

ξενίας ἀεὶ φρόντιζε, μὴ καθυστέρει. id eſt,

Hoſpitalitatem ſemper cura, ne poſthabeas.

Idem.

ξένοισι πιστοῖς πιστὸς ὢν γίγνου φίλος. id eſt,

Hoſpitibus fidis fidus exiſtens ſis amicus.

Idem.

ξένον ἀδικήσεις μηδέποτε καιρὸν λαβών. id eſt,

Hoſpitem iniuria afficies nunq̃ occaſionem nactus.

Idem.

ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν. id eſt,

Hoſpiti maximè conducit modeſtum eſſe.

Idem.

ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι καὶ πράξεις καλῶς. id eſt,

Hoſpes exiſtens incurioſus ſis, & facies bene.

Idem.

ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον, ἢ κεκραγέναι. id eſt,

Hoſpiti autem tacere melius quam clamare.

Idem.

ξένος πεφυκὼς τοὺς ξενοδόχους σέβου. id eſt,

Hoſpes natus, hoſpites cole.

Idem.

ξένους ξένιζε, καὶ σὺ γὰρ ξένος γ' ἔσῃ. id eſt,

Hoſpites hoſpitare, & tu enim hoſpes eris.

Idem.

πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον. id eſt,

Peregrinatio uitam facit ſapientiorem.

Hoſpitalitas eſt, cum vltrò & miti animo inducti, nullo noſtro cõmodo illecti, hoſpites recipimus: græcis ξενία dicta. AMAMTIVS.

Vel eſt facilitas, ſiue benignitas in recipiendis hoſpitibus. Hoſpes dicitur extraneus à domo: ſicut aduena in ciuitate. Pars eſt liberalitas.

Exempla hoſpitalium hominum, ex ſacra ſcriptura deſumpta.

Geneſis cap. 18.

Abraham, qui angelos hoſpitio recepit.

Idem cap. 19.

Loth, qui & ipſe ſuſcepit angelos, putans homines eſſe.

Item 24.

Rebecca vltrò inuitans ſeruum Abrahę, prębens camelis paleas & fœnum.

Exodi cap. 2.

Ietro homo alioqui Ethnicus, liberaliter recepit Moyſen profugum.

Tertio Regum 17.

Vidua Sareptana, apud quã habitauit Helias.

Quarto Regum 4.

Sunamitis hoſpita Heliſæi.

Iob 31.

Iob: qui dixit, foris non permanſit peregrinus: Oſtium patuit peregrino.

Lucæ 19.

Zachæus, qui recepit Dominum Ieſum.

Actorum, cap. 16.

Symon Coriarius, apud quem hoſpitabatur Petrus: Lydda purpuraria, quę recepit Paulum, & complices ſuos, etiam obteſtans eos.

Eodem loco cap. 28.

Publius princeps, & ipſe Ethnicus, qui benignè recepit naufragantes.

Deuteronomij cap. 10.

Commendat nobis hanc aliquoties ſcriptura: vt, amato peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Aegypti.

Ad Hebræos 13. & D. Ioannes in canonica cap. 3.

Chariſsime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hos in peregrinos.

HVMILITAS.

Humilitas eſt virtus, qua veriſsima ſui cognitione ſibi ipſi quilibet vileſcit. Vel eſt contemptus propriæ excellentiæ. D. Bernardi hæc eſt

 definitio

definitio de gradibus humilitatis. Augustinus definit, vt sit ex intuitu propriæ conditionis, & sui conditoris, voluntaria mentis inclinatio, suo immò ordinabili ad suum conditorem.

Bernardus in epistola ad Eugenium.

Recta facere & inutilem se reputare, apud paucos inuenitur. Idem de consideratione li.5. Virtutum stabile fundamentum est humilitas, quę si omittitur, virtutum congregatio, non nisi ruina est.

Caßiodorus super Psalm. Miserere.

Magnus ascensus ad Deum, est cognitio infirmitatis suæ.

Seneca in Prouerbijs.

Etiam obliuisci quid sis, interdum expedit.

Ibidem.

Nisi æstimatis viribus aggrediaris sarcinam, subiacebis.

Idem in Tragœdia 3.

Quò fortuna altius euexit, ac eleuauit humanas opes, hoc supprimere magis felicem decet.

Laertius Diogenes de uita Philosophorum.

Aesopus quęsiuit ex Philemone, quid ageret Iuppiter, respondit: alta humiliat, humilia verò exaltat.

Valerius libro 8.

Nulla est tanta humilitas, quę dulcedine gloriæ non tangatur.

Franciscus Petrarcha de remed. aduersæ fortunæ

Nulla re melius, quàm humilitate, vincitur superbia.

Ibidem.

Quis tot ferat insolentias? humilitas eò acceptior, quò pluribus est obsessa superbijs.

Ouidius lib.1. de Tristibus Elegia 1.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icareas nomine fecit aquas.

Idem lib.3. Elegia 4.

Tu quoq; formida nimium sublimia semper,
Propositiq; precor contrahe uela tui.

Propertius lib.3. Elegia 3.

Alter remus aquas, alter tibi radat harenas:
Tutus eris medio maxima turba mari.

Franciscus Petrarcha.

A cader ua chi tropo sale set: Qui nimiũ scãdit: casum quærit.

Isidorus in Synonymis.

Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei: tanto enim eris apud Deum preciosior, quanto fueris in oculis tuis despectior.

Humiles Deus extollit. ex oda 34. lib.1. Ad fortunam, & seipsum.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura premens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hinc posuisse gaudet.

Humiles effert Mars, & æquat potentibus: ex Maphæo Velio lib.13. Aeneidos.

Heu mortem inuisam, quæ sola ultricibus armis
Elatos frænas animos, communia toti
Genti sceptra tenens, æternaq; fœdera seruans:
Quæ magnos paruosq; teris, quæ fortibus æquas
Imbelles, populisq; duces, seniumq; iuuenta, &c.

Humili viro sæpe laus vera contingit: ex Thieste Senecæ.

Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
Atq; fauoris gloriam ueri petit:
Animo laudari magis, quàm uoce uolet.
Laus uera humili sæpe contingit ui[illegible] &c.

Horizõ dicitur ab ὁρίζω q significat diffinio [illegible] & distermino: Et est circulus terminans visum & hemisphærium cœli superius, & principium inferioris, secundum b. Tho. super lib. de Causis, lec.2. fin.

Humanitas græcè φιλανθρωπία. ασ. ἡ. & φιλάνθρωποσ. ου. ὁ. humanus dicitur. Sumitur autem humanitas tripliciter. s. pro natura hominis, & pro virtute quæ consistit in exteriori subuentione cõdescendendo defectibus aliorum, sec. b. Th. super epi. Pau. ad Tit. 3. co. 3. fi. Humanitas præterea significat eruditionem atq; institutionem in bonas artes, quas qui synceriter cupiunt & assequuntur, hi sunt maximè humani, quare & artes ipsæ liberales humanitatis studia appellata sunt. Nam huius sciẽtiæ disciplina ex vniuersis animalibus soli homini data est. Ab homo veniunt humanus & humanitas. Humanũ propriè dicitur quod hominis est, & ad hominem spectat. Et quia homo inter omnia animalia morti obnoxia maximè mitis est, idcirco humanus pro facili, miti, & tractabili ponitur: vnde humanitas dicitur, quam græci φιλανθρωπίαν vocant, quasi amorem in homines.

De hac materia vide suprà in Amor proximi, Clementia, Eleemosyna & Hospitalitas.

Humiditas græcè ὑγρότησ. ητοσ. ἡ. & ὑγρόσ. ου. ὁ. humidus dicitur.

Humidum radicale est totum illud, in quo fundatur virtus speciei, q perditũ non potest restaurari, secundũ b. Tho. 1. parte. 119. art.1.

Humidũ nutrimentale est, q nondum habet perfectã naturam speciei, sed est in via, vt sanguis & huiusmodi secundum eundem ibidem.

Ab humeo pariter fit humecto, q est humidũ facio. Vdũ ab humido quidã sic distinguũt: vt vdum sit, quod intrinsecus habet humorem, vnde vuam dictam volunt. Virgilius: Vuidus hyberna venit de glande Menalcas. Humidum verò, quod extrinsecus habet humorem.

Humilis

nilitatis gradus quibus opponuntur duodecim gradus superbiæ secundum beatum Bernardum.

Humilitatis gradus.

- Secundum B. Benedictum in regula sunt duodecim, quorũ alia quæ pertinent
  - Ad exteriora signa, quorũ aliqua consistunt in
    - Gestibus exterioribus.
      - 1. Corde & corpore semper humilitatem ostendere defixis in terram aspectibus.
      - 2. Vt non sit facilis aut promptus in risum.
    - Verbis.
      - 3. Vt pauca uerba etiam rationabilia loquatur non clamosa uoce.
      - 4. Taciturnitas usque ad interrogationem.
    - Factis.
      - 5. Tenere s. in suis operibus quod habet communis monasterij regula.
  - Ad æstimationẽ hominis suum defectũ cognoscentis, & secundũ hoc habentur tres gradus.
    - 6. Credere & pronuntiare se omnibus uiliorem.
    - 7. Ad omnia indignũ & inutilem se cõfiteri & credere.
    - 8. Confeßio peccatorum suorum.
  - Ad appetitũ qui refrenari debet, ne immoderatè tendat ad alta s. in propriã excellentiã, & secundũ hoc est triplex gradus.
    - 9. Vt pro obedientia in duris & asperis patientiã amplectatur.
    - 10. Vt cũ obedientia subdat se maiori.
    - 11. Vt uoluntatẽ propriã non delectetur implere.
  - Ad radicẽ quæ est reuerentia Deo debita.
    - 12. Vt Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit.
  - Quibus opponuntur.
    - Curiositas per quam aliquis curiosè ubiq; inordinatè circunspicit.
    - Inepta lætitia.
    - Leuitas mentis per quam homo superbè se habet in uerbo.
    - Iactantia.
    - Singularitas per quã aliquis uult sanctior haberi.
    - Arrogantia per quã homo se alijs præfert.
    - Præsumptio scilicet per quam aliquis reputat se sufficientẽ ad maiora.
    - Defensio peccatorũ.
    - Simulata confeßio per quam quis non uult subire pœnam pro peccatis quæ simulatè confitetur.
    - Rebellio.
    - Libertas per quam homo delectatur liberè facere quod uult.
    - Consuetudo peccandi quæ inducit Dei contemptum.
- Secundum beatum Anselmum libro de Similitudinibus sunt septem, quorũ aliqui pertinent ad propriæ abiectionis
  - Opinionem.
    - Hominẽ se cõtemptibilem cognoscere.
    - Hoc non dolere.
  - Manifestationem.
    - Hoc confiteri.
    - Hoc persuadere.
  - Voluntatem.
    - Patienter sustinere hæc dici.
    - Pati contemptibiliter se tractari.
    - Hoc idem amare.
- Secundum glossam super Matthæũ cap. 3. Sic enim decet omnem iustitiam, &c.
  - Sufficiens scilicet
    - Subdere se maiori, & non præferrre sẽ æquali.
  - Abundans scilicet
    - Subdere se æquali, nec præferre se minori.
  - Perfecta scilicet
    - Subdere se maiori, in quo est omnis iustitia.

NANVS HVmilitas græcè ταπεινότης, ητος. ἡ. & ταπεινός. οῦ. ὁ. humilis dicitur. Est autem humilitas secundum Bernardum de gradibus humilitatis virtus, qua verissima sui cognitione sibijpsi quilibet vilescit. Humilitas, vt ibidē est contemptus propriæ excellentiæ.

Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, & sui conditoris voluntaria mentis inclinatio, suo imo ordinabili ad suum conditorem, secundum Augustinum.

Dauid Psalm. 101.

Respexit Dominus in orationem humiliū, & non spreuit preces eorum.

Ecclesiastici cap. 2.

In humilitate tua patiētiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis.

Ecclesiastici cap. 3.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius & ab hominibus honoratur.

Idem cap. 7.

Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis.

Ecclesiastici cap. 10.

Quid superbis terra & cinis?

Ecclesiast. cap. 35.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquat nō consolabitur: & non discedet donec aspiciat altissimus.

Esaias cap. 66.

Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritū spiritu, & tremētem sermones meos?

Iob cap. 13.

Quid tumet contra Deum spiritus tuus?

Matthæi cap. 18.

Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.

Matthæi cap. 20.

Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Ibidem cap. 23.

Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Marci cap. 9.

Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.

Lucæ cap. 14.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discūbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locū, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.

Lucas cap. 7. & 18.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Paulus ad Corinth. 2. cap. 11.

Nunquid peccatum feci meipsum humiliās, vt vos exaltemini?

Paulus ad Galat. 6.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit: ipse se seducit.

Paulus ad Ephes. 4.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Dño, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cū omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate.

Paulus ad Philip. cap. 2.

Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.

Iacobus in epist. cap. 1.

Glorietur autem frater humilis in exhortatione sua, diues autem in humilitate sua: quoniam sicut flos fœni trāsibit. Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: ita & diues in itineribus suis marcescet.

Petrus apost. 1. cap. 2.

Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

Ibidem.

Serui subditi estote in omni timore dominis nō tantū bonis & modestis, sed etiā discolis.

Petrus apost. 1. cap. 5.

Omnes inuicem humilitatē insinuate, quia Dominus superbis resistit, humilibus autē dat gratiam.

Ibidem.

Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.

Augustinus lib. de catechizandis rudibus, & habetur dist. 39. Sedulò.

Sedulò monendi sunt scholastici, vt humilitate induti christiana discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia magis quam verborum deuitare. Sed cordi casto linguā exercitatam, nec cōferre audeant, quam etiā præferre consueuerunt.

August. ad Auxentium episcopum & habetur 24. q. 3. Si habes de hac. §. Senex à iuuene.

Senex enim à iuuene & episcopus tot annorum à collega necdū anniculo paratus sum doceri, quomodo possim vel Deo vel hominibus iustam reddere rationem.

Aug. de uerbis apostoli, & habetur 22. q. 2. Cùm humilitatis.

Cùm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequā mentireris, mentiendo efficeris.

ceris, quod euitaras.

Ibidem.

Quomodo est humilitas, vbi regnat falsitas?

Augustinus de uerbis Domini.

Discite à me non mundum fabricare, nõ cũcta visibilia & inuisibilia creare, non ipso mundo miracula facere & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde. Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.

Ibidem.

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem vltra te? Cadere vis non ascendere, à gradu incipe & ascendisti.

Ibidem.

O medicinam omnibus cõsulentem, omnia tumentia cõprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecãtem, omnia deprauata corrigentem, quæ superbia sanari potest, si humilitate filij Dei non sanatur? Quæ auaritia sanari potest? si paupertate filij Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest? si sapientia filij Dei non sanatur?

Augustinus ad Diascorum.

Excelsa est patria, humilis est via. Ergo qui quærit patriam, quid recusat viam?

Augustinus in sermone de superbia.

O sancta venerabilisque humilitas, tu Dei filium descendere fecisti in vterum sanctæ Mariæ virginis. Tu eum fecisti inuolui vilibus pannis, vt nos indueret virtutum ornamentis. Tu eum circumcidisti in carne, vt nos circumcideret in mente. Tu eum corporaliter flagellasti, vt nos à flagello peccati liberarat. Tu eum coronasti spinis, vt nos coronaret suis æternis rosis. Tu eum infirmari fecisti, qui medicus cũctorum erat, solo verbo sanans omnia, & vniuersa, vt infirmos sanaret.

Augustin. de trinitate lib. 10.

Cum omnis creatura, aut par, aut inferior sit nobis: inferiore vtendum est propter Deum, pari autem fruendum est, in Deo.

Augustinus super Matth. sermone 59.

Magis cogitare debetis quid vobis desit, quã quid vobis adsit. Quod habes, caue ne perdas. Quod nondũ habes, supplica vt habeas. In quãtis sis minor, est considerandum, non in quantis sis maior. Si enim cogitas quantum precessisti alterũ, time tumorem. Si verò cogitas quãtum tibi deest, ingemiscis. Curaris, humilis si eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non laberis.

Augustinus super epistola Ioannis cap. 8.

Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, vt agnoscant te quæ infra te sunt. Ideoque dum Daniel agnouisset supra se Deum, agnouerunt eum supra se leones.

Augustinus in prooemio 9. lib. de Trinit.

Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quàm qui ea non respecta mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, & fastigia cœlorum scrutaretur.

Hieronymus ad Celantiam.

Humilitatem sequere, non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fractã voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimatur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem.

Hiero. epistola ad Cthesiphontem.

Hęc est in omnibus sola perfectio, suę imperfectionis cognitio.

Hieronymus epistola ad Rusticum.

Vilis tunica contemptum seculi probat ita duntaxat vt animus non tumeat, nec habitus sermoq; dissentiant.

Idem.

Immundus est autem apud Deum omnis qui exaltat cor suum, & qui paululum fugerant à peccatis, ad suum reuertuntur errorem.

Hieronymus epistola 27.

Multi humilitatis vmbram, veritatem pauci sectantur.

Ibidem.

Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus. Virum humilem patientia ostendit.

Hieronymus epistola 90.

Plus est animum deposuisse quàm cultum, difficilius arrogantia quàm auro caremus aut gemmis.

Ambrosius super Lucam libro 7.

Qui paupertate contentus est, non est contẽtus iniuria. Et qui potest ferre verberũ pœnas, exagitatur verbo contumelię. Et qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in hominibus tenere humilitatis mensuram.

Ambrosius ibidem.

Bona humilitas nihil appetendo totũ quod contemnit adipiscitur.

Ambrosius ibidem.

Nihil excelsius humilitate, quę quasi semper superior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod infra se iudicat.

Gregorius homilia 9. super Euang. Matth. Vni dedit quinq; talenta.

Tanto quis debet esse humilior ex munere, quanto se obligatiorem cõspicit in reddenda ratione.

Grego. super euan. homi. lib. 2. super illud Matt. 5. Qui uult uenire post me, abneget semetipsum.

Tunc nosmetipsos abnegamus, cũ mutamus quod per vetustatẽ fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur.

Ibidem.

Nisi

Nisi à semetipso quis deficiat, ad eum qui supra se est non appropinquat.

Gregorius super Ezech. lib. 1. hom. 1.

Semetipsum abnegat, qui mutatus in meliora incipit esse quod non erat, & desinit esse ꝙ erat.

Gregorius, & hab. 1. q. 7. Admonendi.

Admonendi sunt subditi ne plus quàm expedit sint subiecti. Ne, cùm student plus quàm necesse est hominibus subdi, compellantur vitia eorum venerari.

Gregorius lib. 1. Mor.

Intuendũ verò est, quia hostis noster tot nos iaculis percutit, quot tentationib. affligit. Quotidie nanque in acie stamus, quotidie tela tentationum eius excipimus. Sed nos contra illum iacula mittimus, & confossum tribulationibus humilia respondemus.

Gregorius 18. Moralium.

Quia origo virtutum in nobis est humilitas: illa veraciter pullulat, quæ in radice propria. i. in charitate perdurat, à qua nimirum si abscinditur, arescit: quia in viuificantes se in intimis humorem charitatis perdit.

Gregorius ibidem.

Qui humilitatem, quæ est mater virtutũ nesciunt, vsum sui perdunt laboris. Et si quæ bona sunt, quæ operari videantur, quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli igitur ruinæ crescit quod ædificant, quia ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant.

Gregorius 18. Moralium.

Tanto quis fit vtilior Deo, quanto preciosior sibi. Tanto pretiosior est Deo, quanto propter eum vilior est sibi.

Idem lib. 23. Moralium.

Quatuor sunt qualitates quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cùm autem malorum suorum reminiscitur cõsiderans vbi fuit, aut iudiciorum Dei sententiã metuens, & secum quęrens considerat vbi erit, aut cum mala vitæ pręsentis attendens solerter mœrens considerat vbi est, aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia nec dum adipiscitur lugens conspicit vbi non est.

Idem lib. 25. Moralium.

Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet. Et quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit.

Idem lib. 26. Moralium.

Cùm per tẽtationem humilitas proficit, prospera est illa aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit.

Idem lib. 31. Moralium.

Cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cùm recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contra magno humilitatis radio sua opera illustrat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea quæ ipse fœliciter facta foris ab alijs conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur superbiæ tumorem premit.

Idem libro 34. Moralium.

Hoc solum solet esse specificum electorum, quod de se semper sentiunt infra quàm sunt. Qui enim nondum se despicit humilem, Dei sapientiam non apprehendit.

Idem homilia 6.

Qui sine humilitate virtutes cõgregat, quasi inuentum puluerem portat.

Idem in Registro.

Sic seruanda est virtus humilitatis, vt nõ soluantur iura regiminis: Ne dum prælatus plus se, quàm decet, deijcit, subditorũ vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit. Et sic seruanda est disciplinæ seueritas, ne, dum plus quã necesse est, zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum, homilia 3.

Velle esse super omnes vituperabile est. Sustinere autem alterum super se nimis gloriosum.

Ioannes Chrysostomus in Policratico lib. 3.

Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultũ in moribus diligentissimè teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis fastigio tumoris pondere cadit.

Idem in tractatu de symbolo.

Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari quid ipse sit: quid intra se, quid extrà, quid supra, quid infra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum, vtilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorẽ Dei.

Isidorus in Synonymis.

Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris in oculis tuis despectior.

Isidorus de summo bono lib. 3.

Semper conscientia serui Dei humilis debet esse & tristis: vt per humilitatem nõ superbiat, & per vtilem mœrorem cor ad lasciuiam non dissoluat.

Bernardus in epistola ad Socrum.

Humilitas meretur, vt homo virtutes occupet, quia humilibus Deus dat gratiam. Seruat accepta, quia non requiescit Spiritus sanctus, nisi super quietum & humilem. Seruata conseruat, nam virtus in humilitate & infirmitate perficitur. Inimicum omnis gratię, omnisq; peccati initium superbiam debellat.

Idem in epistola ad Eugenium.

Recta facere, & inutilem se reputare, apud

paucos

cos inuenitur.

Idem de consideratione lib. 5.

Virtutum stabile fundamentũ est humilitas, quæ si omittitur, virtutum congregatio non nisi ruina est.

Idem super Cantica.

Nec humilitas pręter veritatẽ laudabilis est.

Idem super Cantica sermone 35.

Scio neminem absq; sui cognitione saluari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur & timor Domini: qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita & salutis est.

Idem super Cantica sermone 45.

Si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum animę possidere decorem: Rara auis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi.

Leo papa in sermone Ioannis Baptistæ.

Nos verò fratres quantum possumus elaboremus, vt quod superbia timidum elatumque reddiderat, humilitate & mansuetudine complanetur.

Leo in sermone natiuitatis domini.

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non fuerim⁹ Christi, qui ideo viã se esse dixit, vt conuersatio magistri fieret forma discipuli. Et illam humilitatem eligat seruus, quam secutus est Dominus eius, qui fuit Christus.

Hugo lib. 1. de anima.

Melior es si te ipsum cognoscas, quã si te neglecto cursus syderum, vires herbarum, cõplexiones hominum, naturas animalium, cœlestium omnium & terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cũ summa philosophia sit cognitio sui.

Idem de claustro animæ libro 3.

In spirituali ædificio fundamenti locus in imo. i. humilitate quæritur. In latitudine. i. in charitate disponitur. In altitudine verò bonorum operũ paries erigitur, & diuinæ protectionis tectum desuper ponitur. In longitudine autem patientiæ perficitur.

Ibidem.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animalibus vestris. Ecce mel humilitatis cum dulcedine mansuetudinis. Sicut enim mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuersitatibus specierum, sic ex humilitatis dulcedine cõdiuntur omnia genera virtutum.

Cassio. super illud Psal. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.

Magnus ascensus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ.

Cassio. super illud. Humilia respicit.

Erubescant elati vbi credunt locum habere superbiam, cùm cœlum & terram ab humilitate videant occupatam.

Cassio. super illud Psal. Humiliatus sum usquequaque.

Per humilitatem membra Christi sciunt diaboli vicisse superbiam. Per hãc fideles supra regna proficiunt. Per hanc tyrannica superbia superatur. Per hanc in æternum martyres coronãtur: nec potest dici perfectus, q̃ hac virtute est priuatus.

Basilius in Hexameron

Tria sunt quæ radicata nutriunt humilitatẽ, s. assiduitas subiectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & consideratio rei melioris.

Seneca in Prouerbijs.

Etiam obliuisci, quid sis, interdum expedit.

Ibidem.

Nisi æstimatis viribus aggrediaris sarcinam, subiacebis.

Seneca Tragœdia 3.

Quò fortuna altius euexit ac eleuauit humanas opes, hoc supprimere magis fœlicẽ decet.

Laertius Diogenes de uita & moribus philosophorum.

Philemonẽ interrogauit Aesopus poeta, qd nam ageret Iupiter? Respondit Chilo: Alta humiliat, humilia verò exaltat.

Valerius Maximus lib. 8.

Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur.

Franc. Petrar. lib. de Remedijs aduersæ fortunæ.

Doleo. Nouerca superbissima est mihi. Respondeo. Et fœminæ proprium superbia est, & nouercæ est: si geminæ causæ vnum pariunt effectũ, non est quod stupeas, est quod feras, teq; priuignum simul & filium bonum probes. Nulla autem re melius quã humilitate vincitur superbia. Vnde si impia atq; importuna est tibi nouerca, sis illi patiẽs & pius. Pietatem patri debes, patientiam fœminę, reuerentiam nouercę. Nam & si tibi iniuriosa est, iniurias contemne. Muliebres enim iniurię contemptu melius quã vltione plectuntur.

Franc. Petrar. de remedijs aduersæ fortunæ.

Quis tot ferat insolentias? humilitas cò accoptior quò pluribus est obsessa superbijs.

Ouidius Tristium lib. 1. Elegio. 1.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icarias nomine fecit aquas.

Ouidius Tristi. libro 3. elegia 4.

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi quantumq; potes, prælustria uita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Lataq; plus paruis uela timoris habent.
Aspicis ut summa cortex leuis innatat unda?
Cum graue nexa simul retia mergat onus.

Ibidem

Ibidem.

Qui cadit in plano, uix hoc tamen euenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere poßit humo.

Ibidem.

Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signat aquas.
Nempe quod hic altè, demißius ille uolabat,
Nam pennas ambo non habuêre suas.
Crede mihi bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Ibidem.

Tu quoq; formida nimium sublimia semper,
Propositiq; precor contrahe uela tui.

Propertius lib. 3. elegia 3.

Alter remus aquas, alter tibi radat harenas,
Tutus eris, medio maxima turba mari est.

Francis. Petrar. Soneto 4.

Quel chen finita prouidentia & arte
Monstro nel suo mirabil magistero.
Chel creo questo & quellaltro hemisphero:
Et mansueto piu Gioue che Marte.
Venendo in terra alluminar le charte,
Chaue an molti anni gia celato il uero,
Tol si Giouanni dala reta, & Piero,
Et nel regno del ciel fece lor parte.
Dise nascendo a Roma non fe gratia,
A Giudea si tanto sopra ogni stato.
Humilitate exaltar semper li piaque. *id est,*
Ille qui immensam prouidentiam & artem
Ostendit in suo mirabili magisterio,
Qui creauit hoc & alterum hemisphærium:
Et mitiorem Iouem quã Martem esse uoluit.
Veniens in terram ad scripta illuminanda,
Quæ multis annis iam uerum cælauerant,
Amouit Ioannem à reti, & Petrum ipsum,
Et regni eos cælorum fecit participes.
Suiipsius nascens non fecit Romæ gratiam,
Iudeæ magis tantum supra omnem statum
Humilitatem exaltare semper ei placuit.

Idem Soneto 270.

A caderua, chi tropo sale. *id est,*
Qui nimium scandit, casum quærit.

De hac materia habes suprà vbi Cõtemptus, & Homo, & infrà vbi Superbia.

IActantia græcè ἀλαζονεία.ας.ἡ. & ἀλαζών.όνος. iactator dicitur. Est autem iactantia inanis de se & stulta prædicatio. Vel sic: iactantia est per quã quis se extollit supra id quod in se est. Secundario autem supra id quod de eo alij opinantur, secundum b. Tho. secunda secundæ q. 110. art. 2.

Iactatio est voluptas gestiens & se efferẽs insolentiùs, secundum Ciceron. libro 4. Tuscul. quæst.

Iactator est qui plus eis quæ scit fingens, aut scire quæ non scit, secundum Aristotelem lib. Magnorum mora.

Iactare vnde iactantia & iactator veniunt, propriè est frequenter iacere. Seneca. Dum lapillos iactaret in puteum. Aliquando voluere. Virgi. Atq; illum tales iactãtem pectore curas. Nonnunq̃ pro fatigare, concutere, vexare, affligere. Virg. Iactatos æquore toto Troas relliquias Danaũ atq; immitis Achilli. Et licet Seruius dicat, hoc interesse inter iactari & fatigari, quod iactamur mari, fatigamur terris, Virgiliano tamen exemplo satis apparet ridiculam esse huiusmodi differentiam, cùm dicat Virgil. Terris iactatus, & alto. A iacto fit iactura, quæ significat damnum, quo afficiuntur nautæ, cũ maxima laborantes tempestate merces in mare eijciunt vt nauis minori pondere prematur. A iacto item fit iactanter aduerbium, hoc est cũ iactantia, iactabundus, hoc est gloriabundus & inaniter se iactans.

Prouerb. cap. 27.

Laudet te alienus & nõ os tuum, extraneus, non labia tua.

Paulus ad Corinth. 2. cap. 2.

Quoniam multi gloriantur secundum carnẽ & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.

August. sermo. domini in monte.

Animaduertendum est non solum rerũ corporearum nitore atq; pompa, sed etiam in ipsis sordibus esse posse iactantiã, & eò periculosiorem, quo sub specie seruitutis Dei decipit.

Augustinus libro 10. de Ciuitate dei.

Iactantia non est vitium laudis humanæ, sed vitium animæ peruersæ amantis humanã laudem, spreto testimonio conscientiæ.

Augustinus lib. 10. Confeßionum.

Qui laudari uult ab hominibus vituperante te, non defoditur ab hominibus iudicante te, non eripietur damnante te.

Ibidem.

Video me nõ laudibus meis propter me, sed propter proximi vtilitatem moueri oportere, & vtrum ita sit, nescio.

Ambro. & hab. 24. quæst. 1. ca. Imitere. § sciamus.

Sciamus neminem iactare debere, nam si Petrus lapsus est, qui dixit: Etsi alij scandalizati fuerint in te, sed non ego, quis alius iure de se præsumat? denique & Dauid, quia dixerat: Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum, eam sibi iactantiam obfuisse confitetur, dicens: Auertisti faciem tuã à me, & factus sum conturbatus.

Grego. Morali. lib. 27.

Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat, sed iustos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Isti enim laude sua pascuntur, quia auditoris sui gloriam quærũt sua laude cruciant, ne non sit intus quod foris dicitur.

citur, nec si est etiam quod dicit, ante Dei oculos ipsis fauoribus vacuentur, ne humana laus robur mentis extollat, emolliat, eamque in sui delectatione prosternat.

Ioan. Chrysost. super Matthæum.

Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, & tunc illud quod egeris esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquàm fecisse cum feceris, & plenissimè cuncta fecisti.

Isidorus lib.3. de Summo bono.

Dum causa iactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum conuertitur.

Boëtius lib.1. de Consolatione.

Minuit quodammodo se probantis consciētiæ secretum, quoties ostentando quis factum recipit famæ pretium.

Aristot. lib.4. Ethicorum.

Iactator iustissimè & maximè vituperandus est.

Macrobius lib.7. Saturnalium.

Quid duces & milites? quàm fortiter à se facta dicturiant, & non tacent arrogantiæ metu: nónne si vt hęc referant, inuitentur, mercedem laboris sibi ęstimant persolutā? remunerationē putantes inter volentes narrare quæ fecerant. Adeò autem id genus narrationū habet gloriæ quendam saporem, vt si inuidi vel æmuli fortè præsentes sint, tales interrogationes obstrepēdo discutiant, & alias inserendo fabulas prohibeant, illa narrari quæ solent narranti laudem creare.

Valerius Maximus lib. 2.

Nihil est quod magis minuat laudis præconium, quàm suos assiduè iactare successus, & singulis diebus anni vendere diem vnum.

Cicero libro Officiorum.

Deforme etiam est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.

Lucius Apuleius lib.2. de Magia.

Neque facundiæ ostentatio rudi & indocto, neq; gloriæ cupido rustico & barbaro, neq; inceptio patrociniorum seni congruit.

Idem lib.3. Floridorum.

Potest autem quiuis falso gloriari.

Iulius Cæsar lib. 9.

De suis homines laudibus libenter prędicāt.

Plautus in Epidico.

Nam strenuiori deterior si prædicat suas pugnas de illius illæ sunt ore sordidæ.

Idem.

Stultus est qui facta infecta facere uerbis postulat.

Ouidius lib.1. de Arte amandi.

Hei mihi non tutum est, quod ames, laudare sodali:
Cum tibi laudanti credidit, ille subit.

Icon græca dictio est εἰκών, όνος dicitur, & latinè imago dici potest, & est propositio probabilis. Quod enim ex pluribus sciunt sic factum vel non factum, aut esse, aut non esse, hoc est icon, secundū Aristotelem lib.2. Priorum, hinc fit iconicus, quod significat ita pictū, vt ex eius membris similitudo expressa sit.

Iconomia græca dictio est οἰκονομία. ας. ἡ dispensatio domestica: & οἰκονομέω guberno: & οἰκονόμος dispensator rei familiaris dicitur. Hæc autem est prudentia rectiua multitudinis vnius familiæ: secundum b. Thomam secunda secundæ, q.48. Cuius finis est vltimus totum bene viuere secundum domesticam cōuersationem secundum eundem.

Idea dicitur ἀπὸ τοῦ εἶδος, quod est species & forma. Et est forma exemplaris qua res fiunt & cognoscuntur, quæ est in mente artificis, secundum b. Thomam prima parte q.15. Hinc idólū cum accentu in penultima, cuius diminutiuum est idolium, similiter cum accētu in penultima, & idololatria, de quib. infrà & idolothysia, hoc est immolatio quæ fit simulacris ἴδιος. ϐ. ὁ. verò dicitur proprius, à quo idiotes siue idiota dicitur indoctus, & inutilis, quasi sibi tantummodo, & nulli alij vtilis. Lucilius: Quid ni, & tu idem illiteratum me atq; idiotam diceres.

Idem græcè τὸ ἀυτὸ dicitur. Venitq; ab is, & accipitur pro is demum: aliquando pro etiam ponitur. Cicero: Et huic coniuncta beneficentia quam idem vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet, id est, quam etiam.

Idololatria græca dictio est εἰδωλολατρεία. ας. ἡ. & εἴδωλον. ϐ. τὸ. simulacrū dicitur. Et est cultus Deo debitus creaturæ exhibitus. Et dicitur idololatria ab εἴδωλον & λατρεία cultus. Nam λατρεύω colo dicitur.

Idololatria est exhibere latriam, id est, cultū Dei, creaturæ, secundum b. Thomam secunda secundæ quæst.194. art.1.

Idololatra est idolorum cultor, licet cōsuetudo per errorem proferat idolatra. A græcis enim scribitur εἰδωλολάτρης. ϐ. ὁ.

Idola sunt inanes imagines, secundum Cice. lib.1. de Finibus bonorum & malorum.

Genes. cap.35.

Iacob conuocato omni domo sua ait. Abijcite deos alienos, qui in medio vestrum sunt, & mundamini ac mutate vestimenta vestra. Surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Domino qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei.

Exodi cap.20.

Locutusque est Dominus cunctos sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem quę est in cælo desuper, & quæ est in terra deorsum, neq;

eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neq; coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrũ in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia ijs qui diligunt me & custodiunt præcepta mea.

Ibidem.

Dixitq; prætereà Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel. Vos vidistis quid de cælo locutus sum vobis, non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.

Exodi cap. 23.

Non adorabis deos eorum, nec coles eos, nõ facies opera eorum, sed destrues eos & confringes statuas eorum. Seruietisq; Domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.

Leuitici cap. 19.

Nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles facietis vobis, ego Dominus Deus vester.

Sapientiæ cap. 13.

Infelices aũt sunt & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos opera manuũ hominum, aurum & argentum artis inuentionem, & similitudines animalium, aut lapidẽ inutilem opus manus antiquæ.

Ibidem.

Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est & pro sanitate quidem infirmũ deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest, & de acquirendo & de operando, & de rerum omnium euentu petit ab eo qui in omnibus est inutilis.

Sapientiæ cap. 14.

Iterum alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens ligno portante se fragilius, lignum inuocat. Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex sapientia fabricauit sua. Tua autẽ pater prouidentia ab initio cuncta gubernat, quoniam dedisti in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam, ostendens, quoniam potens es ex omnibus sanare, etiamsi sine rate aliquis adeat mare.

Ibidem.

Per manus autem quod fit idolum, maledictũ est & ipsum & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est, illud autem cum esset fragile Deus cognominatus est. Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius. Etenim quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur. Propter hoc & in idolis non erit nationum respectus, quoniam creaturæ Dei in odium factę sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulã pedibus insipientium. Initium enim fornicationis, est exquisitio idolorum: & adinuentio eorum, corruptio vitæ est. Neque enim erant ab initio, neq; erunt in perpetuum.

Ibidem.

Superuacuitas enim hominum hoc adinuenit in orbem terrarum, & ideo breuis illorũ finis est inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater, rapti sibi filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquã Deũ colere cœpit & cõstituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tẽpore conualescente antiqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est.

Ibidem.

Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium & finis.

Ibidem cap. 15.

Malorum amatores digni sunt morte, qui spẽ habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

Ibidem.

Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terrę materia fragilia vasa & sculptilia fingit. Omnes enim insipientes, & infelices suprà modũ animæ suæ superbi sunt inimici populi tui, & imperantes illi: quoniam omnia idola nationum deos æstimauerunt, quibus neq; oculorũ visus est ad videndum, neq; nares ad percipiendum spiritum, neq; aures ad audiendum, neq; digiti manuum ad tractandũ, sed & pedes eorũ pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. Cùm enim sit mortalis, mortuũ fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse ijs, quos colit: quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autẽ nunq̃: sed & animalia miserrimi colũt. Insensata enim cõparata his, illis sunt deteriora. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest cõspicere. Effugerunt autem Dei laudem & benedictionem eius.

Ecclesiastici cap. 30.

Quid proderit libatio idolo? neq; enim manducabit, nec odorabitur.

Esaias cap. 1.

Et cõteret scelestos & peccatores simul, & q dereliquerunt Dominũ consumentur. Cõfundentur enim ab idolis quibus sacrificauerunt.

Ibidem cap. 2.

Et repleta est terra eius idolis. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir.

Ibidem cap. 42.

Confundantur confusione, qui cõfidunt in sculptili, qui dicunt conflatili, vos dij nostri.

Ibidem cap. 44.

Nunquid est Deus absq; me, & formator quẽ ego nõ nouerim? Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt

ſunt teſtes eorum, quia non vident, neq; intelligunt, vt confundantur. Quis formauit Deum, & ſculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur, fabri enim ſunt ex hominibus. Conuenient enim oẽs, ſtabunt & pauebunt, & confundentur ſimul.

Hieremias cap. 25.

Et nolite ire poſt deos alienos, vt ſeruiatis eis adoretisq́; eos, neq; me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum veſtrarum, & nõ affligam vos.

Ibidem cap. 35.

Conuertimini vnuſquiſq; à via ſua peſsima, & bona facite ſtudia veſtra, & nolite ſequi deos alienos, neq; colatis eos, & habitabitis in terra quam dedi vobis & patribus veſtris.

Ibidem cap. 44.

Propterea quòd ſacrificaueritis idolis, & peccaueritis Domino, & non exaudieritis vocem Domini, & in lege & in præceptis & in teſtimonijs eius non ambulaueritis, idcircò euenerunt vobis mala.

Ezechiel cap. 24.

Conuertimini & recedite ab idolis veſtris, & ab vniuerſis contaminationibus veſtris auertite animas veſtras.

Ibidem cap. 20.

Vnuſquiſq; offenſiones oculorum abijciat, & in idolis Aegypti nolite pollui.

Ibidem.

In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum polluamini.

Paulus ad Corinth. 1. cap. 10.

Neq; idololatrę efficiamini ſicut quidam ex ipſis: quemadmodũ ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.

Ibidem.

Quæ immolant gentes, dæmonijs immolãt, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem demoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorũ.

Ibidem.

Si quis autem dixerit: hoc immolatũ eſt idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.

Idem ad Hebræos cap. 10.

Impoſsibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

Ioannes epiſt. 1. cap. 5.

Filioli cuſtodite vos à ſimulachris.

Auguſt. de natura dæmonum, & habetur 26. quæſt. 4. cap. Sciendum.

Sciendum hanc eſſe naturam dæmonum, vt aërei corporis ſenſu, terrenorum corporũ ſenſum facilè pręcedant celeritate, & propter aërei corporis ſuperiorem mobilitatem, non ſolùm curſus quarumlibet rerum, vt hominum vel ferarum, verumetiam volatus auium incomparabiliter vincant, quibus duabus rebus quantum ad aëreum corpus attinet præditi, hoc eſt, acumine ſenſus & celeritate motus, multò ante cogitata nuntiant, quæ homines pro ſenſus terreni tarditate mirentur. Acceſsit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia quàm poteſt hominibus, propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias quas aërei corporis natura ſortita eſt, non ſolùm multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa faciunt, quæ quoniam homines dicere non poſſunt, aut facere, eos dignos quidam quibus ſeruiant, & quibus honores diuinos deferant arbitrantur, inſtigante maximè vitio curioſitatis propter amorem fœlicitatis falſæ atq; terrenæ, & excellentiæ temporalis.

Idem ad Publicolam, & habetur 26. q. 2. cap. Si de area.

Si de area vel torculari tollitur aliquid ad ſacrificia dæmoniorum ſciente Chriſtiano, ideò peccat, quia permittit fieri, vbi prohibendi poteſtas eſt: quòd ſi factum nõ comperit, aut prohibendi poteſtatem non habet, vtitur mundis reliquis fructibus vndè illa ſublata ſunt.

Idem de bono coniugali, & hab. 32. quæſt. 4. cap. Sicut.

Satius eſt fame mori, quàm idolothytis veſci.

Hierony. & habetur 26. quæſt. 2. cap. Eſt & illud.

Eſt & illud opprobriũ Aegypti, quod ſi neglexeris etiam poſt Iordanis tranſitum, & poſt baptiſmi ſecundam circunciſionem vetuſtę cõſuetudinis inuſtione ſuggeritur, obſeruare auguria, requirere ſtellarum curſus, & euentus ex his futurorum rimari, cæterisq́; huiuſmodi ſuperſtitionibus implicari. Idololatriæ nanq; mater eſt Aegyptus, ex qua certum eſt opprobria huiuſmodi pullulare, quæ ſi trãſito Iordane ſuſceperis, & his te laqueis rurſus illigaueris, tecũ ſine dubio opprobria Aegypti trahis.

Idem ad Damaſum.

Aptandus eſt omnis ſermo ad deſtructionem idololatriæ.

Idem ad Riparium.

Acceptis primũ literis tuis, non reſpondere, ſuperbiæ eſt: reſpondere, temeritatis. De his enim rebus interrogas, quas & proferre & audire ſacrilegium eſt. Ais Vigilãtium, qui κατὰ ἀντίφρασιν, hoc vocatur nomine: nam Dormitantius rectius diceretur: os fœtidum rurſus aperire, & putorem ſpurciſsimum contra ſanctorũ martyrum proferre reliquias, & nos, qui eas ſuſcipimus, appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur.

 O in-

O infelicem hominem & omni lachrymarum fonte plangendũ, qui hæc dicens non se intelligit esse Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiã vasa, quæ in eadem domo fuerint, pollui suspicãtur, sequentes occidentem literam, & non viuificãtem spiritum. Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne quidem solem & lunam, nó angelos, non archangelos, nó cherubin, non seraphin, & omne nomẽ quod nominatur, & in pręsenti seculo & in futuro colimus, & adoramus, ne seruiamus creaturæ potiùs q̃ creatori, qui est benedictus in secula. Honoramus aũt reliquias martyrum, vt eum cuius sunt martyres adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominũ qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Ergo Petri & Pauli immundę sunt reliquiæ? Ergo Moysi corpusculũ immundum erit? quod iuxta Hæbraicam veritatem ab ipso sepultum est Domino. Et quotiescunque apostolorum & prophetarũ & omnium martyrum basilicas ingredimur, toties idolorũ tẽpla veneramur? Accensiq; ante tumulos eorum cerei, idololatriæ insignia sunt? Plus aliquid dicã quod redundat in authoris caput & insanũ cecebrum, vel sanet aliquando vel deleat, ne tantis sacrilegijs simplicium animæ subuertantur. Ergo & Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? Et angeli qui candidis vestibus vtebantur, mortuo cadaueri atq; polluto præbebant excubias, vt post multa secula Dormitantius somniaret, imò eructaret immundissimam crapulam, & cum Iuliano persecutore sanctorum basilicas, aut destrueret, aut in templa conuerteret?

Gregor. & hab. 32. q. 4. cap. Salomon.

Salomon quippe immoderato vsu atq; assiduitate mulierum ad hoc vsq; perductus est, vt templum idolis fabricaret, & qui prius templũ construxerat Deo, assiduitate libidinis perfidię subtractus idolis templa cõstruere non timuit.

Lactant. Firmianus lib. 1. cap. 3.

Nemo est quidem qui sapiat rationemq́; secũ putet, qui non vnum Deum esse intelligat, qui & cõdiderit omnia, & eadẽ qua condidit, virtute moderetur. Quid enim opus multis est ad mundi regimen sustinendum? nisi fortè arbitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum atq; virium. Quod quidem faciunt hi, qui esse multos volunt, quia necesse est imbecilles esse, si quidem singuli sine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem qui est æterna mens, ex omni vtiq; parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, vnus sit necesse est. Potestas enim vel virtus absoluta retinet suã propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimum regem esse, qui totius orbis habet imperium? neq; immeritò, cũ illius sint, quę vbiq; sunt, omnia: cum ad eum solum omnes vndiq; copiæ congregentur. At si plures pariant orbem, minùs certè opum, minus virium singuli habebunt, cùm intra præscriptam portionem se quisq; contineat. Eodem etiam modo, si dij plures sint, minus valebunt, alijs tantundem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non in eo potest esse, nisi in quo totum est, nó in eo in quo pars exigua de toto est. Deus verò si perfectus est (quia perfectus est) vt esse debet non potest esse nisi vnus, vt in eo sint omnia. Deorum igitur, virtutes ac potestates infirmiores sint necesse est, quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit, ita quanto plures tanto minores erunt.

Idem lib. 1. cap. 15. Diuinarum institutionum.

Cùm constet Saturnum, Iouem cæterosque deos homines fuisse, non est obscurum, qua ratione dij cæperint nominari: si enim nulli reges ante Saturnũ, vel Vranum fuerint propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine vllo rectore viuebant: non est dubium, quin illis temporibus homines, regẽ ipsum, totamq; gentem summis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, vt etiam deos appellarent, siue ob miraculum virtutis, (hoc iure putabant rudes adhuc & simplices) siue (vt fieri solet) in adulationem pręsentis potentiæ, siue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi reges, cum chari fuissent his, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt, itaque homines eorum simulachra finxerunt, vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium. Progressiq; longius per amorem defunctorum memoriam colere cœperunt, vt gratiam referre benemeritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatẽ, quod Cicero de natura deorum docet dicens: Suscepit autem vitæ consuetudo communis, vt beneficijs excellentes viros in cælum fama ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber, & alio loco atq; alio in plærisq; ciuitatibus intelligi potest, acuendæ virtutis gratia: aut quo libentius Reip. causa periculum adiret optimus quisque virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.

Ibidem.

Accesserunt etiam poëtæ, & compositis ad voluptatem carminibus, in cælum eos sustulerunt, sicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulant: quod malũ a grecis ortũ est, quorũ leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quãtas mẽdaciorũ nebulas excitauerit. Itaq; admirati eos & susce-

ſuſceperunt primi ſacra eorũ & vniuerſis gentibus tradiderunt. Ob hanc vanitatem Sibylla ſic eos increpat:

ἕλλας δὴ τί πέποιθας ἐπ᾽ ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι?
πρός τί δ᾽ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνατίθης?
θύεις εἰδώλοις, τίς τοι πλάνην βάλεν ἐν νῷ
ὥστε σε τάδε ποιεῖν μεγάλοιο θεοῖο προσώπου
λειπομένου;

Hoc eſt, Græcia quid confidis in uiros principes? ad quid dona inania mortuis ponis, immolas idolis? Quis tibi in mentem dolorem impoſuit, ut hæc perficias, magni Dei ore relicto?

Idem lib. 1. cap. 16. *Diuinarum inſtitut.*

At iſti, qui deos aſſerunt, videant, quomodo reſpondeant huic argumẽto, quod inferemus: Si duo ſunt ſexus deorum, ſequitur concubitus, ſi coëunt, & domos habeant neceſſe eſt. Nec enim carent virtute ac pudore, vt hoc promiſcuè, aut in propatulo faciant, ſicut muta videmus facere animalia. Si domos habẽt, cõſequens eſt, vt & vrbes habeant, & quidem authore Naſone, qui ait:

Plebs habitat diuerſa locis à fronte potentes,
Cælicolæ clariſq; ſuos poſuêre penates.

Si habent vrbes, & agros igitur habebunt. Iam quis non videt, quę ſequantur? arare illos & colere, quod quidem victus cauſa fit, ergo mortales ſunt, quod argumentum retrouerſum idem valet: Si enim agros non habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo concubitu: ſi cõcubitus ab his abeſt, & ſexus igitur fœmineus: In dijs autem videmus & fœminas eſſe, ergo dij non ſunt. Diſſoluat hoc ergumentum, ſi quis poteſt. Ita enim res rem ſequitur, vt hæc vltima neceſſe ſit confiteri, ſed ne quidem illud diſſoluet aliquis. Ex duobus ſexibus alter fortior eſt, alter eſt infirmior: robuſtiores enim mares ſunt, fœminæ imbecilliores. Imbecillitas autẽ non cadit in Deum: ergo nec fœmineus ſexus, huic additur ſuperioris argumenti extrema illa concluſio, vt dij non ſint, quoniam in dijs & fœminæ ſunt.

Ibidem cap. 21.

Meritò igitur cum hæc à viris non imperitis ac rudibus fiant, Lucretius exclamat:

O ſtultas hominum mentes, o pectora cæca,
Qualibus in tenebris uitæ, quantiſq; periclis
Degitur hoc æui quodcunq; eſt.

Quis ludibria non derideat? qui habet aliq̃d ſanitatis? cum videat homines velut mente captos ea ſeriò facere, quæ ſi quis faciat in luſu, nimis laſciuus, & ineptus eſſe videatur.

Idem lib. 1. cap. 22.

Harum vanitatum apud Romanos author & conſtitutor Sabinus ille rex, qui maximè animos hominum rudes atq; imperitos nouis ſuperſtitionibus implicauit, quod vt faceret, aliqua cum authoritate, ſimulauit cum dea Egeria nocturnos ſe habere congreſſus.

Innocentius de Vtilitate conditionis humanæ.

Auaritia ſecundum Apoſtolum eſt idolorũ ſeruitus, quia ſicut idololatria ſeruit ſimulachro, ſic auarus ſeruit theſauro. Nam ille cultũ idololatrię diligenter ampliat, & iſte cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum omni diligentia colit ſimulachrum, & iſte cum omni cura cuſtodit theſaurum: ille ſpem ponit in idololatria, & iſte ſpem conſtituit in pecunia: ille timet mutilare ſimulachrum, & iſte timet minuere theſaurum.

Franciſcus Petrarcha lib. de Vita ſolitaria 1. cap. 6.

Inuentores artium quarundam poſt mortẽ diuinitatis honore cultos audiuimus, gratè quidem potiùs, quàm piè. Nulla eſt enim pietas hominis, qua Deus offenditur, ſed erga memoriã de humano genere benemeritorum inconſulta gratitudo mortalium humanis honoribus non contenta, vſq; ad ſacrilegas proceſsit ineptias. Hinc Apollinem cithara, hinc eundem ipſum atq; Aeſculapium medicina, Saturnum, Liberumq;, & Cererem agricultura, Vulcanum fabrica deos facit. Hinc Aegiptus Oſyrim, Athenæ docta vrbs Mineruam coluêre, quòd illa lini, hæc oleí vſum, artemq; lanificij reperiſſe fertur. Longũ eſt ſingula proſequi, quod apud veteres huiuſmodi vanitatum nullus eſt modus. Quas palàm damnare non auſus ille poëtarum maximus atque cautiſsimus, vt qui vero paratum forè ſupplicium verebatur, latenter vtique nec minus eleganter irridere non metuit, quandoquidem animas eorum inuentas, qui vitam excoluêre per artes, quorũ nomina vulgus mendax, & omnium fons errorum in cęlum cæli Domino indignante locauerat, apud inferos ponit. Nominatim inſuper ipſum medicinæ repertorem, omnipotentis Dei fulmine detractum ad Stygias vndas canit. Verùm hæc quæſtio inter eos maneat. Apud nos enim nulla eſt de dijs quæſtio. Nec verò mirari vnquam ſatis poſſum viros in cæteris omnibus tam perfectos, in ſolis ſuperſtitionibus tam deliros, & quaſi velociſsimos curſores euntes in diuerſum, & ante oculos metam poſitam non videntes, vt quorum pernicitatẽ miror, miſerear cæcitatis. Sanè vt talium rerum primis authoribus honor aliquis debetur, quem deberi magnum, modò humanũ modeſtumq; ſit, non inficior.

Sedulius.

Heu miſeri qui uana colunt, qui corde ſiniſtro
Relligioſa ſibi ſculpunt ſimulachra, ſuumq;
Factorem fugiunt, & quæ fecêre uerentur.
O quis furor eſt, quæ tanta animas dementia ludit?
Vt uolucrem turpemq; bouem, toruumq; draconem.
Semihominemq; canem ſupplex homo pronus adoret.

Ast alij solem cæcatis mentibus acti
Affirmant rerum esse patrem, quia ritè uidetur
Clara serenatis infundere lumina terris,
Et totum lustrare polum, cum constet ab istis
Montibus instabilem rapidis decursibus ignem
Officium non esse Dei.

IEiunium gręcè νηστεία. ας. ἡ. & νῆστις, εος. ὁ. ἡ. ieiunus & νηστεύω ieiuno dicitur. Ieiunium corporale abstinentia à cibo & potu intuitu satisfaciendi vel vitandi peccatum, vel acquirendi vitam æternam, secundum Theologos 4. Sententiarum distinctione 15.

Ieiunium est abstinentia à cibis secundũ ordinationem Ecclesiæ, secundum Gofredum in summa Panor. super Rubricam extra eodem.

Esdræ 1. cap. 8.

Prędicaui ibi ieiunium iuxta flumen Hauua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectã nobis & filijs nostris vniuersæq; substantiæ nostræ.

Ibidem.

Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum pro hoc, & euenit nobis prosperè.

Tobias 12.

Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis q̃ thesauros auri recondere, quoniã eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata & facit inuenire vitam æternam.

Iudith 4.

Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini.

Dauid Psal. 34.

Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.

Ioel 2.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, planctu & fletu.

Esaiæ 58.

Nónne hoc est maius ieiunium quòd elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fascicu los deprimentes. Dimitte eos qui cõfracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frãge esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Ecclesiast. 34.

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterũ eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?

Matthæi 5.

Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.

Matthæi 6.

Cùm autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscõso, & pater tuus qui est in abscõso reddet tibi.

Marci 9.

Hoc genus dęmoniorũ in nullo potest exire nisi in oratione & ieiunio.

August. super Ioan. & hab. in Decretis de Cons. dist. 5. cap. Ieiunium.

Ieiunium autem magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus seculi, vide in Abstinentia.

Idem ad Ianuarium & hab. in decretis dist. 12. cap. Illa autem. §. Alia uerò.

Alia verò, quæ per loca terrarum regionesq; variantur, sicut est quod alij ieiunant sabbatũ, alij non, alij verò cõmunicant quotidie corpori & sanguini Dñi, alij certis diebus accipiunt, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus liberas habet obseruationes, quòd enim neq; contra fidem catholicam, neq; contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est.

Ibidem, & hab. eodem cap. §. Mater.

Mater mea Mediolanum me secuta inuenit Ecclesiam sabbato non ieiunantẽ, cœperat illuctuare quid ageret. Tunc ego cõsului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium Episcopum: At ille ait: Cum Romam venio, sabbatum ieiuno, cum Mediolani sum, non ieiuno. Sic & tu ad quamcunq; Ecclesiam forte veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi, hoc cùm matri renuntiassem libenter amplexa est.

Augustinus in sermone de Ieiunio.

Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, cõcupiscentiæ nebulas disperdit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.

Ibidem.

Ieiunium verbositatem nõ amat, diuitias superfluitatem iudicat, superbiã spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum & fragile.

Idem libro de Spiritu & anima.

Si volumus Deo placida exhibere ieiunia, simus in oratione cõtinui, in iudicijs iusti, in amicitia fideles, in iniurijs patiẽtes, in cõtentionibꝰ tẽperati, turpiloquia fugiẽtes, aduersus iniqua cõstantes, in cõuiuijs cõtinẽtes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, cõdolẽtes tristibus, in suspicionibꝰ parci, cõtumacibus resistentes, inter humiles coęquales, inter maliloquos taciti, ĩter

Hierony

Hieronymus, & habetur in Decretis de consecrat. dist. 5. Non dico.

Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio satietatem fugiens: nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso vacuum portare ventrē, si pòst pariter obstruatur.

Ibidem.

Sint tibi ieiunia pura, cōtinua, moderataq́; .i. quotidie esurire, & quotidie prādere. Apostolus inquit: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vtere vino propter infirmitates tuas, curat enim vulnera delinquentis, curatosq́; sanctificat ieiunium.

Idem in epistola ad Demetriadem, & habetur de consecrat. dist. Abstinentia.

Sic debes ieiunare, vt non palpites, vt respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigilijs solito quid minus facias.

Idem ad Demetriadem.

Ieiunium non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est sanctificatio, & pudicitia atq; prudentia, sine qua nemo videbit Deum.

Idem super Marcum.

Non sanat oculum quod calcaneo adhibetur, ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis.

Idem ad Nepotianum.

Tantum tibi ieiuniorum impone modum, quantum ferre potes, sint tibi pura, simplicia, casta, moderata ieiunia, & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam & difficultates ciborum quærere?

Idem ad Cancel.

Ardentes diaboli sagittæ ieiuniorum & vigiliarum frigore restringendæ sunt.

Idem in epistola.

Sint moderata & sancta in omni mentis humilitate ieiunia, quæ ita attenuent corpus, non mentem eleuent, ne res humilitatis gignat superbiam, & vitia de virtute nascantur.

Idem cap. 2. contra Iouinianum.

Quale est illud ieiunium? aut qualis refectio post ieiunium, cum præclaris epulis distendimur, & guttur nostrum mediator efficitur lachrimarum?

Ambr. in sermone de ieiunio, cap. 4.

Eo usq; nemo preuaricari nouerat, cū adhuc orta nō esset, quæ prima est præuaricatio. Indictum est ieiunium abstinentiæ, lex à Deo, præuaricatio legis à diabolo, culpa per cibum, latebra post cibum, cognitio infirmitatis in cibo, firmitatis virtus in ieiunio. Paulò pòst. Serpens suasit gulę, Dominus ieiunare decreuit. Itaque gula de paradiso regnantem expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem.

Ambrosius de Helia & ieiunio.

Ieiunium mors culpæ, excidium delictorū, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad Deum citius peruenit, hoc gradu antequā curru Helias ascendit.

Ambro. Psalm. 20. & habetur de consecr. dist. 5. Contraria.

Contraria diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt, quæ à ieiunio reuocāt, lucubrare nō sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat.

Idem lib. ser. & hab. dist. 4. Quadragesima.

Quadragesima sex septimanas habet, cui addidit Thelesphorus pontifex septimam hebdomadā, & vocatum est hoc tēpus quadragesima.

Idem in sermone quadragesimæ.

Fames amica virginitati est, inimica lasciuię. Saturitas verò prodigit castitatem, nutrit illecebram.

Ibidem.

Ille quadragesimam facit qui ieiunando & vigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo anno ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum est: Illa enim voluntaria sunt ieiunia, & ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur.

Ibidem.

Qui cōstitutū numerū vna die māducando pręterit, nō vt vni⁹ diei violator accusatur, sed vt totius quadragesimæ transgressor arguitur.

Ambr. in homilia de quadragesima, & habetur dist. 16. Quid prodest.

Quid prodest ieiunare visceribus, & luxuriari venationibus? Abstinere à cibis & errare peccatis? An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum sancta loca perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluasq; perlustrat, seruos inquam secum protrahit, fortasse magis ad ecclesiā festinantes, voluptatib. suis peccata accumulat aliena: nesciens reum se futurū, tam de suo delicto, quàm de perditione seruorum.

Gregorius Aug. Angelorum episcopo, & habetur dist. 4. Deniq;.

Deniq; sacerdotes & diaconi & reliqui oēs, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, à Quinquasima ꝓpositū suscipiāt ieiunādi, quo & aliquid ad pensum sanctę institutionis adijciant, & eorū qui in laicali ordine cōsistunt, obseruantiā sicut loco ita & religione pręcellant. De ipsa verò die dominica hæsitamus, quidnā dicendum sit, cùm omnes laici & seculares illa die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant, & nisi noua quadam auiditate vsque ad medias noctes se ingurgitent,

non aliter se huius sancti sacri temporis obseruationem suscipere putant. quod vtique nō rationi sed voluptati, imò cuidam mentis cæcitati ascribendum est, vnde nec à tali consuetudine auerti possunt, & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè peiores existant, si à tali cōsuetudine prohibeantur, vt enim ait Salomon: Qui multum emungit, elicit sanguinem. & post pauca: Par autē est vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam trahunt originem carnis ieiunemus: à lacte videlicet, caseo & ouis.

Gregorius in homilia & hab. de consec. dist. 5. §. Quadragesima.

Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea præter dies dominicos, qui de abstinētia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni.

Gregorius in Pastorali.

Non Deo, sed sibi ieiunat, qui quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed vētri postmodum offerenda custodit.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Qui peccat & ieiunat, non ad gloriam Dei ieiunat, nec se humiliat, sed substantię suę parcit.

Bernardus sermo. 38.

Si sola gula peccauit, sola ieiunet, & sufficit. Si verò peccauerunt & membra cætera, cur nō ieiunēt & ipsa? Ieiunet igitur oculus & à curiosis aspectibus & omni petulantia, vt bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa: Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunque otiosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua in detractione & murmuratione ab inutilibus & varijs atque scurrilibus verbis. Interdum quoq; ob grauitatem silentij ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Ieiunent manus ab otiosis signis, & ab operibus omnib. quæcunq; non sunt imperata, sed & multo magis anima ipsa ieiunet à vitijs & à propria volūtate sua. Etenim sine ieiunio hoc cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus ieiuniorum vestrorum voluntates vestræ inueniuntur.

Ibidem.

Bonum & salutare ieiunium, quo redimuntur ęterna supplicia, dum redimuntur peccata. Non solum autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum. Non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam. Non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed etiā repellit futura quæ committere poteramus.

Ibidem.

Ieiunium orationem, deuotionem & fiduciam donat. Oratio virtutē impetrat ieiunādi, & ieiunium meretur gratiam orandi. Ieiuniū orationem roborat, oratio sanctificat ieiuniū, & repræsentat Domino.

Ibidem.

Oratio iusti (vt ait scriptura) penetrat cœlos. Sint ergo ieiunio nostro (vt facilè cœlos penetrent) alæ duæ, orationis scilicet atque iustitiæ. Non est magnum si ieiunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam patris cum Christo.

Leo Papa de ieiunio septimi mensis.

Non culpatur infirmus ieiunium soluens, à quo cibos accipit pauper esuriens, nec escā sumendo polluitur qui eleemosyna in percipiendo mundatur.

Ibidem.

Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij. Haud fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.

Leo Papa in sermo. de aduentu.

Paternitatis affectu dilectionem vestram admonemus, vt ieiunium fructuosum vobis eleemosynarum largitate faciatis gaudentes, quod per vos Dominus pauperes suos pascit ac vestit, quibus vtique posset eas, quas vobis contulit, tribuere facultates. Vbi pro ineffabili misericordia sua, & illos iustificaret de patientia laboris, & vos de opere charitatis.

Leo Papa in ser. primæ domin. quadragesi.

Quid enim potest esse efficacius ieiunio, cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo vitia blāda superamus. Semper enim virtuti cibus ieiunium fuit. De abstinentia denique procedunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora solatia: & per voluntarias afflictiones caro cōcupiscētijs moritur, virtutibus spiritus innouatur. Sed quia non solo ieiunio animarum nostrarū salus acquiritur, ieiunium nostrum misericordijs pauperum suppleamus. Impendamus virtuti quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia ieiunantis, studeamus viduarum defensioni, pupillorum vtilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci, suscipiatur peregrinus, adiuuetur oppressus, vestiatur nudus, foueatur ægrotus, vt quicunq; vestrum de iustis laboribus autori bonorum omnium Deo sacrificium huius pietatis obtulerit ab eodem regi cœlesti præmium percipere mereatur.

Origenes super Leuit. homi. 10.

Vis tibi ut ostendam quale te oportet ieiunare ieiunium? Ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalescas, ieiuna à prauitatibus, abstine à malis actibus, contine à malis sermonibus, imò à cogitationibus pessimis. Noli contingere panes furtiuos peruersæ doctrinæ. Nō concupisces fallaces philosophię cibos, qui

qui te autoritate seducant. Tale ieiunium Deo placet.

Cæsarius in admonitione 2.

Alijs diebus ieiunare aut remedium aut præmium est, in quadragesima verò non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam, in his diebus qui potest & nō ieiunat sentiet pœnam.

Ibidem.

Tale ieiunium sine eleemosyna est quale sine oleo lucerna.

Fulgentius ad Probam.

Ieiunijs sic est adhibenda temperies, vt corpus vestrū nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet.

Maximus Episcopus in Natali Domini.

Ieiunium Christiani egentis debet esse refectio: ieiunium pacem debet nutrire nō iurgia. Quale illud est, aut quod nō vesceris carnibus, & de ore tuo omni esca sordidius egreditur maledictum? Quale illud quo sanctificatur venter ieiunio, & polluitur lingua mendacio?

Ientaculū græcè ἀκρατισμός. οῦ. ὁ. & ἀκρατίζω ientor dicitur. Est aūt ientaculum cibus, qui sumi solet antequàm homines opera aggrediantur, quod quidam prandiolum siue prandiculum, quasi paruum prandium dicunt, venitque ab iento as. verbo quod à ieiuno descendit, ꝙ tum maximè corpora ieiuna sunt.

Martialis.

Surgite iam uendit pueris ientacula pistor.

Differt à comessatione, prandio, merenda & cœna: quia ientaculum est cibus ante prandiū, sicuti merenda ante cœnam, comessatio verò post cœnam. De hoc vide suprà in Comessatio.

Iesus græca dictio ἰησοῦς. οῦ. ὁ. qui fuit humani generis saluator, qui & Christus χριστός. οῦ. ὁ. hoc est vnctus dictus est, χρίω enim vngo χρίσις εως. ἡ. vnctio & χρῖσμα. ατος. τὸ vnguentū dicit̃.

Ignis græcè πῦρ. ρός. τὸ. & πυρακτάομαι ignesco dicitur. Est autem vnū quatuor elementorū, & leuis & sursum ferri habilior reliquis, cōbustiuus & illuminatiuus secundum Ioan. Dama. li. 2. cap. 7. Diciturq́; vt aliqui volunt ꝙ ex eo nihil gignatur. Ouid. Nataq́; de flamma corpora nulla vides. Ab ignis igneus fit, hoc est, quod ex igne est, vt calor igneus & ignitus candens, vt ferrū ignitū, & igneo & ignesco & ignefio, eiusdem significationis. Ignarius lapis, ex quo excutitur ignis. Ignefacio, ignem accēdo. Ignipotens. i. Vulcanus ignis deus.

Ignominia græcè ἀτιμία. ας. ἡ. & ἄτιμος. ου. ὁ. ἡ. ignominiosus dicitur. Est autem ignominia nota nominis, venitq́; à nomen. Nam sicut à nomē cognomines dicuntur, qui eiusdem sunt nominis, sic ignomines q laude & gloria carēt, quasi inglorij & illaudati. Inde deducit̃ ignominia. Cicero: Censes iudicium nihil ferre damnato nisi ruborem. Ab ignominia fit ignominiosus, hoc est dedecoris & ignominiæ plenus, & ignominiosè aduerbium, hoc est turpiter.

Ignorātia græcè ἄγνοια. ας. ἡ. & ἀγνοέω ignoro dicitur. Ignorantia quandoq; significat scientiæ priuationem, & tunc ignorantia est carentia scientiæ, quam quis natus est habere: quādoq; est aliquid scientię contrariū, quæ dicitur ignorātia peruersæ dispositionis, puta cū quis habet habitum falsorum principiorum & falsarum opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis, secūdum b. Th. in quæst. de malo. q. 3. art. 3. Quomodo autem differunt ignorantia, nescientia & error, vide suprà in Errare.

Ignorantia à gnoro venit (vt quidā volunt) quod veteres pro scio vsurparunt, vel à græco γνωρίζω, quod est notifico, vnde & γνωστός notus & γνῶσις, notitia dicuntur.

Prouerbiorum cap. 10.

Labia iusti erudiunt plurimos: Qui autē indocti sunt in cordis egestate morientur.

Ecclesiastes cap. 10.

Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius, sed & in via stultus ambulans, cū ipse insipiens sit, omnes stultos existimat.

Ecclesiastici cap. 10.

Rex insipiens perdet populum suum & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentiū.

Ibidem.

Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correctus, & insciius non honorabitur.

Matthæus cap. 15.

Cæcus autem si cæco ducatū præstet, ambo in foueam cadunt?

Lucas in euangelio cap. 6.

Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt?

Iacobus in epistola cap. 1.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nō improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo inconstans est in vijs suis.

Augustinus libro de Natura & gratia.

Non tibi deputabitur ad culpam, quod inuitus ignoras.

Idem in lib. quæst. & habetur 37. cap. ultimo.

Non omnis ignorans immunis est à pœna: Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui quod disceret, non inuenit. Illis autem ignosci non poterit, qui à quo discerent habentes operam non dederunt.

Idem, & habetur distin. 38. Quamuis errare.

Quamuis errare quanta possumus cura cauēdum sit, non solum in maioribus, verumetiam

in

in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari, non est tamen consequens, vt continuo erret quisquis aliquid nescit, sed si quis existimet se scire quod nescit, pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium: veruntamen in qua re quisquis erret, interest plurimum, nam in vna eademq; re & nescienti sciens, & erranti non errans recta ratione preponitur. In aduersis autem rebus. i. cùm iste scit alia, & ille alia, iste vtiliora, & ille minus vtilia vel etiam noxia, quis non in eis quæ ille scit, ei præferat nescientem? sunt enim quædam quæ nescire melius est quàm scire.

Idem de adulterinis coniugijs, & habetur 32. q. 7. Quemadmodum.

Quemadmodum non rectè dici potest, si nescit homo non peccat, sunt enim peccata ignorantium, quamuis minora quàm scientium.

Idem & habetur 6. q. 1. Quæro ergo.

Peccata scientium, peccatis ignorantiæ præponuntur.

Ambrosius super Beati immaculati.

Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam formamq; meritorum: statutis facere contraria, non est intelligere sed ignorare.

Isidorus Soliloquiorum lib. 2. cap. 17.

Summa miseria est nescire quò tendas.

Bernardus de 12. gradibus humilitatis.

Non est parum scire quod nescias, frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui vt liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur.

Bernardus super cantica.

Vtraq; cognitio, Dei. s. & tui, tibi est necessaria ad salutem, quia sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atq; ex Dei notitia itidem amor, sic econtrà de ignorãtia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio.

Gregorius lib. 1. Moralium.

Cùm nostram ignorantiam cognoscimus leuius aliena toleramus, nũquam Deus mentem deserit quæ in peccatis se veraciter cognoscit.

Idem in Moralibus.

Qui enim lucem videt, scit quid de tenebris æstimet, nam qui candorem lucis ignorat, etiã obscura pro lucidis approbat.

Leo Papa, & habetur dist. 38. Si in laicis.

Si in laicis videtur intolerabilis inscitia, quã tò magis in eis qui presunt, nec excusatione est digna nec venia.

Cyprianus, & habetur dist. 8. Consuetudo.

Ignosci potest simpliciter errãti, sicut de seipso Paulus dicit: Qui primo fui blasphemus & persecutor & iniuriosus, sed misericordiã merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verò & reuelationẽ veritatis factã, qui in eo quod errauerat perseuerat prudens & sciens, iam nõ in venia ignorãtię peccat, præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratio ne superetur.

Seneca in Prouerbijs.

Tolerabilior est pœna, viuere non posse quã nescire.

M. T. Cicero Tuscul. quæst. lib. 3.

Insipientia nullum maius malum est.

Aristoteles lib. 1. Ethicorum.

Conscij propriæ ignorantiæ admirantur homines scientes.

Idem lib. 3. Ethicorum.

Ignorantia excusat peccatum.

Idem lib. 2. Rhetoricorum.

Turpe est ignorare, quod omnibus scire conuenit.

Ouidius Metamorph. lib. 6. fabula 6.

Proh superi quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent.

Ouidius Fastorum lib. 2.

Quantum animis erroris inest?

Horatius lib. 2. Carminum Ode 13.

Quid quisq; uitet nunquam homini satis
Cautum est in horas.

Imago grecè εἰκῶνος. & φαντασικὸς. ἡ cũ. ὁ. imaginatiuus dicitur. Imago quęlibet est similitudo, & non econuerso, quia imago addit esse expressum ab alio, bea. Tho. prima parte q. 35. art. 1.

Imago tripliciter differt à similitudine, quia imago pertinet ad formam, scilicet specialem, similitudo autem ad naturam. Imago pertinet ad cognitionem veritatis, quæ est principiũ demonstrans naturam intellectualem: similitudo autem ad amorem virtutis. Imago pertinet ad potentias, scilicet memoriam, intelligẽtiam, & voluntatem. Similitudo verò ad habitus consequentes, scilicet innocentiam, & iustitiã, ex b. Thoma prima parte q. 93. articulo 9.

Imago à statua propriè sic differt, quòd imago superficiem tantum eius rei refert, cuius est imago. Vnde pictores imagines faciunt colorũ diuersitate & lineamentis quibusdam similitudinem reddentes. Statua verò est, quæ nõ modò superficiem, sed solidum corpus atq; perfectũ reddit. Statuarij enim effigies rerum lignis vel marmoribus vel ebore vel metallis exprimentes, quorum ars statuaria vocatur. Ab imago fit imaginor verbũ, quod propriè est alicuius rei similitudinem mẽte comprehendo, à quo imaginarium dicimus, quod re non est, sed tãtum cognitione comprehenditur, & imaginatio actus ipse & imaginatiua, de qua infrà.

Imaginatiua idem est quod phantasia, b. Th. prima parte q. 78. articulo 4.

Immisericordia græcè ἀνοικτιρμός. cd. ó. dicitur. Estq; filia auaritiæ, qua non subuenitur indigentib. Differt autem sic à crudelitate, quòd immisericordia est in subtractiõe beneficij, sed crudelitas est in excessu puniendi. Et vnum aliquando

quando ponitur pro alio, ex b. Tho. secunda secundæ q. 159. art. 1.

Immobilis græcè ἀκίνητος. ου. ὁ. ἡ. dicitur. Immobile dupliciter dicitur, scilicet immutabilitate rei, vt Deus, & necessitate veritatis, vt propositiones necessariæ bea. Tho. in quæstionib. de veritate quęstione 16. articulo 1.

Immunditia gręcè ἀκαθαριότης, τος, ἡ, dicitur. Et est triplex, scilicet infidelium, catechumenorum, & energumenorum. Primam purgat ostiarius. Secundam lector. Tertiam exorcista, bea. Tho. 4. Sententiarum 24. quæst 2. articulo. 1.

Immunditia etiam est filia gulæ, qua quis prouocat se ad vomitum, vt sæpius comedere possit, vel tantum comedit, quòd necesse habet euomere.

Imperium gręcè ἡγεμονεία, ας, ἡ, & ἐπιτάσσω. impero dicitur. Est autem imperiũ actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum, bea. Tho. prima secũdæ quæstione 17. articulo 5. Dicitur autem ab impero, as.

Imperare est iubere, dictum ab in particula intentiua, & paro, quasi statim paro, vel prorsus paro.

Imperium nunc iussum significat. Virg. Luctantes ventos, tempestatesq́; sonoras imperio premit. Aliquando dominium. Idem: Imperiũ oceano famam qui terminet astris. Nonnunq̃ potestatem. Vnde Vlpianus: Imperium scribit aut merum dici aut mixtum. Merum imperiũ est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur: mixtũ est, cui etiam iurisdictio inest, quod præcipuè in danda bonorum possessione consistit.

De hac materia habes infrà vbi Obedientia & Præceptum.

Importunitas græcè ἀχαιρία. ας. ἡ. & ἄχαιρος. ου. ὁ. importunus dicitur. Est autem importunitas euagatio mentis ad illicita secundum quod in arce mentis residet volentis ad diuersa se diffundere. b. Tho. secunda secũdę. quęst. 35. art. 4.

Importunũ esse, & importunè fieri, quæ sunt fiúntue præter rationem loci, seu temporis, seu personarũ. Virg. Importunæq́; volucres Signa dabant. Præterea importunũ hominẽ dicimus procacem molestumq́;, à quo importunitas dicta est. Sic opportunũ econtrà dicimus siue opportunè accidere, quod pro desiderio nostro accidit, à quo fit opportunitas, quod cõmoditatem significat. Scribiturque per duplex pp. Nec venit ab opus, sed ob & portus, quod nauigantibus maximè vtiles optabilesq́; portus sint.

Improperium græcè ὄνειδος. εος. το. & ὀνειδίζω impropero. Est aũt improperiũ proprie quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti. De hac materia vide suprà in Exprobratione.

Improuidentia græcè ἀπρόνοια. ας. ἡ. & ἀπρονόητος. ου. ὁ. improuidus dicitur. Est aũt improuidentia, defectus intelligentiæ & solertiæ, pertinens ad negligentiam & inconstantiam, beatus Thomas secunda secundæ quæ. 53. art. 2. De hac materia vide infrà in Prudentia.

Imprudentia græcè ἀβουλία. ας. ἡ. & ἄφρων. ονος. ὁ. ἡ. imprudens dicitur. Imprudẽtia aũt sumitur tripliciter, scilicet negatiuè, priuatiuè & contrariè. Prima nõ est peccatum, sed secunda est peccatum ratione negligentiæ. Tertia verò secundum se est peccatum mortale, si sit contra pręceptum Dei: Aliter est peccatum veniale; ex bea. Tho. secunda secundæ quæst. 53. art. 1.

Imprudentia est generale peccatum participatiuè, non autem essentiale. Cuius sunt triplices partes. s. Subiectiuæ, id est, monastica, politica, & œconomica. Potentiales, id est, pręcipitatio seu temeritas, inconsideratio, inconstantia, & negligentia. Et integrales quæ reducũtur ad potentiales. ex b. Tho. secunda secundæ quæ. 53. articulo 2.

Sophocles in Aiace.

οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ᾽ ἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες, οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ. id est,
Homines enim malæ mentis bonum præ manibus
Habentes, non cognoscunt antequam amittatur.

Idem ibidem.

βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστὶν ἔχθιον κακῆς. id est,
Consilio enim nihil est peius malo.

De hac materia habes infrà in Prudentia & Stultitia.

Impudentia gręcè ἀναίδεια. ας. ἡ. & ἀναιδής. εος. ὁ. impudens dicitur.

Euripides in Medæa.

ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
πασῶν ἀναίδεια. id est,
Maximum illorum quæ sunt inter homines uitiorum omnium impudentia est.

IMPVDENTIA.

IMpudentia est (vt inquit Aristoteles 3. Rhetoricorum) contemptio indolentiaque earum rerum, quas verecundi reformidant. AMANTIVS.

Theophrastus de Characteribus

ἡ δ᾽ ἀναισχυντία ἐστὶ καταφρόνησις δόξης αἰσχροῦ ἕνεκα κέρδους. ὁ δὲ ἀναίσχυντος τοιοῦτος οἷος πρῶτον μὲν ὃν ἀποστερεῖ πρὸς τοῦτον ἀπελθὼν δανείζεσθαι. i.

Impudentia gloriæ contemptio est, sordidi quęstus causa inducta. Impudẽs autem ille, qui quem frustraturus sit, ab eo aliquid mutuatur: quique vbi Dijs immortalibus sacra mactauerit, apud alium cœnat, ipse carnes suas sale

conditas

conditas recōdit, & ministro accersito, panem & carnem largitur è mensa, ac audientibus cunctis, vescere, ait, honoratissimè.

Menander.

ἀπερυθρία πᾶσ, ἐρυθριᾷ δ᾽ οὐδεὶσ ἔτι: id est.
Omnes perfricta sunt fronte, nec ullus amplius erubescit.

Diphilus.

ὃς δ᾽ οὔτ᾽ ἐρυθρίαν οἶδεν οὔτε δεδιέναι,
τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει. id est.
Qui uerò nec erubescere scit, neq; metuere,
Ille primas uniuersæ tenet impudentiæ.

Cicero in Epistol. famil. lib. 5.
ad L. Luceium.

Sed tamen qui semel verecundiæ fines transierit, eum benè & nauiter oportet esse impudentem.

Diphilus.

οὐκ ἔστιν ἀναιδοῦς ζῶον εὐθαρσέστερον:
Κακὴ γὰρ αἰδώς, ἔνθα γ᾽ ἀναιδὲς κρατεῖ. id est,
Homine impudente, nullum animal est confidentius:
Malus enim est pudor, ubi uincit impudentia.

Theogen.

ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν,
αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπέρχεθ᾽ ὁμῶς. id est,
Nunc uerecundia quidem inter homines perijt:
At impudentia terram peragrat ubiq;.

Euripides in Medæa.

οὔ τοι θράσος τόδ᾽ ἐστὶν οὐδ᾽ εὐτολμία
φίλους κακῶς δράσαντ᾽ ἐναντίον βλέπειν,
Ἀλλ᾽ ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
Πασῶν, ἀναίδει᾽: εὖ δ᾽ ἐποίησας μολών. id est,
Hæc non est animositas, neq; fortitudo,
In faciem intueri amicos, malè à se affectos:
Sed maximus morborum inter homines
Omnium impudētia, benè autem fecisti quod adueneris.

Herodotus lib. 1. Histo.

ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ, ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. id est. Mulier simul cum veste pudorē etiā exuit.

Theodectes.

ἅπαντ᾽ ἐν ἀνθρώποισιν γηράσκειν ἔφυ, καὶ πρὸς
Τελευτὴν ἔρχεται τὰ τοῦ χρόνου.
Πλὴν (ὡς ἔοικε) τῆς ἀναιδείας μόνον:
Αὐτὴ δ᾽ ὅσῳπερ αὔξεται θνητῶν γένος
Τόσῳ δὲ μείζων γίνεται καθ᾽ ἡμέραν. id est,
Omnes humanæ res natura consenescunt,
Et ad finem temporis ueniunt.
Præter solam (ut uidetur) impudētiam.:
Hæc enim quanto magis genus augetur mortalium,
Tanto fit maior quotidie.

Menander in Carine.

Ὦ μεγίστη τῶν θεῶν
Νῦν οὖσ᾽ ἀναίδει᾽: εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ,
Δεῖ δέ: τὸ κρατοῦν γὰρ νῦν νομίζεται θεός,
Ἐφ᾽ ὅσον βαδίζεις, ἐφ᾽ ὅσον ἥξειν μοι δοκεῖς. id est,
O Maxima Deorum
Hoc tēporis impudētia, si modo te Deā uocare oportet:
Sed oportet: nam quod imperat, pro Deo nunc habetur.
Quantum progrederis? quousq; peruētura mihi uideris?

Xenophon in lib. 1. De Pædia
Cyri.

ἕπεσε δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἀναισχυντία: καὶ γὰρ αὐτὴ δοκεῖ εἶναι μεγίστη ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. id est.

Ingratitudini verò potissimum impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est.

Prouerbia.

Frontis perfrictæ. Frons pudori sacra antiquitus habita est. Effrontes, qui omnem pudorem dedidicerunt.

Dea impudentia θεὸς ἡ ἀναίδεια. Cùm quis ex inuerecundia & audacia, lucrum atque emolumentum aufert. Homerus scribit, verecundiā viro egenti inutilem esse.

Theophrastus in lib. de legib. prodidit, apud Athenienses aras fuisse contumeliæ & impudētiæ dicatas.

Atticus aspectus: id est, os impudens: Hoc enim vitio notati sunt Atticorum mores.

Aristophanes.

Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ᾽ ἐστὶν ἀττικὸν βλέπος. id est.
Ac uultu in ipso aspectus Atticus eminet.

Nudo capite facere quippiam dicuntur, qui palàm ac citra pudorē omnem faciunt. Vsi sunt hoc prouerbij titulo Cyrillus & Chrysostomus. N.A.

Impudicitia græcè ἀσέλγεια. ας. ἡ. & ἀσελγής. έος. ὁ. ἡ. impudicus dicitur. Est autem impudicicia circa oscula & tactus & alios actus circunstantes actum venereum, b. Thom. secunda secundæ q. 154. art. 1. De hac materia habes infra in Pudicitia.

Inanis gloria græcè κενοδοξία, ας. ἡ. dicitur. Et est inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentiæ secundum b. Tho. secunda secundæ quæst. 132.

Inanis gloria & superbia sic differunt, quòd superbia inordinatè appetit excellentiam: sed inanis gloria manifestationem eius. Immò non sunt idē, sed prima causat secundam, ex b. Th. secunda secundæ quæst. 132. artic. 4. De hac materia vide suprà vbi Gloria vana.

Incantatio græcè ἐπῳδή. ῆς. ἡ. & ἐπαοιδός. οῦ. ὁ. incantator dicitur. Est autem incantatio superstitiosa & illicita, si cōtinet aliquid ad dæmones pertinens, vel nomina ignota, vel aliqua falsa vel vana, vel aliqua signa præter crucem, secundum b. Th. secunda secundæ q. 96. arti. 2. Incantare propriè est verbis solis vel etiam rebus quibusdam adiunctis aliquid supra naturā moliri, vnde incantatio & incantamentum. Plinius: Quæstionis semper fuit, valeāt ne aliquid verba & incantamenta carminum. Carmen etiā nonnunquam incantationem significat. Virg.

Carmina uel cœlo possunt deducere lunam Idem.

Idem.

Ducite ab urbe domum mea carmina ducite Daphnim.

Canto etiam pro incanto nonnunq̃ ponitur.

Vergilius.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Leuit. cap. 19.

Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.

Ibidem.

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliq̃d sciscitemini vt polluamini per eos.

Leuitici cap. 20.

Anima quę declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cũ eis, ponã faciem meam cõtra eã, & interficiam eam de medio populi sui.

Deuteron. 18.

Quando ingressus fueris terrã quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te qui illustret filium suũ, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia atq; auguria, ne sit maleficus, nec incantator, neq; Pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo. Gentes istæ quarum possidebis terrã, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.

Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, & habetur dist. 26. quæst. 2. Illud.

Illud quòd est secundum institutiones hominum partim superstitiosum est, partim non est superstitiosum.

Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad faciendum idola & colenda pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam partémue vllam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atq; fœderata, qualia sunt volumina magicarum artium, quæ quidem cõmemorare potiùs, quàm docere solent poëtæ: ex quo genere sunt, sed quasi licentiori vanitate aruspicum & augurum libri. Ad hoc etiam genus pertinent omnes ligaturæ, atq; remedia, quæ medicorum quoq; disciplina condemnat, siue in precationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibusdam rebus suspendẽdis atq; ligandis, vel etiam saltandis quodammodo non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas aut manifestas, quę eminentiore nomine physicam vocant, vt quasi non superstitionem implicare, sed naturæ prodesse videantur, sicut sunt inaures, in summo singularium auriũ, aut de struthionum ossibus ansulę in digitis: aut cũ dicitur tibi singultienti, vt dextera manu pollicem sinistrum teneas.

Ibidem.

Omnes igitur artes huiusmodi, vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadã pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiendæ & fugiendæ Christiano.

August. & hab. 26. q. ultima. Admoneant.

Admoneant fideles sacerdotes populos suos, vt nouerint magicas artes incantationesq́; quibuslibet infirmitatibus hominũ, nihil remedij posse conferre, non animalibus languentibus, claudicãtibúsue, vel etiã moribundis quicquã mederi, sed hæc sunt laqueus & insidiæ antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanũ decipere nititur, & si quis hæc exercuerit clericus degradetur, laicus anathematizetur.

August. de natura Dæmonum, & habetur 26. quæst. 4. Igitur.

Igitur genus diuinationis à Persis fertur esse allatum. Varro autem dixit quatuor diuinationum esse genera, terrã, aquam, aërem & ignem. Hinc geomantiam, hydromantiam, pyromantiam, aeromãtiam dictam autumant. Diuini dicti sunt quasi Deo pleni, diuinitate enim se esse plenos assimulant, & astutia quadã fraudulenta hominibus futura coniectant.

Augu. lib. de Ciuitate Dei, hab. 26. q. 5. Nec.

Nec mirum de magorũ præstigijs, quorũ in tantum prodiêre maleficiorum artes, vt etiam Moysi in illis signis resistere, vertẽtes virgas in dracones, aquã in sanguinem, dicantur. In gentilium etiam libris legitur, quòd quædã maga Circe socios Vlyssis mutauerit in bestias. Legitur etiam de sacrificio, quòd Arcades Deo suo Lycæo immolabant, ex quo quicunq; sumeret, in bestiarum formas conuerterentur, sed hæc omnia magicis præstigijs potiùs fingebantur, quàm rerum veritate cõplerentur. Vt ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorũ proprietate atq; inuentoribus, iuxta traditionem maiorum patrum dicere congruum arbitramur. Magi sunt qui vulgò malefici ob facinorũ multitudinem nuncupantur: Hi sunt qui permissu Dei elementa cõcutiunt, conturbant mentes hominum minus cõfidentium in Deo, ac sine vllo veneni haustu, violentia tantũ carminis interimunt. Vnde Lucanus: Mens hausti nulla sanie polluta veneni incantata perit. Dæmonibus enĩ accitis audent ventilare, vt quoscunq; suos perimant malis artibus inimicos.

August. lib. de Natura dæmonum, & hab. 26. quæst. 4. Igitur.

Incantatores dicunt, qui artẽ verbis peragũt. Arioli, qui circa aras idolorũ nepharias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt. Haruspices dicuntur horarũ inspectores, dies enĩ & horas in agendis negotijs & operibus custodiunt, exta pecudũ inspiciunt. Augures sunt qui vo-

latus auiũ & voces intendunt, dicitur enim augeriũ quasi auigerium, ꝙ aues gerunt. Pythonissæ à Pythonio, id est, Apolline dictæ, quę dicunt se habere spiritũ, per quem possunt futura prædicere. Genesiani qui geneses, i. natiuitates hominũ per duodecim signa cęli describunt, ac per hoc mortes, actus, euentus prædicere conãtur. Salitores, qui dum eis membrorũ quæcunque partes offenderint, aliquid male prosperũ sibi siue triste significari præsumunt. Sortilegi verò communi nomine à sorte dicuntur.

Augustinus de Ciuitate Dei, & hab. 26. quæst. 2. Qui sine.

Qui sine saluatore salutẽ vult habere, & sine vera sapientia, æstimat se prudẽtem fieri posse, non sanus sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit: ac proinde omnis inquisitio & omnis curatio quæ à diuinis & magicis artibus vel ab ipsis dęmonibus in idolorum cultura expetitur, mors potiùs est dicenda quàm vita.

August. lib. 3. Confeßionum.

Illos planetarios, quos mathematicos vocãt, planè cõsulere non desistebã, quod quasi nullũ eis sacrificiũ, & nullę preces ad aliquẽ spiritum ob diuinationẽ dirigerent, quod tamẽ Christiana & vera pietas cõsequenter expellit & dãnat.

August. & hab. 26. quæst. 7. Non ob.

Non obseruetis dies qui dicuntur Aegyptiaci, aut Kalendas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædam & comessationes, & adinuicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio, aut aliquot menses, aut tẽpora, aut dies & annos, aut lunæ solisq; cursum, quia qui & has & quascunq; diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus, inutiliter sine causa, magis ad sui damnationem q̃ ad salutẽ tendit, siue per quosdã numeros literarũ & lunæ per Pythagoricam necromantiam, ęgrotantium vitam vel mortẽ, vel prospera, vel aduersa futura inquirunt, siue qui attendũt somnialia scripta, & falso Danielis nomine intitulata, & sortes quæ dicuntur sanctorum apostolorũ, & auguria auiũ, aut aliqua pro domo facienda, aut ꝑpter coniugia copulanda, aut in collectionibus herbarũ carmina dicunt, aut pictaciolas, pro quauis infirmitate scriptas, sup hoĩes & animalia ponunt, præter symbolũ & orationẽ dominicã, aut magicis falsitatibꝰ in grandinarijs & tẽpestatibus credunt. Qui aut talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, & interrogant, sciant se fidem Christianã, & baptismum pręuaricâsse, & paganum & apostatã, i. retro abeuntẽ & Dei inimicum, iram Dei grauiter in ęternum incurrisse, nisi ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo recõcilietur. Dicit enim Apostolus, siue manducatis siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, in quo viuimus, mouemur, & sumus.

August. in epistola ad Simplicianum.

Nõ est absurdũ credere aliqua dispensatione permissum fuisse, vt nõ dominante arte magica, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam & Samuelem latebat, se ostenderet spiritus iusti, aspectibus regis, diuina sententia percussus: vel non verè spiritus Samuelis à requie sua excitatus est, sed aliquod phãtasma, & illusio imaginaria, diaboli machinationibus facta, quam scriptura Samuelem appellat: sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari.

Hieronymus super Ionam.

Non debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huius testimonium copulare, vbi sorte Matthias in apostolum eligitur.

Hieron. & hab. 26. q. ultima, Dæmonium.

Dæmonium sustinentibus, licet petras vel herbas habere sine incantatione.

Gregor. & hab. 26. q. 5. Si quis.

Si quis ariolas, aruspices, vel incãtatores obseruauerit, aut Philteis eorum vsus fuerit, anathema sit.

Gregor. & hab. 26. q. 5. Contra.

Cõtra idolorũ cultores vel aruspices, atq; sortilegos fraternitatẽ tuã vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, quod si emẽdare seà talibus nolle repereris: si serui sunt, verberibus volumus castigari: si verò liberi, inclusione digni, districtamq; sunt in penam dirigendi.

Isido. Etymol. lib. 8. & hab. 26. q. 1. Sortilegi.

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum seu apostolorum vocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittunt.

Beda super actis Apostolorum.

Non exemplo Matthiæ, vel quòd Ionas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cùm priuilegia singulorũ cõmunem legem omnino facere non possunt. Si qui tamẽ necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus apostolorum exemplo esse cõsulendum, videant hoc ipsos apostolos nõ nisi collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis egisse.

Virgil. in Bucolicis.

Carmina uel cœlo possunt deducere lunam.
Carminibus Circe socios mutauit Vlyßis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Virgiliana Dido in 4. Aeneid.

Testor chara deos, & te germana tuumq;
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.

Ouid. lib. 1. de Remedio amoris.

Deme ueneficijs carminibusq; fidem.

C. Mani-

C. Manlius astronomiæ suæ lib. 1.

Linguas dixêre uolucrum
Consultare fibras, & rumpere uocibus angues:
Sollicitare umbras, imumq; Acheronta mouere,
In noctemq; dies, in lucem uertere noctes.
Omnia conando docilis solertia uicit.

De hac materia habes suprà, vbi Diuinatio, & infrà vbi Sortilegium.

Incautela græcè ἀφυλαξία. ας. ἡ. & ἀφύλακτος. ȣ. ὁ. incautus dicitur. Incautela aũt & incircumspectio includuntur sub inconsideratione, B. Tho. secunda secundæ, quæst. 54. art. 2.

Incendiarius græcè ἐμπρηστής, έος. ὁ. & ἐμπρησις ιος. ἡ. ἐμπρησμὸς. οῦ. ὁ. incendium dicitur. Est autẽ incendiarius siue incensor qui authoritate propria ciuitatem, villam, segetem, domũ vel arbores incendit, vel similia igne apposito ex odio vel vindicta, vt habetur 23. quæst. vlt. cap. Pessimam, & 12. q. 2. Cùm deuotissimam.

INcestus dicitur à cingulo Veneris, quod κεστός. οῦ. ὁ. Est autem incestus consanguineorũ, vel affinium abusus. Vnde incestuosi dicuntur, qui consanguineis vel affinibus abutuntur, vt habetur 36. q. 1. c. Lex illa. §. Cum ergo.

Incestus est cum persona cõsanguinea, vel affini, coitus prohibitus quadruplici ratione. Primò, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentib9, & per cõsequens alijs consanguineis. Secundò, quia personas sanguine coniunctas necesse est ad inuicem simul conuersari. Tertiò, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Quartò, quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor qui est ex commixtione Venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod castitati repugnat, ex B. Tho. secunda secundæ, quæst. 154. art. 1.

Dicimus aũt incestum & incestus, vtroq; em̃ modo dicitur quasi nõ castus. Hinc incesto verbum quod significat fœdo, polluo. Virgil. Totãq; incestat funere classem. Ab incesto dicitur incestuosus, qui incestum cõmisit. Sunt qui velint incestum dici à Veneris cingulo, quod cestum dicunt, quo vxor cum maritalis illi fides dabatur à marito cingebatur, dicente Phillide apud Ouid. in epist. ad Demophoonta.

Cui mea uirginitas auibus libata sinistris,
Castaq; fallaci zona recincta manu.

Et pro ipso cingulo est secundæ declinationis. Et est cæstus cum diphthongo & quartę declinationis, quod arma pugilũ significat. Virg. lib. 5. Aeneid. Seu crudo fidit pugnam cõmittere cæstu, & à cædendo dicitur.

Leuitici cap. 20.

Qui supra vxorẽ filiã, duxerit matrem eius, scelus operatus est. Viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.

August. lib. de Adulterinis coniugijs, & hab. 32. quæst. 7. Adulterij.

Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu, peius est enim cum matre, quàm cnm alia vxore concumbere.

August. lib. 1. de Adulterinis coniugijs, & hab. 21. quæst. 7. Quemadmodum.

Sunt enim in fornicatione gradus, vt sicut grauius peccat adulter quàm fornicator, sic grauius delinquit, qui nec sua dimissa aliam ducit, eo qui suam dimittit, aliam cognoscit. Grauius quoq; qui suam vxorem habens ad coniugem proximi sui accedit, quàm nõ habens vxorem, thorum alterius violat: vel vxoratus ad solutã accedit: sed hos omnes incestuosi transcendũt: quos vincunt contra naturam delinquentes.

Augustinus lib. 17. de Ciuitate Dei.

Cõmixtio sororum & fratrũ quanto sit antiquior cõpellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione prohibente.

Gregor. ad Felicem Messanæ ciuitatis episcopum, & habetur 35. quæst. 3. Nec eam.

Nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in cõiugium ducere vlli Christianorum licebit, quia incestuosus est talis coitus & abominabilis Deo & cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis patribus statutũ esse legimus.

Seneca Tragedia 9.

Incesta genitrix detrahit generi fidem.

Virgil. lib. 6. Aeneidos de inferno loquens.

Hic thalamum inuasit natæ uetitosq; hymenæos,
Ausi omnes immane nefas ausoq; potiti.

Inconsideratio græcè ἀλογία. ας. ἡ. & ἀγόλιστος ȣ. ὁ. ἡ. inconsideratus dicitur. Est autem inconsideratio speciale peccatum imprudentiæ. Et opponitur rectitudini iudicij in moralibus, ex B. Thom. secunda secundæ, q. 54. art. 2.

Incõsideratio est defectus iudicij in agibilibus humanis, proueniens ex eo quod cõtemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectũ procedit iudicium, secundum B. Thom. ibid. art. 4. Vnde dicatur vide suprà in Consideratio.

Inconstantia græcè ἀστασία. ας. ἡ. & ἄστατος. ȣ. ὁ. ἡ. inconstans dicitur. Est autem incõstantia speciale peccatum imprudentiæ, deficiens à perficiendo bonum propositum: cuius principium est in appetitu, finis autem in intellectu, ex B. Tho. secunda secundæ, quæst. 53. art. 2.

Inconstantia circa abstinentiam à delectabilibus, est filia luxuriæ: licet etiam, quæ est in terribilibus, oriatur ex luxuria. B. Thom. ibidem, artic. 5.

Inconstantia est filia luxuriæ, quæ est quãdo quis non stat constans in bono proposito, sed

sine causa rationabili, ex aliqua passione præcipuè ex amore concupiscentiæ facit cõtrarium illius quod deliberauerat, B. Thomas secunda secundæ, quæst. 53.

Inconstantia quid differat à negligentia, vide infrà in Negligentia. Vnde autem dicatur, vide suprà in Constantia.

Incontinentia græcè ἀκρατεία. ας. ἡ. & ἀκρατής. έος. ὁ. ἡ. incontinens dicitur. Est autem incontinentia cum à quibus rebus voluptatibusq; nos tenere debemus, non tenemus, secundum Aul. Gellium.

Incontinentia propriè est circa concupiscentias tactus. Secundum quid est circa honores, diuitias, & huiusmodi. Impropriè verò est circa virtutes. Prima est peccatum dupliciter, scilicet recedendo à ratione & immergẽdo se turpibus. Secunda tantum primo modo. Tertia verò non est peccatum, sed est perfectio virtutum, B. Thom. secunda secundæ q. 155. art. 2.

Incontinentiæ species sunt duæ, scilicet præuolatio consilij, & debilitas in præconciliatis, B. Thom. secunda secundę q. 157. art. 1. Quid incontinens differat ab intemperante, vide suprà in Continentia.

Incubus dicitur dęmon coiens cum muliere. Succubus autem dæmon coiens cum viro, ex B. Tho. prima parte, q. 2. art. 3.

Indigentia græcè ἔνδεια ας. ἡ. & δέομαι indigio dicitur. Et est libido inexplebilis, secũdum Ciceronem lib. Tuscul. quæst. Indigentia hoc est inopia: & indigus, qui indiget alicuius rei, ab egeo veniunt. Egeo verò & egestas quid sint, & vnde descendant, vide suprà in Egestas.

Indignatio græcè ἀγανάκτησις. ιος. ἡ. & ἀγανακτέω. indignor dicitur. Est autem indignatio dolor perturbans propter res secundas indigno collatas, secundum Aristot. lib. 2. Rhetor.

Indignatio etiam pro filia iræ sumitur, quia quis non valet videre vel audire eum cui irascitur, secundum B. Thomam secunda secundæ, quæst. 37. art. 2.

Indignatio venit ab indignus, ita & indignor, irascor, & indignabundus, irascens: & indignè, hoc est præter merita: & indignãter, per indignationem.

Indiuiduũ græcè ἄτομον. ου. τὸ & ἄτομος. ου. ὁ. indiuisus dicitur. Indiuiduum est id quod indiuisum est in se, & diuisum à quolibet alio vltima diuisione, B. Tho. prima parte, q. 29. art. 4.

Indiuidua ab indiuiduis quot modis differant, vide suprà in Differentia.

Indiuisibile ἀδιαίρετον. ου. ὁ. & διαιρέω diuido dicitur. Indiuisibile autem secundum quantitatem & sine positione dicitur vnitas, secundũ Aristotelem. lib. 5. Metaphysic. Indiuisibile verò habens positionem dicitur punctum. Venit autem à diuido, vnde etiam diuisibiliter & indiuisibiliter, vnde autem diuido dicatur, vide suprà in Diuisibile.

Indulgentia græcè σύγγνώμη. ης. ἡ. & συγγινώσκω indulgeo dicitur. Est autẽ indulgentia pœnæ relaxatio, quam quis iustè pro culpis pro-prijs facere debuisset, de thesauro Ecclesiæ ad diuinam iustitiam persoluendam sumpta.

Indulgentia propriè est mollis & delicata permissio. Quintili. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnis & mentis & corporis frangit. Est enim indulgere ob-sequi, & aliquid delicatè concedere. Indulgentiam nonnulli malè pro venia capiunt, & pro ignoscere indulgere vtuntur. In quo Theologi nostri frequentissimè labuntur. Non negamus tamen quin venia pro indulgentia aliquãdo capiatur. Cicero: Dabitis mihi hanc veniam, hoc est indulgebitis concedetisq; mihi.

Industria græcè ἀγχίνοια. ας. ἡ. & ἀγχίνοος. ου. ὁ. industrius dicitur. Est autẽ industria frequens exercitium circa rem honestã, vnde industrius dicitur, hoc est, studiosus, vigilans, callidus.

Infamia græcè δυσφημία ας. ἡ. & δυσφημός. ου. ὁ. ἡ. infamis dicitur. Est autem infamia læsæ dignitatis qualitas reprobata quantũ ad vitã & mores, per argumentũ à contrario sensu. Sicut fama est illæsæ dignitatis status, vita & moribus cõprobatus, & in nullo diminutus. Eandem infamiam Apuleius infamationem vocat. AMANTIVS.

INFELICITAS.

Menander in Hyrdria.

Γέροντα δυστυχοῦντα τῶν ἑαυτοῦ κακῶν
Ἐπαγομένων λήθην ἀνέμνησας πάλιν,
ἔπειτα τυχεῖν τ' ἤγειρας. id est.
Misero seni, qui malorum suorum
Obliuisci incipiebat, memoriam refricâsti,
Ac denuo infelicem fieri effecisti.

Sophocles in Nauplio.

Τῷ γὰρ κακῶς πράσσοντι μυρία μία
Νὺξ ἐστὶν εὖ παθόντα ἡ τερατεύς θανεῖν. id est,
Infinitis oppresso malis, una
Nox aduenit, quæ dũ melior fortuna aspirat, mori iubet.

Menander in Paracatatheca.

ἔυπιστον ἀτυχῶν ἐστὶν ἄνθρωπος φύσει,
Τὸν πλησίον γὰρ οἴεται μᾶλλον φρονεῖν, id est.
ὁ τοῖς λογισμοῖς τοῖς ἰδίοις πλάζων ἀεί.
Homo infelix, semper natura credulus est:
Proximus enim semper plus se sapere putat
Illo, quem suæ rationes semper fallunt.

Amphis in Ampelurgo.

Ἐν οἷς ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις.
ἥκιστα τοῦ τοῖς πλησιάζων ἥδεται. id est,
Quibus in locis calamitosus aliquis fuit,
Ad ipsos accedere nequaquàm gaudet.

Philetas in Cerere.

ἡ μὲν δὴ πολέεσσι περφύρησαι χαλεπῆσι
θυμέ: γαλήνάιη δ' ἐπιμίσγεαι οὐδ' ὅσον.
Ἀμφηστοι νέαι αἰὲν ἀνίαι τετρήχωσιν. id est.

Permult

Permultis equidem ſemper immerſus es malis
Anime mi: Tranquillitatem uerò ne tantillam quidem experiris:
Semper autem noui dolores circa te exaſperantur.

Idem.

Τῶν μοι πολέων γαίης ὕπερ, οὐδὲ θαλάσσης
Εκιδὸς ὡράων ἔσχομαι ὧν ἐτέων
Οὐδ' ἀπόμοιρα μελέῳ κακῶν φέρε, ἀλλὰ φέρουσιν
ἔμπεδα καὶ τοῖς ἄλλα προσαυξάνεται: id eſt.
Hinc eſt, quod ſemper oberro terra mariq;,
Dum fœcundi à Ioue reſtringuntur anni:
Nec mihi parca malorum finem adfert, ſed manent
Conſtanter, & præſentibus accreſcunt alia.

Menander.

ἔξωθεν εἰσὶν οἱ δοκοῦντες εὐτυχεῖν.
Τὰ δ' ἔνδον εἰσὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἴσοι. id eſt.
Qui felices uidentur, externam ſolam perſonam habent.
Intus autem cæteris hominibus ſimiles ſunt.

Diphilus.

ὥσπερ καθίζουσ' ἡμῖν ἐνίοτ' ἡ τυχὴ ἓν ἀγαθὸν
Επιχέασα τρὶ ἐπαντιχεῖ κακά: Ηράκλειτος
ἔφη τῷ ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων. id eſt.
Fortuna nobis tanquam cyathos exciccantibus:
Si unum horum infundat, tria mala effundit.
Heraclitus dixit, ingenium homini Dæmonem eſſe.

Plato in Gorgia.

Κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν ὦ πῶλε ὁ ἀδικῶν τε καὶ ἄδικος, πάντως μὲν ἄθλιος, ἀθλιώτερος μὲν τοὶ ἐὰν μὴ διδῷ δίκην, μὴ δὲ τυγχάνῃ τιμωρίας ἀδικῶν, ἧττον δὲ ἄθλιος ἐὰν διδῷ δίκην, καὶ τυγχάνῃ δίκης ὑπὸ θεῶν τε καὶ ἀνδρων: id eſt.

Secundum verò ſententiam meam, ô Pole, qui iniuriatur iniuſtusque eſt, omnino eſt ante alios miſer: miſerior tamen, ſi iniuriarum pœnas nunquàm luat, ſuppliciumq; iuſtum à Dijs hominibusq; reportet.

Canis contra Artemiſium, de fœtu corrupto.

Τὸ μὲν ἀδικεῖσθαι καὶ πάντι οὐν δεινόν ἐστι, τὸ δὲ καὶ τῶν τοιούτων τί παθεῖν, ὁ μηδὲ εἰπεῖν πεπονθὼς δύναται σαφῶς δυστυχίας ὑπερβολήν. id eſt.

Iniuriam pati cuilibet graue eſt, huiuſmodi verò aliquid pati, quod nec dici quidem clarè ab homine affecto poſsit, infelicitas nimia eſt.

Homerus Iliad. 9. lib.

Δύσμορον ὅν ῥα πατὴρ κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδει
Αἰνὴ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει κακὰ πολλ' ἐπὶ δόντα
υἷας τ' ὀλλυμένους ἑλκυσθείσας τε θύγατρας
Καὶ θαλάμους κεραϊζομένους, καὶ νήπια τέκνα
Βαλλόμενα ποτὶ ἄσυ ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι. id eſt.
Infelicem quem pater Saturnus in ſenectutis limine
Miſera calamitate perdidit, multa mala intuitum:
Et filios pereuntes, & filias per uim abſtractas,
Et thalamos uaſtatos, & liberos infantes
Ad terram proiectos in graui conflictu.

Menander in Enchiridio.

ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις
ἥκιστα τούτοις πλησιάζων ἥδεται.

οὔποθεν ἂν ᾤμην, οὐ τύχη καὶ πάντα δὲ
Τὰ μηδὲ προσδοκῶμεν ἔκστασιν φέρει:
Ως μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ ἀεί. id eſt.
Nunquàm putabam: Verùm fortuna & omnia
Inexpectata animum ſuo ſtatu deijciunt:
Quàm ſemper aliud malum poſt aliud mihi naſcitur.

Euripedes Tragicus.

Κεκλημένῳ δὲ φωτὶ μακαρίῳ ποτὲ
αἱ μεταβολαὶ λυπηραί: ὧ δ' ἀεὶ κακῶς
Ες' οὐδὲν ἀλγεῖ συγγενῶς δύστηνος ὤν. id eſt,
Viro, qui felix aliquando uocatus fuit,
Moleſta eſt mutatio: cui uerò ſemper ſiniſtra
Fortuna fuerit, nihil dolet, ut cui familiaris ſit calamitas.

Euripides in Antigone.

Επὶ ἄκρων ἥκομεν κακῶν γραμμήν. id eſt.
Malorum ultimam liniam attigimus.

Idem in Aeolo.

Αἰεὶ τὸ μὲν γε ζῇ τὸ δὲ μεθίσαται κακὸν
Τόδ' οὐκ ἔφηνεν αὖθις ἐξ ἀρχῆς νέον:
Νῦν δὲ ἀεὶ πέσσω τόδ' ἀέξεται ἄλλο νοερὸν
Γῆμα, κακῷ δ' οὔπω γίνεται ἡσυχίη. id eſt.
Semper malum aliquod uiget, alterum uerò præterit:
Et quod ſecuturum eſt deinceps, nondum apparet.
Nunc uerò ſemper concoquo, interim aliud nouum mihi creſcit.
Damnum, cum à priori malo nondum me expediuerim.

Antiphon.

Si cui Deus bona non perfectè largiri voluerit, illum pecuniarum copia exhibita mentis & prudentiæ inopem facit: & ſic altero adempto, vtriſq; priuat.

Democritus.

Απορίη κοινὴ τῆς ἑκάστου χαλεπωτέρη: οὐδεμία γὰρ ὑπολείπεται δὲ ἐλπὶς ἐπικουρίης. id eſt,
Inopia publica grauior eſt, quàm ſingulorum:
Nulla enim ſubſidij ſpes relinquitur.

Idem.

Νόσος οἴκου καὶ βίου γίνεται ὅκως περ καὶ σκήνεος, id eſt: Quemadmodum corpori, ſic & familiæ, vitæq; morbus accidit.

Gaius.

ἔοικε δὲ ὁ βάσκανος δαίμων φιλοτιμότατος εἶναι πρὸς τὰς παραδόξους συμφοράς. id eſt.

Inuidus dæmon maximè hoc videtur ſtudere: vt inopinatas calamitates inducat.

Xenocrates dicebat, quemadmodum à faciei formæq; vitio aliquem vocamus informem: ita ob fortunę malitiam, homines improbos vocari à nobis infortunatos.

Plato in Gorgia.

Atqui, ô Socrates, nihil opus eſt antiquis exemplis ad te confutandum: ſiquidem recentibus, atq; adeò heſternis manifeſtè pleroſq; iniuſtos eſſe felices combrobari poſsit: Quænam iſta? Archelaum Perdicę filium Macedonię imperare vides? Etſi nõ video, ſaltem audio. Felix ne igitur tibi, an infelix videtur? Neſcio equidẽ

Pole: nunquam enim ei conuersatus sum. Quid autem si eius consuetudinem habuisses, iam cognosceres? Aliunde verò eius felicitatem non deprehendis? Non per Iouem. Constat igitur ô Socrates, similiter te dicturum, ignoro: vtrũ magnus Persarum Rex sit felix. Et vera quidem dicam: Ignoro enim, quo pacto vel eruditione vel iusticia sit instructus, nunquid in hoc tota beatitudo consistit? Certè meo iudicio. Assero enim honestum, bonumq; virum & mulierem, esse felicem: iniustum verò & turpem, esse miserum. Miser ergo iuxta tuum sermonẽ est Archelaus, nimirum si iniustus.

Menander in Heroë.

Ὡς οἰκτρὸν ἡ τὰ τοιαῦτα δυστυχῶ μόνη,
ἃ μηδὲ πιθανὰς πᾶς τὰς ὑπερβολὰς ἔχει. id est.
Me miseram, quæ sola calamitates tales experior,
Quas præ immanitate nemo facilè crediderit.

Ouidius lib. 2. de Ponto ad Maximum.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
Quæ simul intonuit, proxima quæq; fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit uelis aura secunda meis:
Vt fera nimboso tumuerunt æquora uento,
In medijs lacera puppe relinquor aquis.

INFORTVNATI ET QVI DE PROspera fortuna ad humilem & miseram redacti fuerint: exempla ex Sabellico, Valerio Maximo, & Fulgoso, Rauisioq; decerpta.

Dionysius Iunior Syracusis expulsus, exulauit Corinthi, ibiq; ludimagistrum egit. Testis Cicero lib. Epistol. famil. 9. Ad Papirium.

Ouidius 4. de Ponto.

Ille Syracusia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.

Pazaites Rex Turcarum Tamburzano victori equum incensuro, subinclinauit humeros, & scabelli vsum præbuit; Vt etiam Valerianus Imperator optimus Sapori regi Persarum fecit.

Bellisarius Dux exercitus Iustiniani, post tot tantasque victorias exoculari mandato iusti iussus: victum in publica à transeuntibus emendicauit.

Cassius toties triumphator, tertiò consul, capitali supplicio afflictus vitam finiuit.

Celestinus 5. Ioannes 19. & 14. in carcere perierunt. Benedictus 5. Item 10. Martinus Tudertinus, Ioann. 12. suo Pontificatu detrusi, consenuerunt in exilio.

Polycrates Samiorum Tyrannus, post multos ridentis fortunæ zephyros ab Onete Cyri præfecto superatus, & suspendio affectus est.

Xerxes, qui Aegyptum subegerat, à Themistocle victus, ab Artabano interfectus est: Artabanus autem, ab Artaxerxe occisus.

Mithridates Rex Ponti, qui annis 50. Romanos varijs cladibus affecerat: Asiam occupauerat, Q. Oppium proconsulem, & Aquileium legatum in vincula coniecerat: à Lucullo primũ, deinde à Pompeio superatus, mortem sibi intulit.

Pompeius Magnus tot egregijs victorijs habitis, à Cæsare victus, in Thessalia iussu Ptolomæi, ad quem in extrema rerum desperatione confugerat interfectus est crudelissimè.

Cæsar Iulius victor Maximus C. Cassij & D. Bruti 23. vulneribus, in senatu confossus est. Reliqua lege apud Valerium & Fulgosum lib. 6. cap. 11. de varietate casuum.

INFERNVS.

Infernus græcè ᾅδης.ου.ὁ. dicitur. Et est horridus, tenebrosus & pœnalis locus dæmonum, B. Thomas secunda sent. dist. 6. quæst. 3.

Infernus est quadruplex scilicet, damnatorũ, puerorum, purgandorum, & sanctorum patrũ. In primo sunt tria, scilicet tenebræ gratiæ, & tenebræ gloriæ, & pœna sensus. In secunda sola duo prima. In tertio tantum secundum & tertium. In quarto tantum secundum, ex b. Tho. 3. sent. dist. 22. quæst. 2. art. 1.

Infernus est in centro terræ, id est in medio terræ secundũ eundem, 2. sent. dist. 6. q. 3. art. 2. & 4. sent. dist. 44. quæst. 3. art. 2.

Infernus aliquando adiectiuum est, qui infrà est: sicut supremus qui suprà, vnde infernè aduerbium, & inferiæ sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur, & furiæ infernæ & infernales, de quibus suprà in dictione Alecto.

Prouerb. cap. 27.

Infernus & perditio nunquam replentur, similiter & oculi hominum insatiabiles.

Prouerb. cap. 30.

Tria sunt insaturabilia, & quartũ quod nunquàm dicit sufficit. Infernus, & os vuluę, & terra, quę nunquam satiatur aqua. Ignis verò nunquam dicit sufficit.

Matthæi cap. 13.

Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in cõsummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.

Augustinus in sermone ad Eremitas.

In inferno nulla est redemptio: quoniam qui illic damnatus & demersus fuerit, vlterius non exibit. In inferno nulla est redemptio: quoniã nec pater ibi potest adiuuare filiũ, nec filius patrem. Ibi nõ inuenitur amicus vel propinquus qui valeat & argentũ & diuitias dare, quas nũc congregant auari, videntes pauperes inopia tabescę,

tabeſcere, & præ nimia fame & ſiti nuditatem & mortem incurrere, non poterunt ſibi præſtare aliquod refugiũ, vnde miſeri prę nimia doloris amaritudine amariſſimè flentes, & præ anguſtia ſpiritus gemẽtes, dicẽt in inferno: Quid profuit nobis ſuperbia noſtra, diuitiæ, honores, dignitates, luxuria, guloſitas, & omnes delectationes carnales quid profuerũt nobis? Ecce omnia tranſierunt quaſi ſomnia, quaſi fumus & vmbra, & quaſi non fuerint, & nos cruciatibus deputati ſumus & ſupplicijs æternis. In inferno nulla eſt redemptio: quoniam ibi gemitus ſunt & ſuſpiria, & non eſt qui miſereatur. Ibi eſt dolor & planctus & clamor, & non eſt qui audiat.

Idem de Geneſi lib. 8.

Melius eſt dubitare de occultis, quã litigare de incertis. Illum quippe diuitem in ardore pœnarum, & illũ pauperem in refrigerio gaudiorum eſſe, intelligendos nõ dubito: ſed quomodo intelligenda illa flamma in inferno, ille ſinus Abrahæ, illa diuitis lingua, ille digitus pauperis, illa ſitis tormenti, illa ſtilla refrigerij, vix fortaſſè à manſuetè quærentibus, contentioſè autem certantibus nunquam inuenitur.

Idem de fide ad Petrum.

In inferno, etſi erit ſtimulus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas, vt nullatenus ab eis poſſit diligi vel deſiderari iuſtitia.

Idem libro de agenda cura pro mortuis.

Ita diuiti illi, qui apud inferos torquebatur fuit cura de viuis, quãuis quid agerent omnino neſciret, quemadmodũ eſt nobis cura de mortuis, quamuis quid agant omnino neſcimus.

Gregorius libro 4. Dialogorum.

Anima illic poſita bene eſſe perdidit, & eſſe non perdidit. Ex qua re ſemper cogitur, & vt mortem ſine morte, & defectum ſine defectu, & finem ſine fine patiatur: quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.

Gregorius lib. 9. Moralium.

Horrendo modo fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, ſed nequaquam tenebras excutit.

Gregorius libro 9. Moralium.

Sicut vno ſole omnes tanguntur, nec tamen ſub eo vno ordine omnes ęſtuamus, quia iuxta qualitatem corporis ſentitur etiam pondus caloris: Sic damnata vna eſt gehenna quę affligit, & tamen nõ omnes vno calore comburit, quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet cauſa meritorum.

Gregorius 9. Moral. & 4. Dialogorum.

Sicut in domo patris manſiones multæ ſunt pro diuerſitate virtutũ, ſic damnatos diuerſis ſupplicijs gehennæ ignibus ſubijcit diſparitas criminis, quæ ſcilicet gehenna quamuis vna ſit cunctis, non tamen cunctos vna eademq; qualitate ſuccendit.

Idem 9. Moralium.

Illa vltrix flamma vitiorũ concremationem & lumen non habet: quia quo illos gehennę flãma deuorat, à viſione veri luminis cæcat, vt foris eos dolor combuſtionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obſcuret: quatenus qui authori ſuo corpore & corde deliquerunt, ſimul corde & corpore puniantur, & vtrobique pœnas ſentiant, qui dum hîc viuerent, prauis ſuis delectationibus ex vtroque ſeruiebant.

Gregorius ibidem.

Quicquid ad toleranda inferni mala deſcendit, nequaquã vlterius ad lucem redibit. Quia nequaquam vltra miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœnalibus iuſtitia iudicantis damnat.

Gregorius ibidem.

Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinitum patens inferni baratrũ deuorat, quos inanis elatio nũc exaltat, atque qui olim ex vitio voluntatem hîc callidi perſuaſoris expleuerunt, tunc cum duce ſuo reprobi ad tormenta perueniunt.

Gregorius lib. 20. Moralium.

Gehennæ ignis cùm ſit corporeus, vt in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur: ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſucceſſione non indiget, & ardore non caret.

Idem ibidem.

Iuxta modum culpæ pœna diſtinguitur, & ſecundum modum criminis, vnuſquiſque damnatus, in inferni igne cruciabitur.

Gregorius lib. 4. Dialogorum.

Vnus gehennæ ignis credendus eſt, ſed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vnuſquiſque enim quantum exigit culpa, tantã illic ſentiet pœnam.

Gregorius ſuper illud Matth. 9. Eijcientur in tenebras exteriores.

Eijcientur in tenebras exteriores, vt illic dẽtes ſtrideant, qui hîc de edacitate gaudebant, nã fletus de ardore, ſtridor ſolet excitari de frigore. Ibi duplex oſtenditur eſſe gehenna, ſcilicet nimij frigoris, & intolerabilis feruoris.

Gregorius ibidem.

Inferno erit frigus intolerabilis, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentiũ, horrida viſio dæmonum, confuſio peccatorũ, deſperatio omnium bonorum. Erit enim miſeris

mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit.

Ioan. Chryso. super Matthæum, homil. 33.

Multi gehennã abhorrent, ego autem casum illius gloriæ multo amariorem gehennæ pœna aio.

Sequitur.

Decem millia quis ponat gehennas, nihil tale dicet quale est à beata gloria excidere, à Christo audire, quod non noui vos. Incusari quod esurientem vidimus, nec cibauimus.

Idem homilia 28.

Intolerabilis res est gehenna. Quis nesciat illud supplicium horribile? tamẽ si mille aliquis ponat gehẽnas, nihil est tale dicturus, quale est à beatæ illius gloriæ honore propelli, exosum esse Christo, & audire ab illo: Non noui vos.

Bernardus sermone 38.

Gehennam enim metuimus vbi nullus vnquam cibus est, nulla consolatio, nullus terminus, vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere nõ meretur.

Isidorus libro 1. de summo bono.

Ignis gehennæ lucebit miseris ad augmentum, vt videant vnde doleant, & non ad consolationem ne videant, vnde gaudeant.

Idem de Meditatione gehennalis supplicij.

Intende nunc quascunq; seculi pœnas, quoscunque tormentorum dolores, quascunq; dolorum acerbitates, & compara totum huic gehennæ, & leue est omne quod pateris. Duplex damnatorum pœna est in gehenna, nam & mẽtem vrit tristitia, & corpus flamma.

Hugo lib. 4. de anima.

Infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.

Lactantius Fir. libro 7. cap. 21. diui. insti.

Primùm igitur dicimus tantam Dei esse potestatem, vt etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit afficiat. Nam & angeli Deum metuunt: quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo. Et dæmones reformidant, quia torquentur ab eo, & puniuntur. Quid ergo mirum, si cùm sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo? Nam cùm in se nihil habeant solidum & cõtrectabile à solidis & corporalibus nullam vim pati possunt: sed quia in solis spiritibus viuunt, à solo Deo tractabiles sunt, cui virtus & substantia spiritalis est, sed tamen docent nos sanctæ literæ, quemadmodum pœnas impij sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, vt in corporibus piaculum soluant, & tamen non erit caro illa, quam Deus homini superiecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis ac permanens in æternum, vt sufficere possit cruciatibus & igni sempiterno, cuius natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria vtimur, qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per seipsum semper viuit, ac viget sine vllis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus vrgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subuolare. Idem igitur diuinus ignis vna eademq; vi atq; potentia, & cremabit impios & recreabit, & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi æternũ pabulum subministrabit, quod poëtæ in vulturem Tytium transtulerũt. Ita sine vllo reuiuiscentium corporum detrimẽto aduret tantùm, ac sensum doloris afficiet. Sed & iustos cùm iudicauerit Deus, etiam igni eos examinabit. Tũ quorum peccata vel pondere vel numero præualuerint, perstringentur ab igni atque amburentur. Quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit, illum ignem non sentient. Habent enim aliquid in se Dei quod vim flammæ repellat ac reijciat. Tanta est vis innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipit à Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet. Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus iudicari. Nam omnes in vna communiq; custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen. Tum quorũ fuerit probata iustitia, hi præmium immortalitatis accipient. Quorum autem peccata & scelera nõ resurgent, sed cum impijs in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati.

Virgilius lib. 6. Aeneidos, de inferno ait.

Respicit Aeneas subitò, & sub rupe sinistra
Mœnia lata uidet triplici circundata muro.
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetq; sonantia saxa,
Porta aduersa ingens, solidoq; adamante columnæ,
Vis ut nulla uirum, non ipsi excindere ferro
Cœlicolæ ualeant, stat ferrea turris ad auras,
Tisiphoneq; sedens palla succincta cruenta
Vestibulum insomnis seruat noctesq; diesq;
Hinc exaudiri gemitus, & sæua sonare
Verbera: tum stridor ferri: tractæq; catenæ.

Ibidem.

-Tum tartarus ipse
Bis patet in præceps, tantum tenditq; sub umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus olympum.

Virg. lib. 6. Aeneidos

-Atq; intonat orc.
Hic, quibus inuisi fratres, dum uita manebat,
Pulsatúsue

Pulsatúsue parens, & fraus innexa clienti.
Aut qui diuitijs soli incubuêre repertis,
Nec partem posuêre suis, quæ maxima turba est.
Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
Impia, nec ueriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant: ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma uiros fortunáue mersit.
Saxum ingens uoluunt alij, radijsq; rotarum
Districti pendent.

Ibidem.

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.
Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentem
Imposuit: fixit leges pretio, atq; refixit.
Hic thalamum inuasit natæ, uetitosq; hymenæos.
Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti.
Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea uox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Ibidem.

Ergo exercentur pœnis ueterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad uentos, alijs sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Idem in 7.

Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum
Infernisq; ciet tenebris, cui tristia bella,
Iræq;, insidiæq;, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores
Tartareæ monstrum, tot sese uertit in ora,
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Ouidius Meta. lib. 4. fa. 12.

Est uia decliuis funesta nubila taxo,
Ducit ad infernas per multa silentia sedes:
Styx nebulas exhalat iners, umbræq; recentes
Descendunt illac, simulacraq; functa sepulchris.
Pallor, hyemsq; tenent late loca senta: nouiq;
Qua sit iter manes, Stygiam quod ducat ad urbem
Ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis.
Mille capax aditus, & apertas undiq; portas
Vrbs habet: utq; fretum de tota flumina terra:
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo est, turbámue accedere sentit.
Errant exangues sine corpore & oßibus umbræ,
Parsq; forum celebrant, pars imi tecta tyranni:
Pars aliquas artes antiquæ imitamina uitæ
Exercent: aliam partem sua pœna coercet.

Ibidem.

-Inamabile regnum.
Desere, teq; refer cæli melioris ad auras.

Ouidius Meta. libro 10. fab. 1.

Omnia debentur uobis paulumq; morati
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima, uosq;
Humani generis longißima regna tenetis.

Tibullus lib. 1. Elegia 3.

At scelerata iacet sedes in nocte profunda,
Abdita quam circum flumina nigra sonant,
Tisiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ,
Aßiduas atro uiscere pascit aues.
Tantalus est illic & circum stagna, sed acrem
Iamiam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles Veneris quod numina læsit,
In caua Lethæas dolia portat aquas.

Catullus.

-Per iter tenebrosum.
Illuc, unde negant redire quenquam.

Claudianus libro 2. contra Ruffinum.

Est locus infaustis, quo conciliantur in unum
Cocytus Phlegetonq; uadis, inamœnus uterq;
Alueus: hic uoluit lachrymas, hic igne redundat.
Turris per geminos flammis uicinior amnes,
Porrigitur, solidoq; rigens Adamante, sinistrum
Proluit igne latus, dextraq; Cocytia fundit
Aequora, triste gemens, & fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia secula uitam
Deueniunt, ubi nulla manent discrimina fati,
Nullus honor, uanoq; exutum nomine regem
Perturbat plebeus egens, quæstior in alto
Conspicuus solio pertentat crimina Minos:
Et iustis dirimit sontes: quos nolle fateri
Viderit, ad mala mox transmittit uerbera fratris;
Nam iura Rhadamantus agit congesta superni
Curriculi, totosq; diu prospexerit actus.
Exæquat damnum meritis, & muta ferarum
Cogit uincla pati, truculentos ingerit ursis,
Prædonesq; lupis, fallaces uulpibus addit.
At qui desidia semper, uinoq; grauatus
Indulgens Veneri, uoluit torpescere luxu,
Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus.
Qui iusto plus esse loquax, arcanaq; sueuit
Prodere, piscosas fertur uicturus in undas,
Vt nimiam pensent æterna silentia uocem.
Quos ubi per uarios annos, per mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ reuocat primordia formæ.

Dantes inferni can. cap. 3.

Quiui sospiri, pianti, & amar guai,
Risonauan per laer senza stelle.
Vndio al cominciar ne lachrymai.
Diuerse lingue, horribile fauelle,
Parole di dolor, accenti dira,
Voce alte, & fioce, & son di man cum elle. id est,
Illic suspiria, planctus, & amaræ pœnæ
Resonabant per aerem sine stellis.
Vnde in initio lachrymare cœpi.

Diuersæ

Diuersæ linguæ, horribiles loquelæ,
Verba doloris, accentus iræ,
Voces altæ, languidæ, & cum his soni manuum.

Ibidem.

Ma quello animæ cheran lasse & nude,
Cangiar color, & dibaterno identi.
Possa chinte son le parole crude.
Blassemauano dio & lor parenti.
Lhumana specie il loco, il tempo, il seme
Di lor semenza odi lor nascimenti. id est,
Sed eæ animæ quæ lassæ, & nudæ erant,
Mutarunt colorem dentibus constrepentes,
Mox ut audierunt uerba crudelia.
Blasphemabant Deum, & suos parentes.
Humanam speciem, locum, tempus, semen
Eorum sementis, aut natiuitatis. **Ibidem.**
Ben che senza termino sedolia,
Che per amor di cosa che non dura
Eternalmente quel amor si spoglia. id est.
Aequum est ut sine termino doleant,
Quoniam amor non permanentis rei
Perpetuo amor ille spoliatur.

Idem cap.7.

Hor poi ueder figlol lacurta buffa
De ben che son commeßi a la fortuna,
Per che lhumana gente si rabuffa.
Che tuto loro che sotto la luna.
Et che fugia di quæste animæ stanche
Nonne potrebbe far possar pur una. id est,
Iam uidere potes fili breuem turbinem
Bonorum, quibus fortuna dominatur,
Propter quæ homines seipsos commouent.
Nam totum quod infra lunam est,
Et quod unquam fuit, ex laßis animabus
Non posset nec unam quidem quietam facere.

Idem cap.8.

Quanti si tegnon or lha su gran regi,
Che qui hi staranno come porci in bragho,
Di le lassando horribili dispregi. id est,
Quot in uita sese magnos reges existimant,
Qui hic stabunt ut sues immundi,
De se relinquentes horribiles contemptus.

Infidelitas grecè ἀπιςία, ας, ἡ. & ἄπιςος, ȣ, ὁ. infidelis dicitur, veniuntq; à fides, de qua suprà in dictione Fides.

Infidelitatis species sunt tantùm tres, scilicet paganorum, quæ grauis est. Iudæorũ, quæ grauior. Hæreticorum, quæ grauissima. Ex beato Tho. secunda secundæ q.10. art.10. & sexto.

Infinitiuus græcè ἀπαρέμφατος, ȣ, ὁ, ἡ. dicitur. Est autem infinitum, cuius semper secundum quantitatem accipientibus est aliquid accipere, secũdum Aristotelem libro 3. Physicorum.

Infinitum esse actu non est intelligibile, ex bea. Tho. quolib. nono. 1.2.

Infinitum est quod non habet finem, vnde infinitio & infinitas deducuntur. Hinc etiã & infinitiuus modus quo Grammatici vtuntur, q nec personis aliquib. nec numeris finitur. Hæc omnia à finio descendunt, à quo pariter præfinio, hoc est præscribo, & quasi finem quem nõ transgrediaris ostendo. Vnde præfinitum, præscriptum. Infinitè & infinitum aduerbia significant sine fine. A finio veniunt etiam definio & diffinio. De quibus suprà in Diffinitio.

INfirmitas græcè ἀῤῥωςία, ας, ἡ. & ἀῤῥωςέω infirmo, & ἄῤῥωςος, ȣ, ὁ. infirmus. Est autem infirmitas, debilitas & imbecillitas, & infirmus debilis. Ab infirmoq; deducuntur, quod est debilito. A firmus omnia hæc veniunt: firmus verò à ferendo, quod omnia constanter ferat, vnde firmitas: de qua suprà in dictiõe Firmitas & firmitudo eiusdem significationis.

Prouerbiorum cap.2.

Liuor vulneris absterget mala.

Ibidem cap.3.

Ne fatigeris cùm à Deo corriperis.

Ecclesiastici cap.30.

Melior est pauper sanus & fortis viribus quã diues imbecillis.

Ecclesiast. cap. 37.

In multis cibis erit infirmitas.

Ibidem.

Propter crapulam multi periêre. Qui autem abstinens est, adijciet vitam.

Paulus 1. Corinth.12.

Nam virtus in infirmitate perficitur.

Ibidem.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.

Augustinus de opere monachorum.

Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humanè tractandus est: qui aũt falsam prætendit, & conuinci nõ potest, Deo dimittendus est.

Hiero. in quadam epistola.

Corporis debilitas nimia etiam vires animæ frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit. Quicquid cum modo, & temperamento fit, salutare est.

Ambro. & habetur 24. q.1. ca. Quæ dignior.

Corporales infirmitates populi fidelis suscipere in se debet euangelij prædicator, iuxta quod scriptum est: Quis infirmatur, & ego nõ infirmor?

Gregorius in Pasto. & habetur distinct.49.

Hinc etenim.

Hinc etenim superna voce ad Moysen dicit in Leuitico: Loquere ad Aaron, homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministeriũ eius: vbi repente subiungitur. Si cęcus fuerit, si claudus, si vel paruo vel grãdi naso, vel si fracto pede, si mancus, si lippus, si gibbosus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, impe-

impetiginem in corpore, vel herniosus.

Gregorius lib. 4. Moralium.

Considerata infirmitas propria nobis excusat aliena.

Gregorius super illud Lucæ 21. Beatus seruus, quem cùm uenerit Dominus.

Venit Dominus, cùm ad iudicandum properat: Pulsat verò, cùm per ægritudinis molestias mortem vicinam denunciat, cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus.

Hugo lib. 1. de claustro animæ.

Qui dolorem capitis non patimur benignè, quomodo pro Christo capitis abscisionem pateremur? Qui flagellum timent, quomodo tormenta sustinerent?

Seneca epist. 2.

Nihil æquè impedit sanitatē, sicut remediorum crebra mutatio: non conualescit planta, quæ sæpe trāsfertur. Nihil magis ęgris prodest, quàm ab eo curari, à quo voluerint.

Idem in epist.

In omni morbo tria grauia sunt, metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatis.

Idem epist. 96.

Multos morbos multa fercula faciunt.

Idem in epist.

Non videmus q̄ multa nos incommoda exagitent, quā malè nobis conueniat hoc corpus: nunc de capite, nunc de ventre, aut de pectore, aut de faucibus querimur. Aliàs nerui nos, aliàs pedes vexant, nunc deiectio, nunc distillatio: aliquando superest, aliquando deest sanguis: hinc atque illinc tentamur & expellimur.

Arist. lib. 14. de animalibus.

Modica alteratio in membro principali, facit multam alterationem in toto corpore.

Idem 2. Poêtriæ.

In infirmo est cōtinua tristitia, & mœror inconsolabilis.

Infœlicitas græcè δυστυχία. ας. ἡ. & δυστυχής. έος. ὁ. ἡ. infœlix dicitur. Fœlicitas & infœlicitas descendunt à fœlix, quod est quod recipit fœlicitatem. Virg. Viuite fœlices quibus est fortuna peracta Iam sua. Aliquādo significat quod dat fœlicitatem. Virg. Sis bonus o fœlix tuis. Fœlix quandoque fœcundum significat, quare fœlices arbores dicimus: & infœlices, fructum non ferentes: hinc etiam fœlicito verbum, quod est fœlicem facio. Cuius oppositū infœlicito, hoc est infœlicem facio.

Menander.

δρυὸς πεσούσης, πᾶς ἀνὴρ ξύλη ὕεται. id est,
Quercu cadente, omnis uir ligna comburit. idem.
δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυστυχεῖς, τοὺς δὲ εὐτυχεῖς. id est,
Oportet hos quidem esse infœlices, hos uero fœlices. idē.
ἐπ' ἀνδρὶ δυστυχοῦντι μὴ πλάσῃς κακόν. id est,
In uirum infœlicem ne obijcias malum. idem.
ἐξ ἡδονῆς γὰρ φύεται τὸ δυστυχεῖν. id est,
Ex uoluptate enim nascitur infœliciter agere. idem.
μὴ ἔμβαινε δυστυχοῦντι, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη. id est,
Ne insulta infœlici, communis enim fortuna. idem.
μηδέποτε σαυτὸν δυστυχῶν, ἀπελπίσῃς id est,
Nunquā de teipso infœliciter agens desperabis. idem.
νόμιζε κοινὰ πάντα δυστυχήματα id est,
Existima communes omnes infœlicitates. idem.
οἴμοι τὸ γὰρ ἀφνὼ δυστυχεῖν, μανίαν ποιεῖ. id est,
Heu mihi, repēte infœliciter agere, insaniā gignit. idem.
τῶν δυστυχούντων, εὐτυχὴς οὐδεὶς φίλος. id est,
Infœlicium, fortunatus nullus amicus.

Claudia. de uicto. Stiliconis contra Alaricum.

Quæ uindicta prior, quā cùm formido superbos
Flectit, & assuetum spolijs affligit egestas?

Infortunium græcè συμφορά. ας. ἡ. dicitur. Et est cùm aliquid magnum malorum euenit, secundum Arist. libro secundo Physicorum.

Ingenium græcè εὐφυΐα. ας. ἡ. εὐφυής. έος. ὁ. ἡ. industrius, & ingeniosus dicitur. Est autem ingenium extensio intellectus ad intellectorum cognitionem. Ingeniū significat propriè naturam cuique ingenitam. Terent. Nam qui cum ingenijs cōflictatur eiusmodi, id est, cum hominibus eiusmodi naturæ. Huius diminutiuum est ingeniolum. Item ingenuus, qui libera matre natus, nec postea seruus factus est, est & relatiuum libertini. Hinc etiam ingenuitas, quæ est contraria libertinitati.

Ecclesiast. cap. 25.

Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus & consilium.

Aug. ad Mace. epist. 1.

Non ego meo ingenio vel merito, sed eius dono sum, si quid laudabile sum. Nam quędam acutissima & excellentissima ingenia tāto in maiori errant, quanto confidentius tanquam suis viribus cucurrerint, nec suppliciter ac veraciter Deum, vt vitam sibi ostenderet, petiuerūt.

Hieronymus super illud Ecclesiastici 11. Breuis in uolatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.

Apis acriter pungit, & mel conficit, sic paruo corpore anima ingeniosa & acerrima viget, & doctrinæ suauitatem profert.

Gregorius super illud Prouerbiorum 30. Stellio manibus nititur.

Dum ingeniosi per negligentiam in malis remanent, simplices quos ingenij penna nō adiuuat, ad obtinenda regni ęterni mœnia virtus operationis leuat.

Ioannes Chrysost. super illud Matthæi 25. Abiens fodit in terram.

Abscondere talentum in terra, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, & non lucrum spirituale acquirere.

Bernardus in Apologo.

Semper in robusto & vegetato corpore animus mollior iacet atq; tepidum cor, & rursum in cor-

in corpore debili & infirmo fortior viget & promptior spiritus.

Boet. lib. 5. de Con.

Omne quod cognoscitur, non secundū vim sui, sed secundum cognoscentis potius comprehendit facultatem.

Ibidem.

Omne quod inest sensibus, si ad rationem referas, vniuersale est: si ad sensum, particulare. Vniuersale est, dum intelligitur, particulare, dum sentitur.

Caßiod. lib. 4. epist.

Aegrescit profectò ingenium, nisi vigilatione reparetur. Cito expediunt horrea, quæ assidua non fuerint adiectione suffulta. Thesaurus ipse quàm facilè profunditur, si nullis iterū pecunijs completur: sic humanus sensus cum alieno non sarcitur inuento, cito potest attenuari de proprio.

Seneca epist. 67. ad Clarianum.

Potest ingenium fortissimum ac beatissimū sub qualibet cute latere, potest ex deformi humiliq; corpusculo formosus animus ac magnus exire. Nó enim deformitate corporis fœdatur animus, sed pulchritudine animi corp⁹ ornat̄.

Seneca de tranquillitate animi.

Nullum ingenium potest esse magnum, antequam habeat aliquid admixtum de furia.

Idem Tragœdia 4.

Ingenia melius recta in laudes se ferunt, si nobilem animum vegeta libertas alit.

Aristo. 2. Metaphy.

Quicquid intellectus intelligit, idem finit.

Idem lib. 11. Metaphy.

Speculatio est bonum & optimum, acceptissimum & delectabilissimum.

Ex libris Empedoclis.

Tria sunt quæ in tota rerum varietate excellentissimum diuinæ munificentiæ donum (scilicet philosophiam) extollant: Nobilis affluentiæ conceptus: futuræ fœlicitatis appetitus: mētis illustratio. Quorum primo nihil honestius, secūdo nihil facilius, tertio nihil ad amborum compendiosam adeptionem efficacius.

Salustius in Iugurthino.

Igitur præclara facies, diuitiæ, ad hæc vis corporis, & alia huiuscemodi omnia breui dilabūtur: at ingenij egregia facinora, sicut anima, immortalia sunt: postremo corporis & fortunæ bonorum, vt initium, sic finis.

Ibidem.

Inter bonas artes integrum ingenium breui adolet.

Ibidem.

Ingenium vbi intenderis, valet.

Cornelius Tacitus.

Punitis ingenijs gliscit authoritas.

Quintil. instit. orat. libro 1.

Ingeniorum velut præcox genus, non temerè vnquam peruenit ad frugem.

Plautus in Pœnulo.

Inuidia nunquam in me nata est, neq; malitia mala, bono
ingenio me esse ornatum, quàm auro multo malo.

Ouid. lib. 6. Metamor. fabula 6.

- Grande doloris.
Ingenium est, miserisq; uenit solertia rebus.

Idem lib. 15. fab. 2.

Carne feræ sedant ieiunia, nec tamen omnes,
Quippe equus & pecudes, armentaq; gramine uiuunt.
At quibus ingenium est immansuetumq; ferumq;,
Armeniæ tigres, iracundiq; leones,
Cumq; lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.

Idem lib. 3. Amorum elegia 7.

An quisquam ingenuas etiam nunc suscipit artes,
Aut teneras dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaria est grandis habere nihil.

Ouid. epist. Hero. ad Leandrum

Fortius ingenium suspicor esse uiris.
Vt corpus teneris sic mens infirma puellis.

Ouid. Tristium lib. 3. Elegia 7.

Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingenijq; bonis.
En ego cùm patria caream, uobisq;, domoq;,
Raptaq; sint, adimi quæ potuere mihi:
Ingenio tamen ipse meo, comitorq; fruorq;:
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.

Idem 3. Tristium elegia ult.

Ingenium fregêre meum mala: cuius & antè
Fons infœcundus, paruaq; uena fuit.
Sed quæcunq; fuit, nullo exercente refugit.
Et longo perijt arida facta situ.

Idem 3. Tristium elegia 13.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quàm fuit ante minus.

Terentius in Heautontimorumeno comœ. 3.

Nihil est tam difficile, quin quærendo inuestigari poßit.

INgratitudo græcè ἀχαριστία. ας. ἡ. & ἀχάριστος ου. ὁ. ingratus dicitur. Est autem ingratitudo quælibet peccatum, quia tollit debitum gratitudinis, quod est debitum honestatis, ex bea. Thoma, secunda secundæ quæ. 107. articu. pri. Veniunt autem ingratitudo & ingratus à gratus, qui est memor beneficij accepti. Cuius cōtrarium est ingratus, & gratuitum, quod gratis datur. Et gratificor, quod est aliud, quàm gratum facio, licet vtrūque à gratum perducatur. Etenim gratū facere est quiddā minus, & propè idem quod obsequi, & inseruire. Gratificari verò est quiddam maius, & quasi idem quod beneficum esse, & beneficia cōferre. Quapropter deos non gratum facere, sed gratificari hominibus dicimus. Ab hoc gratificatus & gratificatio deducuntur.

Prouerbiorum cap. 17.

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.

August. in expositione Psal. 8. & hab. 23. q. 3. c. Sex differentiæ.

Sex differentiæ sunt. Reddere bona pro malis: Non reddere mala pro malis: hæc bonorum sunt, & prius melius. Nō reddere bona pro bonis, & reddere mala pro bonis: hæc duo malorum sunt, sed posterius deterius. Reddere bona pro bonis, & ꝑ malis mala, hæc duo mediocrium sunt, prius propinquum bonis, quod Christus non arguit, sed plus oportere dicit, quia ethnici hoc faciunt. Posterius propinquū malis, conuenit tamen etiam bonis. Vnde & lex modum vltionis statuit, oculum pro oculo: quæ (si dici potest) iniustorum iustitia est, non quia iniqua est vltio quam lex statuit: sed quia vitiosa libido vlciscendi: magisq; ad iudicem pertinet, hoc inter homines discernere, quàm bonum hominem sibi expetere. Hic em̄ malum pro malo redderet: iudex verò nō, sed dilectione iustitię iustum pro iniusto, quod est bonū pro malo, quod etiam Deus iudex facit.

Idem lib. de Pœnitentia, & hab. de pœn. distin. 5. c. Consideret.

Ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum non omnino timuit. In hoc enim quisq; peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit.

Ioannes Chrysost. super Matthæum.

Quanto maiora beneficia sunt hominibus constituta, tanto grauiora peccantibus iudicia.

Bernardus super Cantica.

Ingratitudo est hostis gratiæ, inimica salutis, quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodū ingratitudo.

Bernardus sermone 22.

Quanti fecit te Deus ex his quæ pro te factus est, agnosce, vt appareat tibi benignitas eius in humilitate. Quantò enim minorem se fecit in humilitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate, & quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Aduerte homo, quia limus es, & non sis superbus: & quia DEO iunctus es, non sis ingratus.

Bernardus sermone 35.

Gratiarum cessat discursus, vbi recursus nō fuerit. Nec modo nil augetur ingrato sed quod accipit vertitur ei in perniciem: infidelis in modico, non censetur dignus munere ampliori.

Idem sermone 52.

Peruersi cordis est occasiones ingratitudinis inuestigare. Nemo id facit, nisi qui etiam gratis est ingratus.

Cassiodorus lib. 2. epistola 16.

Nutriunt præmiorum exempla virtutes. Nō est quisquam qui ad morum summam nitatur ascendere, quādo irremuneratum relinquitur, quod conscientia teste laudatur.

Idem lib. 4. epist. 11.

Graue nimis, vt fructu laboris sui fraudetur industrius, & cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur iniustum. Et malorum omnium probatur extremum, vt inde quis cogatur detrimenta suscipere, vnde credebat auxilia prouenire, molestiā pati sine causa, pœnam sine culpa, damna sine delictis.

Idem lib. 7. epist. 22.

Indiscreti hominum mores confusiq; vagarentur, si aut culpa formidinem, aut virtus præmia non haberent.

Lactant. Firmianus, lib. 2. Diuinar. institut. aduersus gentes.

At verò si qua grauis necessitas presserit, tūc Dei recordantur. Si belli terror intremuerit, si morborum pestifera vis incubuit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauit, si tempestas, si grando ingruat, ad Deum confugitur, à DEO petitur auxilium, Deus vt subueniat oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactatur, hūc inuocat. Si ad extremā mendicandi necessitatem deductus, victū precibus exposcit, Deum solum obtestatur. Per eius vnicum atque diuinum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Nūquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquàm metus deseruit, & pericula recesserunt, Deo quem ante in sua ipsa necessitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt.

Idem ibidem.

Nam tum Deus memoria hominum maximè elabitur, cum beneficijs eius fruentes, honorē dare diuinæ intelligentiæ debent.

Idem lib. 4. Diuin. instit. cap. 3.

Nam si diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus humanum sustentat, & quasi paterna indulgentia fouet: vult profectò gratiam sibi referri, & honorem dari. Nec constare homini ratio pietatis potest, si cælestibus beneficijs extiterit ingratus, quod nō est vtiq; sapientis.

Seneca libro de beneficijs.

Officium liberalitatis, vide in Liberalitas.

Seneca in epistola.

Quidam quo plus debent, magis oderunt: Leue æs alienum, debitorem facit grauem inimicum.

Ibidem.

Quereris incidisse te in hominem ingratum: Si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia: ita ne apud alium pereant, & apud te peribunt.

Idem ibidem.

Ingrati esse vitemus non aliena causa, sed nostra.

Ibidem.

Venenum quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſua læſione continent: nõ ita vitium ingratitudinis continetur. Torquet ſe ingratus, & macerat, oditq́; accepta (quia redditurus eſt) & extenuat, iniurias verò dilatat atque auget.

Ibidem.

Quid aũt eſt eo miſerius, cui beneficia excidunt, hærent iniuriæ?

Ibidem.

Quæris quid ſit quod obliuionem nobis acceptorum faciat? cupiditas accipiendorum. Cogitamus non quid impetratum, ſed quid petendum ſit: neſcimus æſtimare res, de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandũ eſt.

Ibidem.

Eo productururus eſt furor, vt periculoſiſsima res ſit beneficia in aliquem magna conferre. Nam quia putat turpe nõ reddere, non vult eſſe cui credat: habe quod accepiſti, non repeto, nõ exigo, profuiſſe tutum eſt.

Idem lib. de Beneficijs.

Non referre gratiam de beneficio, turpe eſt.

Ibidem.

Per ſe fugienda eſt res, ingratum eſſe: quoniã nil æquè concordiam humani generis diſſociat ac diſtrahit, quàm hoc vitium.

Ibidem.

Vir bonus omnia rectè facit. Si omnia rectè facit ingratus eſſe non poteſt.

Ibidem.

Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel.

Ibidem.

Nec mirum eſt inter plura maximaque vitia nullum eſſe frequẽtius quàm ingrati animi. Id euenire ex cauſis plurimis video. Prima, quia nõ eligimus dignos quibus tribuamus, ſed nomina facturi, diligẽter patrimonium, & vitam debitoris inquirimus.

Idem.

Quiſquis de accipiendo cogitat, oblitus accepti eſt, nec vllum habet malum maius cupiditas quàm quod ingrata eſt.

Idem.

Sapiens non cupit habere gratiam, ſed cupit referre. Errat ſi quis leuius beneficium accipit, quàm reddit.

Idem.

Quanto hilarior eſt qui ſoluit quod mutuat, tanto debet lætior eſſe, qui ſe maximo ære alieno accepto exonerat, quàm cum maximè aſtringatur: tanto autem plus ſoluendum eſt, quanto tardius ſoluitur. Ingratus eſt qui beneficium ſoluit ſine vſura.

Idem.

Nihil charius æſtimamus, quàm beneficium quod diu petimus: nihil vilius, cùm accepimus.

M.T. Cicero lib. Officiorum.

Vix inuenitur qui laboribus ſuſceptis periculisq́; aditis non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.

Cicero lib. 3. de Legibus.

Clariſsimi viri Athenis pulſi, carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba maluerunt.

Cicero lib. de Amicitia.

Officia meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare is qui contulit.

Valerius Max. lib. 5. ti. de Grati.

Dandi & accipiendi beneficia, cõmercium, ſine quo vita hominum mors eſt, tollit: quiſq́ benemerito parem referre gratiam negligit.

Valerius Max. lib. 5. ti. de ingratis Lacedæmonijs erga Lycurgum.

Neminem Lycurgo aut maiorem aut vtiliorem virum Lacedæmonia genuit, vtpote cui Apollo Pythius oraculum petenti reſpondiſſe fertur, neſcire ſe vtrum illum hominũ an deorum numero aggregaret. Huic tamen neq; vitæ ſumma ſynceritas, neque conſtantiſsimus erga patriam amor, neque leges ſalubriter excogitatę auxilio eſſe potuerunt, quo minus infeſtos ciues experiretur. Sæpe enim laudibus petitus, aliquando eiectus publico foro, etiam priuatus oculo, ad vltimũ ipſa patria priuatus eſt. Quid aliæ facient vrbes? vbi etiam illa quæ conſtantiæ & moderationis & grauitatis ſibi laudem eximiam vendicat, tam ingrata aduerſus benemeritum extitit.

Menander.

ἀχαριστὸς ὅστις εὐπάθων ἀμνημονεῖ. id eſt.

Ingratus qui beneficio affectus obliuiſcitur.

Idem.

ἅμ' ἠλέηται καὶ τέθνηκεν χάρις. id eſt.

Simul collatum eſt, & mortuum eſt beneficium.

Idem.

Μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις. id eſt.

Poſt dationem celerrimè ſeneſcit beneficium.

Ex primo Epigrammatum.

Ouis lupum lactans ait.

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ πάλιν θήριον ἔσται·
ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται. id eſt.

Lupum ex proprijs mammis nutrio inuita,
Sed me cogit paſtoris ſtultitia:
Auctus enim à me contra me rurſus fera erit.
Beneficium mutare naturam non poteſt.

Lucianus.

φαῦλος ἀνὴρ πίθος ἐστὶ τετρημένος, εἰς ὃν ἁπάσας
ἄλλων τὰς χάριτας, εἰς κενὸν ἐξέχεας. id eſt.

Malus uir dolium eſt perforatum, in quod omnes
Immittens gratias, in uanum effudiſti.

Sopho-

Sophocles in Aiace furente.

ὁ τοῦδ' ἀπόῤῥει μνῆστις εὖ πεπόνθοτος, οὐκ
ἂν γένοιτο πωθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ. id est.

Qui autem obliuiscitur, beneficijs affectus,
Nunquam utiq; esset hic generosus uir.

Idem in eodem.

ὡς τάχιστα, τοῖς βρότοις
χάρις διαῤῥεῖ, καὶ προδοῦς ἁλίσκεται. id est.

Quàm cito mortalibus
Beneficium perit, & amissum deprehenditur.

Plautus in Persa.

Nam improbus est homo qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Nihil amas si ingratum amas.

Terentius in Phormione.

Ad hoc res redijt, si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

Ouidius in Epistola Medeæ ad Iasonem.

Debuit ingratis Scylla nocere uiris.

Franciscus Petrar. Soneto. 43.

Perche io t'habia guardato di menzogna
A mio poter & honorato assai.
Ingrata lingua, gia per ho non m'hai
Renduta honor, ma facto ira & uergogna.

Francisc. Pet. cant. 42. stantia 8.

Di bon seme mal frutto.
Mieto, & tal merito ha, ch'ingrato serue.

BENEFICIVM NON MVTAT NATVRAM.

Ianus Pannonius Episcopus Quinqueecclesiensis, vir doctissimus.

Agna lupum pasco proprijs inuita mamillis,
Pastoris fatui sed iubet imperium.
Nutritus per me, rursus scio sæuiet in me.
Vertere naturam gratia nulla potest.

Erasmus Roterodamus.

Lacto lupum uberibus proprijs, non sponte, sed horsum
Me demens adigit pastor, id ut faciam.
In me rursus erit fera, postquàm creuerit ex me.
Natura haud unquam uertitur officijs.

Vrsinus Velius.

Admoueo nolens catulo distenta Lupino
Vbera, eò me amens sed trahit upilio.
In me lacte meo nutritus sæuiet olim:
Flectere naturam gratia nulla potest.

Alciatus.

Capra meo non sponte lupum nunc ubere lacto,
Quod malè pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul me me post ubera poscet:
Improbitas nullo flectitur obsequio.

BENEFICIA IN INGRATOS collata turpiter pereunt.

Sophocles Tragicus.

ὡς τάχιστα τοῖς βρότοις χάρις διαῤῥεῖ. id est.

Quàm citò beneficium mortalibus perit.

Seneca.

Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit.

εἰς εὐχαρίστους καὶ ἀχαρίστους.

Lucianus lib. 1. Græcorum Epigrammatum.

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν βραδύνῃ
Πᾶσα χάρις κενεὴ, μὴ δὲ λέγοιτο χάρις.

Ausonius.

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia: namq;
Quum fieri properat gratia, grata magis.

Idem.

Si benè quid facis: facias citò: nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia grata magis.

Ἀδηλον.

Φαῦλος ἀνὴρ, πίθος ἐστὶ τετρημένος εἰς ὃν ἁπάσας
Ἀντλῶν τὰς χάριτας εἰς κενὸν ἐξέχεας.

Cornarius.

Pertusum uas est, ingratus homuncio: semper
Omne quod infundis perfluit in nihilum.

Luscinius.

Rimarum plenus perdit tua dona scelestus:
Si sapis integro uina reconde cado.

Erasmus in Chiliadibus.

Ale luporum catulos.

Ἀδέσποτον.

Τὸν λύκον ἰδίων μαζῶν τρέφω, οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ παλιθήριον ἔσται.
ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Ex Theocrito desumptum, lib. 1. Epigrāmatum Græcorum. Eorum autem interpretationem habes paulò suprà, ex Erasmo, Vrsino, & Alciato.

INGRATITVDO MAXIMVM VItium, atq; ob id Deo & hominibus exosum maximè habetur.

Ex Xenophonte, de dictis & factis Socratis.

An ignoras, quod ciuitas quoq; aliam quidē non nimium curat ingratitudinem, nec in iudicium compellit, sed despicit, si quis beneficijs acceptis non reddat gratias. Si quis verò parentes non obseruet, hunc in iudicium compellit ac reprobat, magistratibusq; omnibus indignū existimat, tanquam ab illo non possint neque sacrificia piè sacrificari, nec aliud quippiam benè aut iustè agi: nec solus hoc, sed etiam si quis parentum defunctorum sepulchra non ornet. Hoc etiam ciuitas inuestigat in electionibus magistratuum.

Xenophon de Pædia Cyri.

In illum item animaduertunt, quem minus iurè accusantem inuenerint: & de illo crimine iudicium faciunt, quod est in causa, vt se homines odio mutuo insectententur quàm maximè: nam vehementer causam agunt ingratitudinis. Et quem cognorint posse referre gratiam, nec

refert, in hunc seuerissimè animaduertũt: Quippe qui arbitrãtur eos, qui sunt ingrati, & Deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem verò potissimum impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima est dux.

INGRATITVDO LIBERORVM
erga parentes sugillatio acris.

De Socratis dictis ac factis
Xenophon.

Sentiens autem aliquãdo suum filium Lambrocheum, qui maior natu erat, matri suæ iratum: Dic mihi ô fili, ait, cognouistíne vnquam homines quosdam, qui appellantur ingrati? Ita prorsus, inquit. Considerasti igitur, quos homines, & cũ quid agant, hoc nomine appellant? Consideraui, ait. Illos namq; qui beneficijs acceptis non reddunt gratias, cum possint, ingratos appellant. Hos verò ingratos, cum iniuriosis connumerandos esse putas? Ita, inquit. Quid verò, considerastíne vnquam mancipare amicos iniustum esse, inimicos iustum? Sic etiam ingratum esse erga quidem amicos iniustum, erga verò inimicos iustum? Omnino, ait, consideraui, ac mihi apparet à quocunque quispiam beneficijs affectus, siue amico siue inimico, non conatur gratias reddere, iniustus esse. Si igitur hæc tibi vera videntur, manifesta iniuria ingratitudo esset profectò, concessit. Quantò ergo maioribus quisq; beneficijs accceptis nõ reddit, tantò iniustior esset: & hoc etiam concessit. Quos igitur, aut à quibus putas maioribus beneficijs affici, quàm liberos à parẽtibus? quibus, primò vt sint & viuant: deinde vt tot bona videant, illorumq; participes fiant, quæcunq; dij hominibus præbent, parentes causa fuerunt: quæ tam magna existimatione digna omnes arbitramur, vt priuationem illorũ magis, quàm alia fugiamus. Ciuitates quoque pro maxima pœna delictis in maximis mortem sanxerunt, tanquam maioris mali timore non possint iniurias coërcere: non putes velim propter venereas res homines filios procreare, cum ad hunc feruorem libidinis soluendum, nõ parua sine labore, muneréue vxorio facultas existat: Quapropter non parum cogitamus, à quibus mulieribus quàm optimi filij nobis propagari possint: quibus cùm tales inueniantur conuenientes, prolem procreamus. Et vir quidem ipsam vxorem, ex qua suscepturus est liberos, alit, futuris quoq; liberis omnia præparat, quæcunque conductura eis ad vitam putet: & hæc quàm plurima possit. Mulier verò concipiens tolerat hoc onus cum grauamine, & periculis vitæ, alimento suo nutriens puerum, magno multoque labore vsque ad partum perueniens: posteà etiam nutrit, atque pro eo procurat, à quo tamẽ nunquam antea beneficij quicquam acceperat, quique non modò ignorat, qui ei benè facit, sed neque declarare potest, quibus indigeat. Mater verò per coniecturam, quæ conducant, quæque grata sint eis conatur adimplere, multoq; tempore nutrit, diu noctuq; laboribus affecta: ignorans quam istorum omnium mercedem habitura sit. Et non sufficit solùm nutrire, sed cum videntur filij posse discere quicquam, quæcunque ipsemet parentes ad vitam vtilia habent, docent: quæ verò putãt alium magis posse docere, pro his ad illum liberos, vt doceantur, mittunt: cum sumptibus, omnibusque modis procurant, vt quàm optimi eis liberi efficiantur. Tu itaque hîc si compos es mentis, & Deos, vt tibi ignoscant, exórabis: si quid matrem neglexisti, ne ingratum te esse existiment, nec benè facere velint: Deinde si homines te ingratum cognouerint erga parentes, pro nihilo habebunt, nullusque putaberis pro susceptis beneficijs fore in referenda gratia memorem.

Officiũ viri.

INGRATI VT PESTILENTES FV-
giendi, nihil enim illis sceleratius est.

Petrus Crinitus, libro 2. poëmatum, de
fugiendis ingratis.

Ingratus est uitandus, ut dirum scelus:
Nil cogitare pestilentius potest,
Nec esse portentosius quicquam puto.
Ingratus aut malè facit, aut malè cogitat,
Sibiq; tantùm parcit, alijs detrahit:
Et odit omneis, qui bonis benefaciunt.
Ingratus est audacior, quò nequior:
Et impudens ad omnia scelera trahitur,
Audaxq; cuncta semper in peius mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium:
Hinc est auara mens & animus perditus:
Hinc fastus impotens, & ambitus grauis.
Ingratus hoc unum benefacit: cùm perit:
Nam tellus ipsa fœdius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum.

Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Cuius contrarium, Ingratitudo.

Herodotus lib. 1. historiarum.

ἕπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἀναισχυντία, καὶ γὰρ αὐτὴ δοκεῖ εἶναι μεγίστη ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. Id est:

Ingratitudini verò potissimum impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est.

INGRATVS ERGA PARENTES
citò perit, superstitibus parentibus.
Exemplum de Hippotheo, Iliados
Homeri ρ.

οὐδὲ τοκεῦσι
θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών. id est.

Ast neq; nutricandi grata parentibus ille
Reddidit officia, sed ei breue contigit æuum.

Κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν.

Aries nutricationis mercedem persoluit.

Prouerbium quadrat: vbi quis pro benefactis maleficium reponit. Allegoria sumpta ab eo, quod aries cornib9 impetat alueum, aut vas, in quo pabulum apponitur, ipsósque, quorum opera nutritus est, aut etiam nutritur, cornibus incessit. Effertur & ad hunc modum: κριοῦ διακονία. Id est: Arietis ministerium: pro officio collocato in ingratum, qui beneficium iniuria penset. Huic affine, quod apud Aristophanem in Vespis ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον. Id est: Vallus vitē.

Plautus.

Si quid iuues, pluma leuior gratia, si quid offendas, plumbeas iras gerunt.

Prouerbium Erasmi, Chiliadis tertiæ, Centuria 3.

Qui canem alit externum.

Qui canem alit peregrinum, huic præter linum nihil fit reliqui. ὃς κύνα τρέφει ξένον τούτῳ μόνον λῖνος μένει, id est. Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operam. Nam canis alienus, relicto fune, quo alligatur, pristinum dominū repetit. Sapit & hoc vulgare quiddam mea quidem sententia.

Alere luporum catulos.

Prouerbium sumptum ex Hodœporis Theocriti, θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγοντι. Id est: Pasce canes, qui te lanient, catulosq; luporum. In eos conuenit, qui læduntur ab ijs, de quibus benè meriti sunt: aut in ingratos. Dictū Socratis κακοὺς ποιῶν εὖ, θρέψαι λύκους. Malis faciens benè, nutrit lupos: Nam plerunq; solet id vsu uenire illis, qui catulos luporum enutriunt.

Pro beneficentia Agamemnonem vlti sunt Achiui, ἀντ' εὐεργεσίας ἀγαμέμνονα ἄχαιοι. Id est: Pro meritis malè tractarunt Agamemnona Græci. In ingratos, qui pro summo beneficio, summum remetiuntur maleficium. Atque hoc ferè accidit viris de Republica benè meritis: vt pro benefactis, pessimam gratiam retulerint.

Ingratitudo uulgi.

Non habetur ratio collatorum officiorum: ob id nunc nihil melius, quàm abstinere à collatione beneficiorum, cum nulla sit hominum gratitudo, & sæpe pro perca scorpium quis auferat.

Homerus Odissecæ ε.

Μήτις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
Σκηπτοῦχος βασιλεὺς μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδὼς
Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ ἄσιλα ῥέζοι. id est:

Posthac ne placidus sit quisquam, neue benignus,
Nec mitis, iustiq; tenax, rex sceptriger unquam:
Sed semper ferus esto, & semper iniqua patrato.

Erasmus Chiliadis tertiæ, Cent. 1.

ἅμ' ἤλεηται καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις. id est:

Simul & misertum est, interijtq; gratia.

Senarius prouerbialis apud Zenodotum: dicti solitus in ingratum, qui simul atq; leuatus est malis, desinit meminisse beneficiorum eius, cuius opera restitutus est, iuxta illud: Si dolet, meminit, si placet obliuiscitur, quum contra admonet prouerbiū: χάριν λαβὼν μέμνησο, δοὺς ἐπιλάθου, id est: Memineris accepti, dati obliuiscere.

Seneca in Moralibus:

Beneficij accepti meminisse oportere, dati obliuisci.

At nunc ita sunt hominum ingenia, vt fragilis sit beneficiorum memoria, iniuriarum tenax. ἀεὶ δ' ὁ σωθεὶς ἐστὶν ἀχάριστος φύσει. id est: Seruatus vsq; ingratus est, & immemor. & μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις, id est: Post munus ilico consenescit gratia.

EXEMPLA INGRATITVDINIS *paßim ex sacris literis excerpta.*

Genesis cap. 17.

Agar, quia beneficia dominæ suæ acceperat, eleuata est contra eam: & beneficij reperta ingrata, à scriptura reprehenditur, & extra domū eijcitur.

Genesis cap. 31.

Ingratus fuit Laban Iacob pro benedictione, qua benedixit illi Deus propter Iacob.

Ibidem, cap. 40.

Præpositus, cui per somnij interpretationem vitam addixerat Ioseph, liberatus illius obliuiscitur.

Iudicum 2.

Angelus improperauit filijs Israël ingratitudinem.

2 Regum 10.

Filij Amon ingrati Dauid, in eo, quod præsciderunt vestimenta nuncij illius in dedecus.

1. Regum 19.

Saul ingratus Dauid pro beneficijs suis.

Ibidem, cap. 32.

Saluauit Dauid habitatores Zeilæ, & tamen voluerunt eum tradere in manus Saul.

2. Regum 11.

Ingratus est Dauid Vriæ, quando stuprata illius vxore, dedit illum in necem.

2. Regum 15.

Absalon ingratus est patri suo.

4. Regum 12.

Ingratus DEO Hieroboam, eo quòd in regnum sublimatus, abduxit populum à vero cultu DEI.

4. Regum 6.

Helisæus multa bona fecerat regi, qui tamen sollicitauit necem prophetæ cupiens occidere.

2. Paralip. 24.

Ioas rex occidit filium Ioiadæ sacerdotis, imme-

immemor beneficiorum, quæ cõtulit in illum Ioada sacerdos.

Ibidem.

Amasias rex liberatus ab hoste Domini manu: sed immemor Dei, adorat idola.

Hester 16.

Multi bonitate principum & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam, nec contenti non agere gratias pro beneficijs, & humanitatis iura in se violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse effugere sententiam.

Sapientiæ 16.

Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperibit tanquam aqua superuacua.

Esaiæ cap. 2.

Filios enutriui, & ipsi spreuerunt me. Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit.

1. Machab. 12.

Misit Ionathas fortes viros, qui liberauerunt regem, & postea abalienauit se Demetrius Rex à Ionatha, & non retribuit ei secundum beneficia, quæ sibi tribuerat, sed vexabat eum valde.

Matthæi 19.

Seruus ingratus mittitur in tenebras exteriores.

Ibidem 21.

Quia ingrati estis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Ibidem 23.

Hierusalẽ, quia ingrata, & occidit prophetas, funditus subuersa est.

Lucæ 17.

Reprehenduntur nouem leprosi, qui non dederunt gloriam Deo.

2. Timoth. 3.

Nota obsecro. Inter pestes flagitiorum, quæ adhærebunt posterioris huius seculi hominibus, erit etiam ingratitudo.

Actorum cap. 15.

Ingrati fuerũt D. Paulo parentes Phytonissę.

De malo angelo, Sabellicus lib. 7. cap. 2.

Ingratitudo primi angeli. Sed quid hoc? Lucifer, qui multò nobilior sanctiorq; fuit homine, nisi ingrato fuisset animo, nunquam meditari cœpisset altius scandere: Quod ingratè magis, an impiè cogitarit, difficile est iudicare.

De Adamo protoplasto.

Pari exemplo, sed euentu minus atroci, primus homo concidit terrestribus delicijs, & immortalitate corporis amissa, creatoris sui immemor fuit: Quippe, qui plus scire voluit, quàm hominem oportebat, sed noxa hæc minus infelix, quia redemptorem inuenit. Genesis 2. Oseæ 4.

EXEMPLA INGRATORVM HOminum, *ex historijs undequaq; extracta, Item & poëtis ac alijs.*

Theseus Ariadnam Minois filiam, cuius beneficio labyrinthum euaserat, reliquit in Chio insula.

Ouidius lib. 8. Metamorph.

Comitemq; suam crudelis in illo littore destituit.

Calentius.

Credidit infelix crudeli Gnosia Thesæo,
Et gemuit rapidis præda relicta lupis.

Comment. in Odiss. α. & Iliad. ε.

Boccatius lib. 11. cap. 29.

Sabellicus lib. 7. cap. 2. de Ingratitudine.

Nec meliore exemplo, exitúue minus luctuoso, Theseus Ariadnam, per quam Minotauri laniatum effugit, suos ciues seruauit, patriam exitio exemit, in Naxo insula reliquit, captus sororis forma: à cuius connubio si abstinuisset, nec ipse filio orbatus esset, nec Aegei penates incęsti amoris sugillati fuissent affectu.

M. Portius Cato seruos senio confectos, tanquam bruta solebat eijcere & exponere venales.

Herodotus lib. 1. historiarum.

Crœsus Lydorum rex, Cyrum Persarum regem, à quo primum victus, & impunitatem, & veniam acceperat, armis iterum lacessiuit.

Pharnaces in amicitiam à Pompeio receptus, Mithridati patri suo bellum intulit.

Valerius de ingratis, lib. 5. cap. 3.

Romani Scipionem illum Affricanum, cuius auspicio æmulam sui imperij Carthaginem sub iugum redegerant, & Hasdrubalem superauerant, accusatum à Petilio in ius vocauerunt, atque proscripserunt, quod pecuniam Asiaticam non totam in ærarium retulisset.

Stroza filius.

Heu nihil ingratæ fas quenquam fidere plebi,
Testis Aristides, & qui Barcæa subegit
Castella, & uictis accepit nomen ab Afris.

Ludouicus Pius Caroli Magni filius, à filijs in carcerem coniectus est. Ioannes Nauclerus, 2. volum. 1. Chronographiæ, gen. 28.

Beatrix Pannoniæ regina, mortuo marito Mathia, Vladislaum Casimiri Poloniæ regis filium in matrimonium & regnũ adsciuit, à quo tamen breui pòst tempore abdicata est.

Fulgosus lib. 5. cap. 3. de ingratis.

Iustinianus Imperator Belisarium ducẽ exoculauit: cuius tamen ductu Persas in Oriente, Vandalos in Africa, & Gothos in Italia superauerat.

Vox mendicantis: numum pusillum Bellisario date, qui virtutem extulit, atque in imum inuidiam coniecit.

Sanctius Quartus rex Hispaniæ Alphonsum patrem

patrem è Germania redeuntem, regno occupato, non admisit.

Frissus filius Actij Ferrariæ principis, patrē in carcerem coniectum, ibidem mori coëgit, ob inductam nouercam.

Valerius lib.3. cap.2. de ingratis.

Cicero iussu M. Antonij Triumuiri, interfectus est à Popilio Lenate, quē tamen capitis reum defenderat.

Lucius Ostius, tempore bellorum ciuilium, patrem suum Armalim proscriptū, quem Triumuiri ad supplicium perquirebant, latentem prodidit, vt eius bona acciperet.

Darius consilium cœpit de interficiendo patre Artaxerxe, à quo tamen rex per indulgentiam creatus fuerat.

Imperator Heinricus 5. Heinricum patrem carcere macerauit.

Alphonsus 1. rex Lusitaniæ Tiresiam matrem in vincula coniecit, quòd post mariti mortem secundas tentasset nuptias.

Phraates patrem suum Orodem regem Parthorum interfecit.

Romanus iunior matrem à se reiecit, & animi dolore, quem illa de filij ingratitudine conceperat, ad mortem compulit.

Ioannes Scotus, cū bonas literas profiteretur in Anglia, discipulorum coniuratione graphijs interfectus est.

Michaël Traulus Leonem Imperatorem de medio sustulit, cuius tamen beneficio multas fuerat assecutus dignitates.

HVMANVS Inhumanitas græcè ἀπανθρωπία. ας. ἡ. & ἀπάνθρωπος. ȣ. ὁ. inhumanus dicitur. Est autē inhumanitas obduratio contra misericordiam, ex bea. Tho. secunda secundæ quæ. 156. articu. De hac materia vide suprà in Humanitas.

Inimicitia græcè ἔχθρα. ας. ἡ. & ἐχθρός. οῦ. ὁ. inimicus dicitur. Est autem inimicitia ira, vlciscendi tempus obseruans, secundum Ciceronem libro Tuscula. q.

Inimicus est contrariū de amicus. Is verò dicitur amicus, qui amat, & indissolubili familiaritatis iure coniunctus est. Differūt aūt amicus & amator, quod amicus ab amando appellatus est, & honesta quidem res est, & eū signat cum quo vera amicitia cōiunctus est. Amatorē quippe dicimus, qui ad tempus & Venereè amat.

Ab amico amicitia deriuatur, quæ quid sit, vide suprà in Amicitia. Huius oppositum est inimicitiæ plurali numero, quanquam veteres etiam singulari nonnunquam protulerunt.

Ennius.

Amicitiā atq; inimicitiā in frōte, pmptè gero.

Homerus in χ Iliados, uerba sunt Achillis ad Hectorem.

ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.
ὣς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλημέναι. id est,

Quemadmodum non est leonibus & hominibus iusiurandum fidum.
Et neq; lupi & agni concordem animum habent.
Sed mala cogitant utriq; inter se:
Sic non erit te & me mutuo amari.

Periander.

ἀτυχίαν κρύπτε, ἵνα μὴ τοὺς ἐχθροὺς εὐφράνης. id est
Infœlicitatem occulta, ne inimicos lætitia afficias.

Pittacus.

μηδὲ τὸν ἐχθρὸν φίλον, ἥγȣ. id est,
Neq; inimicum amicum tibi existima. *idem.*

ἔχθραν διαλύε. id est, Inimicitiam dissolue.

Menander.

ἀθάνατον ἔχθραν μὴ φύλαττε, θνητὸς ὤν. id est,
Immortalem inimicitiam ne retine mortalis existens.

Idem.

ἐχθροὺς ἀμύνου μὴ ἐπὶ τῇ σαυτοῦ βλάβῃ. id est,
Inimicos ulciscere, non in tuo damno. *Idem.*

ἐχθροῖς ἀπιστῶν, οὔποτ' ἂν πάθοις βλάβην id est,
Inimicis non credens, nunquam utiq; damno afficieris.

Idem.

λόγον παρ' ἐχθροῦ, μήποθ' ἡγήσῃ φίλον id est,
Sermonem ab inimico nunquam putabis amicum.

Iniquitas græcè ἀνομία. ας. ἡ. & ἄνομος. ȣ. ὁ. ἡ. iniquus dicitur. Est aūt iniquitas propriè in pximū, peccatū aūt in seipsum. Impropriè verò sunt idem ex b. Tho. prima secundę q. 33. art. 1. De hac materia habes infrà vbi Peccatum.

Iniuria græcè ἀδικία. ας. ἡ. & ἀδικέω iniurior dicitur. Est enim iniuria omne quod nō fit iure, vt habetur 14. q. 4. c. Quid dicam.

Iniuriam facere est simpliciter aliquem nolētem lædere, & scientem quem, & quo, & quomodo præter illius voluntatem secundum Aristotelem lib. 5. Ethicorum.

Iniuriā pati est, cùm à volentibus iniusta inferuntur, secundum Arist. lib. 1. Rhetoricorū.

Iniuriari est sponte præter leges officere. Vt ibidem.

Iniuria venit à iure, eo quod non fiat iure.

Iniuria propriè (vt Vlpianus sentit) est iniquitas atq; iniustitia. Nam cùm quis iniquè vel iniustè sententiam dixit, iniuriam dixisse manifestum est, quasi non iuriam.

Iniuria etiam aduerbialiter ponitur, hoc est sine causa & immeritò quemadmodū iure pro merito accipi solet. Cicer. Neq; iniuria factum est: hoc est non sine causa, non immeritò. Quādoq; pro contumelia ponitur. Plinius: Tot ab eo iniurijs affectus sum, tot cō uitijs lacessitus. Quandoq; pro damno ponitur. Pacu. Patior facilè iniuriam, si est vacua contumelia. Hinc iniurior & iniurius, qui alicui iniuriam facit. Et iniuriosus, contumeliosus.

Matthæi cap. 5.

Omnis q irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit cõsilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Idem cap. 6.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Idem cap. 18.

Accedens Petrus ad Iesum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittã ei: usq; septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagesies septies.

Lucas cap. 6.

Dimittite & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura qua mẽsi fueritis, remetietur & vobis.

Augustinus super Psalm. 102. & habetur 11. q. 3. Qui iustus.

Qui iustus est & iniustè maledicitur, premiũ illi redditur.

Idem in hom. & habetur 14. q. 5 Fortè aliquis.

Forte aliquis cogitat & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari cupidi, non habeo peccatũ si suum illis abstulero, & pauperibus dedero, vnde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero. Sed huiusmodi cogitatio à diaboli calliditate suggeretur: nam si totũ tribuat pauperibus quod abstulerat, addit potius peccatũ quàm minuat.

Idem de uerbis Domini tractatu 35. & habetur 14. q. Nolite.

Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & vsuris.

Idem & habetur ibidem. Immolans.

Immolans ex iniquo, oblatio est maculata. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorũ eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in cõspectu patris sui. Panis egentium vita pauperis est. Qui defraudat illum homo sanguinis est. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit, necessariò fratres sunt.

Idem de uerbis domini, tractans illud Apostoli: Donantes uobismetipsis.

Dicit Dominus: Dimitte, & dimittetur tibi. Si ego prior dimisi, dimitte illis posteà: nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid dimiseram replicabo tibi.

Hieronymus libro 3. super Matth. Si peccauerit in te frater tuus.

Nos in Dei iniuria benigni sumus, & in nostris contumelijs exercemus odia.

Idem super illud: Si non remiseritis de cordibus uestris.

O formidolosa sentẽtia, si parua fratrib. nõ dimittimus, magna nobis à Deo nõ dimittẽtur.

Ambrosius libro de Officijs, & habetur 14. q. 5. Deniq;.

Deniq; si non potest subueniri alteri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari quàm grauari alterũ. Ideoq; in causis pecuniarijs interuenire non est sacerdotale, in quibus nõ potest fieri quin alter lædatur frequenter qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victũ arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus.

Ibidem.

Qui non repellit à socio si potest iniuriam, tam est in vitio, quàm ille qui infert.

Gregorius Ianuario episcopo, & habetur 24. q. 4. Inter querelas.

Nil te cogitare de cœlestibus ostẽdis, sed terrenam te habere conuersationem significas, dũ pro vindicta propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexisti.

Ioannes Chrysosto. super illud Matth. 5. Qui dixerit fratri suo. Fatue.

Parua verba multoties homicidium perpetrauerunt, & ciuitates integras euerterunt. Nũquam paruum estimes fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam & intellectum, quo homines sumus & ab irrationabilibus distamus.

Ibidem super Matthæum.

Quicquid à quolibet hominum passi fuerimus iniustè, aut remissionem accipiemus omnium peccatorum, aut si tanta in nobis delicta nõ fuerint, clarioribus honorabimur coronis.

Ibidem.

Si vindicare vis, sile, & funestam ei dedisti plagam. *3. Idẽ super Ipaulu.*

Ibidem.

Discamus exemplo Christi nostras iniurias magnanimiter sustinere, Dei autẽ iniurias, nec vsq; ad auditum sufferre: nam si in iniurijs proprijs patientiam tenere laudabile est, iniurias autem Dei sustinere nimis impium est.

Isidorus.

Iniuria est verbo vel facto cum aliquo iniustè agere, exprobrare est in faciem maledicere.

Cassio. super illud Psal. Conculcauerunt.

Grauissimum genus iniuriæ est, vsque ad pedem contumeliæ peruenire.

Rabanus super illud Matthæi 5. Gaudete & exultate.

Nescio quis nostrûm possit implere, vt laceretur

retur opprobrijs fama nostra, & exultemus in Domino. Eleganter enim in quodam volumine legimus, quod si non quæras gloriam, tamē dolebis cùm inglorius fueris.

Seneca in Prouerbijs.

Viri boni est scire pati, nec facere iniuriam.

Ibidem.

Difficile est iniuriam cōuenire cū patientia.

Ibidem.

Iniuriarum remedium est obliuio.

M. T. Cicero lib. Rhetoricorum.

In omni iniuria multum interest, vtrum perturbatione animi, an consultè fiat. Perturbatio plerunq; breuis est, & ad tempus: ideo leuiora sunt quę repentino motu accidunt, quā ea quę præmeditata inferuntur.

Idem libro Officio.

Qui non defendit, nec obsistit iniurię si potest, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.

Idem libro Officio.

Nec verò rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda, sed fugienda iniuria semper est.

Ibidem.

Cùm autem duobus modis, i. aut vi, aut fraude fiat iniuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur, vtrūq; ab homine alienissimū est. Sed fraus odio digna maiore. Totius aūt iniustitiæ nulla capitalior est q̄ eorum, qui cùm maximè fallunt, id agunt vti boni viri videantur.

Salustius in Catilinario.

Nulli mortalium iniuriæ suæ paruæ videntur. Multi eas grauius æquo habuere.

Idem in Iugurtha.

In omni certamine qui opulētior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur.

Valerius Maximus libro 4.

Speciosius aliquanto iniuriæ, beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pēsantur.

Aulus Gellius noctium atticarū. lib. 18.

Veterem ferendo iniuriam, vites nouam.

Aristoteles libro 1. Ethicorum.

Iniuriam pati melius est, quàm alteri nocere.

Lucius Apuleius de dogmate Platonis.

Sapientem perfectū esse non posse, dicit Plato, nisi cæteris ingenio præstet & artibus, & potentiæ partibus imbutus sit. Deniq; sapiens nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis, cùm se ornamētis suis ita instructum sciat, vt ab his nulla vi segregetur, hunc talem non solùm inferre, sed nec quidē referre oportet iniuriam.

Laertius Diogenes de uita & moribus philosophorum.

Iniuria iniustè irrogata eius est infamia qui facit.

Iuuenalis Satyra 8.

Curandum in primis ne magna iniuria fiat
Fortibus & miseris, tollat licet omne, quod usquam est
Auri atq; argenti, scutum gladiumq; relinques,
Et iacula, & galeam, spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia, uerum
Credite me uobis folium recitare Sybillæ.

Iuuenalis Satyra 13.

· Vindicta
emo magis gaudet quàm fœmina.

Ouidius in epistola Helenæ ad Paridem.

Vtilis interdum est ipsis iniuria passis.

Propertius libro 3. Elegia 7.

Non est certa fides, quam non iniuria uersat.

Isidorus ait, iniuriam esse verbo vel facto cū aliquo iniustè agere, exprobrare, & in faciē maledicere. AMANTIVS.

Iniuria est maledicendi aut malefaciendi cuipiam voluptas.

Vtilitas conuitiatorum.

Philippus Macedonum rex aiebat se his, qui in Republica Atheniensium administrāda primores essent, plurimam habere gratiam, quod suis conuitijs efficerent, vt ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior: dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. O verè philosophicum principis animum, qui nouit etiam ex inimicis capere vtilitatem: nec quod vulgus solet hoc tantùm spectare, vt maledicos afficeret malo, sed vt ipse minus malus reddderetur illorum maledictis admonitus. Eras. lib. 4. Apophthegmatum.

Ouidius 3. lib. de arte amandi.

Quælibet extinctos iniuria suscitat ignes.

Plautus in Gurgulione.

Malè mereri de immerenti, inscitia est: imò stultitia maxima.

Terentius in Hecyra.

Offerre iniuriam alicui immerenti, iniquum est.

Iniuriæ impunitas periculosa.

Cato senior iniuriam, etiam si facienti nihil adferat periculi, vniuersis tamen periculosam esse dicebat: Sentiens impunitæ iniuriæ exemplum omnibus minari iniuriam. Etenim si liceat impunè lędere, nullus erit tutus ab improborum violentia. Erasmus in Apophthegmatib.

Innocentia illibata.

Aristophontem Aeschines tradit apud Athenienses gloriari solitum, quod cùm nonagies quinquies esset vocatus in ius, semper fuerit absolutus. At Cephalus homo popularis iustius gloriabitur, quod cùm plura decreta scripsisset, quàm alius suorum temporū quisquam orator, tamen nūquam coactus sit causam dicere. Certius innocentiæ signum est, ita rem gerere, vt nemo velit accusare, quàm si postulatus elabaris è iudicio. Elabūtur interdū & nocentes.

Atque

Atque absoluitur, licet pœnam effugiat, cicatricem tamen criminis circumfert. Erasmus lib. 8. Apophtegmatum.

Infamia non deletur.

Claudius Cæsar cùm cuidam notam adpositam, deprecantibus familiaribus, ademisset: litura tamen, inquit, extat. Sentiens etiam remissa culpa, manere tamen infamiæ prioris vestigiũ. Alludens ad scripturam, quæ licet spongia deleatur, aut graphio radatur, relinquitur tamen lituræ rasuræq; vestigiũ. Erasmus lib. 6. Apophthegmatum.

Vtilitas calumniatorum.

Calũniatoris improbitas nihil non reprehẽdens, reddit nos in gerendis rebus circumspectiores, nónunquam & illustrat famam nostrã, quã obscurare nititur. Erasmus in lingua sua.

Εἰςὕβριν, Id est,

De contumelia.

Λύσμορος ἴσθαι μᾶλλον ἢ κακηγόρος, id est.
Iniqua sit magis sors, quàm maledicentia.
ξίφος τιτρώσκει σῶμα, τὸν δὲ νοῦν λόγος, id est:
Corpus gladius, sed uerba mentem uulnerant.
οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προποιῇς, Id est,
Passus nihil mali es, prius ni feceris.

Cicero lib. Officio.

Qui non defendit, nec desistit iniuriæ, si potest, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.

Idem.

Nec verò rei familiaris amplificatio nemini nocẽs vituperãda, sed fugiẽda iniuria semꝑ est.

Idem.

Quum aũt duobus modis, aut vi, aut fraude fiat iniuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videretur: vtrũq; ab homine alienissimũ est. Sed fraus odio digna maiore, totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum, qui cum maximè fallunt, id agũt vt viri boni videãtur.

Fraus est vulpeculæ.

Seneca lib. 33. de Ira.

Ira habet aliquã voluptatem, & dulce est dolorẽ reddere? minimè: Nõ eñ vt in bñficijs honestum est merita meritis repẽsare, ita iniurias iniurijs: illic vinci turpe est, hîc vincere inhumanũ verbum est, & quidem ꝓ iusto receptũ, vltio & talio nõ multum differunt nisi ordine: qui dolorem regerit, tãtum excusatius peccat.

M. Catonem in balneo quidam percussit imprudens, quis enim illi sciens faceret iniuriam? postea satisfacienti, Cato non memini, inquit, me percussum. Melius putauit non agnoscere, quàm vindicare. Nihil inquis, illi post tantam petulantiam mali factum est? Imò multum boni, cœpit Catonem nosse. Magni animi est iniurias despicere. Vltionis contumeliosissimũ genus est, non esse visum dignum: ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altius sibi dimisẽ, redum vindicant: Ille magnus & nobilis est qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus obaudit. Minus, inquit, contemnemur, si vindicauerimus iniuriam, si tanquam ad remedium sine ira veniamus, non quasi dulce sit vindicari, sed quasi vtile.

Grauis dictum

De dissimulanda iniuria, eodem capite.

Sæpius autem satius fuit dissimulare, quàm vlcisci. Potentiorum iniuriæ hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ sunt, verumetiã facient iterum si se fecisse crediderint, hoc habẽt pessimũ animi magna fortuna insolentes, quos læserunt & oderunt: nouissima vox est eius qui in cultu regum cõsenuerat: Cùm illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consequutus esset, senectutem: iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo de ipsis. Sæpe adeo iniuriam vindicare non expedit, vt ne fratri quidem expediat.

Seneca in lib. secun. cap. quint. in sapientem non cadere, ait, iniuriam: iniuria ad sapientem non peruenit: nam si iniuria alicuius mali patientia est, sapiens autem nullius mali non est patiens, nulla ad sapientem iniuria pertinet.

IDEM.

Iniuria non fit sine detrimento.

Omnis iniuria diminutio eius est, in quem incurrit: nec potest aliquis iniuriã accipere sine aliquo detrimento, vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos positarum.

Sapiens autem nihil potest perdere, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit, bona sua in solidum habet, contentus virtute, quæ fortunis non indiget: Ideoq; nec augeri, nec minui potest, nam in summum producta, incrementi nõ habet locum.

Quod si iniuria nihil lædere potest, ex ijs quæ propria sapiẽtis sunt, quia virtute sui salua sunt: Inuidia sapienti fieri non potest.

Libro 2. cap. 7. Ex eodem Seneca.

Non est fortior nequitia virtute: Nõ potest ergo lædi sapiens. Iniuria in bonos non tentatur, nisi à malis. Bonis inter se pax est: mali, tam bonis perniciosi, quàm mali inter se. Quod si lædi nisi infirmior non potest, nec iniuria bonis, nisi à dispari, verenda est: iniuria in sapientem virũ non cadit. Illud enim iam nõ es admonendus, neminem bonum esse, nisi sapientem. Sed iniustè, inquit Socrates, damnatus est, iniuriam accepit: Hoc loco nos iniuriam intelligere oportet, posse euenire, vt faciat aliquis mihi iniuriam, & ego non accipiam, tanquã si quis rem in domo mea ponat, cùm in villa mea surripuit, in domo mea ponat, ille furtũ fecerit: ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit: si quis cum vxore tanquam aliena concumbat, adulter erit, quamuis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenũ dedit, sed vim suam remixto in cibo

in cibo perdidit: venenum illud dando, sceleri se obligauit, etiam si non nocuit. Non minus latro est, cui' telum opposita veste elusum est. Omnia scelera & ante effectum operis, quantū culpæ satis est, perfecta sunt: quædam eius conditionis sunt, & hac vice copulātur, vt alterum sine altero esse non possit. Quod dico, conabor manifestum facere: Possum pedes mouere, vt non curram: currere non possum, vt non moueam pedem. Possum, quamuis in aqua sum, non natare: Si nato, non possum non in aqua esse. Ex hac sorte & hoc est, de quo agitur. Si iniuriam accepi, necesse est factam esse: si est facta, non est necesse accepisse me.

Hierax in opere de iustitia.

Autor iniuriæ ignorat seipsum lædi, pro alijs quibus nocere studet, intelligat, quod duplex est iniustitia. A qua primùm ipsemet læditur, deinde illa pars, quę iniuria afficitur. Quod si nō tot passionibus, et si fieri posset, nullis malis obrueretur anima: haud tantum in iudicando hallucinaretur. Quare optandum est, ne ꝓpter stupiditatem, eos, qui iniuriam patiuntur, magis quàm ipsos autores lædi existimet. Vna sanè pars est nostri, quę semper ab omnibus sic affectis iniuriam accipit, nempe ipsa anima. Id autem quod iniuriam facit, insidiasq; molitur, est malitia, quæ ab autore incipiens, in illum qui afficitur redundat: sed ipsum autorem iniuriæ illatæ, aut inferre cogitantem, plurimum lędit: minus verò eum, qui iniuriam accipit, ab authore enim principiū fit motus & excitatio, intus verò concitata semel iniuria parturientē primum incendit, ac antequàm pepererit, in flāmat prurigine, transiensq; lædit & veneno suo pertinaci tinctura imbuit. Quemadmodum enim ignis non potest pręterita sine damno materia, in qua primum conceptus est, priusquàm prorsus ipsam consumat, ad aliorum noxam cōuerti. Neq; murena prius aquaticos angues in alienam perniciem parere potest, quàm proprium eius ventrem, in quo concepti fuerunt, eroserint, vt Nicander Colophonius, & Archelaus Physicus testatur. Ita quiuis iniustus malitiā suam primus experitur, antequam in alios emittat. Vnde multi cōnatam sibi bilem excitantes, ex iracundia mutua prius obiêre, quàm hostes suos vlti sint. Hæc ignorantes plurimi imbecillioribus iniurias impudenter intulerunt: nihil opinantes incommodi in seipsos redundare. Proinde si hoc concedatur, non minus iniuriam inferre, quàm pati cauendum est.

Dignissimum notatu.

Musonius in sermone: an Philosophus actionem iniuriarum cōtra aliquem suscepturus sit: actionem iniuriarum, neque contra alium se acturum, aiebat, neq; id vlli Philosophiæ vacantium consultorum. Siquidem quæ multi iniurias interpretantur, eorum nihil iniuriam esse, neq; contumeliam: vt maledici, conspui, verberari, quod postremum indignissimum videtur. Quod verò nihil graue aut iniuriosum cōtineat, argumento sunt Lacedæmoniorum pueri, qui publicè flagellis cæduntur, & id ipsum gaudent. Philosophi autem si verbera aut contumelias contemnere nequeant, quis nam vsus erit? qui & mortem palàm spernere deberent. Opus est per Iouem, re ipsa se talem præstare, non irridentem iniuriari, iudicatum verberib. aut verbis contumeliæ plenis, alio, alióue modo vlcisci velle. Demosthenes etiā oculis quosdam iniurios esse putabat, eamque rem intolerabilem esse, & homines inde plurimum affici: Ita, qui quid honestum, quid re vera turpe sit, ignorant: iniuriā se pati censent, si quis aut toruum ipsos intueatur, aut irrideat, aut percutiat aut conuitia iactet. At vir sapiens & cordatus, qualis Philosophus esse debet, nullo horū perturbatur, non tam ipsa pati, quàm inferre turpe ducens: Nam qui peccat, is turpitudini obnoxius est: qui verò patitur, quatenus ipse peccatum non admittit, eatenus, neque turpis alicuius dignitatis particeps dicendus est. Quapropter non ad forum & actiones vllus mente prędītus conuertetur: vtpote, qui nullam sibi videatur iniuriam accepisse. Pusillanimitas enim est, has ob res indignari, & commoueri intensius, sed leuiter & trāquillè tolerabit, quicquid acciderit. Hoc decorum eius est, qui se magnanimum profitetur.

Solon sapiens.

οὐ γὰρ δὴ θνητοῖς ὕβριος ἔργα πέλει,
ἀλλὰ ζεὺς πάντων ἐφορᾷ τέλος, ἐξαπίνης δὲ.
ὥς τ' ἄνεμος νεφέλας αἶψα διεσκέδασεν, id est:

Non enim diu mortalibus iniuriæ opera permanent,
Sed Iuppiter finem inspicit omnium, atq; repentè
Vt uentus nubes, illico disijcit.

Miræ patientiæ in ferendis iniurijs, ut Socratis, ac aliorum exempla.

Ita palā Socrates erat animatus, qui publica cōuitia ab Aristophane passus, non modo nō ægrè tulit, sed obuiū etiā interrogauit, nū se rursus ad similem rem aliā opus haberet. Quā facile putes inter paucos maledicta sustinuisset ille, quem ne publicè quidē in frequenti Theatro iactata cōmouere potuerūt? Cæterū bonus ille Phocion, iniuria vxori suæ facta, tantum ab autoris accusatione abfuit, vt cùm ille sponte metu perculsus, Phocionē accederet, & veniam postularet, inquiens, ignorâsse quod eius vxor fuisset, in quam iniuriosus fuerat: hoc sermone sit vsus: Mea quidem vxor nihil abs te affecta est, sed fortassis alia quæpiam: proinde non est cur excusationem apud me dicas.

Græcè

Græcè de Phocione.

Φωκίων δὲ ὁ χρηστὸς, τῆς γυναικὸς αὐτοῦ προπηλακισθείσης πρὸς τινὸς, τοσοῦτον ἐδέησεν ἐγκαλεῖν τῷ προπηλακίσαντι. ὥστε ἐπεὶ δείσας ἐκεῖνος προσῆλθε τε καὶ συγγνώμην ἔχειν ἠξίου τὸν φωκίωνα. Φάσκων ἠγνοηκέναι ὅτι ἦν ἐκείνου γυνὴ εἰς ἣν ἐπλημμέλει: ἥγε ἐμὴ γυνὴ οὐδὲν ἔφη, ὑπὸ σοῦ πέπονθεν, ἑτέρα δὲ τις ἴσως οὐ δὲ χρὴ ἐμοίγε ἀπολογεῖσθε.

Idem Musonius.

Haberem alios multos veterum proponendos, qui contumeliosè tractati, siue verbis conuitiosis, siue manibus, etiam cum corporis afflictióe, nullo modo vltionem exequuti sunt, nec aliud quicquam aduersus ipsos egerũt: sed æquo, leniq; animo improbitatem hominum tulêre. Sanè animo cogitare, qua via in eum qui momordit, morsum retorqueas, & retalies iniuriam autori, ferarum quàm hominũ magis proprium existimo. Reputandum est homini, multa crimina per ignorantiam ac imperitiam cómitti, à quibus cognitis postea mox desistitur.

Mitia & humana ingenia, nõ efferata nec dura sunt in eos qui peccarint, vt quæ melius sperent. Quanto satius igitur fuerit, ita sese præstãtem videri Philosophũ, vt venia dignetur eos, qui aliquid aduersum ipsum admiserũt, quàm causas agendo & accusando, ita quidem se vlcisci putare, re autem ipsa prẹter omne decorum sibi, verbisq́ue suis pugnare? id quod facit, qui docet bonũ virum ab improbo haud quaquã posse iniuria affici: Ipse interim malos accusat, tanquam iniuriarum sibi autores, cùm ipse bonus haberi velit.

Dionem Academicum è conuiuio redeuntem, qnidam maledicus insectabatur, nullas nõ blasphemias eructans: tacebat Dion. Ingressuro autem iam domum, conuitiator ille dicebat, nihil verò respondes? cui Dion, Ne Gry quidẽ.

Subsequuntur Græca.

Δίων τῷ ἀκαδημικῷ ἀπὸ συμποσίου ἀναστρέφοντι, παρεπόμενος κακῶς τίς ἔλεγε καὶ βλασφημίας οὐδὲν ἀπελίμπανεν, ὁ δὴ ἡσύχως εἶχεν, ὡς δὲ καὶ ἐπεὶ τὴν οἰκίαν ἦλθε μέλλοντι αὐτῷ εἰσιέναι ὁ λοιδορῶν τί δαὶ ἔφη, πρὸς ὃν εἶπεν ὁ δίων, οὐδὲ γρῦ.

Herodotus.

Spartani hospites opprobria in animum deiecta concitatum ipsum efferre solent. Ceterũ licet tu contumeliosam orationem habueris, non tamen mihi persuasisti, vt neglecto decore, paria referre velim.

Græcè.

Ξεῖνοι σπαρτιάται, ὀνείδεα κατιόντα ἀνθρώπῳ, φιλέει ἐπανάγειν τὸν θυμὸν σὺ μέντοι ἀποδέξας μὲν ὑβρίσματα ἐν τῷ λόγῳ οὐ μ' ἔπεισας ἀσχήμονα ἐν τῇ ἀμοιβῇ γενέσθαι.

Philemon in Ecdicazomeno.

ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν:
ὁ λοιδορῶν γὰρ ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν, id est:

Nihil est iucundius, & docto uiro dignius,
Quàm ferre posse conuitiantem:
Quoniam si ille, cui conuitium fit,
Dissimulauerit, in ipsum authorem redundat.

Euripides in Protesilao.

Δυοῖν λεγόντων θατέρου θυμουμένου,
ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος, Id est,

Altero duorum colloquentium indignante,
Is, qui se non opponit, plus sapit.

Demosthenes à quodam conuitijs lacessitus: nolim tecum in hoc genus certaminis descendere, dixit, in quo qui vincit, ipso victore melior est.

Græcè.

Δημοσθένης λοιδορουμένου τινος αὐτῷ οὐ συγκαταβαίνω (εἶπεν) εἰς ἀγῶνα ἐν ᾧ ὁ ἡττώμενος τοῦ νικῶντός ἐστι κρείττων.

Plato quodam ei maledicẽte, perge, inquit, maledicere, vt qui benè nunquam didiceris.

Λοιδορούμενος ὑπὸ τινος λέγε ἔφη, καλῶς ἐπεὶ καλῶς οὐ μεμάθηκας

Aristippus contumelijs à quodam petitus, dixit, penes te est maledicere: penes me autem rectè audire.

Græcè sic sonant uerba.

Ἀρίστιππος λοιδοροῦντος αὐτὸν τινος ἔφη, τοῦ μὲν λέγειν κακῶς σὺ κύριος εἶ. τοῦ δὲ δικαίος ἀκούειν ἐγώ.

Plutarchus in libello, quo modo quis ab hostibus iuuetur.

Verborum rei leuissimæ grauissima pœna, iuxta Diuum Platonem, & apud Deum, & apud homines, comes esse solet: Silentium verò cùm vbique culpa vacet, tum maximè in aliorum cóuitijs, nescio quid egregiũ Socraticum, aut potius Herculeum præ se fert: Siquidem & ille, nó quàntum muscam, odiosa verba curabat.

Thucydides libro 1. concione Corinthiorum 3.

Virorum prudentium est, si non lacessantur iniuria, quiescere. Bonorum autem si iniuria afficiantur, pacem bello mutare, ac si benè cesserit, iterum pro bello pacem inire: & neq; belli successu efferri, neque pacis tranquillitate captos iniuriam pati eos decet: nam tum ille, qui voluptatis causa cunctatur, illicò priuari potest oblectatione trãquillitatis, cuius gratia segnis est, si quieuerit, tum qui in bello prosperitate abundat, non cogitat se incerta temeritate efferri. Multa enim malè consultata, eo quod hostes inconsultiores fuerint, feliciter euenerũt. Et plura, quæ rectè instituta videbantur, turpiter in contrarium euéntum relapsa sunt. Nullus enim eadem factis præstat, quæ inter deliberãdum sibi promittit. Nam consultamus securi, in opere autem cum timore deficimus.

Græcè postrema sententia. Ευρυμεῖται

ἐνθυμεῖται γὰρ οὐδεὶς ὅμοια τῇ πίστει καὶ ἔργῳ ἐπεξέρχεται· ἀλλὰ μετ᾽ ἀσφαλείας μὲν δοξάζομεν, μετὰ δέους ἐν τῷ ἔργῳ ἐλλείπομεν.

Plato 5. libro legum.

Honoraudus certè est, qui nihil iniuriatur: qui verò nec alios id facere patitur, duplici honore, imò etiam magis est honorandus. Ille enim vni, hic multis hominibus comparatur, cũ principibus cæterorũ iniuriam nuncier. Quia autem vnà etiam cum magistratibus iniuriam, quoad potest, vlciscitur, is magnus, perfectusq; in ciuitate vir præconio prædicetur.

Sophocles in Tyranno.

ὕβρις φυτεύει τύραννον, ὕβρις εἰ
πολλῶν ὑπερπλησθῇ κακῶν, id est.

Iniuria & contumelia creat Tyrannum. Iniuria inquam, cum
Multis temerè malis satiata fuerit.

Sabellicus lib. 9. cap. 1. Exemplorum: de iniuria ferenda.

Iniuriam propulsare fortis viri est, quæ etsi depelli posit, ferre illatam, multò tutioris sit: hoc sapientis est, illud validi & robusti corporis, certè aliquid est alium vincere, sed seipsum superare, vera indubitataq; virt⁹ est. Tales fuerunt, qui sapientes dicti sunt: talis ipsa sapientia Chistus, Rex & Doctor omniũ, quippe qui & ferendam esse iniuriam præcepit, & illatam vsque adeò tulit, vt veniam sit percussoribus precatus.

De Iosippo Israëlis filio.

Iosippus, cuius mistica venditio sacris literis tradita est, fratrum iniuriam, non solum tulit: sed beneficio etiam repensauit.

De Mose.

Quid Moses? Quis eo vno fortior? qui rursus minus vltionis cupidus? qui quo populum infestiorem habuit, & ad conuitia proniorem, eò impensiùs his cœli numen, propitium reddere perseuerauit, precibus ad Deum effusis. Nec Aaraoni conuitianti conuiciatus est: nec sorori, quæ Aethiopicum sibi connubium exprobrâsset, correptaq; esset lepra, minus libens opitulatus est, præsentem vltionem suppliciter deprecatus.

De Saulo Iudæorum Rege.

Fuit Saulus rex ad bellum exiturus, suorum popularium quibusdam contemptui: victor inde cùm triumphanti similis domum reuerteretur, instarentq; milites, vt eam iniuriam vlcisceretur, vim inhibuit: testatus turpissimum esse, non posse se paucorum iniuriam ferre, qui tot milia hostium tulisset.

EXEMPLA ILLVSTRIVM PERSONArum, *quæ patienter iniurias sustinuerunt.*

De Alexandrina muliere.

Impetrauit ab Athanasio Rubis Antistite Alexandrina mulier, tam diues, quàm nobilis, vt ex viduis, quæ Ecclesiæ sumptibus alebãtur, daretur sibi vna aliqua alenda, data est illi mulier miti & suaui ingenio, cuius facilitate auctũ est matronæ studium in pauperes, poposcitque sibi alteram dari, casu an consilio, non facilè dixerim: data est peruicax, & inhumana mulier, ex qua cum ex pio hospitio probra & sæua verbera reportaret, gratias egit Athanasio, quod sibi demum dedisset, per quam ad patientię cultum exerceretur.

De Socrate Philosopho.

Ex ethnicis Socrates mortalium sapientissimus, calce à quodam percussus in publico monitus ab vno assectatorum, vt hominem repercuteret: An, inquit, si asinus mihi calcem impegisset, in eum recalcitrarem?

De Fabio maximo.

Nulli hominum prudentius, sedatiusq; iniuriam tulêre, quàm Romani: quorum proprium fuit fortia facere & pati: nam quis hominum minus molestè tulit ignominiam sibi publicè inustam, quàm Fabius ille Maximus? qui vnus (vt Ennius scripsit) cunctando restituit rem: Cæterum Minutius, qui illi æquatus est, mox paulò cum suo exercitu ab eo seruatus, patrem appellauit, & militum patronum.

Aristoteles in lib. 5. Ethicorum.

Non idem est, quæ iniusta sunt facere, quòd iniuriã facere: nec, quæ iniusta sunt ferre, quod accipere iniuriam. Eademq; est ratio tribuendi, accipiendique officij: vt enim iniuria accipi non potest, nisi sit qui inferat: sic nec officium præstari, nisi sit qui tribuat. Quod si iniuriam facere non est aliud omninò, nisi sponte nocere quempiam alteri, ac sponte quidẽ ita, vt sciat & cui noceat, & quam ob rem, & quo, quasi instrumento noceat: impotentes aũt cum sponte ac voluntate sua, de se ipsi malè merentur, efficitur, vt sponte accipiatur iniuria, & sibi quis sponte iniuriam inferat. Est autem hoc vnum eorum quæ quęrebamus: vtrum fieri posit, vt sibi quis ipse faciat iniuriam: iam verò sponte sua quis iniuriam accipit: ergo fieri potest, vt voluntate sua quis iniuriam accipiat, aliter nõ vera est definitio, addendumque ei est: obesse quempiam scientem cui noceat, qua in re, quo, quo modo noceat, cõtra illius cui obsit voluntatem. Incommodum igitur quis sua voluntate accipit, & rem iniustam perfert. At iniuriam nemo spõte sua accipit: nemo enim vult, ne impotentes quidem: sed quicqd faciunt, id omne contra ac volunt, faciunt. Neq; enim vult quisquàm, quòd sibi bono esse nõ arbitretur, & impotens animi facit, quod sentit non esse faciendum. Nec verò qui sua dedit (quemadmodum Homerus ait, Glaucum dedisse Diomedi, proq; nouem centum, pro ferro tradidit aurũ) iniuriam accipit: quãdoquidem vt det, in illius sitũ

est potestate: vt iniuriam autem accipiat, non est in cuiusquam situm potestate, sed aliter sit oportet, qui inferat. Illud ergo iam apparet de accipienda iniuria, eam non esse voluntatis.

Ibidem.

Accipere autem quàm facere præstat iniuriã. Et commentatur in eundem cap. 15. Peius est facere iniuriam, quàm pati. Et ibidem. Nullus propriè sibi ipsi iniuriam facit.

Idem lib. 4.

Et quoniam magnum ei nihil videtur, nihil mirabile ei videri solet. Non recordatur iniurias: siquidem magnanimi non est, meminisse iniurias, sed potiùs contemnere: Nec de hominibus sermonem habet, quandoquidem nec de se prædicabit, nec de cæteris. Nam nec vt laudetur ipse laborat, nec vt alij vituperentur: nec laudat alios libenter: itaq; nec conuitiator est, ne inimicorum quidem, nisi fortè propter contumeliam. Minimè verò de ijs malis, quæ aut necessariò, aut exigua interueniunt, quæritur, nec in illis rogare solet, boni enim viri est his in rebus, eam animi affectionem constantiamque retinere: Atque etiam is est, qui res honestas & præclaras, quamuis inutiles, fructuosis anteponat. Hoc enim eum potiùs attingit, qui seipso contentus est.

EXEMPLA VIRORVM CLARORVM, *qui iniurias patienter tulerunt.*

Erasmus libro 4. Apophthegmatum de Philippo Macedonum Rege.

Quidam petulantioris linguæ maledicta cõijcere solebat in Philippum: Hunc amici hortabantur vt eijceret in exilium, at ille negauit se hoc facturum. Demirantibus, quid ita: ne, inquit, oberrans inter plures malè de me loquatur. Quod maledicum non egit in crucem, vel clementiæ erat: quod ignouit, vel magnanimitatis: quod contempsit, quod noluit expellere, prudentiæ: plus enim nocuisset.

Ibidem.

Smicythus Nicanorem deferebat apud regem, quod sine fine de ipso malè loqueretur: cumq; suaderent amici, vt hominem accersiri iuberet, deque eo supplicium sumeret, Philippus ita respondit: Nicanor non est Macedonũ pessimus, videndum est igitur, nec vbi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit vehementer afflictum inopia, & tamen à rege neglectũ fuisse, iussit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto cùm rursus Smicythus diceret regi, Nicanorem apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius: Videtis igitur, inquit, in nobis esse situm, vt benè aut malè audiamus. Immanè quantum absunt ab huius Principis ingenio, qui nunquàm sibi videntur satis laudari, cùm nihil faciunt laudandũ, nec student beneficijs sibi conciliare beneuolentiam hominum, sed metui malunt quàm amari: cumq; sępenumerò faciant detestanda, idque palàm, tamen perijt, quisquis ausus est contra hiscere.

Libro 5. de Fabio Maximo.

Fabius Maximus, quoniam cum Hannibale confligere detrectabat, sed mora copias illius, & pecuniarum & commeatus egentes adtenuabat, sequens illum per aspera, montosaque, ac subinde obiter se opponens, à nonnullis per ludibrium dicebatur Hannibalis pædagogus: hoc conuitio nihil commotus, pergebat suum institutum sequi, dicens apud amicos: qui dicteria, conuitiaq; metuat, eum sibi videri timidiorem ijs, qui fugiant hostes. Sensit hoc turpius esse timiditatis vitium, quò leuius est periculum. Nihil autem leuius dictis, quæ qui formidat, quomodo sustinebit impetum hostium?

Libro 4. de Philippo, conuitiatores esse utiles.

Aiebat se his, qui in Repub. Atheniensium administranda primores essent plurimam habere gratiam, quod suis conuitijs efficerent, vt ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior: Dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. O verè Philosophicum principis animum, qui nouit etiam ex inimicis capere vtilitatem: nec, quod vulgus solet, hoc tantùm spectare, vt maledicos afficeret malo, sed vt ipse minus malus redderetur, illorum maledictis admonitus.

Aristot. in. 4. Ethicorum de defectu.

Qui non irascuntur ob flagitia, stolidi videntur esse, infraq; medium subsidunt: non indignantes, quemadmodum oportet, ne quando, neq; quibus oportet, qui dum peculiari nomine careant, interim tales circumloquimur, iræ expertes eos vocantes.

Γνώμη.

Τὸ δὲ προπηλακιζόμενον ἀνέχεσθαι, καὶ τοὺς οἰκείους περιορᾶν ἀνδραποδῶδες. Id est.

Conuitiantem seu lacessentem ferre, adeoq; familiares & domesticos negligere seruile est, id est, minimè mansuetus iudicandus est, qui conuitia dicentem sufferat, qui non defendat, vel famam, vel honorem suum aduersus calumniatorem. Hanc ad rationem infra mansuetudinem residet, qui, si animaduertat, vel familiis, vel amicis, vel domesticis suis inuri notam, sese non opponat, vel eam ignominiam non amoliatur.

Seneca libro 3. capite 26. de Ira.

Graue est iniuriam pati, mentiris: Quis enim iniuriam non posset ferre, qui potest iram ferre? Adijce nunc, quod id agis, vt iram feras & iniuriam, quare fers ægri rabiem, & Phrene-

Phrenetici verba? puerorum proteruas manus? Nempe quia videntur nescire quid faciũt, quid intersit quo quisq; vitio fiat imprudens? Imprudentia par in omnibus patrociniũ est. Quid ergo, inquis, impunè illi erit? puta te velle, tamen non erit. Maxima est enim factæ iniuriæ pœna, fecisse: nec quisquam grauius afficitur, quàm qui ad supplicium pœnitentiæ traditur.

NAMVS Iniustitia græcè ἀδικία.ας. & ἄδικος.ȣ.ὁ. iniustus dicitur. Est autem iniustitia, per quam aliena singuli contra leges retinent, secundum Aristot. lib. 1. Rhetoricorum.

Iniustitia est duplex, scilicet illegalis, opposita iustitiæ legali, alia secundum inæqualitatẽ ad alterum. Prima est generalis intentione, & specialis obiectione aut obiecto. Secunda verò est specialis vtroq; modo, ex B. Thoma secunda secundæ quæst. 58. art. 5.

Iniustitia contraria est iustitiæ, quam aliqui dicunt esse habitum animi communi vtilitate cõseruata, dignitatem suam cuiq; tribuentem. De hac materia vide infrà in Iustitia.

AMANTIVS. AVARITIA, ἀδικία φιλαργυρία καὶ πλεονεξία.

Euripides in Heraclite.

Πάλαι ποτ' ἐστὶ τοῦτο μοὶ δεδογμένον,
ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ,
ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον
φίλοις τ' ἄχρηστος, καὶ συναλλάξαι βαρύς, id est.
Equidem hanc sententiam iam olim approbaui,
Quod uir iustus natus sit in proximi commodum:
Contrà cuius animus inclinatus est in lucrum,
Et amicis inutilis est, & difficilis in commercijs.

Menander.

Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν:
Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις, id est.
Auaritia mortalibus est maximum malum:
Nam qui suis aliena quoq; uolunt adijcere,
Hi sæpius uicti sua spe frustrantur,
Adduntq; alienis, quæ prius erant propria.

Diphilus.

Εἰ μὴ τὸ λαβεῖν ἦν οὐδὲ εἷς πονηρὸς ἦν,
Φιλαργυρία τοῦτ' ἐστὶν ὅταν ἀφεὶς σκοπεῖν
τὰ δίκαια, τοῦ κέρδους διὰ παντὸς δοῦλος ᾖς. id est.
Accipere si non esset, nullus foret malus.
Istud est auaritia, cum neglecta consideratione
Iusti, quauis in re lucro seruieris.

Menander.

Λέγεις ὅσα λέγεις, ἕνεκα τοῦ λαβεῖν λέγεις. id est.
Dicis, sed quicquid dicis, accipiendi causa dicis.

Euripides in Ixione.

ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνήρ,
οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον οὐδὲ βούλεται,
φίλοις τ' ἄνικτός ἐστι καὶ πάσῃ πόλει, id est.
Quisquis ambitiosum & auarum ingenium habet,
Nihil ille iustum sapit, neq; cupit,
Difficilisq; est amicis, & toti ciuitati.

Hesiodus in operibus.

χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτὰ θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω: id est.
Pecuniæ non raptæ, sed datæ diuinitus, multò sunt potiores.

Ibidem.

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσον πλέον ἥμισυ πάντος,
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ, id est.
Dimidium ignorant stulti magis utile toto,
Maluaq; quos usus, quos hastula regia præbet.

Idem.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι. id est.
Turpia lucra fuge, nam sunt æqualia damnis.

Pindarus Lyricus.

Ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται, id est.
Vincta etiam sapientia lucro.

Euripides in Danae.

Κρείσσων γὰρ οὐδεὶς χρημάτων πέφυκ' ἀνήρ,
Πλὴν εἴ τις ὅστις δ' οὗτός ἐστιν οὐχ ὁρῶ, id est.
Nullus est, quem non uincant pecuniæ,
Nisi fortè quispiam, quem ego quisnam sit haud uideo.

Menander in Leucadia.

ὅστις ὑπέχει χρυσίῳ τὴν χεῖρα, κἂν μὴ φῇ, πονηρὰ βούλεται, id est.
Quicunq; manum auro supponit, ille, quamuis non dicat, mala consilia molitur.

Antipho.

Τὰ πονηρὰ κέρδη τὰς μὲν ἡδονὰς ἔχει
Μικράς, ἔπειτα δ' ὕστερον λύπας μακράς, id est.
Lucra malè quæsita, uoluptates quidem pariunt
Breues, longam uerò deinde tristitiam.

Euripides in ino.

Βίᾳ νῦν ἕλκετ' ὦ κακοὶ τιμὰς βροτοί
καὶ κτᾶσθε πλοῦτον πάντοθεν θηρώμενοι,
σύμμικτα μὴ δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ,
ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος, id est.
Ite nunc ô mali homines, parate uobis honorem per uim,
Et contrahite diuitias undecunq; uenantes,
Per fas simul atq; nefas:
Deinde messem ipsarum infelicem metite.

Menander in Adelphis.

Ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ πένητός ἐστιν:
οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ αὐτῷ προσήκειν,
τὸν βοηθείας τινὸς δεόμενον,
αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ, id est.
Difficile fuerit inuenisse pauperi cognatum:
Nullus enim fatetur ad se pertinere
Illum, auxilio qui egeat aliquo,
Nimirum statim aliquid à se postulandum metuens.

Sophocles in Tereo.

Φιλάργυρον μὲν πᾶν τὸ βάρβαρον γένος. id est.
Auarum est omne genus barbarorum.

INnocentia græcè ἀκακία.ας.ἡ. & ἄκακος.ȣ.ὁ.ἡ. innocens dicitur. Est autem innocentia puri- NANVS.

tas animi omnem iniuriæ illationẽ abhorrens, secundùm Ciceronem lib Officiorum.

Innocentia integritas est. Sicut nocentes ꝓpriè dicuntur qui iniuriam, aut maleficium cõmiserunt, à noceo verbo quod est obsum, & à maleficio non abstineo. Ita innocentes dicuntur qui ab omni iniuria & maleficio abstinent. Inde fit innocenter aduerbium & innocuum, quod modò actiuè capitur. Virgilius: Littusq; rogamus innocuum. Aliquando passiuè pro eo cui non nocetur. Virgil. Sedere carinæ omnes innocuæ.

Dauid Psal. 23.

Innocens manibus & mundo corde, qui nõ accipit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

August. de Vera innocentia.

Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis non noceat cui vult nocere, & abstineat ab iniquo opere, reus tamen fit sola voluntate.

Idem & hab. 23. quæst. 5. Non est.

Non est innocentiæ parcendo sinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre, verumetiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alij terreantur exemplo.

Ibidem super Psal. 38.

Vera innocentia est, vbi integritas est sine peccato, vẽditio est sine debito, flagellum sine merito.

Idem 14. de Ciuitate Dei cap. 27.

Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ ne eum senectus dissolueret, nihil tamen corruptionis, in corpore vllas molestias vllis eius sensibus ingerebat.

Hieron. super illud Matth. Quicunque humiliauerit se sicut paruulus.

Sicus paruulus non perseuerat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur: sic & nos, nisi talem habuerimus innocentiam & animi puritatem, regna cælorũ non poterimus intrare.

Ambrosius libro Officio.

Innocens credit omni verbo. Non vituperãda facilitas, sed laudanda bonitas, hoc est innocentem esse, ignorare quid noceat, & circũscribitur ab aliquo, de omnibus tamen iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur.

Idem in Hexameron.

Innocentia & integritas leui sorde violatur aspersa, & gratiæ suæ munus amittit.

Idem de Offic. libro secundo.

Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ & securitas innocentiæ.

Gregorius Moralium libro 2.

Sic vixi vt accusatorem exterius non timerem. Vtinam sic vixissem, vt intra me ipsum accusatorem conscientiam non haberem.

Bernardus super Canti.

Immediocris est titulus virtutis, inter prauos viuere bene, & inter malignantes innocẽtiæ retinere candorem, & morum lenitatem.

Idem super Cantica ser. 45.

Sed si quis innocẽtiã retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorum? Rara auis in terris, aut sanctitatem nõ perdere, aut humilitatem sanctimonia nõ excludi, & ideo beata quę vtranque retinuit.

Lactan. Firmia. lib. 6. Diuin. insti.

Nihil enim sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè religioseq; litauit.

Idem lib. 7. cap. 21.

Tanta est vis innocentię, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipit à Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet.

M. T. Cicero libro Officiorum.

Atque etiam hoc præceptum officij diligenter obtinendum est, ne vnquam innocẽtem iudicio capitiẽ arcessas. Id enim sine scelere nullo pacto fieri potest.

Plautus in Amphitryone.

Quæ non deliquit decet audacem esse, cõfidenter pro se, & proteruè loqui.

Dantes Paradisi Canti. 28.

Fede & innocentia son reperte
Selo ne pargoleti: poicia scuna
Pria fuge che le go ancie sine coperte. idest,
Fides & innocentia repertæ sunt
Solum iis paruulis: post harum utraq;
Antea fugit, quàm malè contegantur.

Inquisitio grecè ἐπιζήτησις. ιος. ἡ. & ἐπιζητητὴς. οῦ. ὁ. inquisitor dicitur. Est aũt inquisitio alicuius criminis manifesti, saltem per famam, ex bono & ęquo iudicis competentis canonicè facta inuestigatio, secundum Hostiensem.

Inquisitio à quęro deducitur, vnde etiã quęstores, vel quæsitores, qui à populo creati capitalibus rebus præerant. Virg. Quæsitor Minos vrnam mouet. Quid autem quærere sit, & alíqua ab eo deriuata, vide infrà in Quærere.

Esdræ 2. cap. 8.

Virtus Domini erit cum eis, qui inquirunt eum in omni affectu.

Dauid Psal. 19.

Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.

Esaias cap. 55.

Quærite

Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum ꝓpè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Matthæus cap. 7.

Petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidẽ porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se.

Paulus ad Collos. cap. 3.

Omne quodcunq; facitis, in verbo aut in opere oīa in nomine Domini nostri Iesu Christi gratias agentes Deo, & patri per ipsum.

August. super Psal. 104.

Quærite faciem eius semper. Si semper quæritur, quando inuenitur? An semper dixit in tota vita, qua hic viuitur? Ex quo hoc debere nos facere cognouimus, quando & inuentus quęrẽdus est. Iam Deum inuenit fides, sed adhuc eum quærit spes. Charitas autem, & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per spem, vbi tũc sic inuenitur, vt vltrà non quæratur. Fortè cum facie ad faciem eum viderimus sicuti est, & adhuc perquirendus erit, & sine fine quærendus. Quia sine fine amandus.

August. super Ioannem.

Quæramus inueniendum, quæramus inuentum, vt inueniendus quæratur, occultus est: vt inuentus quæratur, immensus est.

Idem de Ciuitate Dei.

Si homo ita creatus est, vt per id, quod in eo præcellit, attingat illud quod cuncta præcellit, id est, vnum verum optimũ, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus vsus expedit, ipse quæratur, vbi nobis secura sunt omnia: ipse cernatur, vbi nobis omnia certa sunt: ipse diligatur, vbi nobis rectą sunt oīa.

Gregorius lib. 27. Moralium.

Quærite Dominũ dum inueniri potest, modo non videtur Dominus, & propè est. In iudicio vocabitur, & propè nõ erit: necdum in iudicio apparuit, & si quæratur, inuenitur. Nam miro modo cum in iudicio apparuerit, & videri potest, & inueniri non potest.

Ioannes Chrysost. super illud Matthei.

Et uendit uniuersa.

Si non vendideris omnia, nec emes: & si animam non habueris sollicitam & quęrentem, nõ inuenies. Dico enim oportet adesse, & à vitæ huius negocijs abesse, & vigilantem esse.

Bernardus de diligendo Deo.

Nemo te Domine quærere valet, nisi qui prius inuenerit. Vis ergo inueniri vt quæraris? quære vt inueniaris. Potes quæri & inueniri, nec tamen præueniri.

Idem sermone 24.

Si nolumus frustra quęrere Dominum, quęramus veraciter, vt nec quæram⁹ pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud conuertamur. Facilius enim est cœlum & terram transire, quàm vt sic quærens non inueniat, sic petens nõ accipiat, & sic pulsanti nõ aperiatur.

Bernardus de 12. gradibus humilitatis.

Inquirimus veritatem in nobis, in proximis, & sui natura in nobis, nosmetipsos dijudicando, in proximis eorum malis compatiendo, in sui natura mundo corde contemplando.

Insensibilitas græcè ἀναισθησία. ας. ἡ. & ἀναίσθητος. ου ὁ. insensibilis & insulsus dicitur.

Insensibilitas est vitium, quo prætermittuntur necessaria vitæ cõtra rationem, ideo est peccatũ, ex b. Tho. secunda secundæ, q. 142. art. 1. A sensus venit sensibilitas & sensibile, ꝙ significat, tam id quod sentit, quàm quo sentitur. Idẽ sensificum, quod sensus causam præstat.

Insipientia græcè ἀφροσύνη. ης. & ἄφρων insipiens dicitur. Et est idem quod stultitia, & cõtrariatur sapientiæ, b. Tho. secũdę q. 96. art. 1.

Instabilitas græcè ἀβεβαιότης. ητος. ἡ & ἄστατος, instabilis dicitur. Est autem instabilitas mutabilitas loci vel propositi, b. Tho. secunda secundæ, quæst. 33. art. 4.

Instans græcè ἐνεστώς. ῶτος. ὁ. dicitur. Est autẽ duplex instans, scilicet vnum sequens mobile, idem numero realiter, differẽs ratione, & aliud continuans tempus, non idem, sed labens cum eo ex b. Tho. opusc. de instantibus, ca. 3. col. 3.

Instantia est propositio, propositioni cõtraria secundum Aristot. lib. 2. Priorum.

Intellect⁹ græcè σύνεσις. εως. ἡ & νοέω intelligo dicitur. Est autem intellectus vis animę, quę inuisibilia percipit, secundum Augustinum de Spiritu & anima.

Intellectus est habitus principiorum, secundum Aristot. lib. 6. Ethicorum.

Intellectus est habitus circa principia intelligibilia, secundum eundem libro magnorum Moralium.

Intelligentia est per quam animus ea prospicit quæ sunt, secundum Ciceronem lib. Rhetoricorum.

Intelligentia propriè significat actum intellectus, & aliquando significat substantias separatas, scilicet angelos, secundum Thom. prima parte, quæst. 79. artic. 4.

De hac materia vide in Anima, & in arbore de anima suprà.

Ludouicus Cælius Rodiginus lect. Antiquarum

lib.2. cap.1. de intellectu agente & possibili.

Quædam sunt inquit Augustinus, supra intellectum humanum, quædam iuxtà, quædam infrà. Siquidem, cognoscit Deum anima supra se, Angelos iuxta se, at verò, se in se. Quicquid cœli continetur ambitu, infra se. Igitur ad vera percipienda, quæ sunt supra ipsam, indigere videtur omnino anima irradiatione ab ipsa luce veritatis primæ, quæ dicitur mens, vel intelligentia, quam prodit Augustinus idem, nulla interposita natura, formari ab ipsa veritate. Proinde respectu veritatis summę, & eorum respectu intelligibilium, quæ humanum excedunt intellectũ, est intellectus agens Deus, & huiusmodi illuminatio, est gratiæ infusio ad diuina contemplanda. Ad ea verò pernoscenda, quæ prope nos sunt, vt sunt angelicæ essentię, indiget item anima reuelatione angelica, siue instructione. Qua in re dicitur item angelus intellectus agens. Ad eorum verò perceptionem, quæ intra animã sunt, vt est ipsa anima, & potentiæ ipsius, habitus, scientię, ac virtutes, non indiget anima lumine extrinseco, sed innato, & cęt.

Intemperantia græcè ἀκολασία.ας.ἡ. ἀκόλασος.ȣ.ὁ. intemperatus dicitur. Est autem intemperans ille qui omni voluptate potitur, nec vlla se abstinet.

Insensibilis verò est, qui omnes fugit instar agrestium, secundum Aristot. lib.2. Ethicorũ.

Inuidia est tristitia de bono alieno, quo tristamur quadrupliciter.

- *Cùm quis dolet de bono alterius inquantum ex eo timetur nocumentum, uel sibi ipsi uel alijs. De qua Gregorius 22. Moralium ait: Euenire plærunq; solet, & reliqua. Vide infrà in tractatu de Inuidia.*
- *Cùm tristamur de bono alterius, ex eo quòd nobis deest bonum, quod alius habet. Et hoc est propriè zelus, ut dicit Philosophus 2. Rhetoricorũ, & est laudabilis, si sit circa honesta. Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato & sine peccato, q.36. artic.3.*
- *Cùm quis tristatur de bono alterius, inquantum ille cui accidit est eo indignus. Et talis tristitia (quia est de diuitijs, & alijs quæ dignis & indignis euenire possunt) uocatur à Philosopho νέμεσις, licet apud Aristotelem approbata, prohibita tamen Christiana religione.*
- *Cùm quis tristatur de bono alterius inquantum eum excedit in bonis, & hoc propriè est inuidia, & semper mala, quia dolet eo quo est gaudendum, & est peccatum*
  - *Mortale semper, & ex genere suo quando adest consensus rationis, quia directè opponitur charitati proximi, quæst.36.artic.3.*
  - *Veniale, quando est in sola sensualitate non accedente consensu rationis, ut sunt primi motus, qui etiam sunt in perfectis, quæst.36.art.3.*
  - *Capitale quia ex ea oriuntur*
    - *Susurratio, Quando quis quærit minuere gloriam alterius in occulto.*
    - *Detractio, Quando quis quærit apertè gloriam alterius minuere.*
    - *Exultatio in aduersis proximi.*
    - *Afflictio in prosperis proximi.*
    - *Odium quo non solum quis tristatur de superexcellentia alterius, sed ulterius uult simpliciter eius mala.*

Ex B. Thoma secunda secundæ, quæst.34. art.6.

Inuidia

Inuidia græcè φθόνος.ου.ὁ. & φθονερός.ου.ὁ. Inuidus dicitur. Est autem inuidia tristitia de bonis alienis, secundum Ioannem Damascenū.

Inuidia est odium fælicitatis alienę, secundū Hugonem lib.2. de Sacramentis, & Augustinus super Psalm. Conuertit cor eorum.

Inuidia est tristitia in apparenti fœlicitate alicuius secundum Arist. lib.2. Topicorum.

Inuidia est tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur diminuere gloriam propriam, secundum b.Th. secūda secundæ. q.36. art.1.

Inuidia dolor est de bonorum prosperitatibus, qui torquet, siccat, afflat, exossatq; inuidētes quasi tortor quidam ex tartareis vltoribus ad mortalium exterminia missus.

Inuidentia est ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil nocent inuidēti. Nam si quis doleat eius rebus secundis, à quo ipse lædatur, non rectè dicitur inuidere. Vt si Hectori Agamemnon, ex Cicer. libro Tuscul. quæstionum.

Inuidia ab inuidentia sic differt, quod inuidia nō solùm ad eum, qui inuidet, sed etiam ad eum, cui inuidetur, referri potest. Inuidentia verò in eum demum cadit, qui inuidet. Vel inuidia est actus inuidēdi, inuidētia ipsa ęgritudo.

Inuidia dicitur à minus videndo, quod minus intuemur formam illius, de cuius fœlicitate sumus soliciti. Deberet autem hoc verbū regere accusatiuum, quemadmodum & video, verùm consuetudine prohibemur, vt inquit Cicero. Horatius tamen ius suum retinens audacius dixit Inuideor.

Ego cur acquirere pauca Si possum inuideor.

Dicimus præterea inuideo tibi hanc rem.

Virgil.

Liber pampineas inuidit collibus umbras.

Ab inuideor passiuo fit inuisus. hoc est odio habitus. Et inuidus & inuidiosus quæ sic differūt, quia inuidus est qui actu alicui inuidet. Inuidiosus, qui morbo inuidentiæ laborat. Inuidia aliquando pro odio ponitur. Quintilianus: Ne ei tot scelerum commemoratione concitarē inuidiam. hinc inuidiosum pro inuiso & odioso ponimus.

Iob cap.5.

Paruulum occidit inuidia.

Prouerbiorum cap.23.

Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius.

Esaiæ cap.5.

Væ vobis qui dicitis bonum malum.

Paulus ad Galatas 5.

Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicē prouocantes, inuicem inuidentes.

Augustinus de uerbis domini super Matthæum.

Inuidia est filia superbię, sed ista mater superbia nescit esse sterilis, vbi fuerit continuò parit: suffoca matrem, & non erit filia.

Idem de doctrina Christiana.

Inuidia vitium diabolicum, quo solo diabolus est reus, & inexpiabiliter reus. Nō enim diabolo dicitur, vt damnetur, adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed homini statim inuidisti.

Idem super Ioannem.

Tolle inuidiam, & tuū est quod habeo, tolle inuidiam, & meum est quod habes.

Idem de conflictu uitiorum & uirtutum.

Inuidia dicit: in quo enim minor illo es? Cur non ergo æqualis vel superior es? multa vales, quæ ipsi nō valent. Non igitur te aut superiores aut ęquales esse debent. Fraterna concordia respondet. Si cæteros virtutibus antecellis, tutius in loco infimo temetipsum conseruas. Semper enim de alto peior ruina est.

Idem super Genesim libro 3.

Inuidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiēdi est inuidia, sed causa inuidendi est superbia. Cùm enim superbia sit amor propriæ excellentiæ, inuidia verò sit odium fœlicitatis alienæ, quæ vnde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam vel paribus inuidet, quod ei coæquantur: vel inferioribus, ne coæquentur: uel superioribus, quod non eis coæquatur. Superbiendo ergo inuidet, non inuidendo quisque superbus fit.

Hieron. ad Demetriadem.

Oro te quid delectationis præstat inuidia? quem secretis quibusdam conscientię vngulis liuor ipse discerpat, & alienam fœlicitatem eius tormentum facit.

Ambro. lib. de Officijs.

Inter improbum & inuidū hoc interest: improbus suo delectatur bono, inuidus torquetū alieno. Ille diligit mala, hic bona odit.

Grego.5. Moralium.

Inuidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus itaq; est, qui inuidia occiditur, quia nisi inferior ipse existeret, de bono alterius non doleret.

Ibidem.

Nil lætari de proprijs libet, quia tabescentē mentem sua pœna sauciat, quam fœlicitas torquet aliena: & quanto operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamētum mentis liuore profundius suffunditur, vt quo alij ad meliora properant, eo ipso deterius ruat.

Ibidem.

Tanto quis inuidet alijs bona præsentia, quāto minus ea ipse contempserit.

Ibidem.

Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem

furoris excitantur, & bona nascentia quæ volunt imitari persequuntur.

Idem 32. Moralium.

Euenire plerunque solet, vt non amissa charitate, etiã inimici ruina nos lætificet, & rursum eius gloria sine inuidiæ culpa contristet, quia per hoc quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque opprimi formidamus.

Ioan. Chrysosto. super Psalm.

Inuidia ignis inextinguibilis est, etenim sicut tinea comedit vestimentum, sic & inuidia eum qui zelatur consumit.

Idem super illud Matth. 21. Indignati sunt.

Quemadmodum columna si recta fuerit, accepto pondere amplius confirmatur, si autem modicè obliquata fuerit, non solùm non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: sic & cor hominis si fuerit rectum, videns opera viri iusti, audiens doctrinam sapientiæ eius amplius confirmatur. Sed si cor peruersum fuerit, non solũ non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur.

Idem super Matthæum.

O inuidia quæ semper sibi est inimica. Nam qui inuidet, sibi quidem ignominiam facit, illi cui inuidet gloriam parit.

Isidorus in Syno.

Inuidia cuncta bona deuorat ardore pestifero. Inuidia animę tinea sensum comedit, pectus vrit, mentem affligit, cor hominis, quasi quędã pestis, depascit.

Caßiodorus lib. 1. epistola 8.

Quicquid ex inuidia dicitur, veritas non putatur.

Idem lib. 6. epist. 22.

Maiori cura tractanda sunt, vnde inuidia plus timetur.

Idem lib. 10. epist. 11.

Perfectis quidem proxima est indubitanter inuidia. Inuidia melius tolerantia vincitur, quę contentione semper augetur.

Boëtius de Scholastica disciplina.

Inuidia, si secũdum quid aduenerit, vt in discendo gratuita est. Simplex verò est proprij autoris consumptiua.

Ibidem.

Ab optimo longè inuidia relegata est.

Idem libro Diuisionum.

Nullus liuor inuidiæ, debet obfuscare obliquis morsibus detractionis, illud quod arduũ est in natura, & digestum est ad legentium vtilitatem.

Alanus de contemptu naturæ.

Inuidia quod monstrosius monstrum? aut quod damnosius damnũ? quæ culpabilior culpa? quę pœnalior pœna? Hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus, Qui sunt inuidiæ motus, nisi humanæ tranquillitatis hostes, mundanæ tentationis satellites, animi laborantis vigiles hostes, alienæ fœlicitatis excubiæ?

Prosper in libro qui dicitur Via regia.

Inuidia cuncta virtutum culmina cõcremat, cuncta bona pestiferè deuorat.

Idem libro 3. de Vitijs & uirtutibus.

Inuidia in suum autorẽ reciproca est, de bono alterius tabescentis animi cruciatus.

Seneca in epistola.

Inuidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua nõ iactaueris, si scieris in sinu gaudere.

Idem.

Nemo eorum qui in repub. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit.

Idem lib. de Beneficijs.

Cauere magis amicorum inuidiam, quàm inimicorum insidias oportet.

Idem in Prouerbijs.

Si non inuideris maior eris. Nã qui inuidet, minor est. Scito quid est inuidia. Dolor est animi ex alienis commodis. Scito etiam & illud, quod nulli inuidet vir bonitate præditus.

Idem lib. de Tranquillitate animi.

Alit liuorẽ infœlix inertia, & omnes destrui cupiunt, qui se prouehere non possunt.

Idem de moribus.

Et si multos inimicos tibi faciat iniuria, multos tamen faciet inuidia.

Ibidem.

Homo sum quomodo deuitabo secularium rerum inuidiam? Facilius est pauperi contemptum effugere, quàm diuiti inuidiam.

Ibidem.

Nam quanta fœlicium sunt gaudia, tanti inuidorum sunt gemitus.

Aristoteles lib. 2. Rhetorices.

Similis inuidet simili. Si in hoc quod similis vnus excedit alium, vnde vulgus odit vulgũ, & figulus figulum.

Idem lib. 2. Topicorum.

Inuidus est qui tristatur de prosperitate bonorum.

Idem libro 1. Metaphisicæ.

Diuinum ens non inuidet.

Laert. Diog. de Vita & moribus philosoph.

Malum alienum ne tuum feceris gaudium, dicebat Socrates.

Idem.

Fœlicitas semper subiecta est inuidię, sola ergo miseria inuidia caret, idem dicebat.

Cicero pro Lucio Cornelio.

Est enim huius seculi labes quædam & macula, virtuti inuidere.

Idem Philippica nona.

Nemo alterius qui confidit virtuti inuidet.

Idem oratione 1. contra Catilinam.

Inuidia virtute parta, gloria non inuidia existimanda est.

Idem Rheto. lib. 2.

Aphricano iustitia virtutem, virtus gloriam, gloria æmulationem comparauit.

Idem Rhetoric. nouorum libro 4.

O virtutis inuidia comes, quę bonos insequeris plerunque, atque adeo insectaris.

Salustius in Iugurtha.

Meminisse debemus, post gloriam inuidiam sequi.

Ibidem.

Difficile est inuidiam gloria vincere.

Ibidem.

Polluta licentia inuidiam accendit.

Idem in Catilinario.

Pleruuque ex opulentia inuidia oritur.

Ibidem.

Semper in ciuitate quibus nullæ opes sunt, bonis inuident, malos extollunt, vetera odêre, noua expectare, odio suarum rerum omnia mutare student, turbatione atque seditionibus sine cura aluntur. Quoniã egestas facilè sine damno habetur.

Ibidem.

Egregij ciues imitari bonos, quàm inuidere bonis malunt.

Titus Liuius.

Inuidia tanquàm ignis summa petit.

Idem Decade quarta libro 5.

Nulla ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quàm eorum qui genus ac fortunas suas animis non æquant: quia virtutem ac aliorum bonum oderunt.

Idem Decade 3. libro 3.

Inuidia oboriens beneficijs obruenda.

Idem Decade 3. lib. 9.

Senescente inuidia molliuntur iræ.

Polybius Historiæ libri 1.

Præclara facinora & res à quoquam egregiè gestæ, magnam plerunq; inuidiam & graues calumnias conflare solent: quibus ciues quidem affinium atq; amicorum multitudine freti, facilè resistunt: hospites verè omnis præsidij expertes, vtroque malo facilè conteruntur.

Valerius Maxim. lib. 4. titulo de Amicitia.

Nulla tam modesta fœlicitas, quæ malignitatis dentes vitare possit.

Xenophon in Pædia Cyri lib. 1.

Scio nonnullos liuore ductos morbo animi obtemperaturos. Tamen memor nullam unq̃ virtutem caruisse inuidia (malè etenim cum eo agitur, cui nullus inuidet) æquanimiter feram eorum dicacitatem. Solent inuidi, & qui præcipuè suo ingenio diffidunt, aut qui præstant impudentia, alios detrahendo obloquendoq; arcescere, verùm vtantur suo instituto ac morib. modò id sciant, malitiam magnam partem veneni sui bibere.

Idem lib. 2. de uita Cyri.

Neq; enim pericula præbent inuidiæ locum vllum aduersus eos, qui aut excellũt armis, aut laudẽ appetunt, sed diligunt potius, laudantq; tanquàm socios laborum & communis vtilitatis propugnatores.

Quin. Curtius de gestis Alexand. lib. 8.

Alexander dixit inuidos homines nihil aliud esse quàm ipsorum tormenta.

Paulus Orosius de Ormesta, lib. 4.

Quia inuidi atq; maligni vitioso oculo vidẽt, quæ vident: & confusi caligine nequitiæ in id cadunt, vt minus videndo plus videant, cùm tamen id, quod est ita, vt est, videre non possint, in tantum enim captum cor obliquat inuidia, vt rectum natura non videat.

Phocylides.

μὴ φθονέοις ἀγαθῶν ἑτάροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς,
ἄφθονοι οὐρανίδαι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσιν,
οὐ φθονέει μήνη πολὺ κρείσσοσιν ἡλίου αὐγαῖς,
οὐ χθὼν οὐρανίοις ὑψώμαις, νέρθεν ἐοῦσα,
οὐ ποταμοὶ πελάγεσσιν, ἀεὶ δ' ὁμόνοιαν ἔχουσιν. id est,

Ne inuideas bona socijs, ne maculam contrahas,
Sine inuidia cælestes etiam inter se sunt.
Non inuidet luna multo præstantioribus solis radijs,
Non tellus cælestibus altitudinibus, cùm subter ipsa sit:
Non flumina pelagis, sed semper concordiam habent.

Periander.

μηδένι φθονέοισ. id est,
Nemini inuideas.

Idem.

ὥσπερ ἡ ἐρισέβη ἴδιον ἐστὶ τοῦ σίτου νόσημα, οὕτως φθόνος ἐστιν ἀῤῥώστημα. id est,
Quemadmodum rubigo propria est frumenti ægritudo, sic inuidia amicitiæ est infirmitas.

Idem.

ὥσπερ ὁ ἰὸς σίδηρον, οὕτως ὁ φθόνος τὴν ἔχουσαν αὐτὸν ψυχὴν κατανψήχει. id est,
Quemadmodum ærugo ferrum, sic inuidia animam illius in quo inest, conterit.

Idem.

ὅσῳ γὰρ ἂν φθόνῃς, τοσούτῳ μειζόνων γίνῃ προξενὸς ἀγαθῶν τῷ φθονουμένῳ. id est,
Cùm magis utiq; inuidebis, tanto maiorum fies causa bonorum inuiso.

Hesiodus.

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ. id est,
Et figulus figulo irascitur, & lignario lignarius,
Et pauper pauperi inuidet, & poeta poetæ.

Ex primo Epigrammatum.

ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον· ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὑτῷ
τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην. id est,
Inuidia est pessimũ quid, sed habet quoddã pulchrũ in se.
Consumit enim inuidentium oculos & cor.

Sophocles in Aiace furente.

πρὸς

πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ᾽ ὁ φθόνος ἕρπει. id est,
Ad habentem enim inuidia serpit.

Plautus in duobus Captiuis.

Est miserorũ, ut malè ualẽtes sint, atq; ut inuideãt bonis.

Idem in Truculento.

Inuidere alij bene esse, tibi malè esse, miseria est: si qui inuident, egent illis quibus inuidetur.

Lucanus lib. 4.

Abscidit nostræ multum sors inuida laudi.

Ouidius Metamorph. lib. 2. Inuidiam describens.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes.
Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno.
Risus abest, nisi quem uisi fecêre dolores.
Nec fruitur somno uigilantibus excita curis:
Sed uidet ingratos, intabescitq; uidendo
Successus hominum, carpitq; & carpitur unà,
Suppliciumq; suum est.

Et paulò infrà.

Virq; tenet lachrymas: quia nil lachrymabile cernit.

Idem de Ponto lib. ulti. Elegia, ultima.

Ergo summorum patria proscindere liuor
Desine, neu cineres sparge cruente meos.
Omnia perdidimus, tantummodo uita relicta est,
Præbeat ut sensum materiamq; malis.
Quid iuuat extinctos ferrum dimittere in artus?
Non habet in nobis iam noua plaga locum.

Idem libro 1. Fastorum.

Lite uacent aures, insanaq; protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

Idem libro. 4.

Quo non liuor adit?

Idem lib. 1. de de Arte.

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honos.

Idem de Remedio lib. 1.

Summa petit liuor.

Tibullus libro 4. elegia 10.

Nil opus inuidia est, procul absit gloria uulgi,
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Martialis lib. 1. Epigrammaton.

Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

Idem libro 5. Epigramma. ad Regium.

Esse quid hoc dicam: uiuis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat.
Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos semper ut illa nouis.
Sic ueterem ingrati Pompei quærimus umbram,
Et laudant Catuli Iulia templa senes.
Eminus est lectus saluo tibi Roma Marone,
Et sua riserunt secula Mæoniden.
Rara coronato plausêre theatra Menandro,
Norat Nasonem sola Corynna suum.
Vos tamen ô nostri non festinate libelli,
Si post fata uenit gloria, non propero.

Horatius libro 2. satyra 3.

Inuidiam placare paras uirtute relicta,
Contemnere miser, uitanda est improba Syren
Desidia, aut quicquid uita meliore parâsti,
Ponendum æquo animo.–

Idem Epistolarum libro 1. epistola 2.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis.

Ibidem.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.–

Idem Epistolarum libro 2. epistola 1.

Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas extinctus amabitur idem.

Franciscus Petrarcha soneto 142.

O inuidia inimica de uirtute,
Cha bel principij uoluntier contrasti,
Per qual sentier cosi tacita intrasti
In quel bel petto, & cum qual arte il mute. id est,
O inuidia inimica uirtutis,
Quæ pulchris principijs libens aduersaris,
Quo itinere sic tacita ingressa es
In pectus illud pulchrum, & qua arte ipsum mutas.

Idem Triumpho Famæ cap. 2.

Come crebber l'arti,
Crebbe l'inuida, e col saper insieme
Nei cori infiati, i suo ueneni hasparti. id est,
Sicut creuerunt artes,
Creuit inuidia, & cum sapere simul.
In corda elata sua uenena sparsit.

Inuocatio græcè ἐπίκλησις. ιος. ἡ. & ἐπικαλέω inuoco dicitur. Est autem inuocare, in se uocare per affectum & deuotum cultum, secundum beatum Thomã super epistola ad Romanos 10. lectione 2. col. 2.

Ira

IRA
- Paßio quæ & appetitus sensitiuus dicitur cuius
  - Causa
    - Paruipensio, quæ triplex est.s.
      - Despectus quē maximè significat
        - Obliuio, quæ est euidens signum paruipensionis: nam quæ magni pēdimus memoriæ cōmēdamus.
        - Denuntiatio tristium, quæ est signum, quod nō ueretur quis contristare.
        - Hilaritas in infortunijs alicuius, quia signum est quod paruifacit bonum uel malum paßi.
      - Epitreasmus.i. Impedimentū propositi, uel uolūtatis implēdæ, cùm impedimenti nulla inde prouenit utilitas.
      - Contumeliatio
        - Quia ea maximè derogat excellentiæ contumeliam paßi.
        - Qui iniustius paruipenditur, ut diues in pecunia, & rhetor in loquendo.
    - Excellentia irascentis.
    - Defectus
      - Irascentis, ut infirmitas, & alia contristantia, quia defectibus subiacentes facilius læduntur: ut infirmi.
      - Eius contra quem irascimur, uilis & despecti.
  - Partes secundum Ioannem Damascenum & Gregoriū Nissenum.
    - Fellea, quæ cito accenditur, & cito desistit, & hæc à Cicerone dicitur, Excandescentia.
    - Mania, quæ diu in memoria manet.
    - Cotus, id est, furor qui non quiescit donec puniat.
  - Effectus
    - Delectatio
      - In spe uindicandi in futurum.
      - In uindictā de præsenti inferēdo, quia sic quietatur motus iræ.
      - In cōtinua uindictæ cogitatione, in qua immorando delectatur.
    - Feruor sanguinis et spiritus, circa cor ex quo apparere solent, secundum Gregorium hæc
      - Cor palpitans
      - Corpus tremens
      - Lingua præpedita
      - Facies ignescens
      - Oculi exasperati
      - Votorum ignorantia
      - Clamor irrationabilis
      - Verborum ignorantia.
    - Perturbatio usus rationis. Virgilius: Furor iraq; mentem præcipitant.
    - Taciturnitas. Quia in lingua, sicut in facie, & in oculis expreßius relucet uestigium cordis irati.
- Virtus. Et dicitur ira per zelum, secundum quam appetitur uindicta, secundum ordinem rationis. De quo Hieronymus ad Riparium, & habetur 23.quæst.8.cap.Legi Syromasten.
- Peccatum
  - Mortale
    - Cùm appetit puniri eum qui non meruit.
    - Cùm appetit puniri ultra quàm meruit.
    - Cùm appetit puniri non secundum legitimum ordinem, ut à se, uel ab alio quàm à suo iudice.
    - Cùm appetit puniri, sed non propter debitum finem, q̄ est conseruatio iustitiæ uel correctio culpæ.
  - Veniale
    - Cùm ex iræ uehementia quis excidit à dilectione Dei & proximi.
    - Cū appetit uindicta in re parua, q̄ si etiā actu inferret nō esset mortale.
    - Cū motus iræ præuenit iudicium rationis, & consensus nō subsequitur.
    - Cùm nimis ardenter irascitur interius.
    - Cùm nimis manifestat signa iræ exterius.
  - Capitale, quia est caput uitiorum, secundū Gregor. 31. Mor. secundū quòd ira est,
    - In corde oritur
      - Indignatio, qua irascens indignum putat iniuriantē quod contra eum tale quid fecerit.
      - Tumor mentis, quo irascens uarias uindictæ uias excogitans animum suum huiusmodi cogitationibus replet.
    - In ore oritur
      - Clamor quo inordinatè & confuse quis loquens uehementem iram demonstrat.
      - Blasphemia, qua iratus in uerba iniuriosa cōtra Deū prorūpit.
      - Cōtumelia, qua in uerba iniuriosa cōtra proximū prorumpit.
    - In ope oritur
      - Rixa, qua intelliguntur oīa nocumēta facto, proximis illata ex ira.
  - Generale, quia eius species sunt tres, secundum Philos. 4. Ethicorum,
    - Acuta, quæ nimis cito ex leui causa insurgit.
    - Amara, quæ iniuria illata diu in memoria permanente diuturnam tristitiam concipit.
    - Grauis uel difficilis, quæ non remittit iram quousq; puniat.

IRA græcè ὀργή, ῆς, ἡ, & ὀργίζομαι irascor dicitur. Est autem ira accésio sanguinis circa cor secundum Aristotelem lib.1.de anima.

Ira est feruor eius, q circa cor est sanguinis, vaporatione fellis vel perturbatione fiens, secũdum Ioannem Damascenum lib.2. cap.16.

Ira est irrationabilis perturbatio mentis, secundum Hugonem libro 2.de sacramentis.

Ira est libido puniendi eius qui videtur læsisse iniuria, secundum Cice.lib.Tus.quæst.

Ira est cupiditas puniẽdi eius à quo te iniquè putas læsum, secundum Possidonium.

Iracundia est excessus iræ: ideo est vitium oppositum mansuetudini, secundum b.Tho. secũda secundæ q.157.art 1. Differtq; ab ira (vt placet Donato) quod ira est ex causa, iracundia ex vitio multum irascentis. Ab ira veniũt irascor, & iratus, ac iracundus, quæ ita differunt, quod iratus est qui ex aliqua re lacessitus excanduit iracundus qui ex quacunque etiam parua causa mouetur ad iram semper. Alterum ex causa est, alterum ex moribus.

Dauid Psal. 4.

Irascimini & nolite peccare.

Prouerbiorum.cap.12.

Fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat iniuriam callidus est.

Ibidem cap.15.

Vir iracundus rixas prouocat, qui patiens est mitigat suscitatas.

Ibidem.

Responsio mollis frangit iram, & sermo durus concitat furorem.

Ibidem 18.

Spititus viri sustentat imbecillitatem suam, spiritum verò ad irascendum facilem quis poterit sustinere?

Ibidem 22.

Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.

Ibidem cap.27.

Graue est saxum & onerosa harena, sed ira stulti vtroque grauior.

Ibidem.

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati spiritus ferre quis poterit.

Ibidem 29.

Vir iracundus prouocat rixas, & quo ad indignandũ facilis est, erit ad peccandũ procliuior.

Ecclesiastici 8.

Cum iracundo non facias rixam.

Ibidem. 28.

Certamen festinantium incendit lites.

Et pòst.

Si sufflaueris quasi ignis ardebit, & si expueris extinguetur.

Paulus ad Ephesios 4.

Sol non occidat super iracundiam vestram.

Ibidem.

Omnis indignatio & ira tollatur à vobis.

Augustinus super Psalmos.

Ira inueterata odium est: ira turbat oculum, odium extinguit: ira festuca est, odium trabs: homines quotidie irascuntur filijs, non tamen oderunt filios.

Idem de uera innocentia.

Diuina bonitas ideo irascitur in hoc seculo, ne irascatur in futuro, & misericorditer temporalem exhibet seueritatem, ne æternam vltionem inferat.

Idem de ciuitate dei 14.

Non est quærendum vtrũ quis irascatur, sed quare irascatur: nec vtrum sit tristis, sed quare: nec vtrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, vt corripiatur, contristari pro afflicto vt liberetur: timere periclitanti ne pereat, nullus sanæ mentis vel considerationis reprehendat.

Idem de conflictu uirtutum & uitiorum.

Ira dicit: Quæ æquanimiter erga te ferri non possunt, hæc omnino patienter tolerare peccatum est, quia nisi eis cum magna exasperatione resistatur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Patientia respondet: Si passio redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod nõ æquè toleretur. Quãta enim sunt hæc quæ patimur comparatione illius? Ille opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemq; sustinuit, & nos miseri vno sermone fatigamur, vno verbo deijcimur.

Idem de uerbis apostoli.

Iram fratris tunc portabis, cùm tu aduersus eum non irasceris, vt rursum eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & trãquillitate supportet.

Idem ad Diascorum.

Nulli irascenti ira sua videtur esse iniusta. Ira enim inueterascens ita fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo diutius eã in vase detinet, donec totũ acescat, vasq; corrũpatur.

Idem ad Vigilantium.

Quãdo iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantasma delectat, basilicas martyrum intrare nõ audeo, ita totus & anima & corpore contremisco.

Hieron. super Ioel Prophetam.

Est ira quæ iustitiam non operatur, & furori proxima, menti suæ vim potestate facit, intantum vt labia trement, dentes cõcrepent, vultus pallore mutetur. Rectè illud laudatur Architæ Tarentini, qui cum villico iratus, iam te inquit occiderem, nisi iratus essem.

Idem ad Demetriadem.

Quid

Idem ad Demetriadem.

Quid iracundo furor suus confert, quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ, ita ab omni consilio ac mente deturbat, vt dum irascitur insanire credatur.

Idem lib. 3. contra Ruffinum, & dicit fuisse Aristotelis sententiam.

Ignem gladio ne confodeas, id est, iratum & tumidum animum maledictis ne lacessas.

Idem ad Celantiam.

Quid virtutis habet vinum non bibere, & ira & odio inebriari?

Ambrosius de sancto Ioseph, & habetur 11. quæst. 3. Ira sæpe.

Ira sæpe etiam innocentes ad crimē adducit, quia dum iusto amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora cōmittimus. Ideò apostolus ait: Non vos vindicantes charissimi, sed date locum iræ, hoc est declinemus eā ne nos illa corripiat. Vnde Dominus Iesus mittens ad Euāgelizandū discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, vt incentiua litis & instrumēta eriperet vltionis.

Idem lib. 1. de Officijs.

Resiste iræ si potes, cede si non potes, si præuenerit & præoccupauerit mentē tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locū tuū. Locus tuus patientia est.

Ibidem.

Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quàm animo commoueri, hoc nostrum est, illud est naturæ.

Ibidem.

Irascimini vbi est culpa, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri vt non rerum indignitate moueamur. Alioquin non virtus, sed lenitudo & remissio iudicatur.

Ibidem.

Qui sibi irascitur, quia cito mutus est, desinit irasci alteri: Qui aūt vult iram suam probare iustam, plus inflammatur, & cito in iram cadit.

Idem de Iacob, & uita beata, lib. 1.

Est & passio grauissima culpa cōscientiæ, quā ratio emollit, & comprimit. Emolliri enim potest, eradicari non potest: quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionū dominus, sed reprehensor. Neq; enim fieri potest, vt facilis ad iracundiam non irascatur, sed vt ratione se temperet, indignitatem cohibeat, à puniendo se reuocet: sicut & propheta docet nos dicens: Irascimini, & nolite peccare: concessit quod naturæ est, negauit quod culpæ est.

Idem ad Vercellen.

Non iram imperat sed indulget naturæ, quā homo præuenire non potest, mitigare potest. Igitur & si irascimur, affectus noster modum recipiat, sed secundum naturam, nō peccatum præter naturam.

Idem super Lucam libro 5.

Præclarum est motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, indignationemque compescere quàm omnino non irasci: cùm plærunq; illud leuius, istud fortius æstimetur.

Idem libro de Paradiso.

Incentiuum ad malè operandum, aut iracundia, aut cupiditas esse consueuit.

Idem super Lucam.

Mitiga affectum tuum, & non irascaris, aut certè iratus ne peccaueris.

Gregorius Mauritio Imperatori, & habetur 11. quæst. 3. Illa præpositorum.

Illa præpositorū solicitudo vtilis est: Illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat. Restringenda sub ratione potestas est, nec quid agendum prius, q̄ concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore iustū putat omne quod fecerit.

Idem libro 3. Moralium.

Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Racha in hebręo vox est interiectionis quę animū irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, posteà verò ira cum voce, sed nec dum plane verba format, ad extremum ira cū verbo. Et notandū, quòd in ira prohibet reum esse iudicio: in voce iræ, quæ est Racha, reum consilio, in verbo vocis reum gehennæ: per gradus enim culpæ, crescit ordo sententiæ. Quia iudicio adhuc causa discutitur, in consilio autē sententia diffinitur, in gehenna verò ea quæ de consilio egreditur sententia expletur.

Idem 5. Moralium.

Per iram sapientia perditur, vt quid quóue ordine agendum sit nesciatur.

Ibidem.

Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silentiū dicit, vt qui se foris per linguā non exprimit, intus deterius ignescat: vt iratus quisq; collocutionē suam proximo subtrahat, & nihil dicendo, quod sit aduersus eum dicat.

Ibidem.

Plærunq; per silentium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, & clamosas voces tacita forma, verba sibi quibus exasperetur obijcit, & quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet.

Ibidem.

Quanta sit iracundiæ culpa pensare possumus, per quam patientia perditur, vt quid, quo ordine sit agendum nesciatur omnino: quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cùm mentem permouendo confundit.

Ibidem.

Per iram iustitia relinquitur. Quia dum per-

turbata mens iudicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, quia qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt vt beſtialiter viuat. Per iram manſuetudo amittitur. Per iram concordia rumpitur. Per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia cõfuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuę cognitionis abſcondit.

Ibidem.

Per iram ſpiritus ſancti ſplendor excutitur, qui ſuper humilem & quietum requieſcere dicitur: quia cum ira ſubtrahit, quietem ſuam ſpiritui ſancto habitationem claudit, cuius receſſione animus vacuus ad apertam morum inſaniam ducitur, & vſq; ad ſuperficiem ab initimo cogitationum fundamento diſſipatur.

Ibidem.

Nam iræ ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquã recognoſcuntur noti, ore quidem clamorem format, ſed intus quid loquatur ignorat. In quo itaq; iſte ab arreptitijs longe eſt, qui actionis ſuę cõſcius non eſt? Ibidem.

Aliquando iracundus manus non erigit, ſed in maledictionis iaculum linguam vertit. Fratris nanque interitum precibus expoſcit, & hoc Deum perpetrare expetit.

Ibidem.

Alia eſt ira quam impatientia excitat, alia quã zelus formidat. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Ira per vitium oculos mentis excæcat, ira autem per zelum turbat. Si nobis & proximis delinquentibus iraſcimur, non peccamus. Si enim ſic ꝓximos, vt nos amare præcipimur, reſtat, vt ſic eorum erroribus, ſicut noſtris vitijs iraſcamur.

Ibidem.

Quis nouit poteſtatem iræ tuę? Poteſtas iræ Dei, noſtra nõ poteſt mente cõprehendi. Quia eius diſpenſatio ſuper nos, ſępe nos vnde æſtimatur deſerere, inde nos recipit, & vnde nos recipere creditur, inde derelinquit, ne plęrunq; hoc fiat gratia, quod ira creditur, & hoc aliquando ira ſit, quod gratia putatur. Nonnullos enim flagella corrigunt. Nonnullorum, in impatientię ęſtum animã perducunt: & alios proſpera quę demulcent, ab inſania mitigant, alios quia eleuant, ab omni ſpe euerſionis eradicant.

Idem 26. Moralium.

Si is qui corrigere nititur, ira ſuperatur, opprimit antequã corrigat. Nam dum plus quàm debet accenditur, ſub iuſtè vltionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrenatur.

Idem ſuper Ezechielem.

Menti furore ebrię, omne quod rectum dicitur, peruerſum videtur.

Ioannes Chryſoſt. de Laudibus Pauli homil. ſexta.

Non commoueri malum eſt, ſed irrationabiliter nullóque negotio iuſto flagitante commoueri.

Idem ſuper Matthæum homil. 17.

Sicut ligna ignis materia ſunt, ſic quęcunq; loquitur quis in ira, facta ſunt eſca illius.

Idem homil. 18.

Ira debet vinci patientia. Ignis enim eſt, ſed ignis non extinguitur igne, ſed aqua.

Idem ſuper Matthæum homil. 23.

Non dolere quia peccaueris, magis indignari atq; iraſci facit Deum, quàm idipſum quod antè peccaueras.

Idem ſuper Matthæum 2.

Coerceri omnino nequit animus praua ſemel volũtate vitiatus. Quia zelus ſapere neſcit, & ira conſilium non habet.

Ibidem.

Reges ſiquidem cum ex alijs cauſis iraſcuntur, cito placantur, illa autem ira eſt inextinguibilis, quam regni zelus accendit.

Idem ſuper illud Matthæi cap. 5. Qui iraſcitur fratri ſuo, &c.

Nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. Itaq; qui cum cauſa nõ iraſcitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentia nutrit, & non ſolum malos, ſed etiam bonos ad malum inuitat.

Caſsiodorus ſuper illud Pſal. Iraſcimini & nolite peccare.

Melior eſt qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem.

Idem ſuper Matthæum.

Motum ſiquidem animi feruidum propter humanam fragilitatem in poteſtate habere nõ poſſumus, ſuffragantem tamen gratia Dei ratione diſciplinam continemus. Nam ſi iraſcamur, nec Dei conſideratione refrenamur, ſed à voto noſtro impedimur aliquo neceſsitatis obiectu, tunc vtique conſtat nos facti crimen portare, etiamſi nõ poſſumus quod volebamus efficere.

Lactant. Firmianus de ira Dei.

Deus itaque qui iraſcitur non in totum prohibet iram, quia is affectus neceſſario datus eſt.

Beda ſuper epiſtolam Iacobi, & habetur 11. quæſt. 3. Epiſcopus.

Ira enim viri iuſtitiã Dei non operatur. Quia, & ſi qui iratus in aliquem ſententiam profert, & ſi ille quantum ad ſe iuſtam reportet ſententiam, iſte tamen qui non amore iuſtitię, ſed liuore odij in eum ſententiam dedit, iuſtitiam DEI, in quem perturbatio non cadit, non mutat.

Idem ſuper Parabolas lib. 2.

Hæc est natura iræ, vt dilatata languescat & pereat, prolata verò magis ac magis conflagret.

Seneca.

Quid enim prodest equum regere, & cursum eius freno temperare, & affectibus effrenatissimis abstrahi.

Idem in epistola.

Quid enim prodest intus æstimata habere omnia, si sis impetu nimius?

Idem ad Lucilium epistola.

Quidam nunquã magis quàm cùm erubuerint timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint.

Idem libro de Ira.

Nihil æquè profuit iratis, quàm intueri deformitaté rei, id est iræ. Nam in ea facies turbatior, ora pulcherrima fœdat, toruos vultus ex tranquillitate reddit, linquit decor oïs iratos.

Ibidem.

Qualem putas animum, cuius extra imago tã fœda est? Et sequitur. Qualia poëtæ infernalia monstra finxére, succincta serpentibus, & igne, & flatu &c. talem nobis iram figuremus.

Idem lib. 2. de Ira.

Vindicta, sine pœna differenda est ad emendationẽ eius, qui debet puniri. Vnde Socrates seruo ait: Cæderem te, nisi irascerer.

Idem lib. 3. de Platone.

Maximũ remedium iræ est dilatio, vt primũ eius feruor relanguescat, & caligo quæ menté premit, aut decidat aut minus densa sit.

Ibidem.

Immodica ira gignit insaniã, hac ardescit affectus ex amore, qui ex odio nascitur. Non viuimus minus inter seria quã inter lusus & iocos, nec interest ex quàm magna causa irascatur, sed in qualem perueniat animum. Sic ignis non refert quã magnus, sed quo incidat. Ingentis iræ exitus furor est, & ideo ira vitanda est, non immoderationis causa, sed sanitatis.

Ibidem.

Nihil inter insanum & iratum est, non vnus dies: alter semper insanit, alter semper irascitur.

Idem in Prouerbijs.

Iracundia infelicitas geminatur. Iracundus cùm irasci desierit tunc irascitur sibi: respicere nihil consueuit iracundia.

Ibidem.

Quo minus presseris iram, hoc ab ira magis premeris: tunc enim incipimus alijs irasci, cum nobis definimus. Finis iræ initium est pœnitentiæ.

Ibidem.

Apud bonum virum cito moritur iracũdia. Breuis mens, est ipsa iracundiæ memoria. Fulmen est vbi cum potestate habitat iracundia: grauissima est probi hominis iracundia, grauis tamen pœna est, quem post factum pœnitet.

Ibidem.

In amore semper mendax iracundia est. Iratum breuiter vites, inimicum diu. Iracundiam qui vincit hostem superat maximum. Iratus etiam facinus consilium putat. Si quis irascitur ab alio, pœnas à se exigit.

Ibidem.

Animo dolenti nihil oportet credere.

Ibidem.

Boni viri cito moritur iracundia.

Seneca in Tantalo Tragœd. 2.

Cùm superat ira sanguine, nescit regi.

Iratus nihil nisi crimina loquitur. *Ibidem.*

Quos amor uerus tenuit, tenebit
Ira, cum magnis agitata causis.

Idem Tragœd. 6. actu. 2.

Sed regi frenis nequit
Et ira, & ardens hostis, & uictoria
Commissa nocti: quicquid indignum, aut ferum
Cuiquam uideri potuit: hoc fecit dolor,
Tenebræq;, per quas ipse se irritat furor.

Idem Tragœd. 7.

Ira quæ tegitur nocet.

Idem Tragœd. 8.

Mixtus dolori subdit stimulos timor. *Ibidem.*

Quocũq; me ira, quò dolor, quò spes feret, huc ire pergã.

Aristot. lib. 3. Ethicorum.

Irasci in quibus non oportet, insipientis est.

Ibidem.

Non irasci in quibus oportet, insipientis est.

Idem lib. 2. Rhetoricorum.

Ad omné iram sequitur delectatio, propter spem puniendi: vnde Homerus dicit, quod ira est dulcior melle stillante.

Ibidem.

Infirmi, bellantes, coeuntes, amantes, sitientes & vniuersaliter desiderantes aliquid & non assequentes, hi de facili irascuntur.

Ibidem.

Multum inopinatum, etsi non sit validum, contristat magis.

Ibidem.

Si quis in Philosophia cupit honorari, irascitur ei qui eam despicit.

Ibidem.

Mansuetudo est quietatio iræ.

Idem.

Obliuio signum est parui pensionis, & propterea factiua est iræ. Ibidem.

Tempus quietat iram. Ibidem.

Ira factiua est inimicitiæ, & odij.

Idem lib. 1. Elenchorum.

Homines irati & turbati minus possunt considerare orationes.

Plato lib. de Repub.

Nihil tam contrarium Reipub. quàm iræ cõmotio, & impetus furoris in ciuibus.

Laertius Diogenes de Vita & mori. philo.

Iræ dominari, non cupere impoßibilia, non festinare in via, loquentem non mouere manũ, legibus obedire, dicebat Chilo.

Ibidem.

Consilio maximè, dicebat Bias, cõtraria sunt festinantia & ira.

Ibidem.

Ignem gladio ne fodias, id est, iratum & tumidum animum verbis maledicis ne lacessas, dicebat Pythagoras.

Ibidem.

Iratus filio ipse te coerce, dicebat Socrates.

Ibidem.

Interrogatus Plato per quid cognoscitur sapiens, ait: sapiens cùm vituperatur non irascitur, & non extollitur cùm laudatur.

Ibidem.

Ira immoderata insaniam gignit, dicebat Epicurus.

M.T. Cicero. lib. officiorum.

Omnis autem & animaduersio & castigatio contumelia vacare debet. Cauendum est etiam ne maior pœna quàm culpa sit, & ne eisdem causis alij plectentur, alij ne appellentur quidẽ. Prohibenda est autem ira, maxime in puniẽdo. Nunquam enim iratus qui accesserit ad pœnã, mediocritatem tenebit, quæ est inter nimium & parum.

Ibidem.

Non vero audiendi sunt, qui grauiter inimicis irascendum putant, idque magni animi & fortis viri esse credunt.

Idem de finibus bonorum & malorum.

Etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci.

Idem lib. 3. Tuscula. question.

Exisse ex potestate dicimus, qui effrænati feruntur aut libidine, aut iracundia: quanquam ipsa iracundia libidinis est pars, sic enim diffinitur iracundia, vlciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum est.

Ibidem.

Peripatetici multis verbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis esse dicunt, multoque & in hostem & improbum ciuem vehementiores iratorum impetus esse. Leuis autem iracundia eorum qui ita cogitant, prælium rectũ est, hoc fieri cõuenit, dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria, hæc nullam habent vim, nisi ira excanduerit fortitudo. Nec verò de bellatoribus solum disputant, imperia sæuiora esse putant nulla, sine aliqua acerbitate iracundię. Oratorem denique in modo accusantem, sed ne defensionem quidem probant sine aculeis iracundiæ, quæ si etiam non sit, tamen verbis atq; motu simulandam arbitrantur, vt auditoris iram oratoris incendat actio, virumq; videri negant, qui irasci nesciat.

Ibidem lib. 4. Tuscul.

An quisquã potest sine perturbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, cùm omnia essent in morbis vitia, quod nullũ erat iracundia fœdius iracundos solos morbosos nominauerũt. Oratorem vero irasci minimè decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, cùm quid in causis acrius & vehementius dicimus?

Idem libro 4. Tuscu. quæstionum.

Illud laudatur Archytæ, qui cum villico factus esset iratior, quo te modo inquit accepissem nisi iratus essem? Vbi sunt ergo isti qui iracundiam vtilem dicunt? Potest vtilis esse insania? at naturalis est? An quicquam esse potest secundum naturam quod fit repugnante ratione? Quomodo autem si naturalis esset ira, alius alio magis iracundus esset, aut finem haberet priusquã esset vlta, vlciscendi libido? aut quenquam pœniteret, quod fecisset per iram? vt Alexandrũ regem videmus: qui cùm interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi.

Idem Rhetoric. ueterum. lib. 1.

Nam ab iratis si perspicuè pax & beneuolentia petitur non modo ea non inuenitur, sed augetur atque inflammatur odium.

Salustius in Catilinario.

Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur.

Salustius in Iugurtha

Cupido & ira pessimi consultores.

Valerius Maximus lib. 1. de neglecta religione.

Deorum spreti monitus excandescunt, & humana consilia castigãtur, vbi se cœlestibus preferunt.

Ibidem.

Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat.

Ibidem.

Sumpsissem à te suppliciũ nisi tibi iratus essem.

Ibidem.

Malo impunitum te dimittere, quã propter iram iusto grauius punire.

Poggius lib. 4. de Vita Cyri, & Xenophonte.

Ira atq; indignatio non præstant conturbato animo quid tutißimum sit, consultandi locũ.

Paulus Oro. de Ormesta, lib. 2.

Expers consilij furor, dolorem virtutem putat, quantumcunq; meditatur, ira tamen promittit audaciam.

Idem lib 5.

Considerationem furor adimit.

Angelus Politianus in epistola ad Laurentium Medicen de terra.

Iracundia & pudor, pedissequæ ambæ & comites virtutis.

Ibidem.

Inspicientes, vt est apud poëtam: Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ. Qui enim recenti adhuc ætate ita esset affectus, vt neq; is laude neque ignominia moueretur, nihil ab eo quicquàm egregium sperandum fore Lacedæmonij iudicabant.

Homerus in δ Iliados.

Δίος δ᾽ ἀλεώμεθα μῆνιν. id est,

Iouis autem fugiamus iram.

χαλεπὴ δ᾽ θεοῦ μῆνις. id est,

Molesta autem Dei ira est.

Idem in ι Iliados uerba Nestoris de Achille irato.

Φραζώμεθ᾽, ὥς κέν μιν ἀρεσσάμενοι πεπίθοιμεν,
Δώροισιν τ᾽ ἀγανοῖσιν, ἔπεσσί τε μειλιχίοισιν. id est,
Cōsideremus quomodo ipsum iratū placātes mitigemus,
Donis splendidis uerbisq; blandis.

Idem in eodem.

σὺ δ᾽ μεγαλήτορα θυμὸν
ἴσχειν ἐν στήθεσσι, φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων. id est,
Tu uerò magnam iram.
Contine in pectoribus. Humanitas enim melior.

Phocylides.

Μὴ προπετὴς ἐς χεῖρα, χαλίνου δ᾽ ἄγριον ὀργὴν,
Πολλάκι γὰρ πλήξας, ἄεκων φόνον ἐξετέλεσσας. id est.
Ne sis promptus ad manum, sed frena agrestem iram.
Sæpe enim cùm percusseris, inuitus cædem patrasti.

Idem.

θυμὸς ὑπερχόμενος, μανίην ὀλοόφρονα τεύχει. id est.
Ira animum subiens, insaniam perniciosam gignit.

Menander.

ἄνθρωπος ὤν, γίγνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν. id est,
Homo existens, disce iræ imperare.

Idem.

βλάπτει τὸν ἄνδρα θυμὸς εἰς ὀργὴν πεσών. id est,
Lædit uirum animus in iram cadens. *Idem.*
ζήσεις βίον κράτιστον, ἂν θυμοῦ κρατῇς. id est,
Viues uitam optimam, si iræ imperaueris. *Idem.*
ὀργὴ δ᾽ πολλὰ δρᾶν ἀναγκάζει κακά. id est,
Ira autem multa facere cogit mala.

Idem.

οὐδεὶς μετ᾽ ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται. id est,
Nullus cum ira tuto deliberat. *Idem.*
ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον, id est,
Ira amantium paruum durat tempus.

Idem.

φεύγειν ἀεὶ δεῖ δεσπότας θυμουμένους. id est,
Fugere semper oportet dominos iratos.

Plautus in Curculione.

Noli amâbo uerberare lapidem, ne perdas manum.

Plautus in Pseudolo.

Cauendum est ab hoste irato.

Terentius in Andria.

Amantium iræ amoris redintegratio est.

Idem in Hecyra.

Non maximas quæ maximæ sunt interdum iræ inimicitias faciunt.

Ibidem.

Pueri inter se quàm primum leuibus noxijs iras gerunt.

Virgilius Aeneid. lib. 2.

Furor iraq; mentem
Præcipitant. *Idem eodem lib. 7.*
Rimanti telum ira facit.

Ouid. Metamorph. l. 8. fab. 4.

Tangit & ira deos.

Idem l. 1. Amorum Elegia 2.

Quaslibet infirmas adiuuat ira manus.

Idem Elegia 7.

Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram,
Sæpe simultates ira morata facit.

Idem lib. 3. de Arte amandi.

Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ.
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Idem epist. Hysipyles ad Iasonem.

Quælibet iratis ipsa dat arma dolor.

Idem lib. 1. de remedio amoris.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori:
Difficiles aditus impetus omnis habet.

Idem epist. Medeæ ad Iasonem.

-Sed quid prædicere pœnam
Attinet? ingentes parturit ira minas.

Propert. lib. 1. Elegia 1.

Fortiter & ferrum sæuos patiemur & ignes,
Sit modo libertas, quæ uelit ira loqui.

Idem lib. 3. Elegia 15.

Nescit uestra ruens ira referre pedem.

Horat. Carminum lib. 1. Ode 16.

Compesce mentem, me quoq; pectoris
Tentauit in dulci iuuenta
Feruor & in celeres iambos
Misit furentem, nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia.

Idem serm. lib. 2. Satyra 3.

Stultitia ne erret, nihilum distabit, an ira.
Aiax immeritos dum occidit.

Idem epist. lib. 1. epistola 2.

Ira breuis furor est: animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Homerus Iliados 8.

Procul hinc procul ira recedat,
Quæ turbat sapientem hominem.

Claudianus alloquens Theodosium.

-Si duceris ira:
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges.

Iuuenalis Satyra 6. de ira mulierum.

- Quoties facit ira nocentes

Hunc sexum, & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites, ut saxa iugis abrupta.

Idem satyra 8. Pone iræ frena modumq́;.

Dantes purgatorij 17.

Sentimi quasi presso un mouer dala
Auentarmi nel uiso & dir: Beati
Pacifici, che son senza ira mala. id est,
Sensi prope me quasi quandam alæ motionem
Aduentantem mihi in uisum, & dicentem: Beati
Pacifici, qui sunt sine ira mala.

Francis. Petrar. Soneto 186.

Vincitor Alexandro lira uince,
Et fel minor in parte che Philippo.
Ira e breue furor & chi nol frena.
E furor longo: chel suo possessore
Spesso ad uergogna, & talhora morte il mena. id est.
Victorem Alexandrum ira uicit,
Fecitq́; eundem in parte minorem Philippo patre.
Ira est breuis furor, quem qui non reprimit,
Est furor longus, qui suum possessorem
Aut ad dedecus, aut ad mortem ducit.

AMANTIVS. IRA est accensio sanguinis circa cor, lib. 1. de Anima Aristot. vel est libido puniendi eius, à quo te iniquè putas læsum: secūdū Posidoniū.

Ira, secundū Aristot. lib. 3. Ethicorum, perturbatio est, quę ex multis reb⁹ varijsq́; gignitur.

Lib. 5. Ethicorum.

Cùm quis sciens, nec tamen consultò aut cogitanter peccat, iniuria dicitur: quo in genere ea sunt omnia, quæ ira aut alia animi perturbatione fiunt, quæq́ue necessariò, & à natura tributa sunt mortalibus. Nam qui his incitati, nocent alijs ac delinquunt, faciunt illi quidem iniuriam, sed tamen non idcirco sunt iniusti, vel improbi habendi: Neq; enim nocendi causa de industria illata iniuria est. At verò cum cōsultò & cogitatò fit iniuria, tum quisque iniustus & improbus habetur. Itaq; rectè ea quæ per iram fiunt, non ex voluntate iudicantur, quippe cū non is auctor, ac caput mali sit, qui ira incitatus facit, sed qui incitauit: Præterea non id agitur, vtrum factum sit nec ne, sed vtrum iure, quoniam ira quandam speciem fert iniuriæ: neque enim vt in conuentis & pactis solet, sed hic de facto controuersia est, quorum necesse est alterum esse in vitio, &c.

Ludouicus Viues lib. 3. de Anima in cap. de Enumeratione affectuum.

Motus in malum præsens, ira, inuidia, indignatio: Itē ira est concitatio animi acerba, quod bona sua videt contemni, quæ ipse putat non esse cōtemnenda, in quo & semetipsum censet contemni: cuiq; enim precium atq; æstimatio ex suis bonis.

Ira est motus, iracundia habitus, vel ingeniū naturale: Ira omnis ex offensione nascitur: non est autē omnis offensio ira, differunt enim duo hæc, vt generale & speciale: sed sermone communi tamen confunduntur, adeò vt altera pro altera sumatur.

Tributa est homini ira, ad appetitum rerum excellentium, vt cùm videat se, ac doleat ob viles abiectasq́; actiones reijci, ac contemni, det operam, vt se ab illis vindicet, transferatq́ue ad pręclaras, quę cōtemni iure non posint. Viues lib. 3. de Anima in cap. de Ira & offensione eleganter loquitur, hunc licebit legere.

Iracundia est ira inueterata, & plena odij, vlciscendi tempus obseruans: quod hisce verbis ostenditur.

ἅπερ γὰρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ:
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ. id est.
Nam siquidem ad tempus bilem sibi concoquat atram:
Non tamen ira animo excedet, nisi pœna sequatur.

Petrarcha Dial. 101. de remedio fortunæ.

Nil dulcius est vindicta: ira nihil amarius, quā cur quidam dulcem dixerit, mirari soleo: sin dulce aliquid inesse senseris, dulcedo effero viro indigna, ac propria beluarum: eamq́; nō omnium sed promordacium atque ferocium. Nil humanum minus, quàm sæuitia & feritas: contraq́; nil humanum magis, quàm misericordia & lenitas: quibus nihil tam contrarium, quàm vindicta est: & quicquid animi impetu homo in hominem committit asperius, quod si omnino vindictæ non dulce est, ostendam tibi, quo multa cum gloria vti posis.

Nobilissimum uindictæ genus est, parcere.

Idem in dialogo 107.

Ira æstuans furit: nam ira furor breuis est, secundum Flaccum. Fit autē à plerisq́; mala consuetudine, & impatientia, longus furor.

Ennius autem iram initium dixit insaniæ, cum plerisque minis illam sequentibus, finis & insaniæ sit & vitæ. Si quidem hæc etiam pestis, vt superior, etsi sæpe alios, semper tamen ante alios possessorem suum torquet & cruciat, vt mirer vnde quibusdam videri potuerit, huic, nescio quid melle dulcius inesse: habet fortasse vltio dulce aliquid, efferum, inhumanum: Ira nihil nisi amarum habet.

Cironianum illud tenendum.

Ira procul vt absit, cum qua nihil rectè fieri, nihil consideratè potest. Iure ergo laudatur Architæ Tarentini dictum, & Platonis amici sui factum: quorum primus dum se studijs dedito, possessiones suas culpa villici destructas aspiceret, in eum versus, sumerem, inquit, ex te debitas pœnas, nisi tibi iratus essem, alter ira: Architas: & Plato modi... vetus seruo, non impunè te dimisit, vt Architas: sed amico commisit vt suppliciū exigeret, veritus ne se irę impetus, quò non deceret, impelleret, hæc horumq́ue similia frenare iram debent, ne sequaces suos, vt solita est, in infamiam, clademq́; pręcipitet.

IRA CAVSAT INIMICITIAS. *Horat.*

Horat. epist. 20. lib. 1. ad Mœcenatem.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram:
Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Ira mora euanescit. Ouid. in 1. de arte Amandi.

Vt fragilis glacies, interit ira mora.

Ibidem.

Flectitur iratus uoce rogante Deus.

Pax decet homines. lib. 3. de arte Amandi.

Pertinet ad faciem, rabidos componere mores:
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ore tument ira, nigrescunt sanguine uenæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.
Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores conuenienter eunt.

Ira fortem reddit. Verg. lib. 5. Aeneid.

At non tardatus casu, neq; territus Heros:
Acrior ad pugnam redit & uim suscitat ira.

Ira animum rodit. Statius lib. 2. Thе.

Exedere animum dolor, iraq; demens:
Et quæ non grauior, mortalibus addita cura,
Spes ubi longa uenit.

Ira defrenanda.

Vince animos, iramq; tuam, qui cætera uincis.

Seneca in Thebaide.

Pone uesanos precor
Animi tumores, teq; pietati refer.

Terentius in Adelphis.

Tandem reprime iracundiam & redi ad te.

Statius 8. Thebaidos.

Ille monet ne frena animo permitte calenti,
Da spacium, tenuemq; moram, malè cuncta ministrat
Impetus: hoc oro munus concede parenti.

Periander Ausonius.

Trepidam moderate iram.

IRA & uinum non facile retinent secreta.

Horatius epist. 17. lib. 1. ad Quintium.

Arcanum neq; tu scrutaberis ullius usquam,
Cõmissumq; teges & uino tortus & ira,
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

Idem 2. Epist. lib. 1. ad Lollium.

Qui non moderabitur iræ,
Infectum uolet esse, dolor quod suaserit, & mens,
Dum pœnas odio per uim festinat inulto.

Socrates de Regno.

Irasci & aliquid per iram agere, nunquam decet. Simulare cùm tempus postulat, non decet.

Pœnitentia iræ comes.

Isocrates de permutatione facultatum.

Prouidendum nobis est, ne tale quid eueniat, aut ipsi ea perpetretis, quæ ab alijs facta reprehenderitis. Opinor aũt vos non ignorare, nostrã vrbem sæpe pœnituisse iudiciorũ, quæ per iracũdiã potius, quã re examinata, facta sunt.

Petrus Crinitus in lib. 1. cap. 6. de honesta disciplina scribit ex Platonis sententia, in libro de scientia, eos maiori memoria: qui ad iram & contentiones facilius excitantur, quàm qui modestiam & gratuitatem præ se ferunt: illos etenim segniores plerunque, & obliuioni obnoxios esse.

Valerius libro 9. cap. 3. De Ira & Odio.

Ira quoq; aut odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: procursu celerior, illa nocendi cupidine, hoc pertinacius: vterq; consternationis plenus affectus, ac nunquã sine tormento sui violentus: quia dolorem cùm inferre vult, potitur amara solicitudine, ne non contingat vltio anxius: sed proprietatis eorum certissimæ sunt imagines, qua Dij ipsi in claris personis, aut dicto aliquo, aut facto vehemẽter cõspici voluerunt.

De Liuio Salinatore C. Figulo
Appio Claudio.

De populo Romano in Cn. flauium de Manlio torquato, de Metello, de L. Sylla, de Alexandro Rege, de Almicare, de Annibale, de Semiramide, de Regina Babilonis. *Exempla ibi ponit externa.*

Vnusquisq; culpa sua fit improbus.

Exempla iræ, odij, Ex Baptistæ Fulgosi dictis memorabilibus ac factis descripta.

De duce Brenno & Gallis: de Cambysse Persarum rege, de Septimio Seuero, de Tertulliano, de Flarico rege Gotthorum, de Totila, de Constantino militari tribuno, de monte accola Silicei montis, de Ioanne Andatu Lampugnano, de Gualterio comite Brennensi, de populo Romano in Albertum Ethruriæ Marchionem, de Stephano sexto Pontifice, de Lothario Gallorum rege, & Sergio tertio Põtifice Maximo, de populo Florẽtino, de Henrico Hispaniarum rege, de Stephano Conth equite Pannonio, ac comitibus, de Tennensibus aduersus Pisanos. *Lib. 9. cap. 3.*

De iracundia Sabellicus lib. 9. cap. 3.

Nemo vnquam in vitio à primo ortu fuit, sed sua quisq; fit culpa improbus: sunt medij quidam motus animorum, quibus si malè vtaris, fiunt vitia: sin aliter, virtutes erunt: qui enim peccanti irascitur, vt vitium corrigat, nihil inhumanè facit: qui iniuriam damnat aut illatam vlciscitur, fortis hic & iustus: at qui iram non frenat, sed præceps rapitur, is immani belluæ similior, quàm homini. Extant varia & atrocia huius vitij exempla, & in ijs illud Sauli Regis, qui ob Dauidem quem infensè oderat, quia apud Abimelechum fugiens ille in hospitio fuisset, regiæ iræ ignarum, nõ solum hospitem ipsum, sed Nobeam etiam hospitalem vrbem incẽdit, ciuibusq; omnis sexus & ætatis ferro deditis: fuitque miserabilis illa clades eò calamitosior, quod quinque & octoginta sapientia & diuinatione illustres viri, Abimelechi causa, extremo sunt supplicio affecti. De eodem. de Anna Caiphæ socero, de Ecelino Tyranno, de

Suiten.

de Suitensibus, de factiosis Italiæ vrbibus, de Alexandro rege, de Pirrho, de Perse rege, de Nerone, de Mahometo Otthomano, de Xanthijs, de Xanthia muliere.

περὶ ὀργῆς. Id est: De ira, loci ac sententię, ex latinis ac græcis autoribus, summa diligentia collectæ.

Erasmus lib. 8. Apophtegmatum.

Melanthius negabat eam iram videri grauē, quæ mentem cogat emigrare, sed quæ prorsus excludat domo, sentiens probis etiam ingenijs adiunctam esse iracundiam, sed hoc vitium tolerabile, si celeriter animus ad se redeat, & pro ira, rationem in consilium adhibeat: At si perturbatio penitus insideat animo, ita vt excussa ratiōe feratur effreni impetu, certa pernicies est.

Idem lib. 6. Ira impotens.

Q. Flauius apud populum reus actus accusante C. Valerio, cum 14. Tribuum suffragijs damnatus esset, proclamauit se innocētem opprimi, cui Valerius æquè clara voce respōdit, nihil sua referre, nocens an innocens periret: ea vox tam violenta reliquas tribus reconciliauit. itaq; reus, quem prostratum credebat, absolutus est.

Libro 7. de zenone Eleate.

Zeno cùm maledictis lacessitus incandesceret, reprehensus quod Philosophus verbis improborum commoueretur; Si conuitia, inquit, æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est, nō sentire discrimen inter laudantem & vituperātem: sed Philosophi est, nō ita commoueri, vt ab honesto recedat.

Idem lib. 4. de Octauio.

Irę remedium. Athenodoro Philosopho causatione senectutis flagitanti, vt sibi liceret redire domum, Augustus concessit. At cùm ille Cæsari dixisset, vale, volens aliquod Philosopho dignum monumentum apud illum deponere, adiecit: Cæsar, cùm fueris iratus, ne quid dixeris fecerisue, priusquam Græcarum literarum 24. nomina apud te recensueris: Cæsar autem Philosophi dexteram amplexus: adhuc, inquit, te præsente mihi opus est, totumq; etiam annū apud se detinuit, dicens gręcorū illud prouerbium: Silentij sunt tuta fidi præmia: siue approbans Philosophi dictum, quod tutum esset iram premere, ne prorumpat in verba: siue sentiēs, Philosopho profuturum fuisse, si hoc dictum non addidisset iā abiturus: quanquā tam salubris admonitio magnificum aliquod præmium merebatur.

Idem lib 5. Apophtegmatum.

Cotis Thraciæ Rex cùm esset natura celer ad iram, sæuusq; castigator eorum, qui in ministerio deliquissent, hospes quidam ad illum detulit vascula fragilia tenuiaq;, sed scitè curioseq; elaborata. At is hospiti quidem dedit munera, cæterum vascula omnia confregit: demirantib. quur id faceret, ne, inquit, sæuiā in eos, qui fracturi erant. Prudentis est, naturæ suæ morbum agnoscere, & vitio materiam præripere.

Angelus Politianus in quadam epistola ad Laurentium Medicem scribit: Quod ira in pueris optimæ sæpe indolis sit argumentum, & adhibita à natura: vtpote quæ quibusdā quasi calcaribus fortitudinis incitet: & ob id à nonnullis Philosophis, & ipso Aristotele in ipsius fortitudinis partem referri.

Theognis.

ὀυδὲν κύρν᾽ ὀργῆς ἀδικώτερον, ἣ τ̃ ἔχοντα
πημαίνῃ, θυμῷ δειλὸς χαριζομένη: id est,
Nihil tam ô Cyrne iniustum est, quàm ira, quæ dominum suum lædit, & animo commoto miserè gratum facit.

Menander.

ὀργῇ παραλόγισμός ποτ᾽ ὀυδὲ εἷς φύεται:
ἄυτη κρατεῖ νῦν, ἂν δὲ μικρόν παρακμάσῃ
κατόψεταί τ᾽ μᾶλλον ἐις τὸν συμφέρον. id est,
Ira non potest unquam falli:
Ea nunc imperat, ubi uerò modicum deferbuerit,
Multo acutius, quod ex usu est, uidebit.

Ευνὸυ.

πολλάκις ἀνθρώπου ὀργὴ νόον ἐξεκάλυψε
κρυπτόμενον, μανίας πολὺ χείρότερον. id est,
Sæpe mentem hominum detexit ira
Latentem, quæ peior quandoq; est insania.

φιλήμονος.

μαινόμεθα πάντες ὅταν ὀργιζάμεθα:
τὸ γὰρ κατασχεῖν ἐστι τῆς ὀργῆς πόνος. id est,
Insanimus omnes, cùm irascimur:
Ira enim difficillimè refrenatur.

τοῦ ἀυτοῦ.

ἅπανθ᾽ ὅσ᾽ ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ
ταῦθ᾽ ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένος. id est,
Omnia quæ iratus agit,
Errata postmodum intelliges.

Euripides in Eolo.

ὀργῇ γὰρ ὅστις ἐυθέως χαρίζεται,
κακῶς τελευτᾷ: πλεῖστα γάρ σφάλλει βροτούς. i.
Quisquis iræ præceps indulget,
In malum finem exit: plurimum enim hominibus incommodat.

Epicharmi.

μὴ ἐπὶ μικροῖς ἀυτὸς ὀξύθυμον δείκνυε,
ἐπιπολάζειν ὄυτι χρὴ τὸν θυμὸν ἀλλὰ τὸν νόμον:
ὀυδεὶς μετ᾽ ὀργῆς ὀυδὲν εὖ βουλέυεται. id est,
Ne tute teipsum ob rem leuem iracundum exhibeas:
Superare non iram conuenit, sed legem:
Nemo iratus quicquam rectè deliberat.

Eiusdem.

πολλοὺς δὴ ὁ θυμὸς ὁ μέγας ὤλεσε βροτῶν,
ἥτε ἀσυνεσία δύω κακὰ τοῖς χρωμένοις. id est,
Multos iracundia magna perdidit mortalium,
Et imperitia, quæ gemina mala sunt utentibus se.

Euripides in Archelao.

ὀργῇ δὲ φάυλη πολλ᾽ ἔνεστ᾽ ἀσχήμονα.

ἔχει

Ἔξω γὰρ ὀργῆς πᾶς ἀνὴρ σοφώτατος
Πολλ' ἐστὶν ὀργῆς ἐξ ἀπαιδεύτου κακά. id est.
Iræ malæ multa sunt indecora.
Extra iram unusquisq; multò sapientior est.
Ex ira imperita multum generatur malorum.

Eschylus.

Ὀργῆς ματαίας εἰσὶν αἴτιοι λόγοι. id est.
Iræ uanæ causa sunt uerba.

Sophocles.

Ὡς οἶδ' ἐν ὀργῇ πάντα γίνεσθαι κακά. id est.
Ex ira scio cuncta prodire mala.

Cheremon.

Ὀργὴ δὲ πολλοὺς δρᾶν ἀναγκάζει κακά. id est.
Ira permultos agere cogit mala.

Eiusdem.

Αὐθάδεια τοι σκαιότητ' ὀφλισκάνει. id est.
Morositas obnoxia est imperitiæ.

Εὐριπίδου.

Ὥσπερ δὲ θνητὸν καὶ τὸ σῶμ' ἡμῶν ἔφυ,
Οὕτω προσήκει μὴ δὲ τὴν ὀργὴν ἔχειν
Ἀθάνατον, ὅς τις σωφρονεῖν ἐπίσταται. id est.
Cæterùm ut mortale nostrum est corpus,
Ita conuenit iram quoq; non retinere
Immortalem, quicunq; sapientiam intelligit.

Sosiphanes.

Νῦν σοι πρὸς ὄψιν θυμὸς ἡβάτω γέρον
Νῦν δὲ ὀργὴν ἔνδικον λαβεῖν. id est.
Nunc in facie tibi iracundia efflorescat ô senex:
Nunc irasci conuenit, iustitiæ gratia.

Menander.

Ὅσος τὸ κατέχειν ἐστὶ τὴν ὀργὴν πόνος,
Οὐκ ἐστὶν ὀργῆς (ὡς ἔοικε) φάρμακον
Ἀλλ' ἢ λόγος σπουδαῖος ἀνθρωφίλου. id est.
O quàm cohibendi magnus est iram labor.
Non esse uidetur aliud iræ pharmacum,
Oratio nisi grauis amici uiri.

Euripides in Hypsipyle.

Ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτῶν,
Μεῖζον προσάπτει τῆς νόσου τὸ φάρμακον,
Ἰατρός ἐστιν οὐκ ἐπιστήμων κακῶν. id est.
Quisquis hominum rebus iratus aduersis,
Vehementius ipso morbo remedium adhibet,
Is medicus est non peritus naturæ malorum.

Archilochus.

Ὦ μωρὲ, θυμὸς ἐν κακοῖς οὐ σύμφορος. id est.
O stulte, inutilis est ira in malis.

Menander.

Εἰ καὶ σφόδρ' ἀλγεῖς, μηδὲν ἠρεθισμένος
Πράξῃς προπετῶς: ὀργῆς γὰρ ἀλογίστου κρατεῖν
Ἐν ταῖς ταραχαῖς, μάλιστα τὸν φρονοῦντα δεῖ,
Τὸ δ' ὀξύθυμον τοῦτο καὶ λίαν πικρὸν
Δεῖγμ' ἐστὶν εὐθὺς πᾶσι μικροψυχίας, id est.
Et si doles uehementer, haud quicquàm tamen irritatus
Ages temerè, nam iram rationis inscitiam refrenare
In perturbationibus, in primis sapientem oportet:
Ingenium tam irritabile, & amarulentum
Indicium statim est omnibus pusillanimitatis.

Magni laboris & negocij est, sustinere iram atq; illi moderari.

Νεόφρονος.

Εἶεν, τί δράσεις θυμὲ, βούλευσαι καλῶς
Πρὶν ἢ ἁμαρτεῖν καὶ τὰ προσφιλέστατα
Ἔχθιστα θέσθαι, ποῖ ποτ' ἐξῆξει τάλας,
Κάτισχε θέλημα καὶ σθένος θεοστυγές:
Καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴν ἐμὴν
Ὁρῶσ' ἔρημον καὶ παρημελημένην
Πρὸς ὧν ἐχρῆν ἥκιστα: μαλθακοὶ δὲ δὴ
Τοιαῦτα γιγνόμεθα πάσχοντες κακά:
Οὐ μὴ προδώσεις θυμὲ σαυτὸν ἐν κακοῖς
Οἴ μοι δέδοκται, παῖδες ἐκτὸς ὀμμάτων
Ἀπέχετ': ἤδη γάρ με φοινία μέγαν
Δέδυκε λύσσα θυμόν. ὦ χέρες χέρες
Πρὸς οἷον ἔργον ἐξοπλιζόμεθα, φεῦ
Τάλαινα τόλμης ἣ πολὺν πόνον βραχεῖ
Διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ. id est.
Age uerò quid facies anime? consulta benè
Priusquàm pecces, & charißima tibi
Reddas infensißima. Quo tandem exis miser?
Reprime uoluntatem, & uim impiam:
Sed quid hæc lugeo, cùm animam meam
Videam deseri atq; negligi,
A quibus hoc minimè oportebat, molles scilicèt
Et timidi sunt huiusmodi, quod mala tolerant:
Ne teipsum anime relinquas in malis.
Heu mihi, ô pueri ab oculis discedite:
Iam mihi cruenta magnum
Subijt rabies animum, ô manus manus
Ad quale facinus armamur, heu
Quid tantum infelix audebo, quæ breui diuturnũ laborẽ
Perditum meum pergo tempore.

Euripides in Medea.

Οὐ νῦν κατεῖδον πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις
Τραχεῖαν ὀργὴν ὡς ἀμήχανον κακόν.

Idem & ibidem.

Δεινή τις ὀργὴ καὶ δύσκατος πέλει,
Ὅταν φίλοι φίλοισι συμβάλωσ' ἔριν. id est.
Non primum nunc uideo, sed sæpius antehac,
Asperam iram quantæ sit molis ferre. Verißima sententia.
Grauis est & incurabilis ira
Quum inter amicos nascitur contentio.

Apolonius ad Macedonem.

Τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄνθος μανία. id est.
Iracundiæ flos est insania.
Flosculus est iræ demens insania sæuæ,
Est grauis, atq; adeò nulla curabilis arte
Ira, ubi dilectos lis nascitur inter amicos.

Homerus Iliados 9. lib.

Ἀλλ' Ἀχιλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν· οὐδέ τί σε χρὴ
Νηλεὲς ἦτορ ἔχειν, στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.

Idem lib. 15.

Οὕτω γὰρ ἂν τοι γαιήοχε κυανοχαῖτα
Τόνδε φέρω διὶ μῦθον, ἀπηνέα τε κρατερόν τε.
Ἤ τι μεταστρέψεις, στρεπταὶ δέ τε φρένες ἐσθλῶν. id est.
Rreprime tuam iracundiam Achilles, haud te decet

Animi crudelis esse: Mutabiles etiam sunt superi.
Siccine tuo nomine, ô qui terram cingis cœrule comam,
Hæc uerba Ioui nunciabo tam sæua duraq;,
An placet mutare? mutatur bonorum quoq; animus.

Eobanus sic uertit.

Verum age uince animum ipse tuum fortißime Achilles,
Vince iram, fera corda doma, ne pectore sæuo
Esse alijs uideare, atq; implacabilis iræ:
Quod minimè decet, atq; indignum est laudibus istis:
Quum neq; sint tales, quoniam placantur & ipsi
Dij superi, quorum uirtus, uis, robora uitæ,
Omnia sunt nostris meliora, peiora, sed illi
Placantur tamen officijs, sacrisq; litatis,
Et precibus uotisq; eadem si iusta feramus,
Ignoscuntq; malis nostris, qui offendimus ipsos.

Herodotus.

Ὡς ἐν τοῖς ὦσι ἀνθρώπων οἰκέει ὁ θυμός
Χρηστὰ μὲν ἀκούσας. τέρψιος ἐμπίπλησι τὸ
Σῶμα, ὑπεναντία δὲ τουτέουσον ἀκούσας ἀνοιδαίνει.

Opprobria in hominem coniecta iracundiã excitant. Hominum animus in auribus habitare videtur: bonis enim auditis, corpus gaudio repletur.

Contrarijs autem ira inflammatur.

Τὸ ὀνείδεα κατιόντα ἀνθρώπῳ φιλέει ἐπανάγειν τὸν θυμόν.

Dionysius Halicarnaseus.

Quamuis iram vincere tum magna res videtur, tum reuera sit: maius tamẽ est, cauere & prouidere, ne in ipsam incidamus.

Sotion. lib. 2. Sermonum De Ira.

Quemadmodum nauigia præclara iudicantur, non quæ in tranquillitate nauigãt, sed quæ tempestatibus obsistunt, & euadunt: sic & homines, qui iræ & perturbationibus resistere valent, magni fortesq; habentur. Histriones quidem licet solùm simulent, hominis irati faciem representãt. Viri aũt virtutis studiosi, & si reuera irascãtur, vultu tamẽ & gestib. irati abstinẽt.

Aristoteles.

Vt fumus mordicans oculos, non videre sinit quæ pedibus adiacent: sic iracundia oboriens rationem obfuscat, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo non sinit ipsam iracundia sine labore ac molestia potiri.

Idem in libello de uirtutibus.

Iracundia vitium est partis animosæ, qua homines facilè ad iram commouentur. id est, ὀργιλότης δὲ ἐστι κακία τοῦ θυμοειδοῦς καθ' ἣν εὐκίνητοι γίνονται πρὸς ὀργήν.

Ibidem.

Iracundiæ species sunt tres, excandescentia, sæuitia, & indignatio. Est autem iracundi non posse ferre, ne modicos quidem sui cõtemptus, neque sortem inferiorem: promptum ad vindictam, & immitẽ esse, & de facili facto, verbóue quouis moueri. Affectatur autem iracundiam ingenium præceps & inconstans, & sordida illiberalitas, item pœnitentia, & paruas ob res dolere vel gaudere, atque ita temerè, subitò, & per breue tempus affici.

Democritus.

Iracundiam impugnare quidem est difficile: sed viri præditi ratione bonum est ipsam vincere.

Similia, Exempla moderatæ Iracundiæ.

Plato iratus olim in famulum, assistente Xenocrate: accipe, dixit, & hunc flagris affice, ego enim irascor.

ARISTIPPVS Cyrenensis Philosophus cùm succensere quendam vidisset, ac verbis indignari, dixit, ne verba per iram proferamus, sed verbis iram compescamus.

Naucrates Sapiens iracundis simile quid accidere dixit, quod lucernis, quæ copioso oleo magis inflammantur.

Aristoteles.

Iracundia est perturbatio immanis, affectione dura, & violenta potentia, cædium causa, calamitatis socia, iacturam concitans, & dedecus, pecuniarũ pernicies, ad hæc perditionis origo.

Epictetus Philosophus.

Si quem cum minis & impetu volueris aggredi, memento præmeditari, humanum esse tibi, mansuetumque ingenium: & quod pœnitudo damnumque te sequutura sint, si quicquam immane commiseris.

Cato Maior.

Τὸν ὀργιζόμενον νόμιζε τοῦ μαινομένου χρόνῳ διαφέρειν. id est, Iratum ab insano tantum tempore differre.

Plutarchus.

Quæcunque ira commoti faciunt homines, ea necessum & cæca sint, & imprudentia, & omnino errata: Non enim fieri potest, vt concitatus ira ratione vtatur. Omne autem quod sine ratione fit, inartificiosum ac peruersum est. Proinde rationem oportet agendorum ducem constituere, ac ita demum actiones vitæ aggredi, iram interea contingentem semper castigãdo ac euitando, vt naucleri, fluctus, euoluere. Est enim sanè non minor metus, ne ira nimium aduersa, ceu proræ fluctus & sui autorem, & familiam funditus perdat euertatq;, nisi quis per industriam præternauiget. Cæterum ad iram rectè moderandam, diligẽtia & studium requiruntur.

Antiphon.

Οὐκ ἔστιν ὅ, τί ἂν ὀργιζόμενος ἄνθρωπος εὐγνώμη, αὐτὸ γὰρ ὃ βούλεται τὴν γνώμην διαφθείρει τοῦ ἀνθρώπου. id est.

Nihil quicquam homo iratus rectè potest cognoscere: vlciscẽdi enĩ auiditas iudiciũ ei' corrũpit.

PLATO quondam iratus cuipiam è famulis, gratiam eum Dijs habere iussit, quod succenseret:

succenseret: alioquin enim non euasurum fuisse sine castigatione, si non succensuisset.

Apollonius ad Aristoclem.

τὸ τῆς ὀργῆς πάθος χαθομιλούμενον μηδὲ θεραπευόμενον, φυσικὴ νόσος γίνεται. id est, Affectus iræ nisi curentur, & castigentur, in naturalem morbum abeunt.

Theophrastus de Characteribus.

ἡ δ᾽ ἀναισχυντία ἐστὶ καταφρόνησις δόξης αἰσχροῦ ἕνεκα κέρδους, ὁ δὲ ἀναίσχυντος τοιοῦτος οἷος πρῶτον μὲν ὃν ἀποστερεῖ πρὸς τοῦτον ἀπελθὼν δανείζεσθαι.

NANVS. IRis greca dictio est ἶρις.ιδος.ἡ. Ea est refractio visus à nube rorida ad solem, secundum Aristotelem lib. 4. Metheororum.

Ironia græca dictio εἰρωνεία.ας.ἡ. & est vitium quo quis asserit minora de se quã credat, ideo semper est peccatum. Tamen leuius vt plurimum quàm iactantia, ex b. Thoma secunda secundæ quæstione 110. articulo 2.

Irregularitas grecè ἀκανονικία.ἡ & ἀσάθμητος. ὁ.ὁ.ἡ. irregularis dicitur. Est autem irregularitas impedimentum, repulsio executionis diuini officij seu sacramenti, ex canonica constitutione prouenient.

Irreligiositas græcè ἀνευσεβεία. ας.ἡ. dicitur. Est autem irreligiositas quæ habet manifestam contrarietatem ad religionem per contemptũ & reuerentiam Dei vel rei sacrę, ex beato Thoma secunda secundæ q. 92. prin.

Irrisio græcè ἐπίχαρμα.ατος.τὸ. dicitur. Irrisio autem & subsannatio conueniunt in fine, sed differunt in modo, quia prima fit naso rugato, secunda verò fit ore, id est, in verbis & cachinno, ex beato Thoma secũda secundæ quæstione 75. articulo primo.

ITer salutis & perditionis, quo vel in cœlum vel ad inferos itur.

Matthæus cap. 7.

Intrate per angustam portam, quia lata porta & spaciosa via est, quę ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quàm angusta porta & arta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. (Arcta, tribulit, Erasmus)

Lactantius Firmianus diuin. instit. libro 6. capite 3.

Duę sunt viæ per quas humanam vitam ꝑgredi necesse est, scilicet vna quæ in cœlũ ferat, altera quæ ad inferos deprimat: quas & poetæ in carminibus, & philosophi in disputationib. suis induxerũt. Et quidem alteram virtutum esse voluerũt, alteram vitiorum, eamq; quæ sit assignata virtutib⁹, primo aditu esse arduã & cõfragosam. In qua si quis difficultate superata in summum eius euaserit, habere eum de cætero planum iter, amœnumq; campum, & omnes laborum suorum capere fructus vberes atq; iucundos. Quos autẽ primi aditus difficultas deterruerit, eas in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoque tritior. Deinde cùm in eam paulo vlterius processerint, amœnitatis eius speciem repente subduci. Exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrẽtibus rapidam, vt laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eo proferuntur, vt appareat in virtutibus capiendis labores esse maximos, in præceptis autem maximos fructus, & solidas atque incorruptas voluptates. Vitia verò quibus delinimẽtis naturalibus allicere animos hominum, & inanium iucunditatum specie captos ad acerbas amaritudines miseriasque perducere.

Lactantius ibidem.

Omnis ergo hæc de duabus vijs disputatio ad frugalitatem ac luxuriam spectat. Dicunt enim humanæ vitæ cursum. Y. literæ similem, ꝙ vnusquisq; hominum, cum primũ adolescentię limen attigerit, & in eũ locũ venerit, vbi se partes via findit in ambas, hęreat natabũdus, ac nesciat in quã se partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantẽ, hoc est aut philosophiã didicerit, aut eloquentiã, aut aliquid honestæ artis quo euadat ad bonam frugem, ꝙ fieri sine labore maximo non potest, honestam ac copiosam vitam disputant peracturum. Si verò doctorem frugalitatis nõ inuenerit, ad sinistram viam, quę virtutis ac melioris speciem mentiatur, incedere. i. desidię, luxuriæ, inertiæq; se tradere, quæ suauia quidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti: pòst autem amissa omni dignitate ac re familiari in omnibus miserijs ignominijsque victurum. (Partes in exemplaribus castigatis non habetur.)

Ibidem.

Nos igitur melius & verius, quia duas istas vias, cœli & inferorũ esse dicimus, quia iustis immortalitas, iniustis pœna æterna proposita est.

Ibidem.

Nos autem omnis sexus & generis & ætatis in hoc cœleste iter inducimus, quia Deus, q̃ eius viæ dux est, immortalitatem nulli homini nato negat: Forma quoq; viarum ipsarũ nõ ita est vt illi putauerunt. Quid enim opus est. Y. in rebus cõtrarijs atq; diuersis? sed altera illa melior cõuersa est ad solis ortũ, altera illa deterior ad occasum: quoniã qui veritatem ac iustitiã sequit, is accepto immortalitatis præmio luce potietur perenni. Qui aũt ab illo malo duce electus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, necesse est ad occasum, & tenebras deferatur.

Ibidem cap. 4.

Vna est igitur virtutis ac bonorũ via, quę fert nõ in Elysios cãpos (vt poetę loquũtur) sed ad ipsam mundi arcem. At lęua malorum Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. Est enim criminatoris illius, q̃ prauis religionib. institutis

vertit homines ab itinere cælesti, & in viam per
ditionis inducit: cuius viæ species & figura sic
est composita in aspectu, vt plana & patens om-
ni genere florum atque fructuum delectabilis
esse videatur. In ea enim posuit Deus omnia
quæ pro bonis habentur in terra, opulentiã di-
co, honorem, quietem, voluptatem, illecebras
omnes, sed cum his pariter iniustitiam, crudeli
tatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupidi
tatem, discordiam, ignorantiam, mendacium,
stultitiam, cæteraq; vitia. Exitus autẽ huius vi-
tæ talis est, cùm ventum fuerit ad extremũ, vn-
de iam regredi non licet: cum omni sua pulchri
tudine tam subitò prę ciditur, vt non antè quis
fraudem prospicere possit, quã prę cipitatus in
altitudinem profundam cadat. Quisquis enim
præsentium bonorũ specie captus, & in his cõ-
sequendis, & fruendis occupatus non præuide-
rit ea quæ post. mortẽ secutura sunt, seq; à Deo
auerterit, ad inferos deiectus, in æternam dam-
nabitur pœnam. Via ergo illa cœlestis difficilis
& cliuosa, ꝓposita est, vel spinis horrẽtibus aspe
ra, vel saxis extãtibus impedita, vt cum summo
labore ac pedum tritu, cumq; magna cadendi
solicitudine sit cuique gradiendum. In hac po-
suit iustitiam, temperantiam, patiẽtiam, fidem,
castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiã,
veritatem, sapientiam, cærasq; virtutes, sed si-
mul cum his paupertatem, ignominiam, labo-
rem, dolorem, amaritudines omnes. Quisquis
enim spem suam porrexerit longius, & maiora
maluerit, carebit his terræ bonis, vt expeditus
ac leuis difficultatem viæ superet. Nec enim po
test qui se apparatu regio circundederit, aut di
uitijs onerauerit, angustias illas vel ingredi vel
tenere, vnde intelligitur idcirco malis & iniu-
stis facilius prouenire quæ cupiant, quia prona
& decliuis est eorum via: Bonis autem quę op-
tent difficilè procedere, quia difficili & arduo
itinere gradiuntur. Iustus ergo quoniam durũ,
asperumque iter ingressus est, contemptui, de-
risui, odio sit necesse est. Omnes enim quos cu
piditas aut voluptas præcipites trahit, inuident
ei qui virtutem capere potuit, & iniquè ferunt
id habere aliquem quod ipsi non habent. Erit
itaque pauper, humilis, ignobilis, subiectus in-
iuriæ, & tandem omnia quæ amara sunt perfe-
rens. Et si patiẽtiam iugem ad summum illum
gradum finemq; perduxerit, dabitur ei corona
virtutis, & à Deo pro laborib. quos in vita pro-
pter iustitiam pertulit immortalitate donabi-
tur. Hæ sunt vię quas Deus humanę vitę assigna
uit, in quibus singulis & bona ostendit & mala:
sed ordine præpostero atque conuerso. In vna
enim monstrauit temporalia prius mala cum ę-
ternis bonis, qui est ordo melior. In altera tem
poralia prius bona cũ æternis malis, qui est or-
do deterior: vt quicunque præsentia mala cum
iustitia elegerit, maiora & certiora bona conse
quatur quàm fuerint illa quæ spreuit. Quisquis
autem præsentia bona præposuerit iustitiæ, in
maiora & longiora incidet mala, quàm fuerint
illa, quæ fugit. Hæc enim vita temporalis, quia
breuis est: idcirco & bona eius & mala breuia
sint necesse est. Illa verò spiritualis quę huic ter
renæ contraria est, quia sempiterna est: idcirco
& bona eius & mala sempiterna sunt. Ita fit vt
& bonis breuibus mala æterna, & malis breuib.
bona ęterna succedant. Itaque cùm simul pro-
posita sunt homini bona & mala: considerare v-
numquemq; secum decet, quanto satius sit pro
perpetuis bonis mala breuia pensare, quàm pro
breuibus & caducis bonis mala perpetua susti-
nere. Nam sicuti hoc seculo, cùm est propositũ
cum hoste certamen, prius laborandum est: vt
sis postmodum in otio, esuriendum, sitiẽdum,
æstus, frigora perferenda, humi quiescendum,
vigilandum, periclitandum est, vt salutis pigno
ribus, & domo, & re familiari, & omnib⁹ pacis,
ac victoriæ bonis perfrui possis. Sin autem præ-
sens otium malueris quàm laborem, malum ti-
bi maximum facias necesse est; præoccupabit e-
nim aduersarius non resistentem. Vastabuntur
agri, diripietur domus, in prædam vxor ac libe
ri venient, & tu ipse interficiêre ac capiêre. Quę
omnia ne accidant præsens commodum diffe-
rendum est, vt maius longiusq; pariatur.

Ibidem cap. 7.

Hæc autem via quæ est veritatis, & sapientię,
& virtutis, & iustitiæ, quorũ omnium fons vn⁹
est, vna vis, vna sedes & simplex est, quod pari-
bus animis summaq; concordia vnum sequa-
mur, & colamus Deum: & angusta quoniã pau-
cioribus virtus data est & ardua, quoniã ad bo-
num, quod summum, & sublime est, nisi cũ sum
ma difficultate, & labore non potest perueniri.

Idem lib. 6. cap. 8.

Hæc est via quam Philosophi quærunt, sed
ideo non inuenerunt, quia in terra potius, vbi
apparere non potest quærunt. Errant ergo ve-
lut in mari magno, nec quò ferantur intelligũt,
quia nec viam cernunt, nec ducem sequuntur
vllum. Eadem nanq; ratione hanc vitæ viã quæ
ri oportet, qua in alto iter nauib. quæritur: quę
nisi aliquod cæli lumen obseruent, incertis cur
sibus vagantur. Quisquis autem rectum iter vi
tæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed
cœlum: & (vt apertius loquar) non hominẽ se-
qui debet, sed Deũ, nõ his terrestribus simula-
chris, sed Deo seruire cœlesti, nõ ad corpus re-
ferre omnia, sed ad mẽtẽ: nõ huic vitæ dare ope
ram, sed æternæ. Itaque si oculos in cœlum sem
per intẽdas, & solem, qua oritur obserues, eũq;
habeas vitæ quasi nauigij ducem, sua sponte in
viam pedes dirigentur, & illud cæleste lumen
quod sanis mentibus multo clarius sole est, quã
hic quẽ in carne mortali videmus: sic reget, sic
gubernabit, vt ad summum sapientię virtutisq;
portum

portum ſine vllo errore perducat. Suſcipienda igitur Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa ſancta, illa cæleſtis, quam M. Tullius libro de Repub. 3. penè diuina voce depinxit, cuius ego, ne plura dicerem, verba ſubieci. Eſt quidem vera lex, recta ratio naturæ cõgruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo; vetando à fraude deterreat: quæ tamen neq; probos fruſtra iubet, aut vetat, nec improbos iubẽdo aut vetãdo mouet.

Cyprianus in epiſtola de malignitate dæmonis.

Lata & ſpatioſa itinera viæ lætalis, illic illecebræ & mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, vt fallat: arridet, vt noceat: allicit, vt occidat.

Virgilius de litera Pythagoræ.

Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni.
Humanæ uitæ ſpeciem præferre uidetur.
Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primum ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in uertice ſummo.
Molle oſtentat iter, uia lata, ſed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitq; per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus uirtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemq; decuſq; parabit.
At qui deſidiam luxumq; ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores.
Turpis inopſq; ſimul miſerabile tranſiget æuum.

Dantes Florenti purgatorij. Cant. c. 4.

Queſta mont agna e tale,
Che ſempre al caminar, diſotto e graue:
Et quanthom piu ua ſu, e men fa male.
Pero quandalla ti para ſoaue
Tanto, che ſuandar te fia legiero,
Come a ſecunda io giuſo andar per naue:
Allor ſarai al fia deſto ſentiero,
Quiui diripoſar laff anno aſpetta. id eſt,
Hic mons talis eſt,
Vt ſemper aſcendenti grauis ſit:
Et quanto quis magis aſcendit, minus lædit.
Idcirco quanto hic tibi uidebitur ſuauior
Tanto, ut ſurſum ire ſit tibi leue.
Sicut ſecundum curſum nauiganti:
Tunc erit in fine huius itineris,
Hic laboris requies ſpectanda tibi.

Idem Paradyſi Cant. cap. 5.

Siati Chriſtiani a mouerui piu graui,
Non ſiati come panna ad ogni uento:
Et non crediate cognaqua ui laui.
Haueti il nouo el uechio teſtamento,
El paſtor de la gieſa, che ui guida:
Queſto ui baſti al uoſtro ſaluamento.
Se mala cupidiggia altrqui grida,
Homini ſiate e non pecore matte.
Si chel giudeo de uoi tra uoi non rida,
Non fate comagnel, chi laſcia il latte
De la ſoa madre ſemplice, e laſciuo
Seco medeſmo, a ſuo piacer combatte. id eſt.
Sitis Chriſtiani in motu grauiores,
Non ſitis ſicut penna ad omnem uentum:
Nec credite ut quiq; liquor uos abluat.
Habetis uetus & nouum teſtamentum,
Et paſtorem Eccleſiæ qui uos ducit:
Hoc ſatis ſit ſaluti ueſtrũm omnium.
Si mala uos cupido aliò ducit,
Homines ſitis & non pecora ſtulta.
Sic ut Iudæus intra uos non uos derideat.
Nolite ſic agere ut agniculus, qui lac relinquit
Suæ matris, ſimplex, & laſciuus
Secummet, placere ſibi ſtudens.

Iubilatio grçcè ἀλαλαγμός. οῦ. ὁ. & ἀλαλάζω iubilo dicitur. Eſt aũt iubilatio, declaratio quædam & illuſtratio gaudij concepti. Eadem iubilum dici poteſt. Sanè iubilare dicitur à iubare. Iubar enim propriè lucifer dicitur, quod iubar lucis effundat. Sunt autem iubæ crines à collo animalium pendentes, vnde iubatos leones dicimus, qui iubas habent, ad differentiam non habentium iubas. Hac etiam metaphora nõ modo ad ſolem, ſed etiã ad homines vtimur. Claudianus: Per fratris regale iubar. Iubilare aliqui à iuuando deduci volunt, quaſi animi iucunditatem oſtendere. Iuuare enim delectare eſt, vnde & iucunditas. Alij verò dicunt iubilare dici à ſono ipſo vocis. Ita enim dictum eſt iubilo, vt ouo à vocibus quibus læti ac triumphantes vti ſolemus. Iubileus eſt lætitia immenſa quæ verbis exprimi non poteſt, ſed voce datur intelligi, ſecundum. b. Tho. ſuper Pſalm. 32. col. 2.

Iucunditas græcè χρηστότης. ητος. & χρηστός. ȣ. ὁ. iucundus dicitur. Eſt autem iucunditas gaudium ad exteriora adeo prorumpens, vt alios excitet ad gaudendũ. Tho. 4. ſenten. diſtinct. 49. quçſtione 3. articulo 1. venitque à iuuo, vt iubilatio, ſupradictum eſt.

Iudæus communiter eſt quicunque legem Moſaicam ad literam tenet dicunturq; Iudæi à nomine principalis trib⁹, ſ. Iudæ, qui etiã prius Hebræi dicebantur ab Heber cuius familia cultum Dei tenuit, cæteris idololatria fœdatis. Dicuntur prætereà recutiti propter circũciſionẽ.

IVdex græcè κριτής. οῦ. ὁ. & κρίνω iudico dicitur. Venitq; à iudico, quaſi ius dico: & iudicatio quæ eſt iuſti iudicium, ſecundũ Ariſt. lib. 1. Polit. hinc etiam iudicium qui eſt actus iudicis in quãtum iudex eſt, i. in quantũ eſt ius dicens, ideò eſt actus iuſtitiæ, id eſt, executio iuſtitiæ, ſecundum Beatum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 60. artic. 1.

Exodi cap. 23.

Non ſequeris turbam ad faciendum malum, neq; in iudicio plurimorum acquieſces ſenten-

tiæ, vt à vero deuies, pauperis quoq; non misereberis in iudicio.

Ibidem.

Non declinabis in iudicium pauperis.

Ibidem.

Insonté & iustum non occides, quia auersor impium. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.

Leuitici cap. 19.

Nõ facies quod iniquũ est, nec iniustè iudicabis. Non cõsideres personam pauperis, nec honores vultũ potentis. Iustè iudica ꝓximo tuo.

Ibidem.

Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, s. in pondere, in numero & mensura.

Deuter. cap. 1.

Audite illos, & quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum. Ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.

Ibidem.

Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, ne in alteram partem declinent. Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Iustè quod iustũ est persequeris, vt viuas & possideas terram, quã Dominus Deus tuus dederit tibi.

Ibidem cap. 24.

Nõ occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, sed vnusquisq; ꝓ peccato morietur. Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.

Ibidem cap. 27.

Maledictus qui peruertit iudiciũ aduenę, pupilli, & viduæ & dicet omnis populus amen.

Ibidem.

Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis, & dicet omnis populus amen.

4. Regum cap. 14.

Nõ morientur patres pro filijs, nec filij ꝓ patribus: sed vnusquisq; in peccato suo morietur.

Paralip. lid. 2. cap. 19.

Non enim hominis exercebitis iudicium, sed Domini: & quodcunq; iudicaueritis, in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

Ibidem cap. 24.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, sed vnusquisq; morietˀ in peccato suo.

Dauid Psal. 2.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Appræhendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.

Idem Psal. 52.

Si verè vtiq; iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.

Idem Psal. 81.

Deus stetit in synagoga deorũ, in medio autem deos dijudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperẽ, & egenum de manu peccatoris liberate.

Prouerb. 4.

Oculi tui recta videant.

Ibidem cap. 17.

Qui enim iustificat impium, & condemnat iustum, vterq; abominabilis apud Deum.

Ibidem.

Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.

Ibidem cap. 18.

Accipere personam impij in iudicio non est bonum, vt declines à veritate iudicij.

Ibidem 24.

Cognoscere personam in iudicio nõ est bonum: qui dicunt impio iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.

Ibidem cap. 28.

Qui cognoscit in iudicio faciẽ nõ bene facit. Iste & pro buccella panis deserit veritatem.

Ecclesiastes cap. 8.

Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala.

Sapient. cap. 1.

Diligite iustitiam qui iudicatis terram.

Ibidem cap. 6.

Audite ergo reges terræ & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures vos qui cõtinetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius non rectè iudicastis, nec custoditis legem iustitiæ, neq; secundum voluntatem Dei ambulastis.

Ibidem 34.

Cum tranquillitate iudica.

Ecclesiast. cap. 4.

In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.

Ibidem cap. 7.

Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciẽ poten-

potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.

Ibidem cap. 20.

Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correctiones eorum.

Esaias cap. 1.

Omnes diligunt munera, sequũtur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ nõ ingreditur ad illos.

Idem cap. 5.

Væ qui dicitis malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Ibidem.

Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc sicut deuorat stipulã & ligna ignis & calor flãmę exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis ascendet.

Idem cap. 10.

Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent pauperes in iudicio, & vim facerent causæ humilium populi: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

Idem cap. 59.

Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit, quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi.

Hieremias cap. 5.

Causam viduæ nõ iudicauerunt, causam pupilli non dixerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Nunquid super his non visitabo dicit Dominus, aut super gentem huiuscemodi non vlciscetur anima mea?

Idem cap. 22.

Hæc dicit Dominus: Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calũniatoris, & aduenam & pupillum & viduam nolite contristare, neq; opprimatis iniquè, & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.

Lucas cap. 11.

Iesus ait: Et vobis legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quę portare nõ possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.

Iacobi 1.

Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.

August. lib. de uera reli. & hab. dist. 4. In istis.

In istis tẽporalibus legibus quãquam de his homines iudicẽt cùm eas instituunt, tamen cũ fuerint institutæ & firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.

Idem de pœni. & hab. 11. q. 3. Quamuis.

Quamuis vera sint quędam, tamen iudici nõ sunt credẽda, nisi certis indicijs demonstrẽtur.

Idem ad Macedo. & hab. 14. q. 5. Non sane.

Non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis testimonium verum, quia vendit aduocatus iustũ patrocinium, iurisperitus verum consilium: Illi enim inter vtranque partem ad examen adhibentur, isti ex vna parte consistunt. Cum autem iudicia & testimonia, quæ nec iusta nec vera, sunt vendenda, iniqua & falsa venduntur: multo sceleratius vtiq; pecunia sumitur, quia sceleratè etiam, quamuis à volentibus datur.

Idem contra Macedonium.

Iusti est incedere recta intẽtione. Iudicis aũt est iudicare iusto ordine. Modus rogandi iudicem est, vt faciat quod salua fide facere potest.

Hieron. super Epist. ad Galatas, & hab. 23. quæst. 5. Iudex.

Iudex non est author sceleris hoĩes vincendo.

Idem super Hier. & hab. ibidem.

Homicidas, sacrilegos & fœnerarios punire, non effusio sanguinis est.

Amb. super Bea. imma. & hab. 3. q. 7. Iudicet.

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in seipso quod condemnet: iudicet qui nõ agit eadem, quę in alio putauerit punienda, ne cum de alio iudicat, in se ferat sententiam. Iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.

Ibidem.

Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit & ꝓposito domesticæ voluntatis, sed iuxta leges & iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil præparatum & meditatum de domo defert, sed sicut audit, ita iudicat: & sicut se habet natura, decernit, obsequitur legibus, nõ aduersatur, examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices seculi quẽ in iudicando tenere debeatis affectum, quam societatem, quam sobrietatem, quam synceritatem.

Ibidem.

Qui iudicat, voluntati suæ obtemperare nõ oportet, sed tenere, quod legum est.

Ibidem.

In iudicando cordi magis est custodia veritatis, quàm obedientia voluntatis.

Idem libro de Officijs.

In iudicio gratia absit, causæ merita decernant.

Gregor. & hab. 11. quæst. 3. Qui rectè.

Qui rectè iudicat & præmium remunerationis expectat, fraudẽ in Deum perpetrat, quia iustitiam, quã gratis impertiri debuit, acceptione pecunię vendidit. Bonis malè vtuntur, qui pro temporali lucro iustè iudicant: tales quippe ad veritatem non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat: quibus si spes numi subtrahitur, confestim à iustitiæ cõfessione recedunt. Acceptio numorum præuaricatio veritatis est, vnde & pro iusto dicitur: Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.

Idem Moralium 19.

Maiora crimina credenda non sunt mox

cùm audiuntur, sunt tamen citius punienda, cũ veraciter cognoscuntur.

Idem Moralium 19. super illud Iob 29. Causam quam nesciebam, diligentißimè inuestigabam.

Ad proferendam sententiam nunquam præcipites esse debemus, ne indiscussa temerè iudicemus, nec quælibet mala audita nos moueant, ne passim sine probatione credamus.

Idem homilia 26.

Plærunq; contingit vt iudicis locum teneat, cuius ad locum vita minimè concordat, ac sępe agitur, vt vel immeritos damnet, vel aliquos ipse ligatos soluat. Sæpe in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur, vnde fit, vt ipse ligãdi aut soluendi potestate se priuet.

Idem in Moralibus.

Iudicare dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis non merita, sed odium, vel gratiam sequuntur.

Isidorus, & hab. dist. 29. Sciendum.

Sciendum est, quòd plæraq; capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore cõsideranda sunt, quorum modi quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur, cum antè iudicant quàm intelligant, antè inculpant, quàm iterando lecta perquirant.

Idem de Summo bono, lib. 3. cap. 58.

Quatuor modis humanum peruertitur iudicium, timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pauescimur: Cupiditate, cũ præmio muneris alicuius corrumpimur: Odio, cùm cõtra quemlibet aduersarium molimur: Amore, dum amico vel propinquis placere contendimus.

Ibidem.

Diues muneribus cito corumpit iudicẽ: Pauper autem, dum non habet quod offerat, nõ solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. Cito violatur auro iustitia. Nullam reus pertimescit culpã, quam redimere numis existimat.

Ibidem Soliloq. lib. 1. cap. 1.

Perimit leges auaritia, iudicantium præmia & dona legibus iura tollunt, vbiq; pecunia vincit, vbiq; venale iudicium est.

Caßiodorus lib. 1. epist. 3.

Facilis recti persuasor est innocẽs iudex. Excessus tunc sunt in formidine, cùm credunt iudicibus displicere.

Idem lib. 3. epist. 29.

Tamdiu iudex dicitur, q̃ diu iustus putatur.

Idem lib. 3. epist. 28.

Inumbrat publicam formam in consule tenacitatis obscuritas.

Boët. de Conso. lib. 1. pro. 4.

Si inflammare sacras ædes voluissem, si sacerdotes impio iugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur, præsentẽ tamẽ sententia confessum conuictúmve punisset.

Alanus de complanctu naturæ.

Si autem iudicis vel aduocati sulphuret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, musa Virgilij, voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? vbi numus loquitur, Tulliani eloquij tuba raucescit. Vbi numus militat, Hectoreæ militię fulgura cõpescuntur. Vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea. Numus vincit, numus regnat, numus imperat vniuersis.

Innocentius de miseria hominis.

Iudices mali non attendunt merita causarũ, sed pecuniarum merita: non iura, sed munera: non iustitiam, sed pecuniam: non quod ratio dictat, sed quod voluntas affectat: non quod lex sentit, sed quod mens cupit. Non inclinant ad iustitiam animum, sed iustitiam declinãt ab animo, nõ vt quod licet hoc libeat, sed vt liceat quod libet.

Seneca ad Lucilium.

Prorsus persuasimus quòd multi furto non erubescunt, quod multi adulterio gloriantur. Nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.

Idem in Prouerbijs.

Ad pœnitendum properat, qui cito iudicat. In iudicando criminosa est celeritas.

Seneca in Hercule furente.

Iudex futurus sanguine humano abstine quicunque regnas, scelera taxantur modo maiore nostra.

Idem Tragœdia 7.

Si iudicas, cognosce: si regnas, iube.

Ibidem.

Qui statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus est.

Aristot. lib. Rhetoricorum.

Litigantis nihil est nisi ostendere, quia res est vel non est, vel quia facta est, aut quia non facta est, vtrum autem sit iusta vel iniusta, oportet ipsum iudicem cognoscere, & non discere à litigantibus.

Idem lib. 7. Ethicorum.

Iudex est qui in ciuilibus concertationibus inquisita iudicat.

Idem lib. 3. Topicorum.

Nemo eligit iuuenes iudices, aut duces: quia non constat eos prudentes esse, sed eligit ad fortitudinem.

Idem lib. 1. Rhetoricorum.

Amor, & odium, & proprium commodum, sæpe faciunt iudicem non cognoscere verum.

Laertius Diogenes de Vita & moribus philosophorum.

Interro-

Interrogatus Solon quid est rex? Respondit, fortis potestas. Quid lex? Araneæ tela: quia si in eam inciderit quid debile, retinetur: graue auté pertransit tela rescissa.

Ibidem.

Iudex bonus nemo erit, nisi qui de se alterũ cognouerit iudicari.

Ibidem.

Qui innocentem damnat, seipsum vulnerat: quoniam sua sententia semper reus seipsum punit conscientia.

Ibidem.

Cùm Xenocrates vidisset quendam latronẽ duci ad patibulum, subrisit dicens: quod magni fures minores morte damnabant.

Cicero Rhetoricorum libro 2.

In iudicijs quid æquum sit quæritur.

Ibidem.

Non oportet antè supplicium quàm iudiciũ interponere.

Idem Rhetoricorum lib. 2.

Duabus de causis iudicem iudicare oportet, si aut scriptũ sit obscurè, aut neget aliquid aduersarius. Cùm & scriptum sit apertè, & aduersarius omnia confiteatur, tunc iudicem legi parere, nõ interpretari legem oportet. Nam summa prudentia est, cùm quis cõtra id quod scriptum sit, aliquid probare velit.

Ibidem.

Iudex is videtur legi obtemperare, qui sententiam eius, nõ qui scripturam sequitur. Si leges duę aut plures, aut quotquot erunt conseruari nõ possunt, quia discrepant inter se, ea maximè conseruanda putetur, quę ad maximas res pertinere videtur: & maximè conseruanda est ea lex, quæ diligentissima & sancta est: Multis etiam in legibus multa præterita sunt, quæ idcirco præterita arbitrantur, quod ex cæteris de quibus scriptum est intelligi possunt. Nã oportet coniectura ex eo quod scriptum est, ad id quod non sit scriptum peruenire. Nemo enim potest omnes res per scripturam complecti, sed is commodissimè scribit, qui curat, vt quædam ex quibusdam intelligantur.

Idem libro de Oratore.

Plura multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua commotione mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut in eis norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus.

Idem Officiorum lib. 3. cap. 11.

Ponit enim personas amici, cùm induit, personã iudicis. Tantum dabit amicitiæ, vt veram amici causam esse malit, & vt orandæ litis tempus quo aliquid per leges liceat, accommodet.

Idem Officio. lib. 3. cap. 16.

Iudicis est enim semper in causis verum: patroni autem nonnunquam verisimile.

Valerius Maximus lib. 7.

Quàm porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis cõparabat, nam vt illas infirmiora animalia retinere, valentiora trãsmittere: ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotentes non alligari aiebat.

Quintil. Declamatione 10.

Multum me vel vos fallit opinio iudices, si vllam causam ita euidenter deferri in forum posse putatis, cui nulla mendacij velamenta cõtingant.

Lucius Apuleius de Asino aureo lib. 3.

Non ad instar barbaricæ veritatis, vel tyrannicæ impotentiæ, damnari debet aliquis inauditus & in pace placida tam dirum seculo prodi non debet exemplum.

Phocylides.

Πᾶσι δίκαια νέμειν, μηδὲ κρίσιν ἐς χάριν ἕλκειν. id est.
Omnibus iusta distribue, neq; iudicium ad gratiã trahas.

Idem.

μὴ κρίνε πρόσωπον. id est.
Noli iudicare faciem.

Idem.

ἢν σὺ κακῶς δικάσῃς σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσει. id est.
Si tu malè iudicaueris, te Deus deinde iudicabit.

Idem.

μηδέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς. id est.
Nunquam iudicium facere imperitos uiros permittes.

Cleobolus.

τὰ δίκαια κρίνε. id est.
Iustè iudica.

Menander.

κατηγορεῖν οὐκ ἔστι καὶ κρίνειν ὁμοῦ. id est.
Accusare non licet & iudicare simul.

Idem.

ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα. id est.
Inexaminatum ne punies ullum.

Ouidius Trist. lib. 1. Eleg. 1.

Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quærere: quæsito tempore, tutus eris.

Idem de Ponto lib. 2. Elegia 2.

Non est confeßi causa tuenda rei.

Horat. carminum lib. 2.

O quoties bonus atq; fidus
Iudex honestum prætulit utili,
Reiecit alta dona nocentium.
Vultu per obstantes cateruas;
Explicuit sua uictor arma.

Idem Sermonum lib. 2.

Malè uerum examinat omnis
Corruptus iudex.

Iuuenalis Satyra 2.

Dat ueniam coruis uexat censura columbas.

IVdex est vir bonus, iurisdicendi & æquitatis peritus, ad id muneris publica authoritate vocatus. Claudius Cautiuncula de officio iudicis, lib. 9. qua authoritate nitatur iudex, ibid. cap. 8. Quot & quæ sint iudicum species, lib. 2. cap. 2. AMANTIVS.

Ordinarius iudex est, qui iurisdictionem Iure suo, non alieno beneficio habet. Vel ex sententia Iuliani & Papiniani is dicitur, qui natiuam non datiuam modò iurisdictionem habet, hoc est, qui eam iure magistratus, non mandato speciali obtinet. Vel vocatur ordinarius apud quem legis actio est: ex diffinitione Modestini, & Vlpiani verbis.

Ordinariorum omnium non æqualis est natura, potestas, aut iurisdictio: quidã enim maius quidam minus imperium, aut etiam simplicem habent iurisdictionem.

Iudex delegatus est is, qui iurisdictionẽ non suo iure, sed alieno beneficio habet: Horum quidem alij à fortuna, seu culmine imperiali dati, simplici alij appellatione principis delegati, quidam ex sacra iussione dati, quidam pedaneo. De quibus Cantiuncula affatim refert.

D. *Augustinus 14.q.5.c.quamuis.*

Non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis testimonium verum, quia vendit aduocatus iustum patrociniũ, iurisperitus verum consilium: illi enim inter vtramq; partẽ ad examen adhibentur: isti ex vna parte consistunt. Cùm autem iudicia & testimonia, quæ nec iusta, nec vera sunt, vendendo iniqua & falsa venduntur: multo sceleratius vtiq; pecunia sumitur: quia sceleratè etiam, quamuis à volentibus datur.

Idem contra Macedonium.

Iusti est incedere recta intentione: Iudicis autem est iudicare recto & iusto ordine: Modus rogandi iudicem est, vt faciat, quod salua fide facere potest.

Hieronymus sup. epistolam ad Galatas, & habetur 25.q.5.cap.Iudex.

Iudex nõ est autor sceleris homines vincẽdo.

Ibidem.

Homicidas, sacrilegos, & fœneratores punire non est effusio sanguinis.

D.*Ambrosius 3.q.7.Iudicis.*

Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & proposito domesticæ voluntatis: sed iuxta leges & iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, & æquitatis: Non indulget propriæ voluntati, nihil præparatum, & meditatum de domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se natura habet, decernit, obsequitur, legibus non aduersatur, examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices sæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam societatem, quam sobrietatem, quam synceritatem.

Euertunt recta iudicia pecuniæ. Ecclesiasti.20.

Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi capistro frenãt, ne vitia castigare posint.

Rhythmicôs.

Excæcant oculos data munera sæpe sophorum,
Inijciunt labijs dura lupata suis.
Libera iudicij non possunt promere uerba,
Nec reprobare queunt, quæ reprobanda uident.

Esaiæ 5.cap.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iusticiam iusti aufertis ab eo.

In uersus sententia posterior redacta:

Ex eiconibus mortis.

Væ nimium uobis, qui iustificatis iniquum,
Erigitisq; malos, deprimitisq; bonos.
Donaq; sectantes fallacis inania mundi,
Iustitiæ uerum tollere uultis iter.

Item cap.10.

Væ qui condunt leges iniquas: & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimerent pauperes in iudicio, vt vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ prẹda eorum, & pupillos diriperent.

Item 59.cap.

Conuersim & retrorsim iudicant: & iustitia longè stetit: quia corruit in plateis veritas.

Hieremiæ 5.

Causam viduæ non iudicauerũt, causam pupilli non direxerunt. Num quid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gente huiuscemodi non vlciscitur anima mea?

Ibidem 22.

Facite iudicium & iustitiam: & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & aduenã, pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimere iniquè, & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.

Officium iudicis boni & Christiani.

Exodi cap.23.

Ne sequeris turbam ad faciendũ malum: neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. Pauperis quoq; non misereberis in iudicio.

Ibidem.

Non declinabis in iudicium pauperis, insontem & iustum nõ occides, nec accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum.

Leuitici 19. Cap.

Non facies, quod iniquum est, neque iniustè iudicato. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum petentis. Iustè iudica proximo tuo.

Noli facere iniquũ aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura &c.

Deuteronomij 1.

Audite illos, & quod iustum est iudicate: siue ciues sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruũ audietis vt magnum.

Ibidem

Ibidem 16.

Iudices & magistratus cõstitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, vt iudicent populum tuũ iusto iudicio.

Non accipies personam, nec munera, quia munera excęcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Iustè, quod iustum est, persequeris, vt viuas, & posideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

Deuteronomij 24.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus: sed vnusquisq; pro peccato suo morietur.

4. Regum 14.

Non peruertes iudicium aduenæ, & pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus. Amen. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animã sanguinis innocentis, & dicet omnis populus: Amen.

2. Paralyp. 10.

Non hominis exercebitis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit; sit timor Dei vobiscum, & cum diligentia facite cuncta. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarũ acceptio, nec cupido munerum.

Psal. 2.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Psal. 81.

Vsq; quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate, eripite pauperẽ & egenum de manu peccatoris liberate.

Prouerb. 4.

Oculi tui recta videant.

Ibidem cap. 17.

Qui iustificat impium, & condemnat iustũ: Vterq; abominabilis apud Deum.

Prouerb. 18.

Accipere personam impij in iudicio, non est bonum, vt declines à veritate iudicij.

Item 24.

Qui dicunt impio, iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.

Sapient. 1.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.

Ecclesiast. 5.

Iustifica pusillum & magnum similiter.

Item 4.

In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro mater illorum: & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui, magis quàm mater.

In uersus superiora redacta.

Intrepidus, quod recta monet sententia, profer,
Hinc etiam nullis dimoueare minis.
Vt genitor uerus defende parentibus orbos,
Disce tuæ uiduam matris habere loco.
Sic eris excelsi proles accepta parentis,
Et te quam genitrix diliget ille magis.

Ecclesiast. cap. 7.

Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.

Rhythmicôs.

Iudicij tibi nec libeat residêre cathedra,
Nec propera causas mox agitare graues.
Tu mala non poteris conuertere cuncta repente,
Continuò ut fiant munera grata Deo.
Insuetus uultum metues fortasse potentis,
Proq; illo fœdè, iura sacrata feres.

IVdicium finale erit vniuersalis separatio bonorum à malis, ex B. Thoma 4. sentent. dist. 48. quæst. 1. art. 1. NANV"

Iudicium generale fiet circa montem oliueti vbi est vallis Iosaphat, & circa locum illũ Christus descendet, sicut inde ascendit, vt idem esse ostendatur, qui descendit, & qui ascendit, ex B. Tho. 4. sentent. dist. 48. quæst. 1. art. 4.

Dauid Psal. 95.

Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

Ecclesiast. cap. 11.

Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quod pro omnib⁹ his adducet te Deus in iudicium.

Ibidem cap. 12.

Cuncta quę fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit.

Ecclesiast. cap. 12.

Et impijs & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in die vindictæ.

Esaias cap. 3.

Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius.

Iohel cap. 2.

Magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum?

Malachias cap. 3.

Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliãt viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

Machabæorum 2. cap. 12.

At verò fortissimus Iudas hortabatur populum cõseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorũ, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia

drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, speraret resurrecturos, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis; & quia considerabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Matthæi cap. 13.

Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in cōsummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminū ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.

Ibidem cap. 25.

Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eas ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mūdi. Esuriui enim, & dedistis mihi mādúcare. Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus eram & operuistis me. Infirmus eram, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurienté, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmū, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignē æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes erā, & non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmū, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternū, iusti autem in vitam æternam.

Marci cap. 12.

Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælis.

Idem cap. 13.

Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus vsq; nunc, neq; fient. Et nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro.

Ibidem.

De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neq; filius, nisi pater: videte vigilate, & orate, nescitis enim quando tēpus sit.

Ibidem.

Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniet, sero, an media nocte, an gallicantu, an manè; ne cùm venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.

Lucas cap. 17.

Nam sicut fulgor coruscans è regione, quæ sub cælo est, in alteram, quę sub cęlo est, fulget: ita erit filius hominis in die sua.

Ibidem cap. 2.

Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominib⁹ præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venienté in nube, cum potestate magna & maiestate.

Ibidem.

Vigilate itaq; omni tēpore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

Ioannes cap. 5.

Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audiét vocem filij dei, & procedent, qui bona fecerūt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.

Ibidem cap. 11.

Scio quia Lazarus resurget in resurrectione in nouissimo die.

Paulus ad Corinth. 2. cap. 5.

Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur; & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.

Idem ad Corinth. 1. cap. 3.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonū siue malū.

Idem ad Thessal. 1. cap. 4.

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit; ita Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui

qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniã ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubib9 obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

Ibidem cap. 5.

De temporibus aũt & momentis fratres non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint: pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient.

Idem ad Timoth. 2. cap. 3.

Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erũt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatũ amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem abnegantes.

Petri Apost. 1. cap. 4.

Omniũ aũt finis appropinquabit, estote itaq; sobrij & vigilantes in orationibus.

Ibidem.

Et si iustus quidem vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? ita & hi qui patiuntur secundũ voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Ibidem 2. cap. 3.

Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.

Ibidem.

Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut vnus dies. Non tardat Dominus promissionẽ suam, sicut quidam existimãt: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini sicut fur, in quo cęli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur. Terra autẽ & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum Dei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cęlos, & nouã terrã, iuxta ꝓmissum ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quòd charissimi hæc expectãtes, satagite immaculati & irreprehẽsibiles ei inueniri in pace: & Domini nostri Iesu Christi lõganimitatem, salutem arbitremini.

Apocalypsis cap. 1.

Ecce venit Iesus Christus cũ nubibus, & videbit eũ omnis oculus, & qui eum pupugerũt.

August. homil. 12.

De aduentu spõsi clamor in media nocte fit, quia sic dies iudicij surripit vt præuideri non valeat quando venit.

Idem lib. de Ciuitate Dei.

Tunc manifestus veniet inter iustos iudicaturus iustè, qui occultè venerat iudicandus ab iniustis iniustè.

Idem lib. 3. de Symbolo.

Ille iudex nec gratia præuenitur, nec misericordia iã flectitur, nec pecunia corrũpitur, nec satisfactione vel pœnitentia mitigabitur. Hic dũ tẽpus habet agat anima pro se, quamdiu locus est misericordiæ, quia ibi erit locus iustitiæ.

Hieron. & hab. 11 q. 3. Aestimant quidem.

Nec arbitrandum est in die iudicij illos tantũ à Dei filio esse denegãdos, qui in martyrio Christum negauerunt: sed & illos oẽs quorũ opere, vel sermone, vel cogitatione Christus negatur negat, vel confessus confitetur. De hac puta cõfessione qua discipulis præcepit dicens: Eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.

Idem ad Heliodorum.

Veniet dies illa, veniet, in qua corruptũ hoc & mortale induat incorruptionẽ & immortalitatem. Beatus ille seruus quẽ inuenerit Dñs vigilantem, tunc ad vocem tubæ pauebit terra, cum populis tu gaudebis. Iudicaturo Dño lugubris mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondã reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole sua igneus Iupiter, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristoteli argumenta nõ proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis, & dices: ecce iudex qui inuolutus pannis in p̃sepio vagijt, hic est operarij & quæstuariæ filius, hic qui matris gestatus sinu, Deus homo fugit in Aegyptum, hic vestitus coccino, hic pungentibus spinis coronatus, hic magus, dæmonium habens & Samaritanus. Cerne manus Iudæe quas fixeras: cerne latus Romane quod foderas, videte corpus an idem sit quod dicebatis.

Idem in epist. 34.

Dicimus quoq; & iudicium futurum, in quo iudicio vnusquisque recipiet propria corporis prout gessit, siue bona siue mala, quod si homines recepturi sunt pro operibus suis, quãto magis diabolus qui omnibus existit causa peccati? De quo sentimus illud quod scriptũ est in Euãgelio: Quia & ipse diabolus, & oẽs angeli eius cum ijs, qui opera eius faciunt, & criminantur, fratres cum ipso pariter æterni ignis hæreditatem partientur. Si quis autem negat diabolum ignibus æternis mancipandum esse, partem hæredi-

hæreditatis Dei cum ipso, sed eam in igne accipiat, vt sentiat verum esse quod negauit.

Idem super Matth.

Siue comedã, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: surgite mortui & venite ad iudicium. Quoties diem iudicij cogito, totus corde & corpore contremisco. Si qua præsentis vitę est lętitia, ita agenda est, vt nunquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoria.

Ibidem.

Non est nostrum nosse tempora, id est, non expedit nobis diem iudicij nosse, sed semper incerti de aduetu iudicis sic quotidie viuamus quasi die altera iudicandi simus.

Ibidem.

In die iudicij sol & luna obscurabuntur, non diminutione luminis, sed comparatione veri luminis. Alioquin legimus solem habiturum septuplum luminis, sed cõparatione veræ lucis omnia tenebrosa erunt.

Ambro. libro de Offic.

Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, indecora offendunt, & honesta delectant.

Grego. & hab. dist. 25. Qualis.

Qualis hinc quisq; egreditur, talis in iudicio apparebit, vel repræsentabitur: sed tamen de quibusdam culpis esse ante iudicium purgationis ignis credendus est, pro eo quod veritas dicit: Quia si quis in spiritum sanctũ blasphemias dixerit, neq; in hoc seculo remittitur ei, neque in futuro: in qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdã in futuro posse relaxari. Quod autem de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam cõceditur. Sed tamen vt prædixi, hoc est de paruis minimisq; peccatis fieri posse credendum est: sicut assiduus & otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ familiaris: quod vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: quæ & post mortem grauant, si adhuc in vita positis minimè in morte fuerint relaxata.

Idem libro 34. Moralium.

Sunt enim nunc etiam qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quãdoq; finem futura super se iudicia suspicantur: quibus breuiter respondemus: Si quandoquę finienda sunt supplicia reproborum, quãdoq; ergo finienda sunt gaudia bonorum. Per semetipsam namq; veritas dicit: Ibunt hi in suppliciũ æternum, iusti autem in vitam æternam.

Idem in homil. Homo quidam erat di.

Ante retributionem extremi iudicij, iniusti quosdam iustos in requie cõspiciunt, vt eos videntes in gaudio, non solum de supplicio suo, sed etiam de illorum bono crucientur: iusti autem in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer euaserunt. Tantoq; maiores creatori suo gratias referunt, quãto vident in alijs, quod ipsi perpeti, si essent derelicti, potuerant.

Idem homil. 25.

In extremo die iudicij, cum apertis cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis, in sede maiestatis suæ Christus apperebit, omnes hunc electi pariter & reprobi videbunt, vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant & iniusti de vltione supplicij in perpetuum gemant.

Idem super Matthæum.

In illa districtione vltimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe qa ille fortis increpat, qui testis conscientię intus animam accusat.

Idem super illud Matthæi. Omnes capilli uestri numerati sunt.

Sic Deus vias nostras considerat, & gressus dinumerat, vt nec minimæ cogitationes ac verba minutissima, quæ apud nos viguerunt eius iudicio indiscussa remaneant.

Idem super illud Matthæi 24. In nubibus cœli cum maiestate.

In maiestate visuri sunt, quem in humilitate videre noluerunt, vt tanto districtius virtutem sentiant, quanto ceruicem cordis ad eius præsentiam non inclinant.

Ioan. Chrysost. super illud Matthæi 24. Et uirtutes cœlorum mouebuntur.

Exurgente Rege cælesti iudicare viuos & mortuos, virtutes angelicæ mouebuntur, terribiles ministri terribilem Dominum præcedẽt.

Ibidem.

Patrefamilias moriente domus turbatur, familia plangit, & nigris se vestimentis induit: sic humano genere propter quod facta sunt circa finem constituto, cœli mysteria lugent, & candore posito tenebris induuntur.

Idem super Matthæum.

In illo die nihil est quod respondeamus, vbi cælum & terra, aër & aqua, & totus mundus stabit aduersus nos in testimonium peccatorũ nostrorum: & si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantes.

Idem super 1. ad Corinthios 15.

Verè vox magna, vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum dirumpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat. Hæc autem omnia citius consumit in opere, quàm

sagitta

sagitta transit in aëre, dicente apostolo: In momento, in ictu oculi.

Bernardus super Cantica.

Veniet dies illa, in qua plus valebũt pura corda, quàm astuta verba, conscientia bona, quàm marsupia plena: quoniam quidem iudex ille nõ falletur verbis, nec flectetur donis.

Lactant. Firm. lib. 7. Diuin. instit. cap. 15.

Propinquante igitur huius seculi termino, humanarum rerum statum commutari necesse est, & in deterius nequitia inualescente prolabi: vt etiam nostra hæc tempora, quibus iniquitas, & malitia vsque ad summum gradum creuit: in illius tamen insanabilis mali comparatione felicia, & propè aurea possint iudicari. Ita etenim iustitia rarescet, ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebrescet, vt si qui tũ fortè fuerint boni, prædę sint sceleritatis, ac diuexentur vndiq; ab iniustis: Soli autẽ mali opulenti sint, boni verò in omnibus contumelijs, atq; in egestate iactentur: confundetur omne ius, & leges interibunt. Nihil tunc quispiam habebit, nisi aut quæsitũ, aut defensum manu: audacia, & vi omnia possidebunt. Nõ fides in hominibus, nõ pax, non humanitas, nõ pudor, non veritas erit. Atq; ita neq; securitas, neq; regimen, neq; requies à malis vlla: Omnis enim terra tumultuabitur, frementq; vndiq; bella, omnes gentes in armis erunt, & se inuicem oppugnabunt.

Idem cap. 16.

Quomodo autem id futurum sit ne quis incredibile arbitretur, ostendam. In primis multiplicabitur regnũ, & summa rerum potestas per plurimos dissipata, & concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serentur nec vlla requies bellis exitialibus erit, donec & reges decem pariter existant: qui orbem terræ non ad regendum, sed ad consummandum partiantur. Hi exercitibus in immensum auctis & agrorum cultibus destitutis, quod est principium euersionis & cladis, disperdent omnia & comminuent & vorabunt. Tunc repentè aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem à cæteris, ac princeps omnium cõstituetur. Noua consilia in pectore suo volutabit, vt proprium sibi cõstituat imperium. Leges commutabit, suas sanciet, cõtaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atq; imperij sede translata, confusio, ac perturbatio humani generis consequetur. Tum verò detestabile, atq; abominãdum tempus existet, quo nulli hominum sit vita iucunda. Euertentur funditus ciuitates, atq; interibunt, non modo ferro, atq; igni, verumetiam terræ motibus assiduis, & eluuie aquarũ, & morbis frequẽtibus, & fame crebra, aër enim vitiabitur, & corruptus, ac pestilens fiet, & modò importunis imbribus, modò inutili siccitate, nunc rigoribus, nunc ęstib⁹ nimijs. Nec terra homini dabit fructum, nec seges quicquã, non arbor, nõ vitis feret: sed cùm in flore spem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoq; cum fluminib⁹ arescent, vt ne potus quidem suppetat, & aquæ in sanguinẽ, aut amaritudinem mutabuntur. Propter hoc deficient, & in terra quadrupedes, & in aëre volucres, & in mari pisces. Prodigia quoq; in cælo mirabilia mentes hominum maximo terrore cõfundent. Et crines cometarum, & solis tenebræ, & color lunæ, & cadentium syderum lapsus.

Ibidem lib. 7. cap. 17.

Sed planius, quomodò id eueniat, exponam. Imminente iam temporum conclusione, Propheta magnus mittetur à DEO, qui conuertat homines ad Dei cognitionem, & accipiat potestatem mirabilia faciendi. Vbicunq; non audierint eum homines, claudet cælum, & abstinebit imbres, & aquam conuertet in sanguinem, & cruciabit illos siti, ac fame, & quicunq; conabitur eum lædere, procedet ignis de ore eius, atq; cõburet illum. His prodigijs, atque virtutibus cõuertet multos ad Dei cultũ, peractisq; operibus eius, alter rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus, euersor, ac perditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit aduersus Prophetam Dei, & vincet, & interficiet eũ, & insepultum iacere patietur: sed post diem tertium reuiuiscet, atq; inspectantibus, & mirantibus cunctis, rapietur in cęlum. Rex verò ille teterrimus erit quidem & ipse, sed mendaciorum propheta, & seipsum cõstituet ac vocabit Deum, & se coli iubebit vt Dei filium: & dabitur ei potestas vt faciat signa, & prodigia, quibus visis irretiat hoĩes, vt adorent eum. Iubebit ignẽ descendere de cælo, & solem à suis cursibus stare, & imaginem loqui: & fient hæc sub verbo eius, quibus miraculis etiam sapientum plurimi allicientur ab eo: Tũc eruere Dei templũ conabitur, & iustũ populũ persequetur: & erit pressura & contritio, qualis nunquã fuit ab initio mundi. Quicunq; crediderint & accesserint ei, signabuntur ab eo tanq̃ pecudes. Qui aũt recusauerint notã eius, aut in mõtes fugient, aut cõprehensi exquisitis cruciatibus necabũtur. Idẽ iustos homines obuoluet libris ꝓphetarũ, atq; ita cremabit, & dabitur ei desolare orbem terrę mensibus 42. id erit tempus quo iustitia ꝓijcietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hostiliter prædabuntur. Nõ lex, aut ordo, aut militiæ disciplina seruabitur: nõ canos quisquã reuerebitur, non officiũ pietatis, non sexus, aut infantiæ miserebitur.

Idem lib. 7. cap. 18.

Hæc ita futura esse, tum prophetæ omnes ex

ex Dei spiritu, tum etiam vates ex instinctu dęmonum cecinerunt. Hydaspes enim, quem superius nominaui, descripta iniquitate seculi huius extremi, pios ac fideles à nocentibus segregatos, ait, cum fletu, & gemitu extensuros esse ad cælum manus, & imploraturos fidem Iouis. Iouem respecturum ad terram, & auditurũ voces hominum, atque impios extincturum. Quæ omnia vera sunt, præter vnũ, quod Iouẽ dixit illa facturum, quę Deus faciet: Sed & illud non sine dæmonum fraude subtractũ est, missum iri tunc à patre filium Dei, qui deletis omnibus malis pios liberet.

Ibidem cap.19.

Oppresso igitur orbe terræ, cùm ad destruendam immensarũ virium tyrannidem humanæ opes defecerint: siquidem capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit. Diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus, ancipiti periculo, & miseranda comploratione iustorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cælum mediũ intempesta nocte & tenebrosa, vt in orbe toto lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat, quod Sybilla his versibus locuta est. ὑππότ' ἂν ἔλθῃ πῦρ ἔσαι σκότος ἐν μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ. id est. Cùm venerit ignis erunt tenebræ in media nocte obscura, hæc est nox quę à nobis propter aduentum regis, ac Dei nostri peruigilio celebratur. Cuius noctis duplex est ratio, quod in ea & vitam tum recepit, cùm passus est, & postea orbis terræ recepturus est regnum. Hic est enim liberator, & iudex, & vltor, & rex, & Deus, quem nos Christum vocamus, qui prius, quàm descendat, hoc signum dabit. Cadet repentè gladius è cælo, vt sciant iusti ducem sanctæ militiæ descensurũ. Et descendet comitantibus angelis in medium terræ, & præcedet eũ flamma inextinguibilis, & virtus angelorũ tradet in manus iustorum multitudinẽ illam, quæ montem circunsederit, & concidetur ab hora tertia vsq; ad vesperam, & fluet sanguis more torrentis, deletisq; omnibus copijs, impius solus effugiet, & peribit ab eo virtus sua. Hic est autem, qui appellatur antichristus: sed seipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum sæpè renouabit, & sæpe vincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impijs debellatus, & captus, tandem scelerum suorum luat pœnas.

Idem libro 7. cap.20.

Post hęc aperientur inferi, & resurgent mortui, de quibus iudicium magnũ idem ipse rex, ac Deus faciet, cui summus pater & iudicandi, & regnandi dabit maximam potestatem.

Ibidem lib.7. cap.21.

Primum igitur dicimus, tantam esse Dei potestatem, vt etiam incorporalia cõprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt, inenarrabili quodam modo. Et dæmones reformidant, quia torquẽtur ab eo, & puniuntur. Quid ergo mirum, si cùm sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo? Nam cùm in se nihil habeant solidum, & contrectabile, à solidis, & corporalibus nullam vim pati possunt. Sed quia in solis spiritibus viuunt, à solo Deo tractabiles sunt, cui virtus, & spiritalis substantia est. Sed tamen docent nos sanctæ literæ, quẽadmodum pœnas impij sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, vt in corporibus piaculum soluant: & tamen non erit caro illa, quã Deus homini superiecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis, & permanens in æternum, vt sufficere posit cruciatibus, & igni sempiterno: cuius natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria vtimur, qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per seipsum semper viuit, ac viget sine vllis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus vrgetur, sicut noster, quẽ labes terreni corporis, quo tenemur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cælestem naturam cum trepidatione mobili subuolare. Idem igitur diuinus ignis vna eademque vi atque potentia & cremabit impios, & recreabit, & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit: quod poetæ in Vulturem Tityi transtulerunt. Ita sine vllo virescentium corporum detrimento, aduret tantùm ac sensum doloris afficiet. Sed & iustos cùm iudicauerit Deus etiã igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint perstringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena iustitia & maturitas virtutis excoxerit, illum ignem nõ sentient. Habent enim aliquid in se quod vim flammę repellat ac reijciat. Tanta enim virtus est innocentię, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit à Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet.

Idem libro 7. cap.23.

Non igitur renascentur, quod fieri non potest, sed resurgent, & à Deo corporibus induentur, & prioris vitæ, factorumque omnium memores erunt, in bonis cœlestibus collocatæ, ac fruentes iucũditate innumerabilium copiarũ, præsenti Deo gratias agent: quòd malũ omne deleuerit: quòd eos ad regnum, vitamque perpetuam suscitarit.

Idem lib.7. cap.24.

Veniet summi, & maximi Dei filius, vt viuos, ac mortuos iudicet.

Idem libro 7. cap.25.

Com-

Completis annorum sex millibus mutationem istā fieri oportere, & iam propinquare illū summum cōclusionis extremæ diem, de signis quæ prædicta sunt à ꝓphetis licet noscere. Prædixerunt enim signa, quibus cōsummatio temporum, & expectāda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen cōpleatur hęc summa, docent ij, qui de tēporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex his varijs historijs, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi, qui licet varient, & aliquantum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum. Etiam res ipsa declarat lapsum, ruinamq; breui forè, nisi quod incolumi vrbe Roma nihil istius videtur esse metuendum. At verò cū caput illud orbis occiderit, & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt. Quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbiq; terrarum? Illa est ciuitas quę adhuc sustentat omnia, precandusq; nobis & adorandus est Deus cæli: si tamen statuta eius, & placita deferri possunt, ne citius, quàm putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus miliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundꝰ ipse lapsurus est.

Origenes super epist. ad Rom. lib. 2.

Cùm bona vel mala cogitamus in corde nostro, tam bonarum quàm malarum cogitationum notæ quædam & signa relinquuntur, quæ in die iudicij reuelabuntur.

Anselmus de similitudinibus mundi.

A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper iudex iratus: foris mundus ardēs, intus conscientia vrens. Ibi vix iustus saluabitur. Heu miser peccator sic deprehensus quo fugies? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile.

Lucanus in principio lib. 1. Pharsaliæ.

Sic cum compage soluta.
Sæcula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sydera syderibus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietq; fretum, fratri contraria phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi, totaq; discors
Machina diuulsi turbabit fœdera mundi.

Ouidius Metamor. lib. 1.

Ipse quoq; in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Franciscus Petrar. in triumpho æternitatis.

De guadagni
Veri & di falsi fara ragione,
Che tuti fien albora opra daragni.
Vedraßi quantus in uan cura si pone,
Et quanto in darno s'affatiga & suda:
Come sono ingannate le persone.
Nesun secreto fia, chi copra o chiuda.
Fia ogne conscientia o chiara, o fosche
Auanti a tutto el mundo aperta & nuda.
Et fia chi ragion iudichi & cognosca.
Poi uiderem præhender ciascun suo uiagio,
Come fera scaciata si rimbosca.
Et uedrar si in quel puncto di parraggio,
Che ui fanno ir superbi, oro & terreno
Esser e stato danno, & non uantagio. Id est.

Lucrorum
Verorum atq; falsorum, fiet nam ratio
Quæ cuncta fient tunc aranearum opera.
Videbitur quàm stultè cura ponitur,
Et quàm damnosè laborando sudat:
Qua ratione sint decepti homines.
Nullum secretum fiet, quod factum tegat.
Erit omnis conscientia clara, uel ipsa fusca
Ante totum mundum aperta, & nuda.
Tunc fiet qui ratione iudicet & cognoscat.
Postea uidebimus quenq; capere iter suum,
Vti fera compulsa syluam quærit.
Et uidebitur in eo puncto æqualitatis,
Quod Vos superbos facit, aurum & terrenum
Fuisse uobis damnum, & lucrum nullum.

IVdicium temerarium seu suspiciosum est cū aliquis iudicat de his quæ sunt dubia vel occulta, propter aliquas leues coniecturas, secundum B. Tho. secunda secundæ q. 60. artic. 2.

Leuit. cap. 19.

Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabitis.

Ecclesiastici cap. 19.

Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentiū, & ingressus hominis enuntiant de illo.

Matthæi cap. 9.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?

Idem cap. 11.

Venit enim Ioannes neq; manducans, neque bibens: & dicunt dæmoniū habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.

Lucas cap. 6.

Nolite iudicare & non iudicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini.

Idem 7.

Venit autem Ioannes Baptista neq; manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: dęmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum.

Ioannes cap. 7.

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustũ iudicium iudicate.

Paulus ad Romanos cap. 14.

Is qui manducat, nõ manducantẽ nõ spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit: Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit: Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illũ. Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem.

Ibidem.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptũ est enim: Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaq; vnusquisq; nostrũ pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus. Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.

Idem ad Corinth. cap. 4.

Itaq; nolite ante tempus iudicare quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo.

Ibidem cap. 6.

Sic nõ est inter vos sapiens quisquã qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit.

Iacobus in epist. cap. 4.

Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suũ, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem non es factor legis, sed iudex. Vnus est enim legislator & iudex qui potest perdere & liberare. Tu aũt quis es, qui iudicas proximum tuum?

Augúst. de Sermone Domini in monte, & hab. 11. quæst. 3. cap. Temerarium.

Temerarium iudicium plerunq; nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur. Ei aũt qui temerè iudicat ipsa, temeritas necesse est, vt noceat.

Idem in epist. ad Parentum comitem Arrianum, & habetur 32. quæst. 6. Iniquum.

Iniquum est, vt quisq; de alio iudicare velit, & iudicari de se nolit.

Idem contra Manichæos lib. 2.

Nolite iudicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea factá quæ dubiũ est quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: A fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri. Sunt quædã facta media quæ ignoramus quo animo fiãt, quia in malo & bono fieri possunt, de quibus temerariũ iudicare, maximè vt condemnemus.

Ibidem.

Duo sunt in quibus temerarium est iudiciũ, cauere debemus cùm incertum est, quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet.

Idem lib. 19. de Ciuitate Dei.

Ignorantia iudicis plærunque est calamitas innocentis.

Idem de Pasto.

Temerarijs iudicijs plena sunt omnia. De quo desperamus, subitò conuertitur, & fit optimus. De quo multum præsumpseramus, deficit, & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisquam homo vix nouit. Ipse homo tamen vtrunq; ipse nouit qđ hodie, quid autem cras nec ipse.

Idem sermone Domini in monte.

Maximè hi temerè iudicant, qui de meritis aliorum & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare quàm emendare & corrigere, quod vitium vel superbiæ est vel inuidiæ.

Hieronymus in epist. 5.

Non enim conscientiæ latebras hominibus scire aut nudare permissum est, dicente scriptura: Homo in facie videt, Deus autem in corde. Deus solus intima & secreta circunspicit: sed manifesta est vox Domini monentis: A fructibus eorum cognoscetis eos.

Idem epist. 9.

Vnusquisq; enim non de futuris, sed de præsentibus iudicat.

Ambrosius super illud Beati immaculati.

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in seipso quod condemnet, iudicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putauerit esse puniendа, ne cùm de alio iudicat, in seipsum sententiã ferat. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla leuitate ducitur.

Gregor. super illud Ecclesiastici 7. Noli quærere fieri iudex, nisi ualeas uirtute irrumpere iniquitates.

Debet quisq; proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere: ne, dum delectatur loco gloriæ, fiat subditis author ruinę, & qui grauatur pondere suarum, velit fieri iudex alienarum culparum. Durum enim est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ.

Idem Moralium lib. 26.

Hoc solet esse proprium infirmantium iudicum, vt tanto quempiam existiment iustum, quãto adipisci cõspiciunt omne quod appetit, cùm videlicet nouerimus nonnunquam bona terrena iustis subtrahi, quæ largo munere tribuuntur iniustis: & desperatis ęgris medici quicquid poposcerint dari præcipiunt, & eis quos ad salutem reduci præuident, quod appetunt dari contradicunt.

Ioannes Chrysostomus.

Sunt

Sunt aliqui qui de omnibus malè iudicāt, dicunt enim si quis studet & vacat humilitati, hypocrita est: si recreationi, gulosus est: si patientiæ, timidus est: si iustitiæ, impatiens est: si simplicitati, fatuus est: si prudentiæ, malitiosus est: si maturitati, phlegmaticus est: si iucunditati, dissolutus est: si religioni, singularis est: si societati, secularis est: si silentio & paci, dissimulator est: si aliorum correptioni, præsumptuosus est: si instat vigilijs & orationibus, indiscretus est: si dormitioni, somnolentus est: si prædicationi & aliorum saluti, appetitor laudis est: si desistat, negligens est: si habet gratiam hominum, adulator est: si adulari renuit, dicitur ꝙ superbꝰ est.

Isiodorus lib.2.cap.2. Soliloq.29.

Animus in corporis habitu apparet, gestus corporis signum est mentis. Occultare potest nec sua vota Venus.

Idem lib.2. cap.2.

Ancipitem diu delibera sententiam.

Idem cap. 15.

In ambiguis Deo serua sententiam.

Idem lib.8.cap.31.

Sermo vanus vanæ cōscientię index est. Mores hominis lingua pandit. Qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur.

Seneca epist. 55.

Argumentum morum ex minimis licet capere, impudicum incessus ostendit, improbum vultus, insanum risus habitusq́;.

Boëtius de Philosophica conso. lib.1. Metro.7.

Tu quoq; si uis — Pelle timorem,
Lumine claro — Spemq́; fugato,
Cernere uerum, — Nec dolor adsit,
Tramite recto — Nubila mens est
Carpere callem; — Vinctaq; frenis,
Gaudia pelle, — Hæc ubi regnant.

Idem lib.de Beneficijs.

Molestius est inter duos amicos, quàm inter duos inimicos iudicare.

Idem in Prouerbijs.

Ad pœnitendum prouocat cito qui iudicat.

Idem Tanta.

Multa sed trepidus solet detegere uultus.

Ibidem.

Magna uolentem quoq; consilia produnt.

Aristot.lib.1.Ethicorum.

Vnusquisq; benè iudicat quæ cognoscit, & horum est bonus iudex.

Idem lib.2. Politicorum.

Melius est iudicare secundum leges & literas, quàm ex propria scientia vel sententia.

Idem lib. 3. Politicorum.

Turba multa melius iudicat q̄ vnus tantùm.

Idem libro Prædicamentorum.

Dubitare de singulis non est inutile.

Cicero Rhetor. ueterum lib.2.

Ex victu multæ trahuntur suspiciones, cùm quemadmodum apud quos & à quibus educatus & eruditus sit quæritur, & quibus cū viuat, qua ratione vitæ, quo more domestico viuat.

Idem de Oratore lib.2.

Imago animi est vultus, iudices oculi. Nam hæc sunt vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes possūt efficere.

Francis.Petrar. lib.1. de Vita solitaria.

Esse autem occultissimæ profundissimæque rei humanæ cōscientiæ iudex nolim, & possunt omnes Deo largiente bene viuere.

Terent.comœd. 3.

Ita comparatam esse naturam omnium hominum, ut aliena melius iudicent, quàm sua.

Idq́; eo fit, quod in re nostra sumus aut gaudio præpediti nimio, aut ægritudine.

Martialis Epigram.lib.12.ad Priscum.

Sæpè rogare soles qualis sim Prisce futurus,
Si fiam locuples, simq́; repente potens.
Quenquàm posse putas mores narrare futuros,
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Idem Epig.lib.2.ad Zelotypam.

Cùm tibi nota tui sit uita fidesq́; mariti,
Nec premat ulla tuos sollicitetq́; thoros,
Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris?
In quibus & breuis est, & fugitiua Venus.

Horat. sermonum lib.1. satyra 3.

Stultus & improbus hic amor est, dignusq́; notari,
Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Ibidem.

Parcius hic uiuit, frugi dicatur: ineptus,
Et iactantior hic paulò est, concinnus amicis
Postulat, ut uideatur: at est truculentior, atq;
Plus æquo liber, simplex fortisq́; habeatur.
Calidior est, acres inter numeretur, opinor:
Hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos.
At nos uirtutes ipsas inuertimus, atq;
Syncerum cupimus uas incrustare. probus quis
Nobiscum uiuit, multùm demissus homo: illi
Tardo cognomen pingui damus. hic fugit omnes
Insidias, nulliq́; malo latus obdit apertum.
Cùm genus hoc inter uitæ uersetur, ubi acris
Inuidia, atq; uigent ubi crimina: pro bene sano,
Ac non incauto fictum astutumq́; uocamus.
Simplicior si quis, qualem me sæpè libenter
Obtulerim tibi Mecœnas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat, quouis sermone molestus.
Communi sensu planè caret, inquimus, eheu
Quàm temerè in nosmet legem sancimus iniquam,
Nam uitijs nemo sine nascitur, optimus ille est:
Qui minimis urgetur.

Dantes Flo.Parad.cant.cap.3.

Ne sien le genti ancor tropo sicure

A giudicar, si come quei che stima
Le biade in campo, pria che sian mature.
Chi ho ueduto tuttol uerno prima
Il prun monstrar si rigido è feroce,
Poscia portar la rosa in su la cima.
Et legno uidi gia forte e ueloce
Correr lo mar per tutto suo camino.
Perir al fine allentrar della foce.
Non creda monna Berta & ser Martino
Per ueder un furare, altro offerere
Veder li dentro al consiglio diuino:
Che quel puo surgere, e quel puo cadere. *id est.*
Nec sint homines adhuc securi nimis
Ad iudicandum, sicut is, qui existimat
Segetes in agro, antequàm hæ maturæ fiant.
Vidi ego hyeme tota prima
Pruinum sese monstrantem rigidam atq; ferocem,
Postea ferre rosam in suo cacumine.
Nauigium uidi quondam ualidum & uelox.
Currere mare per omne eius iter,
Perire tandem dum portum ingreditur.
Non credant domina Berta & dominus Martinus
Quod uiderint unum furari, alterum offerre,
Consilium diuinum ob hoc nouisse.
Quoniam ille surgere, hic potest cadere.

Iumentum græcè κτῆνος, εος, τὸ dicitur. Estq; omne animal seruiens homini, secundum beatum Tho. prima parte q. 72. art. 2.

Iumenti appellatione animalia continentur, quæ vel sarcinas gerunt, vel currus trahunt, bobus duntaxat exceptis, à iuuando, hoc est, auxiliando.

IVramentum, siue iusiurandum græcè ὅρκος, ου, ὁ & ὀμόω iuro dicitur. Est autem assertio vel negatio de aliquo licito posibili & honesto, sacræ rei attestatione firmata, secundum Goffrid. Hosti. & Archidiaconum.

Iuramentum est duplex, scilicet assertorium quod est de præsenti. Et promissorium quod est de futuro, secundum B. Thomam secunda secundæ quæ. 89. art. 4.

Iuramentum debet habere comites, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam, secundũ eundem ibidem.

Iurare est Deum in testem vocare, & est actus latriæ. Vnde Hieronymus super Matthæum: Qui iurat, aut veneratur aut diligit eum per quem iurat, ex B. Thoma ibidem.

Iuramentum à iuro dicitur, iuro autẽ à iure. Quid enim est aliud iurare q̃ promittere adhibitis testibus nos ita seruaturos, ac si ius esset. Hic etiã adiuratio, de qua suprà in Adiuratio.

Leuitici cap. 5.

Anima quę iurauerit, & protulerit labijs suis, vt vel malè quid faceret, vel bene, & nõ fecerit, & idipsum iuramento & sermone firmauarit, oblitaq; postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam siue capram, orabitq; pro eo sacerdos & pro peccatis eius.

Ibidem cap. 19.

Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui.

Deuteron. cap. 6.

Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustra, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit.

Ecclesiastes cap. 8.

Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.

Ecclesiastici cap. 23.

Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorũ non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assiduè à liuore non minuitur, sic omnis iurans & nominans in toto peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illus plaga.

Paulus ad Hebræos cap. 6.

Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum.

Iacobus apost. in epist. cap. 5.

Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neq; per cælũ, neq; per terrã, neq; aliud quodcunq; iuramentum. Sit autem sermo vester, est est, non non: vt non sub iudicio decidatis.

August. de sermone Domini in monte, & hab. 22. quæst. 1. Ita ergo.

Ita ergo præcepisse Dominum intelligitur ne iuraretur, ne quispiam sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periuriũ per consuetudinem dilabatur. Quapropter quí intelligit non in bonis, sed in necessarijs iurationem habendã, refrenet se quantũ potest, vt non ea vtatur, nisi necessitas cogat: videlicet cũ videt pigros esse homines ad credendũ, quod eis vtile est credere, nisi iuratione affirmetur.

Idem de sermone Domini in monte, & habetur 22. quæst. 1. Tu malum.

Tu malũ nõ facis, qui vteris benè iuratione, quę & si nõ bona, tamen necessaria est, vt alteri persuadeas, quod vtiliter persuades, sed à malo est illius cuius infirmitate iurare cogeris.

Idem in decollat. sancti Ioannis Baptistæ, & hab. 22. quæst. 4. Quod Dauid.

Quod Dauid iuramentum per sanguinis effusionem non impleuit, maior pietas fuit. Video Dauid pium hominem & sanctum in iurationẽ temerariam incidisse, & maluisse non facere q̃ iurauerat, quàm iurationem suam hominis fuso sanguine adimplere.

Ibidem & habetur 22. quæst. 5. Ille qui.

Ille

Ille qui hominem prouocat ad iurationẽ, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam. Quia homicida corpus occisurus est, ille animam (imo duas animas) & eius animã quem iurare prouocauit, & suam. Scis verũ esse quod dicis, & falsum quod ille dicit & iurare cõpellis. Ecce iurat, ecce peierat, tu quid inuenisti? imò & tu perijsti, qui de illius morte satiari voluisti.

Idem in sermone de Periurijs. & habetur 22. quæst. 5. Qui exigit.

Qui exigit iurationem, multum interest, si nescit illũ iuraturũ falsum, an scit, Si enim nescit, & ideo dicit iura mihi vt fides ei sit, non est peccatum, tamen humana tentatio est: si autem scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicida est. Ille enim se suo periurio interimit, sed iste manum interficientis impresit & presit.

Idem in serm. & hab. 22. quæst. 5. Ecce dico.

Ecce dico charitati vestræ, & qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico, quia multi etiã in hoc falluntur, & putant quia nihil est per quod iurant, non se crimine teneri periurij, prorsus periurus est, quia per id quod sanctum non putas falsum iuras. Sanctum putas cui iuras, nõ enim quando iuras tibi aut lapidi, sed proximo tuo iuras, homini iuras ante lapidem, sed nunquit non ante Deum? non te audit lapis loquentem, sed punit Deus te fallentem.

Idem in epistola ad Publicolam & habetur 22. quæst. 2. In nouo.

In nouo testamento dictũ est ne omnino iuremus, quod mihi quidem propterea dictũ esse videtur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est, à quo longè nos esse voluit, qui omnino ne iuremus commonuit.

Idem & habetur ibidem, Vt noueritis.

Vt noueritis verum iurare, non esse peccatũ, inuenimus & apostolum Paulum iuârsse. Quotidie morior propter vestram gloriam fratres quam habeo in Christo Iesu domino nostro, per gloriam vestrã iuratio est, non enim sic ait: Per vestram gloriã morior, quasi vestra gloria me facit mori, quomodo si diceretur per venenum, per gladiũ, per bestiam, per inimicũ mortuus est, intelligeretur faciente inimico, faciẽte gladio, faciente veneno mortuus est.

Ibidem & habetur ibidem, Quamuis.

Quamuis dictum sit ne iuremus, nusquam in scripturis sanctis legisse memini, ne ab aliquo iurationem recipiamus.

Ibidem & habetur ibidem cap. Mouet.

Mouet te vtrum eius fide vtendũ sit, qui vt eam seruet per demonia iurauerit. Vbi te volo prius considerare, vtrum si quispiam per deos falsos iurauerit, se fidẽ seruaturũ & eam seruauerit, non tibi videtur bis peccasse? si enim tali iurationi promissam seruaret fidem, ideo tamẽ peccasse iudicaretur, quia p falsos deos iurauerit. Illud autem nemo reprehenderet, quia fidẽ seruauit. Nunc vero quia & iurauit per quos nõ debuit, & contra pollicitã fecit fidem quod nõ debuit, bis vtiq; peccauit. At per hoc qui vtitur fide illius quem constat iurasse per falsos deos, vtitur non ad malũ, sed ad bonum & licitũ, non peccato illius se sociat qui per demonia iurauit

Idem Seuero episc. & habetur. 22. quæst. 4. ca. Inter cætera.

Nec credo sacramentum ad hoc debere fieri, vt iniusta iuratio suorum bonorũ sit iniustè iurãtibus expoliatio, & accipienti æterna dãnatio. Periurij nanque percutietur pœna, & velut homicida in extremo examine à iusto iudice degrandinabitur, quem sacrosanctum euangelium ad iniustum, & illicitũ, & Deo minimè amabile quasi testimoniũ iustæ & humanæ petitionis, adducitur.

Idem super Psalmum. Domini est terra, & habe. 22. quæst. 2. cap. In dolo.

In dolo iurat, qui aliter facturus est quàm promittit, cum periuriũ sit, nequiter decipere credentem.

Idem super epistola ad Galatas, & habe. 22. q. 1. cap. Non est contra.

Non est contra præceptũ Dei iuratio, quæ à malo nõ iurantis est, sed increduli à quo iurare cogitur. Nam hic intelligitur ita Dominũ prohibuisse à iureiurando, vt quantum in ipso est quisq; non iuret, quod multi faciunt, in ore habentes iurationẽ tanquã magnũ & suaue aliqd.

Idem de uerbis Apostoli Ser. 18. & habentur 22. quæst. 2. cap. Homines.

Homines falsum iurant vel cum fallunt, vel cùm falluntur. Putat homo verũ esse quod falsum est, temerè iurat, aut scit, vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat, & nihilominus cũ scelere iurat.

Idem serm. 27. & hab. 22. quæst. 1. cap. Si peccatum.

Si peccatum esset iuratio, nec in veteri lege diceretur, Non peiurabis. Reddes Domino iuramenta tua. Non enim peccatum nobis præciperetur. Item non vobis dicimus non iurare. Si enim hoc dicimus mentimur. Quantum ad me pertinet non iuro, sed quantum mihi videtur magna necessitate compulsus, cùm video nisi faciam, mihi non credi, & ei qui mihi nõ credet non expedire, quod non credit, hac perpensa ratione & consideratione librata, cum magno timore dico corã Deo, aut testis est mihi Deus, aut scit Christus, quod sic est in meo animo. Et ideo quod plus est, quid amplius est, quàm est est, non non: sed hoc quod amplius est, non iurantis, sed non credentis.

Idem libro de Mendacio.

Dico vobis. Non iurare omnino, ne, scilicet iurando ad facilitatẽ iurandi veniatur, de facilitate

litate ad consuetudinem, de consuetudine in periurium decidatur.

Hieronymus super Hieremiam & habe.22.quæst. 1.cap.Et iurabunt.

Et iurabunt, viuit Dominus in veritate, & in iudicio & in iustitia, & benedicet eum gentes, ipsumq; laudabunt. Quomodo ergo euangeliũ iurare nos prohibet? sed hîc iuramentum pro confessione dicitur, & ad condemnationẽ idolorum per quæ iurabat Israel. Deniq; offendicula auferuntur, & iuratur per Dominũ Deum: quodq́; dicitur: Viuit dominius, in testamento veteri iusiurandum est, ad condemnationem mortuorum deorum, per quos iurauit omnis idololatra.

Idem libro 2.& habetur 22.quæstione 2.

Animaduertendum.

Animaduertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam, si ista defuerint, neque iam iuramentum erit, sed periurium.

Idem super Matt.lib.1.& habetur 22.quæst. 1.Considera.

Considera quod saluator non per Deum iurare prohibuit, sed per cœlum & terram, & per Hierusalem, per caput tuum, & hoc quia paruulis fuerat lege concessum, vt quãdo victimas Deo immolabant, ne eas immolarent idolis, sic & iurare permitterentur per Deum, non quod rectè hoc facerent, sed quod melius est Deo id exhibere quàm dæmonijs.

Idem & habetur Ibid capite Habemus.

Habemus in lege Dei scriptum, non peierabis in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui in vanum. Ideo admonendi sunt omnes, vt diligenter caueant periurium, non solum in altari seu sanctorũ reliquijs, sed & cõmuni loquela.

Grego.super illud Matth. Non peierabis.

Non penitus iurare prohibuit, sed occasionẽ periurij, quod perfectius est, euitare docuit.

Ioan.Chrysost. & hab.22. quæst.1.Cap. Si aliqua.

Si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere qui iurat per Deum, qui autem per euangelium maius aliquid fecisse videtur, quibus dicendum est: Stulti, propter Deum scripturæ sanctę sunt, non Deus propter scripturas.

Idem & hab. 22.quæst.5.Cap.Iuramenti.

Iuramenti huiusmodi causa est, quia omnis qui iurat ad hoc iurat, vt quod verũ est loquatur. Et ideo Dominus inter iuramentum & loquelam nostrã nullam vult esse distantiã, quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam: ita quoq; in verbis nostris nullum debet esse mendacium, quia vtrunq; & periurium & mendacium diuini iudicij pœna damnatur, dicente scriptura: Os quod mentitur occidit animam. Quisquis ergo verũ loquitur iurat, quia scriptum est: Testis fidelis non mentietur.

Ibidem.

Qui pierare paratus, antequam periurat iam periurus esse videtur, quia Deus non ex operibus iudicat, sed ex cogitationibus & ex corde.

Idem super illud Matth.5. Dico autem uobis, non iurare omnino.

Nemo est qui frequenter iurat, quin aliquãdo non peieret, sicut qui consueuit multa loqui, aliquando loquitur importuna.

Isidorus Sententiarum libro 2. & habetur 17. quæst.1. cap. Non est contra.

Non est contra Dei preceptum iurare, sed dum iurandi vsum facimus, periurij crimen incurrimus.

Idem, & hab.22.quæst.5.cap. Quacunque.

Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tantùm qui cõscientię testis est, ita hoc accipit, sicut ille qui iurat, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit.

Idem Soliloquio. lib. 2.

Asiduitas iurandi periurij consuetudinem facit. Vsus iurandi ad periurium inducit. Veritas iuramento non indiget, firma sit sacramenti tui fides.

Hugo de S. Victore lib.1. par. 2. cap. 14.

Qui malum se facturum iurat, peccat, & melius est, nunc iuramentum frangere, quàm implere, ita quod & malum caueat quod iurauit, & nihilo minus culpam agnoscat, in eo quod malè iurauit.

Beda in homilia 43. & habetur 22. quæsti. 4. cap. Si aliquid.

Si aliquid forte nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum in peiorem vergat exitum, libere illud salubriori consilio mutandũ nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum.

Cicero libro 3. Officiorum.

Sed iureiurando non qui metus, sed quę vis sit, intelligi.

Ibidem.

Est enim iusiurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmate quasi Deo teste promiseris, id tenendum est, sed ad iustitiam & ad fidem pertinet.

Ibidem.

Est autem ius etiam bellicum fidesq; iurisiurandi sæpe hosti seruanda. Quod enim ita iuratum est, vt mens conciperet fieri oportere, id seruandũ est: quod aliter, id si non fecerit, nullum est periurium.

Ibidem.

Nec fides nec iuramentum debet esse commune.

Ibidem.

Non enim falsum iurare, peierare est, sed q̃ ex

ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis cōcipitur more nostro, id non facere periurium est.

Ibidem.

Nullum enim vinculum ad astringendam fidem, iureiurando, maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII. tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum honeste deuincitur fides, indicant notationes animaduersionesq; Censorum, qui nulla de re diligentius, quàm de iureiurando iudicabant.

Phocilydes.

Μητ᾽ ἐπιορκήσῃς, μητ᾽ ἀγνῶς: μήτε ἑκόντι. id est.
Non iurabis neq; pure neq; sponte.

Pythagoras.

σέβου ὅρκον. id est,
Venerare iusiurandum.

Periander.

ὅρκῳ μὴ χρῶ. id est,
Iureiurando ne utaris.

Menander.

ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε. id est,
Virorum autem malorum iusiurandum in aqua scribe.

Idem.

Θεὸν ἐπιορκῶν μὴ δόκει λεληθέναι. id est,
Deum peierans ne putes latere.

Idem.

ὅρκον δὲ φεύγε κ᾽ ἂν δικαίως ὀμνύῃς. id est,
Iusiurandum fuge, etsi iuste iuraris.

Tibullus lib. 1. elegia 9.

Ah miser, & si quis primo periuria cælat,
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Iuuenalis satyra 13.

Tam facilè & pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat, aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia uultus.
Per solis radios Tarpeiaq; fulmina iurat.

Ibidem.

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura uoluente uices & lucis & anni,
Atq; ideo intrepidi, quæcunq; altaria tangunt.

Ibidem.

Nullá ne periuri capitis fraudis in nephandæ
Pœna, erit, abreptum crede hunc grauiore catena.

Ibidem.

Spartano cuidam respondit Pythia uates:
Haud impunitum quondam forè, quod dubitaret,
Depositum retinere, & fraudem iure tueri,
Iurando quærebat enim quæ numinis esset.
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, ueramq; probauit.
Extinctus tota pariter cum prole domoq;
Et quamuis longa deductis gente propinquis,
Has patitur pœnas peccandi sola uoluntas.

Iurgium græcè λοιδορία, ας. ἡ. & λοιδορέω iurgor dicitur. Videtur iurgium esse idem cū rixa, secundum B. Thomam secunda secundę, quæst. 41. art. 2. Differunt tamen iurgium & lis, quod iurgium leuior res est, si quidem inter beneuolos & propinquos concertatio quædam iurgiū dicitur, inter inimicos autem lis appellatur. Cicero: Admiror non rerum solum, sed etiám verborum elegantiam, si iurgat inquit beneuolorum concertatio, non lis, inimicorum iurgiū dicitur. Idem. Iurgare lex putat inter se vicinos non litigare. Hinc fit iurgiosus, hoc est contentiosus, contumeliosus. Obiurgo actiuum, & obiurgor deponēs, quod est reprehendo. & obiurgator, hoc est reprehēsor, & obiurgatio, hoc est reprehensio inde descendunt.

Iurisdictio est facultas atque potestas iurisdicundi, iurisdicere enim præesse iuridicundo significat, & legibus gubernare, ac iustitiam ministrare. Ipsaq; iurisdictio etiam forus dicitur in masculino, secundum Isidorum lib. Etymologiarum. At forum in neutro genere, locum significat vbi ius redditur, quod causę illuc ferātur. Alij dicūt quòd iurisdictio est iudicis dādi licentia. De foro vide suprà in Forum.

Iurisdictio est potestas de publico introducta, & hæc est quandoq; ordinata, & quandoq; delegata. Spec. in Rubrica de iurisdict. omniū iudic.

Iurisdictionem ordinariā dat lex, princeps, & consuetudo. Abb. in. c. duo simul, de off. ordi. in 3. no.

Iurisdictio ordinaria, est fauorabilis, Delegata verò odiosa. glo. in cap. 1. de rescrip. libro 6. in vers. Processus. circa finem.

Ius patronatus est potestas præsentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum, secundum b. Tho. 4. sent. dist. 25. q. 3. art. 11.

Iuspatronatus laicis conceditur, vt citius inducantur ad fundandum, vel dotandum ecclesias. glo. in extraua. glo. 22. suscepti regiminis de elect. ver. vel personis.

- **Iustitia**
  - Propriè dicta, & est habitus secundum quē constanti & perpetua uoluntate ius suū unicuique redditur, & est duplex scilicet
    - Generalis dupliciter
      - Causaliter, qua præcipiuntur & ordinantur actus omnium uirtutū ad bonum commune, & differt realiter ab omni alia uirtute, & uocatur iustitia legalis, quæ est in
        - Principe primo & quasi architectonicè.
        - Subditis secūdò, et quasi ministratiuè.
        - Quibus opponitur iniustitia legalis.
      - Per prædicationem, & est idem realiter cum omni uirtute.
    - Particularis, & est habitus cō stituens æqualitatē ad alterā singularē personam cuius
      - Materia
        - Circa quam .i. obiectum, est
          - Ius quod est opus adæquatum alteri secundum aliquem æqualitatis modum.
        - In qua .i. subiectum perfectibile per iustitiam, est
          - Voluntas quam perficit ipsa iustitia, b. Tho. secūda secundæ q.84. art.4.
      - Actus - Reddere unicuique quod suum est.
      - Partes
        - Subiectiuæ quæ sunt species eius
          - Distributiua quæ cōstituit ex debito æqualitatem, secundum proportionem. Cui opponitur Acceptio personarum.
          - Cōmutatiua constituens ex debito ad alterum æqualitatem secundum quantitatē. Cui opponitur Iniustitia cōmutatiua.
        - Integrales ad perfectū actum iustitiæ pertinētes sunt
          - Generalis cuius partes
            - Declinare à malo.
            - Facere bonum.
          - Legalis
            - Declinare à malo.
            - Facere bonum.
          - Particularis.
            - Facere bonum debitum proximo.
            - Vitare oppositum.
        - Potentiales.
          - Secundum Ciceronem
            - Religio.
            - Obseruantia.
            - Veritas.
            - Gratia.
            - Vindicatio.
          - Secundū Andronicū Peripateticum.
            - Bona commutatio, qua habita custoditur æqualitas in commutationibus.
            - Legispositiua, qua operationes politicæ ad communitatem referuntur.
            - Eugnomosina quasi bona gnome & est bona iustificatio quam homo sponte seruat non secundum legem scriptam, & pertinet ad iustitiam.
            - Eusebia dicitur quasi bonus cultus, & est scientia Dei famulatus, loquendo more Socratico. Ille enim omnes uirtutes uocabat scientias.
            - Sanctitas.
            - Eucharistia, id est, bona gratia.
            - Vindicatiua, ut Cicero.
            - Benignitas.
            - Liberalitas.
          - Secundū Macrobium.
            - Innocentia, qua declinatur à malo nociuo, propter uirtutem.
            - Amicitia, qua homo bene se habet in exterioriconuictu.
            - Cōcordia in exteriori, & hæc tria ad æquales.
            - Religio, qua homo bene se habet ad Deum.
            - Pietas ad patriam & parentes, hæc duo ad superiores.
            - Affectus, quo placent bona inferiorum.
            - Humanitas, qua subuenitur defectibus eorū, & hæc duo ad inferiores.
  - Metaphoricè dicta, Quæ est ad seipsum secundū diuersas partes. Et est rectitudo ordinis in partibus hominis, ut scilicet irascibilis & concupiscibilis subdantur uoluntati, & uolūtas rationi.

IVstitia δικαιοσύνη.ης.ἡ. & δίκαιος.ου. ὁ iustus & δικαίως iustè dicitur. Est autem iustitia habitus per quem iustorum operationes fiunt, per quẽ agunt & volunt res iustas, secundum Arist.li.5. Ethicorum. Iustitia est virtus qua singuli sua secundum leges possident, secundũ Aristotelem lib.1.Rhetoricorum.

Iustitia est virtutum præclarissima, & ipsa est omnis virtus, secundum Aristotelem lib.6. Ethicorum.

Iustitia est splendor magnus ex quo viri boni nominantur. Cuius munus primũ est ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Deinde vt communibus pro cõmunibus vtatur, priuatis vt suis, secundũ Ciceronem lib.1. Officiorum.

Iustitia est habitus animi communi vtilitate conseruatus suam cuique tribuens dignitatem. Eius partes sunt religio, pietas, gratia, vendicatio, obseruantia, veritas, secundum Ciceronem libro secundo Rhetoricorum.

Iustitia est æquitas ius vnicuique rei tribuẽs pro dignitate cuiusq; secundũ Cice.li.3.Rheto.

Iustitia est seruare vnicuiq; quod suũ est. De iustitia veniunt, innocentia, amicitia, cõcordia, pietas, religio, affectus, humanitas: his virtutibus vir bonus primum sui, atq; deinde reipub. rector efficitur, secundum Macrobium.

Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuens, secundum Vlpianum.

Deutronomij cap.16.

Quod iustum est, iustè exequere.

Dauid Psal.91.

Iustus vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur,

Idem Psalm.96.

Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius,

Idem 105.

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omni tempore.

Idem 111.

In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.

Prouer.cap. 4.

Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.

Ibidem cap.10.

Nil proderunt thesauri impietatis, iustitia vero liberabit à morte. Non affliget Dominus fame animã iusti, & insidias impiorũ subuertet.

Ibidem.

Benedictio Domini super caput iusti, os autẽ impiorũ operit iniquitatẽ. Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.

Ibidem.

Opus iusti ad vitam, via autem impij ad peccatum.

Ibidem cap.16.

Initium viæ bonæ facere iustitiam, accepta est apud Deum magis, quàm immolare hostias.

Ibidem cap 20.

Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquit.

Ecclesiastes cap.7.

Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua. Noli esse iustus multũ, neq; plus sapias quàm necesse est, ne opstupescas.

Ibidem.

Bonum est te sustentare iustum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam, quia qui timet Deũ nihil negligit.

Ibidem.

Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Sapientiæ cap.1.

Diligite iustitiam qui iudicatis terram.

Ibidem.

Iustitia enim perpetua est & immortalis, iniustitia autem mortis acquisitio.

Ibidem cap.3.

Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.

Ibidem cap. 4.

Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Ibidem cap.5.

Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Ibidem cap.6.

Qui enim custodierint iustitam iustè iudicabuntur, & qui didicerint iusta, inueniẽt quid respondeant.

Ibidem cap.8.

Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes.

Ecclesiastici.4.

Pro iustitia agonizare, & vsque ad mortẽ certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

Ibidem cap.10.

Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias, & contumelias, ac diuersos dolos.

Ioannes apostolus 1.cap.2.

Omnis qui facit iustitiam ex Deo natus est.

August.de Vera religione.

Hæc est vera iustitia qui potius potiora, & minus minora diligimus.

Ibidem.

Nimia iustitia incurrit peccatum, temperata iustitia facit perfectos, salsitudinem correctionis amor Christi temperet, & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat.

Idem

Idem ad Macedonium.

Hoc certè alienũ non est, quod iure possidetur. Hoc autem iure, quod iustè, & hoc iustè, quod benè. Omne igitur quod malè possidetur alienum est. Malè autem possidet, qui malè vtitur.

Idem de agone Christi.

Humana iustitia diuinæ iustitiæ comparata iniustitia est, quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radium posita tenebrãt.

Hierony. ad Demetriadem.

Omnes virtutum species vno iustitiæ nomine continentur.

Ibidem.

Homo Deo suppositus iustitiã percipit, comparatus amittit. Quia quisquis se autori bonorum comparat, se quod acceperat priuat.

Idem in epistola ad filiam Mauritij.

Iustitia non aliud est quàm nõ peccare. Non peccare enim est præcepta legis seruare. Præceptorum legis obseruatio duplici genere obseruationis custoditur, vt non eorum, quæ prohibentur, facias, & cuncta, quæ iubentur, impleas.

Idem ad Rusticum monachum, & habetur de Pœ. dist. 3. Septies.

Septies in die cadit iustus & resurgit. Si cadit, quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit? sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit, & non solum septies, sed etiam septuagesiessepties delinquenti, si conuertatur ad pœnitentiã, peccata donantur: cui plus donatur, plus diligit.

Ambrosius de Officijs.

Iustitia est quæ nihil alienum vendicat, quæ cuilibet dat quod suum est, que negligit propriam vtilitatem, vt seruet communem æquitatem, & secundũ ipsum prima iustitia in Deũ, secunda in patriam, tertia in parentes, quarta in omnes.

Ibidem.

Sapienti & iusto totus mundus diuitiarũ est. Iustus communia pro suis habet, & sua pro cõmunibus, iustus semetipsum enim priusquàm alios accusat: ille enim est iustus, qui nec sibi parcit, nec alteri, & occulta sua latere non patit.

Ibidem.

Malè se rectum putat, qui regulam summę rectitudinis ignorat.

Idem libro de Paradiso.

Iustitia magis alijs, quã sibi prodest, & vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.

Idem in Hexameron.

Vbi prudentia, ibi & malitia: vbi fortitudo, ibi iracundia: vbi tẽperantia, ibi impatientia, plerunq; aũt alia vitia. Vbi autẽ iustitia est, ibi concordia est cęterarũ virtutũ. Non enim per se pars est iustitia, sed quasi mater est omnium.

Gregorius lib. 5. Moralium.

Sæpe ipsa nostra iustitia ad examen diuinæ iustitię deducta iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod in ęstimatione fulget operantis.

Ibidem.

Sancti viri quando cum personis minoribus contentionũ negotia subeunt, dum grauare vel in minimis timent, ipsi contra iustitiam grauari nequaquam refugiunt.

Ibidem.

Sicut nonnunquã grauius est peccatũ diligere quàm perpetrare, ita nequius est odisse iustitiam, quàm non fecisse.

Idem libro 8.

Iusti nec oblata bona pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt: sed cũ bonis præsentibus vtantur, ventura mala metuũt: & dum malis præsentibus gemunt, bonorũ sequentium amore consolantur, licet temporali refoueãtur subsidio: sicut viator vtitur stabulo quãdo pausat, & recedere festinat, quiescit corpore, sed aliud tendit mente. Nonnunquã tamẽ & aduersa perpeti appetunt, & in transitorijs prosperare refugiũt, ne delectatione itineris à patria retardẽtur, ne gressum in via peregrinationis figant: & quandoq; vt ad aspectum cœlestis patrię sine mora perueniant, gaudent despici, nec dolent necessitatibus affligi.

Idem in Registro.

Summum bonũ in rebus est iustitiam colere, ac vnicuiq; sua iura seruare, & subiectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquũ est custodiri.

Ibidem.

Turpe est mihi defendere, quod non cõstat mihi iustũ esse. Quia ego homines propter iustitiam diligo, nõ autem iustitiam propter homines postpono.

Bernard. in ser. de aduentu.

Iustitia est virtus quæ suũ cuiq; tribuit. Rede superiori siue prælato obedientiã siue reuerentiã, quarum altera cordis, altera corporis est. Neq; enim sufficit exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu similiter de eis sentiamus.

Cassiodorus super illud Psal. Et operatur iustitiam.

Iustitia non nouit patrẽ, non nouit matrem, veritatẽ nouit, psonã nõ accipit, Deũ imitatur.

Boetius de Consolatione libro 1. prosa 4.

Sed esse apud cæteros tutior debui, qui mihi amore iustitię nihil apud aulicos, quo essem tutior, obseruaui.

Idem libro 1.

Obtemperare iustitiæ summa libertas est.

Lactantius Firm. diuinar. instit. lib. 5. cap. 5.

Nunc reddenda est de iustitia proposita disputatio,

sputatio, quę aut ipsa est summa virtus, aut fons est ipsa virtutis: quam non modo philosophi quæsiuerunt, sed poetæ quoque, qui & priores multò fuerāt, & ante natū philosophię nomen pro sapientibus habebantur. Hi planè intellexerunt abesse hanc à rebus humanis, eamque finxerunt offensam vitijs hominum, cessisse terra, in cælumq; migrâsse.

Ibidem cap.6.

Sed imprudentes poetæ, qui eam ad cælum confugisse cecinerunt, ad Iouis regnum.

Ibidem cap.8.

Quid nobis inanem iustitiam depingitis, & optatis cadere de cœlo, tanquam in aliquo simulachro figuratam? Ecce in conspectu vestro est, suscipite (si potestis) eamque in domicilio pectoris vestri collocate, nec difficile, aut alienum à temporibus existimetis. Estote æqui, ac boni, & sequetur vos sua sponte iustitia, quam quæritis. Deponite omnem malam cogitationē de cordibus vestris, & statim vobis illud tempus aureum reuertetur, quod aliter consequi non potestis, quàm si Deum verum colere cœperitis.

Idem lib.5.cap.15.

Iustitia quamuis omnes simul virtutes amplectatur, tamen duæ sunt omnium principales, quæ ab illa diuelli, separariq; non possunt, pietas & æquitas: Nam fides, temperantia, probitas, innocentia, integritas, & cętera huiusmodi, vel naturâ, vel institutis parentum possunt esse in ijs hominibus, qui iustitiam nesciunt, sicuti semper fuerunt: pietas verò & æquitas, quasi venę sunt eius, his enim duobus fontibus constat tota iustitia.

Ibidem cap.18.

Denique, vt concludam disputationem, non posse eundem stultū esse, ac iustum eundemq; qui sapientem, & iniustū docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit bonū, ac iustū nescit, & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captiuus à vitijs, nec resistere vllo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet, quod aliter facere non potest, quàm si habeat recti prauique, notitiam. Rectum autem discernere à prauo qs potest, nisi sapiens? Ita fit, vt nunquam possit iustus esse, qui stultus est, neque sapiens, qui fuerit iniustus.

Cyprianus de 12 abusionibus.

Iustitia regis, pax est populorum, tutamē patrię, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terrę fœcunditas, solatium pauperum, hęreditas filiorum, & sibimetipsi spes futurę beatitudinis.

Anselmus libro, Cur deus homo.

Iustitia est animi libertas tribuens vnicuiq; suam propriam dignitatem, maiori reuerentiā, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiā, egeno operosam misericordiam.

Aristotelis lib.5. Ethicorum.

Præclarissima virtutū est iustitia, neq; hesperus neque lucifer est ita admirabilis.

Idem cap.5.

Iustitia est habitus, secundum quem iustus dicitur operatiuus secundum electionem iusti. Non est iustitia ad seipsum.

Idem libro 1 Politicorum.

Sicut optimum animaliū est homo lege fruens, sic pessimum animalium est homo à lege & iustitia separatus.

Ibidem.

Sæuissima iustitia est, habens arma.

Idem libro 1.Politicorum.

Sine iustitia impossibile est habitari ciuitatē.

Idem lib.3.cap.7.

Communicatiuam virtutē dicimus esse iustitiam, cui necessarium est omnes alias assequi.

Idem cap.19.

Iustum quærentes medium quærunt.

Idem lib.5.

Politiæ maximæ dissoluuntur propter iusti transgressionem.

Idem lib.5.cap.6.

Quod iustum est æquale videtur esse.

Idem lib.6.cap.2.

Semper quærunt quod iustum & ęquale est, qui minores sunt, pręeminētes autē nihil curāt.

Idem lib.2.Topicorum.

Iustitia regentis est vtilior subditis quā fertilitas temporis.

Ibidem.

Quod iustè fit, scienter fit, quod verò iniustè ignoranter.

Idem lib.3.

Si omnes essent iusti non vtilis esset fortitudo, sed si omnes fortes essent adhuc vtilis iustitia esset, ergo melior iustitia quàm fortitudo.

Idem magnorum Moralium lib.1.cap.41.

Melius est iustum, quod secundum naturam est, eo quod est secundum legem.

Idem cap. 64.

Iniustum pati lædi est.

Plutarchus in Apophteg.

Agesilaus cum de fortitudine, iustitiaq; rogaretur vtra esset melior?

οὐδὲν ὄφελος ἀνδρείας ἔφασκεν εἶναι, μὴ παρούσης δικαιοσύνης· εἰ δὲ δίκαιοι πάντες γένοιντο μηδὲν ἀνδρείας δεηθήσεσθαι. id est.

Nulla inquit fortitudinis est utilitas, nisi adsit iustitia. Imo si iusti omnes essemus, fortitudine nequaquam indigeremus.

Cicero lib.1.Officiorum.

Memine-

Meminerimus autem etiam aduersus infimos iustitiam esse seruandam. Est autẽ infima conditio ac fortuna seruorum, quibus non malè præcipiunt, qui ita iubent, vti mercenarijs ad opera præbenda & iusta exhibenda &c.

Ibidem.

Cùm autem duobus modis.i.aut vi aut fraude fiat iniuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur, vtrumque ab homine alienissimũ est, sed fraus odio digna maiore. Totius autem iustitiæ, nulla capitalior est quam eorũ, qui cum maximè fallũt, id agunt, vt viri boni videãtur.

Ibidem.

Iustitia hæc vna virtus sola domina omnium & regina virtutum.

Ibidem.

Fundamentum autem iustitiæ est fides.i. dictorum conuentorũque constantia & veritas.

Ibidem.

Iustitiæ munus primũ est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria.

Ibidem.

Ea animi elatio quæ cernitur in periculis aut laboribus, si iustitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis cõmodis in vitio est: Itaq; probe diffinitur à Stoicis fortitudo, cum eam esse virtutem dicunt, pugnantem pro æquitate.

Ibidem.

Præclarum illud Platonis, scientia quæ est remota à iustitia calliditas potius quam sapientia est appellanda.

Ibidem.

Difficilè est autem cùm præstare omnibus concupiueris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè proxima.

Ibidem.

Et iusta omnia decora sunt, iniusta omnia contrà sic indecora sunt vt turpia.

Ibidem.

Prudentia sine iustitia nihil valet ad faciendam fidem.

Ibidem.

Iustitia sine prudentia multum poterit: sine iustitia nihil valebit prudentia.

Ibidem.

Tanta vis est iustitiæ, vt ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere.

Ibidem.

Qui igitur adipisci veram iustitiæ gloriam volent, iustitiæ fungantur officijs.

Ibidem.

Sublata iustitia liberalitas, bonitas, beneficia funditus tolluntur, quæ qui tollunt etiam aduersus deos immortales impij iudicandi sunt.

Idem lib. de amicitia.

Facilè est iustitiã homini iustissimo defẽdere.

Ibidem.

Fundamentum est perpetuæ commendationis & famæ iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

Ibidem

Nihil est honestum, quod iustitia vacet.

Idem 1. lib. de legibus.

Nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi nos ad iustitiã esse natos, neq; opinione, sed natura esse constitutũ ius: iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque perspexeris.

Ibidem.

Etenim omnes viri boni ipsam æquitatẽ, & ius ipsum amant, nec est viri boni errare, & diligere, quod per se non sit diligendum, & colẽdum. Per se igitur ius est expetendum & colendum. Quod si ius, etiam iustitia, sic & reliquæ quoque virtutes per se colendæ sunt.

Ibidem.

Iustitia nihil expetit præmij, nihil pretij, per se igitur expetitur.

Ibidem.

Quod si amicitia per se colenda est, societas quoq; hominem & æqualitas & iustitia per se expetẽda sunt. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est. Id enim iniustissimum ipsum est, iustitiæ mercedem quærere.

Idem lib. 1. de finibus bonorum & malo.

Inuitat igitur vera ratio benè sanos ad iustitiam, æquitatem fidemque.

Idem lib. 2. de finibus bonorum & malorum.

Quam multa verò iniustè fieri possunt, quæ nemo possit reprehendere.

Idem libro de Natura deorum.

Iustitia suum cuique distribuit.

Idem Rethoricorum ueterum lib. 2.

Iustitia est habitus animi communi vtilitate seruatus, suam cuiq; tribuens dignitatem. Initium iustitię est à natura profectũ, deinde quędam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt. Postea res & à natura profectas & à consuetudine ꝓbatas legũ metus & religio sanxit.

Salustius in Catilinario.

Omnes homines, qui de rebus dubijs consultant, ab odio, ira, amicitia, atq; misericordia vacuos esse decet. Haud facilè animus verum præuidet, vbi illa officiunt.

Ibidem.

Labore & iustitia respublica, est.

Vale. Maxi. lib. 6. tit. de Seueritate.

Iam Cambyses inusitatę seueritatis, qui mali cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractam sellæ intendit, in eaq; filium eius iudicaturum cõsidere iussit. Cęterũ & rex & barbarus atroci ac noua pœna iudicis, ne quis postea corrúpi iudex posset, prouidit.

Idem libro 6. tit. de Iustitia.

Timo-

Timochares Ambraciensis Fabritio consuli pollicitus est, se Pyrrhū veneno per filium suū, qui potionibus præerat, necaturum. Ea res cū ad senatum delata esset, missis legatis Pyrrhum monuit, vt aduersus huius generis insidias cautius se gereret. Memor, vrbem à filio Martis cōditam, armis bella, non venenis gerere. Timocharis autem nomen suppressit, vtroque modo æquitatē amplexus, quia nec hostem malo exēplo tollere, neq; eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit.

Ibidem.

Nihil illis etiam iustitię exemplis fortius. Seleucus vrbe Locrensium à se saluberrimis atq; vtilissimis legibus munita, cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris, necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum vtriq; videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi tradidit æquitatis, admirabili temperamēto se inter misericordem patrem, & iustum legislatorem partitus.

Ex 1. Epigrammatῶν.

ἀνδροφόνῳ σαθρὸν παρὰ τειχίον ὑπνώοντι
νυκτὸς ἐπιςῆναι φάσι σέραπιν ὄναρ.
Καὶ χρησμωδῆσαι, κατακείμενος οὗτος, ἀνίςω,
Καὶ κοιμῶ μεταβὰς ὦ τάλας ἀλλαχόθι.
ὃς δε διυπνισθεὶς, μετέβη, τὸ ἢ σαθρὸν ἐκεῖνο,
Τειχίον. ἐξαίφνης εὐθὺς ἔκειτο χαμαί.
Σῶςρα δ' ἕωθεν ἔθε θεοῖς χαίρων ὁ κακοῦργος,
ἥδεσθαι νομίσας τὸν θεὸν ἀνδροφόνοις.
ἀλλ' ὁ σέραπις ἔχρησε πάλιν διὰ νυκτὸς ἐπιςάς,
Κήδεσθαι μὲ δοκεῖς ἄθλιε τῶν ἀδίκων;
εἰ μὴ νῦν σε μεθῆκα θανεῖν, θάνατον μὲν ἄλυτον
Νῦν ἔφυγες, ςαυρῷ δ' ἴσθι φυλαττόμενος. hoc est,

Homicidæ ruinosum iuxta murum dormienti,
Nocte astitisse aiunt Serapin in somnijs.
Et uaticinatum fuisse iacens tu surge,
Et iace mutatus ô miserabilis alio.
Hic autem excitatus mutauit locum, marcidus autem ille
Murus de repente statim iacuit humi.
Præmia redēptionis aūt mane sacrificauit dijs gaudēs malignus.
Delectari putans Deum homicidis.
Sed Serapis uaticinatus est rursus per noctem astans,
Curam habere me putas miser iniustorum?
Nisi nunc te permisi mori, mortem quidem sine tristitia.
Nunc effugisti, cruci scias te asseruari.

Ex 3. Epigrammaton.

ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα. id est.
Oculus iustitiæ inspicit omnia quæ fiunt.

Hesiodus.

ἡ δέ τε παρθένος ἐςὶ δίκη διὸς ἐκγεγαῦα
Κυδνή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν
κ᾽ ῥ ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
αὐτίκα παρ' διὶ πατρὶ καθεζομένη κρονίωνι,
γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
ἄλλῃ παρακλίνουσι δίκας σκολιῶς ἐνέποντες. id est.

Ipsa autem iustitia est uirgo ex Ioue nata,
Castaq; uenerandaq; deis qui Olympum habitant.
Et quando quis ipsam læserit obliquè damnans,
Statim apud Iouem patrem sedens Saturnum,
Dicit hominum iniustam mentem, donec soluat
Populus iniustitias regum, qui mala sentientes
Alia inclinant iustitias obliquè loquentes.

Menander.

ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται. id est.
Viri iusti fructus non perit.

Idem.

ἀνὴρ δίκαιος ἐςὶν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν
ἀλλ' ὅςις ἀδικεῖν δυνάμενος οὐ βούλεται. id est.
Vir iustus est, non qui non iniuria afficit,
Sed qui iniuria afficere potens non uult.

Idem.

βίου δικαίου γίνεται τέλος καλόν. id est,
Vitæ iustæ fit finis bonus.

Idem.

δίκαια δράσας, σύμμαχον τεύξῃ θεοῦ. id est.
Iusta faciens auxiliatorem consequeris Deum.

Idem.

Τρόπος δίκαιος κτῆμα τιμιώτατον. id est.
Mos iustus possessio pretiosissima.

Euripides.

δίκη γὰρ οὐκ ἔνες' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν. id est.
Iustitia enim non est in oculis mortalium.

Plautus in Amphytrione.

Iusta ab iniustis impetrare non decet.
Iusta autem ab iniustis petere insipientia est,
Quippe illi iniqui ius ignorant neq; tenent.

Terentius in Phorm.

Iudices sæpe propter inuidiam adimunt diuiti, aut propter misericordiam addunt pauperi.

Ibidem.

Non rete accipitri tenditur neq; miluio,
Qui bonis malefaciunt nobis illis qui nihil faciunt tenditur,
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur,
Alijs aliunde periculum est, unde aliquid abradi potest.

Ouid. Amorum lib. 2. elegia. 7.

Atq; ego peccati uellem mihi conscius esse.
Aequo animo pœnam qui meruêre ferunt.

Horatius *Carminum lib. 3. ode 3.*

Iustum, & tenacem propositi uirum:
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni
Mente quatit sordida, neq; Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illibatur orbis, Impauidum ferient ruinæ.

 Persius.

Persius.

Vare re gustatum digito terebrare salinum,
Contentus perages si cum Ioue uiuere tendis.

Iuuenalis satyra 6.

Paulatim deinde ad superos Astræa recessit,
Hac comite atq; duce pariter fugêre sorores.

- Iustitia.
  - Diuina.
  - Naturalis.
    - Religio.
    - Pietas.
    - Charitas.
    - Gratia.
    - Vindicatio.
    - Fides.
    - Obseruantia.
    - Veritas.
    - Contraria.
      - Superstitio.
      - Dei neglectus. Scelus.
      - Odium.
      - Ingratitudo.
      - Abiectio.
      - Fraudatio.
      - Auersio.
      - Vanitas.
        - Dissimulatio.
        - Iactantia.
  - Consuetudinaria
    - Bella.
    - Discretæ gentes.
    - Regna condita.
    - Dominatus distincti.
    - Termini agris positi.
    - Aedificia collata.
    - Commercia.
    - Emptiones.
    - Venditiones.
    - Locationes.
    - Conductiones.
    - Obligationes.
    - Liberi.
    - Serui.
    - Libertini.
    - Pactum.
    - Par.
    - Iudicatum.
    - Manumissio.
  - Ciuiles.
    - Lex, Senatusconsulta.
    - Iudicatæ res.
    - Authoritas Iurisperitorum.
    - Plebiscita. Decreta.
    - Edicta Magistratuum.
    - Mos.
    - Aequitas.
      - Vna, legitima.
      - Altera, conueniens.
      - Tertia, more uetusto confirmata.
      - Modestia.
        - Opportunitas.
        - Ordo.

Iustitia

Iustitia est virtus, qua cuique suum penditur: vel certè D. Hieronymo, actio recta.

Cœlius lib. 12. cap. 48.

Iustitia est habitus electionis, compos in ijs, circa quæ plurimum obuersatur vir bonus, ad legum firmissimam costodiam, publici boni ergô.

Causa.

Causa est voluntas consentiens cum legibus & moribus.

Species.

Species Commutatiua & Distributiua: Dupliciter enim communicamus cum ciuibus: aut fortunis commutandis, aut humana ciuilique consuetudine.

Commutatiua.

Commutatiua est iustitia contractuum.

Distributiua.

Distributiua est iustitia ciuilis vitæ.

Distributiua duplex.
- *Publica pietas est, imò omnium uirtutum corona quædam, ciuilem hominum inter se consuetudinem, magistratuum cū ciuibus, uicißim ciuium cum magistratibus conseruans.*
- *Priuata, ciuium inter se honesta & tranquilla consuetudo.*

Officia.

Reddere ciui, magistratui, patriæ, liberis, coniugibus, amicis, quod debetur.

Comparatio specierum.

Commutatiuam Distributiua complectitur, indicio sunt, quæ ab eodē argumento trahuntur. Finis Distributiuæ potior est: Ipsa igitur quàm commutatiua melior. Locus à causis, indicio est.

Affinia.

Fortitudo, liberalitas, temperantia: vitam enim pro Repub. exponere fortitudini dant: atqui idem iustitiæ distributiuæ publicæ. est igitur affinis fortitudo iusticiæ. Egenti ciui opitulari liberale dicunt: atqui idem iustum est. Liberalitas igitur affinis iustitiæ: in quem modum & Cicero cum iustitia liberalitatem coniunxit, in lib. de officijs. Corporis voluptates non suspicere, neq; turpibus voluptatibus animum subijcere, temperantiæ adscribunt, atque idem iusticiæ est. Igitur temperantia est affinis iustitiæ.

Contraria.

Metus, Auaritia, Luxus.

Exemplum.

Baptista Fulgosus, dictorum factorumq; memorabilium lib. 6. cap. de Iustitia.

Cùm Tullus Hostilius Mancinus Aedilis curulis Maniliam meretricem ad populum accusasset, quod noctè præteriens eius ædes saxum in ipsius caput demisisset, vulnusque ad faciendam acceptæ iniuriæ fidem ostendisset; Manilia autem ad Tribunos appellasset, dicens: Mancinum post cænæ tempus fortasse plus æquo potum, ad eius ædes accessisse vt ingrederetur, & quia non admittebatur, fores euertere molientem, saxis ab ijs esse repulsum. Tribuni maiore iusticiæ, quàm dignitatis ac magistratus Mancini, aut etiam quam Maniliæ turpis vitæ ratione habita, pronunciarunt: Iure eo loco ædilem esse depulsum, quem adire isti non honestè licebat, & propterea prohibuerunt Mancinum ad populum in iudicium trahere.

Loci de Iusticia, ex sacra scriptura passim desumpti.

Solomon Prouerb. 10.

Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescit.

Item.

Argentum electum lingua iusti, cor impiorum pro nihilo.

Item.

Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur.

Ibidem.

Lingua iusti considerat placita, & os impiorum peruersa.

Item 11.

Iustus de angustia liberatus est, & traditur impius pro eo.

Item 12.

Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebunt.

Item 14.

Domus iniustorum delebitur: tabernacula verò iustorum germinabunt.

Item 12.

Semen iustorum saluabitur: desiderium iustorum omne bonum est.

Ecclesi. 7.

Summum ius, summa iniuria.
Noli esse nimiùm iustus.

Prouerb 15.

Domus iusti plurima fortitudo, in fructibus impij conturbatio.
Abominatio est Domino via impij:
Qui sequitur iusticiam, diligitur ab eo.

Ecclesia. 9. cap.

Sunt iusti sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore, aut odio dignus sit, sed omnia in futuro reseruātur incerta.

Idem 8. cap.

Sunt iusti, à quibus multa bona proueniunt, quasi opera impiorum egerint: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.

Prouerb. 18. cap.

Fugit impius nemine persequente: Iustus

autem quasi leo confidens absq; terrore erit.

Ecclesiast.4.

Iesus Syrach. In iusticia agonizare pro anima tua vsque ad mortem: certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

Ibidem.

Datio Dei permanet iustis.

Ibidem.

Benedictio Dei in mercedem iusti festinat.

Ibidem.

Ante iudicium para tibi iusticiam.

Ecclesiast.17.

Si sequeris iustitiam, apprehendes illam, & indues quasi pudore honorem.

Qui custodit iustitiam, ipse exaltabitur.

D.Augustinus.

Si enim iustus sum, nihil timeo, nemo me terrere potest. Iustus, inquit, confidit, vt leo. Prouerb.18.

D.Gregorius.

Iustitia si modum non habet, in crudelitatem vadit.

Sic iniustis irascitur Deus, vt tamen eorum corda per iustorum consortium consolentur.

Isiodorus in lib. Clementis.

Perfectio legis pax est: Ex peccatis bella nascuntur & certamina: vbi autem peccatum non fit, pax est animæ: vbi autem pax est, in disputationibus veritas, in operibus iusticia inuenitur.

Ex 3. Epigram.

ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα: id est.

Oculus iustitiæ inspicit omnia, quæ fiunt.

Iustitia omnes in se uirtutes complectitur.

Iustitia omnium virtutum princeps, tuta & fida comes humanæ vitæ: Ea enim imperia, regna, populi, ciuitates reguntur: quæ si è medio tollatur, nec constare posset hominum societas.

Ἀπόφθεγμα.

Cœlius lib.12.cap.46.

Agesilaus interrogatus, fortitudó ne præstaret an iustitia? Fortitudine, inquit, nihil opus foret, si iustè ageremus omnes.

HISTORIA SIVE EXEMPLVM.

Lib.3.Regum, cap.3.Sabellicus, lib.4. cap.3. Exemplorum.

Ecquando iustius quisquàm decretum tulit, quàm Solomon, cùm mulieres duæ vtraq; puerpera ancipitem partum sibi vendicarent? pro Tribunali intestatus, ceu res æquius decerni non posset: Dimidiatum, inquit, puerum habete: assentita est, quæ calumniam de puero alteri intenderat: Contrà, quæ conscia sibi erat sui partus: quin viuat, inquit, potius puer, & illa totum habeto, quem mulieris affectum secutus Solomon, puerum huic, cuius erat, restituit.

FORMA IVSTITIAE.

Cœlius lib.12. cap.48.

Proclus iustitiam virginem esse scribit, quoniam dicasticum genus esse deceat καθαρὸν, id est, integrum purumq;, cuius sit virginitas symbolum. Dici porrò Iouis filiam declarat Hesiodus hoc versu ἠδέτε παρθένος ἐςὶ δίκη διὸς ἐκγεγαῦια, id est: Virgo iustia est prognata Ioue: & ob id, quod Nomothetes sit κοσμικὸς velut princeps Imperatorq; vniuersorum.

Γνώμη Antiphontis.

Volateranus lib.29. De Iustitia.

οὐ δίκαιον ὄντ' ἔργῳ ἁμαρτῶντα ῥήμασι σωθῆναι οὔτ' ἔργῳ ὀρθῶς πράξαντα, διὰ ῥήματα ἀπόλεσθαι· τὸ μὲν ῥῆμα τῆς γλώσσης ἁμάρτημα ἐςὶ τὸ δ' ἔργον τῆς γνώμης: id est.

Non fas peccantem ob verba seruari, sicut neq; rectè agentẽ ob verba tantùm perire: verbum enim linguæ peccatum, res verò animi.

Reddita latinè.

Vt minus, ob uerbum peccantem soluere noxa,
Aequum est: Sic ob uerba parum mulctare pudica,
Si quis agat rectè, & uitam sine crimine ducat.
Verbum etenim linguæ peccatum est, uanus & error:
At uitium est index animi, mentisq; nefandæ.

ADAGIVM.

Erasmus Chiliad.2.Centur.3.

Iustitia in se virtutem complectitur omnem. Aristoteles lib. Moral. Nicomacho.5. versum hunc vt prouerbialem refert. Extat autem in Elegijs Theognidis his verbis.

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετ' ἐστιν.

Plato etiam vniuersæ virtutis nuncupatione complectitur.

Veteres cur Iustitiæ libram adscripserint.

Iusticiæ veteres adscribunt libram, significantes omni diligentia & summo studio expendẽda, nec huc nec illuc declinare iudicem. Græcis ςαχνὴ hæc libra appellatur. Tradunt itaq; nobis veterũ monumenta, Aegyptijs regibus ex prisco scripto legis antiquissimæ moris fuisse, Iudices mox futuros iureiurando adigere: ne si rex quidem iniusti quippiã iniunxisset, à virtutis medio declinaturos, nec lineam omnino (quod dicitur) moturos.

Ἀπόφθεγμα.

Erasmus lib.1. Apophtheg.

Agis Archidami filius, quibusdam Eleos hoc nomine prædicantibus, quod in certaminibus Olympiacis essent iustissimi: Quid, inquit, magni miriue faciunt, si intra quinque annos vno tantùm die se iustos præstant? Non putabat vir sapientissimus in eum competere iustitiæ laudem, nisi qui per omnem vitam in omnibusq; actionibus iustitiam coleret.

Semel ... ftus ... dicit ... iusti...

Γνώμη.

Γνώμη.

Plato in lib. de Republica.

Τὴν δίκην διδόναι μεγίστη κακοῦ ἀπαλλαγῆς: σωφρονίζει γὰρ καὶ δικαιοτέρους ποιεῖ, καὶ ἰατρικὴ γίνεται πονηρίας ἡ δίκη, ἐκεῖνο γε οὐδείς οὔτε θεῶν οὔτε ἀνθρώπων τολμᾷ λέγειν ὡς ἀδικοῦντι οὐ δοτέον δίκην. id est.

Dare pœnas maximi mali euitatio est: Facit enim alibi prudentiores & iustiores, & medicina quædam iniquitatis, ipsum est iudicium. Illud verò neq; deorum, neque hominum vllus dicere audebit, vt ab eo, qui iniustè egerit, pœna non sit exigenda.

In uersus translata.

Hercle mali est dare pœnas euitatio magni,
Quæq; etiam iustos pòst facit esse uiros:
Et uelut est quædam medicina salubris iniqui,
Iudicium iustum, & tradita pœna fori.
Illud non hominum superorum aut dixerit ullus,
Noxia quod non sit digna petenda malis.

Sententia Senecæ in Thyeste.

Vbi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Parœmia.

Ne moueto lineam. μὴ κίνει γραμμήν. Quod significat, non esse mutandas leges, neq; prætereundos fines rerum præscriptos. Eras. Chiliadis primæ, centuria nona. Cœlius li. 12. cap. 46.

Budæus in Græcis Commentarijs.

κρίσεις, vel γραφαί, interdum δίκαι, dicuntur accusationes.

Accusator apud Oratores vocatur	διώκων	Reus	κατηγορούμενος.
	κρίνων		γεγραμμένος.
	κατηγόρος		κρινόμενος.
	εὐθύνων		εὐθυνόμενος.
	αἰτιώμενος		ἀπολογούμενος.
	γραφόμενος		ἀντιαθείς.

Definitio Iustitiæ per iureconsultos.
ff. de iust. & iure.

Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens. Voluntas genus est: species sunt fortitudo, modestia: suum cuique tribuere, est differentia, quæ à fortitudine & modestia discernitur.

Constans & perpetua voluntas. Id est: Idæa seu forma, in anima æqua præscribens, nunquã refugiens: sicuti oculis à natura est indita vis, quæ colores à se inuicem secernit: Hæc iustitiæ Idæa est immutabilis, certa & perpetua. Vt enim corpus non potest non dolere, cùm vulnus accipit: Ita animus perpetuò improbat, quoties alicui ius suum non tribuitur. Item, quàm certus est animus, hanc notionem certam esse veramq;: Totum maius esse suis partibus: Ita semper sentit iustitiam esse, neminem lædere. Polyphemus familiariter interrogatus, an putet iustitiæ esse deuorare homines, non potest non fateri se iniustè id facere. Ius itaque vnicuique tribuere, est neminem lædere: Et inde asseritur iustitiam esse, quæ neminem lædit. Plato in 1. de Repub. hanc statuit definitionem, quam tamen vult esse Simonidis, ab eo postea mutuatus est Vlpianus iureconsultus in l. Iustitia. ff. & Iustinianus, Institutis de iustitia & iure, in principio.

EXEMPLVM MEMORABILE.

Valerius lib. 5. cap. 6. De Iustitia. Plutarchus in Camillo.
Liuius lib. 5. ab urbe condita.
Plinius cap. 21. Virorum illustrium.
Florus lib. 1. Epitomatum.

Camillo consule Phaliscos circumsedente, magister ludi plurimos & nobilissimos inde pueros velut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorum perduxit: quibus interceptis non erat dubium, quin Phalisci, deposita belligerandi pertinacia, traditVRi se nostro imperatori essent. Ea re cognita, senatus censuit, vt pueri vinctum magistrum virgis cædentes, in patriam remitterentur. Qua iustitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari nõ poterant: Namque Phalisci beneficio magis, quàm armis victi, portas Romanis aperuerunt.

Απόφθεγμα.

Plutarchus in Apophtegmatibus Laconicis.
Erasmus lib. 1. Apophtegmatum.

Anaxandridas cuidam ab eo suscitãdi, quamobrem seniores apud Lacedæmonios plures dies sumerent ad cognoscendum in causis capitalibus, & si quis fuerit absolutus, nihil minus sit obnoxius legi. Ideo, inquit, pluribus diebus cognoscunt, quoniã si in capitis discrimine errauerint, non est corrigendi consilij potestas, oportet autem à causa liberatum obnoxiũ manere legibus, quòd fieri potest, vt secundum eandem legem liceat aliquid rectius de reo statuere: Hoc temperamento prouisum est, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens: Qui quamuis errore iudicum sit absolutus, potest eadem lege denuo cõueniri, pœnasque dare legibus.

Γνώμη Græca.

Homerus, libro 22. uerba Vlyßis ad Eurydeam uetulam, deplorantem procos occisos.

οὐχ ὁσίη κλαμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετεῖσθαι τοὺς
δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν καὶ σχέτλια ἔργα. id est.

Hoc lugere nefas, qui dijs ultoribus ipsis,
Ob sua dementes perierunt impia facta.

Vel sic:

Non optare uiros fas est, quos ultor Olympus,
Et meritò perdunt fato simul impia facta.

Plautus in prologo Amphytrionis.

Iustam rem & facilem esse ratam à uobis uolo.
Nam iustè à iustis, iustus sum orator datus:
Nam iniusta à iustis impetrari non decet:
Iusta autem ab iniustis petere insipientia est.

Adagium.

Trutina iustius. δικαιότερον ϛαχάνης. Doricum prouerbium de ijs, qui insigni incorruptaque sunt æquitate. Dores enim τὴν τρυτάνην, id est, trutinam ϛαχάνην vocant. Est autem id libræ genus, quo vel minutissimum ponderis momentum sentitur, dignosciturq́; Latini quoq; exactam æqualitatem æquilibrium appellant. Vnde & ęqua lance fieri dicitur, quod pari iure fit, citra personarum respectum.

Budæus in Gręcis Cómentarijs. { ἐν αἰτία ποιεῖσθαι. Crimina dare. In crimen vertere. Vt crimen obijcere. Crimen deferre. αἰτίαν ὑπέχειν, Causam sustinere, Cicero ad Atticum, lib. 13. αἰτίαν ἐνδέχεσθαι. In se crimen recipere. Agnoscere rem perpetratam, quod & ἀναδέχεσθαι τὸ ἔγκλημα dicitur. }

Iustitia est vis ipsa æqui & honesti, qua boni cauere solent, ne alteri faciant, quod sibi fieri nolunt. Huic pudor comes est, qui continere ab omni re hominem solet, quæ etiam si lege permittatur, aut in ea vtilitatis species sit, honestati tamen prorsus coniuncta non videtur.

EXEMPLVM.

Danielis 13. Sabellicus, cap. 4. quarti libri de Iustitia.

Reperit Deus no centem. Iusta Danielis inquisitio, qua periculum, quod Susannę intendebatur, in accusatores vertit, inuenitque fraus pœnam, quam pudicitiæ adstruebat, cessitque simulatæ virtus innocentiæ.

Ἀπόφθεγμα.

Plutarchus in Laconicis Apophtheg.

Erasmus lib. 5. Apophtheg.

Quum Satibarzanes Artoxerxi à cubiculis quiddam minus iustum ab ipso peteret, sentiretq́; rex illum hoc facere sollicitatum triginta Daricorum milibus, quæstori ærarij sui mandauit, vt Daricorum triginta millia ad se deferret, ea dedit Satibarzani, dicens: Accipe, inquit, ô Satibarzanes: nam hæc tibi quum dedero, nō ero pauperior, iniustior futurus, si illa, quæ petebas, fecissem. Commentus est rex egregius, vt nec amicum contristaret, nec à iusto deflecteret.

Apologus.

Rusticus equum vacuum, asinumque sarcinulis egregiè onustum, producit ad viam: defessus asellus equū sibi onera vt adiuuet, orat, si se saluum velit. Negat facturum equus, asellus tandem sarcinæ pondere grauatus procumbit, & moritur. Herus omne onus, mortui quoque aselli corium, in equi dorsum reclinat: Quibus cùm ille deprimeretur: me miserum, inquit, merito meo sic nunc exerceor, qui dudum laboranti asino opitulari nolui.

Morale.

Monemur hac fabula, vt oppressis subueniamus amicis, ortus nostri (inquit Plato) partem sibi patria vendicat, partem amici, &c.

Sententia Græca.

Homerus 14. Odyssea.

ὀυ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν
ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσια ἔργ᾽ ἀνθρώπων. id est:

Cælestes hominum non impia facta tuentur:
Quin plectunt æquamq́; ferunt pro crimine pœnam.

ADHORTATIO AD IVSTITIAM.

Virgilius 6. Aeneidos.

Discite iusticiam moniti, & non temnere diuos.

SENTENTIA PHILOSOPHICA.

Seneca epistola 140. ad Lucilium.

Sacra res iustitia est, quæ alienum bonum spectat, nihil ex se petens, nisi vsum sui.

Simile.

In aquam demissa quædam cùm sint rectissima, speciem curui præfractiq́; visentibus reddunt: ita si de rebus perperam iudicamus, nostrum est vitium, non rerum.

PROVERBIVM.

Erasmus Chiliad. tertiæ, centuria 5.

Ingredi viam rectam τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδὸν. Est nusquam ab honesto & æquo deflectere.

Aenigma.

Aegyptij æquale vnicuique distribuentem significare volentes: Strothocamili pennam pingunt: Hoc animal etenim habet vndiq; pennas æquales. Ex Hieroglyphicis ori Apollinis Niliaci, lib. 2.

Budæus in Græcis commentarijs

αἱρῶ τὴν δίκην. Vinco iudicio. Reum perago: & de actore tantùm dicitur.

ἁλίσκω. Conuinco, corripio, & in carcerem conijcio.

Μιᾷ ἁλῶναι ψήφῳ. Vnica sententia damnari. ἀσεβῶν οὗτος ἥλωκε. Impietatis manifestus est, & damnatus.

Statuæ magistratuum sine manibus.

Traditum est memoriæ, magistratuum statuas à Thebanis ita solere formari, vt sine manibus essent: principum verò clausis oculis, nimirum eam iustitiæ naturam esse ostendentes, vt incorrupta sit, nec precio, precibúsue, aut alienæ vlli voluptati cedat.

INIVSTITIA ADMINISTRANDA

secundum merita causæ, non sanguinis gradum, affinitatem, nobilitatemq́. *Ouidius.*

Ouidius lib. 13. Metamorph.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra uoco.
Proposita arma peto, meritis expendite causam.
Nec sanguinis ordo,
Sed uirtutis honos, spolijs quæratur in istis,
Ergo operum, quoniam nudum certamen habetur:
Plura quidem feci, quàm quæ comprendere dictis,
In promptu mihi sit, rerum tamen ordine ducar.

IVSTICIA FONS OMNIS *uirtutis.*

Lactantius lib. 5. de iusticia.

Atque vt docerent quid sit iustè viuere (solent enim præcepta per ambages dare) à Saturni temporibus, quæ illi vocant aurea, repetunt exempla iusticiæ, narrantque in quo statu fuerit vita humana, dum illa in terra moreretur: Quod quidem non pro poëtica fictione, sed pro vero habendum est. Saturno enim regnante nondum deorum cultibus institutis, nec adhuc vlla gente ad diuinitatis opinionem consecrata, Deus vtique colebatur. Et ideo non erant, neque dissensiones, neque inimicitiæ, neque bella.

Nondum uesanos rabies nudauerat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nata.

Germanicus Cæsar. Vt Germanicus Cæsar in Aratæo loquitur carmine. Imò nec alienigeni quidem, neque vlli omnino gladij, qui nudarentur, fuerũt. Quis Iusticia. enim præsente & vigente iusticia, aut de tutela sui, cùm nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cùm nemo quisquam concupisceret? Malebant tenui contenti viuere cultu: Cicero in Arato Communis terra omnibus data. ne signare quidem aut partiri limite campum fas erat: quippe cùm Deus communem omnibus terram dedisset, vt communem degerent vitam: non vt rabida, & furens auaritia, sibi omnia vendicaret, nec vlli deesset, quod omnibus nasceretur. Quod poëtæ dictum sic accipi oportet, non vt existimemus nihl omnino tunc fuisse priuati, sed poëtico more figuratum, vt intelligamus tam liberales fuisse homines, vt natas sibi fruges non includerent, nec soli abscondītis incubarent, sed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Probitas primi æui hominum. Nec mirum, cùm promptuaria iustorum benignè paterent omnibus, nec auaritia intercipiens beneficia diuina, famem, sitimque vulgo faceret: sed omnes æqualiter abundarent, cùm habentes non habentibus largè copioseque donarent.

EXEMPLVM.

Camillus Gilinus lib. 6. cap. 5. de iusticia.

Antiochus tertius Asiæ rex, omnibus regni sui vrbibus scripsit: si quid in literis, quæ eius nomine scriberẽtur, esset, quod legibus aduersum videretur, crederent ignaro se eiusmodi literas scriptas fuisse, & propterea eis non parerent. Sanctissimum profectò verbum, & quod iusto regi maximè conueniat: vt quemadmodum ipse populus præest, ita ipsi leges atque æquitatem præesse intelligatur.

APOPHTHEGMA.

Eras. lib. 5 Apophthegmatum.

Simonidi petenti vt in negocio quodam sententiam iniustam pronunciaret Themistocles: Neque tu, inquit, bonus poëta fueris, si præter musicæ modulos caneres: neque ego princeps bonus, si contra leges pronunciem.

Iudex incorruptus.

Alexander magnus, cùm initio in causis capitalibus sederet iudex, accusatori alteram aurem occludebat. Rogatus, quur id faceret: alteram, inquit, integram seruo reo.

GNOMA GRAECA.

Homerus 2. Odyssea.

εἴπερ γὰρ τε καὶ αὐτίκ᾽ ὀλύμπιος
οὐκ ἐτέλεσσεν ἔκ τε καὶ ὀψὲ τέλει σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισσαν. Id est:

Iuppiter haud quamuis subitò sit criminis autor
Pœnore post illud longè grauiore recenset.

LATINA.

Cæsar in commentarijs.

Consueuêre dij immortales, quo grauius homines ex mutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velint, ijs secundiores interdum res ac diuturniorem impunitatẽ concedere.

DE AVREA AETATE.

Ouid. lib. 1. Metamorphoseos.

Aurea prima sata est ætas, quæ uindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem, rectumq; colebat.
Pœna metusq; aberant, nec uerba minantia fixo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum ut uiseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas.
Nullaq; mortales, præter sua littora, norant.
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis usu
Mollia securæ peragebant ocia gentes.
Ipsa quoq; immunis, rastroq; intacta, nec ullis
Saucia uomeribus, per se dabat omnia tellus.
Contentiq; cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant,
Cornaq;, & in duris horrentia mora rubetis,
Et qui deciderant, patula Iouis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidiq; tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renouatus ager grauidis carebat aristis,

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq; de uiridi stillabant ilice mella.

Valerius, lib. 1. cap. 2. de neglecta religione.

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat.

ADAGIVM.

Erasmus Chiliad. 3. centuria 6.
Prienensis iusticia.

Πριήνη δίκη. Id est. Prienensis iusticia. Suidas ostendit conuenire, cùm significamus aliquem in iudicando plurimũ excellere. A Biante Prienensi sumptum, cuius integritas in iudicandis causis in prouerbium abijt, vt dicatur, Δικάζεσθαι Βίαντος τοῦ πριηνέως κρείσσων: Id est: In iudicando præstantior Biante Prienensi. Citatur ex Hipponacte Iambographo, à Strabone lib. Geo. 14. & in vita Biantis à Diogene Laërtio.

VOCABVLA.

Καταγινώσκω σȣ θάνατον. Morte te mulcto.
Κατέγνωσαι σου θάνατος. Rei capitalis damnatus es, & vltimo supplicio.
Καταγινώσκει ἑαυτοῦ Dicitur quẽ facti sui pœnitet, vel qui factum suum improbat.

IVSTICIAM VIRI IVSTI *ac æqui obseruantes.*

Ripheus Troianus fuit quispiam, quem Vergilius lib. 2. Aeneid. iustissimum fuisse ait his verbis.

Cadit & Ripheus iustißimus unus
Qui fuit in Teucris, & seruantißimus æqui.

Idem libro 3. ait, Galesum fuisse quendam in terra Italiæ iustissimum.

De Emathione, Ouid. lib. 8. Metamorph.

Emathion æqui cultor, timidusq; deorum.

Idem lib. 6. Metamorph. de Erictco sic meminit.

Sceptra locirerumq; capit moderamen Erictcus:
Iusticia dubium est, ualidisne potentior armis.

Hermes Aegyptius tanta fuit æquitate & iusticia, vt cum quid emeret, iustum semper exolueret precium, cariusq; emerit, quàm venditor æstimaret.

Bocchyris rex fuit Aegyptiorum, adeò incorruptę in iudicandis litibus iusticię, vt si quẽ magnoperè iustum significare vellet, Bocchyrim appellarent: Autor Suidas, & Erasmus in Chiliadibus.

De Chirone.
Germanicus in Arato.

Hic erit ille pius Chiron, iustißimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.

Aristophanes Messenius quosdam ex socijs interfecit, quòd puellas virgines stuprare voluissent. Maris Philosophus ex Laodicæa.

Philippus Macedo cùm in tribunali dormitans, aduersus Machetam quendã pronunciasset: vbi vigilantior factus, cognouit factã Machetæ iniuriam, non rescidit quidem iudicium, sed iniustam ipse exoluit mulctam.

Idem rogatus ab Harpalo, vt Cratetam eius familiarem iudicio liberaret: Eum inquit, rectius est, quàm nos ob ipsum malè audire.

Aristides ab incorrupta æquitate, iusti cognomen apud Athenienses meruit.

Idem interrogatus, quid esset iusticia: Nihil, inquit, alienum desiderare.

Erasmus in Chiliad.

Biantis Prienei integritas in iudicandis causis sequenti prouerbio locum fecit: Prienensi pollere iusticia. Πριήνη δίκη.

Alexander Seuerus imperator tanta fuit æquitate, vt nullas vnquam sanciret leges, nullam constitutionem sacraret sine viginti iuris peritissimis, & doctissimis, ac sapientissimis viris, nec in vlla re iudicium ferret, quin prius iret per sententias singulorum, & scriberetur quid quisque dixisset. Cùm de iure aut negocijs tractabat, solos adhibebat doctos & disertos: Si de re militari, milites veteres & senes: Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret, tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi cholerã stomacho euomeret, toto vultu inardescẽte. Autor est Lampridius in eius vita.

Titus Manilius iuris Pontificialis peritus iudex, inter Macedonas accusatores & filium constitutus, audita causa ita pronunciauit: Quum probatum sit Silanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum repudio, & prole mea indignũ iudico, protinusque à conspectu meo abire iubeo.

Camillo Phaliscos obsidenti, ludimagister liberos Phaliscorum tanquam spaciandi causa extra murum eductos, tradidit, dicens: Repetendis obsidibus ciuitatem imperata facturam. Camillus non solùm spreuit perfidiam, sed magistrum, reuinctis post terga manibus, pueris dedit verberandum, & ad parentes cum plagis reducendum. Phalisci ob hanc iusticiam sponte deditionem fecerunt.

Claudianus in Ruffinum.

Ductosq; Camillus
Trans murum pueros, obsessæ reddidit urbi.

Timochares, seu, vt alijs placet, Nicias Pyrrhi Epyrotarum regis medicus, cum ad Fabricium accessisset, promisissetque pacta mercede præministraturum Pyrrho venenũ: Fabricius non tantùm auersatus est facinus, sed etiã Pyrrhum hostem literis monuit, vt à domesticis caueret insidijs. Autor est Valerius Ancias apud Gellium. 7.

Clau-

Claudianus, lib. 3. in Ruffinum.

Romani scelerum semper spreuêre ministros.
Noxia pollicitum domino miscêre uenena.
Fabricius rerum nudata fraude remisit:
Infesto quem Marte petit, bellumq́; negauit
Per famuli patrare nefas.

VARIAE DEFINITIONES, ITEM *& effectus atq; officia iusticiæ. Hierax in libro de iusticia.*

Agedum videamus, quid plerisque videatur de iusticia: Sunt igitur qui ipsam habitum esse dicant animę, muneribus incorruptú, & quantum vnusquisque posit, coniectantem. Alij habitum animæ definiunt, qui neque superiori, neq; inferiori fortunæ plus minúsue tribuat, sed æqualitatem omnibus seruet. Videntur autem mihi priores quidem admirari illum, qui alienas pecunias non concupiscat, & quod vnusquisque posit obseruet, si quibus pręficiatur. Posteriores illum magnifacere apparent, qui non maiori fortunæ plus attribuat, sed omnes eisdem rebus dignetur. Sed si quispiam pręȩdicta quidem teneat, in alijs autē iniustissimus sit: nam si pecunias rapiat, desideret aliena, iniurius & luxuriosus sit circa voluptates, his, inquam, malis si plenus sit, poterítne iustus esse? Quod si etiam omnes eisdem rebus dignos æstimet, vt si eodem honore & temperantem, & luxuriosum prosequatur, & insipientem & prudentē, quo pacto non imprudens, iniustusque fuerit.

Aristoteles in libello de uirtutibus,

Δικαιοσύνη δέ ἐστιν, ἀρετὴ ψυχῆς διανεμητικὴ τῶν κατ' ἀξίαν. Id est: Iustitia est virtus animi, qua tribuitur, quod cuique par est.

Iustitiæ est distributiuum esse eius, quod est secundum cuiusque dignitatē, & tueri patrias consuetudines, & instituta, & seruare scriptas leges, & veridicum esse in controuersijs, & stare conuentionibus. Est autem prima iusticiarum, aduersus Deos, proxima in dæmones, deinde in patriam & parentes, deinde erga defunctos, in quibus est pietas, vel pars iusticiæ, vel eius comes. Sectatur autem iusticiam & sanctitas, & veritas, & fides, & vitiorum odium. Multa Aristoteles de iusticia & iniustitia, in 5. Ethicorū.

SENTENTIAE VEL GNOMAE DE *iustitia, ex Græcis autoribus decerptæ.*

Incertus autor.

ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γινόμενα. id est,
Oculus iustitiæ omnia, quæ fiunt, inspicit.

Euripides.

Δίκη γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν. id est.
Iusticia non est in oculis mortalium.

Sophocles in Halæasi.

Τοῖς γὰρ δικαίοις ἀντέχειν οὐ ῥάδιον. id est.
Iusto resistere non est facile.

Euripides.

Κέκτησο δ' ὀρθῶς ἄνευ ψόγου,
καὶ μικρὰ σῷζου τῇ δίκῃ ζυνοὺς ἀεί. id est:
Possideto res tuas iure, sine reprehensione:
Et in humili sorte maneto, semper cum iustitia coniuncta.

Idem in Hecuba.

ἐσθλοῦ γὰρ ἀνδρὸς τῇ δίκῃ θ' ὑπηρετεῖν,
καὶ τοὺς κακοὺς δρᾶν πανταχοῦ κακῶς ἀεί. id est:
Boni uiri officium est iusticiæ inseruire,
Et malos ubiq; semper afficere malis.

Sophocles in Aiace.

μήθ' ἡ βία σε μηδαμῶς νικησάτω
τόσον δ' μισεῖν ὥστε τὴν δίκην πατεῖν. id est.
Ne te uiolentus animus ullo modo cogat
Odisse quenquam tantoperè, ut iustitiam conculces.

Euripides in Theseo.

Κρεῖσσον ἢ πλούτου καὶ πολυχρύσου χλιδῆς
ἀνδρῶν δικαίων κ' ἀγαθῶν περουσίαι. id est.
Potiores sunt diuitijs, & luxuria affluente auro,
Bonorum uirorum & iustorum conuersationes.

Menander Comicus.

Δίκαιος ἂν ἦς τῷ τρόπῳ χρήσῃ νόμῳ,
χρηστοῦ πρὸς ἀνδρὸς μηδὲν ἐννόει κακόν:
δίκαιος ἀδικεῖν οὐκ ἐπίσταται τρόπος. id est.
Si iustus fueris, mores habebis tanquam leges,
De probo uiro mali nihil cogites.
Iusti mores iniuriam facere nesciunt.

Senarij ex Græcis translati.

Viri iusti fructus non perit.
I rectam uiam, si iustus es.
Vitæ iustæ bonus fit exitus.
Iustus esto, ut iusta etiam consequaris.
Iustus esse malis, quàm benignus.
Iusta faciens, Deum auxiliatorem consequeris.
Iudicare uelis iusti respectu non utilis.
Mores iusti possessio preciosissima sunt.

Menander.

ἐν παντὶ δεῖ καιρῷ τὸ δίκαιον ἐπαρκεῖν, id est.
Cum tempore, quod iustum est, uincere debet.

Euripides.

εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
κρατεῖ, τὸ θεῖον τὴν δίκην τε συλλαβόν. id est.
Vnus iustus infinitos non iustos
Vincit, Deo & iusticia adiuuantibus.

Idem.

Φεῦ φεῦ τὸ νικᾶν τὰ δίκαι' ὡς καλὸν γέρας
Τὰ μὴ δίκαια δ' ὡς ἁπανταχοῦ κακόν. id est.
Papæ quàm ualde pulchrum est uincere iure,
Iniustè autem, quàm ubiq; malum est.

Antiphon.

ὁ μηδὲν ἀδικῶν, οὐδενὸς δεῖται νόμου. id est.
Qui nemini facit iniuriam, non indiget ulla lege.

Menander in Citharistis.

Εἰ τοὺς ἀδικηθέντας πάτερ φευξόμεθα,

Τίσιν ἂν βοηθήσοιμεν ἄλλοις ῥαδίως. id est.
Si affectos iniuria ô pater fugerimus,
Quibus num facilè alijs feremus opem?

Philæmon in Palamide.

Τοῦ γὰρ δικαίου κἂν βροτοῖσι καὶ θεοῖς
ἀθάνατος ἀεὶ δόξα διατελεῖ μόνου, id est:
Iustitiæ tum apud mortales, tum apud Deos
Immortales perpetuò gloria solius perdurat.

Idem.

Τὸ μηδὲν ἀδικεῖν καὶ φιλανθρώπους ποιεῖ. id est.
Nihil iniuriari parit humanitatem.

Idem.

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
ἀλλ᾽ ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται·
οὐδ᾽ ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ὑπέσχετο,
ἀλλ᾽ ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων
ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως,
οὐδ᾽ ὅς γε ταῦτα πάντα διαθηρώμενος,
ἀλλ᾽ ὅστις ἄδολον γνησίαν τ᾽ ἔχων φύσιν,
εἶναι δίκαιος κοὐ δοκεῖν εἶναι θέλει, id est.
Vir iustus est, non, qui non facit iniuriam,
Sed qui cùm iniuriam possit, non uult tamen:
Nec qui à paruis capiendis abstinuit,
Sed qui magna sustinet non accipere,
Quamuis habere queat, & possidere sine periculo:
Nec qui ista facit omnia, ut gloriam uenetur,
Sed qui syncero & candido præditus ingenio,
Esse iustus, non modo uideri, uult

Aeschylus.

ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός, id est.
A fraude iusta non alienus est Deus.

Plato.

Ne dubita, si aurum quidem inquirendum proponeretur, nunquàm alterum alteri sponte concessurum in inquisitione, & inuentionem eius perditurum. Cùm autem inuestiganda sit iustitia, res auro longè preciosior, an non absurdum est tam temere alios alijs inuicem cedere, non autem vnumquemque id studere, vt sibi in primis studeat?

Agesilaus.

Ἀνδρείας μὲν γὰρ οὐδὲν ὄφελος μὴ παρούσης δικαιοσύνης· εἰ δὲ δίκαιοι πάντες γίνοιντο μηδὲν ἀνδρείας δεήσεσθαι. id est:

Fortitudinis quidem absente iustitia nullus est vsus: at si omneis iusti fierent, fortitudine nihil indigeremus.

Socrates contra Sophistas.

Καὶ μηδεὶς οἰέσθω με λέγειν ὡς ἐστὶ δικαιοσύνη διδακτόν· ὅλως μὲν γὰρ οὐδεμίαν ἡγοῦμαι τοιαύτην τέχνην εἶναι, ἥτις κακῶς πεφυκόσι πρὸς αὐτὴν δικαιοσύνην ἂν ἐμποιήσειεν, id est.

Iustitia non est ars aut scientia.

Nemo autem me dicere censeat, iustitiam acquiri doctrina: prorsus enim nullam huiusmodi artem esse puto, quæ iustitiam in illis ingenijs parere queat, quæ infeliciter ad ipsam nata sunt.

Demosthenes.

ἄξιον τούτους ἐπαινεῖν τῶν ἀνθρώπων, οἳ μηδεμίαν ὠφέλειαν προαιροῦνται τοῦ δικαίου, χρήματα μὲν γὰρ ἔστι κτήσασθαι, δόξαν δὲ χρημάτων οὐ ῥάδιον πρίασθαι, id est:

Homines illi sanè laudari merentur, qui nullam vtilitatem iusto præferunt: pecunias enim non adeò difficulter comparare licet: bonam autem famã pecunijs redimere non facile licet.

Plato.

Πᾶσά τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς πανουργία, ἀλλ᾽ οὐ σοφία φαίνεται, id est:

Scientia quæuis à iustitia & reliqua virtute seiuncta, calliditas, nõ autem sapientia videtur esse.

Democritus.

ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικέειν, ἀλλὰ τὸ μηδὲ ἐθέλειν, id est:
Bonum est, non iniuriam non facere, sed ne uelle quidem.

Idem.

Μοῦνοι θεοφιλέες ὅσοις ἐχθρὸν τὸ ἀδικέειν, id est.
Soli Deo chari sunt, qui iniurias oderunt.
Πιττακὸς ἔφη. ἡδονὴ σὺν τῷ καλῷ δικαία: id est.
Honesta uoluptas iusta est.

Aristides ille iustus interrogatus, quid esset iustum, aliena non concupiscere, respondit.

Plato in Protagora.

Equidem mea sententia iustitiam esse sanctam, & sanctitatem iustam esse dicã. Arbitror enim te permissurum, vt pro te illud ipsum respondeam, quod videlicet aut idem sit iustitia, quod sanctitas, aut inuicem quàm simillima: vt maximè omnium, qualis iustitia, talis sanctitas, & qualis sanctitas, talis iustitia sit.

Iamblichus, ex epistola ad Anatolium, de iustitia.

Qui ad iustitiam perducitur, hic ad omnium finem virtutum & vniuersarum collectionem, in qua cunctæ compræhensim insunt, vt [illegible]tus est dictum, peruenire poterit.

Ibidem.

Distributio in humana vita secundũ cuiusq; dignitatem operum & bonorum & aliarum rerum, quæ singulis conueniunt, iustitiam, quæ ad hominum vitam pertinet, constituit: Proinde opera studiaque illa iustitiæ propria sunt, quæ liberaliter ac facilè in conuentibus commertijsque versantur, & quæ familiariter, benignè, ac vtiliter fiunt: denique actiones prohibent noxias, vtilium vero totam constitutionem decentem moliuntur.

Epictetus in Enchiridio.

Sicut vera trutina neque à bona & concinna corrigitur, neq; per falsum examinatur: sic etiã iustus iudex, neq; à iustis castigatur, neq; apud iniustos iudicatur.

Iustitia non solùm alijs, sed & sibi ipsi etiam utilis esse solet. Idem.

Idem.

Vt rectum non eget recto, ita neque iustum iusto.

Idem.

Ne prius in alio tribunali iudicaueris, quàm ipse coràm iustitia iudicatus fueris.

Idem.

Ει βούλει τὰς κρίσεις δικαίας ποιεῖσθαι,
Μηδένα τῶν δικαζομένων καὶ δικαιολογούντων
Επιγίγνωσκε, ἀλλ᾽ αὐτὴν τὴν δίκην. id est,

Si iudicia rectè proferre voles, nullum contendentium & causam dicentium, sed ipsam causam cognoscas.

Idem.

ἥκιστα πλαίσεις ἐν ταῖς κρίσεσιν, ἐὰν αὐτὸς ἐν τῷ βίῳ ἄπταιστος διατελῇς, id est.

Minimè in iudicijs delinques, si ipse in vita tua delicta caueris.

Idem.

Melius est sententia iustè pronunciata, reprehēdi ab eo, qui merito suo damnatus est, quàm si iniustè iudicaueris, iure à natura vituperari.

Idem.

Καθάπερ ἡ τὸν χρυσὸν δοκιμάζουσα λίθος, οὐκέτι κ᾽ αὐτοῦ πρὸς τοῦ χρυσοῦ δοκιμάζεται, οὕτω καὶ ὁ τὸ κριτήριον ἔχων. id est,

Lydius lapis. Quemadmodum Lydius iudicat aurum, nō autē vicissim ab auro examinatur: sic & homo, qui iudicandi facultate pollet.

Diogines.

Iustitia multam adfert animo tranquillitatē. Neminem enim timentem, nec apud vllum erubescentem viuere, voluptas quędam est, & quasi sufficientia siue perfectio vitæ. Cæterum qui iustitiam animo complectitur, non solum alijs vtilis est, sed etiam ipse sibi: non enim conabitur vlla ex parte seipsum offendere, neque vllius sibi doloris, aut morbi autor erit: sed naturæ instrumenta sensibus destinata, Deos existimans esse, iustè ipsis vtetur: & ne quid supra ipsorum vires agat, maximè cauebit, voluptatē vtilitatemq; ex eis capiens. Etenim ab auditu, visu, alimentis & Venere contingunt voluptates ei, qui se ipso iustè vsus fuerit. Pericula vero, etiam circa maximi momenti & omnino necessarias res, quandoque contingunt. An non vidisti quosdam noctes diesque animo perturbatos, in mare tandem se temerè præcipitasse?

IVSTITIA LONGE PRAECIOsior est omnibus diuitijs ac opibus.

Lycurgius legislator.

Ζηλωτὸν ἴσως ὁ πλοῦτος: τίμιον μὲν τοι καὶ θαυμαστὸν ἡ δικαιοσύνη. id est,

Diuitiæ forsan magna æmulatione desiderabiles sunt: sed iustitia preciosa & admirabilis res est.

Demosthenes 2. Olynthiaca.

Quemadmodum domus & nauigij & aliorū huiusmodi partes inferiores, firmissimas oportet esse: sic & actionum initia, fundamentaque vera & iusta conuenit esse.

Nicolaus de collectione morum.

In Pædalijs Indica gente, non sacerdos, sed qui præsentium prudentissimus fuerit, sacris præficitur: petit autē semper à dijs nihil aliud, quàm iustitiam.

Plato in Theocreto.

Deus nullo vspiam modo iniustus est: sed plane iustissimus. Nec ei similius inueniri potest quicquàm, quàm qui inter vos iustissimus fuerit.

Polus Pythagoricus in libro de iustitia.

Iustitia inter homines videtur mihi mater & nutrix cæterarum virtutum appellanda: nam sine illa neque temperantem, nec prudentem, neq; fortem esse quenquàm fieri potest: quippè harmonia & concordia totius animę est cum concinnitate.

Fiet autem eius vtilitas euidentior, si alios habitus considerauerimus, vtpote qui particularem solum sui vsum, & ad vnum quempiam præbeant. Iustitia verò vtilitatem in multitudine, & vniuersas rerum comprehensiones pręstat, siquidem in mundo principatum omnem obtinens.

Prudentia vocatur & harmonia, & cōstitutio generis cuiusdam Deorum, qui ipsam ita disposuerunt: in ciuitate autem pax & ęquitas meritò nominatur: in domo autem hæc est viri & vxoris concordia mutua: item famulorum in heros beneuolentia: dominorum autem erga famulos benigna curatio, in corpore autem sanitas & perfectio membrorum, quæ, tanquàm præcipua, cunctæ animantes maximè diligunt. Cæterum in anima est sapientia, quæ per scientiam & iustitiam hominibus comparatur: cum igitur hæc virtus totū simul ac partes singulas ita moderetur, & in concordia conseruet, quomodo non mater & nutrix tum virtutum tum rerum omnium communi iudicio dici deberet?

Exempla bellorum, uictoriæ, & triumphorum iustorum uirorum contra impios. Gen. 14.

Capto Loth cognato Abraham à quatuor regibus gentium, Abrahamus inito fœdere cum Eschol & Aner, numerauit expeditos vernaculos trecentos decē & octo, & persequutus est quatuor reges vsque Dan. Et diuisis socijs irruit in eos, & percussit eos, & persecutus est eos vsque Heba, reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem cum substantia illius, mulieres quoq; & populum.

Genes.

Genes. 34.

Simon & Leui fratres Dinæ, gladijs ingressi vrbem Sichimorũ confidenter, cùm iam essent in extremo dolore ciues propter circumcisionem, interfectis omnibus masculis, Hemor & Sichem principes vrbis interfecerunt, quibus occisis, irruerũt super occisos cęteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem, in vltionem stupri cuncta vastantes, quæ in vrbibus, & agris erant.

Exodi.2.cap.

Moses egressus ad fratres suos, cùm vidisset afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebręis fratribus suis, circumspexissetq́; huc atque illuc, percussum Aegyptium abscondit sabulo.

Exod. eod. cap.

Idem cum vidisset pastores eijcere filias sacerdotis Madian à fonte, defensis puellis, adaquauit oues earum.

Exod.17.

Cùm venissent in Raphidiem filij Israël expugnaretq́; eos Amalec, ascendit Moses in mõtem, & cùm leuaret manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.

Num.21.

Idem cũ se voto obligassent duo filij Israël, si tradidisset Cananeum in manu eorum, quod deleturi essent vrbes eius, dominus exaudiens preces eorum, tradidit illum, quem interfecerunt, subuersis vrbibus eius, vocantes nomen loci illius Horma, id est, Anathema.

Num. eod.

Seon Rex Amorrheorum cùm pacificè esset interpellatus, vt pateret transitus filijs Israël per terram suam, atq; ille consentire noluisset, percussus est in ore gladij, & possessa est tota terra eius.

Numeri 31.

Duodecim millia virorum expeditorum ad pugnam filiorum Israël, deleuerunt totum regnum Balac Regis Madianitarum, & ne vnus quidem cecidit de filijs Israël: & tulerunt substantias eius, & omneis masculos interfecerunt. Reliqua lege apud Brunfelsium lib.5. de viris illustribus.

NANVS IVs græcè δίκη ης. ἡ. dicitur. Est autẽ inordinatio ciuilis societatis, secundum Aristotelem libro Politicorum. Vel sic:

Ius est quod vel natura, vel ciuitas, vel populus, vel gens, vel consuetudo iubet.

Ius naturale est quod vbique eandem habet vim, non quia sic videatur, vel non: secundum Aristotelem ibidem.

Ius naturale est commune omnium nationũ, eò, quod vbiq; instinctu naturę, non constitutionę habeẽ aliqua, vt habetur distin. 1. in prin.

Ius ciuile est, quod est sociale ad vitã, vt sufficiens sit ad libertatem, & æqualitatem, vel secundum proportionem, vel secundum numerum, ex Aristotele lib.5. Ethicorum.

Ius ciuile est, quod quisq́; populus, vel ciuitas sibi proprium diuina, humanaq́; causa constituit, vt habetur distinctione 1. circa princip.

Ius gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pacis, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita. Hoc inde ius gentium appellatur quia eo iure omnes fere gentes vtuntur, vt habetur distinctione 1. ius gentium.

Ius militare est belli inferendi solennitas fœderis faciendiq́; nexus, signo dato egressio in hostem, vel pugnæ commissio. Item signo dato receptio, vt habetur distinct. 1. ius militare.

Ius primo impositum est ad significandum rem iustam. Secundo autem qua cognoscitur. Tertio locũ. Quarto id quod redditur à iudice. Ex b. Thoma secunda secundæ q.57. arti. 1.

Ius, & æquitas sic differunt, quod ius omnia recta, & inflexibilia exigit: æquitas verò est, quæ de iure multum remittit, secundum Donatum super Terent.

Ius & fas quomodo differũt, vide suprà in Fas.

Ius, & lex differunt, quia ius generale nomen est: lex verò iuris est species, secundum Isidorũ lib. Etymologiarum, & habetur dist. 1. prin.

Ius patronatus est potestas pręsentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum, secundum b. Thomam 4. Senten. di.25. q.3. articulo 2.

Iustificatio græcè δικαίωμα, ατος, τὸ & δικαιόω, iustifico dicitur. Est autem iustificatio iustificationis correctio, secundũ Aristo. li.5. Ethico.

Iustificatio nominatur à iustitia, vt dicit rectitudinem ordinis hominis ad Deum, & partium hominis inter se: non autem à iustitia particulari vel legali, secundum beatum Thomã, prima secundæ q.100. articu. 2.

IVuentus græcè νεότης ητὸς. ἡ. & νέος. ου. ὁ. iuuenis dicitur. Est autem iuuentus primæ refrigeratiuæ particulæ augmentatio, secundum Aristo. lib. de morte & vita. Iuuenis est qui adolescentium ætatem excessit, vt Marcellus testatur, dicitur à iuuando, quòd ea ætas maxime sit ad laborem tolerandũ apta, hinc iuuenesco. i. iuuenis fio.

Iuuentus nonnunquam ipsam ætatem iuuenilem significat, interdũ frequentiã iuuenum.

Homerus in γ Odysseæ. id est,

αἰδὼς δ' αὖ νέον ἄνδρα γεραίτερον ἐξερέεσθαι.

Pudor certè iuuenem uirum seniorem interrogare.

Menander. id est.

ἀκμὴ τὸ συνόλον οὐδὲν ἄνθους διαφέρει.

Vigor iuuentutis penitus nihil à flore differt.

Idem. id est,

Μέμνησο νέος ὢν ὡς γέρων ἔσῃ ποτέ.

In memoriam redige iuuenis existens, quòd senex eris quandoq;.

Idem.

Νέῳ πεφυκὼς πολλὰ χρηστὰ μάνθανε. id est.

Iuuenis existens multa bona disce.

Idem.

Νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον, ἢ λαλεῖν πρέπει. id est.

Iuueni autem magis tacere, quàm loqui conuenit.

De hac materia vide suprà in Adolescentia.

LAbor græcè πόνος.ȣ.ὁ.& πονέω laboro dicitur. Est autem labor functio quædam, vel animi, vel corporis grauioris operis, vel muneris, secundum Cic. lib. 2. Tus. q. Antiqui dicebant labos sicut honos, lepos. hinc laboro verbum deducitur, quod nonnunquam significat fatigor, & cùm labore ago, & metaphoricos malè habeo, quare laborare febri, laborare doloribus iliacis, laborare podagra, & huiusmodi dicimus. Interdũ idem est quod conor & enitor, quod etiam significat eius compositum elaboro. Item illaboro quod est labore vaco. Differunt autem inelaboratum & illaboratũ, quod inelaboratum dicitur quod non satis artificio excultum est: illaboratum vero quod sine labore videtur factum. Illud vitio dari solet, hoc laudi. Aliquando laborare est componere. Vir. Artelaboratæ vestes. i. compositæ, hinc laboriosus, laboris sustinens, & laboriosum quod multo labore perfectum est.

Genesis 3.

In labore cõmedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.

Ibidem.

Multiplicabo ærũnas tuas & conceptus tuos.

Iob 15.

Homo nascitur ad laborem.

Paulus ad Thessaloni. 3.

Qui non vult laborare non manducet.

Idem ad Corinth. 1. cap. 3.

Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

Lucas.

Dignus est enim operarius mercede sua.

Augustinus lib. de Virginitate.

Diuersis seminibus pectoris tui tolles, fere nunc alemonijs mediocrib. nunc ieiunijs parcioribus, lectione, opere, prece, vt mutatio laboris, induciæ sint quietis.

Gre. Max. Syrac. epis. & hab. 12. q. 2. Charitatem.

Iustum nanq; est, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.

Idem 19. Moral. & hab. distin. 47. Omnes.

Omnes huius seculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. Nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua nec parũ in labore quidem subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, & pro cælesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumeliam recusant. Terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino vel vnius horæ momento lassantur. Sępe nuditatẽ, deiectionem, famem pro acquirendis diuitijs, atq; honoribus tolerant, & earum rerum spe se per abstinentiam cruciant, ad quas adipiscendas festinant: superna autem laboriosè quærere, tanto magis dissimulant, quanto magis ea re tribui tardius putant.

Leo Papa in ieiunio septimi mensis.

Libentius suscipitur labor pro desiderio voluntatis, quàm pro amore virtutis.

Seneca epistola 1.

Generosos animos labor nutrit, laborem si recuses parũ esse potes. Non est viri timere sudorem.

Idem lib. de Prouidentia.

Quis vir est, qui non est erectus ad honesta, qui non est laboris iusti appetens, qui non ad officia cum periculo sit paratus?

Ibidem.

Nihil infœlicius (ait Democritus) eo cui nil aduenit vnquam aduersi. Non licuit illi se expiare. Malè de illo dij iudicauerunt. Indignus visus est à quo vinceretur aliquando fortuna, quę ignobilissimum quenq; refugit, contumacissimum. i. fortiter obuiantem quenque, & rectum aggreditur, aduersus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatẽ in Fabricio, exilium in Rutilio, venenũ in Socrate, mortem in Catone.

Cicero 5. Tusculan. quæst.

Socratem ferunt, cùm vsq; ad vesperam contentius ambularet, quæsitumq́; esset ex eo, quare id faceret, respondisse se, quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem.

Ibidem libro 2.

Leges Lycurgi laboribus erudiunt iuuentutem, venando, currendo, natando, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando.

Idem libro 1. de Oratore.

Iustus ac honestus labor honoribus, præmijs, splendore decoratur.

Idem lib. de Finibus bono. & malorum princi.

Nam vt Terentianus Chremes non inhumanus, qui nouum vicinum non vult fodere, aut arare, aut aliquid ferre, denique non illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret.

Ibidem.

Quis nostrũm exercitationẽ corporis suscipit laboriosam, nisi vt aliquid ex ea commodi consequatur.

Ibidem libro 2.

Suauis est laborum præteritorũ memoria.

Salustius

Salustius in Iugurtha.

Audiui sæpenumero à sanctis viris munditias mulieribus, laborem viris conuenire, hominibus bonis oportere plus gloriæ quàm diuitiarũ esse.

Phocylides.

οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὐπετὲς ἔργον
οὐδ' αὐτοῖς μακάρεσσι. πόνος δ' ἀρετὴν μέγ' ὀφέλλει. i.

Nullum sine labore est hominibus facile opus,
Neq; ipsis beatis. Labor uirtutem ualde iuuat.

Menander.

ἔργοις φιλόπονος ἴσθι, μὴ λόγοις μόνον. id est.
Operibus laboriosus sis, non sermonibus solum.

Idem.

ἐν μυρίοις τὰ καλὰ γίγνεται πόνοις. id est.
In infinitis pulchra fiunt laboribus.

Idem.

μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν. id est.
Laborare necesse uolentibus fortunatos esse.

Idem.

φιλόπονος ἴσθι, καὶ βίον κτίσῃ καλόν. id est.
Laboriosus sis, & uitam acquires pulchram.

Idem.

ὡς ἡδὺ τοῖς σοφοῖσι μεμνῆσθαι πόνων. id est.
Quàm suaue sapientibus recordari laborem.

Euripides.

Μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη. id est.
Laborare autem mortalibus necesse est.

Sophocles.

ὅρα πόνου τοι χωρὶς, οὐδὲν εὐτυχεῖ. id est.
Vide, labore quidem sine, nihil benè succedit.

Virgilius libro 1. Georg.

-Labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Idem 1. Aeneidos.

O paßi grauiora, dabit Deus his quoq; finem.

Ibidem.

-Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Ibidem.

Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

Horat. libro 1. Epistolarum, epist. 1.

Non poßis oculo quantum contendere Lynceus:
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.
Et quia desperes inuicti membra Gliconis:
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.
Est quôdam prodire tenus, si non datur ultrà.

Ouidius libro Artis.

Dum uires, animiq; sinunt, tolerate labores,
Iam ueniet tacito curua senecta pede.

Horat. Sermon. 1. satyra 9.

-Nil sine magno
Vita labore, dedit mortalibus.

Martialis lib. 1. ad Lucium.

In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci.
Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

C. Manilius Astronomiæ suæ libro 1.

-Longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quenq;
Aduigilare sibi iußit fortuna premendo.

Lac græcè γάλα. κτος. τὸ & γαλακτοτροφέω lacte alo dicitur. Est autem lac sanguis concoctus non corruptus, secund. Arist. lib. 4. de gene. & corru. Ab hoc nomine γάλα dicitur Galaxias circulus in cælo, quem Ouid. 1. Metamorpho. vocat lacteam viam, dicens:

Est uia sublimis cælo manifesta sereno,
Lactea nomen habet candore notabilis ipso.

Est autem galaxias siue galactites ignis purus, propinquus orbi, inflammatus & lucidus, in quo loco sunt paruæ stellæ, multæ scilicet spissæ, & magnæ, propinquæ & luminosæ, ex coniunctione luminis stellarum sibijnuicem suscipientium, & splendore solis, insuper adiuncto lumine ignis puri & inflammati, videtur lumen oblongum. Et quia sunt stellæ fixæ in cœlo, propterea videtur in vno loco orbis non recedens ab eo, ex Alberto magno super libros Metheorum.

LAchryma grecè δάκρυον. ου. τὸ & δακρυόεις εντος. ὁ lachrymosus, & δακρυχέω lachrymor quæ vsus obtinuit, vt cùm aspiratione scribantur. Est autem lachryma humor ex oculis flentium manans. Flere autem lachrymas fundere, vnde fletus quandoq; substantiuum & quartæ declinationis. Ennius: Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu. Interdum adiectiuũ est, scilicet participium à fleor. Virg. Hic multum fleti ad superos. Multum fletos posuit pro nobilibus, quorum mortem magna sequitur lamentatio. Hinc flebilis, dignus qui fleatur. Et flebiliter cum fletu, & compositũ defleo, quod est valde fleo.

Lachrymæ causantur ex tristitia, & aliqando ex affectus teneritate, præcipuè cùm consideratur delectabile cùm tristabili, vt ex deuotione, ex bea. Tho. sec. sec. q. 82. art. 4. Terent. O lacrymæ præ gaudio.

A lacryma diminutiuũ fit lachrymula, & lachrymor verbum, à quo illachrymor & collachrymor: & lachrymabilis, flebilis: & lachrymabundus, flens & illachrymabile hoc est fletu indignum.

Dauid Psalm. 125.

Qui seminat in lachrymis, in exultatiõe metet.

Lucæ 6.

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.

Augustinus lib. Soli. & habetur distinct. 3. cap. Inanis.

Frequenter peccans, & lugens, vix veniam merebitur. Nihil prosunt lamenta, si replicãtur peccata, Nihil valet veniam à malis poscere, & denuo iterare.

Idem ad Proban.

Absit ab oratione multa precatio, sed feruens per

perseueret intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariā superfluis agere rebus. Multum autem precari, est eum, qui precatur, diuturna cordis oratione pulsare: nam plęrūq; hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.

Hieron. super Esa.

Oratio deum lenit, sed lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit.

Ambrosius super Lucam, & habetur de pœ. dist. 1 cap. Petrus.

Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit, scio quod fleuit, Lachrymas eius lego, satisfactionē non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest, Lachrimæ veniam non postulant, sed merentur.

Idem de obitu Val.

Pascunt frequenter lachrimæ, & mentem alleuant fletus, refrigerant pectus, & mœstū consolantur. Est enim pijs affectibus quædam flendi voluntas, & plerunque grauis lachrymas euaporat dolor.

Gregor. in Pasto. & habetur de pœn. dist. 3. Qui admissa.

Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui viuendo se nequiter inquinant, cùm idcirco se lachrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant.

Ibidem.

Vniuscuiusq; mens tantum pœnitēdo compunctionis suæ bibat lachrymas, quantum se à Deo meminit amisisse per culpas.

Idem libro 8. Moralium.

Sæpe quod torpentes latuit, fletibus innotescit, & afflicta mens certius inuenit malum quod fecerat, & reatum suum, cuius secura non meminit, hunc in se commota deprehendit.

Idem super Ezech. hom. 7. super illud. Holocaustum tuum pingue fiat.

Holocaustum siccum est bonum opus quod orationis lachrymæ non infundunt. Holocaustum pingue est, quādo hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.

Idem super Axa filia Caleph.

Irriguum superius accipit anima tua, cùm se lachrymis regni cœlestis desiderio affligit. Irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit.

Ioann. Chrys. & hab. de pœn. dist. 1. cap. Lachrymæ.

Lachrymæ lauant delictum, quod pudor est confiteri.

Idem super Matthæum.

Sicut post vehementes imbres aer mundus ac purus efficitur, ita & post lachrymarum pluuias, serenitas mentis sequitur atq; trāquillitas.

Isido. de summo bo. & hab. de pœ. dist. 3. cap. Irrisor.

Multi enim lachrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt. Quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiam cerno, & affectū pœnitentię non habere, quia inconstantia mentis, non recordatione peccati lachrymas fundunt. Nunc verò reuiuiscente vsu ea, quæ fleuerunt, iterando committunt. Esaias de peccatoribus dicit. Lauamini mundi estote. Lauatur & mundus est, qui & preterita plangit, & flenda iterū non admittit. Lauatur & non est mundus, qui plangit, quæ gessit, nec deserit, & post lachrymas ea quæ fleuerat, repetit.

Bernardus super Can.

Lachrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentię, reconciliationis iucunditas, & serenæ conscientiæ suauitas.

Idem de contemptu mundi.

Fœlices lachrymæ, quas benignę manus cōditoris abstergunt, & beati oculi, qui in talibus liquefieri elegerunt quàm eleuari in superbiā, quàm omne sublime videre, quàm auaritiæ, & petulantiæ famulari.

Caßiod. super Psalm. Fuerunt mihi lachrymæ meæ.

Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, absulutio peccatorum, refectio mentiū, lauacrum culparum.

Virg. in Bucolicis.

Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Horatius in Epodo.

Vos quibus est uirtus muliebrem tollite luctum.

Ouid. de remedio amoris.

Neue puellarum lachrimis moueare caueto,
Vt flerent oculos erudiêre suos.

Item in epistola ad Demophoonta.

Vidi etiam lachrymas, an & est pars fraudis in illis?
Hæ quoq; habent artes, quôq; iubentur eunt.

Idem lib. 3. de Ponto. Elegia ultima.

Interdum lachrymæ pondera uocis habent.

Idem Metamor. lib. 2. fab. 9.

-Neque enim cœlestia tangi
Ora decet lachrymis.

Lene græcè λεῖον. 8. τὸ. & λεαίνω lenio, polio, explano dicitur. Est autem lene cuius partes in rectū sibi iacent secun. d Arist. lib. Prędicamen.

Lene est cuius partes æqualiter porrectę sunt secundum Gil. Porretanum.

Lene est quod tactu nullam asperitatē habet, transferturq; ad animū, & pro modesto accipitur, à quo fit lenio verbum: quod est, mitigo, placo, mulceo. Hinc lenitas, mansuetudo, suauitas, quàm etiam veteres lenitudinem dicebant. Sunt qui velint lene dictū à lento. Lentū enim

inter alias significationes etiam significat tenerum & facile flexuosum. Virgil. Lenta quibus torno facili superaddita vitis. Est & lene producta prima syllaba: quòd non est tactu asperum. Vt Iuuena. Et pumice lenis, id est, depilatus, politus, & non asper. Parum significatione lene & leue distare videtur. A leuis fit leuigo verbum, quod complano, polio, hinc etiam leuigator & leuigatio deducũtur. Item leuor nomen, cuius contrarium est asperitas.

Lenia est idem quod patientia, & est pars annexa fortitudini, secundum Bea. Tho. secunda secundæ q. 128. videturq; deduci à λαΐνος quod est lapideus, qui & λίθινος.ȣ.ὁ. dicitur.

Lætitia græcè εὐφροσύνη.ης.ἡ & εὐφραίνομαι lætor dicitur. Est autem lætitia gestientis animi elatio voluptaria, sec. Cic. li. 3. de fini. bo. & ma.

Lætitia in animo est commotio suauis iucunditatis in corpore, secundum Cicero. lib. 2. de fini. bonorum & malorum.

Lætitia est exultatio quædam animi, gaudio efferuentiori, euentu rerum expetitarũ, secundum Aul. Gel. libro. 2. noc. at. cap. 27.

Lætitia est expressio vel affectus interior, secundum quod ipse affectus dilatatur roboratus & perfectus ex cõiunctione appetitus, diciturque lætitia qua si latitia, ex Bea. Tho. 2. sent. di. 49. q. 1. ar. 1. quid autẽ differat lætor & gaudeo. De hac materia multa vide supra in Gaudium.

Lamentatio græcè θρῆνος.ȣ.ὁ. & θρηνέω lamentor dicitur. Est autem lamentatio ægritudo cũ eiulatu sec. Cicero. in Reth.

Lamentari est voce querula & tristi oratione cladem suam testari. A quo lamentum & lamentatio descendunt. Lamentor (vt quibusdã placet) dicitur à lamero quod est scindo.

Lasciuia grecè ἀσέλγεια.ας.ἡ. & ἀσελγής.έος.ὁ.ἡ. lasciuus, & ἀσελγαίνω lasciuio dicitur. Est autem lasciuia indecens motus dissoluti animi & corporis, ex intemperantia carnali procedens, secundum Cassio. super Psalm.

Lasciuia mollicies est, petulãtia & nequitia, à lasciuio molliter ago, & lasciuè molliter, neqter.

Lasciuus is dicitur qui placere omnibus studet voluptatis causa, nec ob aliud quicquam illud agit. Si vero vtilitatem aliquã inde adipiscitur in pecunijs aut re pecuniaria adulator est, ex Aristotele. 4. Ethico.

Latitudo græcè πλάτος.εος.τὸ & πλατύς.έος.ὁ. latus dicitur. Est autẽ latitudo dimensio magnitudinis corporalis, secundum Bea. Tho. prima secundæ q. 33. art. 1.

Latria græca dictio est, nam λατρεία.ας.ἡ. cultus & λατρεύω colo dicitur. Quid autem sit vide suprà in Dulia & Idololatria.

Latro græcè λῃστής.οῦ.ὁ.ἡ. & λῃστεύομαι latrocinor dicitur. Est autem latrocinari vias diripiendi gratia obsidere. Latrocinium ipsa direptio. Latro vel latrocinator, qui ita diripit. Antiqui eos latrones vocabant, qui circa imperatorem se habere consueuerant, quos nunc satellites vocamus, quasi laterones à latere. Aliquando pro venatore capitur.

Virgilius.

Fixumque latronis Impauidus frangit telum. A latrone diminutiuum fit latrunculus, à quo latrunculatores vocantur iudices, qui de latrocinijs & talibus maleficijs cognoscunt. Latro proprie diurnus est, fur autem nocturnus. De hac materia habes suprà vbi Furtum, & infrà vbi Rapina.

Laus grecè ἔπαινος.ȣ.ὁ. vel αἶνος.ȣ.ὁ & ἐπαινέω vel αἰνέω laudo dicitur. Est autẽ laus sermo elucidans magnitudinem virtutis, secundum Arist. lib. 1. & 3. Rhet. & Bea. Tho. super Psal. 17. col. 3. Dicitur autẽ à laudo verbo, quod aliquando significat verbis extollo Hora. Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylænem. Aliquando idem quod nomino. Plautus. Id vt scias, Iouem supremum testem laudo. Vnde illaudatus, qui ne nominari quidem dignus est, hoc est illaudabilis. Virg. Quis aut Eurystæa durum. Aut illaudati nescit Busyridis aras? Quidam tamen putant laudo verbum à laus deriuari, nomenq; ipsum dici ἀπὸ τοῦ λαοῦ hoc est à populo. Quod proprie laus sit vox populi de aliquo recta loquentis.

Laus & laudatio sic differunt, quod laudatio est oratio ipsa laudantis, laudes cõtinens ipsius laudati. Laus verò est virtus ipsa non aliunde proueniens, sed suis nixa radicibus. Virgil. Primam merui qui laude coronam. Hinc laudabile dignum laude: & collaudo, simul laudo deducuntur.

Prouerbiorum cap 27.

Laudet te alienus, non os tuum, extraneus & non labia tua.

Augusti. de sermo. Domini in monte.

Laus humana non appetitur à sapiente, sed subsequi debet sapientem & rectè facientem, vt illi proficiant qui etiã imitari possunt quod laudant.

Idem super Psal. 5.

Esse humilem est nolle laudari se. Qui ergo se laudari appetit, superbus esse conuincitur.

Idem super Genesim.

Apuleius auditoribus suis admirantibus doctrinam cõmendabat, non auiditate consequẽdæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis.

Idem ad Dioscorum.

Ibi est à vanitate remota laudatio, vbi etiam vituperatio ad offensionem secura est.

Ibidem.

Non laudis huius vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia & si cuiquam facilè est laudem ca-

decarere dum negatur, difficilè est ea non delectari dum offertur.

Idem ad Volusianum.

Hanc opinionem faciliter præsumptam,quę so deponas tuo animo quamuis erga me beneuolentissimo soluas atque eruas, ac de me mihi magis,quàm vlli alteri credas.

Ibidem.

Nec valde gaudere debemus quando laudamur,nec cótristari quando vituperamur. Quia nec deprauare iniuria,nec coronare potest laus aliena.

Idem de doctrina Christiana.

Quid est quod dicis, ego diues, ille pauper: sarcinam tuam commemoras,pondus tuũ laudas:taces laudes tuas,quia miserias tuas nõ consideras.

Hieronymus ad Nepotianum.

Caue ne hominũ rumusculos acceperis,caue ne offensam dei in populorũ laudes cõmutes.

Ambrosius in Natali S.Eusebij.

Dicit sermo diuinus.Ne laudaueris hominẽ in vita sua,tanquam si diceret:Lauda post mortem:magnifica post consummationem.

Gregorius 8.Moralium.

Cùm per accepta bona reprobi in sua laude se eleuant, ipsis muneribus contra largitorem pungnant.Inde quippe contra flantem superbiunt,vnde ei amplius humiles esse debuerũt.

Ibidem.

Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem recipit, quasi plantati ligni ante tẽpus fructum comedit.

Idem 22.Moralium.

Quo arbor altius ad superiora surrexerit,eo vim ventorum vehementius sentit: quia quo plus quisque in bona opera attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur.

Ibidem.

Valde perfectorum est,sic ostenso opere autoris gloriã quærere, vt dei illata laude nesciat priuata exultatione gaudere.

Ibidem.

Quasi latrunculus est appetitor laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur:vt ex occultis educto gladio gradiẽtium vita trucidetur.

Idem in Pastorali.

Nescit laudem dum suppetit fugere, qui ad hanc didicit,cùm deesset anhelare.

Ibidem.

Cùm enim pro recto opere laus transitoria quæritur , æterna retributione res digna vili pretio venundatur.

Ibidem.

Quisquis laudis concupiscentias calcare non sufficit,ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ egit, occultat.

Idem super Ezec.lib.1.hom.9.& habetur 11. q.3.inter uerba.

Inter uerba laudantium siue vituperantium ad mentem semper recurrendum est, & si non inuenitur in ea bonum quod de nobis dicitur, magnam tristiciam generare debet: & rursum si non in ea inuenitur malum quod de nobis homines loquuntur,in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si nos omnes homines laudant,& conscientia liberos nos demonstrat?Habemus Paulum dicentẽ: Gloria nostra hæc est,testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoque dicit,Ecce in cœlo testis meus. Si igitur est nobis testis in cœlo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciũt, nisi quod in pulucrem sufflant, & in oculos suos terram excitant,vt vnde plus detractionis perflant,inde magis nihil veritatis videant.

Ibidem.

Quid enim prodest si te omnes laudant, & conscientia te accusat?aut quid obesse potest si omnes derogent,& conscientia defendat?

Ioan.Chrys.de laudibus Pauli.homilia 5.

Extrema dementia est nulla imminente necessitate rerum,& necessitate violenta totis laudibus velle decorari.Non est secundum deum loqui:iudicium est potius istud insaniæ.Hoc enim omnem nobis mercedem euacuat.

Idem super illud Matth.8.Audiens Iesus miratus est.

Non laudatur de fide leprosus, quia in lege doctus, hic alienigena, s. Centurio laudatur, quia legis ignarus. In modico enim sermone sapientiæ plus laudatur rusticus, quã in magno philosophus,& puer si aliquid dixerit sapiẽter, laudatur,vbi perfectior non auditur.

Seneca ad Lucil.in pasto.

Lauda in illo quod nec eripi posit, nec dari.

Idem epistola 41.

In homine quoque illud laudandũ est quod ipsius est. Familiam formosam habet, & domũ pulchram, multum serit, multum fœneratur, nihil horum in ipso est, sed circa ipsum: lauda in illo, quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium hominis est.Quæris quid sit: animus & ratio in anima perfecta.

Ibidem.

Quid stultius est quã in homine aliena laudare?quid eo dementius,qui ea miratur quę in alium transferri protinus possint?Nemo gloriari nisi de suo debet.

Idem libro de moribus

Bonum est laudari,sed prestantius est esse laudabilem.Neminem cito laudaueris, neminem cito accusaueris. Vitiũ est omnia credere, vitiũ est nihil credere.

Aulus Gellius lib.19.cap.3.noct.atti.

Turpius esse dicebat Phauorinus exiguè atq; frigidè laudari, quàm insectanter & grauiter vituperari. Qui enim maledicit & vituperat, quãto id acerbius facit, tam maxima mole pro inimico & inimico habetur, & propter ea plerunq; fidem non capit: Sed qui infœcundè atque ieiunè laudat, destitui à causa videtur, & amicus quidē creditur eius quē laudat, *& ei creditur.

Alia exēplaria aliter habent.

Aristot. lib. 2. Ethicorum.

Virtuti debetur laus.

Cicero Rhetor. nouorum, lib. 3.

Neq; solum laudis causa rectum sequi cōuenit. Sed si laus consequitur, duplicatur rectè appetendi voluntas.

Idem Rhetor. nouor. lib. 4.

Vide ne facias impudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum laboribus libare laudem.

Idem in Paradoxis.

Vt enim quisque maximè est boni particeps, ita & laudabilis maximè.

Ibidem.

Quicquid est laudabile, idem & beatum & florens & expetendum videri debet.

Virgil. Aeneid. lib. 5.

Hi proprium decus & partium indignantur honorem.
Ni teneant, uitamq; uolunt pro laude pacisci.

Xenophon.

ἥδιστον ἄσμα ἔπαινός ἐστι. id est,

Iucundißima cantio laus est.

MENANDER.

ὑπὲρ σεαυτοῦ μὴ φράσῃς ἐγκώμια. id est.

Pro teipso ne dicas laudes. Idem.

φίλων ἔπαινον μᾶλλον ἢ σ' αὐτοῦ λέγε. id est.

Amicorum laudem magis quam tuijpsius dic.

Iuuenalis satyra 8.

Respice quid moneant leges, quid curia mandet.
Præmia quanta bonos maneant.

LEctio græcè ἀνάγνωσις, ιος, ἡ, & ἀναγνώστης, οῦ, ὁ lector dicitur. Veniunt aũt lectio & lector à lego, quod est oculis scripta percurro.

August. lib. 2. de Doct. Christiana.

Quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnabitur: si vtile est, ibi inuenietur.

Idem epist. 3.

Nullæ literæ comparantur duobus Domini præceptis, in quibus omnis ars est.

Idem super Ioannem homil. 1.

Lectio est sicut oleum in flamma, si est ibi quod nutriatur, nutritur, crescit & permanet.

Hieronymus epist. 88.

Statue tibi quot horis sacram scripturam legas, non ad laborem, sed ad delectationem.

Bernardus libro Meditationum.

Nihil aliud docet me tota scriptura, nisi religionis vnionem seruare.

Caßiodorus lib. de instit. scripturarum, loquens de libris Origenis.

Succos saluberrimos cautè & sapienter sumere debemus; ne pariter venenum perfidiæ sorbeamus.

Seneca ad Lucil. epist. 109.

Illud tamen prius scribam quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te video dirigenda sit, ne ipsa impediat. Nec paßim carpenda sunt, nec auidè inuadenda vniuersa. Per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quàm cui sufficere possumus. Non quantum vis, sed quantũ capis hauriendũ est. Quo plus recipiat animus, hoc se magis laxat.

Idem epistola 45.

Lectio certa prodest, varia delectat: qui quo destinauit peruenire vult, vnã sequatur viã, nõ per multas vagetur: non ire istud, sed errare est.

Idem ad Lucil. in epist.

Non refert quàm multos, sed quàm bonos habeas libros. Lectio certa prodest, varia delectat. Multitudo librorum onerat, nõ instruit. Et satius est paucis autoribus te tradere, quàm errare per multos.

Idem in epistola.

Quò minus legas non te terreo, dum quicqd legeris ad mores statim referas.

Ouidius lib. 2. Tristium.

Nec tamen est facinus molles euoluere uersus,
Multa licet castè non facienda legant.

Legatio græcè πρεσβεία, ας, ἡ & πρεσβεύς, έως, ὁ, legatus dicitur. Est autem legatio mißio legatorum. Dicuntur legatus & legatio à lego, gas, quod est mando, decerno, delibero. Vnde & legatum, quod est deliberatio quædam hæreditatis, quam testator ex eo quod vniuersum hæredis foret, alteri collatum voluit, vt ait Florentinus iurisconsultus. Item legatum est quædam donatio testamento relicta, secundum Modest. Iuriscon. Hinc legatarij, quibus aliquid testamento legatum est. Hinc etiam composita allego, hoc est, adduco. Delego, hoc est, demando, committo. Sueton. de Nero. Nulli delegauit officium, vt non addiceret. Vnde subdelegare dicimur delegatas nobis à principe causas, alteri cognoscendas iniungere.

Legispositiua est idem quod virtus regnatiua, id est, principalis species prudentiæ, quæ conuenit regi, secundum B. Thomam, secunda secundæ quæst. 50. art. 1.

Legispositiua & eugnomosina. i. bona gnome attribuuntur prudentiæ, secundum directionem, & attribuuntur iustitiæ secundũ executionem, ex B. Thoma secunda secundæ q. 80.

Leno grecè πορνοβοσκός, οῦ, ὁ & πόρνος, ου, ὁ scortum, cynædus, catamitus, & πορνοβοσκεῖον, ου, τὸ, lupanar dicitur. Est aũt leno qui quęstuaria mãcipia habet: Vel sic. Leno est qui damnatã adulteram ducit, vel qui eam sibi reconciliat, secundum glo. 1. §. Quod si in adulterio. 32. q. 1.

Leuitas græcè κȣφότης.ητος.ἡ & κοῦφος.ȣ.ὁ leuis dicitur. Est autem leue, quod est natum ferri à medio secundum Aristo. lib. 1. de cœlo & mundo. Leuissimum autem quod superfertur omnibus alijs ab eo sursum latis.

Leuitas aliquando dicitur de re sine pondere. Modo pro stultitia, inconstantia, vilitate ponitur. Hinc leuo, as, verbum, hoc est in altũ tollo, velut leue. Modo aufero. Vir. Atq; arcta leuari Vincla iubet Priamus. Interdum alleuo, modestiam laboremque extenuo. Virg. Sis fœlix nostrumq; leues quæcunque laborem. Hinc alleuo, hoc est in altũ tollo, vel de imo sursum tollo. Item subleuo, hoc est defendo, adiuuo & releuo, quod pene idẽ significat quod alleuo.

LEx græcè νόμος.οῦ.ὁ & νομικός.οῦ.ὁ legalis dicitur. Est autem lex, ratio summa insita in natura, que iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria. Eadem ratio cùm est in mente hominis confirmata & confecta, est lex. Et Cic. lib. 1. de legi. Lex est neq; hominum ingenijs excogitata, nec scitum aliquod populorum: sed æternum quiddam, quod vniuersum mundum regeret imperandi prohibendiq; sapientia, secundum Ciceronem lib. 2. de legibus.

Lex est recti præceptio, prauiq; depulsio, secundum Ciceronem lib. 2. de natura deorum.

Lex est constitutio populi, in qua maiores natu simul cùm plebibus aliquid sanxerunt, vt habetur distinct. 2. lex.

Lex est regula & mensura actuum agendorũ vel omittendorum, ex bea. Thoma prima secundæ q. 90. artic. 1.

Lex dicitur à ligando quia obligat. Vel dicitur à legendo, quod publicè legatur, secundum Isidorum ex b. Tho. Ibidem. Ouidius Metamor. Nec verba minantia fixo Aere legebantur, vel ligabantur.

Lex est dictamen rationis practicæ, secundũ b. Tho. prima secundę q. 91. art. 1. A lex veniunt illex & exlex, qui sine lege viuit: & legislator & legifer, qui legem tulit.

Lex & ius quomodo differant, vide supra in Ius.

Prouerbiorum cap. 20.

Qui custodit legem, beatus est.

Esaias cap. 10.

Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam, scripserunt vt opprimerent pauperes in iudicio.

Paulus ad Timoth. 1. cap. 1.

Bona est lex, si quis ea legitimè vtatur.

Idem ad Colloss. cap. 3.

Lex est vinculum perfectionis.

Idem ad Romanos cap. 2.

Gentes quæ legem non habent, sed ea quę legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex.

Iacobus in epistola cap. 2.

Quicunq; autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit non mœchaberis, dixit & nõ occides: quod si non mœchaberis, occides autem: factus es transgressor legis.

Augustinus libro 9. de ciuitate dei.

Omnium legum est inanis censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat.

Idem ad Macedonium, & habetur 23. quæst. 5. cap. Non frustra.

Non frustra sunt instituta potestas regis & cognitoris ius, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris. Habent omnia ista modos, suas causas, rationes, vtilitates, & hæc cùm timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos viuunt.

Idem contra Petilianum, & habetur 23. q. 5. cap. ad finem.

Nunquid quia mores optimi libertate volũtatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen vltrix malè viuendi disciplina præpostera est, nisi cura pręcedens bene viuendi doctrinã prætendat. Sic igitur quæ aduersus vos leges constitutæ sunt, nónne his benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini?

Idem de ue. relig. & habetur dist. 4. c. in istis.

In istis temporalibus legibus, quanquàm de his homines iudicent cùm eas instituunt, tamẽ, cùm fuerint institutæ & firmatæ, non licebit iudici de his iudicare, sed secundum ipsas. Leges instituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus vtentium approbãtur. Sicut enim moribus vtentium, in contrarium, nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt: Ita moribus vtentium ipsæ leges confirmantur.

Idem in libro de spiritu & litera.

Quod imperatorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat.

Ibidem.

Lex Dei charitas est, lex data est, vt gratia quęreretur, gratia data est, vt lex impleretur.

Hiero. libro 3. contra Ruffinum.

Coronam minimè carpendam, id est, leges vrbium conseruandas.

Grego. in Registro & hab. 25. q. 2. Imperiali.

Imperiali constitutum est sanctione apertè, vt ea quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sunt.

Isidorus libro 2. Etymologiarum.

Factæ sunt autem leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis reformidato supplicio, refrenetur audacia & nocendi facultas.

Ibidem.

Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secũdum naturam & secundum consuetudinem

patriæ, loco, temporiq; conueniens, necessaria & vtilis, manifesta quoq;, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. Ideò in ipsa constitutione ista cōsideranda sunt, quia cùm leges institutæ fuerint, non erit liberum iudicare de ipsis, sed oportebit iudicare secundum ipsas.

Idem lib.5.Etymol.& hab.dist.3.Priuilegia.

Priuilegia sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges. Nam priuilegium dictū est, eo quod in priuato feratur.

Ibidem.

Omnis autem lex permittit aliquid, vt vir fortis petat præmium: aut vetat, vt sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt qui cędē fecerit, capite plectatur. Eius enim præmio aut pœna, vita moderatur humana.

Idem lib.5.Etymol.& hab.dist.1.in prin.dec.

Omnes leges diuinæ sunt aut humanæ. Diuinæ natura, humanæ moribus constant. Ideoq; hæc discrepant, quoniam alię gentibus alijs placent. Fas lex diuina est, ius lex humana. Transire per agrum alienum fas est, ius non est.

Ibidem, & hab.dist.7.cap.Moyses.

Moyses gentis Hebrææ primus omnium, diuinas leges sacris literis explicauit. Phoronæus rex, Græcis primus leges iudiciaq; constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Aegyptijs tradidit. Solon equidē primus leges Atheniensibus edidit. Lycurgus primus Lacedæmonijs iura ex Apollinis authoritate cōfinxit. Numa Pompilius qui Romulo successit in regno, primus Romanis leges edidit. Deinde cùm populus seditiosus, magistratus ferre non posset, decem viros legibus scribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in latinū sermonem translatas, duodecim tabulis exposuerunt.

Ibidem cap.Fuerunt.

Fuerunt autem hi Appius Claudius, Titus Genutius, Publius Festius, Lucius Veturius, Caius Iulius, Aulus Manlius, Publius Sulpitius, Publius Curiatius, Titus Romulius, Spurius Posthumius.

Isiod.lib.Etymol.& hab.dist.1.c.Ius.

Ius generale nomen est. Lex autem iuris est species, ius autem est dictum quia iustum est. Omne autem ius legibus & moribus constat.

Idem lib.2.Etymol.

Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scripsit, id est, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem & mortem.

Valerius Maximus lib.7.titulo Sapienter dicta aut facta.

Quàm porrò subtiliter Anacharsis leges aranearum telis cōparabat. Nam vt illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere: ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotentes non alligari aiebat.

Aristot.lib.5.Ethicorum.

Duplex est ius, scilicet naturale & legale. Naturale est quod apud omnes habet eandem potestatem. Legale est quod constitutum est lege.

Idem lib.6. Politicorum.

Non facile est permanere ciuitatem, non legibus & consuetudinibus compositam.

Laërt.Diogenes de Vita & moribus phil.

Interrogatus Solon, quid est rex? respondit, fortis potestas. Quid lex? Araneæ tela, quia si in eam inciderit quid debile, retinetur: graue autē pertransit tela rescissa.

Cicero Rhetor.ueterum.lib.1.

Quamobrem leges seruari oportet, & ad eā causam scripta omnia interpretari cōuenit: hoc est, quoniam reipub. seruimus, ex reipub. commodo atq; vtilitate interpretemur. Nam vt ex medicina nihil oportet putare proficisci nisi quod ad corporis vtilitatem spectet, quoniam eius causa est instituta: sic à legibus nihil conuenit arbitrari, nisi quod repub. cōducat proficisci, quoniam eius causa sunt comparatæ.

Ibidem lib.2.

Nulla est lex, quæ aliquam rem inutilem aut iniquam fieri velit. Omnia supplicia quæ à legibus proficiscuntur, culpæ aut malitiæ vindicandæ causa constituta sunt. Nullæ res neq; legibus neq; scriptura vlla, deniq; neq; in sermone quotidiano atque imperijs domesticis possunt administrari, si vnusquisq; velit verba expectare, & nō voluntatem eius, qui ea verba habuerit, accedere.

Ibidem.

Leges nobis charæ esse debent, non propter literas quæ tenues & obscuræ notæ sunt voluntatis, sed propter earum rerum, quibus descriptum est vtilitatem, & eorum qui scripserunt sapientiam & intelligentiam.

Idem lib.1.de Legi.in fine.

Profecto sic se res habet, vt quoniam vitiorū emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum, ab ea viuendi doctrina ducatur.

Idem lib.2. de Legibus.

Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingenijs excogitatam, nec scitum aliquod esse populorū, sed æternum quiddam, quod vniuersum mundum regeret, imperandi prohibendiq; sapientia. Ita principem legem illam & vltimam mentem esse dicebat, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam dij humano generi dederunt rectè est laudata.

Ibidem.

Sed intelligi sic oportet, & hæc & alia iussa ac vetita populorum vim habere ad rectè facta vocandi

vocandi, & à peccatis auocandi, quæ vis nõ modo senior quàm ætas populorum & ciuitatum, sed æqualis illius cælum atque terras tuentis & regentis Dei.

Ibidem.

Nec quia nusquam erat scriptum, vt contra omnes hostiũ copias in ponte vnus assisteret, à tergoq; pontẽ interscindi iuberet, idcirco minus Coclitem rem gessisse tantæ fortitudinis lege atq; imperio putabimus. Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco nõ contra illam legem sempiternã Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans: quia non tum demum incepit lex esse cùm scripta est, sed tunc cùm orta est: orta est autem simul cum mẽte diuina, quamobrem lex vera atq; princeps apta ad iubendum & ad vetandum ratio est recta summi Iouis.

Ibidem.

Constat profectò ad salutem ciuium ciuitatumq; incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam, inuentas esse leges.

Idem lib. 3. de Legibus.

Cùm dico legem à me dici, nil aliud intelligi volo quàm imperium, sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.

Menander.

ἰσχυρὸν ὁ νόμος ἐστὶν ἢν ἄρχοντα ἔχῃ. id est,
Validum quid lex est, si regentem habeat.

Idem.

Νόμῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται. id est.
Lege omnia fiunt & iudicantur. Idem.
Νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχωρίοις καλόν. id est.
Leges sequi regionales pulchrum.

Idem.

βίας παρούσης οὐδὲν ἰσχύει νόμος. id est.
Vi præsente nihil potest lex.

AMANTIVS.

DEFINITIO LEGIS EX VARIIS *authoribus sumpta.*

Papinianus lib. 1. definitionum.

Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ spõte vel ignorantia contrahuntur, coërtio: communis Reipub. sponsio.

Demosthenes in Aristogitonem.

Νόμος ἐστὶν ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλά, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστι νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ᾽ ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει. i.

Lex do- nũ Dei.

Lex est, cui omnes homines decet obedire, propter multa & varia, & maximè quod omnis lex est inuentio quidem & donum deorũ, dogma autem hominum sapientum: Coërtio autẽ voluntariorum, & inuoluntariorum peccatorum, ciuitatis compositio communis, secundũ quam omnes decet viuere, qui in ciuitate sunt.

Chrysippus de legibus.

ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων: δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα. καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον. id est.

Lex est omnium diuinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem eam etiam præstare & bonos & malos, & principem & ducem esse: & secundum hoc regula est iustorum & iniustorũ, & eorum, quæ natura ciuilia sunt, præceptrix quidem faciendorum, prohibitrix autem non faciendorum. Lex. Regula iustorũ & iniustorum.

Lex est regula, per quam omnia totius mundi negocia & animalia politica reguntur.

Lex est princeps, cui obedire debemus: est dux, quem sequi congruit: Est regula, quam faciendis quibuscunq; applicare decet. Aristoteles 3. Politicorum: Lex non est tantùm donum Dei, sed ipse Deus, qui donum dedit, quia qui parit legi, Deo paret & obtemperat. Lex donu Dei.

Lex est communis ciuitatis consensus, qui scriptis præcepit, quomodo vnumquodq; agẽdum sit. Aristoteles de causis ciuilibus.

Lex non inuentum hominum sed deorum, & orta cum mente diuina.

Lex est ratio, mensq; sapientis ad iubendũ & ad deterrendùm idonea.

Lex orta est cum mente diuina: Quamobrem vera atq; princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio recta summi Iouis.

Lex est iustorum & iniustorum distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominũ diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt & tuentur bonos.

Lex est naturæ vis, mens ratioq; prudentis, iuris atq; iniuriæ regula.

Legis & iudicij differentia.

Lex differt à iudicio: Cicero pro P. Sylla. Itaq; hac ratione, non iudicum sententiam, sed legis vitium corrigebat. Nemo iudicium reprehendit, cùm de pœna quæritur, sed legem: damnatio enim est iudicum quæ manebat, pœna legis quæ leuabatur.

Cicero 1. Tuscul. Quæst.

Lex naturę est omnium gentium consensus.

Lex, ex sententia Platonis, est gubernandi ratio, formulaq; vera, finem ad optimum per cõmoda media nos perducens, transgredienti pœnam, parenti præmium præfigens: Quæ quia à summo est bono, ac rursum in idẽ refluit, hinc veteres legumlatores, earum inuentiones esse diuini muneris arbitrati, in diuersorum numinum

minum vim referre adorti sunt: veluti Zoroaster Bactrianis Persisq; leges tradens in Oromasin, Trismegistus Aegyptijs in Mercuriū, Charondas Carthaginensibus in Saturnum, Draco & Solon Atheniensibus in Mineruam, Mahumeth Arabibus in Gabrielē, Zamolxis Schytis in Vestam, Plato Magnesijs & Siculis in Iouē & Apollinem, Minos Cretēsibus, vt vulgatior fama tenet, ac Parrhasij monumentis traditur, in Iouem eundem: Eusebius famem à Platone falsum esse id, peruinci tradit, sed verum comprobat Aristoteles 2. Politicorū: meminit & in Moysibus. Sed & Eusebius mox paulò Minos, inquit, leges ac fora constituit: verum etiam primo legum. Plato ipse non abnuere videtur.

Lex, inquit, Marcus Tull. vinculum est ciuitatis, libertatis fundamentum, fons æquitatis, mens, animus, consilium. Sententia ciuitatis posita est in legibus: vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus ac neruis, sanguine & membris vti non potest.

Chrysippus legem esse omnium diuinarum humanarumq; rerum notitiam statuit. Lex oīs est inuentio quædam & donum Dei, ac sapientum dogma, ciuitatis compositio.

Lex differt à Psephismate.

Quoniam ψήφισμα ad tempus est, siue πρὸς καιρόν. Lex autem perpetua est καὶ πρὸς ἅπαντα χρόνον. Postremò velut auctarium adijciamus & illud ex Seneca: Legem oportere esse breuē, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox iubeat, non disputet. Nil videtur mihi ineptius, quàm lex cum prolegomenis. Hinc iactatum fortè Platonicarum legum frigus: Gnostici, veluti ex Platonicis legimus, vt peruincerent, boni prorsum nihil esse in mundo, nullas adstruebant, vel naturæ vel hominum leges esse bonas, & quę dicantur virtutes, esse nihil.

Nomina Nomothetarum diuersorum populorum, ex pandectis de origine Iuris.

Legū cōditores. Leges accedunt etiam Iustitiæ, quas alijs alij populis dedêre. Gymnosophistæ Indis, Prophetę seu sacerdotes Aegyptijs, Chaldæi Babilonijs, Magi Persis, Druidæ Gallis, Zaleucus Locrensibus, Moyses Hebræis, Solon Atheniēsibus, Lycurgus Lacedæmonis, Minos Cretensibus, Phido Corinthijs, Zamelsis Getis, Androdomus Rheginis, Milesijs Hippodamus, Carondas Thurijs, Philolaus Thebanis, Phaleas Carthaginensibus.

Apud Romanos verò primus P. Papirius regias leges in vnum contulit: Deinde Appius Claudius Regilianus decemuir, cuius maximum consilium in 12. tabulis conscribendis fuit: Post hunc eiusdem familiæ Appius Claudius Centimanus, qui R. literam inuenit, actiones scripsit: & primum de vsurpationibus: qui liber non extat: post hos Sempronius Catus, deinde Scipio Nasica, qui optimus à senatu iudicatus, & cui publica domus in sacra via data est, quo faciliùs consului posset. Demum Q. Mutius, qui ad Carthaginenses missus est legatus: quum essent duæ tesseræ positæ, vna pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, vtram vellet, referret Romam, vtramq; sustulit, & ait, Carthaginenses petere debere, vtram mallent accipere: Post hos fuit T. Coruncanus, qui primus profiteri cœpit, cuius tamen nullum scriptum extat: Deinde sextus Aelius, & frater eius P. Aelius, ambo consules: deinde Cato Portiæ familiæ princeps, cuius extant libri: Postea M. Mutius, & Lucius Brutus prętorius, P. Manilius ius ciuile fundauerunt: Ex his Mutius consularis fuit, & decem libros reliquit: ab ijs profecti sunt P. Rutilius, Rufus Consul. Romæ, & Asiæ proconsul: Et P. Virginius, & Q. Tubero ille Stoicus Pansæ auditor ac consul: Et sextus Pompeius, Pompeij magni Patruus: Eodem tempore Cœlius, qui plus eloquentiæ, quàm scientiæ iuris operam dedit: Et L. Crassus Mutianus, P. Mutij frater illius, quem Cicero iurisconsultorum dissertissimum dicit: pòst, Q. Mutius P. filius. P. Mutius ius ciuile in 18. libros redegit: Mutij auditores fuêre complures, sed præcipuæ authoritatis Aquilius Gallus, L. Balbus, Sextus Papirius: deinde Seruius Sulpitius, qui in causis peiorandis post Ciceronem primum obtinuit locum. Reprehensus à Q. Mutio, quod ius non intelligeret, iuri operam dedit, reliquitq; 180. libros de Iure ciuili: à Seruij disciplina manauerunt Alphenus Varus, C. Flauius, A. Ophilius & Celsus, Aufidius Sura, Aufidius Mamusa, Flauius Priscus, C. Atteius, Antistius Labeo Paternus, P. Celsus. Libri digesti fuerunt ab Aufidio Mamusa: Ex ijs Alphenus consul fuit, & Ophilius equestris ordinis, qui edictum prætoris diligenter primus cōposuit: Fuit eodem tempore Trebanus, Cornelij Maximi auditor, A. Cesellius, Q. Mutius Volusij auditor, Quæstorius consulatum enim renuit offerente Augusto. Ex ijs Trebatius peritior, Cesellius eloquentior, Ophilius vtroq; doctior: deinde Aelius Tubero, qui postquam accusauit Q. Ligarium: nec obtinuit apud Cæsarem, à causis agendis, ad ius ciuile transijt: post hunc Atteius Capito, qui cōsul fuit, Ophilij imitator, & Labeo ingentis doctrinæ fiducia, vt qui operā Philosophiæ dederat, plurima innouare instituit. Masurius Sabinus eques Romanus, publicè ... primus scripsit: Hoc beneficium à Tiberio Cæsare dari cœpit: nam ante Augusti tempora publicè respondendi ius à principe non dabatur, sed

sed qui fiduciam studiorum suorum habebât, consulentibus respondebant, responsa vtique signata dabant, sed plerunque ipsis iudicibus scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant.

Hadrianus princeps.

Primus Augustus, vt maior iuris authoritas haberetur cõstituit, vt ex authoritate iuris responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit: quapropter optimus princeps Hadrianus, quum ab eo viri prætorij peterent, vt sibi respondere liceret: respondit eis, hoc nõ peti, sed præstari solere, & ideo si quis sui fiduciam haberet, se populo ad respondendum pręstaret: igitur Sabino concessum est à Tyberio, vt populo responderet, cui cùm amplæ facultates nõ essent, à suis auditoribus sustentatus est. Sabino successit Cassius Longinus Tuberonis ex filio nepos, quę neptis fuit Seruij Sulpitij: & consul extitit in Cintino sub Tyberio, à quo propter authoritatem è ciuitate pulsus fuit, & ab imperatore Vespasiano reuocatus, diem obijt. Neruæ successit Proculus: Fuit & eodem tempore Nerua alius Longinus eques Romanus, & prætorius, sed Proculi authoritas maior extitit: nam qui successêre, partim Proculani, partim Cassiani appellati sunt, quæ origo à Capitone, & Labeone cœperat. Cassio Cælius sabinus successit qui plurimũ sub Vespasiano potuit: Proculo successit Pegasus, qui sub Vespasiano pręfectus vrbis fuit: Cęlio Sabino Priscus Labienus: Pegaso Celsus: Celso patri, Celsus filius & Priscus Neratius: q vtriq; cõsules fuerũt: Prisco Labieno Eburnus Valens, & Tussianus, ac Saluius Iulianus. post hos verò turba plurima: quorum princeps Papinianus Sceuolæ discipulus, Fisci aduocatus sub Seuero imperatore: deinde Vlpianus, Paulus, Modestinus, Caius, aliiq; cõplures, qui sub Alexandro fuêre, quos & in Vlpiano refert ac commemorat Volateranus in commentarijs.

[illegible]mora [illegible]le crē [illegible]gra [illegible]di [illegible]lisci. [illegible]lorũ.

Variæ leges fuerunt.

Ius in primis naturale omnibus commune animantibus: ius gentium, quo humanæ gentes vtuntur: ius ciuile, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, & authoritate prudentium venit ff. de leg. Iust. de iure natural, gentium, & ciuili.

Quatuor species legum secundum Platonem.

Plato, vt ex Timæo, Phedro, & Gorgia colligitur, quatuor legis species ponit: Diuinam, quàm prouidentiam vocat, cœlestẽ, quod fatũ, tertiam mouentem, quæ est naturæ, quartam humanam, quæ prudentium sit.

Cicero pro A. Cluenti.

Est enim magistratus legum index, legis interpres summus, nos serui legum sumus, vt liberi esse possimus.

Idem pro P. Sextio.

Quodam tempore homines, nondum neq; naturali neque ciuili iure descripto, fusi per agros, atq; dispersi vagabantur, tantumq; habebant, quantum manibus & viribus per cædem eripere potuissent: Qui verò ingenio ac virtute pręstiterunt, genus indocile, vnum in locum congregauerunt, eosq; ex feritate illa ad iustitiam & mansuetudinem transtulerunt. Hinc Respub. domusque cœptæ, leges ac iudicia seuera Rempublicam Romanorum olim seruauerunt.

Cicero in Procemio Rhetoricæ artis.

Fuit quoddam tempus, cùm in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animique quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabât: Nondũ diuinæ religionis, non humani officij ratio colebatur, nemo legitimas viderat nuptias, non certos quisquam inspexerat liberos, non ius æquabile quid vtilitatis haberet, acceperat: ita propter errorem atque inscitiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosis satellitibus.

Ruditas hominũ primi æui.

Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire.

Cicero 2. de Legibus.

Legis virtus est persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.

Omnis lex est laudabilis.

Id quod huiusmodi argumentis docetur. Constat profectò ad salutem ciuium, ciuitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam, & beatam, conditas esse leges; eosq; qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illis ascriptis susceptisq; honestè beateque viuerent: quæque ita composita sancitaque essent, eas leges videlicet nominârunt. Ex quo intelligi par est, eos qui perniciosa & iniusta populis iussa descripserint, cùm contrafecerint, quàm polliciti professique sint, quiduis potiùs tulisse, quàm leges, vt perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim, & sententiam iusti, & iuris colendi.

Legum inuentores.

Qui primus inter mortales inuenerit, institueritque leges, non eadem omnium est opinio. Hebræi hunc Moysen fuisse volunt, Athenienses Cecropa, Argiui Phoroneum, à cuius nomine forum non minùs commodè acceptum reor, quàm ob eam rem ita nominatum, quod eò lites controuersique ferantur. Cretenses Minoa atq; Rhadamantum: Lacedæmonij Lycurgum, Aegyptij Mercurium Nili filiũ, cui Vulcanus successit in regnũ: Persę verò Zoroa-

Zoroaſtren:nam Latini,qui in legibus ferendis iuniores extiterunt, eò cæteris hominibus in hoc doctrinæ genere mirificè omnibus præſtiterunt. Quod autem ad Moyſen attinet, hunc alij legum latorem(vt Philo Iudęus eſt locupletiſsimus teſtis) alij ſacrarum legum interpretẽ prodiderunt:claruitq; eadem tempeſtate apud ſuos,qua Cecrops apud Athenienſes:Quos Cecropidas ab ipſius conditoris & legumlatoris nomine,appellatos eſſe cõſtat: & id quidem annis à mundi creatione tribus millibus ſexcentis quinquaginta. Et Phoroneus, qui Inæcho natus, regnauit Argis ſecundus annos circiter trecentos: Poſtea legibus Argiuos ac iudicij muniſſe: nam Rhadamantũ, ac ipſius fratrem, qui Ganimædem rapuit,Europo & Aſterio natos fuiſſe, longè his tribus poſteriores conſtat: Lycurgum verò,quas leges Lacedæmonijs tradidit,à Cretenſibus accepiſſe. At Zoroaſtres rex Bactrianorum, qui primus omnium magicam illuſionem reperit, quibus fuerit temporibus, ſatis ea ratione patet, quod aduerſus eũ Ninus rex Aſſyriorum dimicauit: & ne ſim narrando prolixior, neminem inter legum latores inuenio,quem modo antiquitate Mercurio comparem: Hũc alijs omnibus legumlatoribus quàm longiſsimè ſuperiorem reperio: idcirco Ioue Maiaq; natum poëtæ cecinêre, quod & mentis acumine viguerit,& prudẽtiſsimus fuerit,Mercurium enim auditorem fuiſſe aiunt eloquentiæ, quæ ex intellectu gignitur, & prudentiæ: eundemq; & paleſtræ,& lyræ, & præſtigiorum peritiam primum tradidiſſe.Sunt etiam qui hãc laudem legum ferendarum dent Aeaco Achillis auo, cuius filium Peleum cum argonautis aduerſus Cholcos nauigaſſe oſtendit Orpheus. Quàm plurimos prætereà legimus, qui Cererẽ omnium primam extitiſſe arbitrentur ferendę legis authorem, quod eo argumento refelli poteſt: quòd Cererem fuiſſe conſtat, annis ab initio mũdi tribus milibus ſeptingentis octoginta.Sed qui omnem illam ſuperiorem antiquitatem legalis ſapientiæ gloria ſuperarit, Solona fuiſſe contendunt, qui antiquitatis omnibus Draconis legibus, præter eas quas de cæde tuliſſet, ipſe leges Athenienſibus dedit, quas ob eam rationem axes nominauit: quoniam in lignis axibus ſcriptæ eſſent. Et floruit quidem Solon inter ſeptem Græciæ ſapientes Olympiade quadrageſima ſeptima, vel vt alij perhibent quinquageſima ſexta,Piſiſtrato Athenis regnãte. Huius autem vnius Philoſophi leges, adeò apud omne penè hominum genus illuſtres,atq; præclarę ſunt habitæ, vt ne Romanos quidem puduerit,poſt exactos reges, easq; leges omeis penitus ſublatas,quæ prius ab ipſo vſq; Romulo latæ fuerant,Athenas mittere legatos decem, qui inclytas leges Solonis peterent, quibus Romana Reſpub. fundaretur, his in decem eburneas tabulas perſcriptis, in vrbemque allatis,& pro roſtris ad apertiorẽ volentium perceptionem poſitis: Propterea duæ poſtea tabulæ Hermodoro Epheſio authore, in annum proximũ ex publica poteſtate adiectæ ſunt: quoniam ad tantæ ciuitatis imperium pluribus legibus eſſet opus, & ita leges 12. tabellarum appellatæ. Deinde ſecutũ eſt ius ciuile, legis actiones, ius Aelianũ, plebiſcita, quæ poſtea lege Hortenſia, pro legib⁹ habita obſeruataq; ſunt: Poſt hęc ius id additum eſt neceſſariò, quod ſenatus cõſultũ nominatur: deinceps adiecta oportunè ſunt Edicta prætorum,à quorum honore,ius eſt appellatum honorarium: Ad poſtremum autem, principe conſtituto acceptóue, illud eſt ius introductum,quod ab vnius principis voluntate manans,principale vocatum eſt.Quid enim ſingillatim memorem, aut de publicis, aut de priuatorũ legibus,quæ priuilegia dicuntur?Quid de conſularibus & Tribunitijs?quid de ſatyra? quid de iure militari? quid de iure quiritium? quid de cõſtitutionibus? quid de prudentium reſponſis? Nulla eſt prorſus,neq; legis,neq; æquitatis,neque iuris pars,quam Romani,aut legum latores, aut iureconſulti intactam, indiſcuſſamq; reliquerint: Non enim in tot Corrũcanis,Brutis,Scęuolis,Paulis,Labeonibus,Pomponijs,Trebatijs,Tullijs, atq; alijs propè infinitis, vnum aut Lycurgum, aut Solona inuenias: Quam enim gentem vnquam in vniuerſo terrarum orbe excelluiſſe meminerimus,quę cùm in omnis laude virtutis, tum maximè in ſplendore iuſtitiæ cum Romanorum imperio comparari queat? Hæc autem non natura ſed diſciplina primum acquiritur,& ea quidem diſciplina, quam nobis legum & iuris ciuilis ſcientia ſubminiſtrat. Hæc ſanè ea eſt iuſticia,quam, ait Euripides, Heſparo atque Lucifero magis eſſe mirabilem: hæc, inquam,vna virtus ita cunctis ſolus virtutibus antecellat,vt qui eam adeptus ſit, ſolus bonitatis cognomentum adeptus exiſtimetur.

Cœlius lib.10.

Lex non eſt vera, aut legitima, quæ inauſpicata,improſpera,impiaq; vel percipit,vel quod paulò minus eſt,fert.Eſt autem lex,Pindari ſententia,Deorum atq; hominis regina: Item legis finis eſt iuſtitia. Lex, principis opus: principis Dei vniuerſa exornantis ſpirans imago:vbicũque ergo principum inſtitutiones, aut ciuitatũ verę non ſunt,id eſt, ad optimum ratione certa non dirigant, legis haudquaquam videri nuncupatione,ſacróue dignas titulo: quinimò,Decreta dici verius,edictáue, ac iuſtitia: Lex enim vera,bona eſt,lex ęterna,itẽ & mutationis prorſum neſcia,immò eadem vbique,ſi modo vera: nam quę ingeniorum afflatu ſubinde locis,temporibuſq;

poribusq; interpolata distinguitur, & Prothei modo formam euariat, neutiquam lex dicenda est.

Plutarchus inquit, in ciuitatibus alia ad honestatem pertinent, quædam & ad necessitatẽ: honestorum verò omnium illud multo maximum est εὐνομία, id est, legũ bonitas: necessariorum autem εὐπορία, id est, rerum affluentia.

Qui Locris leges constituit Zaleucus, cùm sanxisset ne quis armis obseptus senatum ingrederetur: posteaquam vrgẽte bello armatus senatum adijt, succlamauit quidam: legem soluit Zaleucus, at is conuersus non soluturum quidẽ, sed corroboraturũ pronunciauit, moxque cum gladio ipsum se tradens vitam abrupit, quæ transgredienti sanciebatur pœna.

Simile.

Vt corpora nostra sine mente non esse possunt, sic ciuitates sine legibus consistere nequeunt: ergo leges sunt ciuitatis fundamentũ.

Valerius lib.1. cap.3. de simulata Religione.

Minos Cretensium Rex nono quoque anno in quoddam præaltum, & vetusta religione sacratum specus secedere solebat, & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat. Plutarchus in Minoe, Diod. lib.2. de legum latoribus, Halicarnasseus de legib. Romuli lib.2. Antiquitatum.

De Lycurgo Lacedæmoniorum legislatore cap.3. lib.1. Valerij.

Lycurgus consilio Apollinis grauissimæ Lacedæmoniorum ciuitati leges compositas ferre se persuasit.

Erasmus lib.1. Apopht.

Archidamus Zeuxidami filius cuidam rogãti quinam essent Spartanæ ciuitatis pręfecti: Leges, inquit, ac legitimi magistratus. Grauiter censuit, in Repub. bene instituta, supremã autoritatem esse legib. defendendam, nec vlli magistratui fas esse, quicquam contra leges publicas tentare.

Idem Erasmus lib.1. Apoph.

Legum auctoritas. Pausanias Plistonactis filius cuidam roganti, quam ob rem apud Spartanos nephas esset vllã priscarum nouare legum: Quoniam, inquit, legibus conuenit autoritas in homines, non hominibus in leges.

Eodem libro.

Chilo Lacedæmonius monuit obtemperandum legibus. Hoc autẽ ad principes præcipuè pertinet, qui se credunt non teneri legibus. Nec aliunde magis florent Respub. quam si legum vigeat auctoritas. Nec ibi tyrannis oriri potest, vbi ex arbitrio priscarum legum geruntur omnia.

Diodorus lib.6.

Non videntur omittenda huius Deę erga homines beneficia: Nam præter ab ea repertum frumentum, leges ædidit, quibus iustè pieque homines viuere assuescerent, ex quo & legiferã dixerunt. Quibus inuentis, haud facile quis maiora reperire posset: Quum in ijs sita sit, non viuendi tantùm, sed benè honesteq; viuendi institutio. De legum institutoribus apud Aegyptios multa Diodorus lib.2. de fabulis antiquorum gestis.

Idem lib.2. in fine.

Optimæ leges sunt habendæ illæ, quibus nõ diuites, sed honesti prudentesque fiunt homines.

De legibus à Lycurgo & Solone traditis, Plutarchus multa in eorum vitis.

Plutarchus in Solone 26.

Leges Aranearum telis cõparabat Anacharsis: ijs enim imbecilles detineri, fortes perrumpi. Quid sit lex, Alexander lib.6. cap.23.

Isidorus lib.2. Ethymologiarum.

Factę sunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis reformidato supplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas. Cur factæ leges.

Ibidem.

Erit autem lex honesta, iusta, possibilis secũdum naturam, & secundum cõsuetudinem patriæ, loco temporiq; conueniens, necessaria & vtilis, manifestaque, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. Ideò in illa constitutione, ista cõsideranda sunt, quia cùm leges institutæ fuerint, non erit liberũ iudicare de ipsis, sed oportebit iudicare secundum ipsas.

Idem lib.3. Ethymolog.

Omnis lex permittit aliquid: vt vir fortis petat præmium: aut vetat, vt sacrarum virginũ nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt qui cædem fecerit, capite plectatur. Eius enim præmio, aut pœna, tota humana vita continetur & regitur. Legis pręmio & pœna tota humana vita continetur.

Idem lib.1. Ethymologiarum, dict.1. in princ. decreti.

Omnes leges, diuinæ sunt, aut humanæ: Diuinæ, natura humanis moribus constant. Ideoque hæ discrepant, quoniam aliæ gentibus, alię alijs placent. Fas lex diuina est. Ius lex humana: transire per agrum alienum, fas est, ius non est. Fas Ius.

Valerius libro septimo, titulo. De sapienter dictis aut factis.

Quàm porro subtiliter Anacharsis leges Araneorum telis comparabat: Nam vt illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere: ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotentes non alligari aiebat. Leges aranearũ telis similes.

Laërtius de moribus & uita Philosophorum.

Interrogatus Solon, quid est Rex? Respondit, fortis potestas: Quid lex? Araneæ tela: Quia si in eã inciderit quid debile, retinetur: graue autem pertransit, tela recissa.

Lex, Araneæ tela.

Præmijs & pœnis continentur Respub. omnes.

Solon dicere solebat, his duobus scilicet premio & pœna, omnem Rempub. contineri.

Plato, Aristoteles, & omnes alij rerum publicarum constitutores admonent: Nihil optimas prodesse leges, nisi ab ineunte ætate, ciues bonis moribus instituantur.

Salomonius lib. 1. ff. De iusti. & iure.

Aristoteles lib. 6. Politicorum.

Non facile est permanere ciuitatem, non legibus & consuetudinibus compositam.

Menander comicus.

ἰσχυρὸν ὁ νόμος ἐστιν, ἢν ἄρχοντα ἔχῃ: id est.
Validum, quid lex est, si regentem habeat.
Νόμῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται. id est.
Lege omnia fiunt & iudicantur.
Νόμοις ἕπεσθαι ἐγχώροις καλόν, id est.
Leges regionis sequi pulchrum est.
Βίας παρούσης οὐδὲν ἰσχύει νόμος. id est.
Vi præsente nihil potest lex.
Ῥήτωρ πονηρὸς τοὺς νόμους λυμαίνεται. id est.
Malignus Rhetor corrumpit leges optimas.
Princeps modò adsit, nihil est lege firmius:
Disponit lex, & ritè cuncta iudicat,
Alias sequi leges, locis alijs decet.
Multum ualet lex, adsit ni uiolentia.

Alia loca, alias sibi leges vẽdicãt.

Leges ab eloquentia tanquàm à fonte manant.

Vbi orationis facta nobis potestas est, qua alius alium persuadere possemus, interque nos vicissim certò iudicare datum esset, quæ vellemus: à Brutorum viuendi ratione destitimus, & vnà congregati, ordineq; collecti, vrbes incoluimus, leges tulimus, artes reperimus, fereq; omnium, quę humano artificio constant, nobis fons atq; origo sermo extitit. Siquidem is & de iustis & iniustis, turpibus & honestis sanciuit leges: Quæ nisi sancitæ, rectæque fuissent, fieri non poterat, vt familiari conuersatione internos duceremus vitam.

Sermo omniũ rerum autor.

Quales leges esse debeant.

Leges quęre prorsum iustas, & conducentes, sibique ipsis conuenientes: præterea quæ dubitationes quam minimas, earumque dissolutiones, quàm fieri potest, celerrimas Reipub. faciant. Nam hæc omnino legibus benè constitutis adesse conuenit: Quæstum illis vtilem constitue: Negotiationes verò noxias prohibe, vt ne legibus negotiatione abutantur Rabulæ, neue deprauent: At æquam verò illarum mentem, acriter animum intendant.

Legum pietatis fructus.

Quicunq; res diuinas ita adornarunt, vt sollicitudo, acriusq; supplicium appareat imminere peccantibus, illi plurimũ humanæ vitæ prosunt: etenim timorem primum nobis efficientes, in causa sunt, quo minus bestiarum instar, alius erga aliũ sese habeat. Illi ergo tam sanctè, tamque maturè in his se gerunt, vt & iuramenta per sua sacra firmiora sint, quàm quæ sunt apud alios, vtq; commissorum suorum quilibet protinus dare pœnam iudicetur, neque presens fallendo tempus, neque in pueros differendo supplicium, quæ illi non iniuria magnifaciunt: siquidem non parum multas, imò nullius non generis exercitationes diuinitatis Busiris erexit, qualis & animalium apud nos contemptorum est, quæ colere, venerariq; lege statuit, nihil illorum vim ignorans. Enimuerò putans operæpretium, vulgus cunctis assuescere magistratuum edictis, atque in ijsdem permanere, ac iuxtà manifestis experiri cupiens, quid sententiæ de non conspicuis haberẽt: putat enim qui huiusmodi floccipenderent, fortè & his maiora despecturos: Atqui in omnium æquè ordinatione persisterent, suæ religionis obstinationẽ & stabilitatem commonstrare.

Imm… Respu… consti… præmi… bonor… ac pœ… malo…

IN BVSIRIDAE ORATIONE SEXta, ex uersione Lonceri.

Multæ leges iudicia sunt malæ administratæ ciuitatis.

Qui meliores apud eos fieri homines existimarent, apud quos leges essent repositæ, plurimum falli iudicabant: nihil enim prohibere, quo minus omnes sint græci æquales, quod facilè sit alios ab alijs literas accipere, legem continẽtes: Sed ex huiusmodi nulla fit accessio virtuti, verum è quotidianis exercitijs: plerosque enim illis moribus æquales reddi, quibus pro se quisque instituti fuerint. Multas enim exquisitas leges, argumentũ esse, malæ administratæ ciuitatis. Quod qui oppilationes peccatis faciunt, multas fieri leges cogant. Operæpretium autem est, eos qui benè Reipub. præesse studẽt, non implere porticus literis, sed animo iusticiã possidere: non enim decretis, sed moribus cõmodùm gubernari ciuitates. Malè educatos quidem exquisitè scriptas etiam violare leges, ausuros. Liberaliter verò institutos, honestate permansuros.

Idem Areopagitico. … decima … Ex lege … datis … pro la… … cessio virtut… Legi… nulla… ne hon… stis moribus

Ex oratione. 8. Panegyrico.

Cæterùm is tutissimas obtinuisse diuitias atq; pulcherrimas iudicabatur, qui huiusmodi perficeret, ex quibus virtutes eius cõspicerentur, cunctisque maximam gloriam relicturus esset, neq; temere mutua flagrabant æmulatione, neque audacia contra sese perpetrabant. Enimuerò grauius putabant esse, malè apud ciues suos audire, quàm honestè pro patria mori:

mori: maiore quoque ob publica crimina rubore suffundebantur, quàm ob priuata nunc sua vitia: cuius rei causa est, quod leges obseruabant, vt exquisitè, pulchreq; tenerentur, non adeo eas, quæ de suo quæstu, quàm eas, quæ de singularum dierum actionibus sancitæ fuerũt: norant enim honestis & bonis ciuibus nihil opus esse, multis legum tabulis: Paucis enim constitutionibus, tam de publicis, quàm priuatis, facilè eos ad vnanimitatem & pacem perductũ iri.

Stephanus Niger, in expositione Carminum Pythagoræ.

Neq; enim maiorum leges contemnendæ, quarũ latores vsq; adeo sancti, ac pij inter mortales habiti, vt commercium cum dijs immortalibus habuisse crediti sint, eorumq́; nonnulli Deorum nomen, ac cultũ viuendo quoq; sibi comparauerint. Nam apud Aegiptios Minos suarum legum Mercurium autorem finxit, Minos apud Cretenses Iouem, Lycurgus apud Lacedæmonios Apollinem, Zamolxis apud Getas Vestam, Moyses apud Iudæos Biaum Deum: Darius Xerxis pater sextus apud Aegiptios legum lator, Deus appellatus est, Numa Pompilius Rhomanorum Rex, secundus à Dea Aegeria, vel vt alij volunt, ab vna ex musis leges accepisse dicitur. Quod si tantùm & legibus, & legum latoribus à veteribus illis tributum est, nonne & nos maiorum nostrorum vestigia sequentes, eas & obseruare & venerari debemus, illisque semper parere? Nam ad mortalium emolumentum, conditæ ac perlatæ sunt, nullaq́ue est lex, quę Plutarcho affirmante, ad humanę vitę non spectet vtilitatem: Ait enim Νόμος βούλεται μὲν εὐεργετεῖν βίον ἀνθρώπων, οὐ δύναται δ' ὅταν βύτοι ἀρούλωνται πάσχειν: ἐν τοῖς γὰρ πειθομένοις ἐνδείκνυται τὴν ἰδίαν ἀρετὴν, id est: Volunt quidem leges vitæ prodesse hominum, nõ possunt autem, cùm ipsæ pati concupiscunt: in ijs enim, qui libenter parent, suam indicant virtutem.

Legibus parendum est.

Est igitur legibus parendum, Dijq́ue legitimi colendi, vt bonam nominis coronam, Euripide iubente, consequamur: Ait enim. Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ ἃς χρή σ' ἀσκεῖν τέκνον, θεούς τε τιμᾶν, τούς τ' ἐτρέφαντας γονεῖς, νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος. καὶ ταῦτα δρῶν κάλισον ἕξεις σέφανον εὐκλείας ἀεί. id est: Tres sunt virtutes, quas te fili meditari oportet: Deos colere, & qui te genuerunt parentes, legesq́; Græciæ communes. Quod si hæc feceris, pulcherrimam gloriæ coronam consequeris semper.

Dij & parentes colendi.

Leges cõmunes cõseruandæ.

Seneca in epistola 95.

Leges, inquit, vt faciamus quod oportet, non efficiunt. Et quid aliud sunt, quàm nimis mixta precepta? Primum omnium ob hoc illæ non persuadent, quia minantur: at hæc cogunt, sed non exorant: Deinde leges à scelere deterrent, præcepta in officium adhortantur: his adijce, quod leges quoque proficiunt ad bonos mores vtiq;, si non tantùm imperant, sed docẽt: in hac re dissentio à Posidonio, pro eo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt. Legem enim breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur: velut emissa diuinitus vox sit, iubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum Prologomene, dic quid me velis fecisse, non disco, sed pareo. Proficiunt itaq; malis moribus, vt videbis, ciuitates vsæ malis legibus, at non apud omnes proficiunt, ne Philosophia quidem, nec ideo inutilis, & formandis animis inefficax.

Leges quid.

Leges ad bonos mores ꝓficiũt.

Lex debet esse breuis.

Leges nõ reijciẽdę etiam si nil in nobis efficiunt.

Seneca de legum latoribus, epistola 91.

Legem statuens legi se subijcere debet, & ad hoc exhortatur Ausonius: Pareto legi, quisquis legem sanxeris.

Lucanus libro 3.

Pereunt discrimine nullo amissæ leges.

Plautus in Cistellaria.

Quem hominem inueniemus ad eam rem vtilem? Epidicus hic erit optimus: Hic poterit cauere rectè iura, qui & leges tenet.

Egregia sentẽtia.

CVR LEGES DATAE SINT.

Ouidius, 3 Fastorum.

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset,
Cœptaq́; sunt purè tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisq́; potentius æquum est.
Et cum ciue pudet conseruisse manus.

Leges moribus succumbunt.

Nunc mores nihil faciunt quod licet, nisi quod lubet. Ambitio nunc ex more sancta est, libera est legibus, mores leges perduxerunt iá in potestatem suam, Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clauis ferreis, vbi malos mores affigi fuerat æquius.

Leges uanæ, si non obseruentur.

Horatius lib. 3. Oda 24.

Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? si neq; feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, Nec Boreæ finitimum latus,
Durataq́; solo niues,
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora nauitæ.

Terentius in Phormione.

Mihi non uidetur, quod sit factum legibus
Rescindi posse, & turpe inceptum est.

Ouidius in 9. Metamorphoseos.

Iura senes norint, & quid liceatq́;, nefasq́;
Fasq́; sit inquirant, legumq́; examina seruent,

Quid liceat nescimus adhuc, & cuncta licere
Credimus.

Idem 10 Metamorph.

Vitijs, quæ plurima menti
Feminea natura dedit, humana malignas
Cura dedit leges: & quod natura remittit,
Inuida iura negant.

Lactantius 4. lib. Institutio. Diuinarum.

Quicunque dat præcepta hominibus, ad vitam moresq; fingit: aliorum siquidē bona sunt quæ præcepit: at ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum: ne si aliter ille vixerit, præceptis suis fidem detrahat, leuioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nitatur astringere. Cùm igitur quis non faciat, quæ præcepit, quæ insolentia est, vt homini libero imponere velit leges, quibus ipse non pareat? Homines enim malunt exempla, quàm verba: Quia loqui facile est, præstare difficile.

Exēpla plus mouent quàm doctrina.

Idem lib. 6.

Suscipienda lex Dei est, quæ nos ad hoc iter summumque bonum dirigat, illa scilicet lex sancta, illa cælestis, quam M. Tullius in lib. de Repub. 3. penè diuina voce depinxit in hęc verba: Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omneis, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubēdo, vetando à fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando monet. Huic legi nec propagari fas est, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari potest, nec verò aut per senatum, aut per populum solui hac lege possumus: nec est quęrendus explanator, aut interpres alius, nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post hac, sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit, vnusq; erit cōmunis quasi magister, & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernetur: hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, aufugerit.

Cicero 3. de Repub. Egregia definitio legis.

LEX VTILITATI CAEDIT.

Valerius Maximus lib. 3. cap. 9.

Omnia in legibus sunt posita.

Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine legibus, suis partibus, vt neruis ac sanguine, & membris vti non potest.

Vt corpora sine sanguine, sic ciuitas sine legibus.

Leges Solonis & Lycurgi enumerat Laërtius, in eorum vitis. Solon interrogatus, qualiter ciuitas benè regi posset, respondit, si princeps & maiores secundum leges vixerint.

Campanus in oratione studij.

Leges primum explicabimus, rem mehercule pro ipsius magnitudine atque excellentia vberiore dicendi fonte exhauriendam: neque me latet plurimos in Trismegistum atque in Phoroneum regem legum ciuilium inuentionem, initiaq; referre: Sed tamen compertum est, illarum originem Dijs potius immortalibus cōsecratum, Cereremq; primas leges dedisse hominibus, eamq; ob rem legiferam à poëtis, ac doctissimis ac sapientissimis viris appellatam. Digna sanè res, quæ diuinitati adscriberetur: quippe quæ Dea fruges nobis, alimentaq; dedisset, leges quoque dare voluit, sine quibus aut constare, aut saltem honestè constare non possemus, vt vitam corpusque nō solum sustentaremus cibo, sed legum etiam defensione tueremur. Atheniensibus autem Solon, qui & ipse vnus ex septem sapientibus habebatur, nouas deinde leges instituit: primam, vt qui parentes suos non alerent, patrimoniúmue dissiparent, illi perpetuo obscuri atq; ignobiles haberētur. Alteram, qui otium sectarentur, & inertiæ dediti essent, atque desidiæ, eos iure ab omnibus, tanquam nocentissimos accusari posse. De præmijs eorū qui in olympia atq; Istmia vicissent, tertiā promulgauit: & qui in prelio mortui pro patria cecidissent, eorum filios publicè nutriendos, erudiendosq; præcepit: Item curatorē vnà cum matre pupillorū nequaquàm habitare: eū praeterea curatorem esse non posse, ad quem esset hæreditas pupillorum morte peruentura. Cæterum annularium eius annuli, quem vendidisset, sigillum apud se non retinere. Quæ abs te aliquo in loco posita non essent, ea inde tollere non ausis. Postremo statuit, ebrium & temulentum principem non pecunijs esse mulctandū, sed durissima atque ignominiosissima morte puniendum.

Lycurgus Lacedæmoniorum legis lator.

Lycurgus quoque suis Lacedæmonijs leges condidit, quarum prima populū ad obsequiū principum, atque optimatum: principes atque optimates ad iusticiam hortabatur: altera temperantiam omnibus in rebus suadebat, & parsimoniam auri atque argenti penitus submouebat, vt nihil à quoquam emeretur, sed inter sese communicarent omnia: Quod etiam per belli Troiani tempora fieri solitum scribit Homerus: Item iuuenibus non amplius vna veste, toto anni tempore permittendum: Pueros inopes atque egenos non in vrbe fouendos esse, sed in agros ad vsum rei rusticæ deducendos, vt ab ineunte ætate laboribus assuefacti, paratiores ad paupertatē atq; inopiam tolerandam per reliquū tempus efficerent: Virgines nō dote maritandas, vt non ducerentur pecunijs, sed

sed virtutis gratia expeterentur: Postremò statuit maximum quenq; honorem, non diuitijs, aut potentiæ, sed soli ætati esse tribuendum, atque alia multa, quæ nos prætereunda consultò duximus.

Initium verò legum Romanorum, atq; originem vobis multò, quàm mihi notiorem esse non ambigo: pulsis videlicet Tarquinijs superiorum Regum leges abrogatas omneis, nouas deinde promulgatas, latam legem manumissionis, Vindicium Bruti seruum, quod coniurationem patefecisset, primum, apud Romanos fuisse manumissum, & etiam ciuitate donatum, ab eoq; pretoriam vindictam appellatã; missos deinde Appium Claudiũ, atq; alios, ad leges ab Atheniensibus capiendas: quo in loco Accursium vestrum valde equidem demiror, optimũ virum illum quidem, sed in inquirendis rerum antiquarum historijs perparum, vt mihi videtur, exercitatum, qui cùm iuris Romani originem interpretatur, rem affert veritati, atq; historiæ minimè consentaneam, stultum quendã (nescio quid de nostra religione blaterantem) dignos fecisse Romanos legibus, quum planè constet, multis antè Christianam religionem seculis, Romanos leges ab Atheniensibus transtulisse, eas deinde duabus superadditis, leges duodecim tabularum appellatas, pro rostris ante oculos omnium in foro, atque in curia posuêre. Pontifices deinde maximos, legum & custodes, &, si opus esset, interpretes statuerunt. Hinc scientia ciuilis, hinc iura Romana, & sanctissimę leges emanarunt: hinc Scęuola, Manilius, Labeo, Papinianus, Pompeius, Sextus, Lelius, atq; alij sapientissimi viri, iuris ac legum instituta condiderunt: Nam ius quidem Pontificium à Numa Pompilio Romanorum rege, sanctissimo atq; optimo viro processit: nisi altius repetentes, Tagetem illum in Hetruria extra natũ, autorẽ Pontificij censeamus. Quod ad nostrum adtinet, nemo est vestrum, qui eius originem ignoret, atque processum: Sed ego satis demirari non possum, qui diuina humanaq; confundentes, vt leges dicant in sapientum inuẽtione nequaq̃ esse reponẽdas, sed ab imperatoribus & pontificibus non ratione consttutas aliqua, sed solo imperio, voluntateq; cõfictas, facile ad nutum regum ac principum permutari posse. O capita ridicula, & ceruices illepidas: nam vt Pythagoram pręteream, à quo Metapontini leges accepere, vt Eudoxum, Protagoram, Aristotelemq; pręteream, Quorum primus Guindes dedit leges, alius Turijs cõdidit, tertius suis Stagiritibus promulgauit, vt denique exteros prætereamus, quis hoc præterire possit, magnos illos & diuinos homines, quos, vehementer admirata Gręcia, septẽ sapiẽtes appellârunt, omnes, Plutarcho teste, legum conditores fuisse? Qui obsecro leges condiderunt, nonne Philosophi? at quales Philosophi? ij, qui soli appellabantur sapientes, qui Deorum immortalium oraculis sapientissimi iudicabãtur, atque optimi, qui per populos & ciuitates tanquàm Dij alteri colebantur. Quis prætera leges ac iura permutauit? An si medicamentum veneno inficiatur, mutatam non peruersam dicemus medicinam? enimuerò peruerti possunt leges, permutari non possunt: Totæ sunt in æquitate & moderatione, totæ in prudentia, totæ denique in Philosophia, & in prudentissima sapientia constitutæ, totæ ad genus humanum regendum, gubernandum, defendendum excogitatæ, totæ ad vitam benè beateq; agendam inuentę. Possunt imperatores leges peruertere, sed suum vnà cùm legibus imperium peruertetur. quamobrem? Quia nullum imperium, nulla Resp. sine legibus potest esse diuturna: Arma enim imperia parant, leges parta conseruant: sicut sine armis regna acquiri non possunt, ita nequiuerũt eadem sine legibus custodiri. Quæ porro vita iucunda? quæ honestæ ac securæ rationes sine legibus? vtilissimum est ad merces transportandas nauigare maria, id leges præstant, quę piratas durissimis vndique supplicijs persequuntur. Optimum est & necessarium, commeatus, profectiones, itineraq; conficere: Id leges efficiunt, quæ latrones arcent, & grassatores, & insidiarum pericula longè lateque repellunt. Iucundissimum est liberè in ciuitate versari, leges obtinent summam libertatem: neque enim sublata libertate leges, neque rursus sublatis legibus potest esse libertas. Nullis vim, nullis iniuriam, nullis impetum fieri patiũtur: vnumquemque in suo gradu, suaque dignitate tuentur. Sunt enim leges muri & fundamenta ciuitatum, in quibus bonos quàm diutissimè detinent, malos arcent, & ijs appropinquare non sinunt: in his salus bonorũ, in his consilia ciuitatis, in his pacis præsidia cõtinentur. Nihil boni, tuti, honesti esse posset, si iura contemnerẽtur & leges. Quod stamus, ac incedimꝰ, quod dormimus, quod deniq; securè vitam agimus, id totum est iuris ac legum defensioni tribuendum: Quæ nisi flagrantissimas hominum libidines, atque auaritiam cohiberent, non mulieres pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus: virgines è parentum amplexibus eriperentur, per vias, per vicos, per plateas homines percuterentur, exspoliarentur, crudelissimè interficerentur, furum, latronum, siccariorum, parricidarum plena essent omnia: Bonis viris aut nullus esset locus in ciuitate, aut turpissimis semper afficerentur iniurijs. Leges sunt, quę nos à tantis periculis, tãtaq; atrocitate ignominiaque tuentur, & quæ in summo nos otio, atq; in summa tranquillitate custodiunt,

Vindiciꝰ Bruti seruus.

Appius Claudius ad Atheniẽses missus.

Septem sapiẽtes leges cõdiderũt.

Leges peruerti non auten permutari possunt.

Leges totæ sunt in æquitate.

Leges sunt muri & fundaméta ciuitatũ.

Leges à periculis nos custodiũt.

fortunas vnicuique suas conseruant, honorem conseruant, dignitatem conseruant, vitam corpusq; animamq; conseruant. Quid prẹterea cẽsemus aliud esse Philosophum, nisi virtutem, ac vitia diligenti ratione discutere norit. Id præcipuè legum est opus, quæ virtutem non quærunt solùm, sed exornant præmijs: Non solùm castigant vitia, sed vlciscuntur supplicijs.

Tyrius Philosophus de vita acti ua.

At si quę est alia Philosophia, quod equidẽ esse non arbitror, illa hortatur ad virtutem, leges impellit, illa vitia monet esse fugienda, leges detestantur & fugant. O igitur vitę custodes leges, vel verissimam Philosophiam, vel omni Philosophico iure optimo anteponẽdas.

Leges vitæ custodes.

Quantam præterea vtilitatem afferat scientia ciuilis, quantum honorem, gloriam, authoritatem? diuitias accumulat ingentes, vndiq; ad iureconsultos confluũt pecunię, domos ędificant marmoreas, hortos, ac porticus dealbant, ianuas, fenestras, trabes, laquearia, totaque tecta deaurant: vt ignem aqua, sic omnem paupertatẽ extingunt Leges, viam faciunt ac aperiunt ad summas dignitates, neminem inopem, atque egenum esse patiuntur. Quid dicam honores amplissimos? Solæ sunt, quæ dignitates maximas consequuntur, solę, quibus ciuitatũ committantur gubernacula, solæ quæ apud Reges, Pontifices, Imperatores in altissimo rerum, dignitatumq; vastigio collocantur: His officia parantur & magistratus, his contentiones & lites, causæq; delegantur, his & rerum iura permittuntur & hominum: Solis enim, qui ciuilẽ scientiam sunt adepti, potestas & in hominum capita animaduertendi: Soli tanquã Dij errores flagiciaq; corripientes, rebus consulunt humanis, ad vitam dirigunt, hortãtur ad virtutes, ad iusticiam impellunt & cogunt.

Domus iuriscõsulti oraculum totius ciuitatis.

Est enim, vt apud Ciceronem ait Crassus, domus iurisconsulti totius oraculum ciuitatis: ab illo tanquam ab Appolline responsa, vitæq; consilia postulãtur: illi aurea munera, tanquam Delphico Apollini deferuntur: illius ianuam frequens semper turba frequentat: & qui dubij atq; incerti ad eum accedunt, acceptis tanquã à Deo respõsis, firmi atq; certissimi reuertuntur.

Iureconsulti sacerdotes & pontifices dicti.

Quas ob res iureconsulti, & sacerdotes, & pontifices appellati, & humanarum diuinarumq; rerum interpretes, duces vitæ, diuitiarum dignitatumq; possessores, Deorum immortaliũ vicem in terris agere iudicantur.

Sabellicus.

Legislatores ad Deos relati.

Legislatorum mores referendi ad Deos, autores legum suarum.76.

Leges per Moysen populo datæ.24.

Leges complures centum septuaginta duæ.

Leges à Romulo latæ.84.

Legum Lycurgi capita.66.

Leges Draconis, & earum capita.103.

Legum Romanarum origo. Ibidem.

Legum vetustas.335.

Leges Lycurgi sublatæ.373.

Leges, res surda & inexorabilis. Liuius lib.2. ab vrbe condita.

Hermolaus Barbarus, lib.12. epistolarum ad Georgium Merulam. Est autem ea inter epistolas Marsilij Ficini.

Ex hoc fonte persuasio illa exitialis & monstrosa manauit, Philosophos, iureconsultosq; nõ posse eosdem esse & eloquentes. Quam sententiam, quia multis locis tum fando coràm, tum scribendo taxauimus, non dubito, quin odia & offensionem multorũ incurrerim, aut, quod tibi frequens prouerbiũ est, irritauerim crabrones.

Angelus Politianus in Panepistemon.

Ciuilis res triplex, regnum, optimates, Respublica. Cuius excessus totidem, tyrannis, oligarchia, democratia: Diuiditur à Platone trifariam, quemadmodũ & etiam, nam ratione congruere Philosohos, iræ milites, cupiditatis voluit artifices. E philosophis principes, magistratus, sacerdotes, senatores, iudices leguntur, qui leges vel ferant, vel exerceant: Itaque locus hic est, in quo ius ciuile, non quidem in titulos, quod longum foret nimis, sed in summa genera partiamur. Ius igitur ciuile Romanorum, tametsi voluminibus quoque alijs continetur, tamen pandectis ipsis in suas partes distributis, vtpote omnia genera complectentibus, plena digestio resultabat. Septem igitur in ijs articuli sunt, quorum primus ea continet, quæ græcè τὰ πρῶτα vocantur: secundus, iudicia: tertius, res: quartus, hypothecas: quintus, testamenta: quæq; testamentis accedunt: in sexto tituli cõtinentur bonorum possessionis varij, neque non operis noui nunciationes, damniq; infecti, & pro ædificijs dirutis, & eorum insidijs, & de aqua pluuiæ arcenda, de publicanis, donationibus, manumissionibus, liberaliq; causa: tum de dominij & possessionis acquisitione, deque ijs, qui iudicati, vel in iure confessi sunt, de bonorum detentionibus, & ne quid in fraudem creditoris fiat, interdicta, exceptiones, temporum prolixitates, & actiones: vltimus, stipulationes, fide iussiones, acceptationes, & titulos illos ad municipales, de decurionibus & muneribus, de publicis operibus, nundinis, pollicitationibus, cognitionibus, censibus, verborum significatione, iurisq; regulis.

Pontificium ius, quasi succentiuum ciuilis est, & ad eius exemplũ, quatenus ratio patitur, diuidendum.

De laudibus legũ vide Philippum nostrũ, & Alciatum, in oratione, quàm habuit apud Bituriges, in studio ciuilis initio: Cornelium Agrippam de vanitate scientiarum: Ludouicum Viuem

Viuem de causis corruptarum artium: Budæũ in annotationibus in pandectas.

Donactis sententia fuit, leges omnes inutiles & superuacuas esse, vt quę nec bonis, nec malis rogentur, quum illi non egeant legibus, hi verò per easdem nihilo fiant meliores. Cato apud Liuium fatetur, vix vllam legem fieri posse, quæ omnibus commoda sit, & ex qua non sæpissimè contingat, æquitatem cum rigore iuris pugnare.

Plato in epist. ad familiares Dionis.

Accipite, ô Syracusani, primũ eas leges, quæ vobis cudebuntur non ad quæstum & diuitias, conuersuræ animos vestros cum nimia cupiditate: Sed quæ inter hæc tria, animum dico, corpus & pecuniam, animæ virtutem preciosissimam efficiant: Secundum verò corporis, animæ virtute inferiorem: Tertium verò & postremum pecuniæ studium, quod corpori simul & animæ inseruiat: Hæc quidem efficiens constitutio, lex nobis erit optimè condita, vtentes re vera felices reddens. Sermo autem qui diuites nominat felices, & ipse miser est, à mulieribus ac pueris profectus, & credentes ei homines, miseros secum facit.

De Persarum legibus, & de Laconum Republica, vide lib. 1. Xenophontis de Cyri Pædia, quam transtulit in latinam linguam è Græca Franciscus Philelphus.

Ibidem hæc.

Et Pædia Cyri hęc desum pta sunt

A Lycurgo multa sunt pulchra inuenta, quibus inducebat ciues, vt libentius latis legibus parerent. Hoc tamen longè pulcherrimum, quod non ante multitudini leges exhibere solebat, quàm cum præstantissimis viris Delphos petens Deum rogasset: An esset futurum còducibilius & melius Spartæ vti legibus, quas ipse tulerit, obedirent. Cùm autem respondisset Deus: id prorsus melius forè, tum demum leges suas proposuit, non modo iniquum, verum & impium statuens, si quis legibus Pythio roboratis oraculo minus paruisset.

Cherundas Catanæus in procemio.

Τὼς βȣλευμένως καὶ πράττοντας ἐκ, ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρή. Τὸ γὰρ ἄριστον (ὥσπερ ἁ παροιμία, φατὶ) τὸν θεὸν ἦμεν αἴτιον πάντων τούτων: ἔκ δὲ φαύλων πράξεων ἀπέχεσθαι, καὶ μάλιστα διὰ τὰν πρὸς τὸν θεὸν ξυμβȣλίαν: ὀυδενὸς γὰρ ἀδίκȣ θεὸν κοινωνεῖν. βοηθεῖν ἕκαστος ἑαυτῷ, καὶ ποτικελέυεσθαι κατ᾽ ἀξίαν τῶν δικαίων μεταλαμβάνεν καὶ πράσσεν: τὸ γὰρ ὑπὲρ μικρῶν καὶ μεγάλων ὁμοίως διατείνεσθαι ἄγαν μικροπρεπὲς δοκεῖ ἦμεν καὶ ἀνελέυθερον. διὸ φροντίζειν τῷ μὴ σφοδρᾶ ἐς τὰ μάλιστα καὶ τὰ μεγάλα ἐμπίπτειν, ἀλλὰ κατ᾽ ἀξίαν τὰν ἑαυτῷ καὶ δυναμίαν μετρέοντα ἑκάστῳ πρᾶγμα ἐπιβάλλεν, ὅπως τίμιος ἦς καὶ σεμνός. id est.

Consultantes agentesque aliquid à dijs auspicari debent: Optimum enim est (vt parœmia fert) Deum causam esse & authorem illorum omnium: Præterea à malis facinoribus abstinendum est, idque maximè propter concordiam cum DEO: Cum nullo enim iniusto Deus commertium habet. Adiuuet autem vnusquisque seipsum, & incitet ad iusta, secundum dignitatem capescenda, agendaque. Nam in paruis & magnis æqualem conatum & contentionem adhibere, nimis humile & illiberale videtur esse. Quare curandum, ne nimis negligenter ad res magnas & grauissimas feramur: Sed pro dignitate tua, & viribus singula perpendere aggrediq; debes, vt honorificus & grauis permaneas.

Plato in dialogo 9. de legibus.

Legum: aliæ ad bonorum hominum doctrinam ponuntur, vt per eas intelligant, quo pacto inter se amicè versentur: aliæ ad compescendam illorum pertinaciam, qui indomiti natura sunt, spretaque omni disciplina, nulla ratione mouentur, quum in omnem ruant improbitatem.

Idem 2. de legibus.

Refert lege sanciendum, vt pueri vsq; ad 18. annum vini vsum prorsus ignorent, eosq; monendos esse, non oportere ignem igni in corpus atque animam suggerere, antequam viri effecti labores subire incipiant: deinde vino moderatè vtantur, vsque ad ætatis annum trigesimum: Ab ebrietate verò iuuenes omninò abstinere debere. Sed cùm ad quadragesimum peruenerint, tunc in conuiuijs liberiùs discumbere, & Deos ac Dionysium ad sacra senum & ludos inuocare concessum, qui hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duriciem est largitus, vt reiuuenescere videamur, & mœsticiæ nos obliuio capiat, ipsaq; affectio animi sicut ferrum in igne ex duricie in mollitiem deducta, flexibilior fiat.

Euripides.

Gubernari oportet malos à bonis, & parêre se melioribus.

Idem in Dictye.

O senex, ne cum regibus contenderis:
Venerandos enim esse principes antiqua lex est.

Idem in Erictheo.

Et improbos in ciuitate nunquam promoueris:
Mali enim uel pecunijs ditati,
Vel aliquo Reipublicæ magistratu aucti,
Exultant repentè, fortunatis ipsorum domibus factis.

Idem in Supplicibus.

Nihil est ciuitati præstantius, quàm leges
Rectè positæ: Nam & inferioris homo sortis,
Et qui ditior est, æquale ius experiuntur:
Vincit autem minor maiorem, si iustam causam habeat.

Menander in Adelphis.

Non omnino concedendum est malis,
Sed resistendum: Sin minus, sursum atq; deorsum
Vita nostra inopinatè tota peruertetur.

Idem in Androgyno.

Τὸ γὰρ σύνηθες ὀυδαμοῦ προπλέον. id est.
Nunquam negligenda est consuetudo.

Idem.

Leges perquàm egregia res sunt, sed is, qui legibus utitur nimium exactè, Sycophanta esse uidetur.

Plato in Minoe.

Quodcunque rectum est, regia lex extititit: non rectum verò, nequaquam lex regia (quia scientia deest) esse videtur: quippe cum illegitimum sit. Sic probè confessi sumus, legem esse veritatis inuentionem. Spargendorum in terram seminum peritus est agricola: ob id conuenientia semina vnicuique solo distribuit. Qui pecudum gregem pascere nouit, est pastor: pastoris itaque leges ouibus optimæ, & bubulci bobus: Ita regis boni leges, animis hominum optimæ sunt. Est autem lex oratio grauis & recta, quæ facienda imperet, non facienda prohibeat, secundum opinionem Stoicorum.

NANVS. Liberalitas græcè ἐλευθεριότης. ητος. ἡ & ἐλευθέριος. ȣ. ὁ liberalis dicitur. Est autem liberalitas virtus pecunijs benefactiua cuius contrariũ est illiberalitas, secundum Arist. lib. 1. Rhetor.

Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quam pro affectu benignitatẽ, pro effectu beneficentiam dicimus.

Liberalitas est mediocritas circa pecunias dãdas, nam liberalis dabit propter honestatem: & rectè, quibus oportet & quãdo oportet, ex Aristot. lib. 4. Ethicorum.

Liberalitas est virtus benè dispensandi diuitias in vsus bonos sibi, suisq; & alijs, ex B. Thoma secunda secundæ quæst. 117. art. 1.

Liberalitatis duæ sunt comites, humanitas & clementia, secundum Valer. Max. lib. 5.

Liberalitas dicitur à liber, vnde liberaliter, largè, magnificè. Et liberales disciplinæ libero homine dignæ.

Prouerb. 19.

Diuitiæ scilicet erogatæ addunt amicos plurimos.

Paulus ad Corinth. 2. cap. 7.

Hilarem enim datorem diligit Deus.

Matth. 7.

Nesciat sinistra quid faciat dextra tua.

Augustinus super Ioannem parte secunda, & habetur dist. 86. Donare.

Donare res suas histrionibus vitium est immane, nõ virtus: & scitis de talibus quàm sit frequens fama cum laude, quia laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur.

Idem de sermone Domini in monte.

Dandum est quod nec tibi nec alteri noceat, & cùm negaueris quod petit, iudicanda est iustitia, & non eum inanem dimittas, & aliquãdo melius aliquid dabis, etiam cùm iniustè petentem correxeris.

Hieronymus ad Paulinum.

Considera Christi substantiam, ne imprudẽter offendas, id est, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas, non pauperibus, secundum dictum prudentissimi viri, ne liberalitate liberalitas pereat.

Ibidem lib. de Viduis.

Liberalitas non cumulatione patrimonij, sed largitatis diffinitur affectu.

Ambro. super epist. ad Corinth.

Non solùm quæritur quantum, sed de quanto & quo animo detur.

Idem lib. 1. de Officijs.

Dominus nõ vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi fortè, vt Helisæus boues suos occidit, & pauperes pauit ex eo quòd habuit, vt nulla cura teneretur domestica.

Ibidem.

Vt adiuues eum qui possessiones aliorum eripere conatur, nõ probatur largitas. Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa magis quã misericordiæ largiaris.

Ibidem.

Non probatur liberalitas vel largitas, si quod alter largitur, alteri quis extorqueat, si iniustè quærat, & iustè dispensandum putat.

Ibidem.

Perfecta est liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum & necessitatibus singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & nõ labia sua. Deniq; perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, vt principium operis circa domesticos fidei.

Ibidem.

Et alia probanda liberalitas, vt proximum seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius enim est vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati.

Ibidem.

Est duplex liberalitas. Vna quæ subsidio rei adiuuat, id est, vsu pecunię. Altera quę operum collatione impendit, quæ multò frequenter splendidior multoque præclarior. Quanto vtilius regem Pharaonem sanctus Ioseph consilio prudentię instruit, quàm si contulisset pecuniãs. Pecunia enim vnius ciuitatis non redimeret vbertatem, ꝓspicientia verò totius Aegypti per quinquennium famem repulit.

Ibidem.

Qicquid ex affectu puro ac syncero promittitur, hoc est decorũ, non superfluas ædificationes aggredi, non prætermittere necessarias.

Gregor. & hab. dist. 86. Fratrem nostrum.

In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum & personarū. Rerum, vt non oīa vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possimus. Personarum, vt primū iustis, deinde peccatoribus, quibus tamen dare prohibemur, non quia homines sunt, sed peccatores.

Idem 19. Moralium.

Quibusdā inopiam ferre non valentibus tolerabilius est minus tribuere, quàm post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare.

Ibidem.

Nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis est repleta bona voluntate.

Leo Papa in apparitione Domini.

Nulli paruus est cēsus, cui magnus est animus: Nec de rei familiaris mensura, pendet modus pietatis. Maiora quidem sunt impendia diuitū, & minora mediocrium. Sed nec discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantiū.

Ibidem.

Si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas, quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de beneuolentiæ quantitate.

Ibidem.

Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit.

Boëtius lib. 2. de Consolatione.

Tunc solùm pretiosa est pecunia, quando vsu largiendo desinit possideri.

Idem lib. 2. prosa 5.

Diuitiæ ne vel vestri, vel sui natura pretiosæ sunt, scripta est suprà in Diuitiæ.

Seneca lib. 1. de Clementia.

Non est liberalis, qui de alieno est liberalis, sed ille qui quod alteri donat sibi detrahit.

Idem lib. de Beneficijs.

Quidam beneficium ab homine duro & aspero datum, panem lapidosum vocauit, quem esurienti accipere necessarium est, sed tamen acerbum.

Ibidem lib. 1.

Beneficium siue liberalitas fit dupliciter, aut opera, aut pecunia, altera ex arca, altera ex virtute depromitur.

Idem in epist.

Refert cuius animi sit qui præstat, non cuius status. Non est gloriosum quod ab inuito & tergiuersante fit. Nihil facit virt⁹ quod necesse est.

Ibidem.

Multi sunt qui non donant, sed proijciunt: non voco liberalem pecuniæ suæ iratum.

Idem de Beneficijs.

Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, cito facere. Qui de die in diē trahens profuit, non ex animo fecit: itaq; duas maximas res perdidit, & tempus & argumentū amicæ voluntatis.

Ibidem.

Nonnunquàm magis nos obligat, qui dedit parua magnificè, qui regum opes æquauit animo, qui exiguum tribuit, sed qui libenter, qui paupertatis suæ oblitus est, dum in ea respicit, qui occasionem qua prodesset quæsiuit.

Ibidem.

Multo gratiùs venit quod facili, quàm ex plena manu venit seu datur. Exiguum est quod in me contulit, sed amplus non potuit. Ad hoc quod dedit magnum est, sed dubitauit, sed distulit, sed cùm daret gemuit, sed superbè dedit, sed cùm contulit ambitioni dedit, non mihi.

Ibidem.

Caue ne beneficium maius sit facultate tua, inest enim tali liberalitati cupiditas rapiendi, vt ad largiendum suppetant copiæ, sequuntur enim talem largitionem rapinę: cùm enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur, & maiora odia eorum assequuntur quibus ademerunt, quàm fauores eorum quibus dederunt.

Ibidem.

Officium liberalitatis est omni petenti dare, deos imitari. Si deos imitaris, da etiam ingratis, nam & sceleratis sol oritur, & piratis maria patent. Dij rerū omnium optimi authores, ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perseuerant, non cessant dij beneficia congerere, vnam sortiti intentionem, scilicet prodesse, imitemur illos: demus etiamsi multa in irritum data sunt. Ingratus est, non fecit mihi iniuriam, sed sibi: nam gratum beneficium semper delectat, ingratum semel.

Idem lib. 2. de Beneficijs.

Ab Antigono Cynicus petit talentum. Respondit plus esse quàm Cynicum deceret petere, repulsus petit denarium. Respondit minus esse, quàm quod regem deceret dare. Turpissima huius cauillatio est. Inuenit enim quomodo neutrum daret. In talento Cynicum, in denario regem respexit: cùm posset & denarium Cynico dare & talentum tanquam rex.

Ibidem.

Melius Alexander cùm daret ciuitatem cuidā dicenti, non conuenire ciuitatem humili fortunæ suę, respondit: Non quæro quid oporteat te accipere, sed quid deceat me dare.

Idem lib. 5. de Beneficijs.

Sicut nō est liberalis qui sibi donat, nec clemēs qui sibi ignoscit, nec misericors qui malis suis tangit, sed qui alijs. Ita etiā nemo sibijpsi beneficium dat, sed naturæ suæ parat, quæ monet ad refutanda nociua, & appetenda proficua.

Idem lib. 1. de Beneficijs.

Inter multos ac varios errores temere viuentium inconsulteq;, nihil ꝓpemodū viri optime libera-

liberalis quàm beneficia nec dare scimus, nec accipere.

Ibidem.

Cùm beneficia in vulgus largiri institueris, multa perdenda sunt, vt vnum benè des.

Ibidem.

Gratissima sunt beneficia quæ sunt parata, facilia occurrentibus, in quib⁹ nulla mora fuit nisi accipientis verecundia.

Ibidem.

Nihil ita vitãdum in dando beneficium sicut superbia.

Idem lib. de Beneficijs.

Dabo egenti sed non vt ipse egeam. Succurram perituro, sed non vt ipse peream.

Ibidem.

Videamus ne mittamus munera superuacua, vt fœminæ arma, rustico libros, aut studijs dedito retia.

Ibidem.

Videndum est & considerandum, quid, cui, qualiter, quando, vbi, & quare sit dandum.

Ibidem.

Turpissimum genus beneficij est inconsulta donatio in dando.

Ibidem.

In dando beneficia eligẽdus est vir simplex, memor, gratus, alieni abstinens, nón sui auarus, & maximè beneuolus.

Idem in Prouerbijs.

Bis peccas, cùm peccanti obsequium accommodas.

Cicero lib. 1. de Legibus.

Quid liberalitas gratuita ne est, an mercenaria? si sine premio, benigna est: gratuita, si cum mercede cõducta. Nec est dubium, quin is qui liberalis benignúsue dicitur, officium non fructum sequatur.

Idem lib. 1. Officiorum, cap. 18.

Et liberalitate vtamur quę amicis prosit, nemini noceat, nihil em̃ liberale quod nõ iustum.

Idem lib. 2. Officiorum.

Multi patrimonia effundunt inconsultè largiendo. Quid autem stultius quàm quod facis libenter, curare ne id diutius facere possis.

Ibidem.

Duo sunt largorum genera, quorum alteri prodigi, scilicet qui in epulis & inuitationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumq; apparatu pecunias profundunt, & in eas res quarum memoriam aut nullam aut breuem relicturi sunt. Alij sunt liberales, qui facultatibus suis aut captos à prędonibus redimunt, aut æs alienum suscipiunt amicorum causa, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur in re acquirenda vel augenda.

Idem libro Officiorum.

Largitio quæ fit ex re familiari, fontẽ ipsum benignitatis exhaurit.

Ibidem.

Qui opera, id est, virtute & industria liberales sunt & benefici, primum quo pluribus profuerint, eo plures ad benefaciendum adiutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.

Ibidem.

Omnino meminisse debemus id quod à nostris hominibus vsurpatum sæpissimè, iam in prouerbij consuetudinem venit, largitionem fundum non habere, cum & idem qui consueuerunt, & idem illud alij desiderent.

Ibidem.

Causa igitur largitionis est, si aut necesse, aut vtile.

Ibidem.

Gratissima est liberalitas, eo etiam studiosius eam pleriq; laudant.

Ibidem.

Conueniet autem tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum.

Ibidem.

Est enim non modo liberale, paulùm nonnunquàm de suo iure cedere, sed interdum & fructuosum.

Ibidem.

Habenda est autem ratio familiaris rei, quàm quidem dilabi sine re flagitiosum est.

Idem Tuscul. Quæst. lib. 4.

Cur misereare potius quàm feras opem, si id facere possis?

Idem lib. 2. Rhetoricorum ueterum.

Nam beneficij magnitudo ex vtilitate & honestate, aut necessitudine demonstratur.

Idem in Oratione.

Equidem nil tam proprium hominis existimo, quàm nõ modo beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari. Nihil porrò tã immanè, tam ferum, quàm cõmittere, vt beneficio nõ dicatur indignus, sed vict⁹ esse videat̃.

Valer. Max. lib. 4. cap. 8. tit. de liberalitate.

Liberalitatis duo sunt maximè probabiles fontes, verum iudicium, & honesta beneuolentia: nam cùm ab his oritur, tunc demum eius ratio constat. Dono autem ipsi, gratia & magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat.

Idem lib. 5. cap. 1. tit. de Human. & clement.

Liberalitati quas aptiores comites q̃ humanitatem & clementiam dederim? Quoniam idem genus laudis expetunt, quarum prima inopia, ꝓxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur: cumq; nescias quam maximè ꝓbes, eius tamen commendatio pręcurrere videtur, cuius nomen ex ipso nomine quæsitum est.

Aristo-

Aristoteles lib.4. Ethicorum, cap.1.

Liberalis dabit honesti gratia & rectè, nam quibus oportet, quod oportet & quãdo, & alia cuncta obseruabit, quę dandi actum rectum sequuntur, & liber vel sine molestia.

Ibidem.

Liberalis vnde oportet, cõmoda capiet, puta ex proprijs rebus quas possidet, nõ quia honestum sit, sed quia necessarium, vt habeat quod donet. Nec sua negliget, volens per illa quibusdam opem ferre.

Ibidem.

Est eius qui liberalis sit, vehemẽter excedere, ita vt sibijpsi pauciora relinquãtur. Nam ad se quidem ipsum non respicere, liberalis est.

Ibidem.

Iuxta facultates liberalitas dicitur. Nõ enim in multitudine eorum quæ dãtur, sed in dantis habitu liberalitas cõsistit. Nec enim quicquàm prohibet liberalem esse qui pauciora dat, si modo tenuiores ei sunt facultates.

Ibidem.

Magis liberales esse videntur, qui non cõparauerunt sibi facultates, sed ab alijs, vt ex hæreditate, acceperunt, nam indigentiam nunquàm experti sunt.

Ibidem.

Non facilè est, vt liberalis quisquàm ditetur, cùm neq; cupiat, neq; conseruet, sed cõtra eroget. Nec magni per seipsas faciant pecunias, sed vt alijs dare possint. Itaq; fortuna accusatur, ꝙ qui maximè digni sunt, pecunias minimè habent. Enimuerò id non absq; ratione cõtingit, fieri enim non potest, vt diuitias habeat is, qui non adhibet diligentiam vt habeat.

Ibidem.

Liberalis accipiet vnde oportet, sequitur eñ conuenientem liberalitatem, talis acceptio.

Ibidem.

Molestius feret liberalis, si quid cùm oportet non erogauerit, quàm si erogauerit, quod non oportet.

Ibidem, iuxta translationem Perionij.

Ea igitur quę sunt prodigalitatis propria, nõ possunt diutius vnà consistere, accessionemq́; capere. Neq; enim facilè est, eum qui à nemine accipiat largiri omnib'. Celeriter enim desunt ad largiendum facultates ijs, qui priuati sunt, quales sunt prodigi. atq; cũ sit eiusmodi, tamen videtur multò melior auaro. Facilè enim ad sanitatẽ traduci potest, & progressu ætatis, & inopia coactus, ad mediocritatẽq; peruenire possit.

Ibidem.

Quocirca nõ videtur deprauatis corruptisq; moribus præditus. Non enim scelerati est, aut ingenerosi, sed stulti potiùs, largiendo, nec accipiendo finem modumq; transire.

Ibidem.

Prodigus multo melior esse videtur quàm auarus, hic enim multis ꝓdest, ille nemini, nec sibi ipsi quidem.

Ibidem.

Prodigorum dationes liberales nõ sunt, sed interdum quos pauperes esse conuenit diuites faciunt. Et honestis quidem hominibus nihil dant, assentatoribus autẽ, aut aliam quampiam voluptatem afferentibus, multa.

Ibidem.

Prodigi quia honestatem non sequuntur in vita, ad voluptates declinant.

Terentius in Adelphis.

Re ipsa repperi nihil esse homini melius facilitate, atq; clementia.

De hac materia vide suprà in Amor proximi, & in Clementia.

Libertas græcè ἐλευθερία, ας. ἡ. & ἐλεύθερος. ου. ὁ. liber dicitur. Est autẽ libertas naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet, nisi quod vi aut iure facere prohibetur, vt habetur de instit. de iure personarum, princ. cuius oppositum est seruitus, venitq́; à liber.

Libertus pariter inde deriuatur, & is est qui cũ esset seruus, fact' est liber, inde etiã fit libertinus, quod est adiectiuũ noĩs, & est relatiuum ingenui, sicut libertus relatiuum patroni.

Libertini sunt qui iusta seruitute manumissi sunt, sicut ingenui ꝗ libera matre nati, nec postea serui facti sunt. Inde libertinitas & ingenuitas dicuntur.

Liberum arbitrium quid sit, vide infrà in Liberum arbitrium.

Exodi cap. 21.

Si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillę suę, similiter dimittet eos liberos.

Leuitici cap. 19.

Homo si dormierit cũ muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nobilis, & tamẽ pretio nõ redempta, nec libertate donata, vapulabũt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.

Ecclesiastici cap. 10.

Seruo sensato liberi seruient, & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur.

Paulus ad Collos. 3.

Domini quod iustum est, & æquum seruis præstate, scientes quoniam & Dominum vos habetis in cœlo.

August. Donato presbytero, & habetur 23. quæst. 4. Displicet

Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est, vt cæcaretur? cæcatus est, vt mutaretur? mutatus est, vt mitteretur? missus est, vt qualia fecerit in errore, talia pro veritate pateretur. Si voluntas mala semper suę permit-

permittenda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis filium durum non solùm verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinã coactus ac domitus dirigatur? vnde idem Salomon dicit: Tu percutis eum virga, animam autem eius liberas à morte.

August. lib. de Vera religione.

Quem delectat vera libertas, ab amore rerũ mutabilium liber esse appetat. Et quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo subiectus sit, plus eum diligendo, quàm semetipsum.

Idem de correctione & gratia.

Prima libertas voluntatis erat posse peccare, nouissima erit multò magis non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori: nouissima erit multò magis non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere: nouissima erit perseuarantiæ fælicitas, bonum non posse deserere.

Ambros. in sermone Domini de Ieiunio, qui incipit. Diuinum ad patrẽ, & hab. dist. 35. c. Sexto die.

Manebat autem antequã vinum inueniretur omnibus incõcussa libertas. Nemo sciebat à cõsorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere: non esset hodie seruus, si ebrietas non fuisset.

Ambrosius de Ioseph.

Ille verò in quauis conditione seruitij liber est, qui amore non capitur, auaritiæ vinculis nõ tenetur, metu criminis nõ obligatur, qui securus expectat præsentia, quẽ non terrent futura.

Gregorius Montano & Thomæ, & habetur 12. quæst. 2. Cùm redemptor.

Cùm redemptor noster totius conditor creaturæ ad hoc propiciatus, humanam voluit carnem assumere, vt diuinitatis suę gratia dirupto (quo tenebamur captiui) vinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati: salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos ꝓtulit, & ius gentium substituit iugo seruitutis, in ea natura qua qui nati fuerant, manumittentis beneficio libertati reddantur.

Bernardus de Libero arbitrio.

Cùm nobis triplex posita sit libertas, à peccato, à miseria, à necessitate, hanc vltimo loco positam, contulit nobis in conditione natura. In prima restauramur à gratia, media reseruatur nobis in patria. Indicatur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ, prima habet multum honoris, secunda plurimum virtutis, nouissima cumulum iucunditatis.

Seneca in epist.

Quid sit libertas quæris? nulli rei seruire, nulli necessitati, nullis casib' fortunæ ab æquo discedere.

Idem in Prouerbijs.

Liber nõ est quem superbus inflãmat animus.

Idem de breuitate uitæ.

Horum misera cõditio est, qui nec suis quidem laborant occupationibus, ad alienũ dormiunt somnũ, & ad alienum ambulant gradũ.

Seneca Tragœdia 4.

Fortem facit uicina libertas senem.

Ibidem.

Ingenia melius recta in laudes se ferunt,
Si mobilem animum uegeta libertas alit.

Idem Tragœdia 7.

Raro est in dominos iusta licentia.

Cicero libro Paradoxorum.

Quid autem est libertas, nisi potestas viuendi vt velis?

Quintilianus declamatione 10.

Genus seruitutis est coacta libertas.

Aristoteles lib. 1. Politic.

Virtus malitia determinant seruos & liberos, nobiles & ignobiles.

Idem 6. Politicorum.

Opus libertatis est, viuere vt vult aliquis, quia seruus non viuit vt vult.

Menander.

ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς, τὰ ἀληθῆ λέγειν. id est.
Liberi enim uiri uera dicere.

Idem.

ἐλεύθερον φύλασσε τὸν σαυτοῦ τρόπον. id est.
Liberum serua tui ipsius morem.

Idem.

σαυτὸν φύλαττε τοῖς τρόποις ἐλεύθερον. id est.
Teipsum serua moribus liberum.

Lucanus lib. 4. Pharsaliæ.

-Sed regna timentur.
Ob ferrum, & sæuis libertas uritur armis.
Ignoratq; datos ne quisquam seruiat, enses.

Horat. Serm. lib. 2. satyra 7.

Quis nam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neq; pauperies, nec mors, nec uincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores,
Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus:
Externi ne quid ualeat per leue morari,
In quem manca ruit semper fortuna.

Idem epist. lib. 1. epist. 1.

Ad summum sapiens uno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regum,
Præcipuè sanus, nisi cùm pituita molesta est.

Dantes Paradisi Can. cap. 5.

Lo magior don che dio per sua largheza.
Fece creando, & alla sua bontade
Piu conformato, & quel che piu se appreza,
Fu de la uolunta la libertade
Di che le creature intelligenti
Et tutte, sole furo & son dotade. id est,
Maius munus quod Deus sua munificentia
Fecit creando, & suæ bonitati
Conformis, & quod magis existimatur,
Fuit uoluntatis liberum arbitrium:
Quo creaturæ intelligentes Et

Liberum arbitrium est idem realiter quod voluntas, secundum quod in ea est virtus intellectus, vnde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis & rationis, ex Bea. Tho. 1. par. q. 83. articulo 34.

Liberū arbitrium non est in brutis. ibi. q. 58. artic. 3.

Ecclesiastici cap. 15.

Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.

Libido græcè ἐπιθυμία, ας ἡ Est autem libido quicquid libet, diciturq́; à labando, secundum Varronem, ꝙ quæ placent in mentem prolabātur. Vnde non modo turpiū, sed etiam honestarum rerum voluntas libido dicitur. Salust. Magisq́; in decoris armis, & militaribus equis, quā in scortis, atq; conuiuijs libidinem habent. Teren. Neq; tuæ libidini aduersabor, hoc est voluntati. Si vero libidinē simpliciter dicimus, neque cuius rei additur, de Venerea intelligimus: hinc libidinosus, hoc est, in libidinem propensus, & libidinose molliter, lasciuè, descendunt. Libidini subsunt ira, excandescentia, odiū, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium &c. huiusmodi secun. Cicero. lib. Tuscul. Quæst.

Linea græcè γραμμή, ης, ἡ dicitur. Et est magnitudo quæ ad vnum. i. ad vnā partem diuiditur, secun. Aristotelem libro 1. de cœlo & mundo.

Linea est longitudo sine latitudine & profunditate, cuius extremitates sunt duo puncta, secundum Marcum Varronem.

Lineam sic definit Euclides: γράμμη ἐστὶ μῆκος ἀπλατές, i. Longitudo illatabilis.

Linea consanguinitatis, est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendentium, diuersos continens gradus, sec. B. Tho. 4. sen. di. 40. q. 2. art. 1.

Lingua græcè γλῶσσα, ης, ἡ. & γλωσσώδης, εος, ὁ, ἡ. linguosus dicitur. Dicitur autem lingua à ligando cibo, secundum Marcum Varronem.

Lingua dicitur à ligendo, quia lingit adulando, mordet detrahendo, secundum Hugo li. 2. de anima. Placet tamen magis opinio Varronis: Lingua enim cibos conglobat, & deprimit ac transmittit in ventrem, vel dicitur, ꝙ sit dentium septis, quasi muro circū vallata ac ligata.

Iob cap. 11.

Nunquid qui multa loquitur nō audiet? aut vir verbosus iustificabitur?

David Psalm. 139.

Vir linguosus non dirigetur in terra. Virum iniustum mala capient in interitu.

Prouerbiorum cap. 4.

Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.

Ibidem cap. 8.

Arrogantiam & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor.

Ibidem cap. 10.

In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.

Ibidem cap. 12.

Propter peccata labiorum ruina proximat malo.

Ibidem cap. 13.

Qui custodit os suum, custodit animā suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Ibidem.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.

Ibidem cap. 15.

Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Lingua sapientum ornat sciētiam, os fatuorum ebullit stultitiam.

Ibidem.

Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autē immoderata est, conteret spiritum.

Ibidem.

Lætatur homo in sententia oris sui, & sermo opportunus est optimus.

Ibidem cap. 17.

Qui cælat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, sæparat fœderatos.

Ibidem.

Qui moderatur sermones suos doctus & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus.

Ibidem 18.

Labia stulta miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat. Os stulti cōtritio eius, & labia ipsius ruina animę eius. Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsq; ad interiora ventris.

Ibidem.

Qui plus respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.

Ibidem cap. 24.

Labia deosculabitur qui recta verba respōdet.

Ibidem.

Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quenquam labijs tuis.

Ibidem cap. 25.

Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis cùm dehonestaueris amicum tuum. Causam tuam tractes cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne forte insultet tibi cùm audierit, & exprobrare non cesset.

Ibidem.

Patientia lenitur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.

Ibidem.

Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur cōtra proximum falsum testimoniū.

Ibidem.

Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Ibidem cap 26.

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

Ibidem.

Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

Ibidem.

Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinam.

Ibidem 29.

Homo qui blandis & fictis sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.

Ibidem.1.

Totum spiritum profert stultus, sapiens differt & reseruat in posterum.

Ibidem.

Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quã illius correctio.

Ecclesiastes cap.4.

Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.

Ecclesiastici cap.5.

Si est tibi intellectus responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris. Honor & gloria in sermõe sensati, lingua verò imprudentis subuersio est ipsius.

Ibidem cap.6.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos & lingua eucharis in bono homine abundabit.

Ibidem cap.7.

Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua.

Ibidem cap.9.

Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.

Ibidm cap.11.

Priusquam audias ne respondeas verbum, & in medio seniorum ne adijcias loqui de ea re, quæ te molestat.

Ibidem cap.14.

Beatus vir, qui nõ est lapsus verbo ex ore suo.

Ibidem cap.18.

Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequã loquaris disce.

Ibidem cap.19.

Est qui labitur lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua?

Ibidem cap.21.

Narratio fatui quasi sarcina in via, nam in labijs sensati inuenietur gratia.

Ibidem.

Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno.

Ibidem cap.27.

Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris.

Ibidem cap.28.

Aurum tuum & argentum tuũ confla, & verbis tuis facito stateram, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorũ insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortẽ.

Ibidem cap.22.

Vbi auditus non est, nõ effundas sermonem.

Ibidem.

Adolescens loquere in causa tua, vix cùm necesse fuerit.

Ibidem.

In medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris.

Ibidem cap.37.

Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia: & cum muliere, de his, quæ emulatur: cum timido de bello: cum negotiatore de traiectione; cum emptore de vẽditione, cum viro liuido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cũ operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum seruo pigro de multa operatione;

Matth.cap.15.

Non quod intrat in os hoc coinquinat hominẽ, sed ꝙ procedit ex ore coinquinat hominẽ.

Ibidem.

Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ inquinant hominem.

Marcus cap.7.

Nihil est extra hominem introiens in eũ, ꝙ possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem.

Ioannes cap.3.

Qui de terra est, de terra loquitur.

Paulus ad Cor.1.cap.15.

Corrumpunt bones mores colloquia praua.

Idem ad Ephesios cap 4.

Omnis sermo malus ex ore vestro nõ ꝓcedat.

Ibidem cap.5.

Quę enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.

Idem ad Colossenses cap.4.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere.

Idem ad Thessal. 1.cap.3.

Exhortatio enim vestra nõ de errore, neque de immunditia, neq; in dolo, sed sicut probati sumus

ſumus à deo, vt crederetur nobis euangelium, ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed deo, qui probat corda noſtra.

Paulus ad Timot. 2. cap. 3.

Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites.

Iacob. in epiſt. cap. 1.

Sit autem omnis homo velox ad audiendũ, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.

Ibidem.

Si quis autem putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuũ, huius vana eſt religio.

Ibidem cap. 3.

Si quis in verbo nõ offendit, hic pfectus eſt vir. Poteſt etiam freno circumducere totũ corpus. Si autem equis frena in ora mittimus ad cõſentiendum nobis, omne corpus illorum circumferimus. Et ecce naues cùm magnę ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur autem à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam ſyluã incendit? Et lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis.

Petrus apoſt. 1. cap. 3.

Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.

Ioannes 1. cap. 4.

Ipſi de mundo ſunt, & ideo de mũdo loquũtur, & mundus eos audit.

Iudas apoſt. in epiſt.

Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperbiam, & mirantes perſonas queſtus cauſa.

Auguſtinus in Enchiri. & habetur 22. q. 2.

Is autem.

Verba propterea inſtituta ſunt, non vt per ea ſe inuicem homines fallant, ſed vt eis quiſque in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat. Verbis ergo vti ad fallaciam, non ad quod ſunt inſtituta peccatum eſt.

Idem de natura & gratia.

Ante te eſt æquitas, vnam linguam habes ad quod vis eam vertes. Quare ergo potius ad iniquitatem, & non ad equitatem? Cibos amaritudinis nõ das ventri, & cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ, ſicut eligis quo veſcaris, ſic elige quod loquaris.

Idem libro 1. de uerbis Domini.

Linguam nullus hominum domare poteſt. Homo domat feram, & non domat linguam. Domat leonem, & non frenat ſermonem: domat ipſe, & non domat ſeipſum. Domat quod timebat, nec ſe domat. Non timet quod timere debebat.

Idem de moribus Eccleſiæ.

Naturæ ordo ita ſe habet, vt cùm aliquid dicimus, rationem præcedat authoritas: nam infirma ratio videri poteſt, quæ cùm reddita fuerit, autorem poſtea per quẽ firmetur aſſumit.

Hieron. ſuper 12. prophetas lib. 2. ſuper illud. Ezech. Fili hominis.

Pro ſigno ſunt interioris hominis verba erumpentia, quomodo libidinoſumq́ue ſua celat verba & vitia calidè, interdũ turpis ſermo demonſtrat, (minorib⁹ enim maiora monſtrãtur) vultuq́; & oculis diſsimulari nõ poteſt conſcientia, dum luxurioſa & laſciua mens lucet in facie, & ſecreta cordis motu corporis & geſtib⁹, indicat.

Idem & habetur 22. q. 5. cap. Quoties.

Quoties verò loquimur aut non opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non vt conuenit audientibus: toties ſermo malus procedit de ore noſtro ad deſtructionem eorũ qui audiunt. Conſideremus itaque quid loquimur, quia pro omni otioſo verbo reddituri ſumus rationem in die iudicij.

Idem ad Heliodorum.

Nihil impudentius arrogantia ruſticorum, qui garrulitatem autoritatem putant, & parati ad lites in ſubditos intonant.

Ambroſius ſuper Beati immaculati.

Periculoſum eſt dicere non ſolùm falſa, ſed etiam vera, ſi is ea, nõ quibus oportet inſinuet. Quod vitium quadripartitum eſt vel adulationis, vel auaritiæ vel iactantiæ, vel loquacitatis incautæ.

Idem libro 1. de Virginitate.

Ingreditur mors per oſtium tuum, ſi falſum loquaris, ſi turpiter, ſi procaciter. Poſtremò ſi vbi non oportet loquaris.

Idem libro 1. de Officijs

Quàm plures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quempiam tacendo, ideoq́ue tacere noſce, quam loqui difficilius eſt.

Ibidem.

Alliga ſermonem tuũ ne luxuriet, ne laſciuiat. Qui multiloquio peccat, ſibi colligat, ſit reſtrictior, & ripis coerceatur. Cito lutum colligit amnis & vndas. Iugum ſit verbis tuis & ſtatera atque menſura, vt ſit grauitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus.

Ibidem.

Sapiens priuſquam loquitur multa, conſiderat q̃d dicat, cui dicat, quo in loco & in tẽpore.

Gregor. lib. 5. Moralium.

Praui ſicut in ſenſu leues ſunt, ita in locutione præcipites, quia quod leuis conſcientia concipit, leuior protinus lingua prodit.

Ibidem.

Cùm intentionem bonam loquutio cauta non ſequitur, ipſa pietatis propoſitio in tranſgreſsionis vitium vertitur.

Idem Moralium lib.6.in fine.

In omni quod dicitur, necesse est vt causa, tempus & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roborat, si hoc tempus congruum pullulat, si veritati sententiæ & congruitati temporis non repugnat.

Gregor.Homil.6.

Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddēt de eo rationem in die iudicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut iustæ necessitatis caret.

Ibidem.

Tempus tacendi, & tempus loquendi, discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut cùm restringi debet lingua, per verba se inutiliter soluat, aut cùm loqui vtiliter potest, semetipsam pigrè restringat.

Ibidem.

Quod superuacuis verbis mens à silentij sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur: vnde redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit.

Ibidem.

Si illatas molestias lingua tranquillè diceret, à conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant, quia cùm putredo quæ intus feruet eijcitur, ad salutem dolor aperitur.

Idem lib.8.Moralium.

Lingua sub magni moderaminis liberatione seruanda est non insolubiliter obligāda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab vtilitate torpescat.

Idem lib.16.Moralium.

Isti sunt casus culpæ crescentis, vt lingua cùm non restringitur, nequaquam vbi ceciderit iaceat, sed semper ad deteriora descendat.

Idem 16.Moralium.

Aliquando sancti etiam corā hominibus compelluntur bona facere, aut etiā hominibus sua facta narrare. Sed ad eum finem omnia referūt, vt non ipsi ex eisdem operibus, sed deus glorificetur. Dum enim facta prædicant, ipsa eorum ꝑdicatio fortasse despicitur, quorū vita nescitur. Compelluntur igitur vitam suam dicere, vt auditorum suorum valeant vitam mutare, & facta sua referunt, & venerari appetunt, vt reuerenter audiantur. Scriptum quippe est: Cùm eleuarentur animalia, eleuabantur simul & rotę, quia videlicet cùm auditorum mentes prædicantium vitam conspiciunt, necessario & in prędicatione admirantur. Hinc est quod prædicatores boni & honorem propter elationem fugiunt, & honorari propter imitationē volunt.

Idem in Pastorali.

Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxu eloquij relaxare, quomodo cōtra, in bona etiā parte dicitur aqua profundi. Qui ergo dimittit aquam caput est iurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat.

Iohannes Chrysostomus super Matthæum.

Malum hominem melius posset tacendo aliquis vincere, quam respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit.

Isidorus Soliloquiorum libro 2.

Vanus sermo citò polluit mentem, & facilè agitur quod libenter auditur.

Hugo libro 2.de anima.

Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat, & ligari non potest, labilis est, & teneri non potest, sed labitur & fallit. Labitur vt anguilla, penetrat vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, seminat discordias, vno ictu multos percutit & interfecit, blanda est & subdola, & parata ad exhaurienda bona, & miscenda mala. Qui custodit linguā suam, custodit animā, quoniā mors & vita in potestate linguę est.

Cassiodorus super illud Psalm. Dixi custodiam.

Quis est hominum sic cautus, vt si inter æmulos loquatur, nullum eius verbum incurrat aliquam quæstionem? Difficilis res est in lubrico faucium constitutā veritatis rigidę tenere mensuram, cui si incautè frena laxentur, frequenter contra se loquitur. Facilius enim culpa tacendo refugitur quàm loquendo. Salomon dicit: Ori tuo facito ostium & seram, & verbis iugum atque stateram.

Boëtius de consolat.lib.1.prosa 12.

Platone sanciente didicisti, cognatos de quibus loquuntur rebus oportere esse sermones.

Orige.super epistola ad Roma.lib.3.

Dolus est, cū aliud quis lingua loquitur, aliud voluat in corde: quod crimen nescio si nudos quosq; & electos relinquat. Sed puto ꝙ alius plus, alius minus, nemo tamen sit ad hoc perfectè liber, nisi ille de quo dicitur: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Seneca ad Lucilium in epist.

Turpe est aliud loqui, & aliud sentire.

Idem epistola 32.

Non multis verbis opus est sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt.

Idem epistola 40.

Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit, ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum hæc erit, tardiloquū te esse iubeo.

Idem in epistola.

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantū audierit loquetur.

Idem in Prouerbijs.

Imago animi sermo est. Qualis vir, talis oratio.

tio. Magnũ est vocis & silentij temperamentũ. Garrulo non respondere, conuitium est.

Ibidem.

Loquax inimicus quã taciturn⁹ minus offẽdit.

Idem de moribus.

Vt licentiosa mancipia animi imperio rege linguã, cupiditatemq́; opprime: si non potes, paululum remitte. Sæpe ea quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore.

Ibidem.

Priusquam promittas delibera, sed cùm promiseris statim facias.

Ibidem.

In hoc incumbe, vt libẽtius audias quàm loquaris. Auribus freqentius vtere quàm linguæ. Qui nescit tacere, nescit loqui.

Idem Tragœdia 4.

Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.

Idem Tragœdia 9.

Animi retine uerba furentis,
Temere emissam comprime uocem.

Plato in Timæo.

Propter hoc nobis datus est sermo, vt præsto forent mutuæ voluntatis indicia.

Arist. lib. 1. Ethicorum.

Sermones inquirendi sunt secundum materias de quibus sunt.

Idem libro 2.

In obscuris, apertis testimonijs oportet vti.

Idem lib. 4.

Qualis vnusquisque est, talia dicit, & talia operatur, & taliter viuit.

Idem lib. 10. Ethicorum.

In actionibus humanis minus creditur sermonibus quàm operibus.

Ibidem.

Quando sermones dissonant in operibus sensibiliter, tunc contemnuntur.

Ibidem.

Sermones consonantes operibus, sunt acceptandi, dissonantes verò despiciendi sunt.

Idem lib. 1. Politicorum.

Nullum aliorum animalium sermonem habet, nisi homo.

Ibidem.

Homini natura sermonem dedit.

Idem de regimine Principum.

Exemplis vtimur in docendo, vt facilius intelligatur quod dicitur.

Idem in epistola ad Alexandrum.

Sic viue, vel loquere cum deo, tanquam homines audiant.

Idem lib. 1. περὶ ἑρμηνείας.

Ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ sunt in anima passionum notæ, id est, voces sunt signa conceptuum animæ.

Ibidem.

Propter nostrum affirmare vel negare, nihil sequitur in re.

Idem lib 1. Priorum.

Exempla ponimus, non quod ita sint, sed ut sentiant addiscentes.

Idem lib. 2. Topicorum.

Loquendum est vt plures, sapiendum est vt pauciores.

Idem lib. 5.

Conturbat audientẽ, quod frequenter dícit.

Laer. Dioge. de uita & mor. philosophorum.

Noli cito loqui. Est enim insaniæ indicium, dicebat Bias.

Macrobius Saturnalium lib. 1.

Oportet enim versari in conuiuio sermones, vt castitate integros, ita appetibiles venustate.

Ibidem.

Nam superfluum video, inter sapientes nota proferre: Sic etiã loquendum est cum hominibus, tanquam dij audiant, & sic loquendũ cum dijs, tanquam homines audiant. Cuius secunda pars sentit, ne quid à dijs petamus quod velle nos, indecorum sit hominibus confiteri.

Macrob. Saturn. lib. 2.

Comes facundus in via pro vehiculo est.

Idem Saturn. lib. 5.

Amœnitas intertexta fastidio narrationum medetur.

Idem lib. 7.

Hęc vna de philosophiæ virtutibus, quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore quàm loquendo philosophatur.

Cicero in Paradoxis.

Nihil est tam incredibile, quin dicendo fiat probabile.

Idem Rhetoricorum nouorum libro 2.

Difficilimum est inuentum expedire, & expedite pronunciare.

Lucius Apuleius de Dogmate Platonis.

Omnium terrenorum nihil homine præstabilius prudentia dedit, cui quidem linguæ, & dentium vallum, & ipsius oculi venustas accessit: quod quidem alijs animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasq́ue ventri copias comparatum est, sed homini promptuarium potius rectæ rationis, & suauissimæ orationis datum est, vt quæ prudentia corde concepit, ea sensu promat oratio.

Aulus Gellius noctium atticarum lib. 1. cap. 15.

Qui sunt leues & futiles & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi, ver bis humidis & lapsantibus defluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, nõ in pectore. Linguam autem debere aiunt non esse liberam, nec vagam, sed vinculis de pectore imo ac de corde aperto moueri, & quasi gubernari.

 Ibidem.

Ibidem.

Hesiodus poëtarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde vt thesaurum, eiusq; esse in promendo gratiam plurimam, si modesta & parca, & modulata sit. Ibidem.

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens
Gratia quæ parcis mensurat singula uerbis.

Idem lib.12.cap.2. recitans uerba M. Catonis contra quendam Albinum.

Breuiloquentiam quisq; in dicendo colat.

Phocylides.

ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερόν ἐστι σιδήρου,
ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεὸς, φύσιν ἠερόφοιτον
ὄρνισι, μὲν πολλὴν ταχύτητ', ἀλκήν τε λέουσι,
ταύροις δὲ αὐτοχύτοις κεραέσσι, κέντρα μελίσσαις
ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε, λόγος ἔρυμ' ἀνθρώποισι. id est.

Scutum sane sermo homini potentius est ferro.
Scutum unicuiq; tribuit deus naturā uolantem.
Auibus, quidē multam celeritatē, fortitudinēq; leonibus.
Tauris autem innata cornua, aculeos apibus
Innatū auxiliū dedit, sermo autē defensaculū hominibus.

Bias.

ἄκουε πολλὰ, λάλει δὲ ὀλίγα. id est,
Audi multa, sed loquere pauca.

Pittacus.

γλῶττα μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ. id est.
Lingua ne præcurrat mentem. Idem.
μὴ σπεῦδε λαλῶν. id est.
Noli festinare loquendo.

Hesiodus.

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης. id est.
Optimus est homine linguæ thesaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis mensurat singula uerbis

Menander.

πρὸς εὐλέγοντας οὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω. id est,
Aduersus benedicētes nihil contradicere habeo. Idem.
ἰσχυρότερον δὲ γ' οὐδέν ἐστι τοῦ λόγου. id est.
Potentius autem nihil est sermone. Idem.
λόγος γάρ ἐστι λύπης φάρμακον μόνος. id est.
Sermo enim est tristitiæ remedium solus. Idem.
λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σοφωτάτῳ. id est.
Sermone me persuasisti remedio sapientissimo. Idem.
λόγοις ἀμείβου τὸν λόγοις πείθοντά σε. id est.
Sermonibus responde sermonibus illi qui persuadet tibi.

Idem.

λύπην γὰρ εὔνους οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος. id est.
Tristitiam enim beneuolus scit medicari sermo. Idem.
λόγῳ διοικεῖται βροτῶν βίος μόνῳ. id est.
Sermone administratur mortalium uita solo. Idem.
μέγιστόν ἐστιν ὀργῆς φάρμακον λόγος. id est.
Maximum est iræ remedium sermo. Idem.
ὁ λόγος ἰατρός ἐστι τοῦ κατὰ ψυχὴν πάθους. id est.
Sermo medicus est, quæ est in animo passionis. Idem.
ῥῆμα παρὰ καιρὸν ῥηθὲν ἀνατρέπει βίον. id est.
Verbum contra oportunitatem dictum subuertit uitam.

Idem.

ῥίψας λόγον τὶς, οὐκ ἀναιρεῖται πάλιν. id est.
Cùm emiserit sermonē aliquis, nō resumet rursus. Idem.
ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος. id est.
Animi ægrotantis est medicina sermo. Idem.
δύσμορος ἴσθι μᾶλλον ἢ κακήγορος. id est.
Infelix sis potius quàm maledicus. Idem.
ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. id est.
Viri character ex sermone cognoscitur. Idem.

Appollinarius.

ἂν μὲν ἀπόντα λέγῃς με κακῶς, οὐδὲν ἀδικεῖς με
ἂν δὲ παρόντα καλῶς, ἴσθι κακῶς με λέγων. id est.
Si de me absente dixeris malè, nulla afficis iniuria me.
Si de me præsente benè, scias te male de me dicere.

Theodorides.

θνητοῖς ἐν γλώσσῃ δολίᾳ νόσος ὁ ἀχάλινος
ἀφροσύνη τίκτει πολλάκις δυστυχίαν. id est.
Mortalibus in lingua dolosa morbus effrenis.
Stultitia parit sæpe infœlicitatem.

Terentius Comœdia 6.

Nihil est dictu facilius.

Virgilius libro 8. Aeneidos.

Varioq; uiam sermone leuabat.

Idem libro 14.

Varijsq; trahunt sermonibus horas.

Ouidius Metamor. lib.13. in principio.

Tutius est igitur fictis contendere uerbis,
Quam pugnare manu.

Idem epistola Medææ ad Iasonem.

Quis uellet tanti nuntius esse mali?

Idem Amorum libro 2. elegia 2.

Vidi ego compedibus liuentia crura gerentem,
Vnde uir incestum scire coactus erat.
Pœna minor merito: nocuit mala lingua duobus,
Vir doluit: famæ damna puella tulit.
Crede mihi, nulli sunt crimina grata marito
Nec quenquam, quamuis audiat, illa iuuant.

Idem de Ponto lib.2. Elegia 2.

Lingua sile, non est ultra narrabile quicquam.

Idem Fastorum lib.2.

Et feruet multo linguaq; corq; mero.

Propertius lib.2. Elegia 1.

Nauita de uentis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles uulnera, pastor oues.

Idem lib.2. Elegia 31.

Sed tu non debes inimicæ credere linguæ,
Semper formosis fabula pœna fuit.

Tibullus lib.1. Elegia 2.

Et mea nunc pœnas impia lingua tulit.

Horat. in arte Poëtica.

Decipimur specie recti: breuis esse laboro,
Obscurus fio, sectantem læuia, nerui
Deficiunt, animiq;: professus grandia turget.
Serpit humi, tutus nimium, timidusq; procellæ.

Ibidem.

Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos, prima

Prima cadunt: ita uerborum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, uigentq;.

Ibidem.

-Tristia mœstum
Vultum uerba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem, lasciua: seuerum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Post effert animi motus interprete lingua.

Ibidem. *-Nescit uox missa reuerti.*

Idem Sermonum lib.1. Satyra 1.

-Ridentem dicere uerum,
Quid uetat?- *Idem epist. lib.1. satyra 2.*

-Plenius æquo
Laudat uenales qui uult extrudere merces.

Dantes purgatorij Cant. cap.4.

Et pero quando sode cosa o uede,
Che tenga forte a se lanima uolta
Vasse nel tempo, elhom non senauede. *id est,*
Ea propter cùm auditur aliquid aut uidetur,
Quod detineat fortiter ad se conuersam animam,
Fugit tempus, nec id percipit homo.

Idem Paradisi cap. 1.

Transhumanar significar per uerba
Non si poria: pero lexem plo basti
A cui experienza gratia serba. *id est,*
Transcendere ex humana natura ad diuinam uerbis
Non posset: idcirco exemplum satis sit *(exprimi*
Ei cui experientia gratiam seruat.

Franciscus Petrar. de triumpho mortis cap.2.

Se dire hai altro studia desser breue.
Et col tempo dispensa le parole. *id est,*
Si quippiam aliud dicturus es, stude breuitati,
Et cum tempore distribue uerba ipsa.

De hac materia habes multa infrà in Tacitur.

Litigium græcè ἔρις.ιδος.ἡ. & ἐρίζω litigo. Est autem litigium propriè cõtradictio in verbis, non ex defectu amoris animos vnientis, sed ex hoc quòd quis non veretur contristare personam, ex B. Thoma secunda secundæ quæst. 116. art. 10. Litigium à litigo venit, illud autem à lis deducitur. Lis verò (vt quidam volunt) à limes dicitur, quod primæ inter homines lites de limitibus fuerint. A litigo quod est discepto, cõtẽdo, venit litigiosum, hoc est id de quo lis est. Litigiosus, qui frequenter in litibus versatur.

Literatura græcè γραμματεία.ας.ἡ. & γράμμα.ατος.τὸ. litera dicitur. Est autem litera minima pars vocis compositæ, significatq; elementum, vt a vel b, si singulariter declinatur: Si verò pluraliter, epistolas significat. Poëtæ tamen singulari pro plurali nonnunquàm vtuntur necessitate carminis, præsertim hexametri vel pentametri, in quibus literas, pro literis, locari non possunt. Ouid. Quã legis, à rapta Briseide litera venit. Hinc literatus, qui literarum studijs eruditus est, cuius contrarium est illiteratus. Hinc etiam literula diminutiuum. hinc oblitero, quod est obscurum facio, & ex hominum memoria tollo, quasi è literarum monumentis deleo, ab hoc fit obliteratio.

Litura non à litera, sed à lino, habet enim primam breuem. Ouidius: Quascunq; aspicies lachrymæ fecêre lituras.

Litera autẽ quasi legitera, quod legentibus iter præbeat: vel (vt alij) à lino, quoniam scribendo illinitur, hoc est leniter inducitur atramentum.

Locatio græcè ἔκδοσις.ιος.ἡ. & ἐκδίδομι loco dicitur. Est autẽ locatio personæ vel rei ad vsum facta concessio, mercede in pecunia numeranda conuenta.

Locator dicitur ille qui rei suæ vsum alteri pro pretio concedit, vt loco tibi domum meã, ego sum locator, tu verò conductor.

Locare est vsum alicuius rei pretio concedere, à quo locatio dicitur. Cice. Vxoris fundus erat colono locatus. Aliquando locare est marito dare. Plautus: Filiam eius pupillã locauit. Vnde illocabilis, quæ tradi viro non potest. Plaut. Virginem habeo grandem, dote cassam atq; illocabilem. Aliquando significat ponere, quasi in loco constituere. Virgil. Hic alta theatri Fundamenta locant alij. Aliquando idem quod reponere, vnde locatum repositũ dicimus. A loco fit locatarius, qui domũ aut fundũ aliudue simile in locatione conducit.

Locus grecè τόπος.ου.ὁ dicitur. Estq; terminus corporis cõtinentis immobilis primum, secundum Aristot. lib.4. Physic. Locus est idem per essentiam, quod superficies corporis locantis, secundum B. Tho. 2. Senten. dist. 12. q.5. art.1.

Locutio græcè λαλία.ας.ἡ. & λαλέω loquor dicitur. Est autem locutio vocis per linguam explanatio, secundum Aristot. lib.4. de Anima.

Longanimitas græcè μακροθυμία.ας.ἡ. & μακρόθυμος.ου.ὁ. longanimus dicitur. Est autẽ longanimitas, virtus qua habetur animus tendendi in aliquid, distans in longinquum, secundũ B. Thomam, prima secundæ, q.70. art.3.

Longanimitas magis respicit spem, quàm timorem vel audaciam, vel tristitiam, sicut etiam magnanimitas, ex B. Tho. secũda sec. q.136. art.5.

Theophrastus in Notis.

Loquacitas nihil aliud videtur, quàm sermonis incontinentia. Loquax verò ille, qui cum aliquo colloquens, quicquid alter attulerit, nihil illum dicere asserat, & quod ipse rem omnem calleat, atq; illum, si audire velit intellecturum, loquente altero sæpè interpellat. AMANTIVS.

Idem.

Importunitas est longæ & inconsideratæ orationis expositio. Importunus verò is est, qui cùm in hominem vel ignotum inciderit, huic iuxta assidens primum coniugis suæ laudes

des tollit, tum quæ per noctem somnia viderit, enarrat: Deinde fercula, quot in cæna habuerit, singillatim percurrit: deinde in progressu addit, quàm nostri temporis homines sint veteribus illis virtute inferiores, & vt in foro annona cara, quàm multi peregrini in ciuitatem veniant. Et huiusmodi homines reijciendi, ac procul amouendi sunt. Difficilè enim est illis loquentibus diutius interesse, qui ocij & negotij discrimen nesciunt.

Isocrates orator, cùm loquutuleius quidam nomine Careon in disciplinam eius recipi vellet, duplicem mercedem postulauit. Illi verò causam interroganti, dixit, alteram quidē peto, vt loqui discas: alteram autem, vt taceret.

Zenon è discipulis suis aliquos aiebat esse φιλολόγους, id est, variæ rerum cognitionis studiosos: alios verò λογοφίλους, id est, loquendi tātùm studiosos.

Apollonius ad familiares.

Πολυλογία πολλὰ σφάλματα ἔχει· τὸ δὲ σιγᾶν ἀσφαλές, id est: Loquacitas multos habet errores, tacere autem tutum est.

Theocritus.

Quum vir quidam litigiosus interrogaret Zenonem, an virtus esset vtilis, renuit, non volens respōdendo ei occasionem dare litigandi.

Eusebius.

Homines magnum possident vallum dentium, ad coërcendos leues sermones: verùm in omni re iudicio mentis indigemus, quæ si verba non correxerit, sæpius ante consultationem effugiunt: & tanto vallo neglecto, citra iudiciū ante tempus foras ruunt.

GARRVLITAS, LOQVACITAS,
Ἀδολεσχία. Dicacitas. Linguacitas.

Viues lib. 3. de Anima.

Loquacitas est stulta & inanis loquendi copia: Vel est vicium, quo mentes circumspectæ temerè proferunt aliquid antequàm quid sit, vel quale sit, examussim perpenderint: Virtus autem taciturnitas, est contraria. Inter mansuetas virtutes est sobrietas, item taciturnitas: tales diligimus, minimè autem loquaces, aut futiles, aut in malis amicorum scrutatores, quæ improbi homines non ad ferendam opem inquirunt, sed ad curiosam quandam cognoscendi auiditatem, plerumque etiam vt habeant, quod cum notis possint garrire ac arrodere, de quibus & illud Horatij:

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem.

Et hi sunt in perquirendis familiarium damnis vehementer solliciti, in prosperis verò remissi ac securi.

Aristot. lib. 3. Ethicorum.

Qui fabellarum cupiditate ducuntur, vel studio narrandi trahuntur, & qui in rebus quibuslibet dies totos conterunt, eos loquaces, nō intemperantes dicimus.

Dicaces, linguaces, locutulei, bambaliones ac futiles à veteribus appellantur Græcis σπερμολόγοι.

Theognides poëta.

Πολλοῖς ἀνθρώπων γλώσσῃ θύρα οὐκ ἐπίκειται
ἁρμοδίη, καὶ σφιν πολλ' ἀλάλητα μέλει·
Πολλάκι γὰρ τὸ κακὸν κατακείμενον ἔνδοθεν ἦλθεν·
ἐσθλὸν δ' ἐξελθεῖν λῷον ἢ τὸ κακόν. id est.

Multis hominibus nulla ianua linguæ obditur
Conueniens, & multa in ipsis occultanda comparent:
Sæpius enim malum latitans intrinsecus, processit:
Melius autem fuerit, bonum quippiam egredi, q̄ malum.

Euripides in Hippolyto coronato.

Γλώσσῃ γὰρ οὐδὲν πιστόν, ἣ θυραῖα μὲν
φρονήματ' ἀνδρῶν νουθετεῖν ἐπίσταται,
αὐτὴ δ' ὑφ' αὑτῆς πλεῖστα κέκτηται κακά. id est.

Nulla fides linguæ est, quæ alienos quidem
Animos hominum admonere callet,
Ipsa uerò ex sese plurima mala poßidet.

Idem in Medea.

οὐ νῦν με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις Κρέον
ἔβλαψε γλῶσσα μεγάλα τ' εἴργασται κακά. id est.

Non primum nunc mihi, sed sæpius, ô Creon,
Lingua nocuit, & ingentia mala tulit.

Astydamas.

Γλώσσης περίπατός ἐστιν ἀδολεσχία. id est.

Garrulitas est deambulatio linguæ.

ODIOSA EST LOQVACITAS,
& immoderata uerborum effusio.

Homerus.

Καὶ ἦ ἔπος προέηκεν ὅ περὶ τ' ἄρρητον ἄμεινον
Ἀλλ' αἰεὶ μύθοις λαβρεύεαι, οὐδέ σε χρὴ
λαβραγόρην τ' ἔμμεναι. id est:

Verbum aliquod protulit, quod melius esset indictum, sed semper immodestè verba fundis, non te posthac oportet intempestiuum esse loquendo.

Nicostratus poëta.

εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ καὶ ταχέως λαλεῖν
ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον, αἱ χελιδόνες
ἐλέγοντ' ἂν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ. id est:

Si continuò & multa celeriterq; loqui,
Signum esset prudentiæ, tum hirundines
Dicerentur multò sapientiores nobis.

Euripides in Penthea.

Σὺ δ' εὔτροχον μὲν γλῶσσαν ὡς φρονῶν ἔχεις,
Ἐν τοῖσι λόγοισι δ' οὐκ ἔνεισί σοι φρένες. id est.

Tu verò linguam quidem volubilem habes, vti vir prudens: sed in sermonibus tuis nulla mens inest. Est line mente sonus.

Idem in Antiope.

Κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ
Τὸ δ' ἐκλαλοῦν οὐθ' ἡδονῆς μὲν ἅπτεται,
κακὸν δ' ὁμίλημ' ἀσθενὲς δὲ καὶ πόλει. id est:

Decorum silentium corona est viri boni: Loquacitas autem neq; iucundum aliquid habet, & mala

& mala est conuersationi, & inutilis ciuitati.

Sophocles in Alcadis

Τί ταῦτα πολλῶν ῥημάτων ἔτ᾽ ἐςί σοι;
τὰ γὰρ περισσά πανταχοῦ λυπηρὰ ἔπη. id est.
Quid tibi uis amplius cum tanta garrulitate?
Verba enim nimia sunt molesta ubiq;.

Menander Comicus

Αἰσχρόν γ᾽ ὅταν τις ἐπὶ γλώσσῃ φυείς,
γλώσσῃ ματέυς ἐξακοντίζεται λόγους. id est,

Turpe est cùm quis disertus, dicendo inanes lingua sermones eiaculatur. Idem.

οὔτ᾽ ἐκ χερὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον
ῥᾶον κατασχεῖν, οὔτ᾽ ἀπὸ γλώσσης λόγον. id est.
Neq; ex manu dimittentem ponderosum lapidem
Facilè est cohibere, neq; ex lingua sermonem.

Aeschylus Tragicus.

τυραννικόν τ᾽ πολλ᾽ ἐπίςασθαι λέγειν. id est.
Tyrannicum quiddam est, multa scire loqui.
Duæ aures homini datæ sunt, una autem tantùm lingua.

Euripides in Dyctye.

Ἀνὴρ γὰρ ὅςις ἥδεται λέγων ἀεί
λέληθεν αὐτὸν τοῖς ξυνοῦσιν ὢν βαρύς. id est.
Quisquis multa loquendo delectatur,
Is non intelligit præsentibus se esse molestum.

Philemon Syracusanus comicus.

Τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲν
μακρὸν νόμιζε κ᾽ ἂν δύ᾽ εἴπῃ συλλαβάς,
τὸν δ᾽ εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ᾽ εἶναι μακρὸν
μηδ᾽ ἂν σφόδρ᾽ ἔπη πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον,
τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν ὅμηρον λάβε:
οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει.
Ἀλλ᾽ οὐδὲ εἷς ὅμηρον εἴρηκε μακρόν. id est.
Eum, qui nihil opportunè dicit,
Longũ existima, licet duas tãtùm syllabas pronunciârit.
Ad benedicentem ne longum existimes,
Etsi permulta dixerit, & longo tempore,
Huius indicium, Homerum accipe:
Is enim nobis Myriades scribit uersuum,
Nullus tamen Homerum appellauit longum.

Ζήνων πρός τὸν πλείω λαλεῖν θέλοντα ἢ ἀκούειν, νεανίσκε εἶπεν ἡ φύσις ἡμῖν γλῶτταν μὲν μίαν, δύο δὲ ὦτα παρέσχεν, ἵνα διπλασίων ὧν λέγομεν ἀκούωμεν. i.

Zeno ad volentem plura loqui, quàm audire: Adolescens, dixit, natura nobis linguam vnam, aures verò binas dedit, scilicet, vt duplo plus audiamus, quàm loquamur.

Theocritus, cùm Anaxomenes orationem habiturus esset, incipit verborum quidem flumen, mentis autem gutta, dixit.

Plato, cùm Antisthenes aliquando in Diatriba longam orationem habuisset, ignoras, dixit, quòd dicendi modus non penes loquentem, sed audientem est.

Adolescens quidam in Academia de stultis quibusdam rebus seu negocijs loquebatur, cui Zenon dixit, nisi in mente lingua intincta dixeris, adhuc multò amplius dicẽdo delinques.

Democritus.

πλεονεξίη τὸ παντὰ λέγειν μηδὲν δὲ θέλειν ἀκούειν. id est. Auaritia quædam est, omnia velle dicere, & nihil audire.

LINGVA NON DEBET ESSE VAGA *& libera, uerùm modesta & modulata.*

Horat. in epist. 19. lib. 1 ad Lollium.

Quid de quoq; uiro, & cui dicas, sæpe uideto.
Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinẽt patulæ commissa fideliter aures,
Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum.

Propertius lib. 2. Elegia 31.

Sed tu non debes inimicæ credere linguæ,
Semper formosis fabula pœna fuit.

Tibullus lib. 1. Elegia 2.

Et mea nunc pœnas impia lingua tulit.

Ouid. lib. 2. de Arte amandi.

Eximia est uirtus præstare silentia rebus:
At contrà grauis est culpa tacenda loqui.

FRANCISCVS PETRARCHA LIBRO *1. Epist. 5. de rebus familiaribus, ad Iacobum Columnæ Lombericensem Præsulem.*

An timuisti ne secretum tuuum ex me in vulgus erumperet? itáne rimosum expertus es? ita infirmi ac futilis animi, cui tam facilè commissa diffluerent? egisti incautè, qui mihi toties grauiora credideris: Sed crede mihi, quoniam hodie (vt video) dolor verecundiam superat, crede, inquam, mihi pater optime, nulli (quem quidem ego nouerim) fide, silentio secundus sum: Nemo me ideo, quòd secreta non teneam, ne dicam fideli amicitiæ, sed vel senatorio gradui, vel sacerdotio Cereris inhabilem arguerit. Sacerdos Cereris. Legimus apud Persas, nihil fide sanctius, nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius. Itaque illud vel morte custodiunt, hanc morte castigant. Deformius nihil est loquacitate. Non est qui quocunque supplicio sui regis pandat arcanum: si quis autem fortè contrà fecerit, nullo nõ supplicio dignus habebitur. Præclarè. quid enim omninò facilius, quàm tacere? Ad quid ergo vtilis, aut cui magnæ rei sit habendus idoneus, qui rem lõgè facilimam implere nequiuerit?

Idem epist. 2. lib. 1.

Summæ quidem dementiæ uidetur, in id niti, ad quod fortè nunquã sis venturus, & quod paucis accidit, quodque cum adeptus fueris, modicum prosit, fortaßis & multum noceat: Illud verò negligere, quod & omnibus promptum, præ omnibus vtile, damnosumque nunquam esse possit. Scimus autem magnorum autoritate hominum, experimentoque rerum edocti, quoniam paucis benè loqui, benè viuere autem omnibus datum est: & tamen plures illud amplectuntur, hoc fugiunt. Benè loqui paucis, benè viuere omnib. datũ est. Ita est natura hominum, difficultatibus incumbere, & ea cupidius appetere, quæ laboriosius parantur.

Item de rebus memorabilibus, lib.3. cap.49.

Quàm voluptatis patronus Epicurus, tam hostis Xenocrates, nec minus loquendi, quàm agendi abstinens. Hic ergo cùm casu inter maledicos quosdam, atq; illis ex more obtrectantibus absentium famæ, solus conticesceret, interrogatus, cur id faceret? Quia locutum, inquit, me aliquando pœnituit, tacuisse nunquã. Laudatum hoc à sapientibus responsum, mihi plenius probaretur, si sermonum sæpe, taciturnitatis rarò pœnituisse dixisset.

Erasmus lib.1. Apophthegmatum.

Peculiaris erat Lacedæmonijs verborum paucitas, vnde & ab ea regione breuiloquentia Laconismus dicitur: Cùm igitur Abderitarum legatus apud Agidem multa loquutus, vix tandem dicendi finem fecisset, rogaretq;, quid ciuibus suis esset renunciaturus: Ages illud, inquit, renuncia: quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audijsse. Hoc dicto exprobrauit stolido oratori inanem loquacitatem, responso indignam.

Idem lib.1.

Quum sophista quispiam apud eum dixisset orationem esse rerum omnium præstantissimam, videlicet prædicans artem, quàm profitebatur: ergo, inquit, agis tu, cum taces, nullius es precij: significans multò præclarius esse, res magnificas gerere, quàm habere linguam ad magnificè loquendum expeditam.

In eodem lib.1.

Quum quidam Ephoris opportuna quidem loqueretur, sed pluribus quàm sat erat, Anaxãdridas hospes, inquit, re necessaria in non necessario vteris: significans quod per se rectum est & vtile, non egere prolixa oratione, quòd ipsa causæ bonitas facilè seipsam commendet. Quod si vsquàm locus est loquacitati, eam oportet ad honestas causas adhibere.

Gellius lib.12. cap.2. Noct. Atticarum recitat verba M. Catonis, contra quendam Albinum, breuiloquentiam quisquis in dicendo colat. Laconismus, prouerbium pro breuiloquentia, pro eo quod est, paucis & compendio dicere Vide Chiliad. Erasmi.

Adagia in garrulos ac futiles homines torquenda, ex Erasmo desumpta.

Breuitas grata. Laconismus. Tribus bolis. Minore finire pomerio. Numero dicere. Vno fasce complecti. Tribus verbis.

Pauciloquus, sed disertus. In eum, qui pauca quidem, sed tamen auditu digna loquitur: cõuenit Homericum illud.

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος, id est: Non is multa quidem, verùm argutissima, quippe pauciloquus: Menelaus dicit.

Garrulitas.

Archytæ crepitaculum. Cisteria loquacior. Arabicus Tibicen. Menander. Turture loquacior, Prolixius Iliade. μακρότερα τῆς ἰλιάδος λαλῶν. Cornicari, id est, ineptè garrire. Daulia cornix. Hirundinum musæa. Lusciniæ nugis insidentes. Dodonæum æs. Caute loquacior. Cicada vocalior. Non est eiusdem & multa & opportuna dicere. Conuenit Hebræorum prouerbium, in multiloquio nõ deesse peccatum. Græcè χώρις τὸ τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια. Telenicia Echo, id est, oratio fatui. Battologia.

Horatius:

Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minus inuidiæq;.

Quadrat in eos, qui si quid bonæ rei nacti sunt, continuò iactant ostentantque, atque ad eum modum efficiunt, vt alij tum obsistant, quo minùs eiusmodi commoda nanciscantur, tum quæ nacti sunt interuertant. Quicquid in buccam venerit, vel in linguam. Cicero, Plato, vsi sunt.

Meliacum nauigium, futilis & rimarum plenus, hac atq; illac perfluens.

Intersecta musica: quoties aliquis interueniens sermonem institutum interpellet.

Lingua quo vadis? γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα, καὶ ἀναστρέψουσα.

Lingua quo vadis? erectum ciuitatem, eandem denuò submersura. Docet linguam plurimum vtilitatis adferre mortalibus, & eandem rursus plurimam adferre perniciem, tametsi membrum corporis sit perquàm exiguum.

Sine capite fabula: pro sermone imperfecto ac mutilo.

Leuissima res, oratio. Homerus ἔπεα πτερόεντα προσηύδα, id est: Verba volucria dixit, vel alata, quòd facilè euolent atq; reuolare nesciant.

Horatius:

Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum.

Apophthegmata.

Labotus, cuidam apud ipsum prolixiore vtenti sermone: quid mihi, inquit, de re pusilla longa texis procœmia? Quanta res est, tantam oportet & orationem esse, qua vteris. Est hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi sermone, quàm causa postulat, lógiore, adeo nunquã non placebat frugalitas. Nam ad causam non magnam, adhibere superuacuam verborum copiam, luxuriæ genus est. Eras. lib.1. Apophthegmatum.

Ἀνώνυμον. Ibidem lib.2.

Alius cum in Luscinia plumis reuulsis minimum reperisset carnium: vox, inquit, tu es, prætereà nihil. In eos dici potest, qui præter garrulam linguam, ac magnifica verba nihil habent.

Libro

Libro 1. Ibidem.

Charillus interroganti, quam ob causam Lycurgus tam paucas leges tulisset Lacedæmonijs: quoniam, inquit, pauca loquentibus, paucis esse legibus est opus: sensit nimirum pleraq; mala ex multiloquio nasci: Laconibus auté peculiaris erat breuiloquentia.

Idem lib. 2.

Alius Laconum, cùm audiret Rhetorem magnos sermonis circuitus connectentem: per Geminos, inquit, fortis sanè homo, qui cum nullũ habeat argumentũ, tamẽ egregiè voluit linguã.

Ibidem.

Cthesiphontem Lacones eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totum diem posse dicere, dicentes boni oratoris esse, sermonem habere rebus parem: nulla in re iustius putarunt adhibendam frugalitatem, quàm in oratione, quã Hesiodus non aliter quàm preciosum thesaurũ parcissimè censet esse depromendam ad vsum, non ad ostentationem.

Idem author lib. 4.

P. Sextius Cicero, cum alijs quibusdam ad causæ patrocinium adhibuerat: cumq; ipse vellet omnia dicere, nec cuiquam locum dicendi daret, vbi iam constaret illum à iudicibus absoluendum, ferreturq; sententia: vtere, inquit Tullius, tempore hodie, cras enim priuatus eris: Notans hominem, quòd in causa suo arbitratu solus egisset omnia.

Prouerbium.

Canere Tellinis cantilenas: de ineptè loquaculis, item mordacibus & dicacibus dici solitũ. Eras. in Chiliád. indicat.

Apophthegmata ex Erasmo educta, contra garrulos & loquaces.

Thales Milesius.

Multa verba nequaquàm arguunt sapienté opinionem. Græcis carmen esse videtur. οὔτε τὰ πολλὰ ἔπη φρόνιμον ἀπεφήνατο δόξαν, id est: Sapiens enim non, nisi cùm res postulat, pluribus vtitur verbis, q̃ opus est: quemadmodum Deus omnium sapientissimus sermonis est parcissimi. Eras. lib. 7. Apophthegmatum. (Paucilo-quium.)

Eodem libro.

Antisthinem, quoniam multa conscripsit volumina, Timon appellare solet παντοφυῆ φλέδωνα, id est: Ingeniosum nugatorem. Non tamen dixit εὐφυῆ sed παντοφυῆ, quòd ingenio ad quduis versatili varia tractaret argumenta, & in his quædam parum digna Philosopho.

Ibidem.

Bion Borystemites cuidã immodicè loquaci, vt sibi subueniret, oranti respondens, abunde tibi morem geram, si aduocatos miseris, non veneris ipse.

Ibidem.

Zeno Cittieus ad Aristoné discipulum multa temerè garrientem, quædam etiam præcipitanter, confidenterq; fieri: inquit, non potest quin te pater ebrius proseminarit: oderat futilem loquacitatem, ipse in dictis tum breuis tũ grauis. (Idem & Diogeni adscribitur.)

Idem.

Eleganter ac politè loquentium sermones, aiebat, esse similes pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, ac vndique scripturam habenti, more numismatis, nihilo tamen esse meliorem. Rursus qui magis studerent vtilia dicere quàm nitida, similes esse dicebat, tetradrachmis, temerè ac ruditer percussis, quæ sæpe picturatis illis numis præpõderarent. In nummo non spectatur elegantia scripturæ, sed pondus ac materia: ita nõ refert quàm sit elegans oratio, sed quàm grauis & vtilis. (Oratio grauis.)

Idem.

Ad quendam dicentem, breues esse philosophorum sententias, vera prædicas, inquit, oportet enim & syllabas illorum, si fieri posset, esse breues. Veritas multis verbis non eget, & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehensa sunt. (Breues philosophorum sentétiæ. Paucilo-quus.)

Euripides.

Simplex ueritatis oratio.

LINGVA LVBRICA ET PRAECEPS.

Erasmus lib. 7. Apophthegmatum.

Zeno Cittieus dicere solebat: satius esse labi pedibus, quàm lingua: eoq; conuiuia quãtum poterat vitabat, quod ibi solutus vino, & aliorum fabulis prouocatus, faciliùs labi posset.

Idem lib. 2. Apophthegmatum.

Chilo Lacedæmonius sapiens dicebat, non committendum, vt lingua præcurreret animũ: admonens prius cogitandum, quid loquaris, quàm lingua prorumpat in verba. Nescit enim vox missa reuerti: Cogitatio prior potest corrigi posteriore meliore, vt habet prouerbium, vox non item.

Idem præcipiebat linguam, quum aliâs semper, tum præcipuè in conuiuio continendam, quòd illic cibus ac potus inuitet ad intemperantiam. Porrò vbi plus est periculi, ibi maior adhibenda est ratio.

Ibidem.

Idem rogatus, quid esset difficilè: arcanum, inquit, reticere. Tanta est linguæ omnium maximè volubilis incontinentia, quum alioqui nihil videatur facilius, quàm tacere.

Idem.

Adolescenti cuidam multa garrienti, aures, inquit, tuæ in linguam defluxêre: submonens adolescentis esse audire multa, loqui pauca.

Ibidem.

Idem adolescentem multa temerè garrientem, hoc dicto corripuit: ob id binas habemus aures, os vnicum, vt plurima audiamus, loquamur paucissima.

Ibidem.

Ibidem.

Idem iuueni confidenter loquenti, non dixerim, inquit, O adolescens, quæ mihi succurrunt: subnotans è sermonis procacia colligi & morum impudicitiam.

Ibidem.

Ptolomæi legatis, qui multos eruditos ad cõuiuium inuitarunt, percunctantibus, quid de ipso regi suo essent renunciaturi, ait, vidisse vos senem, qui in conuiuio tacere nouerit: quũ enim cæteri ad ostentationem multa dixissent, vnus Zeno perpetuum tenuit silentium.

Lingua effrenis. Theophrastus Oresius dicere solicitus est, potiùs esse fidendum effreno equo, quàm verbo incomposito: nemo non metuit insidere equo infreni, at plus est periculi à lingua effreni.

Erasmus lib. 7. Apophthegmatum.

Aristoteles, cum apud eum garrulus quidam multa esset nugatus, & tandem dixisset, fortassis obstrepo tibi nugis meis, non hercule, inquit, neq; enim aduerti animum.

Ex lingua propagantur plærunq; bona, sæpè etiam magna mala.

Aegyptiorum regem periclitandi gratia, cuiusmodi foret in Pittaco prudentia, proditũ memoriæ est, integri animalis carnes ad eum transmisisse, petentem, secerneret inde quod optimum censeret, rursusq; quod pessimũ. At is vnam modo linguã eximens ad eum referri iussit: symbolicè innuens atq; opertè, in ea corporis parte portioneq;, ingẽtium sæpè bonorũ latere fomites, nec deesse tamẽ, si prodigi sit & infrenis maximarum cladium organum: Hinc apud Euripidẽ, Ino audacius astruit, tenere se tacendi tempora, atq; item loquendi. Cœlius Rodiginus lib. 7. lectionũ antiquarum, cap. 26.

Nauem ventis abreptam anchoris infrenamus, ad rapiditatis hebetandam vim, sermo ex ore velut portu excurrens, stationem nanciscitur nullam, neque vt Græci dicunt, ἀγκυροβάλιον, id est, anchoræ iactum frustra succinueris cõmunem futilium locutorũ ἔποδον, dum verbis humidis & lapsantibus defluunt. Hæc nemini dixeris, sile, apud te sint ista.

Sacris silentij mysterijs initiari præstiterit, ac altius contemplari, quanto maiore prosequamur admiratione, ampliusque amemus, sapientiores arbitrati, verbis parcentes: & vt græci expressius dicunt στρογύλους καὶ βραχυλόγους, quã hosce effrenes, quos raptari temerè videas, dũ sensuum efficiunt inuolucra, & verborum instrepunt voluminibus, ac vocum turba. At illorum præparcus substrictusque sermo, verbis est modicus, sensu latè sese fundit, & expatiatur. Hosce admirans Plato ita laudat, vt acerrimis iaculatoribus persimiles dicat οὖλα καὶ πυκρὰ καὶ συνεστραμμένα φθεγγομένους.

A sapientibus rectè dictum est, dicendi quidem homines esse nobis magistros, tacendi autem Deum nos habere præceptorem: quando in sacris mysterijsq; fauere linguis iubemur.

Theognides.

Ἀργαλέον φρονέοντα παρὰ ἄφροις πόλλ᾽ ἀγορεύειν,
Καὶ σιγᾶν αἰεὶ τοῦτο γὰρ ἀδύνατον, id est: Indecorum est apud prudentes multa loqui, perpetuò autem facere impossibile est.

Tutius est tacere quàm loqui.

Egregia est Simonidis sententia, quem dicere solitum Historici referũt, ὅτι λελήσας μὲν πολλάκις μετενόησε σιωπήσας δ᾽ οὐδὲ ποτὲ, Id est: Locutum esse pœnituit sæpè, tacuisse nunquàm. Hinc & Pythagoricos Atheneus scribit, animantes quidem attigisse reliquas, verum moderatè quasdam immolasse: Pisces autem nec gustasse omninò, Echemythiæ, id est, silentij ratione: quippe silentium esse opinantur quiddam diuinũ, pisces verò prorsus sine voce animaduertũtur: vel paremia suffragante apud Lucianum, cæterosq; item magis mutos pisce. Taciturnior Pythagoreis: de vehementer taciturnis prouerbium hoc dicitur, sumptum à Pythagoræ schola, in qua quinquenne silentium indicebatur auditoribus. Erasmus in Chiliadib⁹, Laërtius lib. 8. De vitis Philosophorum.

Seneca epistola centesima decima ad Lucilium.

Nihil æquè proderit ad quietem commodã retinendam, quàm quiescere, & minimum cum alijs loqui, plurimum secum. Est quædam dulcedo sermonis, qui irrepit & blanditur, & non aliter, quàm ebrietas aut amor, secreta producit. Nemo quod audierit tacebit, nemo quantum audierit loquetur: qui rem non tacuerit, non tacebit autorem: habet vnusquisq; aliquẽ cui tantum credidit, quantum ipsi creditũ est, vt garrulitatem suam custodiat, & contentus sit, vnius auribus populum faciet: sic quod modo secretum erat, rumor est.

Cantor Solensis.

Adolescente quodam audacius quàm par erat loquente. Nullus ne, inquit, hunc ἀστραγάλῳ, id est, talo excipiet? Verboso item cuidam, ignauo & molesto:

ἄκολας, inquit, *ὁμιλεῖν γίνεται δούλων τέκνα*. id est.
Obscena nati seruorum loqui solent.
Loquaci item obtundenti, nimio uerborum strepitu.
Næ malam quidem, inquit, nutricem nactus est,

Laërtius de vitis Philosophorum lib. 4.

Refert idem Anacharsis Scythæ imagini inscriptum fuisse, continendum scilicet esse lingua, ventre, & pudendis, id est, abstinendum à loquacitate, gula, & venere.

Luctus græcè κλαυθμὸς. οῦ. ὁ & ὀδύρομαι lugeo ΝΑΝΥ... dicitur. Est autem luctus, dolor qui exterius proditur vultu ipso atq; aspectu, à lugeo. Sæpè ipse habitus, vultus atq; vestis, luctus dicitur.

Luctus

Luctus est planctus pro mortuis, secundum B.Tho. super Psalmo. 34. co. 10.

Luctus est ægritudo, ex eius qui charus fuerat interitu acerbo, secundum Ciceronem lib. Tuscul. quæst.

De hac materia vide suprà in Lachrymas.

AMANTIVS.

Homerus 24. Iliad.

Ἴσχεο μηδ' ἀλίαστον ὀδύρεο σῷ κατὰ θυμόν,
οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος υἷος ἑῆος,
οὐδέ μιν ἀνστήσεις πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθησθα. id est.

Sustineas, neq; uiuus in animo tuo lugeas:
Nihil enim proficies, utcunq; grauiter ob filium dolens,
Nec excitabis eum prius, quàm & alia calamitas accidat.

Volateranus ita uertit, capite de Vitæ fragilitate. lib. 31. Philologiæ.

Desine, nec doleas, nil semper proficis usq;,
Nec semel extinctum lachrymis reuocabis ab Orco:
Fata dedêre homini, patientius omnia ferre.

Ibidem Homerus.

Μέλλει μέν πού τις καὶ φίλτερον ἄλλον ὀλέσσαι,
ἠὲ κασίγνητον ὁμογάστριον, ἠὲ καὶ υἱόν,
Ἀλλ' ἤτοι κλαύσας καὶ ὀδυράμενος μεθέηκε.
τλητὸν γὰρ μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισι. id est.

Perditurus est aliquis olim etiam chariorem sibi multò,
Siue fratrem germanum, seu filium quoq;,
Veruntamen luctum, doloremq; remittit:
Patientem namq; hominibus facta dedêre animum.

Idem 19.

Γαστέρι δ' οὔπως ἔστι νέκυν πενθῆσαι Ἀχαιούς, id est.

Non licet inani deflere mortuum uentre.

Stesichorus.

Ἀτελέστατα γὰρ καὶ ἀμήχανα τοὺς θανόντας κλαίειν, id est.

Lugere mortuos, res est infinita, & inops consilij:

Euripides in Menalippe.

Τί τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς τεθνηκέναι
Καὶ τὰ ἐκχυθέντα συλλέγεις ἀλγήματα. id est.

Quin tu defunctos obijsse sinis,
Et effusos dolores colligis?

Idem.

τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισιν κατθανεῖν μένει κοινόν:
δ' ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πάσχομεν πάντες: τὸ γὰρ χρεὼν μεῖζον, ἢ τὸ μὴ χρεών, id est.

Omnibus hominibus obeunda mors est:
Quum igitur communis sit, patimur etiam communia
Omnes: fati enim maior ius est, quàm ubi fatum abest.

Archilochus.

Κήδεα μὲν στονόεντα, Περίκλεες, οὔτε τις ἀστῶν μεμφόμενος θαλίῃς τέρψεται, οὐδὲ πόλις: τοίους γὰρ κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης ἔκλυσεν, οἰδαλέους δ' ἀμφ' ὀδύνῃ ἔχομεν πνεύμονας: ἀλλὰ θεοὶ γὰρ ἀνηκέστοισι κακοῖσιν ὦ φίλ' ἐπὶ κρατερὴν τλημοσύνην ἔθεσαν φάρμακον, ἄλλοτε δ' ἄλλος ἔχει τόδε νῦν μὲν ἐς ἡμέας ἐτράπεθ', αἱματόεν δ' ἕλκος ἀναστενόμεσθ', ἐξαῦθις δ' ἑτέρους ἐπαμείψεται ἀλλὰ τάχιστα τλῆτε, γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι. id est.

Aerumnis luctuosis ô Pericles, neq; ciuis aliquis,
Neq; ciuitas laborans & cõquerens, epulis delectabitur:
Illos enim fluctus tumultuosi maris
Fregit: nos autem tumidos præ doloribus habemus — Patiẽtia mala ad chora: Italicũ Prouer.
Pulmones, uerum dij maximis malis
O amice, duram patientiam addiderunt,
Remedium: quod aliàs alius habet: nunc quidem ad nos.
Versum est, & cruentum hulcus suspirijs geminus:
Ast aliàs uicißim alios afficit, sed age statim
Patientes estote, muliebri luctu depulso.

Plato in lib. 10. de Repub.

Ἀνὴρ ἦν δὲ ἐπιεικὴς, τοιᾶσδε τύχης μεταλαχὼν, ὅτ' ὑὸν ἀπολέσας ἤ τι ἄλλ' ὧν περὶ πλείστου ποιεῖται ἐλέγομεν που καὶ τότε ὅτι ῥᾷστα οἴσει τῶν ἄλλων, id est.

Vir probus, menteque præditus tali, si filium amiserit, aut aliquid aliud sibi charissimum: faciliùs quàm cæteri feret, quemadmodum diximus.

Ibidem.

Quum homo circa idem simul contrarijs motibus agitetur, necessariò duo quædam illa esse dicimus: alterum quidem legi obtemperare paratum est, vtcunq; iniunxerit. Quo pacto? Lex vtique dicat optimum esse, in aduersis quàm maximè fieri potest, quietem agere, neq; conqueri: quod incertum sit, bonúmue id sit, aut malum quod accidit: tum quod nihil dolor ad sequentia conferat, neque vlla humanarum rerum magnipendenda sit, eique quod subito præsidio esse potest, dolor impedimento sit. Cui inquis? Consultare, inquam, circa ea quæ acciderunt in primis oportet, & tanquàm in tesserarum iactu, prout cecidit, quomodocũq; ratio rem melius habere dicat, negocia disponere. Neq; verò si quid aduersi inciderit, prosternere nos debemus: atq; vt pueri solẽt, cùm offendunt in lapidẽ procidentes circa id quod læsit, eiulando moram trahere: sed animum adsuefacere, vt ad sanandum præsto adsit, & quicquid ægrotat, dimissis lamentationibus corrigat. Opportunum hoc quidem est, aduersus fortunæ ictus remedium. Quod sanè optimum est rationi, huic libenter obtemperat, constat: quod verò ad perturbationis recordationem, luctumq; rapit, in eisq; diutius detinet irrationale est, languidũ, formidulosum, ita dicendũ.

Dolor nihil facit ad exterminãdas aduersitates.

Ennius.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu,
Faxit, cur? uolito cuncta per ora uirûm.

Cicero in quæst. Tuscul. Volateranus lib. 31. Philologiæ.

Solon Atheniensis.

Mors mea non careat lachrymis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

IN DEFVNCTOS NON EST
exercenda contumelia.

Volateranus lib. 31. Philologiæ.

Memoriam defunctorum venerari omnes scriptores ferè præcipiunt.

Demosthenes.

Τοῖς ζώοις πᾶσι ὕπεστι ἢ πλεῖον ἢ ἔλαττον φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δ' οὐ τῶν ἐχθρῶν τις ἀτιμάζει, id est: Cuncta quidem animalia, inuidiam aliquam, siue paruam, siue magnam subeunt. Mortuis etiam inimici parcunt.

Timocles.

Mortuis misericordia Deusq; propitius optandus: viuis innocua inuidia.

Stesichorus.

θανόντος ἀνδρὸς οὐ πᾶσα ἀπολείπεται χάρις, id est: Morientem hominem, non omnis gratia deserit.

Archilochus.

οὐ γὰρ ἐσθλὰ καταθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν, id est: Ne mortuorum hominum bonis obtrecta, quæ quidem res maximè damnatur. Ex quò Sophocles quæritur φεῦ φεῦ τοῦ θανόντος ὡς ταχὺς βροτοῖς χάρις διαρρεῖ, id est: Heu, heu, quàm cito mortuorum gratia mortalibus defluit. Homerus de corpore Hectoris dehonestati: κωφὴν γὰρ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων, id est. Quid nisi mutatam, fœdat moribundus harenam. Moschion eandem secutus sententiam, vanum, inquit, defuncti hominis vmbram lacessere. Et Plautus ait, non nisi laruas, cum mortuis luctari, cùm Pollio orationē aduersus eum scriptam reseruaret, post mortem ædendam.

Cū laruis luctari dictū prouerbialiter.

Zoilus Homeromastix librum, in Homeri vituperationem Ptolomæo Philadelpho dicauit: cumque diu præmium frustrà expectasset, petere cœpit. An, inquit, Ptolomæus egere potes? Qui maior sis Homero, ac viuus: quum ille te inferior, ac mortuus, tot hominum milia diu pascat?

Homerus 10. Odyssea.

Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν καυχάασθαι, id est.
Nefas est, super uiros defunctos gloriari.

Moschion in Pheræis.

Κενὸν θανόντος ἀνδρὸς αἰκίζειν σκιάν. id est.
Temerarium est umbram hominis mortui affligere.
Ζῶντας κολάζειν, οὐ θανόντας εὐσεβές, id est:
Viuos castigare decet, non mortuos.

Archilochus.

Malum est uiris defunctis conuiciari.

Euripides in Antigone.

θάνατος γὰρ ἀνθρώποισι νεικέων τέλος
ἔχει, τί γὰρ τοῦδ' ἐστὶ μεῖζον ἐν βροτοῖς;
τίς γὰρ πέτραιον σκόπελον οὐτάζων δορὶ
ὀδύναισι δώσει. τίς δ' ἀτιμάζων νέκυς,
εἰ μηδὲν αἰσθάνοιντο τῶν παθημάτων, id est.
Mors hominibus contentionum finem
Habet: qđ enim inter mortales morte maius esse potest?
Quis durum saxum hasta uulnerans
Dolore afficiet? & quis in mortuos contumelius dolorem
eius cieat,

Quum nullam affectionem sentiant?

Aeschilus in Hectore.

Καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν
τὸ γοῦν κακουργεῖν ἀμφιδεξίως ἔχει,
(καὶ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι βροτούς:)
ἡμῶν γε μὲν τοι νέμεσις ἔσθ' ὑπερτέρα,
καὶ τοῦ θανόντος ἡ δίκη πράσσει κότον, id est.
Vita functos, si libet, beneficijs persequere:
Nam iniuriam illis inferre, facilè quidem factu est,
(Neq; gaudio neq; dolore mortales afficiantur.)
Verùm Nemesis superior nobis est,
Et ipsa iustitia mortuum uindicat.

Dionysius in Sotera.

πρὸς τὸν τελευτήσαντα ἕκαστος κἂν σφόδρα
ὢν ἐχθρὸς ᾖ τις, γίνεται φίλος τότε, id est.
Homini mortuo unusquisq;, licet admodum
Inimicus anteà fuerit, conciliatur.

Euripides in Phœnißis.

τοῖς γὰρ θανοῦσι χρὴ τὸν οὐ τεθνηκότα,
τιμὰς διδόντα χθόνιον εὐσεβεῖν θεόν, id est.
Decet ut qui uiuunt, mortuis
Honores tribuendo, infernale numen colant.

Archilochus, aliâs Timocles.

τοῖς μὲν τεθνεῶσιν, ἔλεος ἐπιεικὴς θεός,
τοῖς ζῶσι δ' ἕτερον ἀνοσιώτατον, φθόνος. id est.
Mortuos misericordia benignum numen sequitur:
Viuentes autem aliud infestißimum, inuidia.

Sophocles in Larissæis.

μηδὲ τῷ τεθνηκότι
τὸν ζῶντ' ἐπαρκεῖν αὐτὸν ὡς θανούμενον, id est.
Oportet autem mortuo
Viuentem inseruire, & auxiliari, utpotè moriturum &
ipsum.

Mimermus in Neoptolemo.

δεινοὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ
ζῶντι φθονῆσαι, κατθανόντα δ' αἰνέσαι, id est.
Insigni cuipiam uiro proni sumus omnes
Inuidere uiuo, mortuum autem laudare.

Sophocles in Aiace.

μενέλαε μὴ γνώμας ὑποστήσας σοφὰς
μὴ τ' αὐτὸς ἐν θανοῦσιν ὑβριστὴς γένῃ, id est.
O Menelae, qui sermonem habuisti sequentem, uide
Ne tu ipse fias iniurius mortuis.

Moschion Poeta Syracusanus Aristarchi familiaris.

τί κέρδος οὐκ ἔτ' ὄντας αἰκίζειν νεκρούς;
τί τὴν ἄναυδον γαῖαν ὑβρίζειν πλέον;
ἐπὰν γὰρ ἡ κρίνουσα, καὶ τὰ ἥδιω
καὶ τὰ νίαρα, φροῦδος αἴσθησις φθαρῇ,
τὸ σῶμα κωφοῦ τάξιν εἴληφε πέτρας,
Quid iuuat mortuos, qui non amplius sunt, affligere,
Aut mutam terram contumelijs afficere?
Postquàm enim, qui iucunda discernit

Et

Et molesta, sensus iam interierit,
Corpus in posterum instar est surdæ petræ.
Defunctum Chilon non maledictis afficias, sed beatum prædices.

Plato lib. 5. de Republica.

Ἀνελεύθερον δὲ δοκεῖ καὶ φιλοχρήματον νεκρὸν συλᾶν, καὶ γυναικείας, καὶ σμικρᾶς διανοίας τὸ πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος, ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ λελοιπότος δὲ ᾧ ἐπολέμει· ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι, τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμεναι; οὐδὲ σμικρὸν ἔφη. ἐατέον ἄρα τὰς νεκροσυλίας, καὶ τὰς τῶν ἀναιρέσεων διακωλύσεις, id est:

An non illiberale quiddam, cogitationisq; auaræ, muliebris, ac vilis esse videtur, cadauer expoliare, hostemq́ em putare mortui corpus, cùm aduersarius ipse abierit, eo quo pugnabat relicto? Num censes eos, qui hoc agunt, differre à canibus, aduersus iactos lapides irascentibus, eo qui iacit dimisso? nihil equidem differre arbitror, quare à rapinis huiusmodi abstinẽdum est, victoriæ namq; obsunt.

Idem lib. 11. Legum.

Opportunè videmur in superioribus narrasse, defunctorum animas vim quandam habere, qua de rebus humanis curam habent: id verum quidem, sed lõga oratione approbatur. Quamobrem & alijs tritis, antiquisq́ue de hac re sermonibus, & legum latoribus sic se habere ista sancientibus credere debent, nisi omnino dementes sint. Cùm verò hæc ita natura sint, primùm Deos maximè superos timeant, qui de puerorum desolatione procurant: deinde etiã mortuorũ Manes, quibus natura inest, vt præcipua illorum cura teneantur, qui ab eis geniti sunt, adeò vt honorantibus eos propititij, contemnentibus infensi sint.

Prouerbium.

Mortuum flagellare, pro vita defunctos insectari, ac lacerare. Græcè νεκρὸν μαστίζειν. Eras. Chil. 1. Centuria 4.

Euripides.

τύμβῳ γὰρ οὐδεὶς πιστὸς ἀνθρώπων φίλος, id est.
Nullus hominum fidus est amicus tumulo.

Menander.

θανόντων δὲ καὶ λόγοι φίλον προδόται. id est.
Mortuos etiam grati sermones deserunt.

Archilochus.

οὔτις αἰδοῖος μετ' ἀστῶν καὶ περίφημος θανὼν
γίγνεται χάριν δὲ μᾶλλον τοῦ ζωοῦ διώκομεν
ζωοί, κάκιστα δὲ τῷ θανόντι γίγνεται. id est.
Nullus inter ciues à morte honorabilis, aut clarus
Fit, sed potius uiuentis gratiam aucupamur
Viui: pessimè autem erga mortuum agitur.

Sophocles in Aeiace.

Φεῦ τοῦ θανόντος, ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς χάρις
διαρρεῖ καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται. id est.
Papæ, quàm cito apud homines mortui
Gratia diffluit, & deserta apparet.

Stesichorus poëta Lyricus, Volatenanus lib. 19. Philologiæ.

Θανόντος ἀνδρὸς πᾶσ' ὄλυτ' ἀνθρώπων χάρις. id est: Quum defunctus est quispiam, omnis hominum gratia perit.

Euripides.

Ὡς σκαιὸς ἀνὴρ καὶ ξένοισιν ἄξενος,
καὶ μνημονεύων οὐδὲν ὧν ἐχρῆν φίλου:
Δάνφον δὲ ἄρ' ἦν θανοῦσιν ἀσφαλεῖς φίλοι
Κἂν ἀμόθεν ὦσι: τὸ γὰρ ἔχειν πλέον κρατεῖ,
Τῆς εὐσεβείας ἤδη ἐν ὀφθαλμοῖς χάρις.
Ἀπόλωλ', ὅταν τις ἐκ δόμων ἔλθῃ,
Χρόνος δ' ἀμαυρᾷ πάντα κ' εἰς λήθην ἄγει. id est.
Quàm agrestis hic uir est, & hospitibus inhospitalis,
Et nulla in re ubi oportebat amici memor.
Rari planè sunt amici post funus constantes, Pulchra sententia.
Etsi prius coniunctißimi: Nam in præsentia habere præpollet.
Gratia pietatis, quæ coràm fieri solebat,
Interit, cum quibus domo effertur.
Tempus obscurat omnia & obliuione inuoluit.

Laudare defunctos vetus est consuetudo, cœpitq́ue apud Græcos iam inde à Pericle, qui, teste Thucydide, prius defunctos in bello Peloponesiaco pro concione laudauit. Apud Romanos verò Valerius Publicola primus collegam suum Brutum, (vt est apud Liuium) commendauit. Volateranus lib. 31. Philologiæ, hæc & alia de ritibus antiquis mortuorum sepeliendorum.

Lucubratio græcè ἀγρυπνία, ας. ἡ. & ἄγρυπνος. οὐ. ὁ. vigil dicitur. Est autem lucubratio idem quod vigilia, & à lucubro venit, quod est vigilo, opus etiam ipsum quod fit lucubrãdo, lucubratio dicitur, quia hæc ad lucernam fieri solent, huius diminutiuum est lucubratiuncula. NANVS.

Lucrum grecè κέρδος ιος. τὸ. & κερδαίνω lucror dicitur. A quo verbo venit cerdo. donis, qui est quicunq; artes illiberales exercet quæstus gratia, qui grecè κέρκωψ. ωπος. ὁ, hoc est, astutus, & quasi κέρδαμα dicitur. Cercopa græci vocant, quem nostri lucrionem vocant, id est, lucrari vndiq; cupientem.

Caßiodorus lib. 9. epist. 3.

Aurum siquidem per bella quærere, nefas est: per maria, periculum: per familiaritates, opprobrium: in sua verò natura honesta sunt lucra per quę nemo lęditur. Benè quęritur, quod de nullis dominis abrogatur.

Idem epist. 14.

Commodum debet esse cum modo, nam si mensuram qualitatis excesserit, vim sui nominis non habebit.

Idem lib. 11. epist. 8.

Illud tamen verè possumus dicere, quod cõstat Deum non punire.

Plautus in Asinaria.

Necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.

Hesiodus.

μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτησιν. id est.
Noli malè lucrari, mala lucra æqualia damnis.

Menander.

βίον πορίζου πάντοτε πλὴν ἐκ κακῶν. id est.
Victum acquire undiq; præterquàm ex malis. Idem.
βέλτιστε, μὴ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκόπει. id est.
Optime, noli lucrum in omnibus considerare. Idem.
ἦθος πονηρὸν φεῦγε, καὶ κέρδος κακόν. id est.
Morem malum fuge, & lucrum malum. Idem.
κέρδος πονηρὸν μὴ λαβεῖν βούλου ποτέ. id est.
Lucrum malum ne capere uelis. Idem.
κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει. id est.
Lucrum malum, damnum semper fert. Idem.
Τὰ μικρὰ κέρδη μείζονας βλάβας φέρει. id est,
Paruum lucrum maiora damna fert. Idem.
τὸ κέρδος ἡγοῦ κέρδος, ἂν δίκαιον ᾖ. id est.
Lucrum puta lucrum, si iustum sit. Idem.
τὰ δ᾽ αἰσχρὰ κέρδη ξυμφορὰς ἐργάζεται. id est.
Turpia autem lucra calamitates pariunt.

Sophocles in Aiace.

μὴ χαῖρ᾽ Ἀτρείδη κέρδεσι μὴ καλοῖς. id est.
Ne gaudeas Atride lucris non honestis.

Iuuenalis satyra 14.

– Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. –

Lumen grecè φῶς. φωτός. τὸ & φωστὴ ςῆρος. ὁ. luminare dicitur. Est auté lumen qualitas inhærens diaphono, secundum quam diaphnum est actu transparens, secundum Aristot. lib. 2. de Anima.

Lumen est color perspicui, secundum accidens, per aliud scilicet à corpore lucido, secundum Aristot. lib. de Sensu & sensato.

Luminare dicitur esse corpus lucens, & radios emittens vt sol, luna, & omnes stellæ. Non corpus diaphanum, nec opacum, ex B. Thoma secunda secundæ, dist. 15. q. 1. art. 1.

Lux pariter φῶς. φωτός. τὸ. dicitur. Est autẽ lux non corpus, nec est euidentia coloris, secundũ B. Thomam prima parte q. 67. art. 2.

Lux differt à lumine, radio, & splendore, secundum eundem secunda. Sentent. dist. 13. q. 3.

Luxuria peccatũ
- *Mortale est quandocunq; est cum deliberatione.*
- *Veniale quando non adest consensus rationis.*
- *Generale quia habet species quæ sunt*
  - *Fornicatio.*
  - *Stuprum.*
  - *Adulterium.*
  - *Raptus.*
  - *Incestus.*
  - *Sacrilegium.*
  - *Vitium contra naturam est, à quo impoßibilis est generatio prolis, & fit 4. modis, secunda secun. q. 154. art. 1. 5.*
    - *Si procuratur pollutio Venerea delectationis causa absq; concubitu, & dicitur* Mollities.
    - *Si fiat cum illicito concubito ad rem non eiusdem speciei, & dicitur* Bestialitas.
    - *Si fiat per concubitum & indebitum sexum, & dicitur* Sodomia.
    - *Si non seruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad instrumentum inconueniens, aut quantum ad alios bestiales & monstrosos concumbendi modos, & est* Innominatum.
  - *Impudicitia quæ pertinet ad actus circumstantes actum uenereum, sicut sunt oscula, tactus, & alia huiusmodi.*
- *Capitale, quia secũdũ B. Gregor. 3. moraliũ. inde oriuntur 8. uitia, quæ ex luxuria*
  - *Rationis actus 4. deordinãtur, scil.*
    - *Simplex intelligentia apprehendens aliquẽ finem, uel bonum, quæ maximè per luxuriam deordinatur, & hæc dicitur* Cæcitas mentis.
    - *Consilium, quod est inquisitio eorum, quæ sunt ad finem. Cuius deordinatio dicitur* Præcipitatio.
    - *Iudicium de agendis, quod est quædam determinatio iusti eorum quæ sunt ad finem, & hæc deordinatio dicitur* Inconsideratio.
    - *Præceptum de agendis, quod est quædam uelox executio eorum, quæ præconsiliamus, uel præiudicamus, & dicitur* Inconstantia.
  - *Voluntatis actus quantum ad*
    - *Apetitum finis. Cuius deordinationem sequitur.*
      - *Amor sui inordinatus, quantum aliquis inordinatè appetit delectabilia carnis.*
      - *Odium Dei, quoniam licet in se consideratũ nemo ualeat odisse, potest tamen inquantum prohibet, & punit delectabilia carnis.*
    - *Appetitum eorũ quæ sunt ad finem sequitur.*
      - *Affectus præsentis seculi in quantum scilicet aliquis uult frui uoluptate.*
      - *Horror futuri sæculi, & hoc sequitur ex priori.*

LVxuria grecè ἀσωτία.ας.ἡ. & ἀσώτως luxuriosè & ἄσωτος.ȣ.ὁ.ἡ. luxuriosus dicitur. Est autem luxuria solutio in voluptates secundum Isidorum lib. Ethymolog.

Luxuria est concupiscentia experiendæ voluptatis, vel concubitus desiderium supra modum, vel contra rationem afferens, secundum Hugonem libro de Sacramentis.

Luxuria est appetitus inordinatus venereorum, secundum B. Thomam secunda secundæ, quæst. 153. & in q. de malo, q. 15.

Luxuria pricipaliter est circa voluptates venereas: Secundariò autem dicit excessum in alijs, ex B. Thoma secunda secundæ quæst. 153. artic. 1.

Luxuria siue luxuries, siue luxus, est immoderata appetitio cuiuscunque rei gratæ, rationi non obtemperans. Capiturq; pro immoderata profusione. Cicero: Intelligimus quàm sit turpe deflluere luxuria, delicatè ac molliter viuere. Sumitur etiam pro nimia rei abundantia. Vnde luxuriare quoque modo profundere, modò nimium abundare significat. Virgil.

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Reperitur etiam luxurior luxuriaris, & luxor luxaris in eadem significatione. Dicuntur autem hæc à luxo, quod significat soluo, à quo etiam luxa, & luxata membra dicuntur soluta, & suis locis mota. Item luxuriati, quorum membra suis locis mota sunt: Plinius: Altę radix decocta luxatis prodest.

Exodi cap. 22.

Maleficos non patieris viuere. Qui coierit cum iumento moriatur.

Augustinus super illud Leuitici cap. 29. & habetur 15. quæst. Mulier.

Mulier quæ accesserit ad omne pecus, & vult ascendi ab eo, interficietis mulierem, & pecus morte moriatur. Rei enim sunt. Quæritur quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale, nec vllo modo capax legis est. Item pecora inde credendum est iustè interfici, quia tali flagitio cõtaminata indignam refricant facti memoriam.

Idem de Christiana fide, & habetur 32. quæst. 5. cap. Nec solo.

Nec solo affectu, & tactu, sed aspectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarũ. Nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius, & cum se sibi inuicem etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum cõcupiscentiam carnis ardore alterutro delectantur, etiam in tactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus.

Idem lib. 12. de Ciuitate Dei.

Luxuria non est vitium corporum pulchrorum, vel suauium, sed animæ peruersæ amantis corporeas voluptates neglecta temperãtia, qua aptamur spiritualibus.

Idem libro 15.

Sicut iniquum est auiditate possidendi trãsgredi limitem agrorum, ita iniquum est libidine concumbendi subuertere limitem morum.

Idem libro de doctrina Christiana.

Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam, & ad pręsens voluptatẽ deliniens, futuram nõ sinit cogitare paupertatem.

Idem libro Confessionum.

Ex voluntate peruersa facta est libido, & dũ seruitur libidini facta est consuetudo. Dũ consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

Idem de singularitate Clericorum.

Quanti & quales episcopi & clerici post confessionum & victoriarũ calcata certamina, post magnalia, & signa mirabilia, vsquequaq; monstrata noscũtur cum his omnibus naufragâsse, cum volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, id est, luxuria, quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam.

Hieronymus ad matrem & ad filiam.

Qui luxuriatur, viuens mortuus est, ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius omne quod nesciunt putant.

Idem in epistola 43.

Ventrem distentum cibo, voluptas sequitur genitalium.

Ambrosius de Abel & Cain.

Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat.

Gregorius 22. Moralium.

Quælibet alia fiant bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur.

Ibidem.

Malum luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus enim aduersarius noster, cum ab effectu operis expellitur, secreta cogitatione polluere nititur.

Iohannes Chryso. super Matthæum.

Vitium libidinis facilè ex vacantia & otio nascitur. Nam definitio amoris hæc est, animæ vacantis passio. Item dicit Poëta:

Otia si tollas periêre Cupidinis arcus.
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Isidorus de Summo bono lib. 2. cap. 39.

Principaliter his duobus vitijs diabolus humano generi dominat. i. superbia mentis, & luxuria carnis. vnde Iob de diabolo dicit: Sub vmbra dormit in secreto thalami, & locis humentibus. per thalamum inanis superbia, & per loca humentia carnis luxuria demonstratur.

Bernardus super Cantica.

Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorũ, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otijq́; saporisq́; resolutione. Trahitur equis æque duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia, & qui his præsident, duo, ignauiæ torpor, & infida securitas.

Boëtius de scholastica disciplina.

Meretrix nonaria est inferni ianua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus.

Seneca Tragœdia 4.

Vincit sanctos dira libido.

Idem Tragœd. 8.

Totum per orbem maximum est exortum
Malum luxuria pestis blanda.

Aristoteles libro 3. de Animal.

Leporis fœmina equitat marem in coitu.

Ibidem.

Vir appetit coitũ in hyeme, mulier in æstate.

Ibidem.

Mutatio vocis est signum motus ad coitum.

Idem lib. 6. de Animalibus.

Gallinę multum ouantes citò moriuntur.

Ibidem.

In omnibus animalibus est appetitus & dilectio coitus.

Ibidem. 1.

Omne quadrupes magis desiderat in Vere coitum, quam in alio tempore.

Idem.

Sperma est superfluum nutrimenti.

Idem lib. 7. de Animal.

Accidit hominibus & quadupedibus, coitũ desiderantibus, ad tactum & visum subitò spermatizare.

Idem libro de Animalibus.

Viri multorum pilorum ad coxas & à parte inferiori, sunt multi coitus.

Ibidem.

Mulier & equa super omnes fœminas diligũt coitum.

Ibidem.

Puberes plus delectantur in coitu quàm cæteræ aliæ ætates, & quanto plus assuescunt, tanto plus appetunt.

Commentator super lib. de Causa long. & breuit. uitæ.

Qui multum coeunt, parum viuunt, vnde castrati plus viuunt, quàm non castrati.

Ibidem.

Propter paucitatem coitus, plus viuit mulus quàm equus, & masculi quàm fœminæ.

Laërt. Diog. de Vita & moribus philosopho.

Demosthenes stomachum Laidis nobilissimę meretricis iocando suppalpitans & quæritans, hoc quantum, illa dicente: mille denarijs, respondit: ego penitere tanti non emo.

Cicero libro Officiorum.

Atque etiam si considerare volumus, quę sit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligem⁹ q̃ sit turpè diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere, quamq́; honestũ parcè, continenter, seuerè ac sobriè.

Ibidem libro 2.

Luxuria vero cùm omni ætati sit turpis, tum maxime senibus fœdissima est.

Idem Rhet. nouorum libro 2.

Maius est maleficium stuprare ingenuam, quàm sacrum legere, cùm alterum propter egestatem, alterum propter intemperatam superbiam fiat.

Idem in libro de senectute.

Libidinosa intemperansq́; adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.

Macrobius Saturnalium lib. 3.

Viros triumphales, victores gentium, luxuria vincit.

Valerius Maximus libro nono tit. de Luxuria.

Blandum est malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est, quàm vitare.

Ibidem de Annibale.

At Campana luxuria per quàm vtilis ciuitati nostræ fuit, inuictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa vincendum Romano militi tribuit.

Claudianus.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus.

Ouidius libro 2. de Remedio amoris.

Nec minus erucas aptum est uitare salaces,
Et quicquid Veneri corpora nostra parat.
Vtilius sumas acuentes lumina rutas,
Et quicquid Veneri corpora nostra negat.

Idem epistola Briseidis ad Achillem.

Est aliquid solitis collum tetigisse lacertis:
Præsentesq́; oculos admonuisse sinu.

Propertius lib. 3. elegia 12.

Certa quidem tantis causa est manifesta ruinis
Luxuriæ nimium libera facta uia est.

Martialis libro 9. ad Ponticum.

Pontice quod nunquam futuis, sed pellice læua
Vteris, & Veneri seruit amica manus.
Hoc nihil esse putas, scelus est (mihi crede) sed ingens,
Quantum uix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit generaret Horatius ut tres,
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterq;
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum
Istud, quod digitis Pontice perdis, homo est.

Hora. Sermon. lib. 1. satyra 1.

Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Iuuenalis satyra 1.

Sane mercedem sanguinis, & sic
Palleat, ut nudus preßit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Idem satyra sexta.

-Quod enim non excitat inguen
Vox blanda & nequam.

Lucanus 4. Pharsaliæ.

-O prodiga rerum
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu,
Et quæsitorum terra pelagoq; ciborum,
Discite quam paruo liceat producere uitam.

Persius satyra 5.

-Ille.
In Venerem est putris, sed cùm lapidosa chiragra
Fregerit articulos ueteris ramalia fagi.
Tum crassos transisse dies, lucemq; palustrem
Et sibi iam seri uitam ingemuerê relictam.

Dantes inferni Canti. cap. 5.

I uenni in loco dogne luce mutto,
Che mugia come famar per tempesta,
Che da contrario uento e combatuto.
La bufera infernal, che mai non resta
Mena li spiriti cum la sua rapina
Voltando & percotendo gli molesta.
Et quando egiogon inanzi alla ruina,
Quiui le strida col pianto & lamento,
Biastemian quiui la uirtu diuina.
Inte si che acosi facto tormento
Eran damnati peccator carnali.
Che la ragion somitten al talento Id est.
Perueni in locum omnis lucis cassum,
Qui mugiebat instar maris conciti,
Quod contrarijs uentis commouetur,
Turbo inferorum, qui nunquam cessat
Ducens spiritus cum sua rapacitate,
Voluendo & uerberando infestat plurimum.
Et cum perueniunt ante eorum ruinam
Illic stridores cum planctu & querela,
Blasphemant illic uirtutem diuinam.
Intellexi quod huiusmodi pœna
Damnabuntur peccatores carnales,
Qui rationem summittunt ipsi lucro.

MAgister græcè διδάσκαλος. 8. ó dicitur. Et is appellatur qui alicuius rei præ cæteris curam gerit secundum Hostien, Magistri propriè dicuntur artium præceptores, transfertur tamē hoc nomen ad omnes, quibus præcipua cura rerum incumbit. Dicuntur autem vel à monēdo, vel mōstrando, vel quod magis cęteris posśint, vel quod magis quàm cæteri diligentiam & solicitudinem rebus quibus præsunt debent. A magister magistro, hoc est moderor, guberno: & magisterium, quod nonnulli pro ipsa magistri dignitate vsurpant.

Iacobus in epistola cap. 3.

Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis.

Augustinus libro 4. de Ciuitate dei.

Non debet curare quę docet, quanta eloquētia doceat, sed quanta euidentia, propter quod aliquando negligat verba cultiora. Nec curet quā benè sonet, sed quid quādo indicet, quod offerendo intendit.

Idem libro 4. de Doctrina Christia.

Doctor in suo sermone malit rebus placere quàm verbis, nec existimet dici melius, nisi ꝙ videtur verius, nec doctor verbis seruiat, sed verba doctori.

Ibidem.

Bonus doctor vulgi more loquatur, vt ambiguitas obscuritasque vitentur. Non sic dicat vt à doctis, sed ab indoctis dici solet. Quid enim prodest locutionis integritas, quam nō sequitur intellectus audientis?

Hieronymus super illud Matth. 22. Magister, scimus quia uerax es.

Magistrum vocant, vt quasi laudatus mysterium cordis sui simpliciter aperiat, eosq; velit habere discipulos.

Idem super epistolam ad Titum super illud, Non iracundum &c.

Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cū debeat esse mansuetus & humilis ad omnes, ex diuerso, toruo vultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrenatis conuitijs, facie inter pallorem & ruborem variata, clamore perstrepitat, errantes non tam à bono retrahit, quàm ad malum sua sæuitia præcipitat.

Idem epistola 36.

Habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa, fortius sonat.

Idem epistola 89.

Magister probæ ætatis & vitæ eruditionisq; eligendus est. Nec puto erubescit doctus vir illud facere in propinqua vel nobili virgine, ꝙ fecit Aristoteles in Philippi filio, vt ipsa librorū varietate initia monstraret literarum. Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus cōstare magna non possunt.

Ibidem.

Græcorum narrat historia Alexandrum potentissimum regem moribus & incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitijs, qui bus adhuc paruulus fuerat infectus.

Ibidem.

Procliuis enim est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nescis, vitia imitaris.

Gregorius in Pastorali cap. 1.

Sunt plerique qui mentiri se nesciunt, quæ non didicerint docere cōcupiscunt, qui pōdus

magisterij tanto leuius existimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant.

Ioan. Chrysost. super illud Matth. 26. Magister quod est magnum mandatum in lege.

Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. De mandato magno interrogat, qui nec minimum seruat.

Isidorus in Sinonymis 18.

Dionysius magistrū sibi in grammatica elegit Donatum, in rhetorica Victorinū, in theologia Gregorium Nazianzenum: similiter sibi Theophrastus elegit Aristotelem, Aristoteles Platonem, Plato Socratem, regina Austri sapiētissimum Salomonem.

Boëtius libro de Schola. disciplina.

Doctor debet debet esse eruditus: prius enim oportet vt discat quàm doceat, debet esse mansuetus prout opportunū est, debet esse rigidus, vt lites dissoluat, oblatrantes remordeat, obloquentes reprimat, proteruientes castiget, debet esse diligēs. Nam sicut in vnoquoq; opere mater constantia inuenitur, ita vniuersæ doctrinæ nouerca est negligentia.

Ibidem.

Sit in sermone verax, in iudicando iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, & constās in vultu, pius aspectu, virtutibus insignis, bonitate laudabilis.

Ibidem.

Qui non nouit se subijci nunquàm sciet magistrari.

Ibidem.

Miserum est enim esse magistrum, qui nunquam nouit se esse discipulum.

Ibidem.

Discipulus debet esse beneuolus animo, attentus ad audiendum, docilis ad intelligendū, beneuolus ad retinendum.

Ibidem.

Non est dignus scientia, qui scientiæ insurgit præceptori.

Ibidem.

Oportet quod prius quis discat quā doceat.

Bernardus de Præcepto & dispensatione.

Melius est obedire deo quam hominibus, & ipsis melius magistris quàm discipulis, porrò in magistris, melius nostris quā extraneis. Quibus autem melius constat obedire, ipsis procul dubio non obedire est detestabilius.

Seneca in epistola.

Plus homines oculis quam auribus credunt: longum enim iter per pręcepta, efficax & breue per exempla. Zenonem enim Cleanthes non expresśisset, si tantū eum audisset: obseruauit illum, vt ex forma viueret.

Idem epistola 65.

Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt, suspiciendi tamen sunt, & ritu deorum colendi. Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem videro aut prætorem, omnia quibus honor haberi solet faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quid ergo? Mar. Catonem & Lælium sapientē & Socratem cum Platone in animum meū sine dignatione summa recipiam? Ego illos veneror, & tantis nobilibus assurgo.

Aristo. libro 9. Ethicorum.

Magistris, dijs, & parentibus non potest reddi æquiualens.

Idem libro de Morte & pomo.

Docentes alios mentiri non debent.

Iuuenalis satyra 7.

Scire uolunt omnes mercedem soluere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? culpa docentis
Scilicet arguitur, quod leua in parte mamillæ
Nil salit Arcadico iuueni.

Ibidem.

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano
Vt multum duo sufficient, res nulla minoris
Constabit patri quam filius.

Ibidem.

Pœnituit multos uanæ sterilisq; cathedræ.

Ibidem.

Dij maiorum umbris tenuem, & sine pondere terrā
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum uer,
Qui præceptorem sancti uoluēre parentis
Esse loco. *Ibidem.*

Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni
Non egeat: sed uos sæuas imponite leges.
Vt præceptori uerborum regula constet.
Vt legat historias, autores nouerit omnes
Tanquam ungues digitosq; suos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchise, nomen patriamq; nouercæ
Archemori, dicat quot Acestes uixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus uini donauerit urnas.

Magistri in theologia, & studentes in theologia quinque annis, accipiant fructus beneficiorum suorum, de magistris cap. Vltim.

De hac materia habes suprà vbi *Disciplina* & *Doctrina*.

MAgnanimitas grecè μεγάλοψυχία, ας. & μεγαλαψυχος, ου, ὁ. magnanimus dicit. Est autē magnanimitas virtus quę versatur circa magna secundum Aristot. lib. 4. Ethicorum.

Magnanimitas est virtus magnorum beneficiorum affectiua, cuius contrarium est pusillanimitas, secundū Aristot. lib, 1. Rhetoricorum.

Magnanimitas importat intensionem animi, vel ad magna absolutè, vel secundū proportionem, ex B. Tho. secunda secundæ q. 129. art. 1.

Magnanimitas est virtus tendens ad maxima, secundū rectam rationē, ex B. Tho. ibidē art. 3.

Magna-

Magnanimitas quid differat à fiducia, vide suprà in Fiducia. Quid differat à fortitudine, vide suprà in Fortitudo.

Ambrosius ad Simplicianum.

Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur.

Seneca in epistola.

Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea quæ possunt euenire firmandus, exilia, tormenta, morbi, bella, naufragia, meditare.

Idem de quatuor Virtutibus.

Si magnanimus fueris, nunquàm iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cũ illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim magnum & honestum vindictæ esse genus ignoscere.

Ibidem.

Magnanimitas autem si vltra modum suum se extollat, faciet virum minacẽ, inflatum, turbidum, inquietum, & in quascunq; excellentias dictorum atq; factorum neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia subrigens, vt bestiarius inquietat, excitat, aliũ ferit, alium fugat, sed talis, aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

Ibidem.

Eris magnanimus si pericula non appetas, vt temerarius, nec formides, vt timidus. Nam timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia.

Ibidem.

Magnitudo aũt animi, si à comitate humana sit remota, feritas quædam erit & immanitas.

Ibidem in epistolis.

Pauper fiam, inter plures ero: exul fiam, me natum putabo quò mittar. Non sum vni angulo natus, patria mea totus mundus est.

Idem in epistola.

Magnanimi est magna contemnere, & mediocria malle quàm nimia.

Idem.

Animum excellentem, moderatum, omnia tanquàm minora transeuntem, quicquid timemus optamusq; ridentem, cęlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare, quemadmodum radij solis contingũt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittũtur: sic animus magnus ac sacer conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.

Idem.

Animus intuendus, vt pariter fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura precia rebus imponens, asperis blandisq; pariter inuictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia quæ cõtingunt acciduntq; eminens imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quẽ non attollunt fortuita, nec deprimunt, talis animus virtus est, hæc est eius facies.

Ibidem.

Magnanimo de rebus magnis iudicandum est, fortunatior est qui omnia rerum diuersarũ onera rigida sustollit ceruice, eo, qui supra fortunam extat. Non mirum est in tranquillitate non concuti, illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur, ibi stare, vbi omnes iacent.

Ibidem.

Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere. Nulla illum res minorem facit, nil illi eorũ quæ ferenda sunt displicet, quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non quæritur, vires suas nouit, vincit fortunam virtute.

Idem libro de Moribus.

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi magno animo despicias.

Cicero lib. 1. de Officijs.

Viros fortes magnanimos esse, eosdem volumus veritatis amicos, minimeq; fallaces.

Ibidem.

Ad magnanimũ pertinet neq; perturbatione animi, neq; hoĩs, neq; fortunæ succumbere.

Ibidem.

Ad magnanimum pertinet ea, quæ videntur acerba ita ferre, vt nihil à statu naturę discedat, nihil à dignitate sapientis.

Ibidem.

Magnanimitas est virtus spontanea difficilium aggresſio & rationabilis.

Lucanus lib. 2. Pharsaliæ.

Sit subitum quodcunq; paras.

Ibidem.

- Sed Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens, cùm quid superesset agendum
Instat atrox.

Magnanimitas virtus est animi, quæ ferre fortunam, infortuniumque nomen & ignominiam, potest. AMANTIVS.

Μεγαλοψυχία δ' ἐστὶν ἀρετὴ ψυχῆς, καθ' ἣν δύναται φέρειν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν.

Magnanimitas autem est flantem, reflantemque fortunam, nomen & ignominiam præclarè ferre, ac neque voluptatem, neque clientelam, neque potestatem, neque victorias eas, quæ certando parantur, mirari: sed aliquod in animo profundum ac veluti pondus est, habere: id est.

Μεγαλοψυχίας δ' ἐστὶ τὸ καλῶς ἐνεγκεῖν καὶ εὐτυχίαν, καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀτιμίαν, καὶ τὸ μὴ θαυμάζειν, μήτε τρυφὴν, μήτε θεραπείαν, μήτε ἐξουσίαν, μήτε τὰς νίκας τὰς ἐναγωνίους, ἔχειν δὲ τὶ βάθος τῆς ψυχῆς καὶ μέγεθος, ὅστι δ' μεγαλόψυχος,

οὐδ'

οὐδ᾽ ὁ τὸ ζῆν περὶ πολλοῦ ποιούμενος οὐδ᾽ ὁ φιλόζωος ἁπλοῦς δὲ τὸ ἦθος, καὶ γενναῖος ἀδικεῖσθαι δυνάμενος καὶ οὐ τιμωρητικος: ἀκολουθεῖ δὲ τῇ μεγαλοψυχίᾳ ἁπλότης καὶ ἀλήθεια.

Est autem magnanimus is, qui nec viuere faciat plurimi, nec vitam ipsam vehemēter amet, sed simplici quodam animo, generosoq; cùm sit, ferre iniuriam absque vindictæ studio, potest. Comes huius simplicitas & veritas. Hæc Aristoteleles in libello de virtutibus, quem vir doctissimus Symon Grynæus, latinum fecit, summus meus amicus ex græco.

Magnanimitas fortiter sustinet & tolerat omnes fortunæ deterioris casus.

Democritus λύπαν ἀδέσποτον ψυχῆς ναρκούσης, λογισμῷ ἔκκρουε, id est.

Dolorem immorigerum, animæ torpentis ratione expellas.

Idem.

Μέγα δὴ συμφοραῖς φρονεῖν ἃ δεῖ. id est.

Magna res est in calamitatibus, vt par est sapere.

Idem.

Μεγαλοψυχίη τὸ φέρειν πράως πλημμέλειαν. id est.

Magnanimitas est, leuiter ferre frustrationē.

Diogenes cùm in casus quosdam aduersos incidisset, dicebat, benè factū ô fortuna, quod tam viriliter præfueris. Idem, in huiusmodi casibus, alta voce cantillabat.

Chilon Lacedęmonius sapiens, cùm quidam propter sua mala doleret, dixit, si aliorum omnium mala perpenderis, minus ægrè feres tua.

Pithacus Mitilenęus, prudentium & magnanimorum virorum officium esse dixit, ne quid mali fiat, cauere: fortium autem, id, quod factū est, moderatè & leniter ferre.

Theobulus.

Τὰς τῆς ψυχῆς μεταβολὰς γενναίως πειρῶ φέρειν καὶ μήτε εὐτυχῶν ὑπερήφανος ἔσο, μήτε ἀπορῶν ταπεινός, ἀλλὰ γίνου ταπεινὸς ἐφ᾽ ἑκατέρας τύχης, id est.

Fortunæ mutationes fortiter sustinere conator: Et neque bona fortuna affluens superbias, neq; pauper animum deijcias, sed in vtraque fortuna moderatus esto.

Phauorinus.

Ἀνὴρ ἐν δὲ μεγαλοψυχίᾳ ἀληθινῇ καὶ φιλοσοφίᾳ τετραμένος πρὸ τῶν ξυμφορῶν τὴν εὐθυμίαν ἐν τῇ γνώμῃ ἀπόθετον ἔχει: τὸ δὲ ἐξ ἑτέρου παρηγορίας χρήζειν, τὸν καιρὸν τῆς εὐθυμίας ὑπερβαίνει. Id est.

Vir in magnanimitate vera, & philosophia educatus, antequam calamitates ingruant, animi tranquillitatem intra se reconditam habet: at in rebus aduersis, aliena consolatione opus habere, animi tranquillitatis modum excedit.

Dionysius Halicarnassæus in Eglog. Xantippe, dixit, cùm infinitæ mutationes, & remp. & ipsos occupassent, in omnibus similem se vidisse Socratis vultum, & exeuntis domo, & denuò redeuntis: ad omnia enim moderatus & cōcinnus erat, quamobrē nihil vnquam ipsum tristitia affecit.

Aristoteles.

Cùm autem animæ partes, vt Plato opinatur, tres sint, partis illius, quæ de agendis, omittendisque dispicitur, prudentia virtus est: qua sustinentur infesta, Mansuetudo & robur: qua adsciscendis idoneis cupiditas regitur, Sobrietas ac Continentia: communesq; partium omnium harū, iusticia, liberalitas, ac magnanimitas. Stobæus in collectaneis, loco vel sermone de Virtute.

Pusillanimitas est animi vitium, per quod neutram fortunam, nec honorem nec ignominiam ferre possunt, id est.

Μικροψυχία δέ ἐστι κακία ψυχῆς καθ᾽ ἣν ἀδύνατοί εἰσι φέρειν, καὶ εὐτυχίαν, καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀτιμίαν. Aristoteles in libelo de Virtutibus.

Ibidem.

Pusillanimitatis est, neque honorem, neque ignominiam, neque felicitatem, neque infelicitatem, neque infortunia posse ferre: sed honoratum quidem tumescere, & leui successu prospero auctum efferri, & subsultare: ignominiam autem ne minimam quidem ferre posse: & frustrationem quamuis, damnum & infortunium ingens existimare, & de rebus conqueri omnibus, ac animo ferre iniquo.

Cæterùm pusillanimis talis est, vt omnes neglectus contumeliam vocet & ignominiam, quamuis per imprudentiam vel obliuionem admissos. Comitantur autem pusillanimitatem sordes, quærimonia, diffidentia, humilitas, id est.

Ἀκολουθεῖ δὲ τῇ μικροψυχίᾳ μικρολογία, μεμψιμοιρία, δυσελπισία, ταπεινότης.

Magnificentia græcè μεγαλοπρεπεία. ας. ἡ. & Μεγαλύνω magnifico dicitur. Est autem magnificentia magnarum rerum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio atque administratio, secundum Ciceronem in Rhetor.

Magnificentia est virtus magnitudinis sumptuum effectiua, cuius contrarium modicitas, secundum Aristot. lib. 1. Rhetor.

Magnificentia est virtus factiua magnorum, & est virtus generalis, si sumatur facere communiter, scilicet pro omni opere, si verò propriè, s. pro operatione exteriori, est virtus specialis, ex B. Thoma secunda secundæ, q. 134. art. 1.

Maiestas græcè δόξα. ης. ἡ. dicitur. Estque decus, amplitudo & dignitas, vel populi, vel senatus, vel magistratus, vel principis, vel imperatoris, aut etiam priuati magni viri, vel alterius etiam rei inanimatæ.

Maiestatis crimen, iurisconsulti diffiniunt esse

esse quod aduersus populum Romanum, vel aduersus securitatem eius committitur.

Maiestas est summa potestas secundum Bea. Tho. super epistolam ad Hebræos lect. 2. fin.

Malitia græcè κακία. ας ἡ. & κακὸς ὁ ἡ. malus dicitur. Est autem malitia mentis atq; animi deprauatio, à tramite veritatis deuia, secundum Ambrosium in Hexameron.

Malitia est versuta & fallax ratio nocendi, secundum Cice. lib. 3. de Natura deorum. Differt autem malitia à vitiositate, quod malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vitiositas omnium.

Regum 1. cap. 22.

Si perseueraueritis in malitia, & vos & rex vester pariter peribitis.

Sapient. cap. 16.

Homo autem occidit quidem per malitiam animam suam.

Amb. in Hexameron.

Mala non sunt nisi quæ crimine mentem implicant, & conscientiam ligant.

Gregor. super Iohel.

Sicut ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ inuoluit, quia & spiritus sanctus cor quod replet eleuat, & ardor malitiæ ad inferiora semper incuruat.

Idem lib. 12. Moralium.

Mens praua semper in laboribus est, quia aut molitur mala quæ inferat, vel metuit ne sibi ab alijs inferantur, & quicquid contra proximos excogitatur, hoc contra se cogitari à proximis, formidat.

Greg. Nazianzenus in Apologetico.

Velocius malitiæ parua scintilla consumitur, quàm virtutis ignibus concalescere possimus. Nam & melli plurimo, parū absynthij iniectum velocem amaritudinem tradit, mellis etiam si duplum inijciatur absinthio, non poterit eius obtineri dulcedo.

Ioannes Chrysost. super Matthæum.

Coerceri omnino nequit animus praua semel volūtate vitiatus, quia zelus sapere nescit, & ira consilium non habet.

Idem super Matthæum.

Sicut ignis quanto amplius ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic anima mala quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malitia excitatur.

Ibidem.

Aetate minores, malitia pares. Nam pulli serpentium, statura breuiores sunt, veneno autem æquales: catuli luporum, & si venatione nocere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus lædunt.

Ibidem.

Debuerunt Saducæi timere Pharisæorum exemplo, vt ne similiter interrogantes, cōfundantur. Sed ardēs malitia dum se satiare festinat, rei exitum non aspicit, maleuolentia enim & liuor nutriunt imprudentiam.

Bernard. super Cantic.

Habet malitia cursum suum, rotis 4. consistētem, sæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde enim velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocētia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frenatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autē duobus pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratissimis, terrena potentia & seculi pompa. Porro præsident his duobus equis aurigę duo, tumor & liuor. Tumor quidem pompam, liuor potentiam agit.

Caßiodorus super illud, Anni eorum sicut aranea.

Malignitatem vitæ nostræ similitudo declarat, Aranea est animal debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis quædam retia dolosa contexit: sic anni illorum qui sceleratis operibus dediti sunt, inanibus & subdolis machinationibus occupantur.

Richardus de uerbis Apostoli super illud, Non in fermento malitiæ & nequitiæ.

Malitia est ex proposito & deliberatione malo cognito prono animo consentire.

Seneca in epist.

Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit, at venenum quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est huic simile, hoc habentibus pessimum est.

Idem in Prouerbijs.

Malefacere qui vult nusquam non inuenit causam. Maleuolus semper sua natura nititur.

Idem in Tragœdia. 6.

Capienda rebus in malis præceps via.

Ibidem.

Nil ratio & vsus audet in magnis malis, tenet horror artus.

Menander.

ἄγει τὸ θεῖον τοὺς πρὸς τὴν δίκην. id est,
Ducit diuinitas malos ad iudicium. Idem.
θεοῦ δὲ πληγὴν, οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός. id est.
Dei autem flagellum non euitat mortalis. Idem.
λήσειν δὲ εἰς τελοὺς μὴ δόκει πονηρὸς ὤν. id est.
Latere usq; in finem ne putes cùm sis malus. Idem.
ὀξὺς θεοῦ δὲ ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάνθ᾽ ὁρᾶν. id est.
Acutus Dei autem oculus ad omnia inspicienda. Idem.
ἀνὴρ πονηρὸς δυστυχεῖ κἂν εὐτυχῇ. id est,
Vir malus infelix est, etsi felix sit. Idem.
ἀνδρὸς πονηροῦ φεῦγε συνοδίαν ἀεί. id est.
Viri mali fuge consilium semper. Idem.
ἀνδρὸς πονηροῦ σπλάγχνον οὐ μαλάσσεται. id est.
Viri mali cor non mitigatur. Idem.
δύσμορφος εἴην μᾶλλον ἢ καλὸς κακός. id est.
Deformis sim magis, quàm pulcher malus. Idem.
τὸν δόλιον ἄνδρα φεῦγε παρ᾽ ὅλον τὸν βίον. id est.
Dolosum uirum fuge per totam uitam.

Idem.

Idem.

θεοῦ δ' ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν. id est.

Dei uituperium malos beneficio afficere. Idem.

καὶ ζῶν ὁ φαῦλος καὶ θανὼν κολάζεται. id est.

Et uiuens malus, & mortuus punitur.

κακῷ σὺν ἀνδρὶ μὴ δὲ ὅλως ὁδοιπόρει. id est.

Malo cum uiro neq; omnino iter facias.

πονηρὸν ἄνδρα μηδέποτε ποιοῦ φίλον. id est.

Malum uirum nunquam facias amicum.

φασὶν κακίστους οἱ πονηροὶ τοὺς καλούς. id est.

Dicunt pessimos mali illos qui sunt boni. Idem.

ὡς ἔργον εὖ ζῆν ἐν πονηροῖς ἤθεσιν. id est.

Quàm difficilè bene uiuere inter malos mores.

Ex primo Epigrammatôn.

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐκ ἀποτίσει. id est.

Nullus hominum iniustorum pœnam non soluet.

De hac materia habes infrà vbi Peccatum.

Malignitas græcè κακία. ας. ἡ. & πονηρός. οῦ. ὁ. malignus dicitur. Malignus vero dicitur quasi malus ignis. i. prauam habens intentionem sec. Bea. Tho. super Psalmũ 36. principio. Est enim malignus, asper, difficilis, inuidus, auarus. Hinc malignam vitam qui angusta atque ardua est. Virg. Aditusque maligni.

Maliuolentia græcè κακόνοια. ας. ἡ. vel χαιρεκακία. ας. ἡ. & κακόνοος. ου. ὁ. maliuolus. Est autẽ maliuolentia voluptas ex malo alterius sine suo emolumento, secundum Ciceronem lib. Tusc. quæstio.

Cicero Tuscul. Quæst.

AMANTIVS. MAleuolẽtia est ex malo alterius voluptas, sine emolumento suo: Græcis dicta χαιρεκακία. Indignatio est mediocritas inuidiæ & maleuolentiæ.

Gaudium captum ex alienis malis ac calamitatibus, est execrabile, & aduersus naturam.

Aristoteles lib. 2. Ethicorum.

Cernuntur autem in ijs ægritudinibus & voluptatibus omnibus, quæ ob eas res suscipiuntur, quæ proximæ eueniunt: qui enim indignatur, is dolet illorum rebus secundis, qui iniuria ijs fruuntur: inuidus hunc vincens, dolet rebus omnibus: at maleuolus tantum abest vt doleat, vt etiam capiat voluptatem.

Menander.

Ταῖς ἀτυχίαις μὴ ἐπίχαιρε τῶν πέλας,
Πρὸς τὴν τύχην γὰρ ζυγομαχεῖν οὐ ῥάδιον. id est.
Ne gaudeas ob infortunia proximorum:
Fortunæ enim reluctari difficilè est.

Idem.

Οὐκ ἐμὸν ἂν οἴγειν λανθάνουσαν ἀτυχίαν
ἔστ', ἀλλὰ κατακαλύπτειν φημὶ δεῖν. id est.
Non meum est, latentem calamitatem
Aperire, sed occultandam esse aio.

Euripides in Inone.

Μὴ σκυθρωπὸς ἴσθ' ἄγαν πρὸς τοὺς κακῶς
Πράσσοντας, ἄνθρωπος γεγώς. id est.
Ne nimium seuerus & grauis esto, erga infeliciter agentes, cùm homo sis.

Idem in Andromache.

Τὰς συμφορὰς γὰρ τῶν κακῶς πεπραγότων
οὐ πώποθ' ὕβρισ', αὐτὸς ὀρρωδῶν παθεῖν. id est.
Calamitatibus hominum infortunatorum
Nunquam insultaui, metuens ne quid ipse patiar.

Ibidem.

εἰ δ' ἐγὼ πράσσω κακῶς
Μηδὲν τὸ αὐχεῖ, καὶ σύ τοι πράξειας ἄν. id est.
Quamuis autem ego sim infortunatus,
Ne propter id glorieris: Nam tu quoq; talis fieri potes.

Alexis in Milesijs.

εἰ μὴ γὰρ ὢν ἄνθρωπος ἀνθρώπου τύχαις
ὑπηρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν. id est.
Nisi cùm homo sim, humanis fortunis
Me accommodem, desipere uidebor.

Nemini suæ calamitates exprobrandæ sunt, communis enim est fortuna.

Hesiodus in operibus.

Μὴ πότε δ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ
Τέτλαθ' ὀνειδίζειν, μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων. id est.

Ne vnquam cuiquam seram paupertatem animum rodentem obijcere sustineas, donum immortalium Deorum.

Sophocles in Aiace.

Πρότερα δ' εἰπέ μοι τιν' αἵρεσιν λάβοις
Φίλους ἀνιῶν αὐτὸς ἡδονὰς ἔχειν,
ἢ κοινὸς ἐν κοινοῖσι λυπεῖσθαι ξυνών. id est.
Dic mihi primum, utrum malles,
Amicos molestando, uoluptates habere solus,
Aut unà cum ipsis communi dolore affici.

Isocrates ad Demonicum.

Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς: κοινὴ γὰρ ἡ τύχη καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον. id est.

Nemini calamitatem obieceris: communis enim fortuna est, & quid futurũ sit non liquet.

Democritus Philosophus.

οἷσιν ἡδονὴν ἔχουσιν αἱ τῶν πέλας ξυμφοραὶ, οὐ ξυνιᾶσι μὲν ὡς τὰ τῆς τύχης κοινὰ πᾶσιν, ἀπορέουσι δ' οἰκίης χαρᾶς. id est.

Quibus infortunia proximorum voluptati sunt, illi non intelligunt, fortunæ casus omnibus esse communes, & propriam gaudẽdi causam non habent.

Chilo Sapiens.

Ατυχοῦντι μὴ ἐπιγέλα, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη. id est.

Infortunatum ne irriseris, communis enim est fortuna.

Aeschylus in Agamemnone.

Τῷ δυσπραγοῦντι δ' ἐπιστενάχειν πᾶς τις ἕτοιμος.
Δῆγμα δὲ λύπης οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται,
Καὶ νυκτὶ δὲ χαίρουσιν ὁμοιοπρεπεῖς. id est.

Infeliciter agenti quiuis condolere, & vnà suspirare promptus est.

Morsus doloris autem nullus ad hepar penetrat:

trat; sic multi etiam gaudia præ se ferunt nacti similes, & risum vultu inuito vi exprimunt.

Philemon in Anacalyp.

Λυπουμένῳ δ' ὅταν τις ἀκολουθῶν λέγῃ,
Χαῖρε, ἐξ ἀνάγκης οὗτος οἰμώζειν λέγει. id est.
Si quis tristantem aliquem sequutus, ei dixerit:
Salue, necessario ipsum lugere iubet.

ὅτι οὐ χρὴ ἐπιχαίρειν τοῖς ἀτυχοῦσιν

Id est. Non esse gaudendum ob alienas calamitates.

Demosthenes in oratione pro Corona.

Ἐγὼ, ὅστις ἄνθρωπος ὢν ἀνθρώπῳ
Τύχην προφέρει παντελῶς ἀνόητον
ἡγοῦμαι· ἣν γὰρ ὁ τὰ βέλτιστα πράττειν
Νομίζων καὶ ἀρίστην ἔχειν οἰόμενος, οὐκ
οἶδεν εἰ τοιαύτην διαμένει μέχρι τῆς
ἑσπέρας πῶς χρὴ περὶ ταύτης λέγειν
ἢ πῶς ὀνειδίζειν ἑτέρῳ. id est.
Ego illum planè stolidum esse iudico,
Qui cùm homo sit, homini fortunam exprobrat.
Quomodo enim conuenit de fortuna gloriari,
Vel eam obijcere alteri, illum qui ipse nesciat, an sibi cõstans uel ad uesperum
Permansura sit, quamuis in præsentia se quàm
Optimè, & uitam felicissimè agere putet.

Herodotus lib. 3. historiarum.

Ἄμασις Πολυκράτει ὧδε λέγει. ἡδὺ μὲν πυνθάνεσθαι ἄνδρα φίλον καὶ ξεῖνον εὖ πρήσσοντα. ἐμοὶ δὲ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσιν ἐπισταμένῳ τὸ θεῖον ὡς ἔστι φθονερόν. καί κως βούλομαι καὶ αὐτὸς καὶ τῶν ἂν κήδωμαι, τὸ μέν τι εὐτυχέειν τῶν πρηγμάτων, τὸ δὲ προσπταίειν καὶ οὕτω διαφέρειν τὸν αἰῶνα ἐν ἀλλὰξ πρήσσων, ἢ εὐτυχέειν τὰ πάντα. οὐδένα γὰρ τῷ λόγῳ οἶδα ἀκούσας ὅστις ἐς τέλος οὐ κακῶς ἐτελεύτησε πρόῤῥιζος εὐτυχέων τὰ πάντα. id est.

Mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo & hospite audire voluptati est, tamen tuæ magnæ prosperitates mihi non placent, qui intelligo quàm inuidum numen sit. Quod ad me attinet, malim tum meas ipsius, tum eorum, qui mihi curę sunt res nunc prosperas ire, nunc cõtra, & per varias fortunæ vices æuum traducere, quàm in omnibus mihi prosperè cedere. Nullius enim vnquam mentionem audiui, qui vbiq; successus ex animi sententia habuerit, & tandem malè finiens non funditus sit euersus.

Socrates.

Τοῖς μὲν νοσοῦσιν ἰατρούς, τοῖς δὲ ἀτυχοῦσι φίλους δεῖ παρεῖναι. id est.

Medicos egrotis, amicos infortunatis consulere oportet.

Cicero lib. 3. Epist. Familiarium ad Appium Pulchrum.

At mihi tamen antequàm in prouinciam venirem, redditæ sunt à te literæ, quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamẽ mihi non dubiam spem conueniendi mei afferebas, cùm interea, credo equidem maleuoli homines (latè enim hoc patet vitium, & est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, ignari meæ constantiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam, qui te forum Tarsi agere, statuere, decernere multa, iudicare dicerent, quum possis suspicari iam tibi esse successum, quæ ne ab ijs quidẽ fieri solerent, qui breui tempore sibi succedi putarent: Horum ego sermone nõ mouebar, quin etiam (credas mihi velim) si quid tu ageres, leuari me putabam molestia, & ex annua prouincia, quæ mihi longa videretur, propè iam vndecim mensium prouinciam factam esse gaudebam, si absenti mihi vnius mensis labor detractus esset.

Infortunatos opus habere condolentibus.

Sophocles in Thyeste.

Ἔνεστι γὰρ τις καὶ λόγοισιν ἡδονή,
Λήθην ὅταν ποιῶσι τῶν ὄντων κακῶν. id est.
Inest etiam uerbis quædam uoluptas,
Cùm obliuionem inducunt malorum.

Menander.

Plurimum potest apud infortunatos
Præsentes sibi uiuere qui condoleant.
Cui corpus malè affectum est,
Is opus habet medico: qui autem animo amico
Tristitiæ mederi nouit, beneuolus amicus est.

In Olynthiacis Philippus.

Non difficilè est alicui malè affecto,
Illum qui benè appetit cibum, dicere, ne doleas.

Et pugilem increpari ab illo, qui illum certamen subeat, ipsum verò pugnare non est facilè: adeò inter se differunt, dictum & factum.

Sotion in lib. de Ira.

Consolatio maximum est remedium tristitiæ,
Luctum depellens, iramq;, obliuio cunctis
Nascitur inde malis: sed hoc etiam scitè dictum est,
Tristanti quidem gratus & iucundus amici sermo est,
Nimis autem desipienti admonitionem & consilium præstat.

Non gaudendum esse, sed condolendum calamitosis hominibus.

Euripides in Oeneo.

Σχολὴ μὲν οὐχί, τῷ δυσυχοῦν πως τερπνὸν τὸ λέξαι, κἀποκλαύσασθαι πάλιν. id est.

Non quidem vacat, sed nescio quomodo homini infelici, iucundum est narrare sua mala, & ea denuò plorare.

Idem in Andromeda.

Συνάλγησον, ὡς ὁ κάμνων δακρύων μεταδοὺς ἔχει κουφότητα μόχθων. id est.

Condoleto, nam lachrymis fusis ab ærumnis leuatur.

Idem in Oeneo.

Ἀμουσία τοι, μηδ᾽ ἐπ᾽ οἰκτροῖσι δάκρυ στάζειν, id est:
Rusticitas quædam est, ne in miserabili quidem fortuna lachrymas fundere.

Idem in Ione.

Σὺν τοῖς φίλοισιν οὐδὲ μὲν πράσσειν καλῶς, εἰδ᾽
ἄρα συμβαίνοι τι δυσχερέστερον,
εἰς ὄμματ᾽ εὐνοῦ φωτὸς ἐμβλέψαι, γλυκύ. id est.
Cum amicis prosperè agere iucundum est,
Si quid autem (quod absit) malè contingat,
Viri beneuoli faciem coràm intueri iuuat.

Idem.

Οὐκ ἔστι λύπης ἄλλο φάρμακον βροτοῖς,
ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ φίλου παραίνεσις,
ὅστις δὲ ταύτῃ τῇ νόσῳ ξυνὼν ἀνὴρ
μέθῃ τε ταράσσει καὶ γαληνίζει φρένα,
παραυτὰ δ᾽ ἡσθεὶς ὕστερον στένει διπλᾶ. id est.
Nullum est aliud hominibus remedium doloris,
Quàm boni, & amici uiri adhortatio:
Si quis autem hac ægritudine laborans
Solus perturbat, & uerum componit animum,
In præsentia gaudens, duplo postea dolore afficitur.

Callimachus.

Κουφοτέρως τότε διαθλίβουσιν ἀνίαι,
Ἐκ δὲ πολυκλαύτων μοῖραν ἀφεῖλε μίαν
ἢ ὅτ᾽ ἐς ἄνδρα συνέμπορον, ἢ ὅτε κωφαῖς
ἄλγεα μαψ αὔραις ἔσχατον ἐξερύῃ. id est.
Leuius tunc hominem dolores affligunt,
Et una pars ex multis aufertur:
Quum quis aut comiti suo, aut surdis
Auribus dolores postremò, quamuis temerè narrauit.

Apollodorus in Lacana.

Omnibus hoc innatum est, vt infortunij tempore suauissimè afficiantur ab alijs condolentibus.

Græcè ita sonant.

Φυσικὸν τοῦθ᾽ ἕκαστον ἐν ταῖς ἀτυχίαις, ὅς τοὺς ὁμοπαθεῖς οὐδύρεται ἥδιστα τοῦθ᾽.

Sophocles in Aiace.

Ἀλλ᾽ ὦ φίλοι, τούτων γὰρ οὕνεκ᾽ ἐστάλην
ἀρήξατ᾽ εἰσελθόντες εἰ δύνασθέ τι:
φίλων γὰρ τοῖσι δὲ νικῶνται λόγοις. id est.
Sed ô amici, huius enim gratia ueni,
Opem ingresso ferte, si quam potestis:
Tales enim uincuntur amici sermonibus.

Menander comicus.

Δερκίππε καὶ Μνήσιππε τοῖς εἰρημένοις
ἡμῶν ὑπό τινος ἢ πεπονθόσι κακῶς,
ἔστι καταφυγὴ πᾶσιν οἱ χρηστοὶ φίλοι:
καὶ γὰρ ἐποδύρασθαί τι μὴ γελώμενον
καὶ συναγανακτοῦνθ᾽ ὁπότ᾽ ἂν οἰκείως ὁρᾷ,
ἕκαστος αὐτῶν, τὸ παρόντα παύεται
τοῦτον μάλιστα τὸν χρόνον τοῦ δυσφορεῖν. id est.
Dercippe ac Mnesippe quicunq; nostrum audiuerunt,
Aut affecti sunt malè ab aliquo,
Omnibus confugium patet ad benignos amicos:
Nam cùm absq; ludibrio casus suos lugere potest,
Et alium sibi condolentem familiariter uidet,
Vnusquisq; præsenti maximè,
Quo minus ægrè ferat, leuatur tempore.

Philemon.

Τί ποτ᾽ ἔστιν ἄρα διότι βούλεται με ἰδεῖν
ἢ καθάπερ οἱ νοσοῦντες ἀλγοῦντες σφόδρα,
τὸν ἰατρὸν ἂν ἴδωσιν οὐκ ἀλγοῦσ᾽ ἔτι
οὕτως ἐπάν τις τυγχάνῃ λυπούμενος,
ἧττον ὀδύνεται φίλον ἐὰν παρόντ᾽ ἴδῃ. id est.
Quid rei est, quod me uidere uult:
An sicut ægrotantes in magno dolore,
Vbi uiderint medicum, non amplius dolent:
Ita cùm quis tristitia dolet,
Minus habet doloris, præsentem intuitus amicum.

Menander.

ἡδύ γε φίλου λόγος ἐστὶ τοῖς λυπουμένοις. id est.
Suaue quid est amici sermo tristantibus.

Malum græcè κακόν.οῦ.τὸ. dicitur. Et nihil aliud est quã boni priuatio, sicut tenebræ sunt priuatio luminis, secundum Ioannem Damasc. lib.2.cap.4.

Malum nihil aliud est quàm bonum imperfectum secundum Beatum Thomam, secundo Sentent. dist.34.q.1.

De hac materia vide suprà in Malitia, & infrà in Peccatum.

Malluuium græcè λεκάνη.ης.ἡ. dicitur. Et est vas in quo manus lauãtur, vt pelluuium in quo pedes lauantur, quod etiam peluis appellatur. Hæc eadem fœminino quoque genere malluuiæ & pelluuiæ dicuntur.

Manifestatio græcè ἐπιφάνεια.ας.ἡ. & φανερὸς οῦ.ὁ. manifestus dicitur. Est autem manifestum id quod vel per cõfessionem vel probationem legitimè notum fuerit, aut euidentia rei, quæ nulla possit tergiuersatione cælari, vt habetur in cap. cum olim de ver. signi.

Manifestum, hoc est clarum, apertum, quasi ad manus foris stans, hinc manifesto verbum, & manifestè aduerbium, hoc est clarè, & manifestarius, qui vulgo notorius dicitur.

Plautus.

Capio fustem, obtrunco gallum furem manifestarium.

MAnsuetudo græcè πραότης, ητος.ἡ.& πρᾶος ου.ὁ. mansuetudo mediocritas circa iram, secundum Aristot. lib.4. Ethicorum.

Mansuetudo est depressio atq; sedatio iræ, secundum eundem lib.1.& 2. Rhetoricorum.

Mansuetæ feræ dicuntur cicures. Nam cicurare antiqui dicebant mansuefacere, secundum M. Varronem. Et quicquid à fero discretum est dicitur cicur. Cicur ingenium dicimus mite atq; mansuetum. Videturq; deductum à cico. Nam cicum veteres dicebant membranam tenuem, quæ est in malo punico discrimen.

Mansuetudo quid à clementia differat, vide suprà in Clementia.

Mansue-

Mansuetudo quidà fortitudine, vide suprà in Fortitudo.

Mansuetus & mitis quomodo differant, vide infrà in Mitis.

Matthæi 5.

Beati mites, quoniam posſidebunt terram.

Iacobus cap. 1.

Abijcientes omnē immunditiā & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitū verbum, quod potest saluare animas vestras.

August. in sermone Domini in monte.

Mites sunt qui cedūt improbrationibus, & nō resistunt in malo, sed vincunt in bono malum.

Ambrosius super Lucam lib. 5.

Cùm deposuero omne peccatum, & eruero omnem malitiam & simplicitate cōtentus fuero, inops malorum, superest vt mores temperē. Quid enim mihi prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis atq; mansuetus.

Gregorius Moralium lib. 19. parte 4. cap. 23. & hab. dist. 45. cap. Sunt nanq;.

Sunt nanq; nōnulli ita districti, vt omnē mā-suetudinem benignitatis amittant, & sunt nōnulli ita māsueti, vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus vtraq; summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ rigore benignitatem māsuetudinis, nec rursus in mā-suetudine, districtionem deserant disciplinæ. Quatenus nec à cōpasſiōe pietatis obdurescāt, cū contumacem corrigunt, nec disciplinæ rigorem molliant, cùm infirmorū animos cōsolantur. Regat ergo rigor disciplinæ māsuetudinē, & mansuetudo ornet sermone rigorem. Et sic alterum cōmendetur ex altero, vt nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

Ioannes Chrysost. super Matthæum.

Ille verò mansuetus est, cùm prouocatus fuerit, nec malum cogitat facere, nec facit.

Bernardus super Cantica.

Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio.

Isidorus Soliloquiorum, lib. 2.

Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es.

Ibidem.

Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas.

Ibidem.

Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.

Casſiodorus super Psal. 33.

Mansueti lætentur, non dixit lege docti, non ieiunantes, non psallentes, sed mansueti lætentur, qui charitate præcipuè habere omnium rerum temperantiam consueuerunt.

Idem super Psal. 36. Mansueti hæreditabunt terram.

Mansuetos appellamus manu consuetos, id est, patientes & mites qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præsumunt.

Seneca in Hercule furente Tragœd. 1. act. 3.

- Quisquis est placidè potens
Dominusq; uitæ seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit.
Animoq; parcit, longa permensus diu
Fœlicis æui spatia, uel cælum petit,
Vel læta fœlix nemoris Elisij loca.

De hac materia vide suprà in Clementia.

Manducatio dicit tria, scilicet fractionem, deglutionem, & nutritionem, secundum Bea. Tho. 4. Senten. dist. 12. q. 1. art. 3.

Manumisſio est libertatis datio secundum Vlpianum, & habetur instit. de liber. §. 1. & 12. q. 2. Cùm redemptor.

Manus græcè χείρ. ρὸς. ἡ. dicitur. Est autem manus organum organorum, quia facit omnia instrumenta, & est loco omnium instrumentorum, secundum B. Thomam 3. parte q. 83. art. 5. Dicitur autem à manando vt (quidam volunt) quod à bracijs manent, & ab ea digiti manent, estq; membrum decentisſimum. Manus interdum significat multitudinem.

Virgilius.

Hic manus ob patriam pugnando uulnera pasſi.

Aliquando pro potestate.

Ouidius.

An nescis longas regibus esse manus?

Mare græcè θάλασσα. ης. ἡ. & θαλάσσιος. ου. ὁ. marinus dicitur. Quod autē mare fluat & refluat, est ex motu lunę, cui aqua naturaliter subditur, secundū B. Tho. prima parte q. 105. art. 6.

Maria interpretatur stella maris vel illuminatrix. Et Syro sermone domina, ex Bea. Thoma super Matth. col. 24.

Maria debet proferri penult. breui. Vt Maria, ita & Lucia proferri debet penultima breui, quemadmodum & Lucius, licet vsus oppositū vsurpet apud plerosq;.

August. in sermone Asſumption.

Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percusſit, ista sanauit.

Idem in sermone de Natiuitate Beatæ Mariæ Virginis.

Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, tecum in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio.

Ibidem.

Exultauit Maria, & matrem se læta miratur, & de Spiritu sancto se protulisse gaudet. Nec quia peperit innupta terretur, sed quia genuit cùm exultatione miratur.

Idem in sermone Annunciationis.

Vera ratione censeo confitendum Mariam in Christo, & apud Christum esse. In Christo, quia in ipso viuimus, mouemur & sumus. Apud

Christum, quia gloriosè ad æternitatem assumptã benignitate Christi honoratius susceptam cæteris, atq; ad communem vtilitatem non additam post mortem putredini, videlicet vermi & pulueri.

Idem in sermone de Assumptione.

A maledictione Euę excipitur Maria, cui dictum est, in dolore paries filios, quia ipsa in lætitia parturiuit Dominũ. Igitur similiter à maledictione Adæ excipi debuit, cui dicitur, pului es, & in puluerem reuerteris. Ergo non debuit incinerari, licet mortua sit, præceptũ enim est honorare patrẽ & matrem. Cùm ergo Christus in vita præ cæteris honorauerit matrẽ, piũ est credere ipsum in morte spirituali gratia ipsam præ cæteris honorasse. Caro Christi caro virginis est, & multò specialiꝰ est ꝙ Ioseph, Iudę cæterorumq; fratrũ, qui dicebant frater & caro nostra est. Vnde sicut caro Christi nõ vidit corruptionẽ, sic nec caro virginis. Thronũ Dei & thalamum Domini, & tabernaculũ Christi dignum est ibi esse, vbi ipsum pretiosissimum thesaurum dignum est in cœlo seruari. Tantam igitur integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis vlla resolutio sequitur.

Ibidem.

Facta est Mariæ humilitas scala cælestis, per quam Deus descendit ad terrã. Quid enim est dicere, respexit humilitatem, nisi quòd approbauerit? Multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse, sed eorum humilitas à Domino non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, non ab hominibus laudari se vellent, non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret.

Idem lib. de Natura & Gratia.

Excepta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullã prorsus habere volo quęstionem. Inde enim scimus quòd plus ei collatum fuit gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quẽ cõstat nullum habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si omnes sanctos & sanctas, cũ hic viuerent congregare possem, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse respõsum putamus, nisi quod ait Ioannes: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c.

Idem lib. de Virginitate.

Fœlicior partus spiritualis quàm carnalis. Beatior enim Maria fuit, concipiendo Christũ fide, quàm carne. Materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi fœliciùs ipsum fide quã carne gestasset.

Idem super illud Lucæ 11. Beati qui audiunt uerbum Dei, &c.

Hoc est dicere: Mater mea quã appellatis fœlicẽ, inde fœlix est, quia verbũ Dei custodiuit, non quia in illa verbum caro factum est.

Idem lib. contra duas hæreses.

Sicut in trãsitu meo Mariæ non est corrupta virginitas, sic mea ibi nõ est maculata maiestas.

Ibidem.

Vnde sordes in Maria, quæ nec in concipiendo libidinem, nec in pariendo passa est dolorẽ? Vnde sordes in domo? in quã nullus habitator terræ accessit, solus ad eam eius fabricator & Dominus venit.

Ibidem, Quomodo fiet istud.

Eua inobediens meruit pœnã, Maria obediẽs consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitũ, maledicta, hæc credendo angelo, benedicta.

Idem lib. de Virginibus.

Quod profecto non diceretur nisi Deo virginem se antè vouisset. Sed quia hoc Israëlitarũ mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, nõ violenter ablaturo, sed potiùs contra violantes custodituro, quod illa iam vouerat.

Hieron. in sermone de Assumptione.

Aue Maria gratia plena Dñs tecum, &c. Talibus nanq; decebat virginẽ oppignerare muneribus, vt esset gratia plena, quæ reddidit cœlis gloriam, terris Deũ, pacemq; refudit, fidẽ gentibus, finẽ vitijs, vitę ordinẽ, moribꝰ disciplinã.

Ibidem.

Quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælũ, stupet terra, creatura omnis etiã cælestis miratur, hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur.

Ambrosius super Lucam.

Non mirum si Dominus redempturus mundum operationem suã tunc inchoauit in Maria, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.

Idem super Lucam lib. 2.

Maluit Dominus aliquos de suo ortu quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram virginis verecundiam & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs astruendam. Seruatur itaq; sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita & inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos ab his testimonium habere qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginis opinione, viuentibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoq; Domini videretur.

Ibidem.

Surgens Maria, &c. Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio in mõtana perrexit. Quomodo enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet? nescit tarda molimina spiritus sancti gratia.

Idem super Lucam lib. 10.

Seruatur itaq; sanctæ Mariæ sicut pudore integra,

tegra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Nec decuit virginibus sinistrè viuentibus velamen excusationis relinqui, quod infamata quoq; mater domini videretur. Quid autem Iudęis, quid Herodi posset adscribi, si natum videretur ex adulterio persequi. Quemadmodum ipse diceret, non veni soluere legē, sed adimplere: si viderentur incipere à legis iniuria, cùm partus innuptæ lege damnaretur.

Idem de Virginitate.

Quicunque sibi Mariæ optat præmium, imitetur exemplum.

Ibidem.

Virgo Maria erat non solùm corpore, sed & mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legēdi studiosior: non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperum spem ponens, intenta opere, verecunda sermone.

Idem de Virginibus.

Quid nobilius dei matre? quid splendidius ea, quā splendor elegit? quid castius ea, quę corpus sine corporis contagione generauit?

Ibidem.

Arbitrium mentis non hominem sed deum querere, nullum lædere, omnibus bene velle, maiorib. assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi, veritatē amare. Quando ista fastidiuit humilem, quando risit debilem, quando vitauit inopem? Nihil in oculis toruū, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis: talem hanc Euangelista monstrauit, talē angelus reperit, talem spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, quę digna fuit ex qua filius dei nasceretur?

Idem lib. 2.

Quantæ in vna virgine species virtutum emicant? secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum.

Ibidem.

Sit igitur nobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaq; Marię: in qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis exempla virtutis, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, qd corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis ostendunt.

Idem libro de Virginitate.

Talis fuit Maria vt eius vnius vita omnium disciplina sit.

Idem in serm. de nati. Beatæ Virginis.

Beata Maria priusquam conciperetur vel nasceretur erat prænūtiata & designata miraculis: nata vero, de progenie diuinitus ordinata, priuilegio virtutum insignis emicuit, saluatorem condidit, à quo glorificata, in cœlis nunquam terrigenis patrocinari desistit.

Ibidem.

Ipsa conteret caput tuum. Virgo sibi caput contriuit in eo quod humilitatem & virginitatem deo sanctificauit. Virginitate nanq; seruata probatur extinxisse concupiscentiā mentis, sicq; principali suggestione diaboli victa, vitiosum caput, virtutis pede contriuit. Non tamen hoc solo, sed eo quàm maxime triumphauit, ꝙ eam de sua mundissima carne cōparata sapientia vincit.

Ibidem.

Beata Maria non fortuitu aut solùm placito, vt quidam putant, sed diuina dispensatione nomen accepit. Ita vt ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quoddam innueret, interpretatur enim stella maris. Nautis enim mare transeuntibus, vocare est opus, stellam maris longe à supremo cœli cardine coruscantem, & ex respectu illius dirigere cursum, vt possint portum destinatum apprehendere. Simili modo fratres oportet vniuersos Christicolas inter fluctus huius seculi, hanc Mariam quæ supremo rerū cardine deo proxima est, intueri & respectu exempli eius, cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad quietis æternæ portum.

Gregorius in Registro.

Dum vnigenitus dei existens ante secula, ex Mariæ vtero natus est homo, inuestigabili miraculo facta est, & ancilla hominis per deitatē, & mater verbi per carnem.

Idem Moral. super illud: Virtus altißimi obumbrabit tibi.

Quia vmbra non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, virtus altissimi Mariam obumbrat, quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit, ex qua videlicet obumbratione omne in se refrigerium mentis accepit.

Ibidem.

Christus non operante coitu, sed spiritu sancto superueniente, conceptus est. Natus autem materna viscera & fœcunda exhibuit, & incorrupta seruauit.

Ioan. Chrysost. super Matth.

O inæstimabilis Marię laus, & Ioseph plus credidit castitati, quàm vtero intumescenti, plus gratiæ quàm naturæ, conceptionem vidit, sed fornicationem non existimauit: possibilius credebat mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare.

Idem.

Comessatrix ac vinolenta nunquā Maria fuit,

 quia

quia omnis mulier quę vinolenta eſt & comeſſatrix, meretrix eſt; nō leuis, non iocoſa, nō cantatrix, non turpium verborum amatrix, & ſicut ſolent plerunq; puellæ quæ libēter talia aut loquuntur aut audiunt. Non ſuper virum oculos ſuos extulit, aut infixit aſpectum.

Ibidem.

Ideo fabro lignario deſponſata fuit, qa Chriſtus eccleſiæ ſponſus omnium hominum ſalutē per lignum crucis operaturus erat.

Bernardus in ſermone libro 2.

Virgo regia ipſa eſt via, per quā ſaluator aduenit, procedens de ipſius vtero, tanquā ſponſus de thalamo ſuo. Per te acceſſum habeam⁹ ad filium, ó benedicta, inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis, vt per te ſuſcipiat nos qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua, culpam noſtræ corruptionis, & humilitas deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati. Copioſa charitas tua, noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatē nobis cōferat meritorū.

Ibidem.

Ad beatam virginem ſicut ad medium, ſicut ad arcanum dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negocium ſeculorum reſpiciūt: & qui in cœlo ſunt, & qui in inferno habitant, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis: & qui in inferno, vt eripiantur, & qui pręceſſerūt vt prophetæ fideles inueniantur, & qui ſequuntur vt glorificentur.

Ibidem in ſermone 98.

Per te virgo ſancta cœlum impletum eſt, infernus euacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ cœleſtis Hieruſalem, miſeris expectantibus perdita vita data eſt.

Ibidem.

Maria facta eſt omnia omnibus, ſapientibus & inſipientibus, copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam, deniq; tota trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam: vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius.

Idem ſuper Miſſus eſt.

Maria virginem ſe oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate.

Ibidem.

O peccator ad filium dei non audes accedere, veluti non liquefias vt cera à facie ignis. Vade ad matrem peccatorū, & oſtende ei tua facinora, & ipſa oſtendet pro te filio pectus & vbera, & filius oſtēdet patri latus & vulnera. Pater nō negabit filio poſtulanti, & filius nō negabit matri interpellanti. Mater non negabit peccatori ploranti.

Idem in ſermone de conceptione.

Dico virginem glorioſam de ſpiritu ſancto concepiſſe, non conceptam fuiſſe, dico peperiſſe virginem, nō tamen partam à virgine. Alioquin vbi erat prerogatiua matris domini, quia ſingulari creditur exultare & munere prolis, & integritate carnis. Si tantum dederis & matri eius, nō eſt virginem honorare, ſed honori detrahere. Cùm igitur hęc ita ſe habeant, quę nō erit feſtiuitas conceptionis? Quóue pacto aut ſanctus aſſeritur, conceptus qui de ſpiritu ſancto nō eſt, aut feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt?

Idem in ſermone de aduentu.

Chriſtus flos campi, & non horti. Campus enim ſine omni humano floret adminiculo, non ſeminatus ab aliquo, non defoſſus ſarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino virginis aluus floruit, ſic inuiolata & caſta Mariæ viſcera, tanquàm paſcua æterni nitoris floruerunt, cuius pulchritudo non vidit corruptionem, flos in perpetuum non marceſcet.

Idem in ſermone de Beata uirgine.

Ecce coram tremendo iudice peccatores aſsiſtimus, cuius manus terribilis, gladium irę ſuæ vibrat ſuper nos. Et quis auertet eū? Nemo domina, tam idone⁹, vt gladio domini obijciat manum, niſi tu dei amātiſsima, per quam primū in terris ſuſcepimus miſericordiam de manu dñi.

Idem in ſermone de aduentu.

Domina noſtra, mediatrix noſtra, aduocata noſtra, filio tuo nos reconcilia, & repreſenta patri, ó benedicta, per gratiam quam inueniſti, vt qui mediāte te, fieri dignatus eſt particeps infirmitatis noſtræ & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente, participes nos faciat ſuæ gloriæ.

Idem in ſermone de natiuitate.

Aduocatam vis habere ad Chriſtum, ad Mariam recurre, exaudiet itaq; matrē filius. Cęterùm quicquid illud eſt quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ſi non vis ſuſtinere repulſam.

Ibidem.

Si piè à nobis pulſata fuerit & inuocata compatietur nobis, nec deerit neceſsitati noſtræ: ſiquidem nec facultas deeſſe poterit, nec voluntas, quoniam regina cælorum miſericors eſt, & mater miſericordiæ.

Idem ſuper Canti. 2. & 3.

Eſt ſagitta electa amor Chriſti, quæ Marię animam non ſolummodo confixit, ſed etiā pertranſiuit: vt nullam in pectore virginali particulam vacuam relinqueret, ſed tota virtute, toto corde, tota anima diligeret, & eſſet gratia plena. Aut certè pertrāſiuit eam, vt veniret vſq; ad nos, & de plenitudine illa oēs acciperem⁹ & fieret

fieret mater charitatis. Cuius pater eſt charitas Deum parturiens. Et in ſole ponẽs tabernaculũ vt ſcriptura impleret quæ dicit: Dedi te in lucem gentium, hoc eſt impletũ per Mariam, quę in carne viſibili ędidit, quǽue inuiſibilem nec de carne, nec cum carne ſuſcepit.

Idem ſermone 32.

Virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Et verè virtur in carne Chriſti, quę virtus obumbrauit, vt quod impoſsibile erat mortali fœminæ, obiectam viuifici corporis prę́ſentiã maieſtatis & lucẽ ſuſtineret inacceſsibilẽ. Virtus planè, in qua vnius fortitudo contraria debilitata eſt, & virtus & vmbra fugans dæmones, tutans homines. Aut certè virtus vegetans & vmbra refrigerãs.

Idem ſermone 55.

Chriſtus tranſiliuit Gabrielem & peruenit ad virginem, eodem archangelo atteſtante qui ait: Aue gratia plena Dominus tecum. Quid quem modo reliquiſti in cęlo, in vtero reperis? Trãſilijt te qui præmiſit te, vnde dicitur: Exultauit vt gigas ad currendam viam.

Idem lib. 5. de Conſideratione.

Mulier Euangelica quæ commiſcuit tria ſata farinæ, fuit beata virgo, quæ incarnatione fermento fidei ſuæ, commiſcuit tria ſata, nouum, antiquum, & æternum, ſecúndum animam de nouo creatam, corpus de natura Adam, & æternum in vnione diuinitatis.

Idem ad Canonicos Lugd.

Magna fuit ſanctificatio Hieremię, qua potuit vitare faciliter culpã mortalium. Maior ſanctificatio Ioannis Baptiſtæ, qua potuit vitare frequentiã venialium. Maxima virginis Marię, qua potuit vitare (imò vitauit) omne peccatum.

Idem ſuper Miſſus eſt.

Hæc eſt virgo carne & mente, virgo profeſſione, virgo deniq;, qualem ſcribit Apoſtolus, mente & corpore ſancta.

Idẽ ſuper illud Apoc. Habebat in cápite coronã ſtellarũ.

Quod triennis in templa præſentata eſt beata virgo, & in cõtubernio virginũ poſita, nondum plenè verba formabat, & iam greſſu maturo incedebat, vt non infantula putaretur, ſed grandęua, horas ſic diſcernebat, quod mane ad tertiam orationi vacabat, à tertia vſq; ad nonã texebat vel nebat ad cultum templi: nona autẽ orationi inſtabat, donec angelus veniebat, de cuius manu cibum ſumebat, cibum verò cum alijs virginibus ſumebat.

Origen. ſuper illud Matth. 1. Ioſeph cùm eſſet iuſtus.

Ioſeph iuſtus erat verbo, iuſt' in facto, iuſtus in legis conſummatione, iuſtus initio gratiæ. Ideò eam dimittere volebat, quoniam virtutẽ myſterij & ſacramentũ quoddam magnificum in ea eſſe cognoſcebat, cui approximare ſe indignum æſtimabat, exemplo Petri Lucæ 5. Recede à me, quia homo peccator ſum.

Petrus Damia. in ſermone ſuper Euang. Liber generationis.

Hinc fratres, hinc ergo perpendite, quibus laudibus digna ſit beata & glorioſa virgo Maria, quæ illum de caſtiſsimis illis viſceribus nobis genuit, qui nos de tã profundo gutture auidiſsimi draconis eripuit. Ad eius nanq; digna efferenda præconia nõ Rhetoricorũ diſerta facundia, nõ Dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutiſsima Philoſophorũ aperta reperiuntur ingenia. Et quid mirum? ſi hæc ineffabilis virgo, in ſuis laudibus, modum humanæ vocis exuperat, cùm & ipſam humani generis naturã excellentium meritorũ dignitate tranſcendat.

Idem in ſermone de Natiuitate beatæ Virginis.

Quo pacto eius feſtiuitatem digne celebrare poteſt infirmitas hominum, quæ gaudium parere meruit angelorum? Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis trãſitorium verbum, quę illud de ſe protulit verbum quod manet in æternum? Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa?

Anſelmus de laudibus Mariæ.

O fœmina mirabiliter ſingularis, & ſingulariter mirabilis, per quam elemẽta renouantur, angeli reintegrantur, inferna euacuantur, homines ſaluantur. O fœmina plena & ſup plena gratia, de cuius plenitudinis exundãtia reſperſa reſultat omnis creatura. O virgo benedicta per cuius beatitudinẽ benedicetur omnis creatura, & nõ ſolùm creatura à creatore, ſed etiam creator à creatura laudatur. O Maria dulciſsima ſemperq́ue beatiſsima. Si omnis peccator ad te conuerſus & à te ſit deſpectus, neceſſe eſt vt intereat. Si omnis peccator ad te conuerſus & à te conſpectus, impoſsibile eſt vt pereat.

Idem de conceptu B. Virginis Mariæ.

Si Hieremias qui gentib' erat ꝓpheta futurus, in vulua eſt ſanctificatus, & Ioãnes in ſpiritu & virtute Helię venturus ſeruus, eſt in vtero matris S. ſancto repletus: qs dicere audeat, ſingulare totius ſeculi propiciatorium, & [illegible] vnicũ reclinatorium, mox in ſu[illegible]ionis exordio, ſpiritus ſancti gratia deſtitutum.

Idem de conceptu Virginali, cap. 12. & 13.

Decebat vt illius hoĩs cõceptio de matre puriſsima fieret. Nempe decẽs erat vt ea puritate, qua maior ſub Deo neq̃t intelligi virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filiũ, quẽ de corde ſuo ęqualẽ ſibi genitũ, tanq̃ ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus idemq́; communis, Dei patris & virginis filius.

Ibidem.

Nihil tibi domina eſt ęquale, mihi cõparabile. Omne enim quòd eſt, aut ſupra te eſt, aut infra te eſt. Quòd ſupra te eſt, ſol' Deus eſt; quòd infra te eſt, eſt omne quod Deus non eſt.

Ibidem cap. 26.

O Domina si tuus filius factus est per te frater noster, nónne tu per illum facta es mater nostra? Ecce, inquit Dominus, mater tua. O peccator homo gaude & exulta. Non est vnde desperes, non est vnde formides, id quod iudicabitur, de te totum dependet ex sententia fratris tui & matris tuæ.

Idem in Orationibus.

O beata fiducia, ô totũ refugium, mater Dei est mater nostra, iudex noster est frater noster. Qua igitur certitudine debemus sperare, qua consolatione possumus timere, quorũ siue salus siue damnatio de boni fratris, & de bonæ matris pendet arbitrio?

Idem cur Deus, & hab. cap. 1.

Oportebat vt sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intrauerat: ita per hominis obedientiam vita restitueretur: & quemadmodum peccatum quando fuit causa nostræ damnationis, initium habuit à fœmina: sic salutis autor nasceretur de fœmina: vt sicut diabolus per gustum ligni suauis hominem vicerat: sic per passionem quam intulit ab homine vinceretur.

Dantes paradisi Cant. cap. ultimo.

La tua benignita non pur succorre
A chi domanda, anci multe fiate
Liber amente al domandar precorre:
In te misericordia in te pietade,
In te magnificentia in te se aduna
Quantun che in creatura e dibontade. **id est,**
Tua liberalitas nedum succurrit
Petenti, quinimo sæpenumerò
Liberè petitionibus præuenit:
In te misericordia, in te pietas,
In te magnificentia, in te unitur
Quicquid in creatura est bonitatis.

Bapt. Mant. Parthe. lib. 1. cap. 2.

Nulli adeò uiuax animi solertia, nulli
Tam fœlix aderit flentis gloria linguæ,
Vt Mariæ poßit laudes æquare loquendo,
Quæ data sunt illi nunquam mortalibus ullis
Anteà conceßit, nec post concedet Olympus.

MArtyrium græca dictio est. Nam μαρτύριον. ου. τὸ testimoniũ significat, & μάρτυρ, υρος, ὁ testis. Dicitur autem martyrium actus virtutis quadruplicis, scilicet fortitudinis vt elicientis principaliter: patientiæ verò vt elicientis cõsequenter, & charitatis vt imperãtis, & fidei vt finis, ex B. Tho. sec. secũdæ, q. 124. art. 1. cap. 1. & 2.

Martyriũ est actus maximę perfectionis, non quidem secundum se, sed vt imperatur à charitate, & vt eam ostendit, vt ibid. artic. 3.

Mors est de ratione martyrij, vt ibid. art. 4.

Matthæus cap. 11.

A diebus autem Ioannis Baptistæ vsq; nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Augustinus super Psal.

Seculi homines infeliciter felices sunt, martyres autem feliciter infelices erant.

Idem contra Petilianum, & habe. 23. q. 5. cap. Tu dixisti.

Neque enim veneramur nomine martyrum eos, qui sibi collum ligauerunt.

Idem de uerbis Apostoli.

Iniuria est pro martyre orare, cuius debemus orationibus commendari.

Hierony. in Ionam Prophetam, & hab. 23. q. 5. Non est nostrum.

Non est nostrum mortem arripere, sed illatã ab alijs libenter accipere: vnde in persecutionibus non licet mihi propria perire manu, absq; eo vbi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.

Ambr. & hab. 23. q. 8. c. Conuenior.

Vultis in vincula rapere, vultis in mortẽ, voluntas est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratis immolabor.

Gregorius in homil. de Virginibus.

Martyr pro Christo mori non potuisset corpore, nisi prius desiderijs terrenis mortuus fuisset in mente. Erectus namq; animus virtutis culmine, tormenta derisit, præmia calcauit, ante armatos reges & præsides ductus imperterritus stetit, feriente robustior, iudicante sublimior.

Idem super Euang. homil.

Quamuis occasio persecutionis deest, habet tamen & pax nostra martyrium suum, quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio desideria in mente trucidamus.

Idem in homilia.

Duo sunt quippe martyrij genera, vnum in publico, aliud in mente, simul in actione. Itaq; esse martyres possumus, etiã si nullo ferro percutiendi trucidemur.

Ibidem.

Mori à persequente martyrium in aperto opere est, ferre verò cõtumelias & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.

Idem homilia 35.

Si adiuuante nos Domino virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace Ecclesię viuimus, martyrij palmam tenemus.

Ibidem.

Nos sine ferro & flamma martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodiamus.

Ioannes Chrysost. super Matthæum.

In prælijs sensibilibus qui paratior est ad occisionem, probior est & hostibus terribilior, quanuis

quãuis eum rex non poſsit ſuſcitare poſt mortem, quanto magis hic, vbi tanta ſpes reſurrectionis eſt?

Bernardus in ſermone.

Quod martyrium grauius quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas pretioſas algere, & paupertate premi, inter diuitias quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter appetitus. Propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorũ promittiť, quia paupertate quidẽ emitur, ſed in paſsionie pro Chriſto abſq; dilatione percipitur.

Hugo de Clauſtro animæ.

Fortiſsimus Abraam, ſed beatus Laurentius forti orfortiſsimo. Audiamus qualiter Abraam ſua dimiſit, & Laurentius ſua diſperſit, & dedit pauperibus. Abraam filium ſuum deo obtulit, Laurentius ſeipſum pro filio Dei. Hic ignem parat, colligat filium, gladium euaginat, ſed angelum audit prohibentem ne perficiat. Ille ad ignem poſitus Chriſtum prædicauit, carnifices verò vrgentes carbones miniſtrando, verbis non exaſperat, efficitur holocauſtum domino, id eſt totum incenſum intus ignẽ charitatis, exterius vero flamma tribulationis. Hic quia obediens efficitur filium recipit incolumem: Ille quia perſeuerat in tormentis à Dei filio recipitur ad ſalutem.

Mathematica grȩca dictio eſt. Nã μαθηματικὴ, ῆς ἡ. dicitur, & eſt ſcientia quadruuialis. Periti verò huius ſcientiæ μαθηματικοὶ dicuntur. Iuuenalis: Nota mathematicis geneſis tua. Diciturq́; mathematica, quoniam veteres grȩci geometriam, muſicam, arithmeticam, & aſtrologiã, diſciplinas altiores μαθηματὰ appellabant, Vulgus autem Chaldæos quoque magos mathematicos vocat, exinde autem his ſcientijs ornati ad perdiſcenda mundi opera & principia naturæ procedebant, ac tunc denique φυσικοὶ, id eſt, naturales nominabantur.

Matrimonium græcè συζυγία. ας. ἡ. & σύζυγός. οῦ. ὁ. ἡ coniunx dicitur. Eſt autem matrimonium legitima ſocietas inter virũ & fœminam, in qua ex pari conſenſu ſemetipſum alteri debet, ſecundum Auguſtin. libro de virginitate beatæ virginis.

Matrimonium eſt viri mulierisq́; coniunctio maritalis, inter legitimas perſonas vitã indiſſolubilem retinens, ſecundum Magiſtrum ſentẽ. 4. ſen. diſt. 27.

Matrimonium eſt coniunctio maris & fœminę inter perſonas legitimas indiuiduã vitæ cõſuetudinem retinens, vt habetur 22. q. 2. §. 1.

Matrimonium eſt viri & mulieris coniunctio indiuiduam conſuetudinem vitæ retinens, vt habetur inſti. de pa. po. §. Nuptiæ.

Matrimonium dicitur quaſi matris munium, id eſt officium, vel quaſi matrem muniens vel monens, vel quaſi mater manẽs, vel quaſi à matre & nato. Dicitur autẽ magis à matre, quia magis pertinet ad rationem eius quàm pater. Nam mulier principaliter facta eſt propter hoc, non autem vir. Et mulier circa prolem eſt magis officioſa, ex B. Tho. 4. ſen. diſt. 27. q. 1. art. 1.

Matrimonium contrahendum impedientia & iam contractum dirimentia ſunt quæ continentur his verſibus.

Error, conditio, uotum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, uis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis:
Hæc ſocianda uetant, connubia facta retractant.

Tobias cap. 6.

Angelus Raphael dixit Tobiæ: Audi me & oſtendam tibi qui ſunt qbus præualere poteſt dęmoniũ. Hi nanq; qui coniugiũ ita ſuſcipiũt, vt deũ à ſe & ſua mente excludant, & ſuę libidini ita vacẽt, ſicut equus, & mulus in quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dęmonium ſuper eos. Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vocabis cum ea.

Prouerbio. cap. 19.

Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem propriè vxor prudens.

Eccleſiaſtici cap. 7.

Noli diſcedere à muliere ſenſata & bona, quã ſortitus es in timore domini, gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum.

Ibidem.

Trade filiam & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.

Ibidem cap. 25.

In tribus placitum eſt ſpiritui meo quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier ſibi benè conſentientes.

Ibidem.

Beatus qui habitat cũ muliere ſenſata. Matt. 1.

Dictum eſt aũt, quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego aũt dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

Ibidem cap. 19.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eũ & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunq; ex cauſa? Qui reſpondẽs ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit ab initio hominem maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuę, & erunt duo in carne vna. Itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Ibidem.

Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliã duxerit, mœchatur. Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur.

Lucas

Lucas cap.16.

Omnis qui dimittit vxorem suam & alteram ducit, mechatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

Paulus ad Romanos cap.7.

Nam quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri: igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.

Idem ad Cor.1.cap.7.

Bonum est homini mulierem non tangere, ꝓpter fornicationem autem vnusquisq; suam vxorem habeat. Vxori vir debitũ reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterũ reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas ꝓpter incontinentiam vestram.

Ibidem.

Quod si non se cõtinent, nubant. Melius est enim nubere quã vri. His autẽ qui matrimonio iuncti sunt pręcipio nõ ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.

Ibidem.

Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, nõ peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit.

Ibidem.

Reliquum est, vt & qui habeant vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquã non gaudẽtes: & qui emunt, tanquam non posidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam nõ vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quę sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit corpore sancta & spiritu. Quæ autẽ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

Ibidem.

Si quis autem turpẽ se videri existimat, sup virgine sua, quod sit superadulta & ita oportet fieri, & quod vult faciat, non peccat si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus nõ habens necessitatem, potestatem autem habens suę voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, benefacit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benefacit, & qui non iungit, melius facit.

Idem ad Corint.1.cap.11.

Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi deus est.

Idem ad Ephesios cap.5.

Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis eius, sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illã sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, nõ habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata, ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suã vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam: sicut & Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suã, & adhęrebit vxori suę, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnũ est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. Veruntamen & vos singuli vnusquisq; vxorem suam, sicut seipsum diligat, vxor autem timeat virum suum.

Idem ad Coloss.cap.3.

Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in domino. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse erga illas.

Idem ad Tit.cap.2.

Adulescentulas decet vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum dei.

Paulus ad Hebræos cap.13.

Honorabile cõnubium in omnibus & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros, iudicabit deus.

Petrus 1.cap 3.

Similiter & mulieres subditæ sint viris suis.

Augustinus & hab.27.q.1.Nuptiarum.

In coniugali quippe vinculo, si pudicitia nõ seruatur, damnatio non timetur.

Idem, & habetur dist.5.Ad eius.

Ad eius vero concubitũ vir suus accedere nõ debet, quousq; qui gignitur ablactetur: Praua autem consuetudo in coniugatorũ moribus irrepsit, vt filios quos gignunt nutrire mulieres contemnãt, eosq; ad nutriendũ alijs mulieribus tradant, ꝙ videlicrt ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inuentũ, quia dum se continere nolũt, despiciunt lactare quos gignunt. Hęc autem sciãt quę filios suos ex praua cõsuetudine alijs ad nutriendũ tradũt, nisi purgationis tampus prius trãsierit, viris suis non debent admis-

admisceri. Quippe & sine partus causa, cùm in menstruis cōsuetis detinentur viris suis misceri prohibentur, ita vt lex sacra morte illum feriat, si quis uir ad menstruatā mulierē accedat.

Idem & habetur 23.q.5. Si uxorem.

Si uxorem quis habeat sterilem, siue corpore deformem, siue debilem membris, vel cæcam, uel claudam, uel surdam, uel si quid aliud, siue morbis, siue laboribus doloribusq; confectam, & quicquid (excepta fornicationis causa) cogitari potest uehementer horribile, pro societate fideq; sustineat.

Idem & habetur.33.q.4. Quotiescunq;.

Quotiescunq; aut dies natalis domini, aut reliquę festiuitates aduenerint, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam à proprijs vxoribus abstinere debemus.

Idem, & habetur 35.q.3. Si uir.

Si uir & uxor non iam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda quàm filia.

Idem libro de bono coniugali.

Quidam nubentes post uotum asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt.

Idem, & hab.27.q.2. Coniunx uocatur.

Coniunx uocatur prima desponsationis fide quam concubitu nō agnouerat Ioseph, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat nec futura erat carnalis ulla cōmixtio. Propter quod fidele coniugium ambo parentes Christi uocari meruerunt, non solum illa mater, uerum & ille pater eius, sicut & coniunx matris eius: utrunq; mente, non carne.

Ibidem cap. Omne.

Omne itaq; nuptiarum bonum impletum est in ipsis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum dominum. Fidem, quia nullum adulteriū: sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati, fieri non potest sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato, sine quo verè cōcipi uoluit qui futurus erat sine peccato.

Idem & habetur 32.q.2. Quicquid.

Quicquid inter se coniugati immodestū, inuerecundum, sordidumúe gerunt, vitiū est hominum non culpa nuptiarum. Iam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis quā eis nō secundum imperiū pręcepit, sed secundum ueniam concedit Apostolus, vt etiam prester causam procreandi sibi misceantur, & si eos praui mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendūt: Neq; illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi coniugati, non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorū procreandorū causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verū etiam infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos cōcubitus euitandos mutuam quodammodo seruitutem, vt etiam si alteri eorum continentia perpetua placeat, nisi ex alterius consensu fieri nō posit. Non autem datur præsentia sancti spiritus, tempore quo coniugales actus geruntur.

Idem de bono coniugali, & habetur 32.quæst.7.

Interueniente.

Interueniente diuortio non absoluetur confœderatio nuptialis. Ita ut sibi coniuges sint etiam separati, cum illis etiam committitur adulterium, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati.

Ibidem, & habetur Tantum.

Tantum ualet uinculum sociale, vt cum causa procreandi colligitur, vt nec ipsa causa procreādi dissoluatur: posset enim homo sterilem dimittere vxorem, & aliā ducere de qua filios haberet, & tamen non licet.

Ibidem & habetur ibidem. Vsq; adeo.

Vsq; adeo inter uiuentes maneant inita iura nuptiarum, vt potius inter se sint coniuges etiā separati, quàm cum his quibus adhæserunt.

Idem de adulterinis coniugijs lib.1 & habetur 22.q.7.cap. Quemadmodum.

Quemadmodum non rectè dici potest, si nescit homo, non peccat, sunt enim peccata ignorantium, quàmuis minora quàm scientiū. Ita enim non rectè dici potest, si causa fornicationis dimiserit vxorem vir, & aliā duxerit, non mœchatur. Est em̄ mœchatio & eorū, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus, sed utiq; minor quàm eorum, qui non propter fornicationem dimittunt.

Ibidem & habetur 27.q.2.cap. Si tu abstines.

Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Idem libro 4. Confess. & habetur 27.q.2.cap. Institutum.

Institutum est ut sponsæ iam pactæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauerit sponsus dilatam.

Idem de adul.con. & hab.32.q.1.cap. Non erit.

Non erit turpis neq; difficilis etiam post patrata atq; purgata adulteria reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remisio peccatorū: non vt post viri diuortium adultera uocetur, sed vt post Christi consortium adultera reuocetur.

Ibidem, & habetur 33.q.7. Adulterij malum.

Adulterij malum vincit fornicationem. Vide in Sodomia.

Ibidem lib.2. & habetur 32.quæst.7. Licitè.

Licite dimittitur vxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit

sit reus adulterij, quicunq; duxerit dimissam ob causam fornicationis.

Ibidem, & hab.33.q.4.cap. Apostolus.

Apostolus nec ad tempus vt vacent orationi, nisi ex consensu voluit coniuges, nec carnali in uicem fraudari debito.

Idem in sermone Domini in monte, & habetur 32.q.7.cap. Fieri potest.

Fieri potest, vt vir dimittat vxorē causa fornicationis, quam exceptam esse voluit. Iam vero si nec illi nubere conceditur viro suo à quo recessit, neque huic alterā ducere viua vxore sua quam dimisit, multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.

Ibidem, & habetur ibidem, cap. Dominus ad illud.

Dominus ad illud confirmandum, vt non facilè dimittatur vxor, solam fornicationis causam excepit, cæteras vero innumerabiles & vniuersas molestias si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortiter sustineri.

Idem ad Valentinum de nuptijs uel concupiscentijs, & habetur 31.q.1 cap. Deniq;.

Denique mortuo eo cum quo fuit verum connubium, fieri potest coniugium, cum quo præcessit adulterium.

Idem libro 2. contra aduersarium leg. & pro. & habetur ibidem Deus masculum.

Deus masculum & fœminam propagandi generis causa, nuptiali castitate coniunxit, & secundas nuptias, quæ in vnoquoque testamēto permittuntur, licitas esse monstrauit.

Idem in libro quæstionum Gen. & habetur 33. quæst.5. Est ordo.

Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filij parentibus, quia in illis hæc iustitia est, vt maiori seruiat minor.

Idem in q. Numeri, & hab. ibidem cap. Manifestum.

Manifestum est ita legem voluisse fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota quæ abstinentię causa vouerit, reddantur ab ea, nisi author vir fuerit permittendo.

Idem super primam epist. ad Corin. & habetur 31.quæst.1.cap. Quod si.

Quod si dormierit vir eius: non dicit primus, vel secundus, vel quartus. Nec nobis diffiniendum est, quod non diffinit apostolus, vnde nec vllas debeo dānare nuptias, nec eis verecundiā inferre numerositatis.

Idem ad Heditiam, & habetur 33.quæst. 5.cap. Secundum uerba.

Secundum verba apostolica etiam si vir continere voluisset, tibi debitum reddere cogeretur, & illi deus imputaret continentiam, si non suæ sed tuæ cederet infirmitati, ne in adulteriū caderes.

Idem de fide ad Petrum.

Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit primo priuari cōiugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatū habebit si eas castè seruauerit.

Idem de baptismo puerorum.

Benè vtitur malo concupiscentiam restringens connubio.

Idem super Psalm. 146. & hab.33.q.5. Si dicat.

Si dicat vir continere volo, nolo autem vxor non potest, quod enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuam, debet illa fornicaria fieri? si alij nupserit te viuo, adultera erit, nō vult deus tale damnum tali lucro compensari. Redde debitū, & si non exigis, redde: pro satisfactione perfecta deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur vxori.

Hieronymus in epist. Pauli ad Corin. & habetur 32.quæst.1. In coniugio.

In coniugio quis positus, quæcunq; peccata fecerit non propriam infuscant coniugem, sed fornicatio vxorem coinquinat, vt iam non sit viro suo licita, sed adultera.

Idem de Virginibus, & habetur 31.quæst.1. Quomodo.

Quomodo virginibus fornicationis periculo concedit nuptias, & excusabile facit quod per se non appetitur: ita eodem fornicationis periculo, concedit viduis secunda matrimonia contrahere. Melius est enim licet alterum & tertiū vnum virum nosse quàm plurimos, id est, tolerabilius est vni homini prostitutam esse quàm multis. Siquidem & illa in euangelio Samaritana, sextum maritum habere se dicens, arguitur à domino, quod non sit vir eius. Vbi enim numerus maritorum est, ibi vir qui proprie vnus est, esse desistit. Vna costa à principio in vnam vxorem versa est. Et erunt inquit duo in carne vna, non dixit tres, neque quatuor, alioquin nō duo, sed plures.

Idem ad Pammachium, & hab.31.q.1. Aperiant.

Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secundas nuptias & tertias in domino concessisse. Qui secundas & tertias nuptias non damnaui, primum potui damnare matrimonium?

Ibidem.

Non damno bigamos, imo nec trigamos, & si dici potest octogamos.

Ibidem.

Ego nunc voce proclamo libera, non damnari in ecclesia bigamium, imo nec trigamium, & ita licere quinto & sexto, & vltrà quomodo & secundo marito nubere.

Idem ad Oceanum de morte Fabiolæ, & habetur 32.quæst 5. Præcepit.

Præcepit dominus vxorem non debere dimitti excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit,

fuerit, manere innuptam: quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas, neq; enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus est.

Idem in epistola ad Rusticum.

Sicut boni filij adulterorum nulla est defensio, sic mali filij coniugatorum nullum crimen est matrimonij, quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis, causa vitiorum est atque virtutum.

Idem ad Damasum.

Iuuenes verò hoc sunt admonendi modo, vt si vxores habeant, doceantur castè viuere cum vxoribus suis, alienam sciant esse sceleratum contingere.

Hieron. contra Iouinia. cap. 15.

Nemo enim melius scire potest qd sit vxor vel mulier, illo, qui passus est.

Ibidem.

Quæ enim mihi incumbet necessitas venire in dubium, vtrũ bona an mala futura sit quam duxero? Melius est, inquit, habitare in terra deserta, quàm cum vxore litigiosa & iracunda. Quàm rarum sit vxoré sine his vitijs inueniri, nouit ille qui duxit vxorem. Vnde pulchrè Varius Geminus sublimis orator, qui non, inquit, litigat, cœlebs est. Melius est habitare in angulo tecti, quàm cum vxore maledica in domo communi. Si domus communis est mariti & vxoris, erigit vxoré in superbiam, & cõtumeliam viro facit, quãto magis si ditior vxor fuerit, & in domo eius vir manserit? Incipit enim nõ vxor, sed domina esse viro, si offenderit, migrandum est. Stillicidia eijciunt hominẽ die hyemali de domo sua: similiter & mulier maledica de propria domo, assiduis quippe iurgijs, & quotidiana garrulitate facit perfluere domũ eius, & eijcit eum de ædibus suis, id est, de Ecclesia.

Idem contra Iouinia. cap. 27.

Veniam ad maritatas quę mortuis vel occisis maritis suis superuiuere noluerũt, ne cogerent secundos nosse concubitus, & quę mirè vnicos amauerunt maritos, vt sciamus bigamiam apud Ethnicos etiam reprobari. Dido soror Pygmalionis multo auri & argenti pondere cõgregato, Aphricam nauigauit, ibiq; vrbem Carthaginem condidit, & cùm ab Hyarba rege Libiæ in cõiugem peteretur, paulisper distulit nuptias, donec conderet ciuitatem, nec multò post, extructa in memoriam mariti quondam Sichæi pyra, maluit ardere quàm nubere. Casta mulier Carthaginem condidit, & rursum eadem vrbs in castitatis laude finita est. Nam Hasdrubalis vxor capta & incensa vrbe cùm se cerneret à Romanis capiendam esse, apprehẽsis ab vtroque latere paruulis filijs, in subiectum domus suæ deuolauit incendium. Quid loquar Nicerati cõiugem? quæ impatiens iniuriæ viri, mortem sibijpsa consciuit, ne triginta tyrannorũ, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret.

Ibidem.

Fertur Aureolus Theophrasti liber de nuptijs, in quo quærit an vir sapiens ducat vxoré: & cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus: si ipse sanus ac diues, sic sapienter aliquãdo inire matrimonũ: statim intulit, hæc autem in nuptijs rarò vniuersa cõcordant. Non est ergo vxor ducenda sapienti. Primũ enim impediri studia Philosophiæ, nec posse quenquam libris & vxori pariter inseruire. Multa esse quæ matrimoniorũ vsibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, suppellex varia, lecticæ & exedra deaurata, deinde per noctes totas garrulæ conquęstiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens, quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem: alterius amoré, suũ odium suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem linquere, nec cum sarcina ire potest: pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentum. Adde quoniam nulla est vxoris electio, sed qualiscunque obuenerit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida: quodcunque vitij est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestes quoq; & lebetes, sedile ligneum, calix & vrceolus fictilis probantur prius, & sic emuntur, sola vxor non ostenditur, ne antè displiceat quàm ducatur.

Ibidem.

Legimus quendam apud Romanos nobilé, cùm eum amici arguerent, quare vxorem formosam & castam & diuitem repudiasset, protẽdisse pedem & dixisse eis, & hic sotularis quem cernitis, videtur vobis nouus & elegãs, sed nemo scit præter me, vbi me premat. Scribit Herodotus, quod mulier deponat cum veste & verecundiam, & noster Comicus fortunatum putat, qui nunquàm vxorem duxerit.

Idem contra Iouinianum, lib. 1. cap. ultimo.

Amor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus, fœdum minimeq; cõueniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humilimas detrahit, quęrelos, iracundos, temerarios dure, imperiosos seruiliter, blãdos omnibus inutiles ipsi nouissime amori facit. Nam cũ fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tẽpora suspicionibus, lachrymis, conquæstionibus perdit, odium sui facit, & ipse nouissimè odium est. Tota amoris insectatio apud Platoné probra est, & omnia eius incõmoda Lysias explicat

plicat, quod non iudicio, sed furore ducatur, & maxime vxorũ pulchritudini grauissimus custos accubet.

Ibidem.

Refert præterea Seneca cognouisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horę pręsentia eius carere poterat, potionemq; nullam sibi, nisi alterius tactam labris vir & vxor hauriebant. Alia deinceps non minus inepta faciẽtes, in quę improuida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autẽ interest, quã ex honesta causa quis insaniat, vnde & Sextus in Sententiolis: Adulter est, inquit, in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore om̃is amor turpis est, in sua nimius: sapiens vir iudicio debet amare coniugem, nõ affectu. Reget impetus voluptatis, nec pręceps feretur in coitũ: nihil est fœdius, quàm vxorem amare quasi adulteram.

Ibidem.

Certè qui dicunt se causa reipublicę & generis humani vxoribus iũgi, & liberos tollere, imitentur saltem pecudes, & postquã vxorum venter intumuerit, nõ perdant filios: nec amatores vxoribus se exhibeant, sed maritos.

Ibidem.

Multa sunt quæ præclara ingenia nobilitant. Mulieris virtus ꝓprie pudicitia est. Hæc Lucretiam Bruto æquauit, nescias an etiam prætulerit, quoniam Brutus nõ posse seruire à fœmina didicit. Hæc æquauit Corneliam Graccho, hæc Portiam alteri Bruto. Notior est marito suo Tanaquil. Illum inter multa regũ nomina iam abscondit antiquitas. Hãc vero inter fœminas virtus altius seculorum omnium memorię, quàm vt excidere posit, infixit.

Augustinus lib. de uirginibus, & habetur 27. q. 2. Cùm initiatur.

Cùm initiatur coniugium, coniugij nomen asciscitur, nam defloratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniugalis: deniq; cũ mulier viro coniungitur, coniugiũ est, nõ cùm puella viri admixtione cognoscitur.

Idem de patriarchis, & habetur 37. q. 2. In omni.

In omni matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat & perficit coniunctorum commixtio corporalis.

Ibidem, & habetur 30. q. 5. Nec illud.

Nec illud otiosum, quod cùm veniret Rebecca vidit Isaac deambulantem, & cũ interrogasset quis esset, cognito ꝙ ipse esset cui duceretur vxor, descendit, & caput obnubere suũ cœpit dicens: verecundiam in nuptijs præire debere: inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberent.

Idem ad Paternum, & habetur 27. q. 2. Si quis desponsata.

Si quis desponsata sibi & tradita vtatur ritè coniugium vocatur.

Idem & habetur 32. q. 1. Nuptiæ.

Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum.

Idem & habetur 33. q. 2. An quod in.

An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? Dimittis ergo vxorem, quasi iure sine crimine, & putas hoc tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed prohibet lex diuina: qui hominibus obsequeris, deum verere, audi legẽ Domini, cui obsequuntur, & qui leges fecerũt. Quos deus coniunxit, homo non separet.

Idem ad Sabinum, & habetur de pœniten. distinctione 2. Quando.

Quando Adam solus erat, non est præuaricatus, quia mens eius adhærebat Deo.

Idem in sermone de aduentu Domini, & habetur 33. q. 4. Fratres.

Si causa procreandorum filiorum ducitur vxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum vsum, quia & dies festi, & dies professionis, & ipsa ratio conceptus, & partus, iuxta legem cessare vsum carnis his debere temporibus demonstrant.

Idem lib. de Viduis.

Propemodum non inferioris virtutis est, abstinere coniugio, quod aliquãdo delectauerit quàm coniugij oblectamenta nescire. Copula nuptialis non est quasi copula vitanda, sed quasi necesitatis sarcina declinanda.

Gregorius Tentitio patritio & habe. 27. q. 2. Sunt qui dicunt.

Sunt qui dicunt religionis gratia coniugia debere dissolui, verùm sciendum est si hoc lex humana cõcesit, lex tamen diuina prohibuit. Per se enim veritas dicit: Quos Deus coniunxit, homo non separet, quę etiam ait: Non licet dimittere vxorem excepta causa fornicationis. Quis ergo huius latori legis cõtradicat? Scimus quia scriptum est: Erunt duo in carne vna.

Idem in Registro & habetur 27. q. 2. Decreta.

Decreta legalia desponsatã, si conuerti voluerit, nullo modo cẽsuerunt damno mulctari.

Ibidem libro 12. Moralium.

Bonum est coniugium, sed mala sunt quę circa illud ex huius mundi cura succrescunt: Dum ergo tenetur quod nõ nocet ex rebus vix positis, committitur plerunq; quod nocet. Sicut sępe per rectum mundumq; iter pergimus, & tamen ortis iuxta viam vepribus per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimur, sed à latere nascitur quo pungamur.

Ibidem.

Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, coniugij portũ petant, melius est nubere quã vri. Sine culpa enim ad coniugium veniunt,

niunt, si tamen necdum meliora deuouerunt.

Ioannes Chryso. super Matthæum, & habe. 32.q.1.cap. Sicut.

Sicut crudelis & iniquus est, qui castã dimittit vxorem; sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem: patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen vxoris.

Idem, & habetur ibidem, Si quis.

Si quis vxorem suam inuenerit adulteram, & postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat: ideo, quia cum adultera mixtus sit, quæ adhuc crimine suo nõ est purgata: aut abstineat se à matrimonio eius, donec expleatur satisfactio criminis pœnitẽtię suæ, ideo, quia post satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera. Similiter, si virũ suum vxor inuenerit adulterum. Non ad imparia iudicantur.

Idem super Matthæum & habetur 27.q.2 Matrimonium.

Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas, & ideo non soluit illud separatio corporis, sed voluntas: ideo, qui dimittit coniugẽ suam, & aliam non accipit, adhuc est maritus. Nam & si corpore separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est, cùm ergo aliã acceperit, tunc eam plenè dimittit: nõ ergo qui dimittit mœchatur, sed qui alteram ducit.

Idem super Matth.19. Quos deus coniunxit, homo non separet.

Quemadmodum si vides hominem assiduè amicitias medicorum colentem, ex hoc statim intelligis, ꝙ infirmus est, sic & cùm videas, siue virum siue mulierem de dimittendis vxoribus aut viris legem interrogãtes, cognosce, quia vir ille lasciuus est, & mulier illa meretrix est.

Isidorus libro 9. Etymologiarum, & habetur 27.q.2. Coniuges.

Coniuges verius appellantur à prima despõsationis fide, quamuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus.

Ibidem, & habetur 32.q. 4. Liberi.

Liberi dicti sunt, qui ex libero matrimonio orti sunt. Nam & filij ex libero & ancilla, seruilis sunt conditionis, semper enim qui nascitur deteriorẽ partem sumit. Naturales aũt filij dicuntur ingenuarũ concubinarum filij, quos sola natura genuit, non honestas cõiugij. Si verò qui non sunt de legitimo coniugio, matrem potius quàm patrem sequuntur.

Idem lib.11. & hab.35.q.4.cap. Consanguinitas.

Consanguinitas dum sæpe paulatim propaginem ordinibus dirimens, vsq; ad vltimũ gradum se subtraxerit, qui propinquitas esse desierit, tunc primùm lex in matrimonij vinculum eam recipit, & quodammodo reuocabit fugientem. Ideo autem vsq; ad sextum generationis gradum consanguinitas statuta est: vt sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

Idem super eo uerbo Matthæi: Quos deus coniunxit, homo non separet.

Quæris quomodo? subaudi violenter, sine lege, absq; ratione. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Non enim homo separat, quos pœna cõdemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coartat.

Idem & habetur 3.q.5.cap. Series.

Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimitur: filius & filia, quod est frater & soror, sit ipse truncus illis, seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos, neptis, primus: pronepos proneptis, secundus: abnepos abneptis, tertius: adnepos adneptis, quartus: trinepos trineptis, quintus: trineptis filius, & trinepotis filia, sextus.

Leo, & habe.31. q.1. Nullus.

Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio.

Seneca Tragœdia 9.

Vince obsequendo potius immitem uirum.

Aristoteles libro Oeconomi.

Communicatio vel coniunctio viri & fœminæ in animalibus irrationabilibus est solũ gratia prolis procreandæ. In hominibus autem nõ solum istius gratia, sed etiam gratia alterius vtilitatis, vt iuuentur à filijs potentibus parentes impotentes in senio effecti, & vt quæ parentes potentes existentes fecère filijs impotentibus, recipiant à potentibus senio affecti.

Ibidem.

Natura fecit vnum animalium coniugalium forte, scilicet masculum: vt vlciscatur pro fortitudine sibi illata: aliud verò fragile, scilicet fœminam, vt magis se custodiat præ timore.

Ibidem.

Oportet virum puellam ducere in vxorem, vt doceat eam bonos mores.

Idem lib.7. Politicorum.

Mulieres coniugari congruit, circa ætatem annorũ octodecim: viros verò circa ætatem triginta sex annorum.

Idem lib.2. Prior.

Dilectio magis eligenda est quã coitus, quia dilectio fit secundum bonam voluntatem, & coitus secundum actum corporalem.

Plato in Memnone.

Decet domum mulierem bene dispensare, salua facientem omnia quę intrinsecus, & obsequentem esse viro.

Laer. Diog. de uita & moribus philoso.

Virgines sine dote nubere Lycurgus iussit, vt vxores non pecuniæ causa eligerentur, seueriusq; matrimonia sua viri coercerent, cũ nullis frenis dotium tenerentur.

Ibidem.

Nulla tam bona vxor est, in qua non inuenias quid: sicut nihil superius benigna coniuge, ita nihil infesta muliere crudelius: est igitur vxor aut tutum refugium, aut pœnale tormentum.

Ibidem.

Cùm quidam lætanter diceret Diogeni, se de nouo duxisse vxorem, ait illi: Paruum solatium & magnam solicitudinem es lucratus.

Ibidem.

Euripides (vt ait Boëtius) carentem liberis, in infortunio dicebat esse fœlicem.

Plutarchus in Apophthegmat.

Obiurgatus Hiero tyrannus à quodam, quod sibi os fœteret, suæ id vxori crimini dabat; vtpote quæ nihil vnquam hac de re dixisset: at illa ait, existimabam enim viros omnes ita olere.

Valerius Max. libro 4. de Amore coniugali.

Tuos quoq; castissimos ignes Portia M. Catonis filia, cũcta secula debita admiratione prosequentur, quę cùm apud Philippos victũ & interemptum virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardẽtes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu virilem patris exitũ imitata. Sed nescio an hoc fortius, quod ille vsitato, tu nouo genere mortis absumpta es.

Idem libro 7.

Vnicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, vtrũ eam pauperi sed ornato, an locupleti sed parum probato collocaret? Cui is: Malo inquit virũ pecunia, quàm pecuniam viro indigentẽ. Quo dicto stultum monuit, vt generum potius quàm diuitias generi legeret.

Lucius Apuleius de Magia. lib. 2

Virgo formosa, & si sit oppidò pauper, tamẽ abunde dotata, affert quippe ad maritum nouã animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum: ipsa virginitatis commendatio, iure merito omnibus acceptissima est maritis. Nam quodcunq; aliud in dotem acceperis, potes cùm libuerit, ne sis beneficio obstrictus omne vt acceperas retribuere, pecuniã renumerare, mancipia restituere, domo demigrare, prædijs cedere, sola virginitas accepta est, reddi nequit, sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet: vidua autẽ qualis nuptijs venit, talis diuortio digreditur, nihil affert impossibile, sed venit iam alio perflorata.

Idem de Dogmate Platonis.

Diuites, inferiores nuptias non recusent, & locupletũ consortia inopes cõsequantur, & si vires opum non congruũt, ingenia tamẽ diuersa miscenda esse, vt iracundo tranquilla iungatur, & sedato homini incitatior mulier applicetur, vt talibus obseruationũ remedijs, soboles natura discrepante confecta morum prouentu meliorę coalescat, & ita compositarum domorum opibus ciuitas augeatur.

Aulus Gel. libro 1. Noc. at. refert uerba Metelli.

Et si sine vxore possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniá ita natura tradidit vt nec cum illis satis commodè, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius quã breui voluptati consulendum est.

Varro in Satyra quæ scribitur Menippæa.

Vitium coniugis aut tollendum est, aut ferendum.
Qui tollit uitium, commodiorem coniugem præstat:
Qui fert, seipsum efficit meliorem.

Homerus in α Iliados, uerba sunt Iouis ad Iunonem.

μὴ δὴ πάντας ἐμοὺς ἐπιέλπεο μύθους εἰδήσειν. id est.
Non sane omnes meos speres sermones scire.

Idem in ι Iliados.

ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων τὴν αὐτοῦ φιλέει, καὶ κήδεται. i.
Quicunq; bonus maritus & prudens suã amat & curat.

Homerus in ζ Iliados, uerba Hectoris ad Andromachen.

ἀλλ᾽ οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
οὔτ᾽ αὐτῆς Ἑκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος,
οὔτε κασιγνήτων οἵ κεν πολέες τε καὶ ἐσθλοὶ,
ἐν κονίῃσι πέσοιεν ὑπ᾽ ἀνδράσι δυσμενέεσσιν,
ὅσσον σεῖ, ὅτε κέν τις Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
δακρυόεσσαν ἄγηται. id est.
Sed mihi non tantum curæ est Troianorũ dolor futurum
Nec ipsius Hecubæ, neq; Priami regis,
Neq; fratrum, qui multi & boni
In pulueribus cadant sub uiris inimicis.
Quantum tui ô Andromache, quando aliquis Græcorum armatorum
Lachrymantem trahat..

Idem in θ Iliados, uerba Iouis de Iunone.

αἰεὶ γάρ μοι ἔωθεν ἐνικλᾶν, ὅττι νοήσω. id est.
Semper enim mihi consueuit perturbare, quodcunq; cogitem.

Phocylides.

στέργε τεὴν ἄλοχον, τί γὰρ ἡδύτερον, καὶ ἄρειον,
ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι,
καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ μηδ᾽ ἐμπέσῃ ἄνδιχα νεῖκος. id est.
Ama tuam uxorem, quid enim suauius & melius,
Quàm cum uiro uxor conueniat amice usq; ad senectutẽ,
Et maritus suæ uxori, neq; incidat inter eos contentio:

Idem.

μὴ μείνῃς ἄγαμος, μήπως νώνυμος ὄληαι.
δός τι φύσει κ᾽ αὐτὸς, τέκε δ᾽ ἔμπαλιν ὡς ἐλοχεύθης. i.
Ne maneas sine nuptijs, ne sine nomine pereas:
Des aliquid naturæ & ipse, gigne & tu rursus sicuti genitus es.

Idem.

ἵππους μὲν εὐγενέας δίζεσθαι μὲν κατὰ οἶκον,
ταύρους δ᾽ ὑψιτένοντας, ἀτὰρ σκυλάκων παναρίστους,
γῆμαι δ᾽ οὐκ ἀγαθὴν ἐριδαίνομεν ἀφρονέοντες.
οὐ δὲ γυνὴ κακὸν ἄνδρ᾽ ἀπαναίνεται ἀφνεὸν ὄντα. id est,
Equos autem nobiles quærimus habere in domo,
Taurosq; altæ ceruicis, & catulos uenatorios:

Ducere

Ducere aũt in uxorẽ malã fœminã cõtẽdimus insipiẽtes,
Neq; mulier malum uirum renuit, si diues sit.

Hesiodus.

ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθε,
μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πόλλ' ἀπολείπων,
μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλὰ, γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος. i.
Tempestiuus aũt mulierem tuam ad domum ducas.
Neq; natus plures triginta annos,
Neq; multum pauciores, nuptiæ enim tempestiuæ istæ.

Idem.

παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς. id est.
Virginem autem duc in uxorem, ut mores castos doceas.

Idem.

τὴν δὲ μάλιστα γαμεῖν ἥτις σέθεν ἐγγύθι ναίει
πάντα μάλ' ἀμφὶς ἰδὼν μὴ γείτοσι χάρματα γήμῃς. i.
Hanc autẽ maxime duc in uxorem, quæ prope te habitat.
Oĩa ualde circũspiciẽs, ne uicinis gaudia sint tuæ nuptiæ.

Ex primo Epigrammaton.

ἤ τις ἅπαξ γήμας, πάλιν δεύτερα λέκτρα διώκει,
ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον. id est.
Si quis semel duxerit uxorem, rursus secunda cubilia sequitur.
Naufragus nauigat bis profundum difficile.

Ibidem.

οὐκ ἔστι γήμας, ὅστις οὐ χειμάζεται
λέγουσι πάντες, καὶ γαμοῦσιν εἰδότες. id est.
Non est ducens uxorem, qui non tempestatibus agitetur,
Dicunt omnes, & ducunt uxorem scientes.

Dionysius.

ὥρη ἐρᾶν ὥρη δὲ γαμεῖν: ὥρη δὲ πεπαῦσθαι. id est.
Tempus amandi, tempus ducendi uxorem, tempusq; quiescendi.

Menander.

ἄλυπον ἕξεις τὸν βίον χωρὶς γάμου. id est.
Sine tristitia habebis uitam sine nuptijs.

Idem.

γαμεῖν ὁ μέλλων εἰς μετάνοιαν ἔρχεται. id est.
Ducere uxorem qui est futurus, in pœnitentiam uadit.

Idem.

γάμος γὰρ ἀνθρώποισιν εὐκταῖον κακόν. id est.
Nuptiæ enim hominibus desideratum malum.

Idem.

ἦθος προκρίνειν χρημάτων γαμοῦντα δεῖ. id est.
Morem præponere pecunijs ducturum uxorem oportet.

Idem.

νόμιζε γήμας δοῦλος εἶναι τῷ βίῳ. id est.
Tibi persuade, si duxeris uxorem, seruus esse uitæ.

Idem.

ὁ μὴ γαμῶν ἄνθρωπος οὐκ ἔχει κακά. id est.
Qui non ducit uxorem homo, non habet mala.

Idem.

ῥᾷον βίον ζῇς ἂν γυναῖκα μὴ τρέφῃς. id est.
Facilem uitam uiues, si uxorem non nutriueris.

Idem.

ὡς τρὶς κακοδαίμων ὅστις ὢν πένης γαμεῖ. id est.
Quàm ter infœlix qui existens pauper ducit uxorem.

Plautus in Aulularia.

Dum morata rectè veniat, dotata est satis. Hę sunt atq; aliæ multæ in dotibus magnis incommoditates, sumptusq; intolerabiles: nam quæ indotata est, ea in potestate est viri, dotatæ mactant & malo damno viros.

Ibidem.

Laudant sapienter factum & consilio bono, opulentiores pauperũ filias vt indotatas ducãt.

Idem in Sticho.

Bonas mulieres æquũ est facere, vt absentes viros perinde habeant quasi præsentes sint.

Ibidem.

Stultitia est venatum ducere inuitos canes, hostis est vxor inuita, quæ ad virum nuptui datur.

Ouidius epistola Hermiones ad Orestem.

–Nec turpe marito
Aspera pro charo bella tulisse thoro.

Idem epist. Deyanire ad Herculem.

Quàm male inæquales ueniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Ibidem.

Si qua uoles aptè nubere, nube pari.

Idem lib 2. Artis amandi.

Lite fugant nuptæq; uiros: nuptasq; mariti,
Inq; uicem credunt rem sibi semper agi.
Hoc decet uxores: dos est uxoria lites,
Audiat optatos semper amica sonos.

Idem Tristium lib. 5. Elegia ultima.

Esse bonam facilè est: ubi quod uetat esse remotum est,
Et nihil officij nupta quod obstet habet.
Cùm Deus intonuit non se subducere nymbo,
Id demum est pietas: id socialis amor.

Propertius lib. 2. elegia 6.

Fœlix Admeti coniunx & lectus Vlyßis.
Et quæcunq; uiri fœmina limen amat.

Catullus in Epithalamio.

Et tu nec pugna cum tali coniuge uirgo,
Non æquum est pugnare pater cui tradidit ipse:
Cùm par connubium maturo tempore adepta est,
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum.
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Idem elegia 1.

Sed magis ô nuptæ, semper concordia uestras
Semper amor sedes incolat aßiduus.

Idem elegia 42.

Ansillena uiro contenta est uiuere solo.
Nuptarum laus est laudibus eximijs.

Martialis lib. 1.

Coniugis audisset fatum cùm Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor.

Nondum scitis, ait, mortem non posse negari,
Crediderim satis hoc uos docuisse patrem,
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas,
I nunc & ferrum tu ba molesta nega.

Martialis libro 1. ad Flaccum.

Qualem Flacce uelim quæris nolimúe puellam:
Nolo nimis facilem, difficilemq́; nimis.
Illud quod medium est, atq; inter utrunq; probatur.
Nec uolo quod cruciat, nec uolo quod satiat.

Martialis libro 6. de Telaßina.

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est.

Idem libro 7. de Galla.

Difficile est uero nubere Galla uiro.

Idem libro 8. ad Priscum.

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito,
Non aliter fiunt fœmina uirq́; pares.

Idem libro 11. in uxorem.

Vxor uade foras, aut moribus utere nostris.

Iuuenalis satyra 6.

–Veniunt à dote sagittæ.
Libertas emitur: coràm licet annuat, atq;
Rescribat, uidua est locuples, quæ nupsit auarò.

Ibidem.

– Facies non uxor amatur. Ibidem.

Nulla ne de tantis gregibus tibi digna uidetur?
Sic formosa, decens, diues, fœcunda, uetustos
Porticibus disponat auos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina,
Rara auis in terris, nigroq́; simillima cygno,
Quis feret uxorem cui constant omnia? malo,
Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis uirtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Ibidem.

Huius enim rari summiq́; uoluptas
Nulla boni. Ibidem.

Nil unquam inuita donabis coniuge, uendes
Hac obstante nihil, nihil hæc si nolit, emitur.
Hæc dabit affectus. Ibidem.

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est:
O demens ita seruus homo est? nil fecerit, esto,
Hoc uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas:
Imperat ergo uiro. Ibidem.

Semper habet habet lites alternaq; iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.

Aulus Gel. Noct. atti. lib. 5. cap. 11.

Cùm rogatus esset à quodã Bias, deberétne vxorẽ ducere, an vitã viuere cœlibem? inquit: ἤτοι καλὴν ἕξεις ἢ αἰσχράν, καὶ εἰ καλήν, ἕξεις κοινήν, εἰ δ᾽ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν· ἑκάτερον δ᾽ οὐκ ἀγαθὸν· οὐ ληπτέον ἄρα. id est.

Aut pulchram duces, aut deformem. Si pulchram, habebis communem: si turpem, habebis pœnam. Neutrum autem bonum: non est igitur ducenda uxor.

MEdicina græcè ἰατρεία, ας, ἡ & ἰάομαι, medeor, & ἰατρός, οῦ, ὁ. medicus dicitur. Est autẽ duplex medicina. s. remouens morbum, & promouens ad perfectã sanitatem. Prima conuenit infirmis, secunda verò sanis, ex B. Tho. 3. parte q. 80. art. 4. Ars medicinæ duplex, s. speculatiua & practica. Idem in quæstionibus de veritate q. 2. art. 9.

Matthæus cap. 10.

Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

Marcus cap. 2.

Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Lucas cap. 4.

Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Lucas cap. 8.

Medice cura teipsum.

Hieronymus super Hiere. lib. 2.

Omnis medicina habet ad tempus amaritudinem, sed postea fructus doloris sanitate compensatur.

Amb. super Psalm. 103. & hab. de Conse. dist. 5. Contraria.

Contraria diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: ita vt qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat.

Gregor. in Pastorali.

Improbus & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, & ipse vulnus quod patitur, nescit.

Idem in Pastorali.

Moris medicinalis est, vt sæpe feruorem viscerum in pruriginem cutis trahat, & plerunq; inde interius curat, vnde exterius sauciat: ita nonnunquam diuinæ dispẽsationis medicamine agitur, vt exterioribus doloribus internum vulnus ordinetur.

Gregor. in homilia.

Modus medicinæ est, vt aliquando similibus, aliquando contraria contrarijs curet, calidis frigida, frigidis calida, curare consueuit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque inueniens languoribus pressos, quoddam nobis simile, & quoddam nobis contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, & ad peccatores iustus: concordauit nobiscum in veritate naturæ, sed discordauit vel discrepauit à nobis in rigore iustitiæ.

Idem in homilia de uno martyre.

Sicut in arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur, ita dñs noster contraria opposuit medicamenta peccatis: vt lubricis cótinentiam,

tiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

Ioan. Chrysost. super illud Matth. 8. Ostende te sacerdoti & offer munus.

Spirituali medico spiritualem offerebat mercedem, nam omnes medici pecunijs, iste autem solis orationibus placatur.

Isidorus lib. 4. Etymolog.

Nomen medicinæ à modo ac temperamento impositum existimatur, vt non satis, sed paulatim adhibeatur. Nam in multo cõtristatur natura, mediocritate autem gaudet. Vnde & qui pigmenta & antidota assiduè biberint vexãtur: immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert.

Bernardus in Apologetico.

Delicata nimis medicina est, prius alligari quã vulnerari, membrum non percussum plãgere, & nondum suscepto ictu admouere manum, fouere vnguento vbi non dolet, emplastrum adhibere vbi scissura non est.

Bernardus super Cantica.

Vnde irrepsit morbus, inde remedium intret, & per eadem sequatur vestigia, vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis, & sanet oculum qui turbatus est, vt serenius videat, quem turbatus auris prima mortis ianua prima aperiatur & vitæ.

Boetius libro 1. de Consolatione.

Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas.

Anselmus super Psalm. 5.

Medicus ægroto confitenti suam infirmitatẽ, medicinã negare non debet: persuadeat animæ in quæ mala se præcipitauit, & ideo, vt ex difficultate sanationis magis sibi caueat: ꝙ enim facile sanatur, non multum cauetur.

Seneca in Prouerbijs.

Crudelem medicum intemperãtia facit: malè secum agit æger, qui medicum hæredem facit.

Idem libro de Beneficijs.

Grauissima infamia est medici opus quærere.

Arist. lib. 2. Ethicorum.

Medicinæ fiunt per contraria.

Idem libro 1. Topicorum.

Rhetor non semper persuadebit, nec medicus semper sanabit.

Seruius Sulp. epistola ad Ciceron. consolatoria.

Noli imitari malos medicos, qui in alienis malis profitentur tenere se medicinę sciẽtiam, ipsi se curare non possunt.

Cicero libro 2. de Diuinatione.

At, hoc ne homines quidem probi faciunt, vt amicis impendẽtes calamitates prædicent, quas illi effugere nullo modo possint. At medici quamquam intelligunt sæpe, tamen nunquam ęgris dicũt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim prædictio mali tum probatur, cùm ad prædictionem cautio adiungitur.

Cicero lib. 1. de finibus bonorum & malorum.

Medicorum scientiam non ipsius artis, sed valetudinis causa probamus.

Homerus λ Iliados.

ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Id est.
Medicus enim uir multorum æquiualens aliorum.

Menander.

ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσος. Id est.
Medicus garrulus ægrotanti alius morbus.

Idem.

πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδος μ᾽ ἀπώλεσεν. Id est.
Multorum medicorum ingressus me perdidit.

Euripydes in Hippolyto.

κρεῖσσον δὲ νοσεῖν, ἢ θεραπεύειν.
τὸ μέν ἐστιν ἁπλοῦν, τῷ δὲ συνάπτει
λύπη τε φρενῶν, χερσίν τε πόνος. Id est.
Melius autem est ægrotare, quàm curare ægrotum.
Illud quidem est simplex, huic uero adiungitur
Tristitiaq; mentium, manuumq; labor.

Horatius sermonum libro 1.

-Quod medicorum est
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Idem epistola. lib. 1. epistola 11.

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Ouidius de Remedio Amoris.

Temporibus medicina ualet, data tempore prosunt:
Et data non apto tempore, uina nocent.

Ouidius Metamor. libro 1.

-Sed immedicabile uulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Ouid. de Ponto libro 3. elegia 4.

Ad medicam dubius confugit æger opem.

Idem de Ponto lib. 3. elegia 7.

Curando fieri quædam maiora uidemus:
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Iuuenalis Satyra 12.

Curentur dubij medicis maioribus ægri.

MEdicina, secundum Celsum li 1. definitur, quasi via quædã (quã μέθοδον Græci nominant) eorum, quæ in morbis communia sunt, vel contemplatrix. AMANTIVS.

Asclepiades.

Officium esse medici dicit, vt celeriter, vt iucundè curet. Idem Celsus lib. 3. ca. 4. de cur, diuer. gene.

Laertius lib. 3. de uitis Philosophorum.

Architas Tarentinus dicebat 5. species esse medicinæ, aliam dici pharmaceuticen, quæ morbis medicata potione subueniat: aliam chirurgicam, quæ sectione & vstione curet: tertiam, quæ sola victus ratione & ordine arceat ægritudinem, appellarique Dieteticen: quartam, quæ ex celeri discretione morborum succurrat ægris, vocariq; νοσογνωμικὴν. quintam, adiutricem dici, quòd strenuo auxilio, doloribus contiuuò liberet.

Homerus libro.11.Iliados.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
Ἰούς τ' ἐκτάμνειν ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν. id est.
Vir medicus enim aliorum instar multorum est
In excidendis telis, & benigna pharmaca inspergendo.

Eobanus sic uertit.

Vir medicus siquidem multis uirtutibus unus
Præualet, ante alios multos, seu tela sagaci
Corporibus defixa manu trahit, intima scrutans,
Mitia seu docta miscet medicamina dextra.

Euripides.

Medicus ægritudini futurum tempus producens,
Melius ita medetur, quàm si corpus secaret.

Mimnermus contra medicos.

Sicut medici solent dicere,
Leues affectus multò maiores esse, & graues plusquam timendum sit, exaggerant, seipsos ut extollant.

Philemon.

ἄνθρωπον ὄντα ῥάδιον παραινέσαι
Ἐστὶν, ποιῆσαι δ' αὐτὸν οὐχὶ ῥάδιον. id est.
Homini facilè est alij consulere,
Ipsum uerò præstare difficilis res est.
Quod in medicis apparere uideo:
Qui de continentia apud ægrotos perquàm benè
Omnes loquuntur; Deinde ubi morbo afficiuntur,
Ipsos facientes uidere est, quæ prohibebant:
Non eiusdem est, scilicet dolere posse & contemplari.
Nam neq; medicus ullus, si diligenter circumspicias,
Amicos suos benè ualere cupit:
Neq; miles ciuitatem sine malo aliquo uidere.

Philemon Iunior.

Τίς ἐστιν οὗτος; ἰατρὸς, ὡς κακῶς ἔχει
ἅπας ἰατρὸς ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ:
Μόνῳ δὲ ἰατρῷ τοῦτο καὶ συνηγόρῳ
ἔξεστιν ἀποκτείνειν μὲν ἀποθνήσκειν δὲ μή. id est.
Quisnam hic est medicus? O quàm malè habet
Quiuis medicus, si nemo malè habuerit.
Soli medico & aduocato
Occidere licet impunè.

Medicus non potest omnes morbos curare.

Ouidius lib.1.De Ponto, ad Ruffinum.

Non est in medico semper releuetur ut æger:
Interdum docta plus ualet arte malum.
Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla uulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoq; interdum nulla medicabilis arte,
Aut si sit, longa est attenuanda mora.

Medicina tempestiuè adhibenda, Ouidius libro 1.De remedio amoris.

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Quum mala per longas conualuêre moras.

Ibidem.

Temporibus medicina ualet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore uina nocent.

Libro 2.ibidem.

Nam quoniam uariant animi, uariabimus arteis:
Mille mali species, mille salutis erunt.

Demosthenes in Olynthiaca.

Καὶ τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε, καὶ γὰρ ἐκεῖνα οὔτε ἰσχὺν ἐντίθησιν, οὔτ' ἀποθνήσκειν ἐᾷ. hoc est.

Missa facite huiusmodi lucra, alimentis similima, quæ medici ægrotantibus exhibent: nam illa nec vires augent, neque mori sinunt.

Plutarchus in salubribus præceptis.

Τῶν δ' ἐλευθερίων τεχνῶν ἰατρική, τὸ μὲν γλαφυρὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιτερπὲς οὐδεμίας ἐνδεέστερον ἔχει· θεωρητικὸν δὲ μέγα τοῖς φιλομαθοῦσι τὴν σωτηρίαν, καὶ τὴν ὑγείαν. id est.

Omnium artium liberalium nulla quàm medicina, quæ minus elegantiæ, ornatus & iocunditatis complectatur: magnam tamen contemplationem de salute & suauitate sui studiosis exhibet.

Trochilus medicus interrogatus, quis perfectus medicus fieret, dixit, ille qui possibilia & impossibilia discernere potest. Stobæus in collectaneis Græcis, de medicina Sermo.100.

Euripides in Bellerophonte.

Πρὸς τὴν νόσον, τοί καὶ τὸν ἰατρὸν χρεὼν,
ἰδόντ' ἀκεῖσθαι, μὴ ταῦτα τῇ νόσῳ πρέπῃ. id est.
Ad morbi naturam medicum quoq; oportet
Respicientem mederi: non imparata pharmaca
Exhibenda, nisi morbo conueniat.

Perisaulus Faustinus Poëta de Medicina sic scribit.

Artem aliam Deus, & rerum natura repertrix
Instituere sacram, quæ languida corpora morbo
Eriperent quouis, propriæ reditura saluti:
Hæc tibi si placeat, placeat ars, quæ digna polito
Ingenio sapiat, quodcunq; humana sapit uis.
Omnia aperta tibi, quicquid medicina recondit,
Intima naturæ, uel rerum pondera noris,
Hippocrates fias, fiasq; Machaone maior:
Quas & Phyllirides, uel quas Epidaurius herbas
Noueris, & quicquid præsagus nouit Apollo:
Sisq; salus orbi, fas sit tibi ducere ab Orco
Extinctos homines, iterumq; animare sepultos:
Nomen, opes, famam, cumules hac arte perennem.
Sed quoniam dulcor de uertice prodit eodem
A quo & amarities, series quàm longa malorum
Mixta uoluptati paruæ est, incommoda multa
Sunt subeunda tibi, subeundi mille labores,
Voluendi assiduò libri, semperq; studendum,
Quæ noceant ægris, uel quæ sibi pocula prosint:
Dum pascis uentrem, dum mitia uina refugis,
Dum gratus sopor est, dum molliter ipse quiescis,

Nuncius

Nuncius ecce fores pulſat, medicumq; requirit,
Accelerare iubet, laſſam properare, uenite,
Rumpitur ægrotus, iactat, uexata dolore
Membra thoro, moritur, ſurgendum nocte dieq;,
Tangendi pulſus, aut olfacienda matella eſt,
Suntq; paranda cito antidota, & catapotia mille,
Pharmaca, pyriaſes, fomenta, enchriſta, malagma,
Titrundæ, emplaſtrum, ſtrigmenta, amuleta, trochiſci,
Nunc curanda Phthyſis, cauſam nunc Hemitritæi
Nũc ſtupor, aut Spaſmus, Myrmetia, puſtula, phlegmõ,
Pappula, tonſillæ, uel pſora. Epmytitides, Antram,
Tormina, uel ramex, uel ſyncopis, Enterocele,
Nauſea, Pituita, & mentagra, algema, Synanchis,
Feceris & poſtquàm, quicquid iubet ipſe medendi
Norma, niſi ualeat, ſubitoq; reuixerit æger,
Murmurat inſipiens uulgus, linguaq; loquaci
Et loquitur de te conuitia talia iactans,
Heu mihi quàm ſtultum eſt, medicorum credere nugis,
Quàm ſæpe hos uideas morbo laborare moleſto,
Pallere aſſiduè, uultuq; referre cadauer.
Nec ſibimet, proprias alijs prodeſſe nec artes:
Quare nulla ſuis ſuccis adhibenda fides eſt,
Quum raro proſint, lateatq; abſtruſa ſub his mors.
Adde quod eſt grauius, uerſari ſemper oportet
Inter funeſtos, inter contagia morbi:
Solari afflictos, ſemperq; leuare dolores.
Nec naſum criſpare licet ſtimulante Cachinno.
Si quandoq; furit uitiatis ſenſibus æger,
Hic labor, hoc ſtudium, quidnam niſi fabula uana eſt?

Marſilius Ficinus lib. 1. Epiſtolarum, ad Thomam Valerium Phyſicum.

Ars Medica, & diuinitus accepta eſt, & diuinitus exercetur. Atq; animus ex Deo, corpus pendet ex animo. Nónne Raphaëlem archangelum Hebræi volunt huius artis opus exercuiſſe? mittamus reliquos. Chriſtus ipſe, tanquã generis humani Medicus, ægros, ægrotoſque, quotcunq; offerebantur, curabat, diſcipuliſque tradidit poteſtatem medendi. Hanc igitur artẽ vtpotè nobiliſſimam reges meditari & exercere quondam nequaquã dedignabantur. Quales fuerunt Sabor & Giges Medorum reges, Sabid rex Arabum, Mithridates Perſarum rex, Aegyptiorum verò Hermes, Meſue regis Damaſi nepos. Volunt nonnulli & Auicennam fuiſſe Cordubæ principem, Democritus, Thimeus, Locrus, Plato, Ariſtoteles, philoſophi illuſtriſsimi in hac arte ſcripſerunt, innumerabilesq; alij philoſophi non ignobiles. Ibidem legito de vtilitate medicinæ.

Contra peſtem remedium excellens Ruffus medicus, qui vixit tempore Traiani imperatoris, tradidit: quod fruſtra nunquàm adhibitum teſtatur. Aloes partes duas, Ammoniaci Thymiamatis totidem, myrrhæ partem vnam contuſam ex vino colluito, deinde dimidium quotidie Cyathum ſumito. Volatteranus lib. 19. anthropologiæ, & 24. Philologiæ.

NANVS.

Mediocritas græcè μεζιότης, ητος. ἡ & μέζιος ȣ. ὁ mediocris dicitur. Eſt autem mediocritas exiſtens inter exceſſum & defectũ. Nam medium (vnde deſcendit) eſt quod participat de vtroq; extremorum.

Seneca Tregœdia 10.

Quiſquis medium defugit iter
Stabili nunquam tramite curret.

Ariſtot. lib. 2. Ethicorum.

Facilè eſt non attingere medium, ſed ipſum attingere difficilè eſt. Medium in omnibus eſt laudabile.

Ariſtot. lib. 4. Politicorum.

Quanto magis aliquid accedit ad medium, tanto melius: quanto magis diſtat à medio, tanto peius eſt.

Cicero lib. de Senectute.

Moderatio modo virium adſit, & tantum quantum quiſq; poteſt nitatur.

Menander.

ἄνθρωπον ὄντα σ' αὐτὸν ἀναμίμνησκ' ἀεί. id eſt.
Hominem eſſe teipſum recordare ſemper. Idem.
ἴσος μὲν ἴσθι πᾶσι κἂν προὔχῃς βίῳ. id eſt.
Aequalis quidem ſis omnibus, & ſi præſtes diuitijs.

Ex primo Epigrammaton.

πᾶν τὸ περιττὸν, ἐπεὶ λόγος ἐστὶ παλαιὸς,
ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή. id eſt.
Omne ſuperfluũ intẽpeſtiuũ, quoniã ſermo eſt antiquus
Quod & mellis nimium, eſt bilis.

Iulianus.

οἶκος καὶ πάτρη, βιότου χάρις. αἱ δὲ περισσαὶ
φροντίδες ἀνθρώποις, οὐ βίος, ἀλλὰ πόνος. id eſt.
Domus & patria, uitæ gratia: ſuperfluæ autem
Curæ hominibus non uita, ſed labor.

Baſſus.

μητέ με χείματι πόντος ἄγοι θρασὺς, οὐ δὲ γαλήνην
ἀργὴν ἠσπασάμην τὴν πολυνηνεμίην.
αἱ μεσότητες ἄρισται ὅπῃ δέ γε πρήξιες ἀνδρῶν
καὶ μάλα μέτρον ἐγὼ τ' ἄρκιον ἠσπασάμην:
τοῦτ' ἀγάπα φίλε λάμπι, κακὰς δ' ἔχθαιρε θυέλλας,
εἰσί τινὲς πρηεῖς, καὶ βιότου ζέφυροι. id eſt.
Neq; me tempeſtate mare ducat concitatum, neq; tranquillitatem
Otioſam amaui omnino uentis carentem.
Mediocritates optimæ, ubi autem actiones uirorum.
Et ualde menſuram ego ſufficientem amaui,
Hoc ama chare Lampi, malas fuge procellas,
Sunt quidam manſueti & uitæ zephyri.

Palladas.

ἡ μεσότης γὰρ ἄριστον ἐπεὶ τὰ μὲν ἄκρα πέφυκε
κινδύνους ἐπάγειν, ἔσχατα δ' ὕβριν ἔχει. id eſt.
Mediocritas enim optimum quid, quoniam ſumma quidem apta ſunt
Pericula inducere, extrema uerò conuitium habent.

Plautus in Pœnulo.

Hoc unũ tamẽ cogito, modus oĩb. reb. optim' eſt habitu:

Nimia omnia nimium exhibent negocium hominibus ex se. Terent. in Andria.

Apprimè in uita hominis utile est, ut ne quid nimis.

Horatius.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Ouidius Metamorph. lib. 2.

Medio tutißimus ibis. Ibidem.

Inter utrunq; tene.

Idem Metamorph. lib. 8.

Inter utrunq; uola.

Martialis Epigram. lib. 1. ad Flaccum.

Illud quod medium est atq; inter utrunq; probatur.

De hac materia vide infrà in Mensura & Paupertas.

Meditatio græcè μελέτη. ης. ἡ. & μελετάω meditor dicitur. Quid autem sit, & quomodo differat à consideratione, & cogitatione, & contemplatione, vide suprà in Cogitatio. Sanè vt etiã ait Seruius super Bucolicis, per antistichon dicimus conuersione l. in d.

Melancholia græca dictio est, apud illos enim μελαγχολία. ας. ἡ. insania dicitur: μελαγχολάω insanio, & μελαγχολικός. οῦ. ὁ insanus vocatur. Est autem melancholia atra bilis, hoc est, cholera.

Memoria græcè μνήμη. ης. ἡ. & μνήμων. ονος. ὁ. ἡ. memor, & μνημονεύω memoro dicitur. Est autem memoria per quam animus repetit ea quæ fuerunt, sec. Ciceronem in Rhetor.

Memoria est iterata resumptio alicuius apprehensi sensu vel intellectu, secundũ Aristot. lib. de Memoria & reminiscentia.

Memoria est in multis alijs animalibus, reminiscentia tantũ in hominibus. Differunt enim memorari & reminisci, primò secundum tempus: quia licet vtrunq; sit circa præteritũ, tamẽ reminiscentia requirit obliuionem in tempore intermedio, quod non requirit memoratio. Itẽ memoratio benè conuenit alijs animalibus ab homine, reminiscentia verò non, ex Aristot.

Ibidem.

Memoria est pars integralis prudentiæ, quia ad eam requiritur experimentum multorum, quod haberi nõ potest absq; memoria prçteritorum, quia vt dicit Philosophus 1. Metaphys. Experimentum est ex pluribus memorijs.

Aristot. lib. de Memoria & reminiscentia.

Memoria non est futurorum, nec præsentiũ, sed præteritorum tantùm. Vnde sensus est prçsentium, spes futurorũ, memoria præteritorũ.

Ibidem.

Reminiscentia tantùm hominibus inest, sed memoria multis alijs animalibus.

Dantes paradysi Cantic. cap. 5.

A pri la mente a quel chi ti paleso,
Et ferma ui entro, che non fa scienza
Senza lo retenere hauer inteiso. Id est.

Aperi mentem ei, quod tibi palam est,
Et intus imprime: nam non fit scientia
Non retinendo, intellexiße quippiam.

Porphyrius de Anima & eius potentijs.

[AMATIVUS.]

QVemadmodum & reliquas animæ facultates ex actionibus ipsarum deprehẽdimus, ita memoriam quoq; à posteriori consyderantes posuimus animæ facultatem esse, quæ per relationem ad alia consistat, ex rebus, siue sensu, siue cogitatione perceptis: atq; hæc animæ potentia, quæ semper ad alia refertur, memoria appellatur.

[Quid memoria secundum Aristot.]

Aristoteles memoriam habitum imaginationis esse definit, tanquàm simulachri illius rei, à qua orta est imaginatio: cùm enim ad facultatẽ imaginandi sensus peruenit, tum illa quçcunq; tandem affectio phantasma dicitur. Excitata igitur sentiendi facultate à sensu, id quod effert rei sensilis imaginem, à qua re phantasma natũ est, imaginis & simulacri rationem habet, ad ipsam rem phantasia perceptam: & sic imago quçdam in facultate phantastica rei, quæ sub sensum cecidit. Quum autem circa Phantasticam facultatem retentio & habitus phãtasmatis fit, memoria nominatur, quæ quidem brutis quoque communis est: Illa verò discreta facultas, qua reminiscimur, solis ratione præditis contingit: nam quod discretum est, ad rationem pertinet: proinde Aristoteles ait, animalia bruta meminisse quidem, non autem reminisci: solùm verò hominem vtrunq; facere.

Lodouicus Viues lib. 2. de Anima.

Memoria est facultas animi, qua quis ea quæ sensu aliquo externo, aut interno cognouit, in mente continet. Itaque actio huius tota est introrsum conuersa: est enim memoria, velut picta tabula, quæ vt aspectu oculorum efficitur notitiæ, sic illa intuitu animi intelligentis, aut cognoscẽtis: Quæ notitia non est simplex. Nam consyderatio est, cùm inquirit & scrutatur: Recordatio verò, cum ad id peruentum est, quod volumus. Est & in recordatione recultus, cum animus insistit in recordatione rei alicuius, multùm eam retractans cogitatione, & reuoluens, quod recolere nominatur. Quæ recordatio simplici gignitur intuitu animi in memoria, ea communis est nobis cum beluis: quæ autem fit per gradus quosdam, & discursum à rebus, quæ ante animum obseruátur, ad ea quæ subterfugerant, hominis est propria, qui solus discursu vtitur, reminisci à philosophis nuncupatur. Reminiscentia nobis est, quod Græcis ἀνάμνησις, quæ est in recordationem reductio, quasiq; recor[illegible]nis recordatio. Habemus igitur memo[illegible]n, recordationem, & reminiscentiam.

Memo-

Memoriæ ſedes ac velut fabrica, in occipitio eſt à natura collocata, admirabili ſapiētia, quòd præterita cernat. Illic velut oculum habemus quendam multò præſtantiorem, quàm ſi corporalis aliquis eſſet aſtructus, qualis in fronte: quod in fabulis eſt de Iano.

Memoriæ, ſicut & manus, duæ ſunt vires: apprehendere, & retinere. Apprehendunt facilè, qui humido ſunt cerebro.

Memoriæ plurimum confert naturalis contemperatio corporis, quali fuiſſe præditos illos credibile eſt, quorũ magnitudo memoriæ monumentis literarum celebratur: Themiſtocles, Cyrus, Cyreas, Hortenſius. Adiuuatur tota ratione victus, cibis, potionibus, exercitamentis, quiete, ſomno moderatis, & ad facultatis illius inſtrumenta accommodis.

Plato in Cratylo.

ἡ μνήμη παντάπα μένει, ὅτι μόνη ἐςὶν ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλ' οὐ φορά. id eſt.

Memoria vel nomine ſuo Græco cuiuis oſtendit, quod manſio quædam ſit, non autem motio.

Idem in epiſtola ad Dionyſium.

Maxima ſtudiorum eſt conſeruatio, ſi non ſcribantur, ſed ediſcantur: fieri enim nõ poteſt, quin ſcripta nobis excidant. Id eſt,

Μεγίςη δὲ φυλακὴ, τὸ μὴ γράφειν ἀλλ' ἐκμανθάνειν: οὐ γὰρ ἐςὶ τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν.

MEMORIA LITERARVM FIDELISſima cuſtos, & quaſi theſaurus.

Sabellicus lib. 10. cap. 9. Exemplorum de Memoria.

Sunt his memoriæ exēpla ſubtexenda, quia ſecundum rationem, nil DEVS dedit homini ſanctius, nihil vtilius & ad eruditionem aptius. Eſt hæc theſaurus diſciplinarum omnium artiumq́; ſtudio & labore quæſitaram cuſtos fideliſsima. Aliquid certè vidit ſapiens poëta, qui muſarum memoriam dixit matrem: nec minus prudens, qui Lethen, quæ huic contraria eſt, apud inferos ſtatuit. Conſtat id bonum naturæ beneficio, augetur tamen & excolitur arte, in quo genere vnum exemplum, & ſingulare vidit noſtra ætas in Antonio Rauennate, qui multa milia rerum ſtans percipiebat animo, & eo quo accepta eſſent ordine, memoriter reddebat: ſed hæc artificij ſunt non naturæ.

De Mithridate rege.

Maiore admiratione dignus Mithridates rex Ponti, quo nullus regum diutius, grauiusque exercuit Romana arma. Fertur is duabus & viginti diuerſis nationibus, quib' imperabat ſua cuiq; lingua ius dicere ſolitus, & pro concione ſingulas ſine interprete affari. Gellius & Plinius authores.

Cyrus rex, qui immēſos ductauit exercitus, omnibus militibus nomen reddidit. Sic L. Scipio, quòd æquè mirum videri poſsit populo Romano.

Cyneas Pyrrhi regis legatus, poſtridiè quàm Romam venerat, ſenatum & æqueſtrem ordinē proprio nomine ſalutauit.

Superfuit & Cæſari Dictatori id bonum, qui ſcribere & legere vno tempore, dictareque & audire ſit ſolitus: Epiſtolas magni pōderis quaternas pariter dictabat, aut ſi aliud non egiſſet, ſeptenas. Plinius hoc refert.

Carmides in terra Græcia, quæ quis volumina exegiſſet in Bibliothecis, legentis modo repræſentauit. Author Plinius.

Aelius Adrianus tanta fuit memoria, vt locos, negocia, milites abſentes quoq; nominibus ſuis recenſeret.

Themiſtocles tanta fuit memoria, vt Simonidi artem memoriæ pollicenti, dixerit, ſe malle artem obliuionis, quòd etiam meminiſſet, quę nollet, & obliuiſci non poſſet, quæ vellet. Author Cicero lib. 2. de Oratore.

Aiunt & Theodecten Ariſtotelis diſcipulū multæ fuiſſe memoriæ. Habuit & Lucullus diuinam quandam rerum memoriam, maiorem verborum Hortenſius. Author Cicero 4. Tuſc. Quæſt.

Seneca de ſe ipſo ſcribit, eius memoriam adeò excelluiſſe, vt non ad vſum modo ſufficeret, ſed in miraculum vſq; procederet: nam duo milia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebat cc. verſus, ab vltimo incipiens, recitabat.

Eſdras Sacerdos vniuerſas Hebræorum doctrinas habuit in memoria. Ioſephus lib. 11. cap. 5. Antiquitat. Iudaicarum.

Tanta fuit Portio latroni memoria, vt quæ dicturus erat, ediſcendi cauſa nunquàm relegeret, edidicerat cùm ſcribebat: dicebat ita, vt in nullo vnquàm verbo memoria eum deciperet, iubebat aliquem nominari ducem, ſtatim illius geſta ad vnguem reddebat.

Memoriam definit Cicero lib. 2. de Inuentione Rhetorica, eam per quam animus repetit illa quæ fuerunt.

Artis memoriæ inuentor fuit Simonides. Cicero lib. 2. de Orat. Ordo maximè adfert memoriæ lumen.

De memoria elegāter & copioſè ſcripſit Cicero lib. 3. Rhetor. ad Herennium.

Memoria eſt duplex: Naturalis, ea quæ noſtris animis eſt inſita, & ſimul cum cogitatione nata: Artificioſa verò illa, quam confirmat inductio quædam, & ratio perceptionis. Sed quia in cæteris rebus ingenij bonitas imitatur ſæpe doctrinam: ars porrò naturæ commoda confirmat, & auget: ita fit in hac re, vt nonnunquàm naturalis memoria, ſi cui data

data est egregia, similis sit artificiosæ.

Memoria est rerum & verborum custos, secundum Ciceronem in Partition. Orator. in principio.

Memoriæ uis ac potentia admiranda.

Memoria, necessarium maximè vitę bonum, & thesaurus eloquentiæ, ac tanquàm lumen aliquod: res est ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis, in quam primùm senectus incurrit, sæpeque, vt Plinius inquit, deficere tentat, & meditatur vel quieto corpore, ac valido: somno quoque serpente computat, vt inanis mens quærat, sit vbi loci: Imò verò huic Adagioni occasio data, vt eum, qui memoria sit nulla, sepulchra legisse dicamus. Nec sepulchra legens (inquit apud Ciceronem Cato) vereor, quod aiunt, ne perdam memoriam: his enim ipsis legendis, redeo in memoriam mortuorũ. Est profectò huius potentiæ natura miranda, subitò vetusta ex longiore interuallo reuocata ingerunt sese, atque exhibent, interim spontè, interim idipsum agentibus nobis ac meditantibus, sæpe & interquiescentibus: Excidunt quandoque proxima, inhærent affixa, quæ vetusta sunt. Hesternorum obliti, acta pueritiæ in digitos mittimus: Quod requisiueris, altius illatebrare se atque recondere animaduertitur: mox aliud agenti reddit se; atq; offert: nec manet semper memoria, sed aliquãdo veluti postlimino redit.

Galenus post Hippocratem summus artis medicæ princeps, in Microtechne cerebrum tenuitatis contemperatæ esse memoriæ fomitem, causamque præcipuam arbitratur: quoniam crassiore parte illa obrepat obliuio, quã humectiore, item hebescunt sensus: sicciore autem, euadant liquidiores. Porrò Auicenna 6. Naturalium tradente, egregia illis suppetit memoria, quorum animæ multis non distrahuntur motibus, nec conuellitur cogitatio: quæ ratio planè efficit, vt pueri quamuis humectioris sint naturæ, pertinaciter tamen retineant quæ imbiberint, simul & propter motus vehementiã, vt adijcit Thomas: nam & quę miramur, amplius animæ adglutinantur, adfiguntur que: admirantur autem ferè omnia pueri, vt quibus noua, ac insolita sint. Hoc verò est, quod significat Quintilianus, vbi natura esse nos tenaciores ait, eorum quæ à teneris annis imbibimus: contrà verò in senioribus redundante humoris vi, contingit memoriam esse nullam: sed & timentibus excutitur memoria propter frigiditatem humores congelantem, quibus coëuntibus, concrescentibusque, nulla recipi impressio potest, &c. De reminiscentia & & memoria vide Platonem in Philebo, ac Phedro, dialogis: item, & in Phedone.

Docilitatis partes tres esse apud Græcos traduntur: Anchinæa, id est, solertia, Memoria, Oxytes: Memoria est eorum, quæ quis didicit, conseruatio. Oxytes mentis intelligitur celeritas. Anchinæa verò, vbi ex ijs quę didicimus, etiam quę non didicimus, venamur: quã Quintilianus mentis agitationem vocauit. Aristoteles 6. Moralium Anchinæam ab Eubulia, id est, consultandi præstantia, diuersam facit: quoniã sit Anchinæa Eustochia quædam, id est, coniectandi excellentia.

Differunt aũt memoria & reminiscentia: nã est in brutis memoria, vnde & prudentiã quoque habere in Philosophia prima colligit Aristoteles, verùm imperfectam, sicut & memoriã. In hominibus enim tantùm est reminiscentia: Ea verò est discursus rerum cum ratione ab vniuersalibus ad particularia, & à remotis à sensu: vel indeptio, ac recensitio eorum, quæ in se memoria reseruarit. Memoriæ plerumque vegetandæ gratia, sexto Naturalium Auicenna scribit, cognoscere aliquid sibi fuisse, quod iã sit abolitum. In homine est tantum, & in rationali virtute.

Memoriæ virtus ex quorundam sententia duplex videtur: facilè percipere, diu retinere: illud ex humecta cõtingit natura, hoc ex sicca. Inde euenit vt nonnulli facilius discant, quàm percepta custodiunt: Alij verò secus, vt ad humiditatem vergant, vel ad siccitatem: & propterea Aristoteles.

Ου γὰρ οἱ αὐτοὶ εἰσὶ μνημονικοὶ, καὶ ἀναμνηστικοὶ, ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μνημονικώτεροι μὲν οἱ βραδεῖς ἀναμνηστικώτεροι δὲ οἱ ταχεῖς καὶ εὐμαθεῖς. id est:

Non ijsdem memoria viget, ac reminiscentia: cuius ratio est, quia diuersæ hominum habitudines ad animæ operationes ex diuersa proueniunt corporis dispositione. Videmus autem ea quę difficulter ac tardè impressonem recipiunt, validè perseueranterq; eandem custodire, vt lapis: quæ verò nullo admittunt negocio, haud pertinaciter retinere, vt cera, aut aqua. Et quia nihil prorsus aliud memoria est, quàm præceptorum constans retentio, inde est, quod hebetum adminiculatior, firmiorq; memoria est: acutorum verò, ac velocium imbecillior & magis lubrica: cæterùm in his reminiscentia longè præcellens. Hæc & alia plura Cœlius Rodiginus libro 6. Antiquarum lectionum, cap. 15.

Menda-

Mendacium.

- Pernitiosum,
  - *In doctrina religioni, quod est contra fidem, uel contra bonos mores.*
  - *Quod nulli prodest, & alicui obest.*
  - *Quod uni prodest, & alteri obest.*
- Iocosum,
  - *Quod fit sola mentiendi libidine. Aristot. lib. 4. Ethic. dicit, quod mēdax, quia talis est secundum habitum, ipso mendacio gaudet.*
  - *Quod fit cupiditate placendi suauiloquio.*
- Officiosum, siue benignū
  - *Quod nulli obest, & alicui prodest ad pecuniam eius seruandam.*
  - *Quod nulli obest, & alicui prodest, ad uitam corporis seruandam.*
  - *Quod nulli obest, & alicui prodest, ut ab immunditia corporis aliquem tueatur.*

Ex August. lib. de Mendacio.

MEndacium græcè ψεῦδος. εος. τὸ. & ψεύστης. ου. ὁ. mendax, & ψεύδομαι mentior dicitur. Est autem mendacium falsa vocis significatio, cum intentione fallendi, secundum Augustinū lib. de Mendacio.

Mentiri est concretū, & mendacium est abstractum. Ideò dicens verum cōtra opinionem eius mentitur, sed quod dicit non est mendacium, ex B. Tho. 3. Sent. dist. 38. quæst. prima.

Mentior à mente deriuatur, quod est contra id, quod est in mente, loquor. Differtq; à mendacium dico, nā qui mentitur non ipse fallitur, sed alterum fallere conatur. Qui verò mendacium dicit, ipse fallitur, cùm credat se verum dicere. Vnde Nigidius. Vir bonus inquit præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mēdacium dicat: illud à mente deducitur, hoc à menda quæ errorem significat. Vnde mendosum librum dicimus, plenum erroribus: hinc emendo, corrigo, & emendator & emendatrix. A mendacium mendax, mendaciter, mendacius, mendacissimus descendunt.

Exodi cap. 23.

Non suscipies vocem mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium.

Leuitici cap. 19.

Non mentiemini, nec decipiat vnusquisque proximum suum.

Iob cap. 13.

Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?

Prouerbiorum cap. 6.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimū detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, & eum qui seminat inter fratres discordias.

Prouerbiorum cap. 8.

Arrogantiam & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor.

Ibidem cap. 10.

Qui nititur mēdacijs hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur ventos volantes.

Ibidem.

Abscōdunt odium labia mendacia, qui profert contumeliam, insipiens est.

Prouerbiorum cap. 12.

Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.

Ibidem.

Abominatio est domino labia mēdacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.

Prouerbiorum cap. 19.

Falsus testis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit.

Sapient. cap. 1.

Sermo obscurus in vacuum non ibit, os autē quod mentitur, occidit animam.

Ecclesiastici cap. 4.

Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

Ecclesiastici cap. 7.

Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, neq; in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona.

Paulus ad Ephes. cap. 4.

Deponentes mendacium loquimini veritatem, vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.

Iacobus in epist. cap. 3.

Nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.

August. in Enchirid. & hab. 22. q. 2.

Is autem qui mentitur cōtra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtiq; verba propterea instituta sunt, non vt per ea se inuicem homines fallant, sed vt eis quisq; in alterius notitiam cognitiones suas proferat. Verbis autem vti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta peccatum est.

Idem ibidem, & hab. ibid. In ipsarum.

In ipsarum consideratione rerum quæ dicūtur tantum interest, quia siue quis fallatur, siue mentiatur, vbicunq; falli quàm mentiri minus est malum, quantum pertinet ad hominis volūtatem: tamē longè tolerabilius est in his quæ à religione seiuncta sunt mentiri, quā in his sine quorū fide vel notitia, Deus cęli nō pōtest falli.

Augustinus ibidem, & hab. ibidem.

Mihi autem.

Mihi autem non absurde videtur omne quidem mendacium esse peccatum, sed multū interest quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim ita peccat qui cōsulendi, quo-

quomodo ille qui nocendi voluntate mẽtitur, nec tantum nocet qui viatorem mentiendo in aduersum iter mittit, quantum is qui viam vitę mendacio fallente deprauat.

Augustinus lib. q. Gen. & habetur 22. q. 2.

Quod autem ait.

Mendacia enim à mendacibus seriò aguntur, non ioco. Quum autem quæ nõ sunt, tanquàm ioco dicuntur, non deputentur mendacia.

Augustinus lib. de conflict. uit. & uirt. & hab. 22. q. 2. Nec artifi.

Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet quenquàm decipere, quia quomodo libet mentitur quis occidit animam.

Augustinus de uerbis apost. & habetur 22. q. 2.

Homines falsum.

Interest quemadmodũ verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens.

Ibidem & habetur ibidem, Cùm humili.

Cùm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequàm mentiebaris, mentiẽdo efficeris, quod euitaras.

Idem ad Casulanum, & hab. 11. q. 3. Quisquis.

Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram dei super se prouocat, quia magis timet Dominũ quam Deũ, & post pauca: Vterq; reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse nõ vult, & iste nocere desiderat.

Augustinus super Ioannem.

Quomodo deus pater genuit filium veritatem, sic diabolus lapsus, genuit quasi filium mendacium.

August. super epist. ad Galatas.

Quicquid figuratè fit aut dicitur, nõ est mendacium.

Hieronymus super Hieremiam, libro 2.

Aliud est iurare falsum, aliud iurare in dolo. Non enim omnis qui aliter facturus est quàm promittit, in dolo iurat, licet enim apostolus Corinthijs promitteret, veniam ad vos, non tamen in dolo iurauit, aut mendaciter promisit. Ille autem in dolo iurat, aut mendaciter promittit, in cuius mente est non sic se facturum, vt ꝓmittit. Ille, autem qui promittit falsum, quod putat verum, nec in dolo iurat, nec mendaciter promittit.

Hieronymus super Michæam.

Congregationem diuitiarũ sequitur mendacium, manus enim assueta thesauros condere, fraudulentam linguam possidet. Veritas paupertatem, mendacium diuitias parit.

Ambrosi. in serm. de dominica de Abraam & habetur 22. quæst. 5. Cauete.

Cauete fratres mendacium. Quia omnes qui amant mendacium filij sunt diaboli. Non solũ in falsis verbis, sed & in simulatis operibꝰ mendacium est: mendacium nanque est, se Christianum dicere, & opera Christi non facere: mendacium est episcopum, sacerdotem, vel clericũ se profiteri, & contraria huic ordini operari.

Gregorius in libro octauo Moralium.

Nonnunquã peius est mendacium meditari, quã loqui: nam loqui plerunq; præcipitationis est, meditari vero studiosæ prauitatis.

Ibidem.

Mendacij quoq; genus perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vita alicuius per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant dum præstari nituntur carni alienæ, quanquam hoc peccati genus facillimè credamus relaxari. Nam si quælibet culpa, sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abstergitur, quod mater boni operis ipsa pietas admittit.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Concessum est diabolo interdum vera dicere, vt mendacium suum rara veritate commendet.

Idem super Matthæum 21.

Mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur, sicut ait Psal. Mentita est iniquitas sibi.

Isid. in Syno. & habetur 22. q. 2. Omne genus.

Omne genus mendacij summopere fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum, nec vt præstes mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas. Caue mendacium in omnibus.

Bernardus super Cant. sermone 18.

Aliud est sub incerto hoc vel illud opinando sentire, aliud est temerè affirmare quod nescias: nec est enim qui dubiè profert mendacium, est qui veritatem quam nescit affirmat, & mentitur. Nam & ille non quidem quod non est esse, sed se quod credit credere dicit, & verum dicit, etsi hoc verum non sit, quod credit. Is cùm se certum vnde certus non est, dicit, verum non dicit, etiàm si verum sit de quo asserit.

Boëtius lib. 1. de Cons. prosa 4.

Sed si semper mentiens imprudentia rerum merita non potest immutare, nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium.

Lactantius Firmianus lib. 2. diuin. institut.

O quàm facilè est redarguere mendacia.

Aristoteles libro 2. Physico.

Abstrahentium non est mendacium.

Idem libro 4. Ethicorum.

Omne mendacium prauum est & fugiendũ.

Aristoteles libro Elenchorum.

Duo sunt opera sapientis, quorum vnum est non mentiri, de quibus nouit: alterum verò mentientem manifestare posse.

Laert.

Laertius Diog. de uita & moribus philosoph.

Qui in mendacio confidit, cito deficiet:

Franc. Petrarcha libro 1. cap. de uita solitaria.

Vt enim immortalis est veritas, sic fictio & mendacium non durant. Simulata ilico patescunt, & magno studio compta cæsaries, vento turbatur exiguo, & operoso licet impressus fucus sudore diluitur, & argutum quoque mendacium vero cedit, coramq; pressius intuente diaphanum est, opertum omne detegitur, abeunt vmbræ, natiuusque rebus color manet, & latere diutius magnus est labor. Nemo sub aquis diu viuit, erumpat oportet, & fronté quã celabat, aperiat.

Poggius lib. 2 de uita Gyri.

Nam mendacem esse, maximum scis esse impedimentum ad veniam impetrandam.

Homerus in Iliados.

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ. id est.

Exosus enim mihi ille ueluti inferni portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus aliud uero ore profert.

Hom. in γ. Odyss. uerba sunt Palladis de Nesto.

ψεῦδος δ' οὐκ ἐρέει· μάλα γὰρ πεπνυμένος ἐστί. id est.

Mendacium enim non dicet, ualde enim prudens est.

Phocylides.

ψεύδεα μὴ φάσειν τὰ δ' ἐτήτυμα πάντ' ἀγορεύειν. i.

Mendacia noli dicere, sed uera omnia loquere.

Idem.

μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νοῦν, ἄλλ' ἀγορεύων. id est.

Noli aliam occultare in corde sententiam, & aliam proferre.

Cleobulus.

ψεῦδος δὲ μισεῖ πᾶς φρόνιμος καὶ σοφός. id est.

Mendacium odit omnis prudens & sapiens.

Menander.

ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον. id est.

Mentiens nullus latet ad multum tempus.

Idem.

ψεῦδος διαβολὴ τὸν βίον λυμαίνεται. id est.

Mendacij crimen uitam lædit.

Idem.

ψεῦδος δὲ μισεῖ πᾶς σοφὸς καὶ χρήσιμος. id est.

Mendacium autem odit omnis sapiens & utilis.

Ouidius lib. 13. Metamorph.

Sed mihi quid fingere prodest.

Dantes inferni cap 16.

Sempre a quel uer ch'a faccia di menzogna
Dee l'hom chiuder le labra quanto puote,
Pero che senza colpa fa uergogna.

Dantes inferni. cap. 23.

Io ugi gia dire a bologna
Del diauol uitij assai tra quali udij
Ch'egli è bugiardo e padre de menzongna.

AMANTIVS.

Aristoteles 4. Ethicorum.

Arrogans appellatur is, qui sibi res magnas & præclaras sumit & vendicat, cùm non insint vel maiora, quàm quæ insunt.

Dissimulator contrà, qui, quæ insunt, negat inesse, aut extenuat.

Medius & perfectus vir: quoniam verè de quaque re ni is verax est, & vita & oratione, ea in se inesse confirmans, quæ insunt, nec maiora, nec minora.

Euripides.

Δύστηνος ἐστὶς καὶ τὰ καλὰ ψευδῆ λέγων
οὐ τοῖς δὲ χρῆται τοῖς κακοῖς ἀληθέσιν. id est.

Infelix est, qui mendacia, etsi bona ei uidentur,
Potius usurpat, quàm, quæ mala esse iudicat, uera.

Sophocles.

Ἀλλ' οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου,
κακὸν τὸ κεύθειν, καὶ οὐ πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς. id est.

Nullum mendacium procedit ad senectutem æui,
Malum est, facta celare, nec uirum decet ingenuum.

Idem in Creusa.

Καλὸν μὲν οὖν οὐκ ἐστὶ τὰ ψευδῆ λέγειν
ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀλήθεια ἄγει,
συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστὶ καὶ τὸ μὴ καλόν. id est.

Haud quidem honestum est, mendacia loqui:
Cui tamen diram perniciem ueritas affert,
Huic uenia danda, licet inhonesta loquenti.

Pisander Camireus uates.

οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν. id est.

Non reprehendendus est, qui mendaciũ pro uita dixerit.

Menander Comicus poëta.

ἦ που χαλεπόν ἐστι τὸ ψευδῆ λέγειν. id est.

Profectò intolerabilis res est, mendacia loqui.

Diphilus in thesauro.

Καιρῷ τι θέμενον κέρδος ὡς καρπὸν φέρει. id est.

Mendacium positũ in tempore, lucrum seu fructũ adfert.

Ibidem.

ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
λεγόμενον, οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές. id est.

Ego existimo, mendacium salutis gratia
Prolatum, nihil adferre mali.

Cleobulus.

Qualis est quisq;, talia sunt eius facta, & oratio. Ac per se quidem, omne in malo vitioque mendacium est: veritas honesta & laudabilis. Ita etiam verus homo, quoniam medium locũ obtinet, est omnis laudabilis: qui autem mentiuntur, vtriq; sunt illi vituperandi, sed maiore quadam ratione arrogans.

Ibidem.

Qui maiora sibi, quàm quæ insunt, vendicat, & sumit, rei nullius causa: est ille quidem similis improbo (neq; enim mẽdacio delectaretur) sed tamen stulti potiùs, quàm praui speciem gerere videtur. Qui autem alicuius rei causa id facit, si gloriæ vel honoris, non est ille admodũ vituperãdus, qualis est arrogãs: at qui pecuniæ, vel earum rerum, quæ ad pecuniam spectant, is multò deformior est. Nec verò facultate ac po-

testate arrogans, sed animo ac voluntate cernitur. ex animi enim habitu, & quia talis sit, oĩs arrogans iudicatur. Ita mendax alius mendacio ipso delectatur, alius gloriæ, quæstúsue causa mentitur: atq; ij quidem, qui cupiditate glorię aliquid sibi tribuũt, ea sibi sumunt omnia, quę vel ad laudem, vel beatam vitam pertinent: qui autem spe quęstus, ea sibi vendicant, quæ etiam vsui sunt proximis, quæque si minus adsint, cælare & occultare licet, velut si se medicos ac vates nobiles esse profitentur.

Thales Milesius rogatus, quantum à vero distaret mendacium, quantum oculi, dixit, ab auribus.

Cheremon Comicus poëta.

ψευδῆ δὲ τοῖς ἐσθλοῖσιν οὐ πρέπει λέγειν. id est.

Bonis falsa dicere non conuenit.

Theophrastus de Dißimulatione.

Τὰ δὴ τῶν μὴ ἁπλᾶ ἀλλ᾽ ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ, ἢ τὰς ἐχίδνας. id est.

Ingenia non aperta, non simplicia, sed astuta & callida, & ad decipiendũ parata, magis quàm viperas fugere debemus.

Menander.

Mendacium odit quiuis prudens & sapiens.

Idem.

Mendacij calumnia uitam hominum lædit.

Idem.

ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον. id est.

Mentiens nullus multum temporis latet.

Theognis.

Principium mendacij exiguum habet gratiæ:
Circa finem uerò
Lucrum turpe, multumq; pariter
Nascitur: Est autem planè inhonestum, si cui mendacium
adhæreat
Viro, & ab ore primùm egrediatur.

Græcè sic sonat:

Ἀρχὴ ἐπὶ ψεύδους μικρὰ χάρις, εἰς δὲ τελευτὴν
αἰσχρὸν δὴ κέρδος καὶ κακὸν ἀμφότερον,
γίνεται οὐδέ τι καλὸν ὅτῳ ψεῦδα προσομαρτῇ
Ἀνδρὶ, καὶ ἐξέλθῃ πρῶτον ἀπὸ στόματος.

Demetrius Phalereus.

Ἐρωτηθεὶς, τί φαῦλον τοῖς ψευδομένοις παρακολουθεῖ, εἶπε, τὸ μηδ᾽ ἂν τ᾽ ἀληθῆ λέγωσιν, ἔτι πιστεύεσθαι. id est.

Interrogatus, quid mali mentientes sequeretur, dixit, quod ne vera quidem dicentibus deinceps fides adhibeatur.

Theophrastus.

Ex calumnia & inuidia mendacium paruo tempore durans paulatim extinguitur.

Idem, Alij Aeliano ascribunt.

Vir quidam Chius senex in Lacedæmonem peruenit, qui quidem alioquin erat arrogans, sed senectutis suæ ipsum pudebat, quare canos tinctura obliterare conabatur. Progressus autẽ in publicum, de rebus orationem habuit, quarum gratia venerat: Tum surgens Archidamus dixit, quid ille tandem rectè diceret, qui mendacium non in anima, sed capite quoque circumfert.

Lysias Orator.

ψεύδεσθαι προχειρότατον τοῖς πολλάκις ἁμαρτανουσιν. id est.

Sæpe delinquentibus promptißimum est.

Herodotus lib. 3. Historiæ.

ἔνθα γάρ τι δεῖ καὶ ψεῦδος λέγεσθαι λεγέσθω, id est:

Sic, ubi etiam mendacium dici opus est, dicatur.

Themistius in lib. de Mediocritate affectuum.

Est genus quoddam mendacij, quod cęteros quidẽ non admodum lædit, sed dedecus ipsius vtentis est. Committitur enim nõ dicendo, faciendóue quicquam in alterum, sed de seipso & rebus suis. Et hoc duplex est, aut enim committitur leuiora & minora dicendo, quàm re uera sit, aut maiora aut splendidiora. Hoc quod fit circa minus, dissimulatio dicitur, illud quod circa maius, arrogãtia, quod inferius est, quàm verum sit lautum & elegans est, ac interdũ philosopho non inutile: Quamobrem etiam à Socrate vsurpatur, in dicendo cùm opus erat illudere superciliosum aliquem Sophistam, sibiq; plurimum de sua doctrina placentẽ: tum enim vanitatem suam magis sentiunt, cùm indoctiores deprehendũt illo, qui se nihil scire simulat.

Idem ibidem.

Τὸ δ᾽ ἕτερον τὸ ὑπερβάλλον βαρύ τε καὶ ἐπαχθὲς, καὶ οὐδὲν οὕτως ἄκουσμα φορτικὸν, ὡς ὁ καθ᾽ αὑτοῦ ἔπαινος, καὶ ταῦτα ἐπὶ παιδείᾳ (ἔφη) καὶ ἄλλων ἐπαινούντων ἐρυθριᾶν χρεὼν τοὺς ἀληθινῶς αὐτοῦ ὄντως ἀξίους. id est.

Supra modum verò se suaq; iactare, auditu graue ac molestum est, nec vlla narratio tam odiosa, quàm suijpsius laus. Decet enim præsertim in laude doctrinæ nostræ, etsi ab alijs prædicetur, ingenuo pudore suffundi reuera doctos.

Plato de iusto.

Mentiri, decipere, lædere, offendere iniustũ est: hostes autem offendere, iustum, item per fraudes decipere.

Lucianus in Philopseude.

Multa sunt, quæ nonnullos mortales mentiri compellunt: quia in rem vident conducere: qui etiam cùm vsus postulat, mentiuntur, non tantùm venia, sed & laude digni sunt: vt qui hostes fefellerunt, vel ad salutem tali quopiam pharmaco vsi sunt in necessitatibus. Cuiusmodi multa Vlysses etiam fecit, vt & vitam suam, & sociorum reditum redimeret.

Mensis græcè μήν, μηνός, ὁ. dicitur ἀπὸ τῆς μήνης quod est luna. Nam lunæ ratione mensis constitutus est.

Vnde M. Varro: Mensis à lunæ motu dictus, dum

dum ab sole profecta, rursus redit ad eum luna. Aegyptij quoq;, teste Herodoto, menam vocauere lunam. A mensis fit menstruus adiectiuū, vt opus menstruum, hoc est opus vnius mensis. Item menstrua substantiuum numeri pluralis tantùm, quod significat superfluum illum humorem, quem singulis mensibus mulieres nisi grauidæ sint emittunt, quo tempore coitus marium cum his exitiales & pestiferi sunt, præsertim in præsente luna, cùm purpuram quoq; ab his pollui tradant.

Mens græcè νόος & per κρᾶσιν νοῦς. dicitur Venitque à metiendo vel à memini, secundum B. Tho. prima parte, q. 79. art. 9.

Viues lib. 2. de Anima.

AMANTIVS. Mens humana est spiritus, per quem corp', cui est connexus, viuit, aptus cognitioni Dei propter amorem, atque huic coniunctioni cum eo, ad beatudinem æternam.

Anima est agens præcipuum, habitans in corpore apto ad vitam. Agens nominatur, quasi artifex: Nam quod agit quippiam per instrumenta, in eo ipso vis inest agendi illud ipsum, vt in pectore pingendi, præcipuum additur: Nam si quis calorem, vel humorem, vel spiritus aliquid dicat agere in corpore, sciat illa omnia nō per se agere, sed ab anima id habere, vt agant. Ergo anima ipsa artifex est agens, non aliunde: in eo vtique corpore vim suam mutuans.

Habitare dicitur in corpore: Nam Deus est in illo corpore, non tamen habitat: & Dæmon se insinuare potest in corpus animantis, sed habitat anima, quòd illic eius est mansio, tanquam in ædibus, cum tota supellectile & domestico instrumento.

In corpore: Cæterum corpus hoc aptum descriptumque esse conuenit, quemadmodum illius speciei effectioni consentaneum est: Neque enim promiscuè in quacunque forma & figura corporis, quæuis anima posset hærere ad vitæ operationes edendas, hoc certè naturæ ordine, & his legibus, quas autor vniuersitatis à condito orbe sanxit. Viues libro primo de Anima.

Anima est substantia creata, inuisibilis, immortali Deo simillima, imaginem nullam habens, nisi creatoris sui. Diuus Augustinus in li. definitionum.

Aristoteles.

Anima est principium quo viuimus, sentimus, intelligimus, nutrimur, & secundum locum mouemur primùm. 2. de Anima.

Eodem loco.

Anima est actus primus, substantialis, corporis Physici, organici, in potentia vitam habētis.

Secundum eundem.

Anima est, quod naturaliter mouet viuum corpus.

Philippus de anima refert eam esse definitionem nominis: Adhuc enim quæri posse, quę res sit anima: an sit corpus, an oriatur ex elemētis, an sit aliud quàm spiritus vitalis.

Vita est conseruatio eorum instrumentorū, quibus anima vtitur in corpore.

Præcipuum illorum est calor, & propter calorem humidum calori congruens pastus & conseruatio illius. Quæ igitur viuentia, duas has qualitates, diutissimè possunt conseruare, viuacissima sunt.

Viues lib. 2. de Anima.

Intellectus vel intelligentia, est prima illa & simplex appræhensio eorum, quæ menti proponuntur: Nec aliter se habet in mente, quàm oculus in corpore, imaginatio in animo. Sed neque ob id simplex vocatur, quod simplicia tantùm cognoscat, id est, singula rerum, vt sensus: Sed quod nihil aliud quàm ea comprehendit, ac velut intuetur, quæ offeruntur: ea verò quantunlibet varia, composita, connexa, vt ratiocinationes, sermones longos & multiplices, visa confusissima. Viues. 2. de Anima.

D. Augustinus. De spiritu & anima, definit esse intellectum, vim animæ, quæ inuisibilia percipiat. Aristoteles. 6. Ethicorum, definit habitum principiorum.

Idem lib. Magnorum Moralium. Habitum circa principia intelligibilia.

Cicero, Definit intelligentiam esse eam, per quam animus perspiciat ea, quæ sunt. 2. lib. De inuentione Rhetorica.

Viues lib. 2. de Anima.

Ratio est collationis progressio, ab vno in aliud: vel à quibusdam ad aliud, vel alia. Ideoque etiam discursus nominatur, & reputatio: quòd sicut in vite putantur sarmenta inutilia, ita in ratione, vt solùm vtile retineatur, parum (quod dicitur) & purum quoad eius prestari possit. Ratio discursus vocatur.

D. Augustinus de spiritu & anima, definit aspectum mentis, quo bonum malumq; discernit, virtutes eligit, Deumque diligit.

Ratio & intellectus non sunt idem: Ratio enim quandoque recta, quandoque non recta, tam in speculatiuis, quàm practicis: Sed intellectus semper est rectus: & ita distinguuntur, non sicut duæ potentiæ, sed sicut diuersi actus eiusdem potentiæ: quia intelligere est intelligibilem veritatem simpliciter apprehendere: ratiocinari autem est procedere de vno intellectu ad aliud intellectum, ad veritatem intelligibilem cognoscendam.

Macrobius in Commentarijs in somnium Scipionis.

Ratio, vt est pars prudentiæ, est discursus intellectus, quo applicátur vniuersalia principia agibi-

agibilium, ad particularia varia, & incerta agibilia.

Ratio est motus animi, vera à falsis distingens: à qua fit ratiocinatio, quæ à Græcis συλλογισμὸς dicitur. Vide Ciceronem lib. 1. de inuentione Rhetorica.

Viues 2. de Anima.

Est autem ratio data homini, ad inquirendum bonum, vt id voluntas amplectatur. Et est duplex decursus: ratio speculatiua, cuius finis est veritas, & ratio practica, cuius bonum. Prior sistit ibi, altera transit ad voluntatem. Speculatrix autem non est simplex, nam est vel in veritatibus, quæ sensu aut phantasia, aut ex ijs collectis rationibus licet consequi, quæ vocatur inferior: vel in ijs, quæ sunt seu altiora, seu magis abdita, quæ superior.

Idem eodem libro.

Iudicium est censura, id est, approbatio, & improbatio rationis: discursus videlicet, & clausulæ, quod est in mente velut amussis quædam & norma, aut vt examen in libra. Itaq; dũ ratio est in actione sua, quiescit iudicium: ea vbi functa est suo munere, exurgit censura, & iudicat primùm de cõnexione, hinc de discursu, quẽ si approbet, non potest reprobare clausulam: hæc si absurda videatur, & receptæ, infixæq; prius sententię contraria, hęret iudiciũ, seq; falsum esse suspicatur: sin autem nihil metuit fallaciæ, transit in sententiam diuersam, vi argumentationis impulsum. Eaque est maxima vis, seu vnica potius, quæ potest menti adferri, si verisimilis ratio ostendatur, ad reliquas omnes violentias immobilis: Quod si non rectè esse discursum, & quæ oporteat arbitretur, continet ac cohibet se, nec quoquam inclinat: Et sicut ratio vtitur formulis dialecticis, quæ sunt de probabilitate, ita iudicium ijs, quæ de argumentatione existunt.

Viues eodem libro.

Iudicium rectum & sanum est, quod aptè circumspicit, quid ex quoquo nascatur, quid cuique sit consequens, quid alienum, quid repugnans, quid congruens, & consentaneum.

Viues lib. 2. de Anima.

Voluntas est facultas seu vis animi, qua bonum expetimus, malũ auersamur, duce ratiõe.

Sunt autem duo actus in voluntate, propensio seu amplexus boni, & auersatio mali: orbatio est vtriusque, cum illa ociosa neutram in partem inclinat.

Voluntas ipsa domina est omnium & imperatrix, sed per se nihil habet lucis: illuminatur à mente, id est, ratione ac iudicio, quæ apposita est illi, veluti consultrix ductrixq;, non vt regat, aut torqueat, sed vt dirigat, & meliorum admoneat. Itaque nihil voluntas appetit, aut deuitat, nisi à ratione præmonstratum. Quocirca actus voluntatis à voluntate quidem producitur, à ratione autem iudicatur, & suadetur. Atque (vt ita dicam) à ratione gignitur, à voluntate paritur. Magistra est igitur & præceptrix voluntatis ratio, non domina.

Voluntas, secundum Ciceronem libro 4 quæstionum Tusculanarum, est, quæ quid cum ratione desiderat: quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas infrenata, quę in omnibus stultis inuenitur.

Naturâ omnes ea, quę bona videntur, sequũtur, fugiuntq; contraria. Quamobrem si simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur ad id adipiscendum impellit ipsa natura, id cùm constanter prudenterque fit. Eiusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant voluntatem: eam illi putant in solo esse sapiente.

Aristoteles 1. Rhethoricorum definit voluntatem, appetitum boni cum ratione.

Idem tertio Ethicorum vocat voluntarium id, cuius principium sit in ipso agente, sciente singula quæ agit.

Seneca 15. epist. 95. ad Lucilium.

Virtus & aliorum scientia est, & sui. Discendum de ipsa est, vt in ipsa voluntas discatur. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas: Rursus, voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitus porrò animi nõ erit in optimo, nisi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque iudicandum sit exegerit, nisi res ad verum redegerit.

AMORIS VIRES ATQVE *actiones hæ sunt.*

Primùm, voluntas est animi vniuersi dominatrix & rectrix: voluntatis, amor: rapit enim illam amor ad suum bonum, qui motus est omnium citatissimus, quoniam celerrimus per se & in præcipiti voluntatis: nascitur enim & glissit volente ipsa ac libente, vt tanquam impelli videatur per pronam. Viues in libro tertia de anima.

RATIO EST SAPIENTIA, ET *quæ hominem purum reddit ac confirmat.*

Flauius Iosephus de Machabæis.

Ratio sapientia est: nam nemo inter bonum malumque definiendi potest habere consiliũ, nisi sapientia radicitus fulciatur. Iam ipsam sapientiam sequitur semper sociata iusticia, iusticiam virtus animi non relinquit, virtutem comitatur castigata sobrietas. Quadripartita itaque est ista sapientia. Duo præterea sunt, quę aut faciunt passionem, aut impediunt, dolor, & voluptas: quorum vnum semper respuit,

respuit, alterum semper exoptat: Sed vbi voluptas insurgit, & ratione statim eijcitur, confirmatur animus, & pœna trutinata cum gloria, spe maioris præmij cōtemni incipit, antequàm veniat: cùm auté venerit, erubescit animus non sufferre quod voluit.

Ratio est itaque, cuius est omne quod facimus: per illam animi punitio, omniumq; vitiorum detestatio est, quæ officio periti functa cultoris inutilia sarmenta succidens, & omnem spiritum noxij humoris enecans, illud solùm, quod profuturum intelligit, manere permittit. Sic ratio hominem passione depurandum, purum reddens, & ante passionem confirmat, & in ipsa passione corroborat. Quis non venationis, quis non piscium escis delectetur? qué non grata diuersarum auium sagina sollicitet? an exquisiti terra marique cibi, vsq; quo non esurire compellant? da rationem, quæ abstinentiam imperat: concupiunt quidem omnes, sed nemo attingit: doceturque his rebus animus delectationem suam vincere, & imperari protinus voluptati, vt dum ad occasionem martyr venerit, reiectis hisce vitijs, præsentem pœnam præteritis virtutibus non præponat. Inde Ioseph iusti nomine vel voce laudatus, quod libidinem in puerili ętate flagrantem ratione restinxerit. Deus itaque humani artifex corporis, cùm hominem fundauit, & mores, hæc singula membrorum liniamenta componens, perfecto iam corpori dominam (quæ in ea esset, & imperio quodam vteretur) mentem dedit, cui quædam in ipsa potestate obseruationis mandata constituit, vt sobrietatem teneat, diligat bonum, iustitiam non relinquat, & ipsa imperij potestate qua corpori imperat, imperia tamen diuinæ potestatis obseruet. Etenim dicet aliquis: Si ratio principatum obtinet passionis, cur habemus sæpius impiam voluntatem? Si hoc existimas esse, ridiculum est: nam ratio nō potest obtinere ne desideretur aliquid, sed potest cogere, vt quod desideratum fuerit, prudentis consilio ratione vincatur: vt puta, obtinere nō potest, ne irascaris, sed cogere potest, vt nullum scelus iratus admittas: Turpissimas quoq; similiter voluptates non, ne concupiscas, sed ne his satisfacias, obtinebit. Non ergo extinguit penitus vitia, sed repellit.

Ratio vitiorū detestatio est.

Plato dicit tres animas esse in homine: ἡγεμονικὸν, seu λογιστικὸν, id est, rationalem, quę (vt Galenus disertè dicit in 7. de Hippocratis & Platonis dogmatib⁹) in capite est, & sunt eius operæ: imaginatio, memoria, intellectio, iudicium, præterea sensibus suppeditare motum, & voluntarios motus regere: denique tribuit ἡγεμονικῇ eam virtutem, quam vocant animalem.

Alteram animam vocat θυμοειδὲς, huius sedem ait esse cor, & tribuit ei virtuté, quàm vocant vitalem, & adfectus, hoc est motus sensitiui appetitus.

ἐπιθυμητικὸν vocat tertiam animam, cuius sedem esse inquit hepar: huius officia sunt, nutrire, gignere. Hæc vocatur ab alijs virtus naturalis. Vide Philippum in libello de Anima.

Anima rationalis, quantum ex sacris literis constat, est spiritus intelligens, qui est altera pars substantiæ hominis, nec extinguitur cùm à corpore discesit, sed immortalis est.

Genesis 2.

Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

Et in Euangelio Matth. 10.

Corpus possunt occidere, animam autem nō possunt occidere.

Item Lucæ 23.

Hodie mecum eris in paradyso.

Est igitur anima spiritus, qui discedens à corpore, tamen non extinguitur. Voco autem spiritum, substantiam quandam spiritualem.

An vna sit tantùm hominis anima, scilicet rationalis, continens simul vires aliarum animarum, sentientis & vegetatiuæ: an verò sint distinctæ animæ, in homine, vegetatiua, sentiens, & rationalis, sicut Plato, Aristoteles, & Galenus loquuntur, multæ & variæ sunt quæstiones, vt Philippus latius disputat.

MEnsura græcè μέτρον. ου. τό. & μετρητός. οῦ. ὁ. mensurabilis dicitur. Est autem mensura illud per quod cognoscitur quantitas rei, secundum B. Thomam prima secundę, quæst. 90. art. 1. & post. lect. 36. NANVS

Mensura est duplex scilicet intrinseca & extrinseca. Prima est in quolibet mensurato subiectiuè: secunda verò in vno solo, secundum eundem, 2. Sentent. dist. 2. quæst. 1. & in quę. de veri. quæ. 1. art. 5.

Phocylides.

πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεειναί. id est, *Omnium mensura optima, transgreßiones autem euitabiles.*

Idem

μέτρῳ μὲν φαγέειν, καὶ πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν. id est.

Cum mensura comede, & bibe, & loquere.

Pythagoras.

μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. id est.

Mensura in omnibus optima.

Hesiodus.

εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον αἴ κε δύνηαι:
ὡς ἂν χρηΐζων καὶ ἐς ὕστερον ἄρκιον εὕρῃς. id est.
Bona mensura mutuo sumes à uicino, bonaq; redde,
Eadem mensura, & melius si potes:
Vt si aliâs indigueris & subministrantem inuenias.

De hac materia habes suprà in Mediocritas.

MErcatura græcè ἐμπορία. ας. ἡ. & ἔμπορος. ου. ὁ. mercator, & ἐμπορεύομαι mercor dicitur. Est autem triplex mercatura, scilicet nauigatio,

gatio, deuictio, id est, fœneratio, & negotiatio, secundum Aristotelem libro 1. Politico. Negotiatio de se non est vitiosa, licet habeat turpitudinem. Ideo licita est, si sit ad finem honestum, vel necessarium, id est, quòd negotiator lucretur moderatè s. vel ad suæ familiæ sustentationem, vel pauperum, vel communitatis, si in festo, iusto contractu, & non ad caristiam, secundum Beat. Tho. quæst. 77. art. 4.

Mercatura dicitur à mercor, illud verò à mereo, est enim mereri gratia aliquid operari, vnde merere militare. Lucanus: Aere merent paruo. Differunt autem merx & mercatura, quòd merx est species ipsa quæ emitur venditúrue, à quo mercimonium & commercium, quasi contractio quædam mercium, veniunt. Mercatura vero est actus ipse emendi ac vendendi merces. Mercem Varro à merendo ære dictã vult: mercis appellatio, vt vult Vlpianus ad res tantùm mobiles pertinet.

Leuitici cap. 19.

Statera iusta & æqualia sint pondera, iustus modius, æquus sextarius.

Ecclesiastici. 27.

Difficile exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.

Ibidem cap. 37.

Inter medium emptionis & venditionis angustiabitur peccans.

Ibidem.

Cum negotiatore tracta de traiectione, & cum emptore de venditione.

August. de Ciuitate dei, libro 13. cap. 3.

Omnes volunt viliter emere & carè vendere.

Augustinuus super Psalm.

Desiderio tuo locum facis diabolo, ecce enim diabolus proposuit lucrũ, & mutuauit ad fraudem. Lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris, sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attende escam, vt videas & laqueum, quia lucrũ habere non poteris, nisi fraudem feceris: fraudem autem si feceris, capieris.

In contractibus vitia eorũ quę væneunt prodi iubentur: at nisi intimauerit venditor, quam uis in ius emptoris transierit, doli actione vacuantur.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum, & habetur distinct. 88. Eijciens.

Eijciens dominus vendentes & ementes de templo, significauit quia mercator nunquam potest deo placere, & ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, proijciatur de ecclesia, dicente Propheta: Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias domini. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, volens ambobus placere, sine alloquio mali esse non potest. Necesse est enim vt isti malè de illo loquatur, & illi malè de isto: sic mercator sine mendacio & periurio esse non potest. Sed substantia talium stabilis esse non potest: neque ad bonum proficit, quod de malo congregatur. Quemadmodũ enim si triticum, aut aliud tale cernas cribro, dum huc & illuc iactatur, omnia grana paulatim deorsum cadunt, & tándem in cribro nil remanet nisi stercus: sic de substantia negotiatorũ nouissimè nil remanet nisi peccatum.

Leo Papa & habetur de pœn. dist. 5. Qualitas.

Qualitas lucri negotiantem aut accusat aut arguit, quia est & honestus quæstus & turpis.

Veruntamen pœnitenti vtilius est dispẽdia pati, quã periculis negotiationis astringi, quia difficile est inter ementis & vendentis commercium non interuenire peccatum.

Cicero lib. 3. Officiorum.

Quid stultius quàm venditorem vitia rei quã vendit narrare? & quasi præco prædicere, domum pestilentiæ vendo.

Ibidem.

Hoc genus cælandi quis non videat? Certè nõ apti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non boni viri: sed potius versuti, obscuri, astuti, fallacis & callidi.

Idem libro 1. Officiorum.

Primùm improbantur hi quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitor & fœnerator.

Ibidem.

Illiberales & sordidi quæstus sunt mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emuntur, est enim illiberalis ipsa merces autoramentum seruitutis. Sordidi etiam putandi, qui emunt à mercatoribus quod statim carius vendant, nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur, nec verò quicquã est turpius vanitate, neque enim quicquam ingenuum habere potest officina.

Ibidem.

Mercatura autem si tenuis, sordida putanda est, sin copiosa, magna & multa vndique portans, multisq; sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda.

Aristoteles libro 6. Politicorum.

Necessarium est in omni ciuitate aliquid vẽdi & aliquid emi.

Horatius epist. libro 1. epistola. 1.

Impiger extremos curris mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Idem libro 2. epistolarum, ad Iulium Florum.

-Plenius æquo.
Laudat uenales qui uult extrudere merces.

De hac materia vide supra in Auaritia, & infrà in Nauigatio.

Merces græcè μισθός ȣ. ὁ. & μισθωτός οῦ. ὁ. mercenarius dicitur. Est aũt merces id quod recõpensatur pro operis retributione. Ideo reddere mercedem, est actus iustitiæ, sicut reddere prętium

tium rei emptæ, secundũ B. Tho. prima Secundæ, q. 14. articulo 1. Mercenarius vero actus is dicitur, qui fit propter mercedem, non autem qui est circa eam B. Tho. 3. Senten. dist. 26. q. 1. art. 1. Vtrunque dicitur à mereo, de quo suprà in dictione Mercatura.

Meritũ græcè ἀξία.ας. ἡ. ἀξιόομαι mereo dicitur. Est autem meritum actio, qua iustũ est, vt agenti aliquid detur, secundum B. Tho. 3. parte q. 45. art. 6. Differunt autem mereri & cõmereri, quod mereri dicimur bona, commereri vero mala, ex Donato super Teren. Dicunturq; hæc à mereo, de quo Mercatura: vnde etiã meretrices dicuntur mulieres, quæ sordidissimi quæstus gratia prostant, & quarum turpitudo venalis est; à quibus meretricium, ars ipsa dicitur meretricia, & meretricor, scortor: & meretricius. a. um. quicquid quæstum facit corpore suo.

Ecclesiastici cap. 16.

Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius.

Paulus ad Titum cap. 3.

Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Augustinus de libero arbitrio.

Deus autor est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.

Idem libro Confessionum.

Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi merita tua?

Idem super Matthæum.

Simplices & indocti regnum cælorum rapiunt, & nos cum literis nostris ad infernũ descendimus.

Gregorius in homil. 10.

Non est magni meriti si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magis pensandũ est qd agatur in mente: nam præsentem mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate deo & proximis sternere, contra illatas contumelias patientiã seruare, & custodita patientia dolorem malitiæ à corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minimè ambire, amicum in deo diligere, & propter deum, & eos qui sunt inimici amare, de afflictiõe proximi lugere, de morte inimici nõ exultare, hæc est noua creatura.

Ioannes Chrisostomus de Compunctione cordis.

Et si miles moriamur, & si omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad ea quæ ipsi à deo percipimus.

Idem de reparatione lapsi.

Vidimus aliquoties nonnullos cœpisse postremo, & factos merito priores.

Idem in homil.

Quicquid gesseris parum est, quicquid feceris minus est. Omne enim meritũ breue est cõparatiõe donorum. Numera beneficia si potes, & tunc considera quicquid mereris.

Ioannes Chrysost. ibidem.

Si totum tempus vitæ huius occupant obsequia, laudes teneant, gratiarũ actiones insistãt, non poteris pensare quod debes.

Ibidem.

Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ iura conseruans, sit legum iussis obtemperans, fidem impleat, iustitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellet, exempla semet imitantibus præbeat, nihil est respectu eiusdem.

Ibidem.

Cum diuinis muneribus actus proprios meditare, nec dignũ te iudicabis eo quod fueris, si intelligas quod mereris.

Idem super Matthæum 11.

Grandis violentia est in terra nasci, & cęlum rapere, & habere per virtutem, quod non possumus habere per naturam. Regnum cœlorũ vim patitur, quia gloria domui Israel patribus debita, à prophetis nuntiata, à Christo oblata, fide gentium occupatur & rapitur, dum per pœnitentiam quam Ioannes prædicauit reuiuiscunt, ad cœlestem patriam quasi in alienum locum redeuntes.

Bernardus super Cantica.

Præposterus ordo est ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum.

Bernardus sermone 53.

Hoc totum hominis meritum, si totam spem ponat in eo, qui totum saluum fecit: sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita.

Metus græcè φόβος.ου.ὁ. φοβοῦμαι metuo dicitur. Est autem metus expectatio mali, secundum Aristot. libro. 4. Ethicorum.

Metus est opinio magni mali impendentis, cui subijciũtur pigritia, terror, timor, exanimatio, conturbatio & formido. Metuo secundum M. Varro. dicitur à quodam motu animi, cùm id quod malum casurum putat mens, refugit. Metus facit eius diminutiuum meticulus.

De hac materia vide infra in Timor.

Militaris prudẽtia, est virtus qua regitur multitudo exercitus, ad tuitionem totius boni cõmunis, sec. B. Tho. secunda secundæ q. 48. ca. 4.

Miles grçcè στρατιώτης.ου.ὁ & στρατία.ας.ἡ. militia, & στρατεύω milito dicitur. Venitq; à mille, quasi millesimus quisq;, hoc est quisq; ex millenario numero fuerit. Legio eñ primò vt Var. inquit, trium milliũ fiebat, & singulę tribus Tatiensium, Ranniũ & Lucerum mille militũ mittebant. Hinc milito verbum, hoc est militiam exerceo: & militare, more militũ: & cõmilito,

onis,

onis, qui simul militat, hoc est socius in bello: & commilitium, ipsa belli societas. Militiæ genera apud veteres tria erant. Alij enim euocati dicebantur, qui non milites, sed pro milite erant. Alij tumultuarij qui necessitate aliqua electi, ad vnum duntaxat bellum militabāt. Alij sacramēto religati, qui post electionē in remp. iurabant, quod militare sacramentum dicebatur. Hi plenam militiam habebant. Erantque quinque & viginti annis obligati. Militiæ instrumenta sunt Galea, in qua conus, & christa, thorax, lorica, balthæus, cingulū, scutū, clypeꝰ, parma, creta, scutum breue, ocrea, tragula, gladius, ensis, sparus, gæsa, verrutū, pilum, aclides, pugio, scorpius, catapulta, contus, glandes plūbeæ, phalarica, semiphalarica, soliferrea, lancea, rumigestri, falces, bipennes, framea, romphea, ansaculæ, cateiæ, scibones, sudes, sicæ, machærę, hemispathæ, veruinæ, ligulæ, climaculæ, venabulum, sarissæ, saxa, certa, tegemen, pelta, vehicula, currus, equi, in aquis gauli, corbitæ, caudicæ, naues longæ, biremes, triremes, lembi, naues onerarię, hippagines, cercuri, celoces, oxię, schedię, remiculi, scaphę, lyntres, actuarię, plumię, vel gesseoretæ, vel orioles, cattæ, pontones, nuctarciæ, medię, phaselli parones, myoparones, caupulica, mareplacidæ, cidarum, ratariæ, catascopium, cymba, pistrix, horia, liburni. Hæc omnia militiæ vsui esse possunt: Sunt & alia, vt testudo, centones, vineæ, quas catos vocabulo barbaro vocant, plutei.

Addam murorū defensionem, agger, musculi, turres ambulatoriæ, scalæ, quibus muros primꝰ Capaneus dicitur ascendisse. Exostra, pons, tellenon, sclopitum, præteruolans, bambarda, aliaque id genus. De hac materia habes suprà in Bellum.

AMANTIVS.

Menander Paracatatheca.

Militia non fert ullam opulentiam,
Sed uitam, qua in diem uiuitur, ac temerariam,
Quàm experimur minimè salutarem esse.

Apollodorus in Aphanizomeno.

Difficilè est militem inuenire, cui ad senectam
Vsq; omnia benè successerint, nisi timidus sit.

Menander in Aspide.

Non parua est difficultas, militem salutis inuenire causam: perditionis autem facilè.

Idem.

Elegans miles, etiam si Deus ipsum formaret, haud vllus effici posset.

Philemon.

Στρατιῶτα κ᾽ οὐκ ἄνθρωπε, καὶ σιτούμενε ὡς τὰ ἱερεῖα, ἵν᾽ ὅταν ᾖ καιρὸς τυθῇς. id est,

O miles, non homo, qui pasceris,
Quemadmodum uictima, ut cùm tempus fuerit, immoleris.

Antiphanes.

Τίς δ᾽ οὐχὶ θανάτου μισθοφόρος ὦ φίλτατε,
ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ᾽ ἀποθανούμενος. id est.

Quis non mercenarius est mortis, ô charissima,
Quæ gratia uiuendi accedit morituris.

Isocrates ad Dæmonicum.

Robur prudentiæ coniunctum conducit, sine ipsa uerò plus lædit possidentes.

Idem.

Corpora quidem exercentium sc ornat,
Animi uerò studia obtemperat.

Idem in epistola ad Amicum.

Ineuitabilis pœnæ timor, causa est desperationis:
Qui enim interitum suum præuidit, pericula ultrò sequitur.

Archidamus Lacedæmoniorum rex, cùm vidisset filium suum nimis temerè contra Athenienses pugnantem: aut vires tibi sunt augendæ, dixit, aut minuenda audacia.

Clitarchus historiographus dixit: Omnis audacia virium mensuram excedit.

Aratus Sicyonius, laudante quopiam virum desperatum, & audacem, ac idcircò & in bellis eximium: Differre dixit, magnificare virtutē, & vitam nihili facere.

Plutarchus in lib. contra uires corporis.

Quænam tibi tanta felicitas videtur, vt eius gratia naturam existimes hominibus nouercā, brutis verò parentem esse? an propter magnitudinem, celeritatem, visusq; aciem ita censes? at hominum propria vis in animi ratione consistit, qua & elephantos per syluas pedicis capit, frenat equos, subiugat boues aratris, volucria deijcit arundinibus, & in profundo submersa retibus extrahit. Hæc eius vis est, quæ multò vlterius se profert, cùm ambitus terræ, cæli magnitudines, & stellarum circulos persequendo non fatigatur. Hæc erant Hercule digna. quis enim non Vlysses, quàm Cyclops esse malit?

Eusebius.

Homines viribus tantùm, robori & velocitati augendis student: & quo pacto hæc habentes ex ipsis solis clari fiant: animum verò, per quem existunt, negligunt, ignorantes se illa solùm excolere, quæ cum brutis communia habent, & quidem imbecilliora, quàm multa ex brutis: diuinissimam verò sui partem, & secundū quàm Dijs aliquo modo similes reddi possent, neglectum habere.

Idem.

θάρσος τὸ πρὸς τὰ φοβερὰ σὺν λόγῳ αἴνει· ἀνδρείαν· τὴν δὲ μετὰ ἀλογίας ἐπ᾽ αὐτὰ ὁρμὴν θράσος νόμιζε, καὶ ἀποστύγει. id est:

Animi præsentiam in periculis cum ratione coniunctam laudato: impetum verò ad ea line ratione audaciam vocato, & oderis.

De

De re militari, de dictis egregijs ducum, de stratagematis, de more antiquę militię, de disci plina, pœnis, & premijs militaribus, de celeritate in bellis, ordinibus, & militum exercitatione, de signis, tropheis, ac triumphis, &c. vide
NANVS. Volateranum, lib. 30. Philologiæ.

Mille græcè χίλια. τὰ. & χιλιοςός. οῦ. ὁ. millesimus dicitur. Est aũt mille numerus cubus, cuius radix est decem, sec. B. Tho. 4. Sent. dist. 43. ar. 3.

Myoparo, onis, dictio græca est, illi enim μυοπάρων. ονος. ὁ. dicunt. Est autẽ myoparo nauigij genus pyratarum, cuius Val. Max. fecit mentionem lib. ;. tit. de iure triumphandi. Qui ex desertis montibus myoparonumq́; pyraticis nostris laudis inopes laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt.

Miraculũ græcè θαῦμα. αλος. τὸ. & θαυμαςός. ȣ. ὁ. mirabilis. Est aũt miraculũ res, quæ vnde manauerit, aut qua ratione cõstiterit dignoscere est arduum, vt elicitur ex prol. vlt. cap. primi lib. Val. Max. Vel sic: Miraculũ est quicquid præter naturæ vsum euenit, & ideò in admirationem nos trahit. Venit autem miraculum à miror. Mirari autem propriè est re aliqua tanq̃ noua obstupefieri. Aliquando mirari est, cum voluptate & delectatione intueri. Virgil. Seu quis olympiacæ miratus præmia palmæ. Aliquando mirari est venerari. Virg. Ille operum custos, illum admirãtur & omnes Circunstant. Hinc admirabile, id est, admiratione dignũ: & admirabundus, admiratione plenus.

August. & hab. 1. quæst. 1. c. Teneamus.

Teneamus fratres mei vnitatem: præter vnitatem & qui facit miraculũ, nihil est. In vnitate erat populus Israel, & nõ faciebat miracula: pręter vnitatem erant magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi. Populus, Israël vt dixi, nõ faciebat miracula. Qui erant saluandi apud Deũ, qui faciebãt miracula, an qui non faciebant? Petrus apostolus resuscitauit mortuum, Simon magus fecit multa. Erant quidã Christiani qui non poterãt facere quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon, sed ijdem gaudebãt, quia nomina eorum scripta erant in cælis.

August. lib. 10. de Ciuitate Dei.

Quicquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profectò minus est, quàm totus hic mundus, id est, cęlum & terra, & omnia quę in eis sunt, quę certè Deus fecit, nã & in omni miraculo quod fit per hominem, maius miraculum est homo. Quanuis igitur miracula visibilium naturarũ, videndi assiduitate vilescant, tamen ea cùm sapienter intuemur inusitatissimis rarisq́; maiora sunt.

Idem lib. 21. de Ciuitate Dei.

Sicut non fuit Deo impossibile quas voluit instituere, sic ei nõ est impossibile in quicquid voluerit, quas instituit naturas, mutare.

Idem lib. 22. de Ciuitate Dei.

Miracula leguntur in populis, vt credantur, nec in populis tamen, nisi credita legerentur. Hæc aũt vbicunq; fiunt, vix à tota ciuitate, ipsa sciuntur, vel à quocũq; cõmanentium in loco, nam plærunq; fiunt ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas, & quãdo alibi alijsq; narrantur: tanta ea commendat authoritas, vt sine difficultate vel dubitatatione credantur, quamuis Christianis fidelibus indicentur.

Augustinus 83. Quæstionum.

Aliter magi faciũt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per priuatos cõtractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicã iustitiam, mali Christiani per signa publicæ iustitiæ.

Ibidem.

Ideò non omnibus sanctis ista miracula attribuuntur, ne pernitiosissimo errore, decipiantur infirmi: æstimantes in talibus factis esse maiora bona, quàm in operibus iustitiæ: quibus vita æterna comparatur.

Augustinus lib. Confeßionum.

Eunt omnes admirari alta montiũ, & ingẽtes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & oceani ambitum, & gyros syderũ, & relinquũt seipsos nec mirantur: nam & omni miraculo, quod fit maius miraculum est homo.

Hierony. super illud Matth. 7. Nónne in nomine tuo uirtutes multas fecimus, &c.

Prophetare & virtutes facere, & dæmonia eijcere: interdum non eius est meriti qui operatur: sed vel inuocatio nominis Christi hoc agit: vel ob cõdemnationem eorum, qui inuocant, vel vtilitatem eorum qui vident & audiunt.

Ambrosius de Sacramentis, & hab. de conse. distinct. 2. Reuera.

Reuera mirabile est, quod Deus manna plueret patribus, & quotidiano cæli pascebantur alimento. Vnde dictum est: Panem angelorum manducauit homo.

Ioan. Chrisost. super princ. Matthæi.

Quatuor mirabiles imitatores fecit Deus. De piscatore primum Ecclesiæ pastorem. De persecutore magistrum Ecclesiæ & doctorem. De publicano primum Euangelistam. De latrone primum cœlicolam.

Ibidem.

Tria totus mundus mirabatur, Christũ post mortem resurrexisse, cum carne in cælũ ascendisse, & per 12. apost. piscatores totũ mundũ cõuertisse. Huius aũt quadruplex fuit causa, s. pecuniæ cótemptus, gloriæ despectus, seculariũ occupationũ segregatio, & terribiliũ perpesio.

Idem super Matthæum.

Mirabilius est videre hominem conuitia passum, & non motum, quàm hominem vulneratum, & percussum non cadentem.

Isido-

Isidorus lib.1.de sum.bon.

Miracula in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: quia signũ fidelibus nõ est necessarium qui iam crediderunt, sed infidelibus vt conuertantur. Nam Paulus pro nõ credentium infidelitate, patrẽ Publij de infirmitate febriũ, virtutibus curat. Infirmãtem vero Timotheum fidelem non oratione, sed medicinaliter temperat, vt noueris miracula pro incredulis, nõ pro fidelibus fieri.

Hugo de operationibus trium dierum.

Res multis modis apparent mirabiles, aliquãdo ex magnitudine, aliquando ex paruitate, aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ.

ibidem.

Miramur etiam quare crocodilus manducans inferiorem molam, non mouet, & quomodo salamandra in igne illæsa permanet. Quis dedit ericio spinas, & docuit eum, vt se pomis turbine discussis inuoluat, quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum. Et formica hyemis superuenturę prescia, granis horrea sua replet. Aranea quoque de visceribus suis laqueos nectit, vt prædam capiat. Isti sunt testes sapientiæ dei.

Dantes paradisi cap.24.

Sel mundo se riuolse al Christianesmo
Dixi io senza miraculi, quæsto uno
E tal che gli altri non sono el centesimo. Id est,
Si mundus se conuertit ad fidem Christi
Dixi sine miraculis, hoc unum
Tale est ut alia non sint centesimum.

Miseratio græcè οἰκτιρμός.ȣ.ὁ dicitur, & est versus seu effectus misericordiæ, qui est virtus, sec. Bea. Tho. super Psal.24.co.3. Dicitur à miseror aris, quod ita differt à misericors eris, quod misereri passiuum affectũ habet. Est enim corde anxium esse ex alicuius miseria. Miserari verò actiuum est, & verbis aut lachrymis, aut ope dolorem, quem ex alicuius miseria habemus ostẽdere. A misereor fit misericordia, quæ est ægritudo cordis, ex miseria alicuius iniustè laborantis suscepta: nam dolor ex parricidæ, aut proditoris, aut alterius scelerati supplicio susceptus, mollities quædam animi, non misericordia est. A miseris fit miseratio, quæ significatio misericordiæ, qua ex alicuius infœlicitate mouemur. Item à miserẽdo fit misericors, quia ex alicuius calamitate dolorem animo suscipit. A miserando miserator, qui opus aliquod misericordię exhibet, cuius miseretur. Itẽ misereor genitiuo vel datiuo iungitur. Ouidius. O virgo miserere mei. Misereor accusatiuo. Virgilius: Aut miseratus amantem est. Hæc omnia à miser veniũt.

Miseria græcè ἀθλιότης.ητος.ἡ.& ἄθλιος.ȣ.ὁ miser dicitur. Est autem miseria copia tribulationis, & inopia consolationis, quando multifariè quis patitur, & à nemine releuatur, secundum August. libro diffini.

Ecclesiastici cap.40.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.

August. libro de uerbis domini.

Qui nequiter vult viuere, nónne tanto miserior esse conuincitur, quanto facilius mala eius voluntas impletur?

August. de libero arbitrio.

Considera quantum potes, quàm magnum bonum sit ipsum esse quod & beati & miseri volunt. Nam si hoc bene consideraueris, vides intantum esse te miserum, inquantum non appropinquas, quod summum est.

Gregor. super Ezechielem.

Peccantes quosque tunc consideremus, amplius miseros, quando eos cõspicimus in culpa sua, sine flagello derelictos.

Boëtius lib.2.de Consol. prosa 4.

Quis est enim tam compositæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cũ status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum: & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudor pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus mallet esse ignotus. Ille vtroque circumfluus, vitam cœlibem deflet. Ille nuptijs fœlix, orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus filij filiæ ve delictis mœstus, illachrymat. Idcirco nemo facile cum fortunę suæ conditione concordat. Inest enim singulis quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat.

Innocentius de uilitate condtionis humanæ.

Quis ergo det oculis meis fontem lachrymarum, vt fleam miserabilem humanæ conditionis ingressum, culpabilem humanæ conuersationis progressum, damnabilem humanę dissolutionis egressum. Considerauerim igitur cum lachrymis de quo factus est homo, quid faciet homo, quid facturus sit homo. Sane formatus est homo de terra, conceptus in culpa, natus ad pœnam, agit praua quæ non licent, turpia quæ non decent, vana quæ non expediunt.

Seneca Tragœdia 2.

Proprium hoc miseros sequitur malum,
Nunquam rebus credere lætis,
Reddat felix fortuna licet:
Tamen afflictos, gaudere piget.

Seneca Tragœdia 3.

Miseros magis fortuna conciliat suis.

Idem Tragœdia 6.

Nec turpe puta, quicquid miseros fortuna iubet.

Seneca Tragœdia 7.

Miserias lenit quies.

Virg. Aeneid. lib. 12.

Forsan miseros meliora sequentur.

Lucanus Psarsaliæ lib. 3.

Et tantum miseris, irasci numina poßunt. Idem lib. 8.
Longi pœnas fortuna fauoris
Exigit à misero.

Ouidius epistola Briseidis ad Achillem.

An miseros tristis fortuna, tenaciter urget?

Ouidius de Ponto lib. 1. Elegia 4.

Siue ptum uis hoc, seu uis muliebre uocari,
Confiteor misero molle cor esse mihi.

Ouidius de Ponto.

Quia res timida est omnis miser.

Idem libro 4. Elegia 12.

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumq; fugit.

Ouidius Metamorph. libro 6.

Miserisq; uenit solertia rebus.

Iuuenalis Satyra 8.

Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus, & miseris: tollas licet omne quod usquam est
Auri atq; argenti, gladium, scutumq; relinques,
Et iacula, & galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modò proposui non est sententia, uerum
Credite me uobis folium recitare Sybillæ.

Misericordia græcè ἔλεος, εος, τὸ. & ἐλεήμων, ονος, ὁ. misericors dicimus. Est autem misericordia ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem, secun. Senecam libro. de Clementia.

Misericordia est tristitia in alienis malis, secundum Ioannem Damasc. lib. 2. cap. 24.

Misericordia est ægritudo ex tristitia alterius iniuria laborantis. Nemo enim patricidæ, aut proditoris supplicio, misericordia commouetur, secundum Cice. lib. Tuscu. quæst.

Misericordia est alienæ miseriæ, in nostro corde compassio, qua vtiq; si possumus, subuenire compellimur, secundum B. Augus. 9. de ciuitate Dei, & prima parte, q. 21. art. 3.

Misericors à cõpatiendo alienę miserię, vocabulum est sortitus, & hinc appellata est misericordia, quia miserum cor, facit aliena miseria, sec. Isid. li. Etym. Veteres etiam misero ꝑ misereor, & misereo ꝑ misereor dicebãt. Ennius: Miserete manus, date ferrũ, Quo me anima priuẽ. Miserabilis ita differt à miser, quod miser est in miseria constitutus, Miserabilis verò miseratione dignus. Ouid. Sisq; miser semper, ne sis miserabilis vlli. A misero verbo antiquo, fit miseresco, hoc est moueor misericordia. Virg. His lachrymis vitam damus, & miserescimus vltro. A misereor etiam venit cõmiseratio, quę est cũ vel aspectu alicuius, vel oratione, vel etiam cogitatiõe, adducimur, vt eius misereamur. A misericorde fit misericorditer, & misero misériter.

Misereor & miseror quomodo differant, vide supra in Miseratio.

Prouerb. cap. 20.

Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.

Prouerbiorum cap 29.

Rex enim iustus erigit terram suam.

Sapientiæ cap 11.

Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiã. Diligis enim omnia quę sunt, & nihil eorũ odisti quæ fecisti.

Matthæus in Euangelio cap. 5.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Matthæus cap. 9.

Euntes discite quid est misericordiam volo, & non sacrificium.

Ioannes 1. cap. 3.

Qui habuerit substantiã huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?

Amb. lib. de Offi. & habetur 23. q. 4. Est iniusta.

Est iniusta misericordia. Deniq; in lege scriptum est de quodã: Nõ misereberis illius. Et in lib. Reg. legitur, ꝙ Saul cõtraxit offensam, quia misertus est Achab, hostium regem, quem prohibuit diuina sententia seruari. Itaq; si quis latronem filijs deprecãtibus, motus, & lachrimis coniugis eius, inflexus, absoluendum putat: cui adhuc latrocinandi aspirat affectus, nónne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? Certe si gladium reprimit, vincula dissoluit, laxat exilium, cur latrocinandi qua potest clementiori via, nõ eripit facultatem, qui voluntatem extorquere nõ potuit?

Amb. libro de Offi. & habetur distin. 86. cap.

Est probanda.

Est probanda & alia liberalitas, vt ꝓximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas. Melius est enim vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptũ, deposcere, aut alicui postulare subsidium inusitatis.

Ambrosius ibidem cap. Pasce.

Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, fame occidisti.

Idem libro de Officijs.

Misericordia largior, vbi fides promptior. Nihil tam commendat Christianum, quàm miseratio charitatis.

Ibidem.

Vasa sacrorum vendere opus est, vbi quis fide syncera, & perspicaci prudentia, misericordiæ munus impleat. Sanè si aliquis in sua declinat emolumenta, crimen est: si verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est.

Idem super epistolam Pauli ad Timoth. 4.
Pietas ad omnia utilis est.

Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia, & pietate est, quam aliquis sequens, si lubricũ carnis patitur, sine dubio vapulabit.

Amb. in sermone Domini in dominica de Abraam, & habetur de pœni. dist. 1. cap. Medicina.

Medicina misericordiæ, tollit peccata magna, habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimimus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est dominus, sed tuipse venalis es peccatis tuis. Venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vtilis est pecunia, sed pretiosa est misericordia. Eleemosyna, inquit, à peccato liberat. Crimina ergo eleemosynis redimuntur.

Greg. Moral. lib. 28. parte 4. cap. 11. & hab. distinct. 45. Disciplina.

Disciplina vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur: sed circa subditos inesse debet rectoribus, & iustè cõsulens misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc est quod semiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & adhibetur vinũ & oleum, vt per vinum medeantur vulnera, per oleum foueantur, quatenus vnusquisq; qui in sanãdis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiẽ pietatis. Per vinum mundãtur putrida, per oleum sanãda fouentur. Miscenda est ergo lenitas cũ seueritate. Faciendũ est igitur quoddã ex vtroq; tẽperamentũ, vt neq; multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluantur.

Gregorius & habetur dist. 50. cap. Considerandum.

Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quòd nimirum magnè esse actũ pietatis dispensatione, cognoscimus, vt is qui futurus erat pastor Ecclesię, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaq; eum ostendit sibi, & tunc prępofuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quã misericorditer alienas infirmitates toleraret.

Ioannes Chrysost. super Matthæum.

Iustitia sine misericordia, nõ est iustitia, sed crudelitas. Sic misericordia sine iustitia, nõ est misericordia, sed fatuitas.

Idem super Matthæum.

Misericordia est, salutis præsidium, fidei ornamentum, propiciatio peccatorum. Hæc est quæ iustos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat.

Lactantius Firmianus lib 6. cap. 12.

Captiuorum etiam redemptio, magnũ atq; præclarum iustitiæ munus est, quod idem ipse Tullius approbauit. Itaq; hæc benignitas, inqt, etiam reipub. est vtilis, redimi à seruitute captiuos, locupletari tenuiores. Hanc ego cõsuetudinem benignitatis, largitioni munerum, lõgè antepono. Hæc est hominũ grauium, atq; magnorum. Proprium igitur iustorum opus est, alere pauperes, ac redimere captiuos, cùm apud iniustos etiã, si qui hęc faciant, graues, ac magni appellentur. His enim maximè laudis est benefacere, quos nemo sperauit esse facturos. Nã qui bonũ facit, vel cõsanguineo, vel proximo, vel amico, haud vllam vel certè nõ magnã laudem meretur, quia facere debet, sitq; impius, ac detestabilis nisi fecerit, id quod ab eo, & natura ipsa, & necessitudo exigit, & si facit, nõ tam gloriæ assequendę, q̃ reprehensionis vitãdæ gratia facit. Qui aũt facit alieno, & ignoto, is verò dignus est laude: quoniam vt faceret, sola ductus est humanitate. Ibi ergo iustitia est, vbi ad benefaciendum, necessitatis vinculũ nullum est.

Ibidem.

Non minus magnum iustitię opus est, pupillos & viduas destitutos, & auxilio indigentes tueri, atq; defendere, quòd adeò vniuersis diuina lex illa præscribit, quandoquidem boni quiq; iudices, ad officium suum iudicant pertinere, vt eos humanitate naturali foueant, ac eisdem prodesse nitantur.

Cicero Rheto. ueterum libro 2.

Eorum misereri oportet, qui propter fortunam, non propter crimen in miserijs sunt.

Cicero in Orat. pro Qu. Ligario.

Nulla de virtutibus plurimis, admirabilior nec gratior misericordia. Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibꝰ dando. Nihil habet fortuna maius, q̃ vt possit, nec natura melius, q̃ vt velit seruare.

Salustius in Catilinario.

Omnes homines qui de rebus dubijs cõsultant, ab odio, amicitia, ira, atq; misericordia, vacuos esse decet: nam animus haud facilè verum prouidet, vbi illa officiunt.

Valerius Maximus lib. 5.

Nã & si egregiũ est hostem abijcere, non minus tamen laudabile infelicibus scire misereri.

Phocylides.

πλαζόμενον τε βροτὸν καὶ ἀλίζοπον μήδ᾽ ὑπαλύξῃς.
βίλτερον ἀντ᾽ ἐχθροῦ τυχέειν φίλον εὐμενέοντος. id est.
Errantemq; mortalem, & naufragum, ne subterfugias,
Bonum est pro inimico, adipisci amicum beneuolum.

Ouidius lib. 2. de Ponto.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

Iuuenalis Satyra 8.

Miserere inopum sociorum.

Idem Saty. 15.

– Mollißima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
*Quæ lachrymas dedit, hæc nostri pars * optima sensus.* * alias ma-cima

Statius in Thebaide.

Pulchrum est uitam donare petenti.

Dancea

Dantes lib.2. cap.3.

Horribil furon li peccati mei,
Ma la bonta infinita ha si gran bracia,
Che prende cio che riuolge a lei. *id est.*

Horrenda fuerunt peccata mea:
Sed bonitas immensa, tam grandia habet brachia,
Vt apprehendant, quicquid reuoluitur ad ipsam.

De hac materia habes suprà in Amor proximi, Clementia, Eleemosyna & Liberalitas.

Missa græcè λειτȣργία.ας.ἡ. & λειτȣργέω ministro dicitur. A nobis verò missa dicitur, quasi transmissa, eo quia populis per ministerium sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur, inter Deum & homines, preces, vota, oblationes Deo transmittuntur, secundum Hugonem de sacramentis lib. 11.

Missa dicitur quasi transmissa, s. à populo, & econuerso. Vel dicitur ab emissione catechumenorum, & excommunicatorum, secundum B. Thomam 3. parte. q.83.

Mitis græcè πρᾶος.ȣ ὁ. & πραύνω mitigo dicitur. Is autem dicitur, qui semper fuit sine ira, scilicet pius & humilis. Mansuetus verò qui de feritate reducitur ad hoc, secundum B. Thomam super Psal. 24. co.6.

Mitis propriè dicitur lenis, clemens, mãsuetus. Cuius cõtrarium est immitis, hoc est asper, sæuus, crudelis. Hinc per metaphorã mitis pro tranquillo accipitur. Virgilius: Mitis vt in morem stagni, placidęq; paludis. Item pro maturo. Virgil. Sunt nobis mitia poma. A mitis fit mitesco, hoc est mansuesco: vt, Færę domi educatæ mitescunt. Interdum tranquillor. Apuleius: Conflacescunt fluctus, mare mitescit. Aliquãdo maturesco. Plinius: Reliquorum pomorum velocitas cito mitescentium, transuolat. Hinc mitigo, quasi mitem ago.

Mysterium à μύω quod est claudo dicitur. Et est mysterium idem quod sacramentum.

Mysteria propriè dicuntur ecclesiastica, siue diuina sacramenta, 1. q. 1. multi. ante medium.

Mitra quæ habet duo cornua, designat duo testamenta, scilicet Vetus & Nouum. Mitramq; habent Episcopi ad instar Moysi, qui reuersus fuit cornutus à monte vbi accepit legem Dei. Baculus pastoralis dicitur crossa. Annulus datur episcopis in signum matrimonij inter ipsos & Ecclesiam. Caligæ episcopales, qui compagus dicuntur, alio nomine scandalia nuncupantur. Vide infra in litera S Sandalia. glo. in ca. vt Apostolicę, de priui. lib.6. in ver. Pro intellectu.

Moderatio sapit diminutionem. glo. in Cle. præce. de iure patro. in ver. Moderationem.

Modestia qua moderamur alia, nõ moderanda per tẽperantiam, continentiã, clementiã, & mansuetudinem: & sunt quatuor, scil.

- *Interior motus animi, in alta tendentis, quẽ moderatur* — *Humilitas, Cui opponitur* *Superbia.*
- *Desiderium pertinentium ad cognitionem, quod moderatur* — *Studiositas, Cui opponitur* *Curiositas.*
- *Corporales motus & actiones, ut decenter fiant & modestè, tam in his quæ serio, quàm quæ ioco aguntur. Quos moderãtur tres uirtutes, s.*
  - *Bona ordinatio, qua discernitur quid faciendum, dimittendum & quo ordine, & in hoc firmiter persistere facit, Cuius oppositum* — *Innominatum.*
  - *Ornatus, quo in agendis decentia obseruatur. Cuius oppositum* — *Innominatum.*
  - *Austeritas, qua in colloquijs, & quibuscunq; alijs adhibetur moderatio. Cuius oppositum* — *Innominatum.*
  - *Secundum Andronicum Peripatet.* — *Eutrapelia secundum Aristot. quæ est modestia circa ludos, dicta uel facta iocosa, tribus obseruatis, B. Thomas, secunda secundæ, quæst. 168.*
    - *Primò, ut sint uerba uel facta non turpia, uel aliâs nociua.*
    - *Secundò, ut non soluatur totaliter grauitas animæ.*
    - *Tertiò, ut alia uerba uel facta ludicra congruant personis, locis, temporibus, et alijs circumstantijs.*
- *Exterior apparatus, ut in uestibus & huiusmodi, quem moderatur*
  - *Humilitas secundum Andronicum, quæ est habitus non superabundans in sumptibus & præparationibus, ut idem Andronicus dicit, quæ excludit gloriæ intentionem in exteriori cultu.*
  - *Per se sufficientia, quæ facit ut non quærantur delitiæ in superfluo cultu, & est habitus contentus, quibus oportet, & determinatiuus eorum, quæ ad uiuere conueniunt. Hæc à Macrobio Parcitas dicitur.*
  - *Simplicitas secundum eundem Andronicum, qua excluditur superflua solicitudo, unde dicit, quod est habitus contentus, his quæ contingunt. Hæc à Macrobio Moderatio uocatur.*

Modestia græcè σωφροσύνη. ης. ἡ. & σώφρων. ονος. ὁ. modestus dicitur. Est autem modestia in animo continens moderationem cupiditatum, secundum Cicer. lib. 3. Rhetor. nouorum. Modestia est, per quam pudor honestatis, claram & stabilem comparat authoritatem, sec. Ciceronem in Rhetor.

Modestia est scientia earum quę aguntur aut dicuntur collocandorum, secundum Ciceronem lib. 1. Officiorum.

Modestia est virtus moderatiua passionum. Ideò adiungitur temperantię vt virtuti principali, quia est circa difficillima, vt ex B. Thom. secunda secundæ q. 144.

Modestia à moderor, quòd modò cum accusatiuo, modo cum datiuo iungitur. Descendit hinc etiam moderatio, quæ sec. B. Tho. secunda secundę quæst. 157. art. 3. prouenit ex quadā dulcedine affectus, qua quis abhorret omne, quod potest alium contristare. Et ideò dicit Seneca, quod temperantia est quædam lenitas animi. Nam austeritas animi econtrariò, videtur esse in eo, qui non veretur alios cōtristare. Cic. Temperantē græci σώφρονα vocant, eamq́; virtutem σωφροσύνην, quam soleo equidē tum temperantiam, tum moderationem appellare. Nonnunquàm etiam modestiam. A moderor fit moderator, hoc est rector & gubernator. Moderor autem à modus venit.

Ecclesiastici cap. 19.

Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de eo.

Paulus ad Philip. 4.

Modestia vestra nota sit omnib⁹ hominibus.

Ambrosius Officiorum lib. 1. cap. 18.

Est in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis, in corporis statu cognoscitur: hinc homo cordis nostri abscōditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contrà grauior & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaq; vox quædam est animi corporis motus.

Ibidem.

Est gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, grauitatisq́; pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen vt studium desit, atq; affectio, sed motus tibi sit purus ac simplex.

Ibidem.

Sicut molliculum & infractum, aut vocis sonum, aut corporis gestum nō probo, ita neq; agrestem, neq; rusticā naturā imitemur. Effigies enim forma disciplinæ, forma honestatis est.

Ibidem.

Hoc est pulchritudinem viuendi tenere, cōuenientia, cuiq; sexui & personæ reddere: hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnē actionem commodus.

Ibidem.

Motum natura informet. Si quid sanè in natura vitij est, industria emendet.

Ibidem lib. 3.

Sermones proferamus libra iustitiæ examinatos, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atq; in verbis modus, tēperantia cordis habeat animi munditiam, iustitia misericordiam, prudentia pacem, fortitudo mansuetudinem.

Cicero Officiorum lib. 3.

Nihil turpe faciendum bono viro, etiamsi ex omni parte lateat.

Cicero Rhetor. nouorum lib. 3.

Modestiæ partibus vtimur, si nimias libidines, honoris, pecunię, similiūq́; rerū, vituperabimus, si vnamquamq; rem certæ naturę termino diffiniemus, si quoad cuiq; satis sit ostendemus, & si nimium progredi dissuadebimus, & modum vnicuiq; rei statuemus.

Cicero de finibus bonorum & malor.

Honestum igitur id intelligimus, quod tale est, vt detracta omni vtilitate, vllis prę mijs fructibusq́; per seipsum possit iure laudari, quod malè sit, non tam diffinitione qua sum vsus, intelligi potest (quanquàm aliquantum potest) quàm communi omnium iudicio, & optimi cuiusq; studijs, atq; factis. Qui permulta ob eā causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, & si nullum consecuturum emolumentum vident.

Idem lib. 2. de finibus bonorum & mal.

Vt enim consuetudo loquitur, id solùm dicitur honestū, ꝙ est populari fama gloriosum.

Ibidem.

Non potest iucundè viui nisi honestè.

Idem lib. Officiorum.

Si verò inest in oratione modestia, & grauitas, nihil admirabilius fieri potest, eoq́; magis, ea si sunt in adolescente.

Iulius Cæsar libro 7.

Non minus in milite modestia, quàm virtus atq; animi magnitudo desideranda est.

Laërtius Diog. de Vita & moribus Philosophorum.

Loquentē, nō mouere manū Chilo volebat.

Francis. Petrar. de uita solit. lib. 1. cap. 2.

Cōstat enim animi virtutes præcipueq́; modestiam sanitati multū cōferre, corpore, & frequenter qui plus corpori seruiunt, plus obesse.

Menander.

ταμεῖον ἀρετῆς ἐστὶ σωφροσύνη μόνη. id est.

Promptuarium uirtutis est modestia sola.

Euripides in Medea.

Στέργοι δέ με σωφροσύνα,
δώρημα κάλλιστον θεῶν. id est.

Amet autem me modestia,
Donum pulcherrimum deorum.

Idem in Hippolyto.

Φεῦ φεῦ, τὸ σῶφρον ὡς ἁπανταχοῦ καλὸν,
καὶ δόξαν ἐσθλὴν ἐν βροτοῖς κομίζεται. id est. Heu

Heu heu modestia, quomodo ubiq; pulchrum quid,
Et gloriam bonam inter mortales affert.

Mœchia græca dictio est, μοιχεία.ας.ἡ. & adulteriũ significat, & μοιχός.οῦ.ὁ. mœchus dicitur, & idẽ est quod adulter. Hinc mœchor verbũ, hoc est, adulterium committo. De hac materia vide suprà in Adulterium.

Mollities græcè ἁπαλότης.ητος.ἡ. & ἁπαλός.οῦ.ὁ. mollis dicitur. Est autem molle ꝙ cedit in seipsum secundum superficiem, non econtrà circunstando, secundum Aristot. lib. 4. Meteoro.

Mollities opponitur perseuerantiæ. Est enim mollis qui recedit à bono, ꝓpter tristitias causatas ex defectu electionum, quasi cedẽs debili mouenti, secundum Aristo. lib. 7. Ethico.

Mollicies est etiam contra castitatem, quæ alio nomine dicitur immunditia seu voluntaria pollutio. De qua vide suprà in Luxuria.

Molle iunctum cum homine, modo laudem significat: modo vituperationem. Laudem, vt molle ingenium, quod facile discit, facileq; insculpitur. Vituperationem, vt mollis homo, id est, effœminatus, non seuerus, non fortis, non animi constantis resistentisq; fortunæ. Per metaphoram autem, quoniam ea quæ tenera sunt, pro voluntate nostra facile tractamus, & quocunq; libet ducimus, mollem aliquando pro domito ponimus. Virgilius, Belgica vel molli melius feret esseda collo. Vel pro facili, pro maturo, pro oportuno, ac tempestiuo, pro remisso & contẽnẽdo, pro placido. Hinc fiũt mollities, mollesco, mollifico, mollefacio, & mulceo, ꝙ est delinio, quasi molliceo, vnde demulceo, & malleus, quasi molleus, ꝙ ea quę dura sunt, molliũtur ad ignem, vt malleis flagellentur. Cuius diminutiuũ malleolus, ꝙ modo paruũ malleũ, modò nouellum palmitem innatum prioris anni flagello cognominatũ ab ipsius mallei similitudine, quia ex ea parte qua deciditur, ex veteri sarmento prodiens, vtrinq; malleoli speciem prębet. Hinc etiã mulier quasi mollier dicitur. De qua in dictione Fœmina, & infrà in Mulier dicemus.

Momentum græcè ῥοπή.ῆς.ἡ. vel ἄτομον.ου.τὸ dicitur. Sumiturq; dupliciter, pro instanti, & ꝓ tempore imperceptibili, secundum B. Thom. super epistolam Corint. 1. cap. 15. lec. 9. co. 1.

Momentum proprie significat exiguam quãdam mutationem, & penè indiuisibilem. Veteres hoc etiam Momen dicebant: Lucretius Momine si à paruo possunt impulsa moueri. Capitur nonnunquam pro quocunque minimo. Plin. Comitialibus morbis Oesypum cum myrrhæ momento prodest. Hinc momentaneum, hoc est caducum, & quod facile mutatur ac deficit. Deriuatur autem à moueo, vnde & mobilis, qui facile mouetur, mobilitas, mobiliter & morio.

Monachus græca dictio est, μοναχός.οῦ.ὁ. & solitarium significat, diciturq; à μόνος.ου.ὁ. solus, & est is qui viuit separatus ab hominum conuersatione. A monos pariter venit monarcha μονάρχης.ου.ὁ. i. vnicus princeps, à μόνος. & ἄρχος. princeps. Ita & monarchia, hoc est vnicus principatus. Item monomachia, quæ est singulare certamen, à μόνος. solus, & μάχη.ης.ἡ. pugna. Ex his cõponitur μονομαχία.ας.ἡ. & μονομαχός.οῦ.ὁ. gladiator.

Augustinus ad Aurelianum, & habetur 16. q. 1 legi. §. Nimis.

Nimis dolendum est, si tam ad ruinosam superbiam, monachos subegerimus, & tam graui cõtumelia, clericos dignos putamus, in quorũ numero sumus, cùm aliquando bonus etiã monachus, vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens cõtinentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.

Hieronymus ad Eustochium.

Quoties ego ipse in eremo constitutus, in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebã solus, quia amaritudine repletus eram, horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis, sitũ Aethiopicę carnis obduxerat: Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus. Et si quando repugnantem me somnus imminens oppresisset, nuda humo, vix ossa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cùm etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego qui ob gehẽnæ metum tali me carcere damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, mensq; desiderijs æstuabat, & in frigido corpore & ante hominem suum iam carne prǽmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaq; omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem *edomabam, inædiæ subijciebam. Non depudesco infidelitatis meæ, quin potius plango me nõ esse quod fuerim. Memini me clamãtem, diem crebrò iunxisse cũ nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam à domino rediret, increpante, tranquillitas. Ipsamq; cellulã meam, quasi cogitationũ consciam, pertimescebam, & mihi iratus, sola deserta penetrabã. Sicubi concaua valliũ, aspera montiũ, rupium prærupta cernebam, me ibi in oratione locabam, & (vt testis est mihi Deus) post multas lachrymas, post cœlo oculos inhærentes, nonnunquam videbar agminibus interesse angelorum.

*aliâs hebdomadarũ inædia subiugabam.

Hiero. ad Ripariũ. & Deside. & hab. 16. q. 1. Monachus.

Monachus non docentis, sed plangẽtis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & domini pauidus præstoletur aduentum.

Idem ad Paulinum.

Laudatur iure monachus, qui venerationi habet sacerdotes, & non detrahit gradui, per quã factus est Christianus.

Idem ad Rusticum.

Tu si monachus esse vis, non videri, habeto curã, nõ rei familiaris, cui renuntiando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ: monachum non loquẽdo & discurrendo, sed tacẽdo & sedendo quisque nouerit. Ibidem.

Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absq; opere & labore suscipiãt, non tam propter victus necessaria, q̃ propter aĩę salutẽ, ne vagetur cogitationib. perniciosis.

Idem ad Heliodorum.

Constat monachum in sua patria perfectum esse non posse. Ibidem.

Quid facit monachus in cellis fœminarum? quid sibi volunt priuata & sola colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet.

Idem in epistola ad Pammachium.

Prima virtus monachi est contẽnere hominũ iudicia, & semper apostoli recordari dicentis: Si hominib' placerem, Christi seruus nõ essem.

Ioannes Crysost. super Ioannem.

Ioannes est princeps monachorum. Ipse monachus statim vt natus est, in eremum iuit, in eremo nutritur, Christũ expectat in solitudine.

Idem super epistola ad Hebræos.

Qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui debes lugere, rides? Dic mihi vbi Christus hoc fecit? Audisti hoc alicubi? nusquam, sed cõtristatum sæpius legisti.

Isidorus de summo bono lib. 1.

Summa monachi virtus humilitas, summum vitium eius superbia est. Ibidem.

Tunc autem se monachus quisque iudicet, quando se minimum æstimauerit, etiam cùm maiora virtutum opera gesserit. Ibidem.

Multi monachorum amore parentum non solùm terrenis curis, sed etiam forensibus iurgijs inuoluti sunt, & pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt.

Bernardus super Cantica, sermo. 3.

Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus, stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aquam eæ penitus complexioni non congruũt. Quale est hoc, vt in omnibus fluuijs, agris, hortis, cellarijs reperiri vix possit quod comedas. Puta te quæso monachum esse, nõ medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione.

Hugo de claustro animæ libro 1.

Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed vtinam claustra facerent, quibus homo interior ordinatè teneret.

Ibidem.

In choro sunt corpore, & alio negotio mente. Nunc intus maneo, nunc foris exeo, aliud canto, & aliud cogito. Psalmodiæ verba ꝓfero, & psalmodiæ sensum non attendo, sed mente vagus huc, & illuc ꝓspiciens, quęcunq; ibi gerunt perlustro & perspicio, habitũ monachi, non cõuersationem habẽs, in magna corona, & ampla cuculla, salua mihi omnia existimo.

Idem libro 5.

Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamãtibus asiduè interesse delectaris? Tu semper ieiunijs, & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris? Simplicitas monachi philosophia eius. Sed docere, inquis, alios volo. Non est tuum docere, sed plangere. Si tamẽ doctor esse desideras, audi quid facias. Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas cõuersationis tuæ docere habent alios.

AMANTIVS.

Homerus 2. Iliad.

Οὐχ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς. Id est.

Non bonum est multorum dominium, sit dominus Vnus, & unus rex.

Eobanus sic uertit.

Nec multos regnare bonum, rex unicus esto,
Vnius imperium, cui Iuppiter aurea magnus
Sceptra dedit, iußitq; suis dare iura tuendis.

Erasmus sic uertit.

Multos imperitare malum est: rex unicus esto.

Prouerbium.

Multitudo imperatorũ Cariam perdidit. Id est: Multi duces deperdidêre Cariam. Admonet Senarius nihil esse perniciosius licentia multitudinis, dum nulli paretur, sed ꝓ sua quisque libidine rem gerit.

Isocrates in Nicocle.

Oligarchiæ & Democratiæ ciuibus in repub. æqualitatem comparãt, & hoc in ipsarum statu egregium est, si alter præ altero in nulla re polleat, quod ex vsu est improbis. Monarchię verò plurimum tribuunt optimo, deinde secundo, quod post primũ est, deinde tertio ac quarto, ac reliquis eadem ratione pro meritis cuique. Atq; hæc, etsi non vbiq; ita se habeant, intentio tamen reipub. talis est. Ibidem.

Atqui si hominum inspicienda sunt ingenia & actiones, omnes potiùs adprobabunt tyrannides. Quis verò rectè sapiens non malit in huiusmodi repub. degere, in quo cuiusq; virtus elucescit, potiùs quàm agere in media plebe, & qualisnam sit non cognosci? quin etiam tantò faciliorem nõ immeritò ipsam iudicauerimus, quantò facilius est animum suum vnius viri instituto accommodare, quàm multis varijsque opinionibus placere conari.

Qui

Qui magiſtratus per vices annorum ſubeūt, prius fiunt iterum priuati, quàm reipublicę negocia cognoſcant, eorumq́; ſibi experientiam comparent: Qui verò ſemper iiſdem officijs fungūtur, licet ingenij fuerint inferioris, experientia tamen vſuq́; rerum longè cæteris præferendi ſunt. Adhæc populus multa negligit, dum alter reſpicit alterum, illi verò nihil per negligentiam delinquūt, cùm per ipſos omnia fieri oportere ſciant. Item qui paucorum, aut populari verſantur imperio, propter cōtentiones priuatas, reipublicæ damnum inferunt; qui verò in monarchia viuunt, quia non eſt cui inuideant, omnia quàm fieri poteſt optimè agūt. Præterea populus maleuolentia mutuò laborat, & optarent ſinguli, vt & qui ante ſe rempublicam geſſerunt, & qui in præſentia gerunt, peſsimè ciuitatem gubernaſſent, vt eò maior in ſe gloria redundaret: monarchæ autē cùm per omnem vitam domini ſint rerum, perpetuam beneuolentiam retinent. Cæterùm hoc maximum, quod vulgus applicat animum ad publica, tanquàm aliena, monarchæ tanquàm ꝓpria. Et in rebuſpublicis cōſiliarij adhibentur, illic quidem ciuium audaciſsimi, hîc verò ex omnibus delecti ſapientiſsimi, & vulgus illos maximè colit, qui in turba oratione valent: monarchæ autem in rebus agendis reuera doctos. Nō modo autē in vulgaribus & quotidianis rebus monarchiæ præcellunt, ſed etiam militiæ commoditates omnes potiores habent; eſt enim facultas, tum ad apparatum, tum ad vſum illarum ſiue latentem, ſiue manifeſtum; item ad perſuadendum nonnullis, alios cogendum, alios precio, alios alijs obſequijs alliciendum, plus monarchiæ quàm cæteræ reſpub. poſsint. Et hæc non minus quiſpiam ex ipſis factis, & euentu, quàm verbis adductus crediderit.

Ibidem.

Μὴ μόνον δὲ τὰς φύσεις αὐτὰς νομίζετε τοὺς χαλεποὺς, ἢ πράους εἶναι τοὺς τυράννους, ἀλλὰ καὶ τὸν τρόπον τῶν πολιτῶν: πολλοὶ γὰρ ἤδη διὰ τὴν κακίαν τὴν τῶν ἀρχομένων τραχύτερον ἢ κατὰ τὴν αὐτῶν γνώμην ἐναγκάσθησαν, id eſt.

Non ſolùm conſiderandum eſt ingenium tyrannorum cur benigni, aut difficiles ſint, ſed ciuium quoq; mores, multi enim hactenus propter malitiam ſubditorum aſperiores ſe dare, quàm pro ingenio ſuo coacti ſunt.

ὅτι κάλλιστον ἡ μοναρχία, id eſt.

Nihil melius monarchia.

De monarchia & eius ſpeciebus vide Volaterranū lib. 36. Philologiæ, in tit. de Politicis.

Democritus.

Φύσει τὸ ἄρχειν οἰκήιον τῷ κρέσσονι, id eſt.

Imperare natura proprium eſt præſtantiori.

Seruius in Aponemoneumatibus.

Quum Lydis Cræſus imperaret, fratrem in conſortium imperij aſſumpſit: Tum quidam ex Lydis accedens dixit: Omnium in terra bonorum, ô rex, author eſt ſol, neq; quicquàm extaret in terra ſole non illuſtrante: at ſi gemini ſoles forent, periculum immineret ne omnia conflagrantia peſſum irent: ita & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & ſeruatorem eſſe credunt: duos verò ſimul tolerare non poſſent.

Criſpinus contra Dionyſium.

ὅτι βασιλέως μὲν καὶ τὸ βλέμμα ἀρκεῖ μόνον, κ' ἂν ἴδῃ μόνον τὸ ἀληθὲς βεβασάνισται, id eſt.

Quoniam regis vel ſolus aſpectus ſatis eſt, etſi tantùm fuerit intuitus, explorata eſt veritas.

Ecphantes de regno.

Homines in terra tanquàm in exilio ſunt, & eſſentia puriori multum inferiores, plurima terra grauantur, adeò vt à parente ſua ægrè extollantur, niſi quis diuinior flatus, miſerū hoc animal meliori parti coniungat, ſacrum genitoris aſpectum monſtrans, qui à nomine conſpici poteſt. In terra quidem & apud nos optimum ſanè ingenium præ cæteris animantibus homini datum eſt. Diuinior autem inter homines rex eſt, vt qui multum ſuprà communem naturam emineat: corpore reliquis non diſsimilis, vtpotè natus ex eadem materia, ſed ab optimo artifice factus, qui fabricauit ipſum, archetypo ex ſeſe ſumpto. Vtinam fieret, vt humana natura nulla perſuaſione egeret: reliquiæ enim terreſtris malitiæ, quæ animal efficiunt mortale, cauſa ſunt, vt ſine ipſa degere nequeat: ſi quis verò animo fuerit præ alijs diuinior, ille nulla in re perſuaſione opus habebit.

Plato in epiſtola ad familiares Didonis.

Ego perſonam arbitri mihi aſſumens, quemadmodum iam diu conſueui, vtriſque, & ei qui tyrannidem gerit, & qui patitur, conſulam: & in primis cuiuis tyranno cōſuluerim, vt nomē iſtud, remque ipſam declinet, ac in regnum, ſi fieri poteſt, conuertat. Poteſt autem fieri, ſicut re ipſa oſtendit ſapiens, bonusq́; vir Lycurgus: qui cùm videret genus proprium in Argo & Meſſena, ex regno in tyrannidem eſſe tranſlatum, & vtroſq; cùm ſeipſos, tum ciuitates ſuas perdere: metuens ciuitati ſuæ, & generi, remedium ſalubre, imperio regio adhibuit ſenatū, & ephororum principatum in regni ſalutem: itaq; per tot iam ſecula durat cum inſigni gloria, quandoquidem dominus & rex effecta eſt hominum, nō autem homines tyranni legūm.

Herodotus lib. 3. Hiſtoriarum.

Oſtanes hortabatur, rem Perſicam in mediū conſtitui. Mihi verò quæ Megabyzus dixit, quatenus ad ſtatum popularem pertinēt, rectè dicta videntur: quatenus ad ſtatum paucorum, nō rectè. Propoſitis enim tribus ſtatibus, & his omnibus optimis, vt optimè imperet populus,

optimè pauci, optimè vnus: inter hæc multum antecellere vnius imperium sentio: nam vnius viri, qui optimus sit, imperio nihil melius esse constat: qui enim huiusmodi fuerit ingenio, plebem poterit sine omni reprehensione moderari, vt taceam, sic præcipuè consilia in aduersarios trahi solere. Porrò in statu paucorum, cũ plures virtuti incumbant, vehementiora priuatim odia excitari cõsueuerunt. Cùm enim quisque princeps esse optet, & in dicenda sententia vincere, ad ingentia inter se odia euadunt, ex quibus seditiones existunt, è seditionibus cædes, è cædibus ad vnius imperiũ deuenitur. Vnde intelligi datur, quanto sit hoc illo præstantius. Iam verò plebe imperante, abesse non potest, quin malitia exerceatur: exorta malitia in republica, inter malos non odia fiunt, sed amicitiæ validæ. Qui enim aduersus rempub. facinorosi sunt, mutuò se occultant, idq; tam diu fit, dum aliquis populo præpositus, tales homines compescat, is videlicet, quem populus inter cæteros admiretur. Hic cùm admirationi est, tũ verè monarchus ostenditur, declarans in hoc monarchum esse omnium præstantissimum: atque vt in summa omnia colligam, vnde nobis libertas extitit, & à quo data? à populó ne, an ab Oligarchia, an à Monarcho: ego sentio, cùm sitis per vnam virum liberati, vos debere talem rem complecti: cùm dictam ob causam, tum ne patrias leges benè conditas, dissoluatis, quod nequaquàm satius est.

Plato in Politicis.

Nulla verò ars alia de hoc contendit, quasi sit totius humanæ cõmunionis curatio maior, minorq; quàm regia. Rectè loqueris, post hæc nunquid aduertimus Socrates, quàm grauiter circa finem deliquimus? Vbi delictum dicis? In hoc inquàm, quòd etsi artem quampiam bipedis gregis nutricem esse putauimus, non tamen illico regiam illam atque ciuilem, tanquàm absolutam appellare debuimus. Cur non? Primò quidem oportebat, quod dicebamus, nomen ad curam magis, quàm ad nutritionem accommodare, posteá curam diuidere, nam diuisiões non paruas suscipit. Quas? In diuinum pastoré, & humanum curatorem: Scitè. Curationé item humanã in duo. Quę? In eam quæ inuitis, & eam quæ volentibus imperatur. Quid ergo? In hoc sanè peccantes ineptius quàm decebat regem, tyrannumq; in idem conduximus, cùm & ipsi inter se dissimilimi sint, & gubernandi modus longè diuersus: Vera refers.

OLIGARCHIA PRAEFERTVR
Democratiæ.

Thucydides lib.6.in concione Alcibiadis.

Ἐγὼ δέ φημι, πρῶτα μὲν δῆμον ξύμπαν ὠνομάσθαι, ὀλιγαρχίαν δὲ μέρος, ἔπειτα φύλακας μὲν ἀρίστους εἶναι χρημάτων τοὺς πλουσίους, βουλεῦσαι δ' ἂν βέλτιστα τοὺς ξυνετοὺς κρῖναι δ' ἂν ἀκούσαντας ἄριστα τοὺς πολλοὺς καὶ τὰ ταῦτα ὁμοίως καὶ κατὰ μέρη καὶ ξύμπαντα ἐν δημοκρατίᾳ ἰσομοιρεῖν: ὀλιγαρχία δὲ τῶν δὲ ἀφελίμων οὐ πλεονεκτεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ σύμπαν ἀφελομένη ἔχει, Id est.

Ego verò primùm respondeo, popularis status nomine, intelligi omnem ciuitatem: paucorum verò, partem ciuitatis. Deinde custodes quidem pecuniarum optimos esse, locupletes: ad consulendum autem præclarissimè, eos, qui pollent intelligentia: cæteros verò, nempe vulgus, postquàm audierit res optimè iudicari, & hæc item siue per partes, siue per vniuersum æqualiter distribui in Democratia. At paucorũ status pericula quidem populo impartit, commodorum autem non modò plus, verùm etiam totum sibi vendicat, erepta ab alijs sua portione.

Plato in 8. Politicorum.

An igitur, vt priùs magistratuum mores & instituta spectauimus, quàm priuatorũ, quod id euidentius esset: sic hoc tempore primũ respublica ea proponenda est nobis, quæ cupiditate gloriæ, & honoris ducitur: Nomine enim non possum alio eam appellare, quàm census potestatis: tum virum eius reipublicæ considerabimus: deinde paucorum potestatem, & virũ ei reipublicæ idoneum: tum inspecto populari ciuitatis genere, virum popularem spectabimus: Postremo ad ciuitatem, quæ tyranni dominatu tenetur, veniemus: eaq; cognita, rursus tyrannum considerabimus. Ita dabimus operá, vt idonei simus earum rerum iudices, de quibus instituimus dicere.

Aristoteles lib. 4. cap. 9. Politicorum.

Sunt pręterea duæ reipublicę, pręter populi paucorumq; potestatem, quarum alteram & omnes nominant, & nos appellauimus vnum ex quatuor generibus reipublicæ. Appellant autem quatuor, regiam potestatem, paucorum, populi, & optimorum. Quinta est ea, quæ communi omnium nomine appellatur, rempublicam enim vocant: sed quia rarò existit, non est eis cognita, qui numerum rerumpub. tradere conantur, cùm quatuor tantummodo vtuntur, vt facit Plato in Politia.

Isocrates pulchrè comparat oligarchiam cum Democratia: vbi & recenset incommoda Oligarchiæ, ac præfert Democratiam in Areopagitico. Democratia per Theseum Athenis. Isocrates in encomio Helenæ.

Xenophon lib. 2. rerum Græcarum.

Xenophon scribit, pręsidente Athenis Pythodoro Oligarchia Athenis cõstituta est, sed vt 30. viri eligerentur, qui conscriberent leges, secundum

NANVS. dum quas respublica regeretur.

Monstrum græcè τέρας.ατος.τὸ & τερατώδης.εος ὁ.ἡ monstrosus dicitur. Differunt autẽ sic, monstrum, prodigium, portentũ, ostensum. Quod monstra propriè sunt, quę contra naturã fiunt, vt si homo cum bruti capite pedibúsue nascat. Hæc & promonstra aliquando dicuntur, quasi porro aliquid monstrantia siue monentia. Portenta quæ licet naturalia sint, rarò tamen se ostendunt, & futurum aliquid, cum temporis interuallo denuntiant. Ostenta vero quæ statim futurum aliquid indicant, vt sunt sereno die facta tonitrua, cometæ, mulæ partus, & huiusmodi. Prodigia, quæ & si naturaliter fiunt, ac sæpe eueniunt, semper tamẽ aliquid præsagiunt mali. Quapropter prodigium, quidam dictum volunt, quasi porro agendum. Tales sunt bubonis eiulatus, abeũti obuiam mustela, corui cantus, & similia. Hæc tamen sæpe confunduntur ab autoribus. Et pro eodem significato omnia capiuntur pro eo quod futurum aliquid ostendunt dicta sunt.

Monstrum à monstrando, quasi monestrum, quod moneat aliquid futurum. Prodigiũ quasi prædicium, quod prędicat, vel à porro agendo. Portentum quod portendat. Ostentum quod ostendat.

Monumentum gręcè μνημεῖον.ου.τὸ. vel μνῆμα. ατος.τὸ dicitur. Est autem monumentum quicquid mortui causa ędificatum est, vel quicquid ad memoriam alicuius est factum. Vnde sepultura & statuæ, tituli, libri, cæteraq; quæ nos rei alicuius pręteritę moneant. monumẽta dicunt à monendo. Virgil. Accipe, & hæc manum tibi quæ monumenta mearum, Sint puer. Metaphoricôs etiam monumenta, aliquando dicuntur meretricum cellulæ, quasi sepulchra sint. Martialis. Abscondunt spurcas & monumenta lupas. Munimentum verò ἀσφάλισμα. ατος.τὸ. & ἀσφαλίζω munio dicitur. Est autem munimentum idem quod munitio, cùm s. castra, oppida, turres, castella aliáue huiusmodi contra aduentum hostium muniuntur, siue vallo, siue fossa, seu aliquo quouis modo. Et à munio dicitur munimentum & munitio.

Morbus græcè νόσος.ου.ὁ. & νοσώδης.εος.ὁ.ἡ. morbosus dicitur. Est autem morbus, habitus cuiusque corporis contra naturam, qui vsum facit deteriorem. Ita dicit Cæcilius Sabinus in libro quem de edicto ędilium curulium composuit, Labeonem iurisc õsultum diffiniuisse, ex Aulo Gellio lib. 4. cap. 2. noc. Atticarum.

Morbus & vitium ita differunt, quod morbꝰ cum accessu discessuq; est, vt febris, insania, quę à Græcis phrænesis dicitur. Vitium verò est, vt cæcitas, claudicatio, vecordia.

Instituta. Consuetudo. Ritus gentium & regionum.

Morositas est animi quædam displicentia, cura iugi, & subrustica asperitate commota: quando non ita ad vnguem & ex eius sententia actum est, quod postulabatur. AMANTIVS.

Morosi, qui sunt peruersis moribus. Curiosi qui nimis exactè omnia fieri exposcunt.

Porphyrius.

Ille est morosus, qui multorum morum inter se contrariorum est: vnde senectus morosa autor Seneca: quando res penè nulla animo hominis cuncta fastidientis satisfacit, ea propriè morositas est.

Cicero lib. 1. de Oratore.

Vsqueadeò morosi sumus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.

Theophrastus in characteribus.

Morositas in congressu & consuetudine difficultas, aut rusticitas definiri potest, id est: ἡ δὴ αὐθάδεια ἐστὶ ἀπήνεια ὁμιλίας ἐν λόγοις.

ὁ δ' αὐθάδης τοιοῦτός τις, οἷος ἐρωτηθεὶς ὁ δεῖνα ποῦ ἐστὶν εἰπεῖν, πράγματά μοι μὴ πάρεχε καὶ προσαγορευθεὶς μὴ προσαντειπεῖν, id est.

Morosum eum iure quis appellat, qui quo aliquis in loco sit rogatus, ne pergas, inquit, mihi molestus esse: ac ab aliquo salutatus, haud dignum existimat, contrà resalutare: & cum res sibi aliqua venalis sit, ementibus quanti vendat nunquàm eloquitur, sed quid illi daturi sint, rogat: & ijs, qui honoris gratia aliquid celebritatis admittunt, ait, minimè fore, vt exhibeantur: nec verò quenquam vel inuitè impellentẽ aut vrgentem, aut pede prementum, venia dignum putet: iubente amico symbolum conferri, hoc etiam argentum sibi perire conqueritur: si in via pedem offenderit, execratur lapidem: nec ferre potest, vt quempiam diutius opperiatur: idem neque cantu, neque sermonibus, neq; saltatiõe oblectatur: nec, vt dijs vota faciat, aut supplicet, facilè adduci potest.

Aristoteles. 2. Ethicorum libro.

Sed cùm duo sint virtutum genera, alterũ earum, quas in ratione esse dicimus, alterum earũ, quas morales & voluntarias: Rationis quidem, magna ex parte à doctrina ortum accessionemque habent: itaq; & exercitationis indigent, & temporis.

Morales & voluntariæ moribus, à quibus nomen duxerunt, quod paululum à consuetudine deflexit, omnino comparantur. Ex quo perspicuum est, nullam omnino moralium virtutum ingenerari nobis natura: nihil enim quod insitum & innatum est, aliter atque est assuescit: vt lapis, qui suapte sponte deorsum fertur, nũquã in sublime ferri assuescet, ne si millies quidem eum quis sursum, vt consuefaciat, emittat: eodemq; modo, nec ignis deorsum, nec aliud quicquàm aliter, atque ipsius natura ferat, potest assuescere. Non igitur à natura, neq; contra natu-

naturam nobis insunt virtutes, sed nati factiq; sumus ad eas & percipiendas natura, & efficiendas consuetudine. Iam verò quæ nobis à natura tributa sunt, eorum primùm facultates accipimus, deinde officijs muneribusq; fungimur.

Seneca in Agamemnonem.

Sera nunquàm est ad bonos mores uia.
Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.

Ouidius ultimo de arte Amandi.

Maius opus, mores composuisse suos.

Senarij Græci Iambi.

ἐλεύθερον φύλασσε τὸν σαυτοῦ τρόπον, id est.
Ingenuos serua tuos ipse mores.
καλὸν φύουσι καρπὸν οἱ σεμνοὶ τρόποι, καρπὸς δ' ἀγαθός ἐστιν εὔτακτος βίος, id est,
Bonum progerminant fructum probi castiq; mores.
Fructus autem bonus est, benè composita uita.

Aristoteles lib.7. Ethicorum.

Eorum, quæ in moribus fugienda sunt, tria esse genera dicit: vitiositatem, impotentiam, & feritatem: quorum perspicuũ est, quæ sint duorum contraria, alterum enim virtutem, continentiam alterum vocamus.

Idem lib 4. Ethicorum.

Qui nec facetum quid dicunt ipsi, & tamen eos, qui dicunt, ipsi permolestè ferunt, agrestes & duri videntur. At verò, qui salibus & facetijs modum quendam adhibent, ij vrbani nominãtur, quasi vrbanis moribus præditi: morum enim hæ sunt indices, motiones: vt enim corpora, sic mores ex motionibus iudicantur.

Mores innati, acquisiti.

Interpres Galeni mores bifariam partitur: alios innatos vocat, alios acquisitos. Innati mores sunt, ex complexione siue constitutione naturali: acquisiti parantur & doctrina & consuetudine. Vnde illud Menandri: corrumpunt bonos mores colloqia praua, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Paulus in epistola. 1. ad Corin. ca. 15.

Augustus in Tyberio, Vitia illa naturæ esse, non animi, ostendit.

Amantes morosi: Cicero lib. 7. epistolarum familiarum ad Trebatium.

Quàm sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest: molestè ferebam antea te inuitũ istic esse, pungit me rursus, quod scribis esse te istic libenter: neq; enim mea commendatione te non delectari facilè patiebar, & nunc angor, quicquam tibi sine me esse iucundum.

Cicero.

Mores dispares disparia studia sequuntur.

Idem in oratione pro Cœlio.

Mores cum ætate mutantur.

Idem in oratione 16. contra Rullum in fine, Tomo 2.

Non ingeneratur mores, tam à stirpe generis ac seminis, quàm ex ijs rebus, quæ ab ipsa natura bonis à vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & viuimus. Carthaginẽses fraudulenti & mendaces, non genere, sed natura loci: quòd propter partus suos multis & varijs mercatorũ sermonibus, ad studium fallendi studio quæstus vocabantur. Ligures mõtani, duri atq; agrestes. Docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore quæsitũ. Cãpani semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, vrbis salubritate, descriptiõe, pulchritudine. Ex hac copia, atq; omniũ rerum affluentia, primùm illa nata sunt: arrogantia, quæ à maioribus nostris alterum Capua consulem postulauit: deinde ea luxuries, quæ ipsum Hanibalem armis etiam tam inuictũ voluptate vicit.

COELIVS RHODIGINVS LIB. 10 *cap.* 18. *Antiquarum lectionum.*

Ex diuersis cœli habitibus, diuersi hominum mores euadunt.

Inter Platonis placita illud item obseruatur, ex varijs cæli locis, aspectibúsue, diuersas ingenerari morũ κράσεις siue contẽperationes. Quo argumento in Græciæ tractu in adipiscendis disciplinis videri aptiores multò, quàm alicubi homines. At qui in Phęnicẽ vergãt, Aegyptũue, cumulandæ pecuniæ, id est, vt græcè dicam πρὸς ἀργυρισμόν, mirè credi sagaces, ingenio ad id præcipuè facto: in furorem verò, iramq; pronos, procliues ac lubricos, quotquot Barbarorum innutriti bellis comperiuntur. Innuit vel hoc ipsum comicus Aristophanes, edocens immanendum esse τρόποις ἐπιχωρίοις, id est, moribus locorum proprijs, atq; vernaculis. Retegit & id iactatũ apud græcos νόμος καὶ χώρα: quo ferè commonemur, instituta diuersa pro locorum varietate esse veluti legem.

Ad meridiem uergentes cur timidi, ad septentrionalia, audaces.

Eos qui exustas à sole mundi partes incolunt, constant ita caloris exuperantia in extimis excorreri, vt intima frigoris plurimum concipiãt: proinde insigniter ad timiditatem degenerare, & effæminatiorem naturam: quo nomine serui tuti ferè mancipati omnes animaduertunt: dilabitur enim intimus calor, meatibus corporis laxatis, & quodã modo hiantibus, syderis propinqui intẽperantia. Argumento est cutis nigricans educti forintrinsecus insiti caloris copia.

At qui rigentia mundi pruinis geluq; torpẽtia terunt, nimio plus audacia præcellunt, candentibus corporũ extimis: vtriq; tamẽ inhumani feriq;, cælestiũ rerũ studiosi aliquot Saturno acceptá referunt meridionaliũ timiditatem, vitamq; ęui cõtractioris. Sicuti Martis Planetę, Septentrionaliũ ardorem bellicum, & animi prę-stantiam, quando ijs sydera influere, ac præsidere

sidere exuperantius videantur. Cæterùm meridianæ regiones, hinc calore, hinc frigore contemperatæ, ad habitumq́; in primis congruum reuocatæ, tum prudentiora promunt ingenia, & sapientiora, tum imperijs præcipuè adnata, factaque: cuiusmodi ferè Italiæ situm videri Vitruuius opinatur.

Authores sunt, Germaniæ incolas esse, immanes animis atq; corporibus, & ad insitam feritatem vastè vtraq; exercere, priusquàm pubertatem attingant, plurimum operamenta nescire, corporum nuditate gaudentes, diuturnam esse illis pueritiam, virilitatem ingressos. Saga deniq; admittere, aut arborum contegi libris, etiamsi obrigescant hyemali sæuitia, vel paruis Rhenonum tegumentis, magna sic quoq; parte corporis nuda. Seneca de Germanis: Quid, inquit, Germanis animosius? Quid in cursu acrius? Quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturq́;, quorum vna illis cura est, alia negligentibus: quid induratius ad omnem patentiam?

Pannonios feroces intelligi Papinianus voluit in sylvis. Pannoniusq́; ferox, arcuque horrenda sagaci Armenia. Reliqua lege apud Cœlium lib.10.cap.21. lectionum antiquarum.

Nicolaus de moribus Gentium.

Apud Tartesios minori contra maiorem testimonium dicere non est fas.

Lucani, vt aliorum criminum, sic etiam luxuriæ & ocij causas agunt. Quod si quis homini luxurioso mutuasse aliquid cõuincatur, priuatur mutuo dato. Athenis etiam ocij causę agitantur, id est.

Λευκανοὶ δικάζονται ἀλλήλοις, ὥσπερ ἄλλου τινὸς ἀδικήματος οὕτω καὶ ἀσωτίας, καὶ ἀργίας. Ἐὰν ᾖ τις ἀσώτῳ δανείσας χρέος ἐλεγχθῆ, στέρεται αὐτοῦ: καὶ ἀθήνησι ᾖ τῆς ἀργίας εἰσὶ δίκαι.

Pisidæ conuiuantes parentibus primitias libant, vt nos Dijs παρασπονδίοις, grauissimam depositi causam agunt, & eum, qui fraudauerit, occidunt. Adulterij conuictus per vrbem vnà cum muliere circumducitur, super asino ad aliquot dies.

Aethiopes præcipuè sorores honorant: Reges illorum relinquunt regni successionem, non suis, sed fratrum filijs: quod si nullus sit successor, pulcherrimum ex omnibus & pugnacissimum creant regem. Pietati & iustitiæ student, ædes ipsorum ianuis carent, & cùm ~~in~~ vijs multa iaceant, nemo furatur.

Ex non scripto ius venit, quod vsus approbauit: nam diuturni mores consensu vtentium comprobati legem imitantur. Origo eius à Lacedæmoniorũ institutis venit: illi enim ea quæ pro legibus obseruabant, memoriæ mandabãt. Instit. de Iure scripto & nõ scri. §. ex nõ scripto.

Iulianus lib. 84. Digestorum.

De quibus causis scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus & cõsuetudine introductum est.

Vlpianus lib.1. de officio proconsulis.

Diuturna consuetudo, pro lege & iure in ijs quæ nõ ex scripto descendunt, obseruari solet.

Hermogenianus lib.1. Iuris, ἐπιτομῶν.

Sed & ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata, veluti tacita ciuiũ conuentione, nõ minus quàm ea, quæ scripta sunt, iura seruantur.

Instituta.

Boni mores sunt consilio & ratione sumpti. Idem mores & instituta. Hinc apud Valerium maximum titulus est, de institutis antiquis, id est, moribus. Valla lib.4. cap.11. Plato lib.3. de legibus. Cicero lib.2. de inuentione Rhetorica: & 2. ad Herennium. in partitionibus orat.

Apud Sunitas quotannis & adolescentes & virgines publicè iudicantur, & qui optimus esse iudicatus fuerit, virginem, quam voluerit, ducit: deinde post eũ secundus, & sic deinceps.

Numades Libyes non dierum sed noctium numero tempus suum numerant.

Ex Bæotis nonnulli eos qui debitum non soluunt in forum deductos & sedere iussos cophino superiniecto cooperiunt: qui autem hoc passus fuerit, ignominiosus fit. Huiusmodi ignominia etiam Euripidis patrem Bæotium genere notatum putant.

Persæ, quod facere illicitum est, ne id quidẽ dicunt. Regi gratias agunt ij, qui ab eo flagellari iussi fuerint, tanquàm feliciter secum actum fuerit, quod rex eorum memor fuerit.

Ob liberorum numerositatem præmia à rege capiunt. Et pueri inter ipsos verum loqui discunt, ceu disciplinas. Spurium seu subdititium, non verum Persam existimant, quia patrem suum occiderit.

Morositas græcè αὐθάδεια. ας. ἡ. & αὐθάδης. έος. ὁ. ἡ. dicitur. Est autem morositas animi quædam displicentia, cùm iugi & subrustica asperitate commouetur, quando non ita ad vnguem & ex eius sententia actum est quod postulabatur. NANVS.

Morosus is est, qui est peruersis moribus. Cicero: At sunt morosi & anxij & iracundi & difficiles senes. A morosus, morositas deducitur. Differtq́ue moratus, à moroso, q moratus qui bonis moribus pręditus est. Morẽ gerere verò est obsequi, obedire, & quasi ad alterius volũtatem, mores suos formare. Hinc est morigeror verbũ, quod est morẽ gero, & moriger siue morigerus, hoc est obsequẽs, obediẽs, ac facilè morẽ gerẽs, hinc morigeratio, obedientia & obsequentia, quę oĩa à mos mόris deriuantur. Mos gręcè ἔθος. εος. τὸ. pro cõsuetudine & ritu, à quo ἦθος. εος. τὸ deducit q morẽ, hoc est habitũ ac rationẽ animi denotat, vndè ἠθικὰ, i. moralia deducun.

ducuntur, hinc est κακοήθης.εος.ὁ.ἡ. habens malos mores, & κακοηθός malus mos. Iuuenal. Laqueo tenet ambitiosi. Consuetudo mali, tenet insanabile multos Scribendi cacoethos, & ægro in corde senescit. Et ita legedũ est, nõ cacethos, vt multi & malè legunt, scanditurq; Scriben di caco ethos & ægrin corde se nescit.

MOrs græcè θάνατος, ȣ. ὁ. & θνήσκω morior dicitur. Est autem mors recessus animæ à corpore, secundum Aristot. lib. * de Morte & pomo. A mors fit morior tertiæ & quartæ coniugationis, mortalis, morti subiectus, mortiferum, quod mortem affert, morticinus, exãguis, corruptus, vt caro morticina, quæ in vlcere est fœdè corrupta.

Fortè de Morte & Vita.

Dauid Psal. 88.

Quis est homo qui viuet, & nõ videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi.

Regum 2. cap. 14.

Omnes enim morimur & quasi aqua dilabimur super terram.

Sapientiæ cap. 7.

Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.

Ecclesiastici 7.

In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Ibidem cap. 11.

Ante mortem ne laudes hominem quenquã, quoniam in filijs suis agnoscitur vir.

Ibidem cap. 14.

Memor esto, quoniam mors non tardat & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi.

Ibidem cap. 30.

Melior est mors quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perseuerans.

Ibidem 33.

Verè enim mors peccatorum pessima.

Iob cap. 10.

Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?

Paulus ad Hebræos cap. 9.

Statutum est hominibus semel mori.

Matthæus cap. 24.

Vigilate, quia nescitis qua hora Dñs veniet.

Lucæ cap. 12.

Ideo & vos estote parati, quia qua hora non putabitis, filius hominis veniet.

August. supra Genesim ad literam.

Illo die Adam & Eua mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium inueterascerent, acceperunt.

Idem lib. de agenda cura pro mortuis.

Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur à noxijs. Mali verò & impij tolluntur, ne diutius bonos persequantur.

Idem in Enchirid. & hab. 13. q. 2. Tempus.

Tempus quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem, interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut quæq; digna est, vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret. Neque negandum est defunctorum animas, pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis prosunt, qui cùm viuerẽt, hæc sibi vt postea possent prodesse, meruerũt.

Idem lib. de Natura & gratia.

Si de diuitijs & honoribus, & morum nobilitate te iactas, de patria & pulchritudine corporis & honoribus qui tibi ab hominibus exhibentur, respice teipsum, quia mortalis terra es, & in terram ibis. Circunspice qui similibus fluxêre splendoribus. Vbi sunt qui ambiebant currum potestatis? vbi insuperabiles imperatores? Vbi sunt qui conuentus disponebant, & festa, & equorum splendidi nutritores? vbi nũc vestes & ornamenta peregrina? vbi seruorum turba? vbi iocus & lætitia? vbi exercituum duces? vbi satrapæ & tyranni? Nónne omnia puluis & fauilla? Nónne in paucis versibus, eorum vitæ patet memoria? Respice eorum sepulchra & vide qui seruus, & qui dñs, qui diues, qui pauper. Discerne si potest victum à rege, fortẽ à debili, pulchrum à deformi. Vide si est aliquod in eo signum iactantiæ suæ. Memorare vtiq; naturæ, ne extollaris.

Idem lib. 1. de Ciuitate Dei.

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit. Neque enim facit malam mortem, quod sequitur mortem. Non itaq; multum curandum est eis qui necessariò morituri sunt qd accidat vt moriantur, sed moriendo quò ire cogantur.

Idem de disciplina Christiana.

Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies. Serò parantur remedia, cùm mortis imminet periculum.

Idem de doct. Christiana, lib. 2.

Timor de futura morte, mentem necessariò concutit, & quasi clauus carnis omnes motus superbię, ligno crucis affigit.

Ibidem.

Non potest malè mori, qui benè vixerit, & vix benè moritur, qui malè vixit.

Idem super Ioannem.

Quid est mors? Relictio corporis, depositio sarcinę grauis, sed si alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam.

Ibidem.

Qui desiderat dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur.

Hieron. ad Heliodorum.

Inter eos qui decem vixêre annos, & illũ qui mille,

mille, postquàm idem finis vitæ aduenerit, irrecusabilis mortis necessitas, tanslatum omne timendum est, nisi quòd magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur.

Hiron. Cypriano.

Memento mortis tuæ & non peccabis. Qui se quotidiè recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.

Idem ad Heliodorum.

Xerxes ille magnus rex potentissimusq́;, qui subuertit montes, maria constrauit, cùm de sublimi loco infinitam hominũ multitudiné, & innumerabilem vidisset exercitum, fleuisse dicitur, quòd post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus super talem ascendere speculam, de qua vniuersam terrã sub pedibus cerneremus, iam tibi ostenderẽ totius mundi ruinas, gentes gentibus, reges regibus, regna regnis collisa. Alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctib', alios in seruitutem trahi. Hic nuptias, ibi planctum, illos nasci, istos mori, alios affluere diuitijs, alios mendicare. Et nõ tantũ Xerxis exercitum, sed totius mũdi homines, qui nunc viuũt in breui spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est quòd dicimus. Redeamus igitur ad nos, & quasi è cælo descendẽtes paulisper nostra videamus. Sentis obsecro te quando infans, quando puer, quando senex, factus sis. Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus.

Idem.

Platonis sententia est, omnem sapientum vitam, meditationem esse mortis. Debemus igitur & nos, animo præmeditari, quid aliquando futuri sumus, & quod velimus nolimus longius abesse non potest.

Ibidem.

Nihil ęquè tibi proficiet ad tẽperantiã omniũ rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quicquid facies, respice mortẽ.

Hieron. super Ioannem.

Non est nostrũ mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter accipere. Vnde & in persecutionibus non licet propria manu perire.

Ambro. in Hexameron.

Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla distinctio inter cadauera mortuorum, nisi forte quia grauius fœtent diuitum corpora distenta luxuria.

Ambro. super Lucam libro 5.

Mors triplex est. Naturæ, de qua dicetur: quęrent homines mortem, & non inuenient: Hæc mors non est metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda. Culpæ, de qua dicitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Gratiæ, quæ secularium aufert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur: hanc mortem subimus consepulti cũ Christo in baptismo.

Gregor. in Homil. Sint lumbi uestri.

Sic mors ipsa cùm venerit, vincitur, si priusquàm veniat semper timeatur.

Idem libro 12. Moralium.

Adhoc autẽ cõditor noster latere nos voluit finem nostrũ, diemq́; nostræ mortis esse incognitum, vt dũ semper ignoratur semper proximus esse credatur, & tanto quisq; sit feruentior in operatione, quãto & incertus est de vocatione: vt dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire.

Ibidem.

Qui considerat qualis erit in morte, semper pauidus erit in operatione, atq; inde in oculis sui conditoris viuet.

Idem lib. 24. Moralium.

Iustorum animæ læuibus quibusq; cõtagijs ipso sæpe mortis pauore purgantur, & æternæ retributionis gaudia iam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plærunq; verò cõtemplationis internæ, & priusquàm carne spolientur hilarescunt, & dum vetustatis debitum soluũt, noui iam muneris lætitia perfruuntur.

Gregor. lib. 4. Dialogorum.

Interdum contingit iustis, vt in morte sua sanctorũ præcedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ sententiam pœnalẽ pertimescant, sed dum eorum menti ciuium internorũ societas ostenditur, à carnis suæ copula sine doloris & formidinis fatigatione soluantur. Aliquando in cõsolatione egredientis animæ ipse apparere solet author, & retributor vitæ.

Idem super illud Matthæi 10. In testimonium illis & gentibus

Mors iustorum bonis est in adiutorium, malis in testimonium, vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplũ capiant, vt viuant.

Idem in Registro.

Vita nostra similis est nauiganti. Is nanq; qui nauigat stet, sedeat, iaceat, vadatq́;, impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus: quia siue vigilantes, siue dormientes, siue iacentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes, per momenta temporum quotidiè ad finem ducimur.

Idem lib. 9. Moralium & Dialogorum 4.

Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.

Ioannes Chrisosto. super Matth. 10.

Mors munus necessariũ est naturę iam corruptæ, quæ nõ est fugienda, sed potius amplectenda, & iterum fiat voluntarium quod futurum est necessarium. Offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur reddere.

Idem in sermo. de Patientia.

Moriens cunctos salùtat, donec suę mentis dominus est, donec sua lingua poterit loqui. valete, inquit, amici mei, & Deum pro me orate. Iter enim pergam extraneum, quod nunquam ambulaui, in regionem longinquam, quam nemo vidit, & in seculum alterum animarum, vnde nullus reuersus, & in regiones metuendas, per quas nullus me comitatur, & ante iudicem terribilem, vbi nescio quid mihi contingat.

Isidorus lib. 3. de Summo bono.

Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recipit, non quos cœlestis aula lætificando includit.

Idem lib. 1. Soliloquiorum, cap. 3.

Mors calamitatis terminum præbet, omnem calamitatem mors adimit. Melius est benè viuere, quàm malè mori.

Bernardus de transitu Malachiæ.

Mors peccatorum pessima, quorum & natiuitas mala, & vita peior: sed pretiosa mors sanctorum, pretiosa planè, tanquam finis laborum, tāquam victoriæ conseruatio, tanquā vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressio.

Hugo de claustro Animæ lib. 2.

Tres sunt nuntij mortis: casus, infirmitas, senectus: casus dubia, infirmitas grauia: senectus certa denuntiat. Casus nuntiat mortem latentem. Infirmitas apparentem. Senectus præsentē. Ex hac incertitudine, mortis timor. Ex grauitate dolor. Ex certitudine senectutis, nō obstinatio, sed humilitas & afflictio sequi debet.

Cassiodorus super illud, Beati immaculati.

Quis mortem temporalem metuat, cui æterna vita promittitur? Quis labores carnis timeat, cùm se in perpetua requie nouerit collocandum.

Boëtius de Consolat. lib. 1. Met. 1.

Mors hominum fœlix quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpè uocata uenit.
Heu heu quàm surda miseros auertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæua negat.

Idem lib. 3. prosa 11.

Omne nanque animal tueri salutem laborat, mortem vero perniciemq; deuitat.

Ibidem.

Nam sępe mortem cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur.

Lactant. Firmianus diuin. instit. lib. 3.

Si quis nos interrogat, vtrúmne bonū sit mors, an malum, respondebimus qualitatem eius ex vitæ ratione pendere. Sicut ipsa vita bonū est, si cum virtute viuatur: malum, si cum scelere: sic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. Ita fit, vt si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem: si aliter, malum sit necesse est: quoniam ad æterna supplicia transmittit.

Lactant. Firmiā. diuin. instit. lib. 6. cap. 4.

Est enim criminatoris illius; qui prauis religionibus institutis auertit homines ab itinere cœlesti, vt in viam perditionis inducat: &c. In ea posuit Deus omnia quæ pro bonis habentur in terra, opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes: sed cum his pariter iniustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendatium, stultitiam, cæteraq; vitia. Exitus autem huius vitæ talis est: cùm ventum fuerit ad extremum, vnde iam regredi non licet, cum omni sua pulchritudine, tam subito præciditur, vt non antè quis fraudem prospicere possit, quàm præcipitatus in altitudinem in profundum cadat.

Idem lib. 7. cap. 27.

Deseratur (si fieri potest) via perditionis & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta cœlatur. Et quanto quis annis in senectutem vergentibus, appropinquare cernit illum diem, quo sit ei ex hac vita demigrandum, cogitet, quàm purus abscedat, quàm innocens ad iudicium veniat: Nō vt faciunt, quorum cæcis mentibus lux negatur, qui iam deficientibus corporis viribus, in hoc admonentur instantis vltimæ necessitatis, vt cupidius & ardentius hauriendis libidinibus intendant, qua ex voragine liberet se quisquàm, dum licet, dum facultas adest, seq; ad Deum tota mente conuertat, vt illum diem securus expectet, quo præses Dominusq; mundi Deus de singulorum factis, cogitationibusque iudicabit.

Seneca epistola 22.

Nemo nostrū aliter, quā quomodo natus est, exit è vita: falsum est, peiores morimur, quā nascimur: nostrum istud, non naturæ vitium est. Quid enim turpius, quàm in ipso limine securitatis esse sollicitum?

Idem epistola 24.

Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoq; cùm crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsq; ad hesternū, quicquid transit temporis perit. Húc ipsum quem agimus diem cum morte diuidimus.

Ibidem.

Inquietam nobis vitam facimus metu mortis, & tanta est hominū dementia, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem. Firmādi sumus, ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus mortem. Et cùm ratio suadet, finire: sed nō timere. Vir fortis ac sapiens nō fugere debet de vita, sed exire. Et ante omnia ille quoq; vitetur affectus, qui multos occupauit, libido scilicet moriendi.

Idem in epistola 26.

Incertum est quo te loco mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta. *Ibidem.*

Meditare mortẽ,qui hoc dicit,meditari libertatem iubet:qui mori diſcit,ſeruire dediſcit.

Idem epiſtola 30.

Is ait,tam ſtultum eſſe qui mortẽ timeat, quã qui ſenectutẽ. Viuere noluit,qui mori nõ vult. Vita enim data eſt cum exceptione mortis. Ad hanc itur,quam ideo timere dementis eſt, quia certa expectantur,dubia metuuntur, mors neceſsitatem habet æquam & inuictam.

Ibidem.

Nónne gratias agere ille omnibus dijs debet, quod ſatiatus ad requiem homini neceſſariam, laſſo gratam perductus eſt.

Ibidem.

Mortem venientem nemo hilaris excipit,niſi qui ſe ad illam diu compoſuerit.

Ibidem.

Non mortem timemus,ſed cogitationẽ mortis,ab illa enim ſemper tantundem abſumus.Ita ſi timenda mors eſt,ſemper timenda eſt.

Ibidem.

Baſſus ſenex,ſi quid incommodi,aut metus in morte eſt,morientis vitium eſſe dicebat, non mortis.

Idem epiſtola 55.

Illum lauda & imitari,quem non piget mori, cùm iuuet viuere:quæ enim eſt virtus,cùm eijciaris exire?

Ibidem.

In hoc enim mi Lucili ni fallor,erramus,quod mortem iudicamus ſequi,cùm illa & præceſſerit,& ſecutura ſit. Quicquid ante nos fuit mors eſt.

Idem epiſtola 62.

Ante ſenectutem curaui vt benè viuerem. In ſenectute,vt benè moriar:Benè autem mori,eſt libenter mori.

Idem epiſtola 64.

Itaq; aſsiduè cogitemus,tam de noſtra quã omnium quos diligimus, mortalitate.

Ibidem.

Cogitemus itaque Lucili chariſsime,cito eò nos peruẽturos,quò illũ perueniſſe mœremus.

Idem in epiſt. 7.

Quorundam vitam mors in medio flore præcidit,aliorum interrupit ipſa principia,alius inter cœnandum ſolutus eſt, alterius ſomno continuata mors eſt, aliquem concubitus extinxit.

Ibidem.

Quæ latebra eſt,in quã non intret metus mortis?quæ tam emunita & in altum ſubducta vitæ quies, quam dolor non territet?

Idem epiſt. 71.

Si quis in mortem inter primos annos delatus eſt, non magis quæri debet quàm qui cito nauigauit.

Ibidem.

Nil melius æterna lex fecit, quàm quod vnũ introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus.

Ibidem.

Nemo noſtrũ cogitat,quãdoq; ſibi ex hoc domicilio exeundũ. Sic veteres inquilinos indulgentia loci,& cõſuetudo etiã,inter iniurias detinet. Vis aduerſus hoc corpus liber eſſe? Tanquã migraturus habita. Propone tibi,quandoq; hoc contubernio carendum. Fortior eris ad neceſſitatem exeundi.

Idem epiſt. 72.

Certũ eſt vitam mortẽq; per vices ire,& cõpoſita diſſolui & diſſoluta cõponi. Omne humanũ genus, quod eſt,quodq; erit, morte damnatũ eſt.Omnes quę vſquã rerum potiuntur vrbes, quæq; alienorum imperiorũ magna ſunt & decora vbi fuerint aliquãdo quęretur,& vario exilij genere tollẽtur,alias deſtruent bella,alias deſidia,paxq́; ad inertiam verſa,conſumet, & magnis opibus exitioſa res luxus.

Seneca epiſtola 77.

Nõ affligitur ſapiens liberorũ amiſsione; nõ amicorum. Eodem enim animo fert illorum mortem,quo ſuam ſpectat.

Idem epiſtola 78.

Nõ eſt res magna viuere,omnes ſerui tui viuunt,omnia animalia.Magnum eſt honeſtè mori,prudenter,fortiter.

Ibidem.

Nõne tibi videbitur ſtultiſsimus omniũ,qui flet quòd ante annos mille non vixerat? A equè ſtultus eſt,qui flet,quòd poſt annos mille,non viuet.Hæc paria ſunt,non eris,nec fuiſti,vtrunque tempus alienum eſt.

Ibidem.

Nullum ſine exitu iter eſt.

Ibidem.

Nemo tã imperitus eſt,vt neſciat ſibi quãdoq; moriendũ, tamen cũ propè acceſſerit tergiuerſatur,fremit,plorat:Quid fles?quid optas? perdis operã, deſine fata deũ flecti ſperare,præcando. Rata & fixa ſunt atq; magna & ęterna neceſſitate ducuntur.Eò ibis,quò omnia eunt.Quid tibi nouum eſt? Ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te,hoc omnibus poſt te. Quãtus te populus moriturorum ſequetur. Quãtus comitabitur! Fortior vt opinor eſſes,ſi multa,milia tibi cõmorerentur, atqui multa milia hominũ & animaliũ hoc ipſo momento,quo tu mori dubitas,animam varijs generibus emittunt. Tu autem non putabas te ad id aliquando peruentutum, ad quod ſemper ibas?

Ibidem epiſtola 82.

Mors nõ eſt glorioſa,ſed fortiter mori glorioſum eſt. Nemo mortem laudat, ſed eum cui mors antè abſtulit animum quàm conturbauit.

Intereſt vtrũ malitia illi an virtus manum admouerit. Mors enim quę in Catone glorioſa eſt, in Bruto ſtatim eſt turpis & erubeſcenda. Cato illa honeſtiſsimè vſus eſt, turpiſsimè Brutus.

Ibidem.

Maſſa per ſe nec calida, nec frigida eſt, in fornacem coniecta concaluit: in aquam remiſſa refrixit. Mors honeſta eſt per illud quod honeſtũ eſt, id eſt, virtus & animus extrema contemnens.

Ibidem.

Si fines bonorum & malorũ cognouerimus, ita demum nec tædio vita erit, nec mors timori: ſi mors accedit & vocat, licet immatura ſit, licet mediam præcidat ætatem, cognita eſt illi ex magna parte, natura ſcit tempore honeſta non creſcere.

Idem epiſt. 86.

Hic plus edit, ille minus. Quid refert? vterq; iã ſatur eſt. Hic plus bibit, ille minus. Quid refert? vterq; nõ ſitit. Hic pluribus annis vixit, hic paucioribus, nihil intereſt, ſi tam illũ multi anni beatum fecerunt, quàm hunc pauci.

Idem.

Cũ multum ambulaueris, eſt diu redeundũ. Stultum eſt timere quod nõ poſsis vitare. Mortem non effugit, qui etiam diſtulit. Moriar, nec primus, nec vltimus, omnes me anteceſſerunt, omnes ſequentur, hac conditione intraui, vt exirem.

Idem ad Lucilium epiſtola 103.

Detrahentur tibi hic circuniecta, nouiſsimũ velamentum tui, cutis, detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis, diſcurrẽsq; per totum. Detrahẽtur oſſa, neruiq; firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iſte, quem tanquam extremum formidas, æternitatis eſt. Depone onus.

Idem epiſt. 18.

Nihil mihi videtur turpius, quàm optare mortem.

Idem epiſtola 124.

Mors malum nõ eſt, quid quęris? Sola in æquo eſt generis humani.

Seneca de Clementia libro 3.

Vndecunq; ad inferos vna via eſt, nulli eſt aliena patria mortuo.

Idem in Hercule furente Tragædia 1.

Nulli iuſſu ceſſare licet, nulli ſcriptum proferre diem.

Idem Tragædia 3.

Eripere uitam nemo, nec homini poteſt, at nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Idem Trag. 4.

Prohibere nulla ratio periturum poteſt, ubi quis mori conſtituit, & debet mori.

Ibidem.

Mori uolenti, deeſſe nunquam mors poteſt.

Idem Trag. ſexta.

Magnifica uerba mors, prope admota, excutit.

Idem Tragæd. 8.

O quam miſerum eſt, neſcire mori.

Idem Tragædia 10.

Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori.

Ariſtoteles in libro de Morte & Vita.

Vita & mors ſunt communia omnibus animalibus.

Ibidem.

Mors ſenum finis triſtitiæ eſt, quia multo dolore eis contingente moriuntur.

Idem libro de Iuuentute & Senectute.

Cor primum fit in animali, vnde ipſum eſt primum viuens, & vltimum, moriens.

Idem libro 3. Ethicorum.

Qualis vnuſquiſq; eſt, talis ſibi debetur finis.

Ibidem.

Terribiliſsimum omnium eſt mors.

Idem libro 5. Ethicorum.

Lex prohibet ſeipſum interficere.

Laer Diog. de Vita & moribus philoſo.

Nullum malum eſt glorioſum. Mors eſt glorioſa, mors ergo malum non eſt, dicebat Zeno philoſophus Stoicus.

Ibidem.

Ab Adriano imperatore, Secundus philoſophus interrogatus quid eſt mors? Reſpõdit: Aeternus ſomnus, diſſolutio corporum, diuitum pauor, pauperum deſiderium, ineuitabilis euẽtus, incerta peregrinatio, latro hominis, ſomni pater, fuga vitæ, viuorum diſceſsio, reſolutio omnium.

Cicero li. 2. Tuſculan. quæſt.

Moriendum eſt enim omnibus.

Ibidem.

Quę enim poteſt in vita eſſe iucunditas, cùm dies & noctes cogitandum ſit, iam iamq́ue eſſe moriendum.

Ibidem.

Cato autem ſic abijt è vita, vt cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet, vetat enim dominans ille in nobis Deus, iniuſſu hinc nos ſuo demigrare.

Ibidem.

A malis igitur mors abducit, nõ à nobis, verũ ſi quærimus. hoc quidem à Cyrenaico Hegeſia ſic copioſè diſputatur, vt is à rege Ptolemæo prohibitus eſſe dicatur illa in ſcholis dicere, quo multi, his auditis, mortẽ ſibijpſi conſciſcerent. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum eſt, quem ait, cùm nihil ei accidiſſet aduerſi è muro ſe in mari abiciſſe, lecto Platonis libro.

Ibidem.

Certè ſi antè occidiſſemus mors nos à malis non à bonis abſtraxiſſet. Sit igitur aliquis qui nihil mali habeat, nullum à fortuna vulnus acceperit. Metellus ille honorat⁹ quatuor filijs, at quinquaginta Priamus, è qb⁹ 10. & 7. iuſta vxore na-

re nati? In vtroq; eandem habuit fortuna potestatem, sed vsa in altero est: Metellum enim multi filiæ, filij, nepotes, neptes, in rogum imposuerunt: Priamum autem tanta progenie orbatum, cùm in aram confugisset, hostilis manus interemit.

Hic si viuis filijs, incolumi regno occidisset, astante ope barbarica, tectis cælatis, laqueatis:
Vtrum tandem à bonis an à malis discessisset? tum profectò videretur à bonis. At certè ei melius euenisset, nec tam flebiliter illa canerétur:
Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam *eripi, Iouis aram sanguine turpari.

*aliàs euitari.

Ibidem.

Non deterret sapientem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet, & ꝑpter breuitatem vitæ nunquam longe potest abesse.

Ibidem.

Habes somnũ imaginem mortis, eamq; quotidie induis: & dubitas quin sensus in morte nullus sit, cũ in eius simulachro videas esse nullum sensum? Pellantur ergo istæ ineptiæ penè aniles, ante tempus mori miserũ esse. Quod tandem tempus? naturæ ne? At ea quidẽ dedit vsuram vitæ, tanquã pecuniæ, nulla præstituta die. Quid est igitur ꝙ querare si repetit, cùm vult? Ea enim cõditione acceperas. Idem si puer paruus occidit, æquo animo ferendum putant, si verò in cunis, ne conquerendum quidem.

Ibidem.

Prô dij immortales, quã optabiliter iter illud ineundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit?

Ibidem.

Sed quid duces, & principes memorem, cùm legiones scribat Cato sæpe alacres in eum locũ profectas, vnde redituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedæmonij in Thermopylis occiderunt. In quo Simonides. Dic hospes Spartę, nos te hîc vidisse iacentes, Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Ibidem.

Qualis tandem Lacæna? quæ cùm filiũ in prælium misisset, & interfectum audisset, Idcirco, inquit, genueram, vt esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.

Ibidem.

Quid? Cyreneum Theodorum, philosophũ non ignobilem, nónne miramur? Cui cùm Lysimachus rex crucem minaretur, istis quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humi ne an sublime putrescat.

Ibidem.

Durior Diogenes, & id quidem sentiens, sed vt Cynicus, asperius, proijci se iussit inhumatũ. Tum amici volucribus ne an feris? minimè verò inquit: sed bacillum prope me quo abigam ponitote: qui poteris? illi, nõ enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti?

Ibidem.

Omni autem ratione illuc certè profectum, vt mortem non ducerem in malis.

Ibidem.

Sed Herodoto autore, alijsq; pluribus. Primũ Argiæ sacerdotis Cleobis & Biton filij prædicantur. Nota fabula est. Cùm enim illam ad solenne & statutum sacrificiũ curru vehi ius esset satis longè ab oppido ad fanum, morarenturq; iumenta: tunc iuuenes ij, quos modo nominaui veste posita oleo corpora perunxerũt, ad iugũ accesserunt. Ita sacerdos aducta in fanum, cùm currus esset ductus ab filijs, pręcata deam dicit, vt illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset à deo. Post epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inuentos esse mortuos. Simili precatiõe Trophonius, & Agamedes vsi dicuntur. Qui, cùm Apollini Delphis templum ædificassent, venerantes Deum petierunt mercedem, non paruã qdẽ operis & laboris sui. Nihil certi, sed quod, esset optimum homini. Quibus Appollo se id daturum ostendit, post eius diei diem tertium: qui vt illuxit, mortui sunt reperti. Indicasse Deum dicunt, & eum quidem Deum, cui reliqui dij concessissent, vt præter cæteros diuinaret, mortem esse optimum homini.

Ibidem.

Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci: quid optabilius? si autem perimit ac delet omnino, quid melius quàm in medijs vitæ laboribus obdormiscere, & ita cõniuentem somno consopiri sempiterno?

Idem.

Itaq; vnum illud erat insitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neq; excessu vitæ sic deleri hominem, vt funditus interiret. Idq; cùm multis alijs rebus tum & pontificio iure, & cæremonijs & sepulchrorũ intelligi licet, quas maximis ingenij præditi, nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haberẽt in eorum mentibus, mortẽ non interitũ esse omnia tollentem atq; delentem, sed quandã quasi migrationem, commutationemq; vitæ, quę in claris viris & fœminis dux in cœlum soleret esse.

Cicero libro 1. Tuscu.q.

Teneamus vt nihil censeamus esse malum, quod sit à natura datum hominibus.

Idem libro 1. Tuscul. quæst.

Nam qui id, quod vitari non potest, metuit, is viuere animo quieto nullo modo potest. Sed qui non modò, quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet mors, ꝙ sit horrendum

mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vitam comparat.

Ibidem.

Te natura excelsum quendam videlicet & altum & humana despicientem genuit. Itaq; facilè in animo forti contra mortem habita insidet ratio.

Idem libro. 3. Tuscul. quæst.

Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quòd ceruis & cornicibus vitã diuturnam, quorũ nihil interesset, hominibus quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, vt omnibus perfectis artibus omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se tum cùm illa videre cœpisset extingui.

Cicero libro de senectute.

Mors autem negligenda est, si aliquò ducit, vbi sis futurus æternus.

Ibidem.

Mortem omni ætati communem esse sentio.

Ibidem.

Quod cuique tempus ad viuendum datur, eo debet esse contentus.

Ibidem.

Hæc alijs aliter legũtur.

Omnia vero quæ secundũ naturã fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est enim tam secundũ naturam, quàm emori senibus?

Ibidem.

Sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus turitas.

Ibidem.

Vt nauem & ædificium idem destruit facillimè, qui construxit, sic hominem, eadem optimè quę conglutinauit natura, dissoluit.

Ibidem.

Nemo censet fugiendam esse mortem, quam immortalitas sequatur. Iam sensus moriendi si aliquis esse potest, isq; ad exiguum tempus durat præsertim seni, post mortem autẽ sensus aut optandus aut nullus est.

Idem libro de Senectute.

Sed hoc meditatũ ab adolescentia esse debet, mortem vt negligamus sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest.

Ibidem.

Moriendum enim certũ est, sed id incertum an ipso die.

Ibidem.

Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quis poterit animo consistere?

Ibidem.

Nec verò clarorum virorũ post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus.

Ibidem.

Iam verò videtis nihil esse tam morti simile, quàm somnum.

Ibidem.

Commorandi enim natura diuersorium nobis non habitandi dedit.

Idem. lib. Paradoxo.

Mors terribilis est his, quorum cũ vita omnia extinguuntur, non his, quorum laus emori nõ potest.

Salustius in Catilinario.

In luctu atque miserijs mortem ęrumnarum requiem, non cruciatum esse duco.

Valerius Maximus libro. 2.

Thraciæ verò illa natio meritò sibi sapientię laudem vendicauerit, quæ natales hominũ flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat. Hæc sine vllis doctorum præceptis verum conditionis nostræ habitum præuidit. Remoueatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere & pati turpiter cogit, si ea mortua eius aliquanto fœlicior & beatior finis reperietur.

Quintilianus Declamatione 3.

Omnis nos hora per tacitos, fallentesq; cursus applicat fato, & in hac perpetuitatis turpissima cogitatione, descripti per exigua festinantis æui momenta præmorimur.

Homerus in ζ Iliados.

μοῖραν δ' οὔ τινά φημὸ, πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν
οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται. i.
Mortem nullum assero euitasse uirorum.
Neq; timidum, neq; fortem, postea quàm genitus sit.

Idem in γ Odyssea.

ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί περ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο: id est,
Sed certè mortem quidem molestam, neq; ipsi Dei
Et amico uiro possunt remouere, quando
Fatum pernitiosum asperæ mortis illum attraxerit.

Menander.

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. id est.
Mortalibus mori omnibus necesse est.

Ibidem.

ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος. id est.
Vita mala mors eligibilior. Idem.
ἢ ζῆν ἀλύπως, ἢ θανεῖν εὐδαιμόνως. id est.
Vel uiuere sine tristitia, uel mori feliciter. Idem.
καλὸν τὸ θνήσκειν οἷς ὕβριν τὸ ζῆν φέρει. id est.
Pulchrum mori, quibus uituperium uita fert. Idem.
κρεῖσσον τὸ μὴ ζῆν ἐστιν, ἢ ζῆν ἀθλίως. id est.
Melius non uiuere est, quàm uiuere miserè. Idem.
ὃν γὰρ φιλεῖ θεὸς γ' ἀποθνήσκει νέος. id est.
Quem enim amat Deus, moritur iuuenis. Idem.
οὐπώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρόν. id est.
Nunquam beaui sumptuosum mortuum. Idem.
τὸ γὰρ θανεῖν, οὐκ αἰσχρόν, ἀλλ' αἰσχρῶς θανεῖν. id est.
Mori enim non turpe est, sed turpiter mori.

Ex

Ex primo Epigrammaton.

Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα,
τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας.
μοῦνος ἅπαξ θνητοῖς παραγίγνεται, οὐδέποτ᾽ αὐτὸν
εἶδέν τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον
αἱ δὲ νόσοι πολλαί, καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἄλλον
ἐρχόμεναι θνητῶν καὶ μεταβαλλόμεναι. id est.

Mortem quid timetis quietis genitricem,
Sedantem morbos & paupertatis dolores.
Sola enim semel ad mortales accedit, nunquã ipsam
Vidit quis mortalium secundò uenientem.
Morbi uerò multi & uarij interdum ad alium
Euntes mortalium & permutati.

Pallades.

Πάντες τῷ θανάτῳ τηρούμεθα, καὶ τρεφόμεσθα,
ὡς ἀγέλη χοίρων σφαζομένων ἀλόγως. id est.

Omnes morti seruamur & nutrimur,
Tanquàm grex porcorum interfectorũ sine ratione. Idẽ.

Σῶμα, πάθος ψυχῆς, ᾅδης, μοῖρ᾽ ἄχθος, ἀνάγκη,
καὶ δῆμος κρατερὸς, καὶ κόλασις βασάνων.
ἀλλ᾽ ὅταν ἐξέλθῃ τοῦ σώματος ὡς ἀπὸ δεσμῶν
τοῦ θανάτου, φεύγει πρὸς θεὸν ἀθάνατον. id est.

Corpus, paßio animæ, infernus, onus, neceßitas,
Et populus concitatus, & pœna torturarum.
Sed quando egressa fuerit è corpore, tanquàm à uinculis
Mortis, fugit ad deum immortalem.

χαίρει τις θεόδωρος ἐπεὶ θάνον, ἄλλος ἐπ᾽ αὐτῷ
χαιρήσει, θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα. id est,

Gaudet quidem Theodorus, quoniam mortuus sum, alius
super ipso
Gaudebit, morti omnes debemur. Idem.

κάτθανον, ἀλλὰ μένω σε, μένεις δὲ τε καὶ σύ τιν᾽ ἄλλον,
πάντας ὁμῶς θνητοὺς, εἷς ἀΐδης δέχεται. id est.

Mortuus sum sed expecto te, expectans autem & tu
quendã aliũ. Omnes simul mortales unus Pluto suscipit.

Lucanus lib. 5.

Sæuitia est uoluisse mori. Idem lib. 6.

Ah miser extremum cui munus mortis iniquæ,
Eripitur non posse mori.

Idem libro 8.

-Quisquam ne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte peracta.

Ibidem.

-Mors ultima pœna est
Non metuenda uiris.

Propertius lib. 3. elegia 10.

Venturam medius præsagit nauita mortem.
Vulneribus didicit miles habere metum.

Tibullus lib. 1. elegia 10.

Quis furor est atram bellis accersere mortem?
Imminet, & tacito clam uenit illa pede.

Horatius Ode 53.

Soles occidere & redire possunt.
Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Martialis ad Paulum.

Mortis, Paule, timor, tibi uitæ gaudia, tollit,
Nam moriens uiues, dum metuendo peris.
Inter naturæ si ponas munera mortem,
Te de morte metus sollicitare nequit.

Idem Epigrammaton libro 2. ad Neuolum.

Non metuas mortem Neuole, sed timeas.

Idem de Cœnatione Michæ.

Frange thoros, pete uina, rosas cape, tingeq; nardo.
Ipse iubet mortis te meminisse deus.

Idem de Fannio.

Hostem cùm fugeret se Fannius ipse peremit.
Hic rogo non furor est, ne moriare, mori.

Idem libro 4. Epigrammaton ad Colinum.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus
Et meritas prima cingere fronde comas?
Si sapis, utaris totis Coline diebus
Extremumq; tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorasse puellas
Contigit, obseruant quem statuere diem.
Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis meliore licet.
Nil adijcit penso Lachæsis, fusosq; sororum
Explicat & semper de tribus una necat.

Idem de Curitio.

Nullo fata loco poßis excludere, cùm mors
Venerit, in medio tybure Sardinia est.

Idem libro 11. de Cenace.

-Non licet hîc uitæ de breuitate queri,
Tristius est læto læti genus.

Horat. lib. 1. Carminum ad Sestium. Ode. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumq; turres ô beate Sesti.
Vitæ summa breuis, spem nos uetat inchoare longam.
Iam te premet nox, fabulæq; manes.

Horatius libro 1. Carminum Ode 28.

Mista senum, ac iuuenum densentur funera, nullum
Sæua caput Proserpina fugit.

Idem libro 2. Ode 3.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocyus
Sors exitura, & nos inæternum
Exilium impositura cymbæ.

Idem Carminum libro 2. Ode 13.

Improuisa læti.
Vis rapuit, rapietq; gentes.

Ibidem Ode 17.

Ibimus ibimus, Vtcunq; præcedes.

Idem lib. 3. Ode 1.

Aequa lege neceßitas
Sortitur insignes & imos.
Omne capax mouet urna nomen.

Idem libro 3. Ode 2.

Mors, & fugacem persequitur uirum:
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidóue tergo.

Idem lib. 3. ode 24.

Si figit adamantinos
Summis uerticibus dira necessitas
Clauos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

Idem de Arte poëtica.

Debemur morti nos nostráq;. Ibidem.
Mortalia facta peribunt.

Horatius lib. 1. Sermonum.

Mors ultima linea rerum est.

Idem Epistol. lib. 2. epistola 2.

Lusisti satis, edisti satis, atq; bibisti,
Tempus abire tibi est.

Franciscus Petrarcha Soneto 8.

Ma del misero stato, oue noi semo
Condutte da la uita altra & serena:
Vn sol conforto & de la morte hauemo, id est.
Miseri status, in quo nos sumus.
Ducti è uita alia & serena,
Vnicam consolationem mortis uidelicet habemus.

Idem Soneto 122.

Bel fin fa, che ben amando more. id est.
Bonum finem facit, qui benè amando moritur.

Idem Soneto 122.

Ben po nulla, chi non po morire. id est.
Nil benè potest, qui non potest mori.

Idem Soneto 210.

Morte fura.
Prima i mi gliori, & lassastar irei. id est.
Mors rapit prius meliores, atq; dimittit reos.

Idem Soneto 231.

Morte ma liberato un altra uolta,
Et rotol nodo, el foco ha spento & sparso,
Contra la qual non ual forza nengegno. id est.
Mors me liberaui t rursus iterum,
Et fregit nodum, ignis extinxit, atq; dispersit,
Contra quam non ualent uires aut ingenium.

Idem Soneto 136.

Morte biasmate, anzc laudate uui.
Che lega sciolge, e un punto apre & serra,
Et dopol pianto sa far lieto altrui. id est.
Mortem culpatis, imò laudatis uos,
Quæ ligat & soluit, & uno momento aperit, & claudit,
Et post luctum nouit lætum facere.

Idem Soneto 133.

Ai morte ria, come aschiantar se præsta
Il fruto de moltanni, in si poche hore. id est.
Ha mors rea quantum abrumpere uelox es
Fructum mortalium, in tam paucis horis.

Idem Soneto 185.

Ma la fama e ualor, chae mai non morer
Non e in tua forza habiti ig nude lossa. id est.
Sed fama & ualetudo, quæ nunquam moritur,
Non est in tua potentia, habetis nuda ossa.

Idem Soneto 318.

Non posar morte id dolce uiso amaro,
Ma dolce uiso dolce po far morte,
Che bisogna morir ben altre scorte
Quella mi saorge ondogni ben imparo.
Et quel che del suo sangue non fu auaro
Che col pie rapre le Tartareæ porte,
Col suo morir par che me ricon forte
Dunq; uien morte el tuo morir me caro. id est.
Non potest mors facere dulcem uisum, amarum:
Sed dulcis uisus, dulcem potest facere mortem,
Quid opus est ad bene moriendum comes alter?
Illa me ducit, unde omne bonum disco.
Et ille qui sui sanguinis non fuit auarus,
Qui pede fregit Tartareas portas,
Cum sua morte uidetur me reficere.

Franciscus Petrarcha Cantilena 27.
Stantia 5.

Vn bel morir, tutta la uita honora. id est.
Vnum pulchrum mori, totam uitam honorat.

Ibidem Stantia 7.

Ben more, chi morendo esce di doglia. id est.
Bene moritur, qui moriens dolorem exuit.

Franciscus Petrarcha Cantil. 39. Stantia 4.

Che tal mori gia tristo & sconsolato,
Cui pocho inanci eral mori beato. id est.
Nam quispiam obijt iam tristis & mœstus totus,
Cui parum antè mori erat felicitas.

Ibidem Stantia 7.

Che morte al tempo e non duol ma refugio.
Et chi ben po morir, non cherchi indugio. id est.
Nam mors in tempore, non dolor est, sed refugium,
Et qui bene mori potest, non quærat spatium.

Idem Triumpho mortis cap. 1.

O tu donna, che uai
Di iuuentute & di belleza altera,
Et tua uita il termino non sai.
Io son colei si importuna e fera,
Chiamata son da uoi & sorda & ciecha
Gente, a cui si fa nocte in ancifera.
Iho condocta al fin la gente Græca
Et la Troiana, lultimo ij Romani
Cum la miaspada, laqual punge & seca.
Populi alteri, Barbaresci & strani,
Et giungendo quand altri non maspecta.
Ho interroti molti pensier uani.
Hora ad uoi, quandol uiuer piu dilecta
Drizo il mio corso, inanzi che fortuna
Nel uestro dolce qualche amaro metta. id est,
O mulier, incedis
Ob iuuentam & pulchritudinem elata,
Et tuæ uitæ terminum ignoras.
Ego sum illa sic importuna & ferox,
Vocata sum à uobis & surda, & cæca
Gente, cui fit nox ante diei finem.
Conduxi ego ad finem gentem Græcam
Et Troianam, & ultimo Romanos
Cum meo ense, qui pungit & diuidit.

Po-

Populi elati, Barbari & alieni,
Et adiens cùm alij non me spectant,
Interrupti plurimas cogitationes uanas.
Tunc ad uos, cùm uiuere plus delectat
Dirigo meum cursum, antequàm fortuna
In uestrum dulce quippiam amari immittat.

Ibidem.

Da India, dal Carthago, Marrocho & Spagna,
El mezo hauea gia pieno, & le pendici
Per molti tempi quella turba magna.
Iui eran, quei che sun detti fœlici,
Pontifici regnanti, emperatori,
Hor sono ignudi, miseri & mendici.
Vson le richeze, uson gli honori,
Et le gamme & li sceptri, & le coronæ,
Et le mitre cum purpurei colori?
Miser, chi speme in cose mortal pone:
Ma ben chi ue la pone sei si troua,
Alla fine inganato, e ben ragione.
Ociechi, il tanto affaticar che gioua?
Tutti tornati a la gran madre antica:
El nome uostro a pena si ritroua,
Pur de le mille un utile faticha,
Che non sian tuta uanita paesi:
Chintende i uostri studij si mel dica.
Che uale e subiugar tanti paesi,
Et tributarie far le gente strane,
Cum gli animi al suo damno semper accesi? Id est,
Ab India, Carthagine, Tuneto, Hispania.
Medium iam repleuerat, & Manticas
Multis temporibus illa ingens turba.
Illic erant, qui dicti sunt fœlices,
Pontifices regnantes, imperatores,
Nunc sunt nudi, miseri, mendici.
Vbi sunt diuitiæ atque honores?
Et gemmæ, & sceptra, atque coronæ?
Et mitræ cum purpureis coloribus?
Miser, qui spem in te mortali collocat,
Sed qui in his spem ponit, & si se reperit
In fine in his deceptum, est iusta ratio.
O cæci, tantus labor quid uobis prodest?
Omnes reuertimini ad magnam matrem ueterem,
Nomen uestrum uix reperitur tandem,
Tandem mille laborum unus utilis,
Qui non fiant cuncti uanitas apparens,
Qui pepercit uestra studia, is id me doceat.
Quid prodest subiugare tot regiones?
Et tributarias facere externas gentes?
Cum animis ad damnum proprium accensis semper?

Idem cap. 2.

Dime sel morire si gran pena?
Rispose, Mentre al uulgo dietro uai,
Et allo pinion sua ceca & dura,
Esser felice tu non po giamai.
Lo morte e fin duna pregion oscura
A gliami gentil, a glialtri a neia,
Chano posto nel fango ogni lor cura,
Et hora el morir mio, che si tannoia
Ti sarebbe allegrar se tu sentissi
La millesima parte de mia gioia.
Negar disse non posso, che la affanno
Che ua innanzi al morir, non doglia forte,
Ma piu la dema del æterno damno.
Ma pur che la ima in diose ri consorte,
El cuor chen se medesmo forse e lasso,
Chaltro che un sopir breue e la morte, Id est,
Dic si mori est tam grandis pœna?
Respondit, quousq; uulgus sequeris,
Et opinionem eius cæcam & duram,
Esse fœlix tu nequaquam potes.
Mors finis unius obscuri carceris,
Animis nobilibus, at alijs pœna,
Qui posuerunt in cœno iam curam omnem,
Et nunc mori meum, quod tamen displicet,
Gaudium tibi ferret, si tu sentires
Millesimam partem mei gaudij.
Negare dixi non possum, quin dolores
Qui mortem præeunt, non multum doleant,
Sed magis timor æterni damni.
Sed dummodo anima in deo spem reponat,
Cor quod in seipso forte ægrotat,
Nil aliud quàm quædam breuis suspiratio mors ipsa est.

Mors quid? portus malorum, & ærumnarum ultima pœna, & linea rerum. AMANTIVS.

Viues de anima libro 2.

Mors est animę à corpore distinctio seu discessus. Mors naturalis, cum humore caloris pastu arescente, flaccesит calor, & ad postremum extinguitur, vt lucerna, oleo extincto. Mortis definitio.

Cicero libro 1. Tuscul. Quæst.

Mors violenta est, quam gentiles præter fatum dicebant esse, cùm casu aliquo vel humor detrahitur, vel calor extinguitur oppresione quapiam, siue in terra, vt in veneno, ingluuie & alluuione immodica potus: quemadmodum cùm nimium olei in lucernam infunditur: siue externa, vt spiritus cor refrigerantis in arteria, vel ore compresso, quale est cùm ignis lapidibus, aut multo cinere de repente obruitur.

Alia definitio, Viuis.

Mors est corruptio & inhabilitas instrumentorum. Inter bruti & hominis mortem hoc interest: Quod bruti anima, quemadmodum & sensuum nostrorum vigor, perit omnino in morte. Nostra autem anima superstes est suo cadaueri. Itaq; mors hominis rectè superius definitur.

θάνατος ἐστιν ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις, id est.
Mors est animæ ac corporis dissolutio.

Cæsar apud Salustium in Catilina.

Mors requies ærumnarum in luctu atque miserijs est, & cuncta mortaliũ mala dissoluit.

Cicero

Cicero lib.5.Tuscul.Quæst.

Mors portus est malorum, perfugium ærumnosæ uitæ.

Horatius.

Mors ultima linea rerum.

Artabanus apud Herodotum inquit, mortem esse optatissimum perfugium ærumnosæ vitæ, portum miserorum, & effugium miseriarum.

Pulcherrima descriptio mortis, per Baptistam Mantuanum, ex lib.2. Alphonsi.

His dictis mouêre gradus: ut limina contra
Adstitit Alphonsus gelidæ malè olentia mortis,
Substitit: & tenebras oculis scrutatus inanes,
Prospicit excursus piceo sub fornice longos,
Incertamq; diem, caligantesq; recessus:
In medio accumbens super alta cadauera monstrum
Corpora lambebat, fluido stillantia tabo.
Monstrum ingens, cui flexilibus frons orba colubris
Cingitur, effoßi liquere sedilia dentes
Concaua: truncatis deformia naribus ora
Ostendunt inhonestà caui duo uerticis antra:
Occiput aure caret, geminæ sed utrinq; cauernæ
Semper hiant, tetroq; fluunt in pectora tabo.
Verticis os glabrum, ceruix nodosa, lacertos
Nulla ligat iunctura humeris: sine uiscere costæ,
Arida membra sonant mota collisa sub aluo,
Tecta sepulchrales hydri posuêre, cubantq;
In thorace cauo, coluber, nepa, uipera, buffo,
Stant famulæ circum dominam pallorq;, timorq;,
Et dolor, & pestis, quæ nigro armata ueneno
Obuia transadigit lætalibus inguina telis,
Alciden dedit ipsa neci, qui uicerat hydram,
Qui Lapithas, qui Centauros & cætera monstra,
Atq; tridentifero febris metuenda lacerto:
Vulgatum & commune malum: quod fortia sternit
Corpora, & extremis gaudet, nunc ignibus ardet,
Nunc tremulo contracta gelu stridentibus alget
Faucibus, & quærit rigenti incendia tergo:
Et tenuis sine uentre fames, & semper hiulca
Fauce sitis, qua, dum nostris pro finibus olim
Belliger Orlandus Mauros contuderit armis,
Occidit inuictus bello, sitis aruit æstu.
Et luxata manus plantas nodosa tumentes
Nobilium morbos, medicos risura podagra.
Omne Marasmorum genus, & sine uoce Synanche,
Improba mordaci serpens prurigine lepra:
Et caput inuoluens nebulis lethargica moles,
Ferreus & medica sopor incurabilis arte,
Et mentagra cutem maculis uariata cruentis,
Et Phlegetontæo ueniens à flumine Cancer:
Dira lues populans artus liquor ignibus ardens.

Iuuenalis satyra 10.

Mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula.

Mors nemini parcit.

Mors ruit, & ueluti maturas messor aristas
Omnia uulnifica falce cruenta secat.
Non fortunatis parcit, non illa beatis:
Tartara sub Crasso diuite Codrus abit.
Fabula uana sumus: uita hæc est uentus & umbra.
Viue igitur, nimis est mors fera, sæpè mori.

Idem.

Semotiq; prius tarda neceßitas
Læthi corripuit gradum.

Ouidius 8.Metamor.

Mors morte pianda est.

Idem eodem loco.

Mors precium tardis,
Mors mihi munus, decet hæc dare dona nouercam.

Idem 2.de Ponto.

Sed rigidum ius est, & ineuitabile mortis.
Stant rata non ulla fila tenenda manu.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuris inijcit illa manus.

Statius in 4.Thebaidos.

Tartareæ sedes, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ, in speculis mors atra sedetq;, domi-
niq; silentis
Adnumerat populus, maior supereminet ordo:
Mors trepidis ignaua uenit.

Idem 7.Thebaidos.

Mille modis læthi, miseros mors una fatigat.

Idem 9.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obseruant, quem statuere diem.
Nullo fata loco poßis excludere, cùm mors
Venerit.

Ex Martiali coquo.

Vita breuis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet.

Ex Lucano.

O quàm dura premit miseros angustia uitæ,
Non mors humano subiacet imperio.
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit: Dulce mori- seris
Sed cùm tristis erit præcipitata uenit.

Plautus in Rudente.

Neq; est melius morte, in malis rebus.

Mors uocat, quos uult.

Mors sedet ante fores & mœsto pallida uultu,
Ad pœnam quem uult exitiumq; uocat.

Mortuos flere inane est. Pictorius Poeta.

Dilaceras crines fletumq; ululatibus imples,
Mœstaq; sanguineis unguibus ora notas.
Credis an extinctos huc posse resurgere natos?
Flere obitum, est addi uulnera uulneribus.

Mortis memoria.

Cùm ditiores Aegyptij epularentur, vnus quispiam cadauer ligneum, sed quàm proximè ad verum effectum, ostendit singulis, dicens: In hunc intuens pota, & oblecta, talis post mortẽ futurus: Admonentes hoc, vt moderatius fruerentur voluptatibus, cõditionis suæ, humanæ frugalitatis memores. Erasmus li. Apophteg.

Cicero

Cicero 1. Tuscul. Quæstionum.

Tota Philosophorum vita, est commentatio mortis: nam quid aliud agimus, cùm à voluptate, id est, à corpore, cùm à familiari, quæ est ministra & famula corporis, cùm à repub. cùm à negocio omni seuocamus animum, nisi ad seipsum seuocamus? secum esse cogimus, maximeq; à corpore seducimus? Secernere autem à corpore animum, nec quicquam est aliud, nisi emori discere. Quare hoc commentemur, disiungamusque nos à corporibus, consuescamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile, & cùm illic ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum: quò cùm venerimus, tum deniq; viuemus. nam hæc vita mors est. Natura sic habet, vt quomodo initium nobis omnium rerum ortus noster afferat: sic exitum mors, & vt nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem ad nos pertinebit.

Natura ortu. 1. mors exitum præbet.

Nos autem teneamus, vt nihil censeamus esse malum, quod sit à natura datum omnibus, intelligamusque si mors malum sit, esse malum sempiternum: nam vitæ miseræ mors finis esse videtur. Mors si est misera, finis nullus esse potest.

Vitæ miseræ mors finis.

Homines mortem vel optare incipiant, vel timere desistant: nam si summus ille dies nō extinctionem, sed commutationem adfert loci, quid optabilius? sin autem perimit & delet omnino, quid melius, quàm in medijs vitæ laboribus obdormiscere, & ita conuenienter somno consopiri sempiterno.

Optimũ argumẽtum.

Quanquam sensus abierit, tamen summis & proprijs bonis laudis & gloriæ, quamuis nō sentiant, mortui non carebunt.

Ennij oratio melior, quàm Solonis sapientis.

Ennius.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu faxit. Cicero in Tuscul. Quæst. lib. 1.

Solon.

Mors mea non careat lachrymis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.
Aspicite ò ciues senis Ennij imaginis urnam.
Hic uestrûm pinxit maxima facta patrum.

Seneca in Agamemnone.

Qui uultus Acherontis atri
Qui Styga tristem non tristis uidet,
Audetq; uitæ ponere finem,
Par ille regi, par superis erit.
O quàm miserum est, nescire mori.

Miserum nescire mori.

Mors æqualis.

Victor ad Herculeas penetres licet usq; columnas,
Te terræ cum alijs pars manet æqua tamen.
Iro par moriere, obulo non ditior auro,
Et tua te (sed non iam tua) soluet humus.

Aliud.

Hic seruus dum uixit erat, nunc mortuus idem,
Non quam tu Dari magne minora potest.

Hora mortis incerta.

Non ego quos rapuit mors defleo, defleo uiuos,
Quos urunt longo fata futura metu.
Fleres, si scires unum tua tempora mensem,
Rides cùm non sit forsitan una dies.

Παλλαδᾶ.

Γῆς ἐπέβην γυμνὸς γυμνὸς θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι:
Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος. id est:
Ingredior nudus terram, egredior quoq; nudus:
Quid frustra studeo, funera nuda uidens.

Thomæ Mori.

Nudus ut in terram ueni, sic nudus abibo:
Quid frustra sudo, funera nuda uidens.

Mors finis omnium malorum.

Nam stultum est mortem matrem timuisse quietis,
Quam fugiunt morbi, mœstaq; pauperies.
Sola semel miseris sese mortalibus offert,
Nec quisquam est, ad quem mors iterum rediit.
At reliqui morbi uarij, multiq; uicissim,
Nunc hunc, nunc illum, terq; quaterq; premunt.

Sola mors Tyrannicida est.

Duriter es quicunq; uiris oppressus iniquis,
Spem cape, spes luctus leniat alma tuos.
Versilis in melius uel te fortuna reponet,
Vt solet excussa nube nitere dies:
Aut libertatis uindex frendente Tyranno,
Eruet iniecta mors miserata manu,
Aufert hæc (quo plus tibi gratificetur) & illum.
Aufert, atq; tuis protinus ante pedes.
Ille opibus tantis, fastuq; elatus inani,
Ille ferox crebris ante satellitibus.
Hic neq; toruus erit uultu, nec ut antè superbo:
Sed miser, abiectus, solus, inermis, inops.
O quid uita tibi dedit unquam tale? uicissim
Iam ridendus erit, qui metuendus erat.
O cor triste malis miserè immersumq; profundis
Rumpere, sit pœnæ terminus iste tuæ.
Sanguinolenta tuæ dominæ, tua uulnera pande,
Illa breui est, quæ nos diuidit una duos,
Quàm miser ergo diu sic heu lachrymabo querarq;?
Mors ades, & tantis horrida solue malis.

Mortis increpantis humanam contra tumultuantem quendam satellitem altercatio. S. B.

Quid tibi uita procax, quid gloria uana iuuentæ
Corporis, aut prodest robur inane tibi?
An uagus incessus, uestis tua & impia, nostros
Tenebit uultus, legitimasq; uias?
Pensa alios, qui forte pares tibi uiribus olim:
Sub nostra tandem sed cecidere manu.
Si numerum poscis, Lybicas reputemus aristas,
Succida sarmatici quæ uel harena maris:

Quot

Quot conuexa poli rorantia sydera pascunt,
Quotq; atomos solis uersat agitq; calor.
Ad mea deproperant uitalia corpora regna:
Serius aut citius cuncta creata ruunt.
Quid rogo stulta cohors, mortem mercede caduca
Quæritis, & uitam uendere stipe iuuat?
Vos regum nummi, uos sæua pecunia perdit:
Sponte iuuat stultos currere ad interitum.
Dum solitum fugitis manuumq; operumq; laborem,
In mortem ruitis,, præcipitemq; necem.
Vos mihi tum pœnas datis, & stipendia digna
Sumitis: in promptu soluere cuncta queo.
Si præsciretis quæ præmia, qualia dona
Largior emeritis, militibusq; meis:
Vos ligo, & incuruum magis oblectaret aratrum,
Quàm bellum horrendum, & prælia iniqua sequi.
Milia quot uestrum modicis periere sub annis,
Dum nimis externus motus & æra placent:
Sedibus in proprijs potuissent ducere uitam
Tranquillam, & patriæ qui superesse suæ,
Quos omneis rapui ante diem, tu deinde sequeris
Proximus, ut primus quisq; tumultus erit.

Mors omnia rapit.

Quid tibi mortalis cordi est homo, quidúe superbis,
Cum rapiam iuuenes quotidie, atq; senes?
Non ducis imperium, non regia mitra coronæ,
Pontificis summi, cardineusúe chorus:
Sceptra nec orbis item: nec præsulis infula sancta
Mortis ab extrema conditione uacant.
Omnia disturbans, mortalia iura resoluo,
Et cadit ante meos quicquid in orbe pedes.
Arbitrij nostri est, campo mactare uel albo,
Vel nigro: tutè ludite, uictor adest.

Pallades.

Πάντες τῷ θανάτῳ τηρούμεθα, καὶ βεφόμεσθα ὡς ἀγέλη χοίρων σφυλομένων ἀλόλως, Id est.

Omnes morti seruamur, & nutrimur, tanquam grex porcorũ interfectorũ sine ratione.

Mors optimos tollit semper.

Epitaphium.

Ante diem fera sic rumpit tua stamina Clotho,
Nil mouet hanc uirtus, nil pietasq; tua.
Siccine te rapiunt fata immatura uirentem,
Qui patriæ fueras gloria magna domus.
Aetatis uer, qui placidam, roseamq; iuuentam
Spirabas, subita morte perempte iaces.
Scilicet ac uiolæ recidunt æstate rosæq;,
Infelix lolium, uana & auena manet:
Mors sic dura manus non dignas inijcit atras,
Optima quæq; cadunt, pessima quæq; manent.

Quod fati decretum nemini licet euitare.

Siccine fata uolunt. O detestata potestas
Fatorum talis tamq; maligna homini.
Verum heus, sic agimur fatis, & cedere fatis
Cogimur, haud flectet fata querela grauis.

Fatum ineuitabile.

Αλλά μάλ' ὄυπως ἐςὶ διὸς νόον αἰγιόχοιο.
ὄυτε παρεξελθεῖν ἄλλον θεὸν ὀὔχ δ' ἁλιῶσαι. id est.
At mentem Iouis haud ullis rationibus unquam
Diuorum quenquam uitare aut fallere fas est.

Moriendum omnibus: Horat. lib. 1. Ode 28.

Sed omneis una manet nox,
Et calcanda semel uia læthi.
Dant alios Furiæ toruo spectacula marti,
Exitio est auidis mare nautis.
Mista senum ac iuuenum densantur funera, nullum
Sæua caput Proserpina fugit.

Homerus Ilid. lib. 6.

Μοῖραν δ' ὄυ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.
Οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται. i.
Mortem nullum assero euitasse uirorum,
Neq; timidum, neq; fortem, posteaquam genitus sit.

Idem lib. 3 Odysseæ.

Αλλὰ ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοῖιον οὐδὲ θεοίπερ καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύναται ἀλαλκέμεν ὁππότε κὲν δὴ μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι ταννηλεγέος θανάτοιο. id est.
Sed certè mortem quidem molestam, neq; ipsi dij
Et amico uiro possunt remouere, quando
Fatum pernitiosum asperæ mortis illum attraxerit.

Menander.

Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. id est.
Mortalibus omnibus mori est necesse.

Idem.

Ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος, id est.
Vita mala mors eligibilior.

Statius lib. 2. Syluarum in Epicedio Glauciæ melioris.

Omnia functa
Aut moritura uides, obeunt noctesq; diesq;
Astraq;, nec solidis prodest sua machina terris:
Nam populos mortale genus, plebisq; caducæ
Quis fleat interitus: hos bella, hos æquora poscunt:
His amor exitio, furor his & sæua cupido,
Vt sileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido læthalis Syrius igni,
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu:
Quicquid habet ortus finem timet, ibimus omnes,
Ibimus, immensis urnam quatit Aeacus umbris.

Epicurus Menicœo. 5. De morte. Diogenes Laërtius lib. 10. de uitis philosohorum.

Consuesce autem: arbitreris, nihil ad nos per
tinere mortem. bonum enim omne ac malum
in sensu est: sensus autem priuatio mors est. Vn-
de recta cognitio, quod nihil ad nos sit mors,
id efficit, vt, mortale quod est, fruatur vita, non
ambiguum adijciens tempus, sed immortalita-
tis desiderium afferens: nihil enim in vita mali
est ei, qui verè comprehendit, nihil esse in vitæ
priuatione mali. Vanus ergo est, qui mortem se
timere dicit, non quia præsens mœrore confi-
ciatur, sed expectata & futura contristet: nam
quod præsens nihil perturbat, expectatum ne
quicquam conficit. Itaq; quod acerbissimum
malorum est, & horrendũ maximè, mors, nihil
ad

ad nos, quoniam cùm nos sumus, mors non adest: cùm verò mors adest, nos iam nõ sumus. Neque igitur ad viuentes, neque ad mortuos pertinet: nam his qui sunt, illa nõ ad est: quibus verò adest, iam illi non sunt. Atqui plurimum mortem aliquando vt malorum maximum, aliquando vero vt requiem eorum, quæ in vita sunt, tristium, cupiunt. Neque igitur ne non viuat metuit: nec enim illi viuendi amor imperat, neq; opinatur mali aliquid, nõ viuere: quémadmodum verò cibus, non qui plurimus, sed qui suauissimus est, eligitur, ita & tempus non longissimum sed suauissimum carpitur. Porrò qui iuuenem benè viuere, senem benè ex vita discedere admonet, fatuus est, non modo ob amorem vitæ ac studium, verùm quod eadem sit meditatio benè viuendi, ac benè moriendi: longe autem deterius, qui dicit, bonum quidem non natum esse.

φαῦτα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι. id est.

Aut vbi natus eris, mox orci limen adire.

Nam si quòd ita crederet, hoc dixit, quomodo nõ discedebat è vita, id quippe illi in promptu erat, si quidem hæc illi fuisset rata sentẽtia: sin autem inuehens, dum in ijs quæ ratione carent, versatur: memoria vero tenendum, quod futurum est, neque nostrum sit, neque omnino non nostrum, vt ne tanquam futurum prorsus expectemus, neque item quasi non futurum desperemus.

Petrarcha de reb. familia. epist. decima nona.

Nimis faciles sumus ad accusandam naturam: nemo deflet quòd nascitur: nemo quòd viuit: at quòd egestatem sentit, quòd labores patitur quòd senescit, quòd ægrotat, quòd moritur, quisque conqueritur, quasi secundum naturã minus ista, quàm illa sint: & nasci, & viuere, & comedere, & esurire, & dormire, & mori naturalia sunt, vt nemo his mortalium vacet, nisi cui forte senescendi necessitatem laborumq́; molestias & ægritudinum, necessitas mortis præcipitata remiserit. Quid igitur inutiles querelas effundimus? an quia nobis solis ista contingũt, solis nobis lugere permisimus? an quia omnibus cunctorum simul in nos lamenta transfundimus, & veluti humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? Odiosum sanè negocium & importunum: illa enim mitissima nos beneficia eius per impatientiam exacerbauimus, in parentem optimam ingrati, in nosmetipsos impij.

Motus græcè κίνησις. ιος. ἡ. & κινέω moueo dicitur. Est autem motus actus entis in potentia, secundùm Arist. lib. 3. Physic. Item motus motio etiã dicitur. Hinc terræ motus, cuius causa sunt venti in cauernis terræ inclusi.

Ouidius Metamor. libro 6. fi. dicente borea.

Sollicito manes, totumq́; tremoribus orbem.

Motiua, vis sensitiua, duplex est, s. naturalis & animalis. Vis motiua naturalis est, quæ non mouet per apprehensionem, nec est subiecta imperio rationis. Et talis est virtus vitalis, & pulsatiua, quæ mouet arterias, & cor secundum dilatationem, & constrictionem. Et huiusmodi virtus est in corde, sicut in proprio organo. Vnde solum habet esse in animalibus perfectis, pulmonem & cor habentibus. Et hæc vis per spirationem & respirationem est principium contemperandi calorem cordis, & corporis. Vis motiua animalis est, quæ mouet per apprehensionem, & est triplex, quia quædam mouet per modum dirigentis, quædam mouet per modum imperantis, & quædam per modum exequentis, ex Beati Thomæ opusculo de potentijs animæ, capite 5. De his videre potes latius suprà in arbore Animæ.

Mulier græcè γυνή. αικός. ἡ. & γυναίκειος. ου. ὁ muliebris dicitur. Est autem mulier illa, quæ amplius virgo non est. Quare Cicero obiurgãtibus eum nonnullis, quod sexagenarius Popiliam virginem duxisset, respondit: Cras mulier erit. Mulieris appellatione, vt vult Caius iurecon. etiam virgo viri potens continetur, hoc est, quæ matura viro, iam plenis nubilis annis.

De hac vide suprà in Fœmina & Mollities.

Prouerbiorum cap. 5.

Ne intenderis fallaciæ mulieris. Fauus enim distillãs labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absinthiũ, & lingua eius acuta, quasi gladius biceps. Pedes eius descendũt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant. Vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles. Nũc ergo fili audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.

Prouerbiorum cap. 6

Mulier autem viri pretiosam animam capit. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non plantæ comburantur eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.

Idem cap. 11.

Mulier gratiosa inueniet gloriam.

Ibidem.

Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.

Prouerbiorum cap. 14.

Sapiens mulier ædificat domũ suam, insipiẽs extructam quoque manibus destruet.

Idem cap. 18.

Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonũ, & hauriet iucunditatem à domino. Qui expellit mulierem bonã, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens.

Idem cap.19.

Dolor patris filius stultus, & tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier.

Idem cap.21.

Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.

Idem cap 23.

Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos inuenerit, interficiet.

Idem cap.27.

Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparatur. Qui retinet eam quasi qui ventum teneat, & oleum dextræ suæ euacuat.

Idem cap.29.

Qui nutrit scortum, perdet substantiam.

Idem cap.31.

Ne dederis mulieribus substantiam tuam.

Ibidem.

Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.

Ibidem.

Mulier timens dominum, ipsa laudabitur.

Ecclesiastici cap.9.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.

Ibidem.

Auerte faciem tuam à muliere compta.

Ibidem.

Propter faciem mulieris multi perierunt.

Ibidem cap.19.

Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes, & arguunt sensatos, & qui se iungit fornicarijs, erit nequam.

Ibidem.cap.25.

Non est caput nequius, super caput colubri, & non est ira, super iram mulieris.

Ibidem.

Breuis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum, cadat super illam.

Ibidem.

A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.

Ecclesiastici cap.26.

Mulieris bonę beatus vir, numerus enim annorum illorum duplex.

Ibidem.

Dolor cordis & luctus mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans.

Ibidem.

Mulier ebriosa ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.

Ibidem.

Gratia mulieris sedulæ, delectabit virum suũ, & ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est.

Ibidem.

Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.

Ibidem.

Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundum illum est, & columna & requies.

Ibidem 36.

Vbi non est spes, diripietur possessio, & vbi non est mulier, ingemiscit egens.

Paulus 1. ad Corinth. cap.14.

Mulieres in ecclesijs taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpè enim est mulierem loqui in ecclesia.

August. in lib. q. Gen. & hab. 33. quæst. 5.

Est ordo.

Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filij parentibus, quia in illis hæc iustitia est, vt maiori seruiat minor.

Idem in quæst. noui & uete. test. & habetur. 33.

q.5. Hæc imago.

Hæc imago Dei est in homine, vt vnus factus sit dominus, ex quo cæteri oriantur, habés imperium Dei, quasi vicarius eius, quia vnius Dei habet vir imaginem. Ideoq; mulier ad imaginé Dei non est facta, sic etenim dicit, & fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, hinc etiam Apostolus: Vir quidem ait non debet velare caput, quia imago & gloria Dei. Mulier ideo velet, quia non est imago, aut gloria Dei.

Hieron. in epistola ad Nepotianum, & habetur

dist.32. Hospitiolum.

Hospitiolum tuum aut raró, aut nunquã mulieris pedes terant: oẽs puellas & virgines Christi, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. Nec sub eodẽ tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate cõfidas. Nec Samsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior.

Idem ad Rusticum Monachum.

Mátrem tuam ita vide, ne per illam alias, videre coneris, quarum vultus cordi tuo hęreant. Et tacitũ viuat sub pectore vulnus. Ancillulas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidijs, & quanto vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina.

Ibidem.

Nunquam de mulierum formis disputes, nec quid in cuiusquã domo agatur, alia domus pro te nouerit. Fœminę nomen tuũ nouerint, vultum tuum nesciant.

Idem contra Iouinianum.

Vxorem pauperem alere difficile est, diuité ferre tormentũ est. Quid prodest diligés custodia? cũ vxor seruari impudica nõ possit, pudica non

non debeat. Infidā enim custos castitatis est necessitas, & illa vera pudica dicēda est, cui licuit peccare, sed noluit.

Ibidem.

Pulchra citò adamatur, fœda nō facile cōcupiscitur: difficilè custoditur, quod plures amant: molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quàm formosa seruatur.

Ibidem.

Nihil tutū est, in quo totius populi vota suspirant, alius forma, alius ingenio, alius facetia, alius liberalitate sollicitat, aliquo modo expugnatur, quod vndique incessitur.

Hieronymus epistola 8.

Illę oculos Christianos scandalizāt poti⁹ quæ purpurisso, & quibusdam fucis ora oculosq; depingūt, quarū facies Aegyptiaca nimio candore deformes idola mentiuntur, quas nec numerus annorū potest dicere, quòd vetulę sint, quę capillis alienis verticem struunt, & pręteritā iuuētutem, in rugis anilibus poliunt. Erubescat mulier Christiana, si naturam cogit in decorē, sed carnis curam facit in concupiscentijs.

Idem epistola 98.

Quid in facie Christianæ purpurissus facit, & cerusa?

Ibidem.

Ignis Iuuenum, & fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Ornatus iste non Dei est velamen, sed Antechristi.

Ambro. lib. quæst. Noui & Veteris Test. & habetur 33. quæst. 5. Mulierem.

Mulierem cōstat subiectā dominio viri esse, & nullam autoritatem habere, nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec iudicare.

Ambr. in Hexamer. in tract. diei 4. & hab. 33. quæst. 5. Adam.

Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adam: quem vocauit ad culpam mulier, iustū est vt eam in gubernatione assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur.

Idem super primam epistolam ad Corinth. & hab. 33. quæst. 5. Mulier.

Mulier debet velare caput, quia non est imago Dei, sed vt viro ostendatur subiecta, & quia præuaricatio per illam inchoata est, hoc signū debet habere: in ecclesia propter reuerentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, non habeat potestatem loquendi, quia episcopus habet personam Christi, quasi ergo ante iudicem Christum, ita ante episcopum sit; quia vicarius domini est; propter peccatum originale subiecta debet videri.

Ambro. in libro de Paradiso, & habetur ibidem. Nec illud.

Nec illud otiosum est, ꝙ non de eadem terra in qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier, vt sciremus vnam in viro & in muliere corporis esse naturam, vnum fontem generis humani, ideo non duo à principio facti vir & mulier, nec duo viri, neque duo mulieres, sed primùm vir, & deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab vno principio creaturæ hoc incipiens, multarum & disparium naturā eripuit facultatem.

Ambro. lib. 1. de Dauid.

Samson validus & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas, sed vnius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.

Ambro. lib. de Officijs.

Fœminarum cum clericis nullo pacto coniuncta permittitur conuersatio, ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuumque genus est fœmina, cùm proximat, ignem accendit. Flammigero igne percutit conscientiam pariter laborantis, & exurit fundamenta montium. Si cum viris fœminæ habitent, viscarium non deerit diaboli.

Ibidem.

Si pudicam quæris fœminam, quam benè videris conuersantem, mente dilige, non corporali accessu frequentes. Nemo miles cum vxore, pergit ad bellum. Fœminæ cum viris habitātes, germinant spinas, & arcana mentiū, acuto mucrone, percutiunt.

Ioannes Chrysost. in sermone de decollatione Ioannis Baptistæ.

Quid eñ quis dicat? aut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem malitiosam? Ego quidem existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius? sed nihil hac ferocius. Quid in serpētibus dracone acri⁹? Nec hic quidem cum muliere mala, conferri potest. Nam leo & draco, in malo inferiores sunt. Danielem leones in lacu veriti sunt. Iustum verò illum Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionā in ventre custodit. Dalida Samsonem circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum, alienigenis tradidit. Ioannem Baptist. in deserto viuentem, dracones & aspides cornutæ subdita feritate tremuerunt, Herodias verò eidem caput abscidit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. O malum summum & acutissimum telum diaboli.

Ibidem.

Per te bella fiunt, per te sapientes se perdunt, per te sancti occisi sunt, per te ciuitates cōbustę sunt, per te vita perdita est, per te mors inuenta est, per te diuites pauperes, per te pulchri turpes, ꝑ te fortes debiles, per te veraces mēdaces,

per te casti luxuriosi, per te humiles superbi, per te pœnitentes inobedientes, & Deo odibiles fiunt. Hęc est mulier antiqua malitia, quę Adam eiecit de paradisi delicijs. Hæc humanũ genus, mersit in infernum. Hæc vitam abstulit mũdo, per vnius arboris pomum. Hoc malum homines ducit ad mortem.

Ioannes Chrysosto. super illud Matth. 19. Non expedit nubere.

Quid est aliud mulier? nisi amicitię inimica, ineffugabilis pœna, necessariũ malũ, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum.

Ioannes Chrisosto. super Psalm. 50.

Quid est speciosa mulier? sepulchrũ dealbatũ, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Pulchritudo autem sine his virtutibus, est præcipitium patens, venenum inspicientibus compositum.

Isidorus, & habetur 30. q. 5. Fœminæ.

Fœminę dum maritantur, ideo velantur, vt se nouerint semper maritis suis, subditas esse & humiles.

Lactant. Firmianus diui. insti. lib. 3.

At nulla vehemétior discordiarum est causa, quã vnius fœminæ à multis maribus appetitio.

Seneca Tragœdia 10.

O quàm cruentus fœminas stimulat dolor,
Vna cùm patuit pellici ac nuptæ domus.

Seneca in Medea.

Nulla uis flammæ, tumidiq; uenti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cùm coniunx uiduata tedis
Ardet & odit.

Seneca Tragœ. 4.

Sed dux malorum fœmina, & scelerum artifex.

Ibidem.

Sileantur aliæ, sola coniunx Aegei
Medea, reddet fœminas dirum genus.

Idem

Detestor omnes, horreo, fugio, execror,
Scit ratio, scit natura, scit dirus furor,
Odisse placuit. *Ibidem.*
Instruitur omnis fraude fœminea dolus.

Aristoteles libro 3. de animalibus.

Lac mulierum nigrarum, melius est, & pluris cibi quàm albarum.

Idem libro 5. de animalibus.

In annis nubilib⁹ mamillę incipiũt ingrossari.

Idem libro 6. de animalibus.

Nulli animaliũ accidit mẽstruũ sicut mulieri.

Idem libro 8. de animalibus.

Mulier melioris est pietatis, & compositionis, quàm vir, sed maioris inuidiæ, & diligit lites; & malitiosior, & de facile decipitur.

Idem libro 9. de animalibus.

Imprægnatio, accidit mulieribus naturaliter post menstruum.

Ibidem.

Fœminæ post partum citò crescunt.

Ibidem.

Mulieribus tempore partus accidit fortis calor.

Ibidem.

Menstruum in mulieribus cessat post 44. annos. In aliquibus verò remanet vsq; ad 50.

Idem libro 10. de animalibus.

Mulieres lactantes, omnino non menstruantur, vel modicum.

Idem libro 15. de animalibus.

Fœtus nõ fit ex permistione duorum spermatum. Vnde & mulier impręgnatur sine effusione spermatis.

Ibidem.

Mas est principium motus in generatione. Fœmina verò est sicut materia.

Ibidem.

Fœmina nõ generat per se, quia indiget principio motus, quod est mas.

Idem libro 16.

Fœmina est mas occasionatus.

Idem libro 18.

Mulier & equa, super omnes fœminas diligunt coitum.

Ibidem.

In hominibus citius formantur mares, quàm fœminæ.

Ibidem.

Fœminæ debiliores sunt maribus, quia sunt frigidioris naturæ.

Idem libro 1. Politicorum.

Consilium mulieris est inualidum, pueri autem imperfectum.

Idem libro 3. Politicorum.

A mulieribus malè regitur ciuitas.

Ibidem.

Melius est mulieris dotem, modicam vel mediocrem esse, quàm magnam.

Idem libro 7. Politicorum.

Finis generationis in viris, vt plurimum est numerus 70. annorum, in mulieribus autem quinquaginta.

Laert. Diog. de uita & moribus Philosopho.

Duo lachrymarum genera sunt in oculis mulierũ (dicebat Pythagoras) veri doloris vnum, insidiarum verò aliud.

Ibidem.

Mulier speciosa & pulchra, templũ est super cloacam ædificatum, dicebat Socrates.

Ibidem.

Interrogatus Secundus philosophus, quid esset mulier? Respõdit, hominis confusio, insatiabilis bestia, cõtinua sollicitudo, indefinens pugna, quotidianum damnum, solitudinis impedi-

pedimentum, viri incontinentis naufragium, adulterij vas, perniciosum prælium, animal pessimum, pondus grauissimum, aspis insanabilis, humanum mancipium.

Cicero Rhetor. nouorum lib. 4.

Maiores nostri, si quam vnius peccati damnabant mulierem, simplici iudici multorum maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? Quoniam quam impudicam iudicarant, eam veneficij quoque damnatam existimabãt, quid ita? necesse est eam quæ suum corpus addixerit cupiditati, timere permultos. Quos? Istos, virũ, parentes, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? eos quos tantopere timeat necesse est, vt quoquomodo posit venefìcio petat. Cur? quam nulla potest honesta ratio retinere, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura faciat necesse est inconsideratam.

Cicero Rhetoricorum ueterum lib. 1.

Mulierum genus est auarum.

Valer. Max. lib. 2.

Vini vsus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne. s. in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperãtiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit.

Ibidem.

Veneficij quęstio & moribus & legibus Romanis ignota, cõplurium matronarũ patefacto scelere orta est, quę cũ viros suos clandestinis insidijs, veneno perimerent, vnius ancillæ indicio protractę, per senatum capitali iudicio damnatæ, centum & 80. numerum expleuerunt.

Euripides in Medæa.

γυνὴ γὰρ, τἄλλα μὲν φόβου πλέα,
κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν, καὶ σίδηρον εἰσορᾶν,
ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα. id est.

Mulier enim in alijs quidem timore plena,
Timida autem in pugnam & ferrum inspicere:
Sed quando circa lectum iniuria affecta fuerit,
Non est alia mens magis homicida. Idem.

γυναῖκες, εἰς μὲν ἔσθλ', ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. id est.

Mulieres sumus ad bona consilij pauperrimæ.
Malorum autem omnium artifices sapientißimæ. Idem.

πάντων δ' ὅσ' ἔστ' ἔμψυχα, καὶ γνώμην ἔχει,
γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν. id est.

Omnium autem quæ sunt animata, & mentem habent,
Mulieres sumus miserrima planta.

Hesiodus.

μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος ἐξαπατάτω
αἱμύλα κωτίλλουσα, τεὴν διφῶσα καλιήν. id est.

Neq; mulier ornans nates tuam mentem decipiat
Blanda loquens, tuam euacuans domum. Idem.

ὃς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ' ὅγε φιλήτῃσιν. id est.

Qui mulieri credidit, credidit ille deceptoribus.

Menander.

Χειμὼν κατ' οἴκους ἐστὶν ἀνδράσιν γυνή. id est,
Tempestas in domibus est hominibus mulier. Idem.

ὡς ἔστ' ἄπιστον ἡ γυναικεία φύσις. id est,
Quàm est infidum muliebris natura. Idem.

βίου σπάνις πέφυκεν ἀνδράσιν γυνή. id est,
Vitæ raritas est hominibus mulier. Idem.

γυνὴ δικαία τοῦ βίου σωτηρία. id est,
Mulier iusta uitæ salus. Idem.

γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Mulierem bonam consequi non facilè. Idem.

γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσόν ἐστιν ἢ γαμεῖν. id est,
Mulierem sepelire melius est quàm ducere in uxorem.

Idem.

γυνὴ τοσύνολον ἐστὶ δαπανηρὸν φύσει. id est,
Mulier penitus est sumptuosum quid naturâ. Idem.

γυναικὶ μὴ πίστευε τὸν σαυτοῦ βίον. id est,
Mulieri ne crede tuipsius uitam. Idem.

γυνὴ γὰρ οὐδὲν οἶδε πλὴν ὃ βούλεται. id est,
Mulier enim nihil nouit præter quod uult. Idem.

γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιον ἐστ' οἰκίας. id est,
Mulier autem bona temo est domus. Idem.

γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει. id est,
Mulier à muliere unquàm nihil differt. Idem.

ἐν γὰρ γυναιξὶ πίστιν οὐκ ἔνεστ' ἰδεῖν. id est,
In mulieribus enim fidem non licet uidere. Idem.

θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή. id est,
Thesaurus est malorum, mala mulier. Idem.

θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα κακὴ γυνή. id est,
Feris omnibus agrestior mala mulier. Idem.

θάλασσα καὶ πῦρ, καὶ γυνή, κακὰ τρία. id est,
Mare & ignis & mulier, mala tria. Idem.

ἰὸς πέφυκεν ἀσπίδος κακὴ γυνή. id est,
Venenum est aspidis mala mulier. Idem.

ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης. id est,
Aequalis leænæ & mulieris crudelitas. Idem.

καλὸν γυναικὸς εἰσορᾶν καλοὺς τρόπους. id est,
Pulchrum mulieris inspicere pulchros mores. Idem.

καλὸν φυτὸν πέφυκεν ἐν βίῳ γυνή. id est,
Pulchra planta est in uita mulier. Idem.

λύπη παροῦσα πάντοτ' ἐστὶν ἡ γυνή. id est,
Tristitia præsens ubiq; est mulier. Idem.

νύμφη δ' ἄπροικος οὐκ ἔχει παρρησίαν. id est,
Sponsa sine dote non habet audaciam. Idem.

ῥύπος γυνὴ πέφυκεν ἠργυρωμένος. id est,
Sordes mulier est argentata. Idem.

τερπνὸν κακὸν πέφυκεν ἀνδράσιν γυνή. id est,
Delectabile malum est hominibus mulier. Idem.

ὑπερήφανον πρᾶγμ' ἐστὶν ὡραία γυνή. id est,
Superba res est mulier speciosa.

Pittacus.

γυναικὸς ἄρχε, id est,
Mulieri impera.

Plautus in Asinaria.

Satis dicacula est amatrix, lingua poscit, corpus quęrit, animus orat, res monet.

Plautus in Casina.

 Non

Son le catene oue con multi affani
Ligato sum, per chio stesso mestrinse. Id est.
Charitas principis, & amor fœminæ;
Sunt cathenæ, quibus labore plurimo
Ligatus sum, quoniam meipsum implicui.

Euripidi Tragicis.

AMANTIVS.

Δεινὴ μὲν ἀλκὴ κυμάτων θαλασσία,
Δεινὰ δὲ ποταμοῦ, καὶ πυρὸς θερμαὶ πνόαι,
Δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία:
Ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινὸν ὡς γυνὴ κακόν
Οὐδ' ἂν γένοιτο γράμμα τοιοῦτ' ἐν γραφῇ,
οὐδ' ἂν λόγος δείξειεν: εἰ δέ τις θεῶν
Τὸ δ' ἐστι πλάσμα, δημιουργὸς ὢν κακῶν
Μέγιστος ἴστω, καὶ βροτοῖσι δυσμενής. id est.
Dira quidem uis est marinorum fluctuum,
Et uehemens fluuij, feruentis & impetus ignis,
Est dira paupertas, & alia innumera:
Sed nullum immanius est malum muliere,
Neq; huiusmodi malum aut scribi posset,
Aut uerbis exprimi. Quod si Deum aliquis
Mulierem formauit, opificem se malorum esse
Sciat maximum, & hominibus inimicum.

Menandri comici.

ἔστι δὲ γυνὴ λέγουσα χρηστ' ὑπερβάλλων φόβος. id est.
Mulier uerbis benigna maximè timenda est.

Euripides in Hyppolito.

ὄλλυσθε, μισῶν δ' οὔποτ' ἐμπλησθήσομαι
Γυναῖκας, οὐδ' εἰ φησί τις μ' ἀεὶ λέγειν:
Ἀεὶ γὰρ οὕτως εἰσὶ κἀκεῖναι κακαί.
ἢ νῦν τις αὐτὰς σωφρονεῖν διδαξάτω,
ἢ κἄμ' ἐάτω ταῖσδ' ἐπεμβαίνειν ἀεί. id est.
Dispereatis, nunquàm equidem saturitas me capiet odij
In mulieres, etiam si quis dicat eadem semper à me repeti
Nam & illæ semper similiter malæ sunt.
Aut igitur aliquis eas resipiscere doceat,
Aut me quoq; sinat eis insultare semper.

Menander.

ἔργον, γυναικὸς οὐκ λόγου πίστιν λαβεῖν. Id est.
Difficilè est uerbis mulieris fidem habere.

Euripides in Oedipo.

ἄλλων δὲ πάντων δυσμαχώτατος γυνή:
ἐχθροῖσιν εἴη πολεμίαν δάμαρτ' ἔχειν. id est.
Inter omnes alias res maximè inexpugnabilis est mulier.
Hostibus eueniat inimicas habere uxores.

Menander.

ὅτι ἐστι ἄπιστον, ἡ γυναικεῖος φύσις. id est.
Mulieris quidem ingenium fide dignum non est.

Plautus in Truculento: loquitur autem
Phronesium meretrix.

Malè quod mulier inceperit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miserè miseria est:
Si benefacere inceperit, eius enim cito odium percipit,
Nimisq; pauca efficiunt, si quid occeperint benefacere.
Mulieri nimio malefacere melius est onus quàm benè.

Fœminæ multorum malorum caussæ.

Ouidius lib. 2. de sine tit.

Nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax, Asiæq; foret.
Fœmina syluestres Lapithas, populumq; biformem
Turpiter apposito uertit in arma mero.
Fœmina Troianos iterum noua bella mouere
Impulit, in regno iustè Latine tuo.
Fœmina Romanis etiam nunc urbe recenti,
Immisit soceros, armaq; sæua dedit.

Mulier custodita non mente, sed corpore
tantùm casta est. Ouid. lib. 3.
de sine titulo.

Dure uir, imposito teneræ custode puellæ
Nil agis: ingenio quæq; tuenda sub est.
Si qua metu dempto casta est, ea deniq; casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit,
Vt iam seruaris benè corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni uelit, ulla potest:
Nec mentem seruare potes, licet omnia claudas.
Omnibus exclusis intus adulter erit,
Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Nitimur inuetitum semper, cupimúsq; negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.
Centum fronte oculos, centum ceruice gerebat
Argus, & hos unus sæpè fefellit amor.
In thalamo Danaæ, saxo, ferroq; perenni,
Quæ fuerat uirgo tradita mater erat.
Penelope mansit, quamuis custode careret,
Inter tam multos intemerata proces.

Ex Ausonio de senten. 7. Græciæ
sapientum.

Quæ dos matronis pulcherrima? uita pudica,
Quæ casta est? de qua mentiri fama ueretur.

Idem in Hecuba.

Si quis autem mulieribus ex antiquis malè dixit,
Aut nunc id facit, aut futurus est olim:
Illorum ego omnium maledicta breuiter comprehendã:
Nam neq; pontus, neq; tellus genus alit
Huiusmodi: quod nouit, qui id semper experitur.

Idem in Menalippe.

Πλὴν τῆς τεκούσης, θῆλυ πᾶν μισῶ γένος. id est.
Muliebre genus unum, excepta parente, odi.

Idem in Danaë.

Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων,
οὐ τῶν τεκόντων ἐστίν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

Ex Plato
repe

Caput fœmineum.

Non si fœmineum crebrò caput igne refundas,
Ingenij mutes prima metalla sui.

Fœmina.

Cuncta sub astrigero regnantia crimina cœlo,
Nutrit in æternos fœmina nota dolos.

Euripides in Alope.

Γυνὴ γυναικὶ σύμμαχος πέφυκέ πως. id est.
Mulier mulierem defendere solet.

Idem in Aeolo.

Infelix

Infœlix profectò, & non sapiens uocabitur,
Quisquis mulieri maledicere desinit.

Idem in Aegeo.

Fit quodam modo mulier inimica
Omnibus, qui prius familiares erant, ubi coniuncta est
secundo marito.

Idem in Andromache.

Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς· γυνὴ γὰρ εἶ. id est.
Multa inuenire poteris machinamenta, mulier enim es.

Ibidem.

Mulierem oblectat præsentia mala
Semper in ore & lingua habere.

Ibidem.

Mulieris mens inuidiosa res est,
Et maximè infensa mariti is semper. Id est.
Ἐπίφθονόν τι χρῆμα θηλείας φρενός.
Καὶ ξυγγάμοισι δυσμενὲς μάλιστα εἰεί.

Pius secundus Philosophus, interrogatus ab Adriano principe quid esset mulier, respondit: Hominis confusio, insatiabilis bestia, continua sollicitudo, indesinens pugna, cotidianū damnum, solitudinis impedimentum, viri incontinentis naufragium, adulterij vas, perniciosum prælium, animal pessimum pondus grauissimum, aspis insanabilis, humanum mancipium. Laërtius Diogenes seruauit perpetuum silentium, ex eo quod matri ex eius sermone ac tentatione mors accidisset, nec illum Hadrianus imperator ad loquendum etiam capitis pœna indicta commouere potuit: Cuius constantiam admiratus pepercit, & petiuit data ei tabula, vt ad aliquot problemata proposita responderet manu saltem, id quod non grauatim fecit.

Euripides in Danaë.

Mulier paternam egressa domum,
Non amplius parentum est, sed mariti.

Vergilius 4. Aeneidos.

Eia age rumpe moras, uarium, & mutabile semper
Fœmina.

Idem 3. Georgico.

Carpit enim uires paulatim, uritq; uidendo
Fœmina.

Ibidem.

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.
Tunc grauis illa uiro, tunc orba tigride peior,
Tunc simulat gemitus occulti conscia facti:
Aut odit pueros, aut facta pellice plorat
Vberibus semper lachrymis, semperq; paratis
In statione sua.

Ibidem.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm uirides gemmas collo circumdedit albo.

Ibidem.

Intolerabilius nil est, quàm fœmina diues.

MVLIERES AD RES BONAS *ineptissimæ, ad malas doctissimæ esse solent.*

Euripides in Danaë.

Sic dici solet: mulieribus artes
Curæ esse, uiros autem plus ualere hasta:
Nam si dolis acquirere uictoriam liceret,
Nos sanè uiris imperaremus. Id est.
εἰ γὰρ δόλοισιν ἦν τὸ νικητήριον,
ἡμεῖς ἂν ἀνδρῶν εἴχομεν τυραννίδα.

Idem in Ino.

Φεῦ, ὅσῳ τὸ θῆλυ δυστυχέστερον γένος
Πέφυκεν ἀνδρῶν· ἔν τε τοῖσι γὰρ καλοῖς
Πολλῷ λέλειπται κἀπὶ τοῖς αἰσχροῖς πλέον. id est.
Papæ, quanto infeliciùs mulierum genus
Quàm uirile: nam in bonis rebus
Multum inferius est, malis autem superat.

Idem in Iphigenia.

Δειναὶ μὲν αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας. id est.
Callidæ sunt mulieres inueniendis dolis.

Idem in Medea.

Quas primum oportet magnis opibus
Maritum comparare, & corporis dominum
Accipere: quòd omni malo deterius est.

Idem in Oedipo.

κακίων ἄλοχος κἂν ὁ κάκιστος γήμῃ τὴν εὐδοκιμοῦσαν.
Peior est uxor, etsi pessimus uir existimationis optimæ
ducat uxorem.

Idem in Meleagro.

Quod si uiris curæ essent radij textorij,
Mulieres uerò delectarentur armis,
Vtriq; sua scientia amissa,
Tum illi, tum nos nihil essemus amplius.

Idem in Phœnissis.

Mulieres natura sunt ad uituperandum pronæ:
Quid si exiguam dicendi ansam nactæ fuerint,
Plurima adijciunt: Voluptas enim est
Mulieribus, nihil sanè inuicem loqui.

Menander.

Ἔστι γὰρ γυνὴ λέγουσα χρηστὰ ὑπὲρ βάλλων φόβος. id est.
Vehementer metuēda est mulier, cū benignis uerbis utitur.

Homerus.

Οἶσθα γὰρ, οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός·
Κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν ὅς κεν ὀπυίοι,
Παίδων δὲ προτέρων καὶ κουριδίοιο φίλοιο,
Οὐκέτι μέμνηται τεθνειῶτος, οὐδὲ μεταλλᾷ. id est.
Nosti enim qualis sit mens in pectore mulieris:
Illius uult domum augere, qui ipsam duxerit uxorem.
Priorum uerò liberorum, & primi mariti
Defuncti, non meminit amplius neq; moratur.

Alexis.

Οὐκ ἔστ' ἀναισχυντότερον οὐδὲν θηρίον
Γυναικὸς ἀπ' ἐμαυτῆς ἐγὼ τεκμαίρομαι. id est.
Non est impudentius ullum animal
Muliere: ex me ipsa coniecturam facio.

Menander.

Atqui cogito miser ego qui expectabam
Beneficium ex muliere accepturum me, ne modo
Mali quippiam patiar, & benè res habebit.
Rarum enim est mulieris beneficium. Id est.
Οὐκ ἐν γυναικὶ φύεται πλείστη χάρις.

Euripides.

Γυναῖκές ἐσμεν, τὰ μὲν ὄκνῳ νικώμεθα,
Τὰ δ' οὐκ ἂν ἡμῶν θράσος ὑπερβάλλοιτό τις. id est.
Mulieres sumus, & ad multas res ignauæ,
In quibusdam uerò omnium audacissimæ.

Alexis.

Οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα
οὐδ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή. id est.
Non est uel murus, uel pecuniæ,
Vel aliud quippiam custoditu tã difficile, quàm mulier.

Hesiodus in Theognia.

Mulier natura effrenis est, & amarulenta:
Ex hac enim ortũ est exitiale genus, & muliebris sexus.
Qui damnum ingens cum uiris mortalibus habitat,
Non miseræ paupertatis, sed tantùm saturitatis comes.

MVLIER OMNIVM FERARVM ferocissima. Fœminæ ad fraudes struendas aptiores uiris sunt.

Antiphanes.

Ego mulieri hoc unum credo,
Quod à morte non reuiuiscat:
In cæteris uerò omnibus diffido, donec mortua fuerit.

Hesiodus in operibus.

His ego loco ignis malum dabo, quo omnes
Animo delectantur, suum diligentes malum.

Ibidem.

Et animum impudentem, moresq;
Fraudulentos inserere Vulcano præcepit:
Imposuit eis pectoribus nuncius deorum Argicida
Mendacia, blandosq; sermones, & ingenium subdolum.

Sophocles.

Ω πᾶν σὺ τολμήσασα καὶ πέρα γύναι
Κακῶν, ἀλλ' οὐκ ἔστιν οὐδ' ἔσται ποτὲ
Γυναικὸς ἔτι πῆμα γίνεται βροτοῖς. id est.
O mulier omne facinus ausa, & plusquàm omne.
Verùm nihil est peius, nec erit unquàm
Muliere, inter hominum calamitates.

Antiphanes.

ὀφθαλμιῶν ἄνθρωπος ἰσχυρῶς κακὰ
Πάμπολλα πάσχων. ἓν ἀγαθὸν πάσχει μόνον,
ὅτ' οὐχ ὁρᾷ γυναῖκα τοῦτον τὸν χρόνον. id est.
Homo lippiens ualde, dum mala
Plurima patitur, unum hoc boni habet,
Quod interea mulierem non uidet.

Euripides in Phœnice.

Cùm multa in terra mariq; feræ sint,
Omnium maxima mulier fera est:
Mulier enim omnium efferatissimum malum est:
Vbi Mulieres, ibi omnia mala sunt.

Idem in Hippolito.

Θησεῦ παραινῶ καὶ τὸ λῷστον φρονεῖν,
Γυναικὶ πείθου μηδὲ τι. ἀληθῆ κλύων. id est.
Consilium tibi optimum do Theseu:
Mulieri ne crede, quamuis uera audiens.

Phocylides Poëta.

Hæc Phocylidis est sententia.
Ex quatuor hisce animalibus natum est
Genus mulierum, cane, apicula,
Torua sue, aut equo iubato.
Ex equo nata agilis est, uelox, discurrens, pulchritudine præstans:
Ex torua autem sue, neq; mala, neq; bona:
Ex cane uerò molesta, & fera est:
Ex apicula autẽ benè regit rẽ familiarẽ, et nouit operari.
Cuius amabiles nuptiæ, charæ sodalis optandæ tibi sunt.

Græcè.

Καὶ τόδε Φωκυλίδεω· τετλάρων ἄπο τῶν δὲ γένοντο
φῦλα γυναικείων, ἡ μὲν κυνός ἡ δὲ μελίσσης,
ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς, οὔτ' ἄρ κακὴ οὐδὲ μὲν ἐσθλή
ἡ δὲ κυνὸς χαλεπή τε καὶ ἄγριος, ἡ δὲ μελίσσης
ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς, ἡ δὲ ἵππου χαιτηέσσης
εὔφρος ἠδὲ ταχεῖα περίδρομος, εἶδος ἀρίστη,
ἡ δὲ συὸς βλοσυρῆς οὔτ' ἂρ κακὴ οὐδὲ μὲν ἐσθλή.
ἡ δὲ κυνὸς χαλεπή τε, καὶ ἄγριος, ἡ δὲ μελίσσης
οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι
ἧς εὔχου φίλ' ἑταῖρε λαχεῖν γάμου ἱμερόεντος.

Democritus.

Γυνὴ πολλὰ ἀνδρὸς ὀξυτέρη πρὸς κακοφραδμοσύνην.
id est. Mulier multo quàm vir promptior est ad astutias & malignitatem.

Caius pro Lucilla.

Εὐάγωγον γὰρ ἐστὶν εἰς πίστιν γυνή, καὶ μάλιστα ὅταν τὸ ἀτυχεῖν προσῇ. id est.

Mulier ad credendum facilis est, & præsertim in calamitatibus.

Idem contra Menandrum.

Εὐάγωγον δὲ εἰς τὸ ῥαδίως τι τολμῆσαι θυμὸς γυναικός. id est.

Agilis & promptus est muliebris animus ad audaciam.

Simonides.

Iuppiter malorum maximum creauit
Mulieres, etsi forte prodesse uideantur,
Habenti uerò maximè sentitur malum.
Nunquàm enim hilaris diem transigit
Totum, quisquis cum uxore degit:
Nec citò famem à familia arcebit,
Inimicam contubernalem, hostem deorum:
Imò quando uir sibi maximè lætari uidetur
In domo, siue diuinitùs, siue alicuius hominis gratia:
Tũ uerò mulier inuento quod culpet, ad pugnã armatur.
Vbi enim mulier est, ne hospes quidem
Ad domum ueniens beneuolè suscipitur.
Porrò quæ maximè bona esse uidetur:
Ea plurimum obesse solet,
Hianti nimirum uiro, & nihil ab ea metuenti:

Græca hæc, & alia apud Stobæum in collectaneis inuenies.

Miſeria mulierecularum, ex Mercatore Plauti: Syra anus.

Vtinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt uiro:
Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt uno uiro,
Qui minus uir una uxore contentus ſiet?
E caſtor faxim, ſi itidem plectantur uiri,
Si quis clàm uxorem duxerit ſcortum ſuam:
Vt illæ exiguntur, quæ in ſe culpam commerent
Plures uiri ſint, quàm nunc mulieres.

In mulieris.

Aëre quot uolucres inſunt, quot littore conchæ,
Tot mala, tot fraudes mens mulieribus.

NANVS. Multiloquium græcè Πολυλογία.ας.ἡ. & πολυλόγος.ȣ.ὁ. multiloquus dicitur. Eſt autem multiloquium multitudo locutionis cum ſuperfluitate, vel præter vtilitatem vel neceſsitatem. Et ſic intelligitur. Prou. 10. In multiloquio non deerit peccatum. Ex Ale. de Ales ſecunda ſecundæ tractatu de multiloquio.

Multiloquium eſt filia gulæ, ſec. b. Tho. ſecunda ſecũdæ q. 148. ar. 6. Quid autem differat à ſcurrilitate, vide infra in Scurrilitas. Multiloquium etiam multiloquentia dici poteſt.

MVndus græcè κοσμός.οῦ.ὁ. & κοσμικός.οῦ.ὁ. mundanus dicitur. Eſt autem mundus qui cõſtat ex cœlo, terra & terrenis cœleſtibusque naturis, vt ait Poſsidonius in Meteoris. Siue qui conſtat ex dijs, & hominibus, ijſque rebus, quæ horum gratia conditæ ſunt, ab ornatuq; dicitur, quem græci κόσμον vocant. Eſt etiam mũdus, ornatus muliebris, quaſi munitus: quamuis alij à mouendo, dictum velint, quoniã mundus id genus ornatus ſit, quod ſumunt mulieres ac deponunt. Mundum etiam neutro genere veteres dixerunt. Luci. Legauit quidam vxori mũdum omne penumq;. Hinc fit mundus, a, um, hoc eſt, purus, terſus, politus, à quo immundus, impurus, obſcœnus: & mũdo, & mundifico verba, hoc eſt depuro, detergo: & munditia quę & mundities dicitur, hoc eſt, lautitia & contrariũ eius immunditia vel immundities: & aduerbia mundè & immundè. Mundus verò muliebris, vt placet Vlp. eſt quo mulier mundior fit, quo dicit contineri ſpeculum, matulas, vnguenta, vaſa vnguentaria, & ſi qua ſimilia: vnguenta verò gratia valetudinis, mundo muliebri dicuntur non contineri.

Ioannes 1. Can. capite 2.

Nolite diligere mundũ, neq; ea quę in mũdo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitę, quę nõ eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit & concupiſcentia eius: qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.

Auguſt. de uerbis domini ſermone 13.

Seculum eſt quaſi mare, vnicuiq; autem ſua cupiditas eſt tempeſtas. Amas Deum, ambulas ſupra mare, ſub pedibus tuis eſt ſeculi tumor: amas ſeculum, abſorbet te, amatores ſuos vorare nouit, non portare: ſed cum fluctuat cor tuũ cupiditate, inuoca Chriſti diuinitatem, vt vincas tuam cupiditatem.

Auguſt. tractatu de contemptu mundi.

Si Chriſtus pro te de cœleſti ſede deſcẽdit, tu propter ipſum fuge terrena. Si dulcis eſt mundus, dulcior eſt Chriſtus. Si amarus eſt mũdus, omnia pro te ſuſtinuit Chriſtus.

Boët. de philo. conſo. l. 2. proſa 7.

Omnem terræ ambitum (ſicut aſtrologicis demonſtrationibus accepiſti) ad cæli ſpacium pũcti conſtat obtinere rationem, id eſt, vt ſi ad cæleſtis globi magnitudinem cõferatur, nihil ſpacij prorſus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta fere portio eſt, ſicut Ptolemæo teſtante didiciſti, quæ à nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, ſi quantũ maria, paludesq; premunt, quantumq; ſiti vaſta noſtra regio diſtenditur cogitatione ſubtraxeris, vix anguſtiſsima inhabitandi hominibus area relinquitur. In hoc igitur minimo puncti puncto circunſepti atque concluſi, de promulganda fama: & proferendo nomine cogitatis. At quid habet amplum magnificumq; gloria, tam exiguis q; limitibus arctata?

Cyprianus de 12. abuſionibus.

Mundi amor, & Dei, pariter in vno corde, habitare non poſſunt, quemadmodum oculi pariter cælum & terram nequaquam conſpiciũt.

Caſsiodorus ſuper Pſalm. 44.

Mari iuſtè comparatur, hic mundus, quia falſitatibus amarus eſt, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempeſtatibus commouetur.

Lactan. Firm. diui. inſti. lib. 7. cap. 5.

Is artificem rerum omnium, is verum patrem ſuum debita veneratione proſequitur, qui virtutem maieſtatis eius, de ſuorum operum inuẽtione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri poteſt, & mundum hominis, & hominem ſui cauſa Deum feciſſe, quàm quod ex omnibus animãtibus ſolus ita formatus eſt, vt oculi eius ad cælũ directi, facies ad Deum ſpectans, vultus cum ſuo parente communis ſit, vt videatur hominem Deus, quaſi porrecta manu alleuatum ex humo, ad contemplationem ſui excitaſſe.

Seneca ad Lucilium.

Ideo nulli loco animum adijcere debemus, cum hac perſuaſione uiuendum. Non ſum vni angulo natus, patria mea totus eſt mundus.

Plato in Timæo.

Mundus à Deo factus eſt. Ibidem.

Charitas Dei cauſa fuit factionis mundi & originis omnium rerum.

Ariſtoteles libro 1. de cælo & mundo.

Non

Non sunt plures mundi, nec est posibile esse plures mundos.

Idem libro 8. Physicorum.

Motus est æternus, mundus est æternus.

Idem de Generatione & corruptione.

Terra est frigida & sicca, aqua frigida & humida, aer calidus & humidus, ignis calidus & siccus.

Cicero libro de Legibus.

Vniuersus hic mundus vna ciuitas cõmunis, deorum atq; hominum existimanda est.

Idem libro 1. de Natura deorum.

Sin alia causa est, cur mortalem fecerit mundum, non quemadmodũ Platonici dicunt sempiternum. Ab vtroque autem sciscitor, cur mundi ædificatores repente extiterint, innumerabilia autem secula dormierint. Non enim si mundus nullus erat, secula non erant: secula nunc dico, non ea quæ dierum, noctiumque numero, annuis cursibus efficiuntur. Nam fateor ea sine mundi conuerosine, effici non potuisse; sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla circumscriptio temporis metiebatur, spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest, quod ne in cogitationem quidem cadit, vt fuerit tempus aliquod, nullum cùm tempus esset. Isto igitur tam immenso spatio, quæro Balbe, cur πρόνοια vestra cessauerit, laborémve fugiebat? At iste nec attingit deum, nec erat ullus, cũ omnes naturæ numini diuino, cælum, ignes, terræ, maria parerent. Quid autem erat, quod concupisceret Deus, mundum signis, & luminibus, tanquam ædilis ornare, si vt Deus ipse melius habitaret antea, videlicet tempore infinito, in tenebris, tanquam in gurgustio, habitauerat, pòst autem, varietate ne eũ delectari putamus, quia, cælum & terra exornatas videmus? Quæ iita potest esse oblectatio Deo? quæ si esset, non ea tamdiu carere potuisset. An hæc ferè, vt dicitis hominum causa à Deo constituta sunt. Sapientúm ne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio: an stultorum? At primum causa non fuit, cur de improbis benè mereretur. Deinde quid assecutus, cùm omnes stulti sint, sine dubio, miserrimi, maximeque stulti sunt: Miserius enim stultitia quid dicere possumus?

Lucius Apuleius de dogmate Platonis.

Quid enim mundo præstantius? lauda quam putas speciem portio à te laudabitur mundi.

MVnus grecè δῶρον. & δὸ. dicitur. Et est rei alicuius donatio atque honoris signum, secundum Arist. lib. Rhet. Munus autem donum & præmium (vt placet Donato) sic differunt, quod donum & munus tam ante factum, quam post factum datur, præmium non nisi post factum.

Donum voluntarium est, premium debetur. Donum dijs datur, munus hominibus, premium viris fortibus. Donum à liberali homine, prẹmium à præclaro. Inter donum & munus hoc interest, secundum eundem Donatum, quod munus est id quod necessario subimus, lege, more, imperio eius, qui iubendi habet potestatem: donum quod nulla necesitate iuris, sed sponte præstatur, & si non præstatur, nulla reprehensio: & si præstatur, plerunque est laus.

Munus vt placet Varroni dicitur, quia qui mutuo animo sunt, id dant officij gratia, nec à dono differt, nisi cùm per metaphoram, vel pro officio ponitur, quoniam officia aut à principibus, aut rebuspublicis muneris loco, dari consueuerunt, vel pro ludis, qui à principe populis, quasi muneris loco exhibentur. A munus fit immunis, qui absque onere liber est, & immunitas exemptio ab onere. Hinc remunero, hoc est retribuo, redono, & munific⁹ liberalis, quasi munera largè prẹbens, munificentia, liberalitas, & munificè, liberaliter.

Deuteronomij cap. 16.

Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.

Prouerbium cap. 17.

Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.

Ecclesiastici cap. 20.

Xenia & dona excæcant oculos iudicum.

Esaias cap. 1.

Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.

Idem cap. 5.

Vẹ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti afuertis ab eo.

Ambrosius super epistolam ad Corinth. 1.

Libertatem arguendi amittit, & peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corrigatur.

Ibidem.

Munera excæcant oculos iudicum, & vim authoritatis inclinant.

Gregorius in tractatu de euange. & habetur. 1. q. Sunt nonnulli.

Cùm virum iustum propheta describeret, ait: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere, non dixit solùm à munere, sed ab omni munere; quia aliud est munus ab obsequio, aliud à manu, aliud à lingua. Munus ab obsequio est seruitus indebitè impensa, munus à manu pecunia est, munus à lingua furor.

Idem libro 12. Moralium.

Non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt.

Ioannes Chrysost. in tractatu de symbolo.

Quis non erubescat dicere, quid mihi dabis, vt tibi iustitiam faciam? Nónne simile est ac si dicatur, quid mihi vultis dare, vt meipsum ab negem,

negem, officium perdam, & Deum vendam?

Ibidem.

Quò beatus Eugenius munera cautius abigebat, ad eum vndiq; multiplicius confluebant. Hoc quoq; ferè vbiq; accidit, vt fugiant, dum quæruntur: dum fugantur, accelerent.

Iſidorus lib. 1. de ſummo bono.

Tres ſunt munerum acceptiones, quibus cõtra iuſtitiam humana vanitas militat: fauor amicitiarum, adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris: Faciliùs autem peruertitur animus rei corporeę munere, quàm gratię laudiſq; fauore.

Iſidorus & habetur 11. q. 3. Pauper.

Pauper dum non habet, quòd offerat iudicio, non ſolùm audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur. Citò violatur auro iuſtitia, nullamq́ue reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis exiſtimat.

Cicero lib. 2. de legibus.

Donis impij, ne placare quidẽ audeant deos. Platonem audiant, qui vetat dubitare qua ſit mente futurus Deus, cùm vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit.

Periander.

Δωροδόκει χρησιμός. id eſt.
Suſcipe dona cum tua utilitate.

Homerus in γ Iliad.

οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. id eſt.
Non abijcienda ſunt deorum glorioſa dona.

Idem in σ Odyſſeæ.

οὐ γὰρ καλὸν ἀνήνασθαι δόσιν ἐστίν: id eſt.
Non enim honeſtum negare donum eſt.

Heſiodus.

καὶ δόμεν ὅσκεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅσκεν μὴ δῷ,
δώτῃ μέν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ δ' οὔτις ἔδωκεν. id eſt.
Da, tibi qui dederit: qui non dederit tibi, ne da.
Danti aliquis dedit, non danti non dedit ullus.

Menander.

κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει. id eſt.
Mali enim uiri dona utilitatem non habent.

Euripides in Medea.

πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς, λόγος. id eſt.
Perſuadere dona & deis, fama eſt.

Terentius comœdia 3.

Quàm iniquè comparatum eſt, ut hi qui minus habent, ſemper addant aliquid ditioribus.

Ouidius epiſtola Oenones ad Paridem.

Turpiter ingenium munera corpus emunt.

Ouidius libro 3. Artis amandi.

Munera (crede mihi) placant homineſq; deoſq;.
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.
Quid faciet ſapiens? ſtultus quoq; munere gaudet:
Ipſe quoque accepto munere mitis erit.

Martialis ad Emilianum.

Semper eris pauper, ſi pauper es Emiliane.
Dantur opes nullis nunc niſi diuitibus.

Martialis lib. 9. ad Ruffinum.

Dum me captares, mittebas munera nobis.
Poſtquam cœpiſti, das mihi Ruffe nihil.
Vt captum teneas, capto quoq; munera mitte,
De cauea fugiat, ne malè paſtus aper.

De hac materia vide ſuprà in Donum & in Liberalitas.

MVNERA AVCTOR PRECIOSA *facit. Ex Epiſtola 16. Helenæ ad Paridem.*

Aut ego perpetuò famam ſine labe tenebo: AMANTIVS.
Aut ego te potius, quàm tua dona ſequar.
Atq; ea non ſperno: ſic acceptiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quæ precioſa facit.

Munera præ virtutibus diliguntur ex lib. de Arte amandi.

Quid tibi præcipiam teneros quoq; mittere uerſus:
Heu mihi non multum carmen honoris habet. Verſus nõ habẽt multum honoris.
Carmina laudantur, ſed munera magna petuntur,
Dummodo ſit diues, barbarus ille placet.
Aurea ſunt uerè nunc ſecula, plurimus auro Aurea nũc ſunt ſæcula.
Venit honos, auro conciliatur amor.
Ipſe licet uenias muſis comitatus Homere:
Si nihil attuleris ibis Homere foras.

Hieronymus Sauonarola in locis communibus.

Quatuor illa: timor, munus, dilectio, rancor.
Sæpè ſolent hominum rectos peruertere ſenſus.

Rhythmicôs.

Vier ding wenden in aller Weldt/
Gut gherucht: als forcht/ lieb haß/ vñ geldt.

Nullum munus deſpiciendum, quantumuis tenue.

Si dedit Alcinoo non diues pomo colonus,
Accepit, timidas ſi Polyphemus oues.
Diuitias Crœſus ſumpſit, Mida nobilis aurum,
Et Ditis ſtygijs munera cæpit aquis.
Si patrem oceanum riui petiêre minores,
Et capiunt parui flumina fontis aquas:
Tu quoq; Pierij diues Bernarde furoris
Accipe uerſiculos, hac ratione meos.

Aliud.

Cæſar honarati clariſſima gloria mundi,
Quem cælum & terra, quem uenerantur aquæ.
Quæ damus exculti non multum carmina plectri,
Accipe de noſtra munera parua manu.
Quamuis Aethnæo nullæ mihi pumice raſæ
Coricum chartæ non oluere crocum.
Qualiſcunq; tamen noſtri ſit charta libelli,
Hic laudes cæſar, hic tua facta leges.
Non tamen exiguum munus contemne, daturus
His maiora tibi (ſi licuiſſet) eram.
Non tantum oceanum propellit gurgite Rhenus
Corniger, aut Scythicas concutit Iſter aquas.
In mare prorumpunt riui, quum uictima deſit,
Accipiunt ſacri thura Sabæa foci.
Sic Pylij longos uiuas tibi Neſtoris annos:
Sic & Cumæos, Iliacoſq; dies.

Chromaticus modus reprobatus.

Chromaticum creditur repudiatum pridem fuisse genus, quòd adoleſcentum remolleſcerent eo genere animi, Lacedæmones improbaſſe feruntur. An non Homerus quoque nos docuit, Muſicam, quam à Chirone acceperat atque didicerat, iram Achillis concoxiſſe? Inuenerunt enim, inquit, mentem demulciri ſuaui, varioq́; citharæ cantu, hac namque ad animum pacandum, vt medicina ad corporis ſubleuandum laborem, vſi ſunt antiqui: Hac torpentes ad bellum animos ſuſcitarunt: hac curas ex animo excuſſerunt, hac iuſtitiam docuerunt, hac inſignes virtutibus, meritis, laudibus proſequuti ſunt, hac corporis ægritudines & cóſolati ſunt & abſterſerunt, hac ſe denique Deo coniunxerunt: vnde illa:

Vergil. 1. Aene.

Hic canit errantem lunam, ſolisq́; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignes.
Arcturum, pluuiasq́; Hyadas, geminosq́; Triones.

Et quę ſequūtur. Quòd porrò immanes quoque feræ cantu mitigentur, quin & equæ nonnullæ cantu ſubſultent, notius eſt ex hiſtorijs, quàm vt à me nunc referatur. An non templis quoque ſonitus varij placandorum numinum cauſa, vt Ptolomæus ait, adhibentur? Quare, vt paucis colligam, eius eſt muſica vtilitatis, commoditatisque, vt minimè negligenda ſit: Eius quoque nobilitatis, vt ex eis, quæ memorabuntur, noſci potuerit, vt ne pudori ſit futura cuiquam, vel in quaq; re præſtantiſsimo vereri núllo modo poſſe quiſquam videatur.

Muſica minimè negligẽda.

LAVS MVSICAE, ET CVR DATA hominibus, & à quibus ſtudium ſit deriſum.

Cicero 1. Tuſculanarum quæſt.

Summam eruditionem & animorum inſtitutionem longè præclaram eſſe in neruorum vocumq́; cantibus ſitam, à Græcis ſemper ferè creditum eſt. Hinc legimus Epaminundam Græcię principem fidibus, pręſtantiſsimè ceciniſſe: Proinde Themiſtocles, cùm aliquod annis antè, in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior: Sed & Lycurgus, quamuis duriſsimas Lacedæmonijs leges iniungeret, muſicæ tamen ſtudium egregiè videtur amplexatus, quando ipſam hanc natura parens impertijſſe animaduertitur, quo tranſmitti laborum onus moleſtiſsimum procliuius poſſet. Remigem, vt Fabius inquit, cantus hortatur, & ſingulorũ fatigatio, quamlibet ſe rudi modulatione ſolatur. Pythagoras, & qui deinceps ſtudia conſectati ſunt eadem, mundum ipſum non citra muſicas rationes concinnatum, coaptatumque argumentorum ſubtilitare colligere ſunt viſi: quin & artium veluti præſtantiſsima, diuinis ſe inſerunt rebus: Et quod teſtatum quoque Ptolomæus reliquit, numinibus placandis adhibetur. Plato etiam eſſe gentibus contributam putat muſicam, ad præclarius quoddam, præſtantiusque opus: Nam cùm ſic concinnitatis inter frequentaméta varia præcipuè artifex muſica, non ideo à Dijs data, vt ad delicias conuertamus & aurium pruritum: Sed vt quod animę conſonantiam turbat, harmoniam huiuſce voluptatis deliniméto ſedari, ac ad ordinem redigi valeat. Cæterum grauiſsimè Pindarus ὅσα δὲ μὴ πεφίληκε ζεὺς, ἀτύζονται βοὰν πιερίδων ἀΐοντα. Quæcunque non amat Iuppiter, vocem auerſantur Pieridum. Quid quod Socrates iam ſenex inſtitui lyra non erubeſcebat. Thebis porrò Pindari ſtatua viſitur nulla: viſitur autem, inquit, Athenæus cantoris Cleonis, in cuius ſinum Thebas Alexandro diruente cùm fugiens quidam aurum immiſiſſet, rediens anno 30. pòſt, iam Thebis frequentibus cum fide totum recuperauit. Præclara eſt comici Eupolidis ad muſicæ præconium pertinens ſententia, qua negocium eſſe ſancitur, βαθὺ καὶ καμπύλον, id eſt: profundum, flexuoſumque. Propterea in hyacintho Anachilas: Muſica per Deos, inquit, perinde ac Lybia ſemper quotannis, nouam quampiam feram parit. Magnus equidem iuxta citharædum Theophilum, ſtabilisque theſaurus muſica eſt: mores enim inſtituit, componit, ac mollit irarum ardores: id quod Homericus Achilles abundè ſignificat.

Remigẽ cantus hortat.

Mundus ex harmonijs conflat. idẽ ſentit Plato

Socrates ſenex didicit muſicam.

Stabilis theſaurus muſica.

Qui inſectati eam fuerint.

Scythicus rex Ateas proditur memoria, cùm captiuum Iſmenian Tibicinem illum celeberrimum, quem Bœotios complures iſchiadico morbo diuexatos, modulis ſuauioribus perſonaſſe tradunt, tibia incinere iuſsiſſet, ac illum cæteri ſuauitate demulcti, ſumma proſequerentur admiratione, laudibusque efferrent plurimis, & veriſsimis: incultum Barbarum, iureiurando identidem comprobaſſe, equeſtrem hinnitum ſibi videri iocundiorem, modulatioremq́;: Verùm in barbaro & hoc quidẽ Scytha, vox huiuſmodi minus fortè mira. Quid Spartanis facias? quando Zeuxidani filius Archidamus, cùm nimio plus admiraretur quidam cytharædus, vimque eius laudaret: O præſtantiſsimè, inquit, quodnam bonis viris præmium ſtatues, cui tantum arridet cytharædus? Rurſum cùm ex aſsiſtentibus quidam intuliſſet: pſáltes eximius hic eſt: At, inquit, apud nos bonus cantor bonus cupediarius eſt: ceu nihil prorſum interſit, cupedijs ne ac lautitia concilietur voluptas, an modulatione ex organis conquiſita.

Quin & gentis eiuſdem Demaratus, vbi pſaltem bonum inuadiſſet, ſubiecit, οὐ κακῶς φαίνεταί μοι φλυαρεῖν, i. Nó malè mihi videtur nugari. Emerepes

Emerepes Ephorus Phrynidis musici, duas ex nouem fidibus ascias abscidit, insusurrans, μὴ κακούργει τὴν μουσικὴν, id est: Ne musicam depraues.

Ludamidas, cùm cantor quidã mirè placuisset, ac sciscitarentur nonnulli, cuiusmodi ei videretur, μέγας, inquit, κηληκὰς ἐν μικρῷ πράγματι, id est. Demulsor magnus in re minuta. Postremò cùm lyram conuiuio intulisset quispiam, dixit, Spartiata, οὐ λακονικὸν φλυαρεῖν, id est, Non est Laconicum nugari.

Philippus Macedonum rex, cùm accepisset filium Alexandrum suauius alicubi cecinisse, tacitè eum obiurgauit: Non te pudet, inquit, quòd tam benè canere scias? Dedit autem Alexander operam cytharæ, vt haberet vnde serias illas de monarchia & principatu meditationes quãdoq; reprimeret, aut exercitio maiore fatum corpus subleuaret.

Hismenias tibicen peritissimus fuit Antigenis discipulus, qui, teste Boëtio, multis ægritudine laborantibus, omnes animi molestias abstersit: solitus erat gemmis vti fulgentibus, & preciosis, vt ea ostentatione artes musicæ pluris æstimarentur.

Antisthenes, cùm audisset Hismeniam optimum habere tibicinem: At, inquit, est homo nequam: nõ enim, si probus foret, tibicen esset: Quo dicto musicos arguebat, vt vnguentarios & ministros voluptatum.

Thamyras cytharædus fuit Thracius, Lini discipulus, quem poetæ à musis fabulantur excæcatum, quod eas ad certamen cantus irritasset.

Politianus in Nutritia.

Iam Thamyram cantu doctas anteire sorores,
Fretum mox cytharæ damnatum, & luminis orbum.

Idem in Epigram.

Cederet huic Thamyras docti certamine cantus,
Cederet aurata Calliopæa lyra.

MVSICAE STVDIVM OMnibus insitum.

Musica verò capi omne quod viuit: inde colligunt Platonici, quoniam cælestis anima, qua vniuersitas animetur, originem sumpsit ex musica. Certè ex Strabonis doctrina didicimus, elephantes cantu mulceri, & tympanorum sono. Et in Symposiacis Plutarchus scribit, brutorum pleraq; deliniri, affici que plurimum musica, sicuti fistulis ceruos. Vbi verò saliantur æquæ, nomen incini solitum, quem vocent Hippothoron: cantu verò Delphinas moueri, testis locuples est Pindarus. In homine autem peculiaris adesse videtur ratio, quia modulatior sonus in corpus musicæ memoriam deferat, cuius anima in cœlo fuerit conscia: propterea nullum ferè haberi tam immite, tam asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Afferunt illa quoque Peripatetici, insitum esse omnibus oblectari naturalibus motibus: cui sint argumento pueri, qui vix dum nati, modulis permulcētur, omnino propterea delinimur numeris, quia ratum ordinatumque computandi modum habent, mouentque nos pro vna æquabili serie ordinatè. Indicium verò id maximum, esse ordinem ex naturæ ratione, quod cũ ordinatè laboramus, bibimus, comedimusque, naturam viresque nostras seruamus, augemusque. Consonantia igitur ea in primis causa demulcere potest, quia sit permixtio, siue contemperatio cõtrariorum aptè inter se coëuntiũ, & proportionem custodientium.

Tria initia Musicæ.

Musices autem tria esse principia, ab eruditioribus deprehensum, mœrorem, voluptatem, ac enthusiasmum, id est, numinis afflatum: dolores siquidem mirabili quodam modo, & lapsu lubrico, vocem ad modulos inflectunt luctuosam flebilemque, quo nomine in epilogis Rhetoras, & in fletu actores sensim animaduertimus modulari pronunciationem: quod efferuescens, item gaudium efficit vberius. Afflatos autem fatidico spiritu eatenus externari, & à naturæ consuetudine reuelli spectamus, vt etiam futura ratione pandant metrica. Sed si amoris potestatem amplius in apertum promas, explicesque pro dignitate, liquebit clarius luce, nullam prorsus affectionem æquè ad cantum & musicam nos prouehere, ac iucunditas. Ex quo inuulgatum id apud Græcos, cuius Symposiacon primo meminit Plutarchus: μουσικὴν δ᾽ ἄρα ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, id est. Musicam docet amor, etsi indoctus fuerit prius: amor, siquidem industriam exacuit, estque planè artium inculpatus magister: Et proinde Plutarchi eiusdem interpretatione Plato παντὸς εὖ ἐπιχειρητὴν nuncupat, vt qui intentatum relinquat nihil, & sese inserat omnibus. *Musicã docet amor. Amor artium inculpatus magister*

Climas Philosophus secta Pythagoreus, qui, siquando ad iram concitaretur, motus & affectiones animi sumpta protinus cithara leuabat: quod & Achillem fecisse scriptum est.

Horatius in Epodis.

Nobilis ut cecinit grandi centaurus alumno.

Sido. Apoll. de Chiro.

Hos inter Chiron ad plectra sonantia saltans.
Flectit inepta sui membra facetus equi.

Melorum genera tria.

Enharmonicum, Diatonicum, Chromaticum. Ex his, quod principe loco positum, nimis intrusa, nimisque recondita difficultate desertum exoleuit: Medium, id est, Diatonicum mundanæ musicæ doctrina Platonis adscribit.

Tertium mollicie insita, infamiæ nota non caruit: Quamuis non defuere, qui mollius illud, enarratiusque, vt sic dicam, genus, toto

affectarent pede, cuiusmodi Agathon tibicen memoratur.

Modi uarij pro morum dißimilitudine.

Constat musicos modos gentium vocabulis distinctos designatosq;:etenim quo vnaquæq; gaudebat pro amorum ratione, eodem modus ipse censetur nomine: Delectationem vtique conciliat similitudo. Hinc nata Phrygia, Lydia, Doria modulatio: Phrygium modum etiã barbarum appellat Porphyrio:Eius proprium est,inquit Lucianus,Entheon:Lydij verò Bacchicum: Dorij honestum & graue. Adijciturà plerisq; Ionicum, quod floridum intelligunt, ac iucundum. In rebus serijs priscos inuenio Doricum adhibuisse,non Phrygium,neq; Lydium: Quare cùm quid lætius ac iucundiùs, vel dicendum, vel optandum esset à Dorio, ducebant in Phrygium.

Caßiodorus.

Dorius. Phrygi?. Aeolius. Lydius.

Dorius prudentiæ largitor, & castitatis effector: Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat: Aeolius animi tempestates trãquillat,somniumque iam placatis attribuit:Lydius intellectũ obtusis acuit, & terreno desyderio grauatis cælestium appetentiam inducit, bonorum operator eximius.

NOMINA MVSICORVM *excellentium.*

1 Mercurius.
2 Orpheus.
3 Thamyris.
4 Linus.
5 Thracius,Lini discipulus.
6 Hercules.
7 Amphion.
8 Cadmus.
9 Anthes.
10 Philammon.
11 Demodocus Cercyreus.
12 Phemius Ithacensis.
13 Stesichorus.
14 Terpander.
15 Clonas.
16 Polymnestus Colophonius.
17 Commarchus.
18 Schonion.
19 Cepion.
20 Dius.
21 Trimeles.
22 Timotheus.
23 Hyaginis.
24 Marsyas.
25 Olympus.
26 Ardalus.
27 Hypponax.
28 Dacades.
29 Thaletas Gortynius.
30 Xenodamus.
31 Cytherius.
32 Xenocritus Locrus.
33 Pratinas.
34 Archilochus.
35 Huberius.
36 Alcinan.
37 Crexus.
38 Philoxenus.
39 Apollo.
40 Melanippedes.
41 Pythoclides.
42 Damon Atheniensis.
43 Tyrtæus.
44 Mantineus.
45 Andreas Corinthius.
46 Thrasyllus Phliasius.
47 Lasus Hermioneis.
48 Hipparchion.
49 Ruffinus.

Citharædi apud Græcos præcipui.

Prouerbium.

Mutus Hipparchion. De eo, qui repente silet, à quo tamen grande aliquid expectari solebat.

Macrobius lib. 2. de somnio Scipionis, his uerbis Musicam laudat.

Omnis habitus animi cantibus gubernatur: nam dat cantus somnos adimitque, nec non curas & mittit & retrahit, iram suggerit, clementiam suadet, corporis quoq; morbis medetur. Hinc est, quòd ægris remedia præstantes præcinere dicuntur. Et quid mirum, si inter homines tanta musicæ dominatio est, cùm aues quoque, velut cygni, alia ue id genus cantu, veluti quadam disciplina suæ artis exerceant. Nonnullæ verò aues, vel terrenæ, vel aquatiles beluæ inuitante cantu in retia sæpè decurrunt. Iure igitur musica capitur omne quod viuit: quia cœlestis anima, qua animatur vniuersitas, originem sumpsit ex musica: mortuos quoque ad sepulturam prosequi cum cantu oportere, plurimarum gentium & regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, quæ post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum redire creduntur.

Laërtius in uita Pythagoræ.

Pythagoras, vt ait Boëtius in 1. lib. Musicæ artis inuentor fuit apud Græcos, per malleorũ ferientium inæqualia pondera, & per chordarum inæqualitatem, vel inæqualem extensionem, ac per calamorum inæqualem longitudinem.

Pythagoras inuentor Musicæ.

Samius porrò Pythagoras in adytis Anoctonon Aegypti fertur Orphei antiquam heptachordon lyram inuenisse, quam Terpãder Lesbius in Aegyptum proficiscens secũ attulit, ibique appendit, vt apud sacerdotes illos charior esset,

esset, apud quos philosophiam didicit Aegyptiacam. Huius ergo lyræ concentus Pythagoras excogitasse rationem, ac proportiones primus fertur.

Petrarcha de remedijs prosperæ fortunæ.

Potentissima res musica est. Cantibus sonisq; permulceor. R. At quid refert? Est haud dubiè in animis hominum, generosis maximè, potentissima musica: sed effectus supra fidem sunt varij: hos ad lætitiam inanem, hos ad sanctum ac deuotum gaudium, piasque nonnunquam lachrymas mouent: quę varietas in diuersas sententias magna traxit ingenia.

Anastasius. Anastasius vanitates omnes fugiens, canendi vsum in ecclesijs interdixit.

Ambrosius. Ambrosius autem pietatis exercitium appetens, vt caneretur, instituit.

Hieronymus Phaletus Sauonensis, de laude musicæ.

Musica turbatas animas, ægrumq; dolorem
Sola leuat, meritò diuumq; hominumq; uoluptas:
Qua sine nil iucundum animis, nec amabile quicquam,
Ad cuius numeros superi uertuntur, & orbis,
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaq; tempora seruant:
Hac phœbus, phœbiq; soror, duce, & aurea cœli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

MVSICA APVD ANTIQVOS *bonos mores docebat, ex Diotegme Pythagoreo, lib. de sanctitate.*

Cæterùm primi illi legumlatores cùm animaduerterent, quòd hominum studia non possent omnino tranquilla esse, admiscuerunt eis saltationem & rythmum, motu certo & ordine constantes: ad hæc ludos concesserunt, qui vel ad mutuam coniunctionem promouerent, vel ad verum cognoscendum, acuendumque ingenium facerent. Similiter illis, qui ebrietate & crapula inducti, aliquid mali perpetrabant, tibias & concentum accommodarunt, vt ingenia his modis irrigata, honestiores maturescendo mores acquirerent.

Plato in dialogo 4. de Iusto.

Quando itaque benè incipientes pueri iocari, ac ludere, legitimum per musicam morem imbibunt: in contraria his omnino ac superioribus musica tendit, atque persequitur erigere, si quid antea in ciuitate iacebat.

Perictyone Pythagorica de sapientia.

Geometria, Arithmetica, Musica, reliquaque in speculatione sita, scientiæ sunt quantitatis & consonantiæ: ob id circa entia versantur: at sapientia circa omnia genera entium, etenim occupata circa omnia quę sunt, ceu visus circa omnia visibilia, & auditus circa omnia audibilia.

Menander in thesauro.

πολλοῖς ὑπέκκαυμ' ἐς' ἔρωτος μυσική. id est.

Musica multis est incitamentum amoris.

Dauid omnibus gentibus pacatis religionis studia complexus hymnos trimetros edidit, & cum his pentametros versus plurimos, qui sabbathis festisque diebus sacris solennibus canerentur: adiecit his decachordem citharam, & nabla 12. vocum cymbala: ad hæc ærea, grandia quidem & lata. Sabellicus Aenead. 1. lib. 20.

Exagitati dæmoniacis spiritibus cantu musico permulcentur.

Dauid ad Saulum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, vt cantu demulceret æstuantem mentis furorem, id quod præstitit: Nam quoties in morbum incidit Saul, stans Dauid ad caput, cùm sacros hymnos, voce & fidibus cecinisset, ad sanam mentem reductus est. Iosephus libro 6. capite 9. antiquitatum Iudaicarum.

Mutatio græcè μεταβολὴ.ῆς.ἡ. & μεταβολικὸς. οῦ.ὁ mutabilis dicitur. Est autē mutatio quæ est in eadem specie alteratio in magis & minus, secundum Aristotelem lib. 5. Physicorum. NANVS.

Mutatum esse, est pars motus discreti, & terminus motus continui, secun. b. Tho. 1. p. q. 53. ar. 2.

Mutare à quo supradicta veniunt, propriè est trāsferre. Varro: Fac vt te aliquo loco, cū omni familia mutes. Itē variare, vnde mutare animum, mutare sententiam dicimus. A mutuo fit mutabile, quod facilè mutatur. Virg. Varium & mutabile semper fœmina. Item immutabile, quod nullo modo mouetur, ac flectitur: cōmuto pariter, simul mutuo, inde commutabile: verùm commutare verba, est litigare. Terentius: Nunquam hodie tecum cōmutaturum patrem vnum esse verbum. Ita permuto, permutabile hinc veniunt.

Mutatio græcè δάνεισμα.ατος.τὸ. & δανείζω mutuo dicitur. Mutui datio dicitur ab eo, quod de meo fiat tuū, & ideo si nō fiat tuū, nō nascitur obligatio. Mutuū dare est mutuare: mutuū damus, vt Paulus Iurisc ōsultus inquit, nō eandem speciē recepturi, quā dedimus, hoc enim cōmodatum, aut depositū est, sed idem genus: nam si aliud genus veluti ꝓ tritico vinū recipiamus, non erit mutuū. Mutui datio in his rebus est, quæ pondere, numero, mensurá ve consistunt, quoniam in his non idem specie redditur, sed genere, cùm in cæteris rebus aliud pro alio, inuito creditore reddi non possit: mutuatio autē est actus ipse mutuandi.

Mutuū à fœnore sic separat Marcellus, quòd mutuum sine vsuris, fœnus est cum vsuris. Plautus: Nam si mutuo non potero, certum est sumam fœnore.

Mutuo & mutuor ita differunt, quod qui pecuniam dat mutuo, is mutuare dicitur, qui verò accipit, is pecuniam mutuatur. Mutuus, a, um, pro vicario accipitur. Apuleius: Mutuam tibi operam præstiti. Idem: Fac me mutuò diligas, hoc est vicissim ames. Venit autem mutuò aduerbium à mutuus.

NAnus græca dictio est, νάνος.ου.ὁ. Sunt autem nani, homines paruulæ staturæ, paululumq; supra terram extantes, hos Latini pomilios, siue pomiliones vocant, & fœminas pomilias. Pomiliones græci vocant nanos, quoniã illi nanum vas aquarium vocant, humile & concauum, quòd vulgò situlum barbatum appellant. Hinc mala nana dicũtur, quæ alio nomine melimella nana vocantur, quòd sint mellei saporis, nana autem ab arboris paruitate. Eadem mustea à nonnullis appellantur, à nascendi celeritate, prima enim proueniunt.

Naris græcè ῥίν.νός.ἡ dicitur, & ideo dicitur naris, quia per eam odor, vel spiritus, nare non desinit, secundum Lactantium de opificio Dei.

NAtura græcè φύσις.ιος.ἡ.& φυσικός.οῦ.ὁ. naturalis dicitur. Est autem natura principium, & causa motus, & quietis in eo, in quo est per se, & non secundum accidens, secundũ Aristotelem lib.2.Physicor.cap.1.

Natura dicitur à nascendo, secundum Beatũ Thomam prima parte, quæst.29. art.1. Ea enim facit nasci omnia. Natura interdũ ponitur pro vi, vnde herbarũ arborumq; naturas dicimus: à natura fit naturale, quod est secundum naturã: & naturales filij dicuntur illegitimi, quòd sola natura, non coniugij lege sint orti. Naturale est quod conuenit rei secundum substantiam eius, id est, quod per se inest ei, secundum B. Thomã prima secundæ, quæst.10.art.1.

Iacobus in epistola cap.3.

Omnis enim natura bestiarum & volucrum, & serpentium, etiam & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana.

August. lib. Confeßionum, & habetur 32. quæst. 7. Flagitia.

Flagitia quæ sunt contra naturam, vbique & semper repudianda, atq; punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt, quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu, diuina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cuius ipse author est, libidinis peruersitate polluitur.

Aug. contra Iouin. & hab. 32.q.7. Vsus.

Vsus naturalis & licitus est, sicut in cõiugio, & illicitus sicut in adulterio. Contra naturã verò semper illicitus, & proculdubio flagitiosior atq; turpior, quẽ sanctus apostolus & in masculis & fœminis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quàm si in vsu naturali, vel adulterando, vel fornicando peccarent.

Augustinus libro de Patriarchis, & habetur 32.q.7. Offerebat.

Offerebat sanctus Loth filiarũ pudorẽ: nã etsi illa quoq; flagitiosa impuritas erat, tamẽ minùs erat, secundũ naturam coire, quàm aduersus naturam delinquere. Præferebat domus suę verecundiæ hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem.

Ambrosius libro de Ioseph.

Vince naturam diligentia, exclude corporis somnum, naturam nobis formare non possumus, possumus diligentia.

Caßiodo. epist. lib.4. episto.38.

Repugnante natura, quęlibet cedit industria.

Boëtius de Philosophica consolatione libro 1.

Paucis minimisq; natura contenta est.

Idem libro 2.

Celsa non tandem ualuit potestas,
Vertere prauirabiem Neronis.

Idem libro 3. prosa 11.

Dat cuiq; natura quod conuenit, & ne dum manere possunt, intereant elaborat.

Ibidem.

Iam verò quanta est naturę diligentia, vt cuncta semine multiplicato propagentur, quæ omnia non modò ad tempus manendi, verùm generatim quoque quasi in perpetuũ permanendi, veluti quasdam machinas esse quis nesciat?

Seneca libro de Ira.

Naturam mutare difficilè est.

Seneca ad Lucilium.

Nulla sapientia naturalia corporis aut animi vitia deponũtur. Quicquid insixum & ingenitum est, leuiter arte non vincitur.

Seneca ad Lucilium.

Tenenda est via, quam natura pręscripsit, nec ab illa declinandum. Illam sequentibus, omnia facilia & expedita sunt: cõtra illam viuentibus nõ alia vita est, quã contra aquã nauigantibus.

Seneca de beneficijs.

Omnibus enim natura, fundamenta dedit semenque virtutum.

Ibidem.

Insita sunt omnium artium nobis semina, magisterq; ex occulto Deus producit ingenia, natura inquit, hoc mihi præstat, nõ intelligis te cùm dicis mutare nomen Deo. Quid enim est aliud natura quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo partibusq; eius inserta? Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ: quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed idem est vterque, nec distant officio.

Aristoteles libro 2. Metaphy.

Sicut se habet oculus nycticoracis ad lumen diei,

diei, sic se habet animæ nostræ intellectus, ad manifestissima naturæ.

Ibidem.

Natura agit propter finem.

Idem lib.1. de Cælo & Mundo.

Deus & natura nihil faciunt frustra.

Idem lib. 2. de Cælo & Mundo.

Natura ex impossibilibus semper facit, quod optimum est.

Ibidem.

Natura nihil irrationabiliter vel frustra facit.

Ibidem.

Mirabilia naturæ multa sunt.

Idem lib.2. de Generatione & Corruptione.

Natura semper desiderat, quod melius est.

Idem lib.3. de Anima.

Natura nihil facit frustra, nec deficit in necessarijs, nec abundat in superfluis.

Idem de Respiratione & Expiratione.

Naturam nihil videmus frustra facere.

Idem lib.8. de Animalibus.

Natura dat vnicuiq; quod sibi conueniēs est.

Idem lib.15.

Infinitum natura respuit.

Idem lib.16.

Natura est sicut rectificator & rector.

Idem lib.7. de Animalibus.

Omne ꝙ facit natura, est secundum ordinē.

Aristot. lib.1. Ethicorum.

Ratio vel natura semper deprecatur ad optima.

Idem lib.3. Ethicorum.

In naturalibus desiderijs pauci peccant.

Idem epistola ad Alexandrum.

Natura modicum petit, opinio immensum.

Cicero lib.1. Tuscul. Quæstionum.

Teneamus vt nihil censeamus esse malum, quod sit à natura datum hominibus.

Idem lib.1. de Legibus.

Et quidem natura duce, errare nullo pacto potest.

Ibidem.

Nec est quisquam gentis vllius, qui ducē naturam nactus, ad virtutem venire non possit.

Idem lib.2. de Legibus.

Natura norma legis est.

Idem lib.1. de Natura deorum.

Non vides quàm blanda conciliatrix, & quòd solicita sui sit fœtus natura.

Ibidem.

Itaq; nulla ars imitari solertiā naturæ potest.

Idem lib.2. de Natura deorum.

Zeno igitur naturā diffinit, vt eam dicat esse ignem artificiosum, ad gignendū progredientem via.

Ibidem.

Natura à Zenone dicitur cōsultrix & prouida vtilitatum & oportunitatum omnium.

Ibidem.

Sequitur vt doceam, omnia subiecta esse naturæ, eáque ab ea pulcherrimè regi. Sed quid sit ipsa natura, explicandum est antè breuiter, quò facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Nanque alij naturā esse censent vim quādam sine ratione cientem motus in corporib⁹ necessarios: alij autem vim participem rationis, atque ordinis: tanquam via progredientem, declarantemq́ue, quid cuiusque rei causa efficiat, quid sequatur, cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex cōsequi possit imitando.

Cicero lib.2. de diuinatione.

An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa, aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, vna ratio est. Quicquid enim oritur, qualecunque est, causam habeat à natura, necesse est, vt etiam si præter consuetudinem extiterit, præter naturam tamen non possit existere.

Cicero de Senectute.

Vt nauem & ædificium, idem destruit facilimè, qui struxit, sic hominem eadem optimè, quæ conglutinauit, natura dissoluit.

Ibidem.

Omnia verò quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis.

Cicero Rhetoricorum nouorum libro 4.

Docet nos ipsa natura quid oporteat fieri.

Menander.

ἡ δοῦσα πάντα καὶ κομίζεται φύσις. id est.
Quæ dat omnia & colligit natura.

Ibidem.

ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ. id est.
Natura omnibus doctrinis imperat. Idem.

ἡ φύσις ἑκάστου γὰρ γένους ἐστὶν πατρίς. id est.
Natura uniuscuiusq; enim generis est patria. Idem.

φύσιν πονηρὰν μεταβαλεῖν οὐ ῥάδιον. id est.
Naturam malam mutare non facile. Idem.

ἤθη πονηρὰ τὴν φύσιν διαστρέφει. id est.
Mores mali naturam permutant.

Propertius libro 2. elegia 22.

Vnicuiq; dedit uitium natura creato.

Horatius in Arte poëtica.

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua.

Ibidem.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram.

Horatius Sermonum lib.2. Satyra 2.

Nam propriæ telluris herum natura, neq; illum,
Nec me, nec quenquam statuit, nos expulit ille?
Illum, aut nequities, aut uafri inscitia iuris,
Postremùm expellet certè uiuacior hæres.
Nunc ager Vmbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius: sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alij.

Idem.

Naturam expelles furca, tamen usq; recurret.

Iuuenalis Satyra 14.

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicet.

NAufragium græcè ναυάγιον.ȣ. τὸ & ναυαγέω naufragor, & ναυηγός.ȣ.ὁ naufrag⁹ dicitur. Est autem naufragium naue fracta rerũ & corporum submersio, quòd plerunque contingit casu fortuito, propter vim tempestatis vel fulminis; diciturq; à nauis & frango. Nauis verò & græcè ναῦς. τῆς. ναός. dicitur: vnde nauale, in quo naues stant seu fiunt, & nauus celer, cuius contrarium est ignauus, à quo ignauus, desidia ipsa, & ignauè aduerbiũ desidiosè, & nauo verbum, quòd est strenuè facio: & naumachia, id est, nauale prælium, à ναῦς nauis, & μαχὴ præliũ, vnde & monomachia singulare certamẽ, à μόνον solùm, & μαχὴ pugna, de qua suprà in dictione Monachus. A nauis pariter fit nauarcus, id est, nauis princeps, & nauclerus qui nauem regit, qui nauicularius dicitur: & nauigo, hoc est naui iter facio, & nauigium ipsa nauis, & nauigatio ipsa profectio, & nauicula parua nauis. Nauta siue nauita, qui in naui agenda, se exercet. De aliquibus nauigationis instrumentis, vide suprà in Militaris prudentia.

Plautus in Rudente.

Qui homo sese miserum & mendicum dolet,
Neptuno credat sese, atq; ætatem suam.

Terentius Comœdia 4.

O fortunate nescis quid mali præterieris, qui nunquam ingressus es mare.

Horatius Carmin. libro 1. Ode 3.

Illi robur, & æs triplex.
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Aphricum,
Decertantem aquilonibus.

Ibidem.

Ne quicquam deus abscidit,
Prudens occano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt uada.
Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit, per uetitum nefas.

Iuuenalis Satyra 12.

I nunc & uentis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus.
Quatuor ac septem, si sit latißima tæda,
Mox cum reticulis, & pane & uentre lagoenæ,
Aspice sumendas in tempestate secures.

Iuuenalis Satyra 14.

Parcat tunicis licet atq; lacernis.
Curatoris eget, qui nauem mercibus implet
Ad summum latus, & tabula distinguitur unda.

Necessitas, siue necesse, græcè ἀνάγκη.ης.ἡ.& ἀναγκαῖος.ȣ.ὁ necessarius dicitur. Est autem necessarium, quod non potest aliter se habere, secundum Aristotelẽ libro 4. Metaphy. Vel sic. Necesse est, quod vi aliqua cogente, fieri opus est. Dicuntur autem necesse, necessum, necessarius, necessitas, necessitudo, à cesso, quod est ab opere vaco. Virg. Et si quid cessare potes, requiesce sub vmbra. Cesso vero à cedo venit.

Necessitas & necessitudo eiusdem significati, modo pro vi quadam vrgente accipiuntur, modo pro vinculo quodam religiosæ coniunctionis, à quo necessarij dicuntur, qui iure affinitatis cõiuncti sunt, quod nulla inter eos cessatio, hoc est separatio sit. Vel quòd necessaria inter eos officia conferantur.

Arist. lib. 1. Rhetorico.

De necessarijs & impossibilibus aliter se habere non consiliamur, sed de contingentibus quæ possunt aliter se habere: quæ in potestate nostra sunt.

Valerius Maximus lib. 2.

Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

Menander.

ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δȣλοῦται ταχὺ. id est.
Pręnecessitate oĩa redigũtur in seruitutẽ cito.

Idem.

ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πολλὰ ποιοῦμεν κακά. id est.
Præ necessitate multa facimus mala.

Negatio græcè ἄρνησις.ιος.ἡ.& ἀρνέομαι nego dicitur. Est autem negatio enuntiatio alicuius ab aliquo, secundum Arist. libro 1. περὶ ἑρμηνείας Differt autem negatio à priuatione, quia negatio est remotio alicuius simpliciter: priuatio est remotio alicuius in subiecto apto nato ad illud, secundũ Arist. lib. 4. Metaphys. Dicitur autẽ negatio à nõ & ago, quãdo ponit̃ pro dico. Negare nihil aliud est, quàm dicere aliquid non esse.

NEgotiatio gręcè πραγματεία.ἡ. & πραγματεύς.εος.ὁ negotiator, & πραγματεύομαι negotior dicitur.

Negociatores videntur serui qui præpositi sunt, negotij exercendi causa, veluti qui ad emendum, aut ad locandum, & conducendum præpositi sunt: Cubicularij autem vel obsonatores non videntur negotiationis appellatione contineri, secundum Labeonem. Sunt igitur negociatores, qui in aliorum negotijs se exercent. Veniunt autem negotiatio & negotiator à negotium, illud verò dicitur quasi non otiũ,

Ecclesiastici cap. 13.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea & qui communicauerit superbo, induet superbiam.

Prouerbiorum cap. 22.

Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius.

Ioannes in Euangelio cap. 2.

Nolite

Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

Grego. libro 5. Moral. super illud Iob. 5. Non silui.

Silere est à terrenorum desiderijs cor restringere.

Ibidem super illud Iob. 5. Non silui.

Nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus occupatur.

Grego. Mora. 17. super illud Iob 36. Ecce gigantes gemunt sub aquis.

Ipsa occupatio secularium dignitatum, facilioribus vitijs tanto magis premitur, quanto maioribus curis grauatur.

Grego. Moralium 23. super illud Iob. Per somnum in uisione nocturna.

Cùm mens ab actionibus sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur.

Ibidem super illud, Mare loquitur non est mecum.

Quid maris nomine, nisi secularium mentium inquietudo signatur?

Idem Mora. 25. super illud Iob. 35. Neque in hominis potestate est, ut ad Deum ueniat.

In his visibilibus, cor nostrum spargitur, & quid de se intrinsecus agatur, obliuiscitur.

Idem Moral. 26. super illud Iob 35. Suspice cælum & intuere.

Sparsis foris mentibus, ad seipsas redire difficile est.

Idem super Ezech. hom. libro 1.

Anima quanto magis circa terrena angitur, tanto in his quæ sunt cælestia minus videt, eo quòd curis suis extra se ducitur.

Seneca libro 3. de Ira.

Quemadmodum per frequentia vrbis loca properanti in multos incursitandum incursandū est, & aliquando ab illis retineri, & luto spargi necesse est, ita & vago homini multa impedimenta, & multæ querelæ, incidunt.

Seneca ad Lucilium epistola 7.

Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior imò verò crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui.

Ibidem.

Nihil est tam damnosum bonis moribus, quā in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt.

Laërt. Diog. de Vita & moribus philosoph.

Age sic alienum negocium, vt non obliuiscaris tuum, dicebat Socrates.

De hac materia habes supra in Conuersatio.

Negligētia grçcè ἀμέλεια. ας. ἡ. & ἀμελής. έος. ὁ. ἡ. negligens, & ἀμελέω negligo dicitur. Est autem negligentia defectus debitæ solicitudinis, secū dum interiorem actū, ex b. Tho. secūda secūdæ q. 54. art. 1. Differt autē sic à pigritia & torpore quòd pigritia est tarditas, in exequendis præceptis prudentiæ, torpor est remissio in executione postquàm quis ceperit.

Negligens dicitur quasi nec eligens, secundū Isidorum, & b. Tho. ibidem art. 2.

Negligentia tūc est peccatū mortale, quando prætermittitur actus de necessitate salutis, vel circūstantia eius. Vel cū volūtas est adeo remissa, in ijs, quę Dei sunt, vt totaliter deficiat à charitate Dei, quòd fit solū per cōtemptū, si secus, est veniale. De hac materia habes suprà vbi Acedia, & infra vbi Pigritia.

Neophytus grçca dictio est, etenim νεόφυτον. ου. τὸ. idē est quod nouella plāta. Quare neophytus is dicitur, qui nouus est in fide, vel religione, vt habetur dist. 48. ca. Quoniam.

Nix grçcè χιών. ονος. ἡ. & χιονώδης. εος. ὁ. ἡ. niuosus dicitur. Est autē nix aqua cōgelata, sicut pruina est ros congelatus, secundum beatum Tho. super Iob ca. 38. colum. 7.

Nobilitas grçcè εὐγένεια. ας. ἡ. & εὐγενής. έος. ὁ. ἡ. nobilis dicitur. Est autem nobilitas quędā maiorum claritas, secundū Aristotelem libro 2. Rhetoricorum.

Nobilitas est honorabilitas progenitorū, nam attenditur secundum virtutem generis, secun- Arist. Ibid.

Nobilitas siue ingenuitas est virtus & diuitiæ antiquæ, secundum Arist. li. 4. Politicorum.

Nobilitas est quędam laus veniens de meritis parentum secundum Boëtium lib. 3. prosa 6. de Consolatione philosophiæ.

Nobile est id, quod ex bono prodijt genere. Generosum autem, quod non à sui natura declinauit.

Nobile aliquando significat excellens, & dignum notitia, aliquādo significat notū, vnde nobilitas deducitur, venitq́; à nosco, à quo notus cognitus, notitia cognitio, quæ & notitia dicitur: & notifico notum facio.

Ecclesiastici cap. 10.

Quid superbis terra & cinis?

Iob 31.

Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum?

Oseas cap. 9.

Gloria eorum ab vtero & partu.

August. & hab. dist. 56. Vndecunq;.

Vndecunq; homines nascantur, si parentū vitia non sectantur, honesti & salui erunt. Semen enim hominis ex qualicunq; homine, Dei creatura est, & eo malè vtentibus malè erit.

Augustinus & hab. ibidem cap. Sponsus.

Sponsus ille, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos congruens inuitatis, nasci etiā voluit de bonis & malis. Quo exemplo discant, parentum suorum filij iniquitates sibi obesse non posse.

Augu. li. 2. de unico baptis. & ha. di. 56. Ismael.

Ismael

Ismael vt separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla Agar, sed obfuit fraterna discordia.

Hieron. & hab. distin. 56. Dominus noster.

Dominus noster Iesus Christus, voluit non solùm de alienigenis cómixtionibus, sed etiam de adulterinis nasci, nobis magnam fiduciam præstans, vt qualicunq; modo nascamur, dum tamen vestigia eius imitemur, ab ipsius corpore non separamur, cuius per fidem membra esse &ti sumus.

Idem ad Celantiam.

Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis: Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.

Ibidem.

Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas nec obscuriores quaslibet & humiliore loco natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit.

Ambrosius & hab. distin. 40. Illud.

Illud autem animaduerte, quòd extra paradisum vir factus est, intra paradisum mulier, vt aduertas quòd non loci, nō generis nobilitate, sed virtute vnusquisq; gratiam comparat sibi. Denique extra paradisum, hoc est in inferiori loco vir factus melior inuenitur, & illa quæ in meliori loco, hoc est in paradiso facta est, inferior inuenitur.

Amb. Exa. in tract. 1. diei, & ha. 15. q. 1.

Illa cauenda.

Cæterū paupertatem & ignobilitatem, ęgritudinem & mortem, nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauit.

Grego. & habetur dist. 40. Adam.

Adam primus homo, pro peccato, de paradiso eiectus est, hoc est, quia Dei nobilitatem à se deiecit, nobilitate loci priuatus est.

Gregorius in dialogo. 1. cap. 16.

Nōnullis solet nobilitas generis, parere ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt.

Ioan. Chry. super Matth. ho. 4. & ha. di. 56. Nunquam.

Nunquam de vitijs erubescamus parentum, sed illud vnum quæramus, & semper amplectemur, virtutem videlicet, huiusmodi etiamsi alienigenam habet matrem, etiamsi fornicatione pollutam, vel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quod si fornicatorem ipsum, ad meliora conuersum, nequaquam prior vita commaculat, multo magis ex meretrice natus, & adultera, si propria virtute decoretur, parentum suorum nec dedecoratur opprobrijs.

Idem homilia 5.

Nobilitas vel bonitas cognatorum non valet, nisi fuerimus nos ipsi boni.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur seruire vitijs, & ab eis non superari.

Idem.

Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet generatio vilis, quem mores adornant? Ipse enim se vacuum ab omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus.

Bernardus ad Eugenium.

Genus apostolorum est non aliunde nobile, quàm morum ingenuitate & fidei fortitudine.

Caßiodorus epistolarum libro 9. epistola 8.

Doctrina facilè exornat generosum, quæ etiam ex obscœno nobilem facit.

Boëtius de philoso. Consolat. lib. 3. prosa. 6.

Iam verò quàm sit inane, quàm futile nobilitatis nomen, quis non videat? quæ si ad claritudinem refertur, aliena est.

Ibidem.

Splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit.

Boëtius de philoso. Conso. lib. 3. metro. 6.

Omne hominum genus in terris,
Simili surgit ab ortu.
Vnus enim rerum pater est,
Vnus cuncta ministrat.

Ibidem.

Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proauos strepitis?
Si primordia uestra,
Autoremq; Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni uitijs peiora fouens,
Proprium deserat ortum.

Seneca libro de Moribus.

Nobilitas corporis, est generosus animus.

Seneca epistola ad Lucilium. 31.

Generosos animos labor nutrit.

Idem ad Lucilium.

Cùm volueris veram hominis ęstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia. Corpus ipsum exuat, & animū intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus.

Idem ad Lucilium epistola 39.

Habet hoc in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij virum, humilia delectant, & sordida.

In libro de beneficijs.

Erigere audacter animos, & quicquid in medio

dio sordidi iacet, transilite, expectat vos in summo, magna nobilitas.

Idem in Hercule furente. Tragœdia 1.

Qui genus laudat suum, aliena laudat.

Arist. libro 1. Rhetoricorum.

Nobilitas singularis est, quę à viris aut mulieribus fit, propter diuitias, aut virtutes, aut propter aliquid, propter quod aliquis honoratur.

Idem libro 2. Rhetoricorum.

Nobilitas siue nobile attenditur secundum virtutem generis.

Idem Ethicorum libro 4.

Nobiles dignificantur honore.

Laert. Dioge. de uita & moribus philo.

Anacharsis exprobrãti sibi Attico quod Scytha esset: at mihi quidem ait probro est patria, sed patriæ tu.

Plutarchus in Apophthegmatibus.

Iphicrates, quoniam cerdonis esset filius, ad Hermodium, qui sibi ignobilitatem exprobrauit: Meum, inquit, genus à meipso initium sumit, tuum autem in te finit.

Salustius in Iugurtha.

Quanto vita maiorum præclarior est, tanto posterorum secordia flagitiosior.

Lucius Apuleius de Deo Socratis.

Si laudas aliquem, quia generosus est; parentes eius laudas.

Menander.

ἀνὴρ ἄριστος οὐκ ἂν εἴη δυσγενής. id est.

Vir optimus non utiq; esset ignobilis.

Sophocles in Aiace furente.

ἀλλ᾽ ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρῆ. id est.

Sed uel bene uiuere, uel bene mori generosum oportet.

Idem.

ζῆν αἰσχρῶς αἰσχρὸν τοῖς καλῶς πεφυκόσι. id est.

Viuere turpiter, turpe bene natis.

Ouidius lib. 3. Tristium elegia 5.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo, satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi:
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Ouidius lib. 13. Metamor. fabula 1.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra uoco.

Idem de Ponto.

Non census, nec clarum nomen auorum:
Sed probitas magnos ingeniumq; facit.

Horatius Carminum lib. 4. Ode. 4.

Fortes creantur fortibus: & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, neq; imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed uim promouet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant.
Vtcunque defecêre mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Idem sermonum lib. 1. Satyra 6.

Non quia Mecœnas Lydorum quicquid Hetruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,
Nec quod auus tibi maternus fuit, paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Vt pleriq; solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me Libertino patre natum,
Quem rodunt omnes Libertino patre natum,
Cùm referre negas, quali sit quisq; parente
Natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi uerè.

Horatius sermonum lib. 2. satyra 5.

Et genus & uirtus, nisi cum re, uilior alga est.

Horatius epistolarum lib. 1. epistola ultima.

Maiores pennas nido extendisse loquêris,
Vt quantum generi demas, uirtutibus addas.

Propertius libro 1. elegia 5.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti,
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Iuuenalis satyra 8.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri? pictósq; ostendere uultus
Maiorum? & stantes in curribus Aemilianos.

Ibidem.

Tota licet ueteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola atq; est unica uirtus.

Ibidem.

Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? nanum cuiusdam Atlanta uocamus,
Aethiopem cygnum, paruam extortamq; puellam
Europen, canibus pigris, scabieq; uetusta
Leuibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ
Nomen erit Tigris, pardus, leo, si quid adhuc est
Quod fremit in terris uiolentius.

Ibidem.

–Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas, miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.

Ibidem.

Omne animi uitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Ibidem.

At uos Troiugenæ uobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosq; decebunt.

Ibidem.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni.

Ibidem.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Dantes Florent. paradisi canti. ca. 16.

O pocha nostra nobilitadi sangue.
Se gloriar de te la gente fai,
Quha giudoue laffecto nostro langue. Id est.
O parua nostra nobilitas sanguinis,
Si gloriari de te gentem compellis,
Illic ubi affectus noster languet.
Franciscus Petrarcha soneto 52.
Solo oue io era tra boscheti & colli,
Vergogna hebbe di me: Chal cor gentile
Basta ben tanto, & altro spron non uolli. Id est.
Solus ubi eram intra uirgulta & colles,
Erubui de meipso, nam cordi nobili
Idipsum sufficit, nec alterum calcar expostulat.

NOBILITAS SOLA LAUDABILIS est, quæ uirtutibus ornata uenit.

AMANTIUS.

Nobilitas est quædam maiorum claritas: vel est honorificentia antecessorũ. Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum.

Maiorum qui regna suscipit, & virtutes quoque suscipiat, consentaneum est: Succedis in nobilitate, cura vt morum simili modo successor fias: Nobilitas sanctis vestita moribus laudi datur: nihil est nobile quod vitiosum. Quis enim generosum dixerit hunc, qui indignus genere est, & præclaro nomine tantùm insignis: Sanè vt animalia muta, quamuis laudatis orta parentibus, nemo generosa optat, nisi fortia: sic homines appellari nobiles iure nequeunt, nisi virtute propria commendati.

Quę nobilitas laudata.

Simile.

Aristoteles 4. Politico.

Nobilitas siue ingenuitas est virtus, & diuitię antiquæ.

NOBILITAS GENERIS VITIOSO nil prodest, ex epistola 11. Ouidij Canace Macareo.

Quid iuuat admoto per auorum nomina cælo,
Inter cognatos posse referre Iouem?
Ex satyra 8. Iuuenalis.
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis malè uiuitur?
Eadem satyra.
Prima mihi debes animi bona, sanctus haberi,
Iusticiæq; tenax factis dictisq; mereris,
Plautus in Mercatore.
Qui bono sunt genere nati, ingenio malo
Suapte culpa de genere capiunt genus, ingeniũ improbãt.
Pulchrius est nobilem uirtute fieri, quàm nasci.
Quis feret uxorem, cui constant omnia malo,
Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, tecum magnis uirtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Stulta est iactantia nobilitatis maiorum,
ex Satyra octaua Iuuenalis.
Ast ego Cecropides, uiuas, & originis huius
Gaudia longa feras, tamen ima plebe quiritem
Facundum inuenies, solet hic defendere causas
Nobilis indocti, ueniet de plebe togata,
Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluat,
Hic petit Euphraten iuuenis, domitiq; Bataui
Custodes aquilas armis industrius, at tu
Nil nisi Cecropides, truncoq; simillimus Hermæ,
Nullo quippe alio uincis discrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput est, tua uiuit imago.
Eadem Satyra.
Hæc satis ad iuuenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumq; Nerone propinquo.
Stratus humi palmes uiduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus arbiter idem
Integer, ambiguæ si quando citabere testis, &c.

Natura sunt omnes nobiles, nec quisquàm degener est, nisi uitijs & sceleribus sit deditus.

Omne hominum genus in terris dedit, & sidera cœlo
Simili surgunt ab ortu: unus enim rerum pater est,
Vnus qui cuncta ministrat: ille dedit phœbo radios,
Dedit & cornua lunæ: ille homines etiam terris:
Hic clausit membris animos celsa de sede petitos,
Mortales igitur cunctos, ædit nobile germen,
Quid genus & proauos strepitis? si primordia uestra,
Autoremq; Deum spectes, nullus degener extat:
Ni uitijs peiora fouens proprium deserat ortum.
Natiuitas hominis.
Natus homo ex luto, imò libidine fœda, igitur nihil superbiendum est.
Thomas Morus Anglus.
Heus homo si memor es, quid, te dum gigneret, egit
Tum pater, ex animo iam tumor ille cadet.
At Plato te factum dum somniat, inflat inani,
Aeternumq; uocat semen, & æthereum.
Factus es ecce luto, quid suspicis alta? sed istud,
Plasmatę qui te ornat nobiliore, feret:
Quin si uera uoles audire, libidine fœda,
Natus es è coitu, guttula & è misera.

In prima illa natiuitate semina ingenijs nostris innascuntur: ex libro tertio quæstionum Tusculanarum Ciceronis.

Sunt ingenijs nostris semina innata virtutũ: quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perducerent: nunc autem simul atque æditi sumus in lucem & suscepti, in omni continuò prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur, vt penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cùm verò parentibus redditi, vel magistris traditi sumus, tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat, &c.

Virtutũ semina nobis innata.

Est statim nascentibus hominibus insita latens pestis.
Petrarcha de remedijs prosperæ fortunæ.

Gaudeo. Liber sum. R. Planè si prudens es, si iustus, si fortis, si modestus, si innocẽs, si pius: horum si quid abfuit, pro ea te parte seruum scito.

Carens vitiis, liber est. scito: sed iccirco te, vt reor, liberum dicis, quod esse tibi dominum non vides: sunt enim nobis inuisibiles animorum domini: est in ipsa origine hominum latens pestis, est nascendi genus obnoxium peccato, quo nulla grauior seruitus fingi potest: sunt occulti hostes, & bella clandestina: sunt quæ miseras animas nũdinentur voluptates fœdissimæ, quæ nos inenodabili laqueo vinctos tenent. Ite nũc, & de libertate gloriamini: sed vos cæci nihil nisi corporeum videtis: vnde enim, qui immortali domino subest, seruum dicitis, cum verò, qui mille immortalibus operiuntur tyrannis, liberum iudicatis? eleganter, vt reliqua: profectò autem liberum nõ facit fortuna, sed virtus.

Latens pestis in nostra origine.

Animus peccatis obnoxius seruit.

Virtus facit liberum.

Plato nobilitatem in quatuor species diuisit:
1. nã qui claris, bonis, iustisq; maioribus fuerint
2. nati, eos nobiles vocari: quorum item parentes
3. nobiles ac princeps fuére: Item vocari nobiles, quorum sunt maiores fama & opinione celebres, quam vel ex bellicis rebus præclarè gestis, vel ex certaminum coronis reportauerũt:
4. alterum esse nobilitatis genus, idq; præstantissimum, cùm quis per se animi magnitudine excellit.

Laertius Dioge. nes in vita Plato.

Nobiles misericordia, clementia decet primores.

Quò quisq; nobilior, eò est ad misericordiam prõptior.

Quanto nobilior, tanto magis improbandus, si peccat: ex satyra octaua Iuuenalis.

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit accerse comes, si nullum in coniuge crimen,
Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celeno,
Tunc licet à Pico numeres genus, altaq; si te
Nomina delectant, omnem titanida pugnam
Inter maiores, ipsumq; Promethea ponas,
De quocunq; uoles proauum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitus, atq; libido,
Si frangis uirgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.

Viues de bello Turcico. Munus nobilitatis quale sit.

Ex bello cædes, rapinæ, incendia, propter impunitatem scelera omnia nascuntur: in pace verò bonæ artes validæ ac pollentes sunt. Hoc est principum munus, hoc nobilitatis, vtile populis & gentibus, gratum Deo, meditari, vt ciuitates & regna, quoniam tutelam ipsi susceperunt, quietè & feliciter gubernentur.

Nobiles uerè, uirtute clari, non origine parentum uel maiorum eminentes.

Multò pulchrius virtute nobilem fieri, quàm stemmate.

Solon Atheniensis.

Pulchrius multò parari, quàm creari.

Nobilitas antiquorum.

De remedijs prosperæ fortunæ, Petarcha.

Magna est nobilitas antiquorum meorum. Respondeo. Mallem per te alij, quàm tu per alios noscereris, verùm age aliquid & tu, vnde sis nobilis, nam & illi, nisi aliquid egissent laude dignum, nunquam nobiles fuissent. Verùm nobiles nõ nascuntur, sed fiunt: & ne fortè videatur hæreditarium bonum, virtus, (non libens dico, sed res ipsa loquitur) rarò excellentis viri fit excellens fuit filius.

Vnde nobiles ortum habeant. Nobilis nõ nascitur sed fit.

Nobilitas illustratur nobilibus.

Inest in homine mira & euidens nota,
Probis satum esse: Generis illustrat decus,
Quisquis celebribus dignus est natalibus.

Decus generis illustrat.

Ex Hecuba Euripidis.

Menander in Gnidia.

εὐδὲν γένος γὰρ οἶμαι διαφέρειν.
Ἀλλ' εἰ δικαίως ἐξετάσεις, καὶ γνήσιος.
ὁ χρηστός ἐστιν, ὁ δὲ πονηρὸς καὶ νόθος, id est.

Nullum opinor esse generis discrimen: sed si rectè consideraueris, ingenuus idem qui bonus: malus autem spurius est.

Nobilitas nulla, nisi adsint uirtus & boni mores ac eruditio.

Nobilitatem in astragalis gestare quid, lib. 11. cap. 27. Cœlij Rhodogini lectio. antiqua.

Nobilitatem in astragalis habere, ex adagio videtur rectè dici de eo, qui præstantia generis tumens, nulla ipse propria nititur virtute, cùm præstet tamen ingenium excoluisse, in quo vera sunt stemmata & gemina hominis excellentia, sicuti à Platone summo philosopho scimus comprobatum: nam in pedibus nobilitatis insignia, si aliud adsit nihil, gestare, odiosa tantũ est, & inanis ostentatio. nec eiusmodi hominẽ ab imagine, quàm scientissimus artifex concinnè, vel vt græcè dicam γραφικωτέρως expinxerit, magnopere distingui necesse est: propterea prudenter admodum Socrates ille in Apulei Floridis, cùm adolescentem vidisset diutulè latentem: dic aliquid, inquit, adolescens, vt te videam: sic enim hominem voce, vti figulinũ sono pernoscimus: quod adserunt Platonem dicere solitum. Sed ad prouerbiũ redeo: erat Herodi Sophistæ Regilla nomine vxor, eã ob peccatum haud ita momenti magni iussit à liberto Alcimedonte cædi: fortè tunc gestabat vtero, agabaturque à conceptu mensis iam octauus, igitur hominis imprudentia, ingestis, in ven-

Elegans prouer.

Laert. in vita Platonis.

Socrates

Homo voce sicut figulinũ opus sono pernosci.

in ventrem plagis, immaturo partu naturę concessit: Eo nomine postulatur Herodes cædis apud Romanum senatum ab vxoris fratre, nomen verò Bradeas fuit, is maiorum claritate lõgè princeps, nec minor nobilitatis ostentator, argumentum generis erat in calceis episphyrion, menoides eburneum, id significat fibulam corniculantem, qualis fermè figura est in luna, cùm tenuem visitationem facit, vel etiam paulùm crassescit. Prodiens igitur is magno paratu, ad peragendum reum, de causa quidem pauca ferè aut nihil, in laudibus verò proprijs etiam animus, imò verò totus. Cùm multa iam de familia perillustri emugisset homo imperitus, scommate illum excepit Herodes: tu, inquiens, in astragalis gestas nobilitatem. Est autem astragalus latine talus, &c.

Regilla vxor Herodis cæsa.

Bradeas frater Regillę nobilissimus.

Astragalus talus.

Cur lunulas gestarint in calceis Romani veteres.

Nobilitatem nil prodesse ni adsit uirtutis meditatio. ex eod. lib. Cœlij antiqua. lectionum cap. 26.

Apud Romanos, autor Plutarchus est, omnes qui nobilitate præstarent, lunulas in calceis solitos gestare: vnde & lunata pellis Martiali: & apud satyricum Poëtam, appositam nigræ lunam subtexit alutæ. In id argumentum rationes adferuntur plures.

Nobiles lunulas in calceis gestare soliti.

Bion interrogatus ab Antigono rege, quis, & cuius esset, vbi ciuitas & parentes illius forent, respondit, benè se facere, cùm indigeat sagittarijs, non interrogare de genere, sed scopũ proponendo optimos illorum sibi satagere ad eligendum: sic igitur amicos explorandos, non vnde nati, sed quales sint.

Grauiter responsum.

Nobilitas noua melior uirtutibus & egregijs factis comparata, quàm antiqua corrupta uitijs, & sceleribus.

Illa interim arrisit plurimũ: etenim huic instituto adfuisse videri potest nobile antiquitatis documentum, tacitis velut ambagibus commonentis, non insolescendum, nec prosperiore successu efferendos animos: inconstantiæ rerum semper memores, qua humana conflictantur. Cui argumentum præbeat luna, quæ primò quidem ex obscuro prodeat, mox splendido refulgens nitore, visenda consurgat facie: sed cũ iam clarissimam præferat candoris speciem, rursum senescens defloreſcit, donec ratione quadam reciproca in nihilum denuò redeat.

Luna inconstans.

Ceterùm ab instituto non alienum omnino, & ad vitæ mores eximiè pertinens, quod Lycurgum prædicare solitum accepimus, qui ciuibus suis identidem comprobare annitebatur, nil profuturam illi nobilitatem, & quod ab Hercule viderentur propagari, nisi ea facerent, meditarenturq́;, quibus ille hominũ summus euasisset, Catulorum argumento: quos eisdem prognatos parentibus educationis dissimilitudine, moribus etiã lõgè diuersis ostentabat: cùm lucernarius foret vnus, alter venaticus, & qui generosos alunt spiritus, laboribus innutritus. Ibidem, qui terræ filij sint & dicãtur, inuenies.

Lycurgi vox de nobilitate.

Vide Plutarchum de educat liberorum.

Præstantius est nobilitatem nouam parare, quàm acceptam corrumpere. ex Iugurtha Salustij in oratione Marci contra nobilitatem.

Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis, quam rem nobilitas ægerrimè tulit. Quæso, reputate cũ animis vestris, num id mutari melius sit. Ecquẽ ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, ac nullius stipendij: scilicet, vt in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem monitorẽ ex populo officij sui: ita plerunq; euenit, vt quem vos imperare iussistis, is sibi alium imperatorem quærat. At ego scio, qui postquàm consules facti sunt, acta maiorum, & græcorum militaria præcepta legere cœperint, præposteri homines. Nã gerere quod fieri tempore posterius, re atque vsu prius est, comparate nunc Quirites cum illorum superbia me hominem nouum. Quæ illi audire, & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi, quæ illi literis, ea ego didici militando. Nunc vos existimate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam. Mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quanquàm ego naturã vnam, & commune omnium existimo, sed fortissimum quenque generosissimum: at si iam ex patribus Albini, aut bestiæ quæri possit, me ne an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quàm optimos voluisse? Quod si iure me despiciunt, faciunt idem maioribus suis, quibus vti mihi ex virtute nobilitas cœpit. Inuident honori meo, ergo inuideant labori & innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cœpit. Verùm homines corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant, ita hos petunt, quasi honestè vixerint. Næ illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter expetant, voluptatem, & præmia, virtutes: atq; etiam quum apud vos, aut in senatu verba faciunt, plerunque oratione maiores suos extollunt, eorum fortitia facta memorando clariores sese putant, quod contrà est: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profectò ita se res habet, maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior Quirites. Verùm id, quod multo præclarius est, mea facta mihi dicere licet, nunc

Marcus homo nouus.

Est cõmunis natura omnium.

Verissimũ hoc

Te nobilius, quã maiorũ stẽmata.

nunc videte, quàm iniqui sint, quòd ex aliena virtute sibi arrogent, id mihi ex mea non concedunt, scilicet, quia imagines non habeo, & quia mihi nobilitas noua est, quam certè peperisse melius est, quàm ineptam corrupisse, &c.

Veræ imagines nobilitatis.

Non possum fidei causa imagines, neque triũphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare. At si res postulet, hastas, vexilla, phaleras & alia militaria dona, præterea cicatrices aduerso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas, non hæreditate relicta, vt illa illis, sed quę ego meis pluribus laboribus, & periculis quæsiui, &c.

Honores quasi debiti repetũtur.

Hæc atque alia maiores vestri faciendo, se & rempub. celebrauêre. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, non illorum æmulos contemnit, & omnes honores non ex merito sed quasi debitorà nobis repetit. Cęterùm homines superbissimi procul errant. Maiores eorũ omnia, quæ licebat, illis reliquêre, diuitias, imagines, memoriam sui præclaram, virtutem non reliquêre, neq; poterant, ea sola neque datur dono, neq; accipitur, &c.

Virtus nõ relinquitur iure hæreditario a parentibus.

Non omnia possumus omnes.

Bona non omnibus omnia data sunt. Quære suprà.

Qui genus suum laudant, aliena, non sua extollunt, ex Vlyßis responsiua ad Aeacem.

Proposita arma peto, meritis expendite causam:
Nec sanguinis ordo,
Sed uirtutis honos, spolijs quæratur in istis, &c,

Sophocles in Tereo.

Εν φύλῳ ἀνθρώπων μί᾽ ἔδειξε πατρὸς καὶ μητρὸς
Ημέας ἁμέρα τοῦς πάντας: οὐδεὶς ἔξοχος
Αλλος ἔβλασεν ἄλλου, κοσμεῖ δὲ τοὺς μὲν
Μοῖρα δυσαμερίας, τοὺς δ᾽ ὄλβος ἡμῶν,
Τοὺς δὲ δουλείας ζυγὸν ἔσχεν ἀνάγκης, id est.

Versi latinè per Conradum Geßnerum.

In hominum genere, una produxit ex patre & matre
Lux nos omnes: neq; præstantior alius alio natus est,
Sed sequitur aliquos sors infortunij, alios nostram.
Opes, & felicitas: sunt qui necessario seruitutis iugo premuntur.

VERA NOBILITAS NON VEterum sanguini, sed uirtuti nititur.

Non decet sanguine sed uirtute niti, ex Claudiano.

Si tibi Parthorum solum fortuna dedisset
Chare puer, terrisq; procul uenerandus eois,
Barbarus Arsacio consurgeret ore Thiaras,
Sufficiet sublime genus, luxuq; fluentem
Deside, nobilitas poßet te sola tueri:
Altera romanæ longè rectoribus aulæ
Conditio uirtute decet non sanguine niti.
Maior & utilior facto coniuncta potenti
Vile latens uirtus, quid enim subuersa tenebris
Proderit? obscuro ueluti siue remige puppis,

Aureus versus.

Vel lyra, quæ recitet, uel qui non tenditur arcus.
Hanc tamen haud quisquàm, qui non cognouerit antè,
Semet & incertos animi placauerit æstus,
Inueniet, longis illuc ambagibus iter.

Lyra iacens nil prodest.

Ex historia Cancredi de uera nobilitate hominum & per Aeneam Syluium.

Quod à te mihi de ignobilitate illius obijcitur, minus id à me peccatum fuisse, si nobilem aliquem delegissem, in hoc falsam vulgi opinionẽ sequutus es: nec vides te non Guisgardum, sed fortunam accusare, quæ frequenter indignos ad alta leuat, dignosq; humi deprimit, ac pessundat. Verùm vt omittamus hoc, & principia rerum contemplemur, certum est nos omnes homines, ab vno homine originem habuisse: virtus sola æqualiter nos natos distinguit, & quorũ opera extollit, eos nobiles & claros reddit: & quamuis vulgi opinio ignara quædam & indocta aliter sentiat, veritas tamen suo dimoueri loco nõ potest. Itaq; is verè est nobilis existimandus, cuius opera virtuosa conspiciuntur & qui aliter appellant, non illi detrahunt quem non appellant, sed seipsos ignorantiæ, stultitięque condẽnant. Intueare igitur Cancrede nobiles tuos, vitãq; vniuscuiusq; & mores examina, aliaq; ex parte Guisgardi mores, vitamq; recense: certè si iudicare volueris, non dubito, quin eum nobilissimũ fatearis: cõtrà veró, nobiles istos tuos, longe abesse à nobilitate. Equidem de Guisgardi virtute ac præstantia, nullius magis quàm tuis assensibus credidi: quis vnquàm vsq; adeò laudatus est à te, vt ille, in cunctis operibus quæ ad exercitationem pertinent virtutis? Nec sanè immerito: nam nisi me meus fallat genius, nulla laus illi tributa est, quam nõ mirificentius etiã, quàm à te dictum est, adimpleret. Dices ergo, me mihi ignobilem hominẽ delegisse? certè falsum dices: atqui si inopem dicis, cõcedo equidem id cum dedecore tuo, qui virum præstantem, familiarem tuum nullis afficere præmijs studuisti: veruntamen inopia generositatem non tollit, quanquàm opera impediat. Multi deniq; reges principesq; fuêre: nati sunt ab initio tenues atque inopes: multi etiam nunc inopes, atque proprijs manibus opus facientes, vel pastoritiam exercentes, cùm tamen & ipsi & sui diuitijs abundarunt.

Fortunę iocus.

Vna origo est omnium hoím.

Sola virt' hoiẽs distinguit.

Verè nobilis, cuius opera virtuosa.

Varij fortunæ euentus.

Seneca in Hercule furente.

Non uetera patriæ iura poßideo domus
Ignauus hæres, nobiles non sunt mihi
Aui, nec altis inclytum titulis genus:
Sed clara uirtus.
Qui genus iactat suum, aliena l[illegible]iat.

Virtus.

Sola uirtus nobilita[illegible] patre,

Eroti[illegible]

Sed licet auratos tibi pur[illegible]
Sit benè composi[illegible]

Et quamuis cultu poßis non uilis haberi,
Haud tamen id satis est, ni meliora feras.
Non ebore & gemmis, non auro uera paratur
Nobilitas, aliquid maius habere decet.
Nam uirtutis opes tantùm ornamenta putantur,
Quas fortuna sua, datq; rapitq; manu.
Hæc igitur nequeunt generosum reddere quenquàm,
Causam in se uirtus nobilitatis habet.

Amantius, ad Raimundum Fuggerum.

Nobilis est solus, uirtute insignis & arte,
Virtus nobilibus clarior una uiris.

In iactabundos nobiles, Codrus Vrceolus in epigrammatibus.

Sis licet ingenuus, clarisq; parentibus ortus,
Esse tamen uel sic bestia magna potes.
Adde decus patriæ, & claros tibi sume propinquos,
Esse tamen uel sic bestia magna potes.
Sint tibi diuitiæ, sit larga & munda suppellex:
Esse tamen uel sic bestia magna potes.
Deniq; quicquid eris, nisi sit prudentia tecum,
Magna quidem dico, bestia semper eris.

Contra nobiles sine uirtute.

Sint tibi Gallorum rex & regina parentes,
Et maneat uirtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quàm tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Nobiles illi tantùm sunt, qui secundum uirtutem uiuunt, quamuis non claris nec bonis moribus præditis parentibus orti sint.

Euripides in Dictye.

εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλῶς:
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς, ἔμοιγ' ἀνὴρ
ὁ δ' οὐ δίκαιος κ' ἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ, id est.

De nobilitate parũ laudis prædicare possum, bonus enim vir mihi nobilis videtur: qui verò non iustus est, licet à patre meliore, quàm Iupiter genus deducat, ignobilis mihi censetur.

Idem in Alexand.

Sic perflua est oratio, nobilitatem
Si mortalem laudauerimus:
Olim enim cùm primum nati sumus,
Et mater tellus homines formauit,
Omnibus consimilem largita est faciem:
Peculiare nihil habemus, sed una generis eademq;
origo nobiles ac ignobiles produxit.
Tempus autem legibus arbitrarijs nobilitatem efficit magè gloriosam.
Sed in prudentia nobilitas sita est, ac intellectus
Non à diuitijs, sed diuinitus datur.

Idem in Electra.

Non tandem sapietis uos, qui uanis opinionibus
Pleni erratis, ex conuersatione autem homines
Iudicabitis, & ex moribus nobiles:
Tales enim feliciter inhabitant ciuitates
Ac domos, carnes uerò hominum inanes
Simulachra fori sunt: neq; enim has tam
Forte brachium magis expectat, quàm imbecillum:
Nam in animo situm est illud, & alacritate.

Astydamas Tragicus Atheniensis.

Γένους δ' ἔπαινος ἐστὶν ἀσφαλέστατος,
Καθ' ἄνδρ' ἐπαινεῖν ὅστις ἂν δίκαιος ἦ
Τρόπους τ' ἄριστος τοῦτον εὐγενῆ καλεῖ
ἐνέχατον ἐστὶν εὑρεῖν ἄνδρ' ἕνα
Καὶ τοῦτον οἱ ζητοῦντες εἰσὶ μύριοι, id est.
Tutißima generis laus est,
Virum collaudare, qui iustus fuerit,
Et moribus optimis, ac eundem uocare nobilem:
Sed huiusmodi uel unum inuenire difficile est,
Et inquirentes ipsum, infiniti sunt.

Euripides in Alexand.

οὐκ ἐστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια, παρ' ἀγαθοῖσι δ' ἀνδρῶν, id est.

Nulla nobilitas inter malos est, sed inter bonos tantùm viros.

Epicharmus Siculus.

Perdet me genus si nomines, si me amas mater ad singula genus tuum. Quibus natura nullum adfuerit bonum proprium, illi confugiũt ad monumenta, & genus suum, ac auos enumerant, quot habuerint: at ne vnũ quidem videas aut nominaueris, cui non sint aui: aliter enim quomodo nati essent? Quod si tamen iudicare id nequeũt propter aliquã loci mutationẽ, aut amicorũ penuriã: quid propter hoc ignobiliores habendi sunt illis, qui auos suos numerant? Quisquis suapte natura procliuis ad bona fuerit, nobilis est, quamuis matre genitus Aethiope: ex Scythia putas damnum fieri? Anacharsis autem an non Scytha fuit?

Euripides in Ino.

Parcamus uiris nobilibus, parcamus:
Malos autem, ut merentur, respuamus:
Haud equidem scio qua ratione considerauda sit
Nobilitas: fortes enim,
Et iustos, quamuis è seruis natos,
Nobiliores esse dico, quàm inani gloria tumidos.

Sophocles in Terco.

In hominũ genere vna produxit ex patre & matre lux nos omnes, neq; præstãtior est alius alio natus, sed sequitur alios sors infortunij, alios nostrum opes, & felicitas: sunt, qui necessariò seruitutis iugo premantur.

Antigonus rex Bionẽ philosophũ de ignobilitate criminatũ, interrogauit: quis & cuius es? vbi tua ciuitas est? vbi sunt parẽtes? Cui Biõ respõdit: atqui ô rex benè facis, cũ indiges sagittarijs, quod nõ interrogando genus, sed scopum proponendo, optimos illorum tibi deligis: sic igitur amicos etiam explorandos, non vnde nati, sed qui & quales sint.

Sostratus tibicẽ, cui cũ parentum obscuritas à quo-

à quodam obijceretur: atqui, dixit, ꝓpter hoc ipsum admirationi esse magis debebam, quoniam genus à me incipit.

Iphicrates tanquam ignobilis vituperatus: ego: dixit, genus meum inchoabo.

Nobilitas uera uirtute paratur. Platina de uera nobilitate

Meo iudicio eos nobiles appellandos censeo, quos & genus antiquum & diuitiæ benè partę, à maioribusq; relictæ commendant.

Nobilitas ex uirtute oritur.

Nobilitas (vt Stoicis placet) est splendor quidam, non aliunde veniens, quàm ex ipsa virtute, qua bonum à malo, dignum ab indigno secludimus.

Et paulò post.

Si animi nostri bonis artibus & disciplinis imbuti, seruare iustitiam, pietatem, constantiã, prudentiam, rebus in omnibus didicerint, quo nam pacto fieri potest, vt is nobilis censeatur, qui sine doctrina & eruditione, intemperantię, iniustitiæ, impietati, & nequitiæ addixerit: immò verò hunc non modò ignobilem, verùm etiam scurram, & nebulonẽ improbum appellabimus: id quod sentire & Cicero videtur, scribens enim ad M. fratrem, de petitione consulatus, cùm Antonij & Catilinæ mentio fieret: Nequaquam sunt, inquit, ij tam genere insignes, quàm vitijs nobiles. Nobilitatis enim proprium est, recta sequi, gaudere officio, cupiditatibus imperare, auaritiam coercere: Hoc qui facit, etiamsi ex infima sorte hominum natus fuerit, is merito suo nobilis haberi & dici potest, neq; est cur parentem rerum omnium naturam (vt quidam improbi faciunt) reprehendamus, quòd hos nobiles, illos verò ignobiles faciat, æqualè siquidem omnibus temperamentum prętat, non genus, non potentiam, non opes inspiciens: eadem enim, quo ad animum pertinet, nascendi ratio in priuatorũ hominum filijs est, quæ in principum ac regum natis, licet ij in purpura & magnis domibus, illi in centonibus & casulis plerunq; nascantur. Virtutes certè & vitia faciunt, vt alter altero nobilior sit.

Nobilitatis propriũ.

Seneca ex Stoicorum secta philosophus insignis, ad Lucilium scribens, non fuit, inquit, Socrates patricius, nõ eques Romanus, quẽ tamen philosophia nõ accepit, sed nobilem reddidit. hunc item, quo nemo mortalium doctior, aut sapientior, Apollinis oraculo iudicatus est, mater obstetrix, & pater marmorarius in lucem ædidit, vt esset qui sua doctrina multos ad nobilitatem traduceret.

Iactare maiorum res gestas, atria imaginibus distincta, porticus signis ac tabulis ornatas, superbas ædes, plus certè admirationis in se habet, quàm nobilitatis: neq; hęc nobis adiumento esse possunt, si illorum virtutes omittamus, quorum imagines verborũ magnificentia collaudamus, immo verò si rectè intueri volumus, illa virtus huic ignauiæ dedecori ac turpidini est. Talem enim nobilitatem irridens Diogenes ille Cynicus, qui omnia contemnebat, malitiæ dixit & ignauiæ velamen esse.

Necesse est, vt aut nusquam nobilitas sit, aut illi verè nobiles sint, qui ingenio, doctrina, industria, magnitudine animi, prudentia in omni vita excellunt. Oriri autem nobilitatem ex virtute, hac ratione facillimè deprehendi potest, quod ij, qui ex claris maioribus orti, ob vitia degenerarunt, degeneres & inglorij sunt habiti: vt superioris Africani filius, qui bello Asiatico ab Antiocho turpiter captus vitam precario, præter Romanorum morem, ab hoste impetrauit. Filius Q. Fabij Allobrogi à patre degenerans, adeo libidinosè & intemperanter vixit, vt exhæredatum eum à Q. Pompeio prætore nemo ægrè tulerit: parentis enim amplitudo turpidini filij nil profuit. Quis est aũt rerũ humanarum adeo imperitus, qui hos censeat nobiles appellandos? quorum vita quò turpior fuit, eò citius suorum nobilitatem extinxit. Solent illi quidem maiorum suorum res gestas commemorare.

Nobilitas uera. Erasmus lib. 5. Apophtegmatum.

Harmodio prisci illius Harmodij abnepoti generis probrum per conuitium objicienti: meum, inquit, genus à me habet originem, tuum verò in te desijt.

Libro 7. in Antisthene.

Antisthenes τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους. Qui virtute præditi sunt, eosdẽ & nobiles esse, habent enim id, vnde vera nascitur nobilitas. Aduersus eos, qui maiorum suorum imaginibus, aut diuitijs metiuntur nobilitatem.

Nobilitas uirtute parta.

Cicero ob suũ cognomen dicterijs vexatus, & ab amicis admonitus vt aliquod sibi cognomen asciscerer, respõdit, se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum: nam hæ familiæ cùm primis illustres erant apud Romanos, cùm Tullius esset nouus homo: Cognomen enim ideo patebat Catullis, quòd à cicere vilissimo scilicet legumine dictum videretur, quasi verò nõ Fabij à fabis, & Lentuli à lento cognomen habuisse viderentur. Parũ illustris est, qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis: pulcherrimum aũt nobilitatis genus est, quam sibi quisq; proprijs virtutibus cõciliat: nec fefellit. M. Tul. Ciceronis enim nomen hodie decantatius est, quàm trecẽti Catulli, aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis, ac imaginibus. Eras. lib. 4. Apophtegmatum.

Idem lib.5.Apophtheg.

Themiſtocles, Seriphio cuidam obijcienti, quòd non ex ſeſe, ſed ob vrbis nobilitatem celebris eſſet: vera, inquit, prædicas, neq; enim ego ſi Seriphius eſſem, clarus eſſem, neque tu ſi Athenienſis: non inficiatus eſt, vrbis celebritatem nonnihil facere ad illuſtre nomen, ſed illum eſſe tam ignauum, vt etiam ſi natus eſſet Athenis, nihilominus fuiſſet obſcurus futurus.

Menander in hypolymæo.

Hoc ſolùm obſcurat ignobilitatem, & morũ malitia, omnia deniq; mala quę quis habuerit, multarum rerum poſſeſsio.

Euripides in Archelao.

ἰσχύει μέγα πλοῦτος, λαβών τε τοῦτον εὐγενὴς ἀνὴρ. id eſt: Ingens autem vis eſt diuitiarum, quas qui nactus eſt, nobilis ſtatim euadit.

Idem in Eolo.

Nobilitatis mentionem, amabo, ne mihi feceris: hoc in pecunijs ſitum eſt, ne gloriare pater, vertuntur hæc in orbem, hic habet, alter indiget, rebuſque ipſis communiter vtimur: cui autem domi diutiſsimè fortuna conuerſatur, is fœlix eſt.

Idem in Erechthæo.

Da operam opibus, nam illæ nobilitatem donant.
Et nuptijs primarijs potiri in cauſſa ſunt:
In paupertate uerò obſcuritas ineſt,
Vtcunq; ſapias ignominia uitæ.

Græcè ſic ſonat.

ἔχειν δὲ πειρῶ, τοῦτο γὰρ τό τ᾽ εὐγενὲς
Καὶ τοὺς γάμους δίδωσι τοὺς πρώτους ἔχειν,
Ἐν τῷ πένεσθαι π᾽ ἔστιν ἥ τ᾽ ἀδοξία
Κἂν ᾖ σοφός τις ἥ τ᾽ ἀτιμία βίου.

Idem in Alcmena.

Sed nihil eſt nobilitas comparata diuitijs, nam vel peſsimus propter diuitias inter primos recenſetur.

Ἀλλ᾽ οὐδὲν ἡ εὐγένεια τὰ χρήματα:
Τὸν γὰρ κάκιστον πλοῦτος εἰς πρώτους ἄγει.

Nobilitas in bonitate morum conſiſtit.

Phalaris in epiſtola ad Ariochum.

De nobilitate non minus quàm de alijs bonis gloriari, non indignum eſt, ego autem præter virtutem, nullam agnoſco nobilitatem, reliqua verò cuncta fortunam æſtimo: nam humili genere natus vt bonus, ita regum & omnium hominum nobiliſsimus fieri poteſt. Contrà, aliquis bonis parentibus ortus, malus euadere poteſt, ac tum ſeipſo, tum viliſsimis quibuſque ignobilior. Glorieris igitur de laudibus animæ, in obſcuriori poſteritate iam extincta.

Democritus.

Pecudum nobilitas in bono validoque corporis habitu ſita eſt, hominum autem in bonitate morum.

Diogenes, interrogante quodam, qui homines nobiliſsimi eſſent, contemptores, dixit, opum, gloriæ, voluptatis, & vitæ: contrarijs autem, paupertate, obſcuritate famæ, labore ac morte ſuperiores.

Socrates, Nobilitas quid eſſet ſciſcitanti: animæ, reſpondit, & corporis bona temperies.

Plutarchus in libro contra nobilitatem.

Quid enim aliud nobilitatem eſſe putamus, quàm opes antiquas, aut veterum gloriã: quorum neutrum in noſtro arbitrio eſt, ſed alterum inconſtantis fortunæ, alterum propter humanam intemperiem eſt. A duobus igitur alienis ſuperbum iſtud nobilitatis nomen pendet, atqui diuitiæ non reddunt naſcentes ſibi ſimiles. Virtutis autem à iuſto animi habitu perfectæ facultas, ſua veluti nota in prolem diffuſa, eam inſignit: & hęc veriſsima nobilitas eſt, ſimilitudo ſecundum iuſticiam.

Socrates Phyloſophus.

Neque frumentum optimum iudicamus, quod in pulcherrimo agro natũ eſt, ſed quod commodè nutrit: neque virum bonum & ſtudioſum, aut amicum beneuolum, qui genere clarus, ſed qui moribus egregijs fuerit.

Ariſtoteles de nobilitate.

Nobilitas græcè εὐγένεια vocatur, εὖ aliquid laude & ſtudio dignum ſignificat: porrò genus aliud laudabile eſt, aliud vile, ſtudioq́ue indignum. Laude verò ſtudioúe dignam rem quamlibet, virtutis ſuæ merito vocamus, itaq; genus etiam laudabile ſimiliter nominandum eſt. Cóſtat igitur εὐγένειαν, ſiue nobilitatem generis virtutem eſſe.

Idem.

Aliqui nobiles eſſe putant, qui ex bonis parentibus nati ſunt, vt etiam Iſocrates, licet pater ſtatuarius & mater obſtetrix fuiſſet. Et propter Ariſtidis virtutem, etiam filium eius generoſum dicunt.

Ignobilitas δυσγένεια.

Euripides in Antigone.

Τὸ μωρὸν αὐτὸ τοῦ πατρὸς νόσημ᾽ ἔνι:
Φιλεῖ γὰρ οὕτως ἐκ κακῶν εἶναι κακούς. id eſt.
Stultitia, hæreditarius morbus à patre eſt:
Sic enim ſolent mali, generare malos.

Idem in Alcmeone.

Ὦ παῖ Κρέοντος, ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα:
ἐσθλῶν ἀπ᾽ ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα,
Κακῶν δ᾽ ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρός. id eſt.
O fili Creontis, quàm uerum eſt hoc dictum:
Ex bonis uiris liberos gigni bonos,
Ex malis autem, patris naturæ ſimiles.

Idem.

Fieri non poteſt, liberos ita à quoq; inſtitui,
Vt improbis parentibus ſati, non fiant mali:
Vbi enim fundamentum generis iactum non fuerit

Rectè

Rectè, necesse est prolem infelicem fieri.

Item in Dictyæ.

Φεῦ φεῦ παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει:
οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός, id est:
Dij boni, quàm uera est uetus hæc sententia:
Ex malo patre, probum filium nasci non posse.

Idem in Phænice.

Ingens profectò naturæ ius est: malum enim
Nullus benè educando bonum reddiderit.

Epicharmus poëta.

Tantùm non suffocor, cùm nobilitatem aliquis homo nihili & malus nominat, qui moribus ignobilis est: Quid enim cõmercij speculo cum cæco?

Ecdorus.

Μορφὰς ἀτερπεῖς ὄψεσι κεκτημένος
παρεμφερεῖς ταύταισι τοὺς τρόπους ἔχεις:
Ἐκ τοῦ κακοῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακὸν
ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται. id est.
Faciem aspectu deformem possidens,
Mores etiam eiusmodi habes.
Ex malo enim, natura malum producit,
Quemadmodum ex uipera, rursum uipera nascitur.

Euripides in Bellerophonte.

Vulnus infligi non potest, si quis feriat
Iuncis palustribus, nec ex matre mala
Filij nascuntur, qui fortiter hastam tractent.
οὐδ᾽ ἂν ἐκ μητρὸς κακῆς ἐσθλοὶ γένοιντο παῖδες.
Rarò bonus filius ex malo patre nascitur.

Mali corui malum ouum.

Euripides in Hyppolito Coronato.

Seruilis euadit etiam magnanimus,
Qui conscius fuerit parentum malis:
Vnicè uerò certare cum uita aiunt,
A morte duraturam gloriam conciliare,
Cùm animus adfuerit iustus ac bonus.
Cæterùm improbos homines tempus redarguit, dum ueluti
Speculum illis proponit, ut sibi uirgo puella solet.
ὅταν παρῇ κακοὺς δ᾽ θνητῶν ἐξέφην᾽.

Σωκράτης ὀνειδιζόμενος γὰρ δυσγένειαν ὑπό τινος εὐγενοῦς μοχθηροῦ, δ᾽ ἐμοὶ μὲν τὸ γένος ὄνειδος ἔφη, σὺ δ᾽ τῷ γένει, id est.

Quum nobilis quidam, sed improbus, ignobilitatem obijceret Socrati, mihi dixit, genus dedecori est, tu verò generi.

Euripides in Peleo.

Οὐκ ἔστιν ἀνθρώποισι ταῦτο σκότος,
ἐν δώμος γαίας κλειστὸν ἔνθα τὴν φύσιν
ὁ δυσγενὴς κρύψας ἂν εἴη σοφός. id est.
Nusquam cautæ sunt apud homines tenebræ,
Nec ullum tale Hypogeum, ubi suum ingenium
Homo ignobilis abscondens, sapiens fieri posset.

Prouerbium.

Ne patris quidem nomen dicere posit. Quadrat in vehementer obscuros, & spurios incertoq; patre natos: cuius generis est & illud Iunalis,

Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.

Terræ filius,

De homine obscuro ignotoq; genere dicitur, ꝓpterea quod terra sit omniũ cõmunis parens.

Item.

Matris vt capra dicitur τῆς μητέρος ὡς αἴξ καλεῖται. In spurios dictum, quorum pater incertus est, eaque gratia à matre nominatur. Ductũ ab hædis, qui in caprilibus à matre dignoscuntur, nam à patribus haud quaquam posis. Manet etiam hodie vulgi iocus, quo dicunt sapiẽtem esse filium, qui patrem suum norit.

Obscuro ac ignobili loco natorum ad summos honores euectorum exempla quædam.

Baptista Fulgosus lib. 3. cap. 4. de ijs, qui humili fortuna orti, clarum sibi nomen uendicarunt.

Virtus, cui vt inuidia, ita etiam plerumque fama comes esse solet, vt se nullis contineri vinculis ostendat, non semper nobilitatem, aut opes sequitur, sed veluti toti humanæ amica naturæ, eam quærentes amplectitur, persæpeque ad eos profecta, qui humili loco orti sunt, claros facit, atq; in ora hominum euehit, spemq; minimè ingratam facit: Esse omnibus integrũ, & dum fruuntur vita, & posteaquam mori contingit, famam laudemq;, vt infamiam quoq; ac dedecus, prout ratio vitæ fuerit, comparare.

Virgilio pater fuit figulus, vel vt alij volunt, operarius.

Q. Horatio Flacco Lyrico, Statio verò poetæ, patres fuêre libertini.

Aeschinis oratoris clarissimi pater Athenis lucanicas vendidit publicè.

Tyrtamus qui ob diuinam eloquentiã Theophrastus cognominatus est, sartorem habuit patrem.

Menedemo Athenienſi philosopho pater fuit, qui mechanicũ opus consuendis tentorijs conficiebat.

Alphenus Varro Cremonensis clarissimus iureconsultus adolescens tonstriam exercuit, deinde sub Sulpitio paruo tempore ad tantam ciuilis disciplinæ scientiam peruenit, vt Romæ consul factus fuerit, & mortuus de publico sepulturæ honorem consequutus sit.

Pythagoras philosophus, natus est ex Menexarcho sculptore annulario.

Hyphicrates Artaxerxis regis Persarum Aegypto bellum illaturi Dux electus est, habuit patrem sutorem.

Eumenes Cardianus inter Alexandri magni successores numeratus, in Peloponeso natus, adeò

adeò inope abiectoq; patre, vt se, familiamque vecturis, ac curru aleret.

Viriatus Lusitanus, qui 14. annos integros cum Romanis bellum gessit, exercitibus, ducibusq; eorũ victis atq; etiam captis, habuit patrẽ pastorem, atq; ipse etiam pastoritiam exercuit.

Agathoclis fortuna vilis primò fuit, habuit patrem figulum, posteà cùm factus esset rex Syracusarum, illum tamen paternæ obscuritatis non puduit: nam in conuiuijs inter aurea vasa, fictilia quoque adhibebat, vt eodem tempore & paternę obscuritatis, & magnitudinis, in quã ipse euaserat, species repræsentaretur.

Dauid ex pastore, Iudææ Rex factus est.

Publius Helinus Pertinax imperator libertino patre atq; eodem mercatore natus est.

Orbi terrarum toti perspecta fuit insignis Aureliani virtus ac fama, & tamen eius patria ꝓpter ignobilitatem adhuc in occulto manet, quidam in Sirinno, nonnulli in Mesia, alij in Dacia ortum esse dicunt: & quemadmodum de patria eius discordes sunt scriptores, ita omnes eius maiorumq; humilitatem adfirmant.

C. Aurelius Valerius Diocletianus imperator patre notario, vel (vt alij putant) liberto ortum suum traxit.

Maximus Pupienus imperator ferrarij fabri, vel qui plaustra conficiebat, filius fuisse perhibetur.

M. Iulius Licinianus imperator in Dacia, progenitus patre admodum inope agricola, immo & is aliquo tempore patrem in aratione, cultuque agrorum adiuuit.

Bonosius in Britannia natus est, patre magistro ludi literarij.

Mahumetis sceleratæ legis auctor, in Arabia natus, camelos vectigales egit, deinde arte atq; perfidia in eam magnitudinem conscendit, vt rex creatus, etiam propheta putaretur, mortuus quoque in eam existimationem venit, vt dimidium terrarum orbem, ac multò plus in sceleratam disciplinam traxerit.

Læmusius Longobardorum rex tertius, à matre quæstum faciente ortus est.

Primislaus tertius Boëmorum rex, ex rustico patre natus, qui cùm ipse araret, à Boëmis, vt Romæ Cincinato accidit, ad ducatum vocatus est.

Amphorlanus Persarum rex, longè potentissimus, Scytha pater pastore genitus.

Abdelmonius Aphricæ, seu vt nunc dicitur, Barbariæ rex, patrem habuit figulum.

Sfortia Mediolani Dux, habuit patrem inopem caconidæ tenuis vici siti, inter Fauentiam Rauennamq; vrbes, accolam, seu agrorum cultorem.

Nicolao Picinino Perusino militari Duci celeberrimo pater fuit lanius.

Franciscus Germaniola Genuæ Dux porcos pauit.

Ioannis 22. pontificis maximi, qui Ludouico Bauaro imperatori tanto opere restitit, pater cerdonica arte victum conquisiuit.

Nicolai 5. Papæ mater oua pullosque vendidit.

Sixti quarti Papæ pater nauticam artem exercuit. Hic Franciscus Ruuerus minorum fratrum ordinem professus, ciuis Sauonensis, ille Thomas Sargionensis antè dictus.

Iohannes Campanus patrem habuit pastorem.

NOCVMENTVM.

NOcumentũ græcè βλάβη.ης.ἡ, & βλάπτω noceo dicitur, à noceo deducitur.

Prouerbiorum cap. 26.

Sicut noxius est qui mittit sagittas & lanceas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cùm fuerit deprehensus, dicet, ludens feci.

Augustinus super Ioannem.

Facinus est quod agit indomita cupiditas, vt noceat alteri.

Augustinus de cura agenda pro mortuis.

Nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum corporibus sepultura, nec si exhibeatur, aliquid infidelibus prodest.

Hieronymus epistola 8.

Quantum ad peccati rationem pertinet, nocuit qui nocere disposuit.

Idem ad Celantiam.

Aliud quoq; est nocere, quod semper potes, aliud prodesse cùm possis, aliud nõ facere, aliud non operari bonum. Illud tibi rursus occurrit non sufficere Christiano, si vnam partem iustitiæ impleat, cùm vtraque præcipitur.

Ioannes Chrysost. de Reparatione lapsi.

Et si omnes qui mare & terrã inhabitant conueniant ad lædendum, nocere nequaquam poterunt ei, qui à semetipso non læditur.

Isidorus de summo bono libro 1.

Raro læditur homo ab extraneis, si sui eum non lædant, magis enim insidijs nostrorum, quàm aliorum periclitamur.

Bernardus in sermone.

Sed vtinam soli impugnarent nos, maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis, vel detractionis, atque alijs mille modis.

Seneca in epistolis.

Ridiculum est aliquem odio nocentis, innocentiã suam perdere: insidiosissimè nocet, cui gratiæ aguntur pro iniuria.

Lactantius Firmianus diuina. institut. lib. 5.

Homo qui scientiam boni ac mali habet, abstinet

abstinet se à nocendo, etiam cum incommodo suo, quod animal irrationale facere nō potest, & ideo inter summas hominis virtutes innocētia numeratur: quibus rebus apparet sapientissimum esse, qui mauult perire quàm noceat, vt id officium quo à mutis discernitur, seruet.

NOtitia græcè γνῶσις.ιος.ἡ. & γνοσός.οῦ.ὁ notus & γνωρίζω notifico dicitur. Dicitur autem notitia quadrupliciter. s. natura, potētia, habitus & actus cognoscendi, ex beato Thoma col.7. vel 8. vel 6.4.c.

Paulus 2. Corinth. cap. ultimo.

Ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos?

Aug. in princi. Soliloquio.

Nouerim te domine, nouerim me.

Aug. de ciuita. dei lib. 4.

Scientiam cœlestium, & terrestrium rerum magis æstimaret solet genus humanum, in qua profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse seipsos.

Idem lib. 3. de Trinitate.

Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas sua, quàm qui ea non respecta, vias siderum scrutatur, etiam cogniturus eas, aut qui iam cognitas tenet.

Grego. super Ezech. lib. 1. hom. 11.

Sicut concussa aqua, imaginem respicientis non reddit, sed solùm cùm est quieta, sic anima non deprehendit se, nisi cùm est quieta.

Gregorius Moralium super illud Iob. 24.

Perfodiunt in tenebris domos.

Quid domorum nomine, nisi cōscientiæ designātur, in quibus habitamus, quæ contrectādo agimus.

Gregor. Moral. lib. 31.

Cognoscere se non potest anima, quæ tota apud se non est, & nisi etiam diuinæ luci appropinquet.

Bernardus super Cantica hom. 36.

Velo proinde animam primo omnium scire seipsam, quod postulat ordo rationis, quando quod nos sumus, primum nobis est.

Ibidem.

Superbiam tibi parit ignorantia tui, cùm meliorem quàm sis, decepta & deceptrix tua te cogitatio esse mentitur.

Bernardus ad fratres de monte.

Alia est cella interior, alia exterior: exterior est domus, vbi habitat anima cum corpore, interior cōscientia quam habitare debet spiritus sanctus. Diligis cellam exteriorem, dilige potius interiorem.

Caßiodorus super Psalm. Miserere mei domine, quoniam infirmus sum.

Magnus accessus ad Deum est, cognitio infirmitatis suæ, locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est vtilitas seruo Dei, propriam infirmitatem recognoscere, atque in suis virtutibus & meritis nullam fiduciam habere.

Hugo lib. 1. de Claustro animæ.

Melior es si teipsum cognoscas, quàm si te neglecto, cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cœlestium omnium, & terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, & seipsos nesciunt, cùm summa philosophia sit cognitio sui.

Boëtius de philoso. Consolat. lib. 2. prosa. 5.

Humanæ quippe naturæ, ista conditio est, vt cùm tantū cęteris reb⁹, cùm se cognoscit, excellat: eadē tamē infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare natura est, hominibus verò vitio venit.

Pittacus & Chilon.

γνῶθι σεαυτὸν, id est, nosce teipsum.

Iuuenalis saty. 11.

Fugiendum, & memori tractandum pectore, siue
Coniugium quæras, uel sacri in parte Senatus
Esse uelis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Vlysses:
Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas te consule, dic tibi quis sis,
Orator uehemens, an Curtius, an Matho, buccæ
Noscenda est mensura tuæ, spectandaq; rebus
In summis, minimis, etiam cùm piscis emetur.

Persius.

Tecum habita, & noris quàm sit tibi curta, supplex.

Ibidem.

-Ne te quæsieris extrà.

Nouacula græcè ξύρος ου.ὁ. & κουρεύς.εος.ὁ tōsor dicitur. Et est culter rasorius, quod nouare, hoc est, nouum facere videatur.

NOuerca græcè μητρυιά, alias μητρυιά ας.ἡ. dicitur, & est ea quā quis liberis sublatis, nouā vxorem ducit, arcendæ familiæ gratia, secūdum Pōpeium. Dicitur autem quod noua à patre superinducatur, ita & vitricus quasi nouitricus, quod nouus superinducatur à matre. Est enim mihi vitricus matris meæ vir.

Menander.

δεινότερον οὐδὲν ἄλλο μητρυιᾶς κακόν. id est.
Grauius nihil aliud nouerca malum.

Ex primo Epigrammaton.

μητρυιαὶ προγόνοισιν ἀεὶ κακὸν οὐδὲ φιλοῦσαι
σώζουσιν, φαίδραν γνῶθι καὶ ἱππόλυτον. id est.
Nouercæ priuignis semper malum, neq; amantes
Saluant. Phædram inspice & Hippolytum.

Ouidius lib. 1. Metamorph.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Obedien-

Obedientia græcè πειθώ.όος. vel πειθώς.εος. & πειθήνιος.ε.δ obediens & πείθομαι obedio dicitur. Est autē obedientia voluntatis propriæ subiectio, secundum Ioannem Damascenum li. 3. cap 4.

Obedientia hominis ad Deum, est affectio voluntatis coniunctæ Deo, secundum B. Ansel. Obedientia hominis ad hominem, est debita reuerentia minoris ad maiorem. Obedio idem est, quod pareo, & componitur ex ob & audio. Veteres etiam dicebant obaudio pro obedio.

Genesis cap. 26.

Dixit dominus ad Isaac: Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spospondi Abraam patri tuo, & multiplicabo semē tuum, sicut stellas cœli. Daboq; posteris tuis vniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo, omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraam voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesq; seruauerit.

Ecclesiastes cap. 8.

Qui custodit præceptum, nō experietur quicquam mali.

Regum 1. cap. 15.

Melior est obedientia, quàm victimæ.

Prouerbiorum 21.

Vir obediens loquetur victoriam.

Paulus ad Ephesios cap. 6.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei: ex animo cum bona volūtate seruientes, sicut Domino & nō hominibus.

Paulus ad Collossenses cap. 3.

Serui obedite dominis carnalibus per omnia, non ad oculum seruientes, quasi hominib' placentes, sed in simplicitate cordis timentes dominum.

Petrus epist. 1. cap. 1.

Castigantes animas vestres in obedientia charitatis.

Actuum apostolorum cap. 5.

Obedire oportet Deo magis, quàm hominib'.

August. & habetur 22. q. 3. cap. Non semper.

Non semper malum est, nō obedire præcepto: cùm dominus iubet ea quę sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est.

Idem & habetur 11. q. 3. cap. Ita corporis. §.

Qui resistit.

Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, sed quid si illud iubeatur, quod non debeas facere? Hîc sane contemne potestatem, ipsos humanarum legum gradus aduerte. Si aliquid iusserit curator, faciendum est, tamen si cōtra proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire, nec hinc debet minor irasci, si maior prelatus est. Rursus si ipse consul aliquid iubeat, & aliud iubeat imperator, vel si aliud iubeat imperator, & aliud Deus quid iudicas? maior potestas Deus. Da veniam ò imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur: Hinc iam tibi assumenda est fides tua, tanquam scutum in quo possis omnia ignea iacula inimici extinguere.

August. Donatistis & habetur ibidem cap.

Imperatores.

Imperatores si in errore essent (quot absit) & pro errore suo contra veritatem leges darent per quos iusti comprobarentur & coronarentur, & non tamen faciendū est quod illi iubēt, quia Deus prohibet: sicut iusserat Nabuchodonosor, vt aurea statua adoraretur, quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem imperatores veritatem tenent, & pro ipsa contra errorem iubent quod quisq; contempserit, ipse sibi iudicium acquirit: nam inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, quia hoc facere noluit, quod ei per cor regis ipsa veritas iussit.

Aug. 2. Confess. & habetur dist. 8. cap.

Quæ contra.

Generale quippe pactum est, societatis humanæ, obtemperare regibus suis, quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quę iusserat, sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ, maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

August. de opere monachorum.

Quid iniquius quàm velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus.

August. in lib. q. Gen. & habetur 33. q. 5. cap.

Est ordo.

Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ, viris, & filij, parentibus: quia in illis hæc iustitia est, vt maiori seruiat minor.

Hiero. in epist. ad Ephe. & habetur 11. q. 3. cap.

Si dominus.

Si dominus ea iubet, quæ non sunt aduersa sanctis scripturis, subijciatur domino seruus. Si verò contraria pręcipit, magis obediat spiritus, quàm corporis domino.

Gregorius, & habetur 11. q. 3. cap. Quid ergo.

Quid ergo mirum, si peccator homo, obediētiæ, in presentis vitæ breuitate, se subijcit, quando hanc mediator Dei tenuit, & tenendam præcepit & cùm obedientes remunerat, non relinquit. Sciendum tamen est, nunquā per obedientiam malum fieri, aliquando autem per obedientiam debet bonum (quod agitur) intermitti, neq; in paradiso arbor mala extitit, quā Deus homini ne contingeret interdixit, sed vt melius per obedientiæ meritum, homo benè conditus cresceret. Dignum fuerat vt etiamà bono

bono prohiberetur, quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto & à bono cessans authori suo, se humilem & subditum exhiberet.

Gregorius lib. 12. Moralium.

Obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu, seruanda est: nō timore pœnæ, sed amore iustitiæ.

Idem lib. 35. Moral. tractans illud: Melior est obedientia quàm uictima.

Obedientia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasq; custodit. Melior est obedientia quàm victimæ, obedientia victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria volūtas mactatur.

Bernardus in sermone de Epiphania.

Si vis esse sapiens, esto obediens, sic enim scriptum est: Concupiscis sapientiam: serua mandata, & dominus dabit illam tibi.

Bernardus super Cantica.

Bonus obediens dat suum velle & suum nolle, vt possit dicere: Paratum cor meū Deus, paratum cor meum, paratum quodcunq; præceperis facere, paratum ad nutum citius obedire, paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cœlestium contemplatione requiescere. Amabilis socijs, omnibus officiosus, & nulli onerosus, deuotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, domini seruus, proximi socius, mundi dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium.

Bernardus de præcepto & dispensatione.

Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur: nec contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudine charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisq;, animi motum nō cōsiderans in infinitam libertatem extenditur.

Ibidem.

Melius est obedire Deo quàm hominibus, & ipsis melius magistris, quàm discipulis. Porrò in magistris melius nostris, quā extraneis, quibus autem melius constat obedire, ipsis procul dubio non obedire, est detestabilius.

Ibidem.

In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, vt in difficilioribus quidem agendis, obeditio, quàm præuaricatio grauior iudicetur, & in facilioribus, minusq; onerosis, contēptus damnabilior æstimetur.

Ibidem.

Solùm censeri fregisse votum, violasse propositum, præuaricasse pactum, qui & præceptum contempserit & remedium. Nam illum sanè dico securum, qui etiam si interdum obedire prę terierit, consilium non respuit pœnitentiæ.

Ibidem.

Si iubente seniore vt sileam, verbū mihi fortè per obliuionem elabitur, reum me confitebor obedientię, sed venialiter. Si ex contēptu sciēs, & deliberans, sponte in verba prorupero, & rupero silentij legem, præuaricatorem me constituo, & criminaliter, & si impœnitēs perseuero, vsque ad mortem, peccaui damnabiliter.

Leo Papa, & hab. 2. q. 6. cap. Qui scit.

Qui scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exegerit etiam ipse rependat, & sicut non vult grauis oneris sarcinas ferre, ita non audeat alijs importabile onus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri, dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Hugo de 12. abusionibus.

Inobedientiæ morbus, ex superbiæ tumore procedēs, sicut sanies ex vlcere, sic ex superbia contemptus manat. Hoc autem tribus modis mederi solet, videlicet emplastro, vnguento & ferro. i. exemplo boni operis, verbo exhortationis, & disciplina correctionis. Cùm enim vlcus non emittit per confessionē saniem, vel ex commotione non permittit emundationem, restat vt ferri recipiat infusionem. i. correctionem disciplinæ.

Cyprianus de duodecim abusionibus.

Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit, sic in senectute honorē legitimum consequi nō poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauit. Disciplina igitur absque obedientia qualiter fieri poterit? Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est.

Homerus in α Iliados, & sunt uerba Nestoris ad Achillem & Agamemno.

ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον. id est,

Sed obedite & uos, quoniam obedire melius est.

Pythagoras.

πραέσι δ᾽ εἶκε λόγοις, ἔργοισί τ᾽ ἐπωφελίμοισι.

Mitibus parce sermonibus, operibus conducibilibus.

Periander.

ἄρχουσιν εἶκε, id est. Principibus pare.

εἶκε μεγάλοις, id est, Cede magnis viris.

Pittacus.

νόμοις πείθου, id est, Legibus pare.

Seneca Tragœdia 7.

Aequum atq; iniquum regis imperium feras.

Plautus in Sticho.

Faciendum est id nobis, quod parentes imperant.

Virgilius in Bucolicis ægloga 5.

Tu maior, tibi me est æquum parere Menalca.

Virgilius Aeneidos lib. 2.

Tu ne qua parentis

Iussa time, neu præceptis parere recusa.

Dantes Floren. paradisi cant. 26.

Hor figliol mio, non il gustar del legno
Fu per se lacagion di tanto exilio,
Ma solamente il trapassar del segno. id est.
Nunc fili mi, non gustatio ligni
Fuit per se causa tanti exilij,
Sed duntaxat transgreßio ipsa signi.

AMANTIVS. Obedientia à iustitia trahit originem. Est enim obedientia, habitus parẽdi præceptis omnibus, quæ à ratione proficiscũtur. Vel, est habitus parendi præceptis omnibus atq; imperijs, quibus lege, iureque parere teneamur, & vt pareamus recta dictat ratio. Partes illius sunt pietas, cultus, obseruantia, reuerentia, submissio. Contraria: impietas, contemptus, contumacia, irrisio, statio. Versatur illa in factione præceptorum, quorum quædã sunt naturalia, aut humana, vt leges ipsæ, quædam diuina, vt, adorare Deum, parentibus obsequi, & obtemperare. De laude obedientiæ, quæ cum obedientia cõiungenda, quę etiam vitanda, porrò quòd obedientia non debeat à metu vel vtilitate proficisci: item an vbiq; parentibus obediendum sit, &c. vide Iouinianum Pontanum in libris de obedientia, qui hæc elegantißimè scripsit.

Perytione Pythagorica ex libro de mulieris harmonia.

Mali quicquam parentibus nec dicto, nec facto exhibere oportet, sed obedire, cuiuscunq; conditionis fuerint, item in quacunq; corporis, animi, rerumq; externarum fortuna, in pace, in bello, sanitate, morbo, diuitijs, paupertate, gloria, infamia, siue priuatis, siue in magistratu constitutis, parentibus adesse ipsis oportet, nec vnquam deserendi sunt, obediendumque tantùm non etiam insanis: hæc enim sapienter & rectè fieri à pijs hominibus existimantur. Contemptus autem parentum peccati genus eiusmodi est, quod in viuis simul atque defunctis diuinitus damnatur, ab hominibus odio habetur, & sub terra in loco impiorũ vnà cum reliquis improbis perpetuò punitur à iustitia & infernalibus dijs, qui his rebus inspiciẽdis destinati sunt. Honestißima enim est immò diuina parentum facies, & aspectus, cultusq; eorum tanti fieri debet, quanti nec solis fit, neq; omnium syderũ, quæ gratißimas cœli choreas constituunt, aut si qua alia res istis maior à quoquam existimatur. Deos equidem arbitror, si contemni parentes viderint, haudquaquam ita esse toleraturos. Quãobrem & viuos & mortuos colere par est, nec vnquam eis contradicere: verùm si quid ignorent, morbi aut animi deceptionis vitio, consolari atque docere oportet, odisse nequaquam, maius enim inter homines admitti peccatum nequit, quàm erga parentes impietas.

Musonius, an per omnia parentibus obsequendum sit.

Iuuenis quidam, quem pater philosophandi cupidum prohibebat, Musonium interrogauit his ferè verbis, an ô Musoni, per omnia obsequendum parentibus, an in aliquib. rebus id non faciendum est? cui ille respondit, parere quidem vnumquenque suis parentibus decorum videtur, & à me commendatur: sed quid nam sit parere videamus, aut primùm potius, quid si immorigerum esse, & quis inobediens, dispiciamus: postea verò melius videbimus, quid sit obedire. Age, si pater, qui medicus non est, neque salubrium & contrariorum peritus, filium ægrotantem aliquid facere iusserit, ceu conducibile, quod tamen noxium sit & inutile, ac ipsum ægrum huiusmodi esse non lateat, dicetúrne filius non obtemperare ac inobediens esse, nisi iussa fecerit? non equidem videtur. Item, si ipse pater aliquo morbo laborans vinum aut cibum intempestiuè petierit, vt quibus assumptis ægritudinem auxerit, filius autem id sciens, non exhibuerit, patri ne immoriger ille est? nemo hoc dixerit: & multò minus illum quis inobedientem appellauerit, qui patrem auarum habens, ab eo furari, aut deposito fraudare quempiam, iussus, eius nõ exequitur imperata: an non putas esse aliquos patres, qui filijs suis talia imperarent? ego certè noui quendam adeo sceleratum, vt filij (quem formosum habebat) pulchritudinem vendere ausus fuerit. quòd si hic adolescens à patre venditus, & missus ad turpe facinus, contradixerit neque iuerit, an potius inobedientem eum, aut castum & sobrium esse dicemus? Sed forte huiusmodi ne interrogari quidem merentur. nã contumacem esse & non parere, conuitium & opprobrium est: non facere autem ea, quæ non facienda sunt, laudem meretur, non dedecus. Itaque siue patris, siue magistratus, siue domini præceptis, mala, iniusta, vel turpia imperantis, non obsequens quis fuerit, nequaquam inobediens est, vti etiam neque iniustè neque perperam facit: verùm ille duntaxat immoriger est, qui bona, honesta, vtiliterque imperata negligit, & non obtemperat: talis igitur est inobediens: moriger autem ille contrarius & contrario modo est affectus, is autem hoc nomine appellandus erit, qui obtemperat, & vltrò obsequitur recta monenti. Quamobrem & parentibus suis tum demum quis obedit, cùm sponte facit, quæ ipsi rectè iusserunt. Ego sanè illum, qui, quæ decent & conducunt, fecerit, quamuis sine iussu parentum, morigerum parentibus esse dixerim. quod autem iure sentiam, hinc colligere potes: Qui facit, quæ pater vult, patrisque voluntatem sequitur, patri obedit: Faciens autem

autem quæ oportet, & potiora factu sunt, voluntati patris obsequitur: quonam modo? quoniam parentes omnes liberis suis procul dubio benè volunt, beneuoli autem cùm sint, ea ab ipsis volunt, quæ decora profuturaque sunt. Quisquis igitur agit conuenientia & vtilia, ea, quæ parentes volunt, agit, honestum & vtile: tanquàm si tale fuerit, statim is, à quo agitur, parentibus obediat. Quocirca ne time adolescés, ne patri fias immoriger, si vel indecorum quid præcipiente ipso non facias, vel prohibente honesta facere, pergas: nam pater in istorum neutro prætextus peccandi tibi esse debet, nó enim cogeris mala imperata exequi.

Xenophon lib.8. Pædologia Cyri propè initium.

Cogitate enim & quæ vrbs hostilis capta sit à nolentibus, & quæ amica ab ijs, qui parere velint, seruata sit, quæ etiam obedientiam: nisi præstantium sit acies victoriam consequuta. Quo autem pacto magis homines vincantur in pugna, quàm vbi cœperint, priuatim quisque de sua salute consultare? Quod denique aliud bonum præstetur ab ijs, qui melioribus non parent? Quæ vrbes legitimè habitentur, vel quæ domus seruentur, vel quo pacto naues, quò opus est, perueniant? Nos verò quæ hoc tempore habemus bona, ob quam rem magis adepti sumus, quàm ob præstitam obedientiam principi.

Obedientiæ usus & necessitas in Politia.

Statim pòst. Si igitur principi obedire, maximum apparet esse bonũ ad bona adipscenda: quod etiam idem hoc ad seruandum, quę oportet, maximum est bonum.

Eusebius.

Homines inobedientes sunt illis, qui cùm iniustè viuant, alijs præesse volunt: Obedientiam autem facilem ad ea quæ princeps vel ipse, vel per alium præcipit, apud subditos efficiet quisquis, qui quæ ipsum facere oportet, diligenter exequitur, & eorum, quæ agere conuenit, subditis sese exemplum præbet.

Herodotus lib.7. Histor.

ἶσον ἐκεῖνο ὦ βασιλεῦ παρ' ἐμόν κέκριται φρονέειν τε εὖ καὶ τῷ λέγοντι χρηστὰ ἐθέλειν πείθεσθαι, id est.

Idem, ô rex, meo quidem iudicio esse videtur, vel ingenio sapere suo, vel rectè dicenti obtemperare.

Hesiodus in operibus.

Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται, id est. Bonus autem & ille est, qui rectè dicenti paret.

Aristonymus in Tomarijs.

ἐν μὲν τῷ πλεῖν πείθεσθε δεῖ τῷ κυβερνήτῃ, ἐν τῷ ζῆν λογίζεσθαι δυναμένῳ βέλτιον, id est.

Nauigando gubernatori auscultãdum, viuendo illi, qui plus ratione valet.

Obedientiæ studium augendum esse semper.

Videndum quoque, vt crescat cum ætate simul, & augeatur obedientia: nam vt sit inobedientia semper detestabilis, detestabilior tamé semper est in iuuene, quàm adolescente, & in hoc, quàm in puero, in quo propter ætatem nõ datur tantum loci contumaciæ, & peccatum ipsum facilius promeretur veniam. Pontanus de obedientia, vbi & exactè eam quæstionem explicat, scilicet facienda ne sint omnia, quæ parentes iubeant.

Obedientia debetur solis principibus secularibus.

Roma.13. Lucæ 20. Matth.20. Prima Petri.2. Exodi 22. Principi populi tui non maledices. Acto.23. Numeri 16. Non obedientes passim puniti sunt, vt ab exemplis videre licet in Dathan, & Abyron.

Matthæi 17. Liberi sunt filij, sed ne simus offendiculo, profectus ad mare mitte hamũ. &c. & 20. Principatus gentium non, sed Apostolorum prohibetur. Matth.23. Malis obediendum esse præcipitur, si super cathedram Moysi sederint, & rectè docuerint, quæ dicunt, facite, 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, cæsari: & quæ Dei, Deo: Luce 2. Maria & Ioseph paruerunt edicto Imperatoris, vt irent in ciuitatem suam Bethleem.

Ioannis 19. Non haberes potestatem, nisi tibi datum esset desuper.

Romano.13. Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.

Prima Timothei 2. Adhortor, fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentijs, cõstitutis, vt placidam & quietam vitam degamus cum omni pietate ac honestate.

Ad Titum tertio.

Hortare vt potestatibus subditi sint, vt pareant magistratibus, vt ad omne opus bonum sint parati, ne de quoque maledicant, ne sint pugnaces, sed humani, exhibentes se mansuetos erga omnes homines.

Prima Petri 2.cap.

Subditi estote cuiuis creaturæ propter dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, vt qui per eum mittantur, ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium: quoniam sic est voluntas Dei. Item: tanquam liberi, & tamen non tanquam velamen habentes malitiæ libertatem, sed tanquam serui Dei. Item: Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate.

Obiectus græcè ὀνείδισμός. οῦ. ὁ & ὀνειδίζω obijcio dicitur. Eſt autem obiectus oppoſitio cuiuſcunq; rei ac etiam verborum. Ita & obex hoc eſt obiectio cuiuſcunq; rei. Virg. Intra ſe vaſti Proteus tegit obice ſaxi. Philoſophi tamen obiectum vocant, quicquid cerni poteſt, hoc eſt, quicquid oculis obijcitur: vel ſic, Obiectũ non eſt materia ex qua, ſed eſt materia circa quam. Et obiectum habet rationem formæ, inquantũ dat ſpeciem, ſecundum B. Thomam, prima ſecundæ, quæſt. 18. art. 2. Ab obijcio, quod eſt oppono hæc deducuntur.

Obiurgatio græcè λοιδορία. ας. ἡ. & λοιδορέω, obiurgo dicitur. Eſt autem obiurgatio idem quod repræhenſio, vnde verò dicatur, vide ſuprà in Iurgium.

Oblatio græcè προσφορα ας. ἡ. & προσφέρω offero dicitur. Eſt autem oblatio omne quod exhibetur in cultu Dei. Sacrificium verò ſi inde fiet aliquid ſacrum conſumendum, ſecundum B. Tho. ſecunda ſecundæ, quæſt. 85. art. 3.

Obligatio græcè δεσμός. οῦ. ὁ & δεσμότης. ου. ὁ. ligatus, & δεσμόω, ligo dicitur. Eſt autem obligatio iuris vinculum, quo neceſſariò aſtringimur ad aliquid dandum vel faciendum, vt habetur inſtit. de obl. in princ.

Obligatio idẽ eſt quod deuinctio, vnde obligatus, & obligatio veniunt.

Obliuio græcè λήθη. ης. ἡ, & ἐπιλανθάνομαι obliuiſcor dicitur. Eſt autem obliuio præteritorũ aut futurorum laborum per laudem compoſitorum, aut cõponendorum voluptuaria & voluntaria, ac grata iucundaq; prætermiſsio, omniumq; honeſtarũ rerũ ignaua perditaq; negligentia. Hinc obliuioſus qui facilè obliuiſcitur.

Oblocutio græcè κακολογία. ας. ἡ. & κακολογέω maledico dicitur. Quid autem ſit, & quomodo differat ab exprobratione, vide ſuprà in Exprobratio.

Obſeruantia græcè παρατήρησις. ιος. ἡ. & παρατηρέω obſeruo. Eſt autem obſeruantia per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignamur, ſecundum Ciceronem in Rhetoricis. Huius contrarium eſt deſpicientia, inobſeruantiaq; cum quadam animi auerſione.

Obſeruantia eſt ſub pietate: ſicut pietas ſub religione, & eſt virtus ſpecialis, per quam honorantur perſonæ, in dignitate conſtitutæ, ex B. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 80.

Obſeruare aliquando eſt callidè aduertere. Terentius in Andria. Obſerues filium quid agat, quid cum illo conſilij captet. Componitur autem ex ob & ſeruo, vnde venit aſſeruo, quòd eſt cuſtodio.

Obſcuritas græcè ζόφος. ου. ὁ. & ζοφόω obſcuro dicitur, veniuntq; obſcuritas & obſcurus à cura, quòd ea quæ lumine carent, curam nobis obijciant. Eſtque propriè obſcurum, quod eſt ſine lumine. Per metaphoram interdum pro ignobili ponitur, interdum pro tecto, latenti & abſcondito, vnde obſcuram orationem dicimus, vel obſcurum ſermonem, quod ænigma dicitur. Eſt enim ænigma quæſtio verborum obſcuritate inuoluta, ſecundum B. Tho. 2. Sentent. diſt. 23. art. 1. Vel ænigma eſt obſcura allegoria, ſecundum Quintil. Eſt autem ænigma græca dictio αἴνιγμα. τος. τὸ & αἰνιγματικός. οῦ. ὁ. ænigmaticus dicitur.

Obſtinatio græcè αὐθάδεια. ας. ἡ. & αὐθάδης. εος. ὁ. ἡ. obſtinatus dicitur. Eſtq; pertinax, impudenter tenax, quaſi omnino tenax, ſecundũ Iſiodo. lib. Etymolog. Differunt tamen pertinax & perſeuerãs: quia perſeuerans eſt quantũ oportet: pertinax verò plus quàm oportet.

Obſtinatus eſt ille, qui perſiſtit in ratione peruerſa abſtinens à bonis, ſicut cõtinens propriè eſt, qui perſiſtit in ratione recta, à prauis concupiſcentijs abſtinens, ſecundum Beatum Thomã ſecunda ſecundæ, quæſt. 115. artic. 1. Ab obſtino verbo, quòd ſignificat obfirmo, venit obſtinatio, hoc eſt, animi firmitas: & obſtinatus, obfirmatus.

Actuum apoſtolorum cap. 9.

Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Auguſtinus lib. 6. Confeſsionum.

Suſpirabam, ligatus nõ ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate: velle meũ tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat. Ex peruerſa enim voluntate facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſsitas. Quibuſdã annulis ſibimet annexis, tenebat me ſtrictè dura ſeruitus.

Idem epiſtola ad Marcellum.

Intereſt inquantũ & in quibus rebus erretur, & quàm facilè ſe quis corrigat, vel quanta pertinacia ſuum defendere conetur errorem.

Bernardus in epiſtola 252.

Ob hoc inflexibilis & obſtinatæ mentis malum, punitur ęternaliter, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore, vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate, ita vt ſi nunquam moreretur, nunquã velle peccare deſineret. Imò ſemper viuere vellet, vt ſemper peccare poſſet.

Hugo de 12. abuſionibus.

Tres ſunt ſpecies obſtinatorum. Prima, eorũ qui ex correctione proficiunt: ſecunda, eorum qui ex cõmonitione deteriores fiunt: tertia, eorum qui emendationem promittunt, ſed non faciunt. Ex correctione Manaſſes factus eſt melior, Nabal ex cõmonitione deterior, Pharao ex afflictione deterior.

Seneca in Prouerbijs.

Tunc eſt conſummata infelicitas, vbi turpia nõ ſolùm delectant, ſed etiam placẽt, & deſinit eſſe

esse remedio locus, vbi quę fuerãt vitia, mores fiunt.

Aristot. lib. 1. Physicorum.

Contra negantes prima principia non est disputandum.

Cicero lib. 1. de finibus bon. & malorum.

Nec cum iracundia, aut pertinacia rectè disputari potest.

Valerius Maximus lib. 7.

Inutiliter aliquid concupiscere, & eo perseueranter morari, exitio vicina ea dulcedo est.

Francis. Petrar. Cantil 42. stantia 3.

Che uo cangiando pelo
Ne cangiar posso obstinata uoglia.

Occasio græcè ἀφορμή. ῆς. ἡ. & καιρός. οῦ. ὁ dicitur. Est autem occasio oportunitas temporis casu proueniens. Venitque ab occido penul. breui, quod modò significat obuenio, ab ob, quod est circum, vel propter, & cado. Occido etiam nonnunquam interimor significat, vnde occasus hoc est interitus. Aliquando cado, vnde sol occidere dicitur, quia cadere videtur dum mergitur, & occasus solis ipsa mersio solis.

Phocylides.

καιρῷ δουλεύειν, μηδ᾽ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι, id est.
Occasioni obtempera, & noli spirare contra uentos.

Menander.

ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει ζυγώματα, id est.
Omnia tempestiuè gratiam habent. Idem.

καιρὸς γὰρ ἐστι τῶν νόμων κρείττων πολύ, id est.
Occasio enim est legibus potentior multo.

Idem.

καιροὶ δὲ καταλύουσι τὰς τυραννίδας, id est.
Occasiones autem dissoluunt tyrannides.

Idem.

Καιροῦ τυχὼν γὰρ πτωχὸς ἰσχύει μέγα, id est.
Occasionem nactus enim pauper, potest multum.

Idem.

Πολλῶν ὁ καιρὸς γίγνεται παραίτιος, id est.
Multarum rerum occasio est causa. Idem.

Πολλοὺς ὁ καιρὸς ἄνδρας οὐκ ὄντας ποιεῖ. id est.
Multos occasio uiros non existentes facit.

Idem.

τάχισθ᾽ ὁ καιρὸς μεταφέρει τὰ πράγματα, id est.
Celerrimè occasio permutat res. Idem.

Τὸν καιρὸν εὔχου πάντοθ᾽ ἵλεων ἔχειν, id est.
Occasionem precare ubiq; propitiam habere.

Idem.

ὡς μέγα τὸ μικρὸν ἐστὶν ἐν καιρῷ δοθέν, id est.
Quàm magnum paruum est in tempore datum.

Idem.

ὥρα τὰ πάντα τοῦ βίου κρίνει καλῶς, id est.
Hora omnia uitæ iudicat pulchrè.

Periander.

Καιρὸν προσμένε, id est.
Occasionem exspecta.

De Occasione Deo, è Greco.

Vnde erat hic plastes? Sycionimus, at quis erat? dic. AMANTIVS.
Lysippus. tu quis? tempus ego omne domans.
Cur summis instas digitis? rotor quia semper. at alas
Cur pedibus gestas? ut leuis aura feror.
At dextram cur armat acuta nouacula? signum est,
Quòd conferri acies non potis ulla mihi est.
Cur coma fronte iacet? quòd qui me prendere captat,
Præueniat. Caluum est cur tibi retrò caput?
Quòd postquàm leuibus præceps effugero pennis,
Nil aget à tergo, qui reuocare uolet.
Vnde igitur posses documentum sumere? talem
Artificis posuit me tibi docta manus.

Occasio 13. ode, Epodôn Horatij.

Horrida tempestas cœlum contraxit & imbres,
Niuesq; deducunt Iouem: nunc mare, nunc sylua
Threicio Aquilone sonant. rapiamus amici
Occasionem de die, dumq; uirent genua,
Et decet, obducta soluatur fronte senectus.
Occasione duntaxat opus improbitati.

Aristoteles libro Rhetoricorum 2. Καὶ περὶ οὓς ἔχουσι πρόφασιν, ἢ προγόνων, ἢ αὐτῶν, ἢ φίλων, ἢ ποιησάντων κακῶς, ἢ μελησάντων, ἢ αὐτοὺς, ἢ προγόνους, ἢ ὧν κήδονται. ὥσπερ γὰρ παροιμία, προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία, id est. Aut aduersus quos occasionem habent, siue progenitorum nomine, siue suo ipsorum, siue amicorum, siue eorũ, pro quibus solliciti sunt. Quemadmodum enim prouerbio dicitur: Occasione duntaxat opus est malitiæ: quadrabit in nocendi cupidos, qui ne temerè læsisse videantur, causas prætexunt. Celebrãt hic Mimus Publianus, ni fallor, in hanc sententiam: malefacere qui vult, nusquam nõ causam inuenit. Circumfertur & hodie vulgò apud nostrates adagium non vsquequaque spernendum: Facilè fustem inuenerit, qui cupit cædere canem. Eodem spectat Terentianũ illud: Fingit causas, ne det sedulò. Item illud Martialis, — *Facilè est causam malefaciendi inuenire.*

Irasci tantum felices nostis amici:
Non quia sic merui, sed iuuat hoc facere.

Fortasis huc allusit & Euripides, cùm sic ait in Iphigenia Aulidensi. — *Euripides in Iphigenia.*

ἐπὶ βραχείας προφάσεως, ἔδει μόνον,
ἐφ᾽ ἧς σ᾽ ἐγώ τε παῖδές οἱ λελειμμένοι,
Δεξόμεθα δέξιν ἥν σε δέξασθαι χρεών. id est.
Occasione tantùm opus fuerit leui,
Vt & ipsa, quiq; mihi supersint liberi, — *Retaliatio.*
Te rursus accipiamus isthunc ad modum,
Quo te accipi par est.

ὥρας χρὴ ἀπεριμαχήτως ἠρκέναι: τὸ γὰρ περιεῖναι αὐτὰς, κινδυνεύει. μὴ οὐχὶ ἐπ᾽ ἔσχατον κακὸν, ὥσπερ, ἀυκαλὰ τὸ ἐναντίον χωρῆσαι. id est.

Occasiones arte deligendæ sunt: nam si transgrediaris ipsas, extremè aliquando periclitaberis, nec non si citra nimium transilieris.

Premenda occasio.

Qui significabit, modis instandum omnibus esse, nec obmittendam è manibus semel oblatā occasionem: accommodabit illud ex odyssea δυμεῖς δ᾽ ἀστεμφέως ἐχέμεν μᾶλλόν τε πιέζειν. Vos premite, & vinclis magis arctè stringite captum. Quod quidem detorquere licebit ad id, cùm dicemus impetus animi hoc magis ac magis esse cohercendos rationis moderamine, quò magis efferuescunt, & ad malum sollicitant.

Prouerbium.

Cato lib. 2. de occasione.

Occasio calua ab occipitio.

Rem tibi quam nescis aptam dimittere noli,
Fronte capillata pòst est occasio calua.

Erasmus.

Quoties fortuna offert commoditatem, quæ tibi sit apta, statim arripe: nam occasio frontem habet capillatam, vt ea parte teneri posit: verū si semel se verterit, ab occipitio calua est, vt iam apprehendi nequeat, hoc est, opportunitas cùm contingit, teneri potest, non redit autem cùm voles, si neglexeris. Hic admonendum illud, quod Græci fingunt de Deo cæco. De quo copiosius in prouerbijs Erasmi.

Occasio Deus Græcis καιρὸς dictus

Necessitas occasionis in actionibus.

Singulis actionibus, inquit Proclus, aliud cōuenit, aliudq; tempus ad hoc vel illud perficiēdum. Eiusmodi verò tempus est actionis cuiuslibet opportunitas, tanquàm bonum atque finem agentibus afferens & effectis. Quapropter Pythagorici primam quoq; causam, à qua omnibus est bonum, opportunitatem nominauerunt: quippe cùm omnibus, vt perfecta sint, largiatur, omnia deniq; coaptantur, dum caussæ quidem perficientes ad perficiendū promptissimæ sunt: susceptura verò ad participationem expergiscuntur, & illæ rursum potentiam porrigunt perficientem. Hæ autem potentiam aptitudinis à natura susceperunt: Duplex enim potentia est, altera quidem agentis, altera patiētis: & illa est mater actionis, hæc perfectionis est susceptaculum.

Duplex potētia.

De opportunitate, seu occasione, uel tempestiuitate.

Sexto curriculo prodeat ad cursuram Pithacus, qui Phrynonē Atheniensium Ducem monomachia, id est, singulari certamine congressus interemit, quū instar retiarij reti emisso illum implicasset: huiusce Pithaci illa est celebrata sententia, γνῶθι καιρόν, id est, noris tempus vel opportunitatem, siue tempestiuitatem. Romana vox: Veni in tempore: Interpretatio huiusce sapientissimi dicti saluberrimi, vt scilicet norimus in rebus agendis, obseruemusque opportunitatem, vt in tempore cuncta aggrediamur. Terentius, rerum omniū esse primum, tempus, ait. Repetent cuncti (vt verbis Ausonij vtar) quotus offensam incidat, spectata cui nō fuerit opportunitas. Medicus in danda medicina ægroto norit tempestiuitatē; nam, vt ille inquit, temporibus medicina valet: contrà, nihil est in morbis magis periculosum, quàm immatura medicina: Quod & memorat Seneca in libro ad Albinam matrē, de consolatione. Præcipit Plinius noster, cauendum, ne in remedijs vitia fiāt, quòd euenit nimia, aut intempestiua medicina. In cibo quoq; dando, ô medice, nosce quando intempestiuū est: Nam, vt Cornelius Celsus verissimè scribit: optimum medicamentum est cibus opportunè datus, qui quando dari debeat, inter medicos non satis constat. Notum est illud Ouidianum:

Ouidius

Ipsa leget tempus, medici quoq; tempora seruant.

Καιρὸς, Tempestiuitas.

Tantum poller, vt vinum quoque, quod alioqui noxium est languētibus, in tempore datū, medeatur. Quod Ouidius quoque planissimè significat, illo versu:

Data tempore prosunt,
Et data non apto tempore uina nocent.

Huius rei obseruationem probè callebat Asclepiades, qui primus vino opitulari inuenit, dādo scilicet κατὰ καιρὸν, id est, in tempore: qui vnum de vino dando volumen condidit.

Hippocrates in Aphorismis, & Galenus lib. 7. simplicium, docent dolores oculorum vino meraco solui: quod ita interpretamur, si tempestiuiter detur.

Tu, qui aditus faciles ad principem quæris, cupisque voti compos euadere, γνῶθι καιρόν, id est, noueris opportunitatem, & quę mollissima fandi tempora. Cuius pręcepti gnarus poëta sic cecinit:

Sola uiri molles aditus & tempora noras.

Plautus opportunitatem innuens efficacissimam esse in rebus, ait in Pseudolo. Ipsa mihi opportunitas non potuit opportunius aduenire. Item in Menechmis: Non potuisti magis per tempus mihi aduenire, quàm aduenis: Ita ego soleo, commoditatis omnes articulos scio.

Opportunitas efficacissima.

Historici prodiderunt Vespasianum id temporis fuisse facilimum & indulgentissimū, quo in balneum tricliniumq; transiebat: eaque momenta, atq; occasionem domesticos ad aliquid petendum magnopere captasse.

Nota bene.

Γνῶθι καιρόν.

Nosce tempus.

Consimiliter vos, qui vultis apud principem impetrabiles esse, captate id tempus, quo remissior, hilarior, indulgentiorque esse solet: scitote plus pollere tempestiuitatem hanc, ad successus petitionum, quàm adipem leonis, quàm sanguinem basilisci, quàm spondylon draconis, quàm anguium drynedarum ouum, cæteraque id genus promissa magicæ vanitatis. Cōtrà, non parum multi intempestiuè interpellantes meritò repulsam patiuntur: Quibus illud Nasonis dici potest:

Dictum Pithaci Mitilenæi.

Ouidius

Non

Non adijt aptè, non legit idoneè credo
Tempora.

Horatius probè callens, quantum opportunitas valeat, sic scribit:

Horat.

Nisi dextro tempore Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem.

Occasio obseruanda.

Idem mittens Augusto librum, monet portatorem, vt tempestiuiter adeat: vt videlicet, si validus, si lætus erit, si deniq; posset.

Materia quæ ad ædificandum, fulciendũ, quęue necessaria est.

Tempestiuitas deniq; perspicienda in materia cædenda, in emptionibus, venditionibus, amationibus, in agriculturis, frumentis decidendis, messibus, vindemijs, oleitate, sationibus, insitionibus, propagationibus &c. Reliqua lege apud Philippum Beroaldum in heptalogo sapientum.

Nosce tempus.

Faber lignarius, idem materiarius à Plauto eleganter dicitur.

Celebratur in primis inter septem sapientum apophthegma, ac, vt alia pleraque, pluribus autoribus adscribitur, à nullo non vsurpatũ. Hesiodus: μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. Idem: Obseruate modum: nam rebus in omnibus illud optimum erit, si quis tempus spectauerit aptum. Huc allusit Theocritus in Idillio A. Ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίγνεται ἐν χειμῶνι, id est: Verùm alia æstiuo, atque hyberno tempore fiunt. Quin & Isocrates ad Dæmonicum scribit, iniucundum in omni re esse, quicquid intempestiuum sit, adeò cunctis in negocijs plurimum habet momenti temporis & opportunitatis obseruatio.

Hesiod. Optimũ spectare tempus aptum. Isocrat. Omnia intẽpestiua iniucũda.

Idem admonent Græcorum sententiæ.

Ὡς μέγα τὸ μικρόν ἐστιν ἐν καιρῷ δοθέν: id est.
Vel maxima est, pusilla res loco data.
Καλὸν τὸ καιροῦ παντὸς εἰδέναι μέτρον, id est.
Res bella, cuncti nosse temporis modum.
ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν, id est.
Tempus pariter in omni re fastigium obtinet.

Item illud Horatij.

Dulce est desipere in loco &c.

Senarij iambi Græci.

Τάχιστ' ὁ καιρὸς μεταφέρει τὰ πράγματα, id est.
Facies potest rerum illico mutarier.
Τὸν καιρὸν εὔχου πάνθ' ἵλεων ἔχειν, id est.
Votis precaris, placida adesse tempora.

Opportunitatis magna uis.

Tantam vim habet opportunitas, vt ex honesto inhonestum, ex damno lucrum, ex voluptate molestiã, ex beneficio maleficium faciat, & contrà: breuiterq; rerum omnium naturam permutet. Hæc in aggrediundo conficiendoq; negocio præcipuum habet momentum: vt nõ sine causa veteres videantur eam diuinitate donasse: tametsi apud Græcos mas est hic Deus, appellaturq; καιρὸς: Eius simulachrum ad hunc modum fingebat antiquitas: volubili rota, pennatis insistens pedibus, vertigine quàm citatissima semet in orbem circumagit, priore capitis parte capillis hirsutis, posteriore glabra, vt illa facilè prehendi queat, hac nequaquam. Vnde dictum est, occasionẽ arripere. Ad quod eruditè simul & eleganter allusit, quisquis is fuit, qui versiculum hunc scripsit:

Opportunitas diuinitate donata.

Fronte capillata, pòst est occasio calua.

Sed libet & Posidippi super hac re carmen adscribere: quod quamobrem omittendũ Politianus existimauerit, admiror. Est autem huiusmodi:

Τίς πόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος. οὔνομα δὴ τίς;
λύσιππος. σὺ δὲ τίς; καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας, ἀεὶ τροχάω, τί δὲ ταρσοὺς
Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα;
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν, ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
Νὴ Δία. τ' ἐξόπιθεν, πρὸς τί φαλακρὰ πέλει;
τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσίν,
οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
Τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων
Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

Latinè redditi.

Quæ patria artifici? Sycion. quo nomine? Nomen
Lysippo dictum est, ipse quis es? loquere.
Illa ego cuncta domans Occasio. Cur age pennis
Insistis? uoluorq; ac rotor assiduè.
Cur gemina in pedibus gestas talaria? dicam:
Huc illuc uolucrem me leuis aura rapit.
Quid dextræ sibi uult inserta nouacula? Signum hoc,
Quòd quauis acie sim magis acuta, docet.
Tecta capillitio facies, quid nam admonet? illud,
Quisque uti me, quoties offeror, arripiat.
Cur autem capitis pars posticaria caluet?
Quem sim alatis præterij pedibus,
Is quanquam uolet inde cito me prendere cursu,
Haud liceat, simul ac uertero terga uiro.
Hac itaq; idq; tua me finxit imagine causa
Hospes, sculptoris ingeniosa manus:
Spectandamq; domus hic prima in fronte locauit,
Scilicet, ut cunctos, & moneam, & doceam.

ὡς μέγα τὸ μικρόν ἐστιν ἐν καιρῷ δοθέν, id est.
Magna & pusilla sunt oblata tempore.
ὥρα τὰ πάντα τοῦ βίου κρίνει καλῶς, id est,
Tempus feret de uita olim iudicium.

DE eadem occasione Ausonius in hunc modum scripsit.

Cuius opus? Phydiæ qui signum Pallados, eius
Quiq; Iouem fecit, tertia palma ego sum:
Sum Dea quæ rara & paucis Occasio nota.
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? uolucris sum. Mercurius quæ
Fortunare solet, trado ego cùm uolui.
Crine tegis faciem? Cognosci nolo. Sed heus tu,
Occipiti caluo es? ne tenear fugiens.

Quæ tibi iuncta comes? dicat tibi. Dic rogo, quæ sis?
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum Dea quæ facti, non factiq; exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, sic Metanoëa uocor.
Tu modò dic quid agat tecum? si quando uolaui
Hæc manet, hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoq; dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

Petracha in dialogo 6. de furtis.
De remedijs utriusq; fortunæ.

Dolor. Me fures insectant. Ratio. Contra hoc malum nihil querelis agitur supplicijs, opus est interim custodia, proficit vigilantia: sunt qui nihil custodiant, & accusent fures, cùm vetus sit prouerbium: Occasio furem facit.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Modestia, secundum Stoicos, est scientia earum rerum, quæ aguntur aut dicuntur, loco suo collocandorum. Videtur autem eadem vis ordinis & collocationis fore: nam & ordinem sic definiunt compositionem esse rerum aptis & accommodatis locis: Locum autem actionis opportunitatem temporis dicunt esse. Tempus actionis opportunũ εὐκαιρία, latinè appellatur occasio, sic fit, vt modestia hæc scientia sit opportunitatis, idoneorum temporum ad agendum.

Apophtegma de Themistocle, Erasmus Roterodamus, lib. 5. Apophtegmatum, in Themist.

OCCASIO NEGLECTA.

Antiphates adolescens, qui prius Themistoclem amantem fugerat ac fastidierat, vbi vidit illum gloria celebrem, potentiaque magna pollentem, vltrò adijt illum blandiens: cui Themistocles, ô adolescens, serò quidem ambo, sed tamen sapere cœpimus. Sentiens illum non arripuisse occasionem sese offerentem, sibi verò nunc non vacare per negocia talibus affectibus indulgere.

Παλλαδᾶ.

ἔν γε λέγων τὸν καιρὸν libro 1. Epigrammatum. Et ibi Obsopæus rectè à Menandro occasionem seu tempus Deum dictum esse ait, quòd non rarò aliquid longè melius vltrò accidat, quàm nimia cura parari aut excogitari potuerit.

OMNIA TEMPESTIVE
agenda.

Isocrates ad Demonicum in Parenesi sua grauissima.

Neq; in ridiculis serias res agas, neque in rebus serijs nugis gaudeas: nam quicquid non tempestiuè nec in loco fit, vbique molestum est.

Idem in Panegyrico. Arripienadm esse præsentem opportunitatem.

Proinde mihi nimis esse multa videntur, quę nos hortentur ad bellum inferendũ: in primis autem præsens occasio, quæ tã euidens & præclara cùm sit, amittenda nõ est: turpe enim fuerit, ea præsente nõ vti, præteritam desiderare. Occasio arripienda.

Tempus, quòd Græci καιρὸν, nos occasionẽ, siue tempestiuitatẽ dicimus, veteres, teste Callistrato, pulchrum puerum ac Deum rotulæ fingebant, summis digitis insistentem, alatis talaribus, nouaculam in dextra, crinibus tantùm anterioribus, occipitio caluo: vt planè significarent à breuitate commoditaq; temporis nos deseri nunquam redituri. Quapropter omnibus bonis esse curæ suadetur à doctis, ne frustra labatur. Volaterranus in lib. 31. Philologiæ, Reliqua quære in litera T. de Tempore.

Nihil intempestiuum gratum esse & conducibile.

μὴ πάλι μοι μετὰ δόρπον ὅτ' οὐκ ἔτι γαστέρα πάθω,
δυβατα καὶ χοιρῶν ἄρτι τίθει θεμάχη:
οὐδὲ γὰρ ἐργοπόνοισι μετὰ στάχυν ὄμβρος ἄχρειος.
χρήσιμος, οὐ ναύταις ἐν λιμένι ζέφυρος. id est.

Ne cum fastidit post sumpta cibaria uenter,
Vbera cum fartis, pone suilla mihi:
Namq; nec agricolis post messem commodat imber,
Nec Zephyrus nautas in statione iuuat.

OCiositas græcè ἀπραγμοσύνη. ης. ἡ vel ῥαστώνη. ης. ἡ dicitur. Est autẽ otiositas cũ quis quiete necessaria saluti corporis accepta vacat ab aliquo opere spirituali, vel corporali, & hæc est filia Acediæ. Otiũ est vacatio à labore, cuius cõtrarium negotium est. Aliquando otium pro litterario studio capitur.

Prouerbiorum cap. 10.

Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit æstate, filius confusionis.

Ecclesiastici cap. 33.

Multam malitiam docuit otiositas.

Ecclesiastici cap. 51.

Operamini opus vestrum ante tempus. s. iudicij.

Ioannes in euangelio cap. 9.

Me oportet operari dum dies est.

Idem cap. 12.

Ambulate dum lucem habetis.

Matthæus cap. 20.

Quid hic statis tota die otiosi?

Paulus ad Thessal. 2. cap. 3

Qui non laborat, non manducet.

Idem ad Ephe. cap. 5.

Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes redimentes tempus.

Augustinus de Ciui. dei libro 19.

In otio non debet esse iners vacatio, sed aut inquisitio veritatis, aut inuentio.

Hieronymus libro 3. contra Rufinum, dicit fuisse sententiam Aristotelis.

Opera-

Oneratis superponendum, deponentibus non communicandum: id est, ad virtutem incedentibus, augenda præcepta, tradentes se otio, relinquendos.

Hieron. epistola 17.

Non sufficit à malis esse otiosum, si quis fuerit à bonis otiosus.

Ibidem.

Occupandum est bonis rebus ingenium, & sanctæ conuersationis vsus altius inserendus.

Gregor. Moral. 5. super illud Thren. 1. Viderunt eam hostes & deriserunt sabbathum eius.

Hostes sabbatha derident, cùm maligni spiritus ipsi vacationis otia ad illicitas cogitationes pertrahunt.

Ioannes Chrysosto. super Ioannem homil. 26.

Peruersi facti sumus ab otio.

Ibidem.

Nàm laborare nos corrumpere assueuit.

Seneca in epistola. 1.

Quædam tempora nobis eripiuntur, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit.

Ibidem.

Magna pars eius iam præterijt. Quicquid ętatis retro est, mors tenet: Dum differtur, vita transcurrit.

Ibidem.

Omnia aliena sunt, tempus tantũ nostrũ est.

Seneca in epistola.

Otiosus nõ sibi viuit, sed quòd turpissimum est, ventri & somno.

Ibidem.

Ille non viuit, qui nemini viuit.

Idem epistola 109.

Non dedit nobis natura tempus, vt aliquid ex eo vacet perdere.

Seneca in Prouerbijs.

Quies tibi non desidia sit, vt cùm ab alijs luditur, tu sancti aliquid honestiq; tractabis.

Seneca Tragœdia 7.

Miserias lenit quies.

Idem Tragœdia 8.

Omnis nimium longa properanti mora est.

Seneca libro de Clementia.

Emollit otium vires, sicut rubigo ferrum.

Ibidem.

Fax immota torpet, ignem agitata restituit.

Aristoteles libro 4. Ethicorum.

Requies & ludᵒ, in vita videnť esse necessaria.

Aristoteles libro 7. Ethicorum.

Major est delectatio in quiete quàm in motu.

Aristoteles lib. 8. Politicorum.

Omnis laborans requie indiget.

Cicero lib. 2. de natura deorum.

Mihi enim qui nihil agit, esse omnino non videtur.

Salustius in Iugurtha.

Proditionum consilia per otium ex loci opportunitate capiuntur.

Ibidem.

Etenim ignauia nemo immortalis factus est, neq; quisquàm parens, liberis, vt æterni fierét, ignauiam optauit, magis vt boni & honesti vitam suam agerent.

Q. Curtius de gestis Alexandri lib. 3.

Omnia Alexandri facilius quàm moram perpeti poterat.

Idem libro. 5.

Fatigatis necessaria quies est.

Valerius Max. lib. 8. cap. 6.

Otium, industriæ & studio maximè contrarium videtur.

Idem lib. 7. tit. Sapienter dicta aut facta.

Appiũ Claudiũ crebrò solitũ dicere accepimus, negotium populo Romano, melius, quàm otiũ cõmitti, nõ qui ignoraret quàm iucũdus tranquillitatis status esset, sed quòd animaduerteret præ potentia, imperia agitatione rerũ ad virtutem capescendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Et sanè negotium nomine horridum, ciuitatis nostræ mores in suo statu continuit. Blandæ appellationis quies, plurimis vitijs respersit.

Valerius Max. lib. 8. de otio.

Homerus quoq; ingenij cœlestis vates, non aliud sensit vehemẽtissimis Achillis manibus, canoras fides aptando, quàm vt eorum militare robur leni pacis studio relaxaret.

Menander.

ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά. id est,

Quàm multa mortalibus otium facit mala.

Terentius Comœdia 4.

Quid credebas dormienti tibi confecturos deos?

Ouidius lib. de Remedio amoris.

Otia si tollas periêre Cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Ouidius lib. 1. de Ponto, Elegia 6.

Cernis ut ignauum corrumpant otia corpus,
Et uitium capiant ni moueantur aquæ?

Catullus Elegia 3.

Dulce uiatori lasso in sudore leuamen,
Cùm grauis exustus æstus hiulcat agros.

Lucanus libro 1. Pharsaliæ.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

Idem libro 4.

Variam semper dant otia mentem.

Baptista Mantuanus Parthenices libro 1.

Homini labor utile semper
Calcar erit, segni pigros rubigine sensus
Otia corrodunt, sopitaq; pectora torpor
Noxius obliquat. ferrum si transit in usus
Aßiduo splendore micat, uultuq; nitenti
Audent ad argenti Deus aspirare superbum.

At si

At si longa quies ierit fuscatur, & atram
Vertitur in scabiem, celeriq; absumitur æuo.

Demosthenes in Olynthiaca prima.

AMANTIVS. QVis tandem adeò stupidus est, per Deos, qui non videat bellum illinc huc aduenturum, si negligentes fuerint? Quod si fiat, timeo viri Athenienses, ne similiter vt illi, qui ꝓ magnis vsuris facilè mutuam pecuniam accipiunt, postquàm breue tempus abundarunt, postea ipsam quoque sortem amittunt: ita nos etiam, si diu fuerimus socordes, & omnia voluptatis gratia fecerimus, multa tandem & difficilia præter voluntatem nostram facere cogamur, & de ipsa regione nostra periclitemur.

Ocio corpus corrumpimus.

Lucani, vt aliorum criminum, sic etiam luxuriæ & ocij caussas agunt. Quod si quis homini luxurioso mutuasse aliquid cōuincatur, priuatur mutuo dato. Huc senatusconsultum Macedonianum adhibeto.

Athenis etiam otij caussæ forenses agitātur.
Καὶ ἀθύνησι δὲ τῆς ἀργίας εἰσὶ δίκαι.

Ocium rege indignum.

Cuidam percontanti, num esset Dionysius Syracusanorū rex ociosus, absit, inquit, vt hoc mihi vnquam accidat. Sensit turpissimum esse regi vacare vnquā à reipub. negotijs. Vbi sunt igitur nostri principes, qui bonam partem diei & noctis alea, compotationibus, ac nugis alijs transigunt. Eras. lib. 5. Apophthegmatum.

Socrates è Priscis autoribus selegerat versiculos aliquot, quos prouerbiorū vice frequenter vsurpabat. Quorum est ille Hesiodius.
ἔργον γ᾽ οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργείη δέ τ᾽ ὄνειδος. id est.
Non probrum est operari, ast est cessatio probrum.

Quo dehortabatur iuuenes, non solum ab ocio, verùm etiam ab actionibus infrugiferis. Siquidem eos appellabat ociosos, qui alea, cōpotationibus, & scortis ætatem absumerent. Eras. lib. 3. Apophthegmatum.

Thessalus quidam interrogatus, quinam essent Thessalorum deterrimi: qui inquit, à bellicis negocijs ocium agunt, barbari nesciunt litigare. Idem libro 6. Apophthegmatum.

Idem Erasmus eodem libro.

Turbo Adriani cæsaris præfectus, admonitus ab eo, vt curam haberet suæ valetudinis, sibiq; daret vacationem à negocijs: respondit, non decere Cæsaris præfectos, nisi stātes mori. Ignauū esse sentiens in lecto decumbentem exspirare.

Eodem libro.

Scipio Nasica, quibusdā dicentibus, res Romanas iam in tuto esse, extinctis Carthaginensibus, & Græcis in seruitutem redactis. Immò, inquit, nunc demum summo in periculo sumus, postquam nulli supersunt, quos vel timeamus, vel reuereamur. Sensit inimicos per occasionem vtiles esse nobis, per quos nō decet impunè secureq; esse negligentes.

Faustus Andrelinus in Distichis.

Corrumpunt forti celsas cum pectore mentes,
Ocia plumoso desidiosa thoro.

Pictorius.

Si tibi perpetua uigil est ô cura salutis,
Ocia perpetuò delitiosa caue.
Hostis apricantem quoties uidet inferus hostem,
Semper uictrici currit ad arma manu.
Sed timet implicitum manuúmue pedúmue labore,
Aut mentis uigili sollicitæ studio.

Ocium turpe.

Quum Lucius Lucullus post obita militiæ munia sese voluptatibus dederat, ac sumptuosè viueret, Pompeium interim reprehenderet, quòd præter ætatem multis negocijs appeteret implicari: magis, inquit, præter ætatem est senē delicijs vacare, quàm imperium gerere. Grauiter taxauit illorum sententiam, qui putant senibus nihil agendum, cùm decorum sit rempub. gubernantem vel stantem mori: Luxus autem & ocium in iuuenibus stulticia est, in senibus crimen. Eras. lib. 4. Apophte.

Charilaus percōtanti cuidam, quam ob rem omnium Deorum statuæ apud Lacedæmonios ponerentur armatæ: ne, inquit, probra, quæ ob ignominiam iaciuntur in homines, ad Deos referamus, néue iuuenes nisi armati Deos cōprecentur: eo commento ciuium animis hanc opinionem infigere studebāt: Dijs gratam esse fortitudinem, armis ferendis debere assuescere: quo simul & minus indulgerent delitijs, & vtiliores bello euaderent, sic ne religionis caussa fas esset, arma ponere, cuius obtentu ferè solet ocium & luxus in ciuitates irrepere. Eras. libro 5. Apophthegmatum. Ignauia Dijs inuisa.

Chilo Lacedæmonius dicebat adamandam esse quietem, quoties datur honestum ocium. Iuxta illud ἡσυχία καλόν, nihil enim vel tutius, vel iucundius: Nullum autem negocium periculosius, quàm bellum. Lib. 2. Apophte.

Epaminundas tempore Leustrici belli, cùm accepisset quendam strenuum virum perijsse morbo, per iocum dixisse fertur: Vnde fuit illi moriendi ocium in tantis negocijs? Frequēter autem non minima morbi pars est imaginatio, metusúe morbi. Hunc languorem solet excutere negociorum ardor. Eras. libro 5. Apophthegmatum.

Pictorius Poëta in Epigramat.

Quo te cunq; die nil sancti egisse uidebis,
Hunc tibi uel pœnitus deperijsse puta.

Ista

Ista nec in minimis ponas dispendia damnis:
Aere potest nullo uel breue tempus emi.

Contra ocium Picus Mirandula, de quo Crinitus lib. 2. de honesta disciplina cap. 12.

Tempus res preciosissima.

Nihil esse potest in vita nequius, aut scelestius, quàm tempus ipsum, rem scilicet preciosissimam, somno inertiaq; transigere. Qui enim desides, ignaui, & oscitantes viuunt, nō hercule magis viuunt, quā stolidæ pecudes & meræ beluæ: neq; enim viuunt sed spiritū trahunt, sicut pecudes solent. Quo factum est, vt Nomothetę pœnas quidem acerrimas contra istos desides atq; ociosos statuerint, eosq; iure infames dixerint: siquidem & Solon ipse in suis legibus inertiam hanc, turpemq; ignauiam seuerissimè culpauit: qui desidiam, inquit, sectatus est, is accusantibus esto obnoxius. Vnde illud etiā Q. Ennij nō minus equidem discendum censeo, quā dogmata & præcepta quædam ex philosophia intima eruta: Quod idem poëta in Tragædia Iphigenia his versibus contra inertiam posuit, vt Iulius Celsinus apud Frontonium Cornelium retulit.

Solon inertiā legibus coercuit

Ocio qui nescit uti, plus negocij habet,
Quanquàm cùm est negocium in negocio.

Ennij grauissimum dictum.

Nam cui, quid agat, institutum est, nullo negotio id agit: studet sibi, mentem atq; animum delectat suum, ocioso initio animus nescit, quid velit.

Hoc idem est enim: Neq; domi nunc nos, nec militiæ sumus.

Imus huc, hinc illuc, cùm illuc ventum est, ire illinc lubet.

Ouidius lib. 1. de Ponto ad Maximum.

Et mihi si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit, estq; minor factus inerte situ.

Catullus ad Lesbiam.

Ocium Catulle tibi molestum est,
Ocio exultas, nimiumq; gestis:
Ocium reges prius & beatas
Perdidit urbes.

Ouidius lib. 1. de Remed. amoris.

Quàm Platanus riuis gaudet, quàm populus unda,
Et quàm limosa canna palustris humo.
Tam uenus ocia amat &c.
Quæritur Aegisthus quare sit factus adulter:
In promptu caussa est, desidiosus erat.

Plura de his omnibus vide in loco Tranquillitas, in litera T.

DE ACIDIA B. MANTVA*nus lib. 1. De calamitate suorum temporum.*

Hæc est curarum genitrix exercita nullis
Artibus, officij nullo laudabilis usu
Segnicies, inter socias nutrita Megeræ:
Doctaq; languores animi, luctusq; magistra
Sola sedens, oculosq; solo defixa, malignum
Crispa supercilium, pallens impexa capillos,
Phthiriasin patiens scalpit caput unguibus uncis:
Os immunda, manus illota, cadente saliua,
Barba madet, pluit imbriferis de naribus humor
Debilis, & longo pendens in pectora dorso,
Fauce tumet, leuat angusto sub pectore uentrem,
Vtris ad exemplum, morbiq; intercutis instar:
Crus exile, genu surgens, perpinguis & amplus
Tardat iter: grauibusq; dolet iunctura Podagris:
Hæc fera seruilis, sanctæ fastidia uitæ
Ingerit, & tardos ad clara negocia sensus
Somnifero languore premit, frigentia corda
Inuoluit gelido densæ uelamine nubis:
Nil nisi terrenis haustum de fecibus unquàm
Cogitat, annales ueterum, dubiamq; futuri
Temporis ignorat sortem, non ulla latentes
Cernere naturas rerum causasq; tueri
Cura subit: subiecta oculis uix aspicit, ægrè
Palpebras leuat hærentes, humore tenaci
Lumen habet, surdent aures, uox languida, sermo
Barbarus, obscuro uerba interclusa palato:
Seminat infelix lolium, frigensq; papauer,
Lethæisq; rigat steriles humoribus hortos:
Plumbea liuenti gestat connexa metallo
Vincula, captiuos homini quibus alliget artus.
SATVRNVS pater est illi, Nox humida, mater:
Hanc genuit magnos iocus ut compesceret ausus,
Itala Grataeis petijt cum littora rostris:
Penula trita, fluens humeris à pectore aperta:
Sordida, neglecto cultu, demissior antè,
A tergo breuior textu laxata soluto,
Fila oras circum pendent, rosere cothurnos,
Articulosq; pedum mures, & olentia nigris
Sordibus immundæ sulcant calcanea rimæ:
Ipsa sibi grauis est, turpi deiecta quiete
Mœret, & ignorat caussam mœroris & ortum,
Ebria Lethargo semper, tristiq; ueterno
Virtutum formidat iter, monstratq; labores.
Difficilesq; uias, & re maiora uideri
Cuncta facit: ceu si uitreo sub gurgite uirgo
Mersa sit aërio, quia corpore densior unda est,
Ingentem sparsa mentitur imagine formam:
Sic hominum falso deludit Acedia uultu,
Spem minuens, animosq; premens, operumq; futura
Præmia deridens, contemni fulmen & ignes
Tartareos, frustraq; docet Phlegetonta timeri,
Aeacon & Minoa negat, nullum Rhadamanto
Iudicium tribuit, fœdæq; libidinis usum,
Et Veneris concedit opus, conuiuia, uentris
Ingluuiem laudat, sic lentus pectora torpor
Occupat, & pigras ita uincit inertia mentes,
Instructis lautè mensis, si copia detur,
Indulget, quæsita uorat, sed quærere nescit:

Inde

Inde graues curæ, longæuaq; tædia surgunt.
Sic nocet hoc monstrum, & iustis conatibus obstans,
Suadet ab obscœnis quæri solatia rebus.
Hoc inhonoratum scelus ignauumq; sequuntur
Ignotæ tristesq; animæ, quas nulla futuri
Cura, nec æternæ stimulauit gloria famæ:
Si tamen hæc quoddam retinent ex ordine nomen,
Non sua, sed uirtus illos laudata priorum,
Vel genus excelsæ gentis, uel regia uirga
Imbelli gestata manu, uel nobile crimen,
Egregiumq; scelus, sciri sine laudis honore
Cogit, & inuitas hominum transmittit ad aures.
Istorum turpi ex numero, & de plebe nephanda
Vnus erat, modico dominum qui uendidit ære,
Vnus & ostriferam Sesto qui iunxit Abydum
Pontibus, & magnum salsis Athon alluit undis:
Mox ubi conuulsas audiuit in æquore puppes,
Et pontem æquoreis confractum uiribus amens
Qua Phrixi germana iacet rate fugit inermi.
Talis & Aeneadum, Phrygio de sanguine Cæsar
Vltimus Ausoniæ labes, & dedecus aulæ:
Talis ab Alyrio ueniens longo ordine bello
Sardanapalus iners, qui non Chironis in antro
Nutritus, non inter equos nutritus, & enses,
Sed calathos circum saturataq; uellera rore
Muricis, & tenues lanas, quas sericus altis
Pectit ab arboribus uiolasq; imitantia pensa,
Purpureosq; Croci uultus Hyaliq; colores,
Crinitosq; colos, solium regale tueri,
Nescius ut regni imaser iurata coëgit
Auxilia, & celeri maturans arma paratu,
Attonitam cinxit subitis legionibus urbem,
Stamina deposuit, tandem & de plebe fugaci
Componens raras acies cum milite pigro
Exijt in pugnam molles talaribus armos
Assuetum tunicis: clypeus grauis æreus umbo
Pressit, ut horribilis pugnæ caua buccina signum
Edidit ut rigidum, campos ingressa patenteis
Terrifico cantu cecinit uox Bellica Martem,
Et leuis insonuit crebris hinnitibus aura:
Obriguit, stupuere oculi, liquere trementeis
Lora manus, Clypeusq; cadens (res digna triumpho)
Formicam oppressit ueteris de sanguine natam
Myrmnones, quæ Myrmidonum genus acre uirorum
Edidit. excussum est rostri de forcipe granum,
Et tristem moriens liquit sub puluere uitam.
Non poterat tanta armorum dux mole sepultus
Et tanto sine cæde pedem subducere bello.
Talis in ignauo regnabat pectore uirtus
Post clarum facinus fugit solitumq; cubile
Depositis repetens armis se misit in ignes.
Mores semper fœmineos imitatus, & artes,
Hoc animi fortis moriens opus edidit unum, &c.

NANVS Oculus græcè ὀφθαλμός.οῦ.ὁ. & ὀφθαλμία.ας.ἡ oculorum morbus dicitur. Oculi dicũtur, quia ciliorum tegminibus eos Deus occuluit, secundum Varronem.

Odor græcè ὀσμὴ.ῆς.ἡ. dicitur. Est autẽ odor natura quædam in humido ab enchymo sicco impresso, secundum Aristotelem lib. de Sensu & Sensato.

ODium grǽcè μισὸς.εος.τὸ. & μισητός.οῦ.ὁ. Odiosus, & μισέω odio dicitur. Est autẽ odiũ ira inuetarata. secundum Ciceronẽ libro quarto Tusculanarum quæstionum.

Odium est uetus ira, ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseuerans, secundum Augustinum libro Diffinitio.

Odium est dissonantia appetitus animalis, vel appetitus rationalis ad apprehensum vt disconueniens, sicut amor est consonantia eius ad cõueniens: sec. b. Tho. prima Sec. q. 29. ar. 1. 2.

Odiũ deducitur ab odi verbo anomalo, quod significat odio habeo: à quo osus, & perosus dicitur qui odio habet, hinc odiosus interdum qui habet odio, interdum molestus. Terent. Si porrò odiosi esse pergitis.

Odium differt ab inuidia, quòd odiũ in brutorum etiam natura comperitur, vt est inter egithum & acanthidem, quorum nec cruor quidem cum interfecti fuerint commisceri potest: quòd si fortè miscueris, rursus fluit & separatur. Inuidia verò humanum genus nõ excedit, secundum Plutarch. in lib. de differentijs odij & inuidiæ.

Odium item differt ab inuidia quia nemini iustè inuidemus, odio verò iustè quàm plures habentur, sicuti qui neq; malorum cõsuetudine fugiunt. Multi odio se habent, nemo sibi inuidet.

Odium Dei, est filia luxuriæ, odiũ verò proximi est filia inuidiæ.

Leuitici 19.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.

Prouer. ca. 10.

Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas.

Ibidem 27.

Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.

Ioannes Apostolus 1. cap. 2.

Qui dicit se in luce esse & fratrem suũ odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrẽ suum, in lumine manet, & scandalum in eo nõ est: qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

Ibidem cap. 3.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.

Ibidem

Ibidem cap. 4.

Si quis dixerit quoniam diligo Deũ, & fratrem suum oderit, in tenebris est vsque adhuc. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem nõ videt quomodo potest diligere? & hoc mãdatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

August. super Matthæum.

Odium est inueterata ira, vbi odium, ibi charitas esse non potest: vbi charitas abest, ibi nil boni est.

Ibidem.

Festuca in oculo, ira est, trabs in oculo odium est.

Ibidem.

Multum aliud est, quando quisq; irascens in aliquo verbo, modum excedit, quod postea deleat pœnitendo. Aliud est seruare insidias inclusas in corde, multũ postremò inter hæc verba scripturæ: Turbatus est prę ira oculus meus: de illo autem aliquid dictum est, qui odit fratrem suum homicida est: multum interest inter turbatum oculum, & extinctum: festuca turbat, trabs extinguit.

Augustinus in sermone consecrationis Ecclesiæ.

Si ad mensam cuiusq; potẽtis hominis nemo præsumit, conscissis vestibus & inquinatis accedere, quanto magis à conuiuio æterni regis, id est ab altari domini, debet se vnusquisq; inuidię, vel odij veneno percussus, iracũdiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate subtrahere. propter quod dicitur: Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuũ. & iterum: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?

Augustinus super illud Psal. Perfecto odio oderam illos.

Hoc est perfecto odio odisse, vt vitia nõ homines oderis, nec vitia propter homines diligas.

Gregorius in Pastorali, cap. 48.

Omnes qui per discordiam separantur, à viriditate dilectionis arescunt.

Gregorius in Homilia.

Tunc benè animam nostrã odimus, cùm eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur.

Idem super Matthæum 5. homil.

Qui ergo motũ nocẽdi habet in animo, debet iudicare se reum: si autem prodeat in contumeliam, aduersus fratrem, eget reconciliatione: si autem non iudicat se reum, nec fratri vult recõciliari, ex contemptu perseuerans in odio, reus erit gehennæ.

Gregorius lib. 10. Moralium

Vitam animæ quælibet culpa polluit, seruatus vero dolor contra proximum occidit, mente namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Sicut rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur, & oditur. Non potest hominem odisse, qui Deum amat: nec potest Deũ amare, qui hominem odit.

Ibidem.

Caro inimicũ suum diligere nõ potest, anima autem potest, quia dilectio vel odium carnis in sensu est, animæ verò in intellectu. Quando ergo nocemur ab aliquo, & si sentimus odiũ, sed tamen extingui volumus, cognosce quia caro nostra odit inimicum, anima verò diligit.

Ibidem.

Hæc est pugna periculosa, & hæc gloriosa victoria, qui poterit odisse quod amat, & amare quod odit.

Caßio. super illud Psal. Perfecto odio oderam illos.

Perfectum odium est homines diligere, & eorum vitia semper horrere, nam in illa parte qua creatura Dei sunt, amandos esse non dubiũ est. In illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt.

Seneca in Prouerbijs.

Peiora sunt tecta odia, quàm aperta & agnosci amat qui odium ostendit.

Ibidem.

Quamuis agas vt ne quis merito tuo oderit, erunt tamen semper qui te odient.

Seneca in Trag.

Simul ista mũdi rector Deus posuit odium atq; regnũ, odia qui nimium timet, regnare nescit.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Si æterna semper odia mortales agent, nec ceptus unquam cadat ex animis furor: sed arma fœlix teneat, infœlix paret. Nihil relinquent bella. Tum uastis ager squalebit aruis subdita tectis face, Altus sepultas obruet gentes cinis.

Idem Tragœ. 7.

Professa perdunt odia uindictæ locum.

Aristot. lib. 1. Rhetoricorum.

Amor & odium & propriũ cõmodum, sæpe faciunt iudicem non cognoscere verum.

Cicero lib. de amicitia.

Molesta est veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ.

Ouid. Amorum, uel de sine tit. lib. 2. Elegia 2.

Si sapis ô custos odium (mihi crede) mereri
Desine, quem metuit quisq; perisse cupit.

Francis. Petrar. Can. 25. Stantia 7.

Segnor mirate como il tempo uola,
Et si come la uita
Fuge, & la morte ne sopra le spalle.
Voi sete hor qui, pensate a la partita,
Che lalma ignuda & sola.

Conuien c'harriue a quel dobioso calle
A passar questa ualle
Piacciaui porre giu lodio & lo sdegno,
Venti contrarij alla uita serena:
Et quel che naltrui pœna
Tempo si spende a qualche atto piu degno
O di mano, o dingegno,
In qualche bella lode
In qualche honesto studio si conuerta,
Cosi qua giu se gode,
Et la strada dil ciel si troua aperta. **id est,**
Domini animaduertite qualiter tempus uolat,
Et qualiter uita
Fugit, & mors sit supra dorsum nostrum.
Vos estis nunc hic, recessum ipsum discite,
Quòd anima est nuda & sola,
Oportet ut perueniat ad uiam dubiam.
Ad transeundam hanc uallem
Placeat deponere odium ac indignationem.
Venti contrarij uitam claram reddunt,
Et id quod in alterius pœna
Tempus amittitur, ad actionem digniorem
Manus aut ingenij,
In quampiam pulchram laudem,
In aliquod honestum studium conuertatur,
Sic hic gaudetur,
Et uia cœli patens reperitur.

Aristoteles in Oeconomicis.

AMANTIVS. In hanc sententiam disserit, œconomica scilicet & polytica differre inter se, nō solū quātum domum & ciuitatem (hæc enim eis subiecta esse) sed in eo etiam, quod politica ex multis sit principibus: œconomiam verò esse monarchiam. Prima autem in hac hominum cura, ac diligentia circa coniugium: societas enim ab ipsa natura maris & fœminæ maximè conciliatur, vt non solùm sit hominibus, sed etiam bestijs: nec etiam solùm naturæ causa, sed & vtilitatis. Qui enim viribus validi imbecilles iuuant, rursus ipsi debiles in senectute ab illis quandoq; sustentantur. Huc accedit etiā, quòd quando numero prohibemur, à natura saltem specie perpetuos esse affectamus. Diuersa tamē conditione procreati, simul iunguntur ad stabiliorem vitæ vsum: nam fœminæ timiditas maior, ob res domi custodiendas: viris audacia, ob fortitudinem, & res foris parandas: fœminis item charitas maior, ac patientia ad filios nutriendos, viris sapientia ad erudiendos. Possessionum posthæc diligentia adhibenda, quarum prima est homo: quapropter seruos ante omnia studiosos parare oportet.

Eorum species duæ.

Curator seu villicus, qui alijs præsit, operarij. Seruis item vini parum, aut nihil dare oportet: vini namq; potatio, vel liberos probrosos facit. Alimenta, quæ sat fuerint, operarijs dentur. Sine mercede subiectis imperare non valemus, merces enim seruorum cibus, operis verò adhibere nec valde timida, nec valde fortia seruitia, quòd hæc non facilè obtemperantia, illa verò nō facilè perseuerātia in labore sunt: omni autem labori tempus & præmiū statuendū.

Oeconomo ad rem tuendam modi sunt quatuor: primùm parare, deinde partum tueri, sine quo nihilò magis parare iuuat, quā in vas fundo carens aquam haurire. Præterea prudentem esse ac diligētem: nullus enim res alienas æquè tuetur atq; suas: ex quo Porus interrogatus, quid maximè equum saginaret: oculus, inquit, dominicus. Libijs etiam interrogatus, quod optimum lætamen: vestigia, respondit, dominica. Ideo Socrates dicere solebat, dominum ante seruos exurgere, & vltimum ire recubitum oportere: surgere enim noctu, & ad valetudinē, & ad œconomiam, & ad philosophiam deniq; conferre. Item in lib. 2. dicit: optimum œconomum non ignarū esse debere moris locorū, circa quæ negociatur: sed natura ingeniosum, mente verò iustum ac laboriosum.

Quatuor species Oeconomiæ.

Regia, satrapica, politica, & priuata. Regię autem prouentus species quatuor: circa monetā, circa importata & expectata, vti sunt portoria: circa sumptus, cùm compendio fiunt, ac res vice pecunię dentur, ęstimationeq; vbi expediat magis, quàm numerato impensæ fiant.

Satrapicę prouentus species sex: ex terra, quā decimam vocant, & locorum, vbi dominatur, metallicis: ex terra & agro nascentibus, ex mercatoribus, ex pasturis decima item appellatur, sexta: ex alijs varijs rebus.

Tertia œconomiæ species, politica, id est, ciuitatis: huius vectigal optimum ex ijs, quæ in loco proprio gignuntur, deinde à mercaturis, posthæc ἀπὸ τῶν ἐγκυκλίων.

Quarta & vltima priuati hominis, quę quidē anomala, id est, absq; norma existit, quod non ad vnam tantū intentionem illi œconomia exerceatur. est insuper omniū minima, ob breues prouentus & expensas. Huius optimum vectigal ex terra primùm, id est, agricultura, quę omnium est parens: hinc enim magis secundùm naturam res nobis acquiruntur: deinde ex alijs rebus: tertium ex argento, præter autem omnia parcere superfluis, & ne maioris sint prouentibus expensæ.

Aristoteles cōmemorat multa exēpla regum ac populorum, qui calliditate nouas artes vectigalis, & rei parādę sibi inuenerūt, quę pars nōdum in latinā linguā trāslata est, vt inquit Volaterranus lib. 36. philologię. Vide ibi in cap. de œcono. Adde & Xenophontem de œconomia, quem prænominatus Raphaël Volaterranus eleganter ex Græco traduxit in latinum.

DICTA

DICTA SAPIENTVM GRAECOrum & Latinorum, de Oeconomia.

Plutarchus in Symposio sapientum, libro 7.

Τοῦτον οὖν ἄριστον, ὁ Σόλων εἶπεν αὐτῷ δοκεῖν οἶκον, ὅπου τὰ κτήματα μήτε κτωμένοις ἀδικία μήτε φυλάττουσιν ἀπιστία, μήτε δαπανῶσι μετάνοια πρόσεστιν, id est.

Solon optimam sibi familiam videri dixit, in qua pecuniæ non iniustè possideantur, nec mala fide custodiantur, neq; propter sumptus pœnitudinem adferant.

Bias Prienæus.

ἐν ᾧ τοιοῦτος ἐστὶν ὁ δεσπότης δι' αὐτὸν οἷος ἔξω διὰ τὸν νόμον, id est.

In qua Dominus sponte fit huiusmodi, qualis propter legem foris est.

Thales Mylesius.

ἐν ᾧ πλεῖστῳ ἄγειν τῷ δεσπότῃ σχολὴν ἔξεστιν, id est.

In qua domino plurimum ocij agere liceat.

Cleobulus.

εἰ πλείονας ἔχοι τῶν φοβουμένων αὐτὸν τοὺς φιλοῦντας ὁ δεσπότης, id est:

Si Dominus plures habeat sui amantes, quàm timentes vel metuentes.

Pittacus.

ὡς ἄριστος οἶκος ἐστὶν, ὁ τῶν περισσῶν (μηδενὸς δεόμενος) καὶ τῶν ἀναγκαίων μηδενὸς ἐνδεόμενος, id est.

Optimè constitutam esse domum pronunciauit, cui neq; superfluum, neque necessarium quicquàm desit.

Chilon.

ἔφη, δεῖν μάλιστα βασιλευομένῃ πόλει προσεοικέναι τὸν οἶκον, εἶτα προσεῖπε ὅτι λυκοῦργος πρὸς τὸν κελεύοντα δημοκρατίαν ἐν τῇ οἰκίᾳ σοῦ δημοκρατίαν, id est.

Dixit oportere domũ maximè similem fieri ciuitati, quæ ab rege gubernatur: & insuper adiecit, quòd Lycurgus ad illum, qui democratiam in republica constituendam volebat, dixerit: Quin tu primùm domi tuæ democratiam, id est, commune imperium instituito.

Bryso in œconomico.

οὕτως ἔχει ποτ' ἄλλα τ' ἀνθρώπινα πράγματα καθάπερ τᾶς ἁλύσιος τοίκρικροι τεῦχη τὲ γὰρ ἐξ ἀλλάλων ἄρτηνται, ἀλλάλοις ἀκολουθέοντι, καὶ ἑνὸς ἐξ αὐτῶν ἑλκυσθέντος, ὁποίοις δήποκα, τότε ὅλον, καὶ τὰ ἐξ ἀρχᾶς ἀκολουθεῖ καὶ τῶν τοῦ βίου δὲ πραγμάτιον ὡποίαν ἂν βούλῃ ἑλέσθαι εὕρησις καὶ τὰ λοιπὰ ἐξ ἀνάγκας κατὰ τὸ ἑξῆς ἀλλάλοις ἑπόμενα: αὐτίκα γὰρ εἰ κατὰ γεωργίαν τὶς ἐπιτηδεύοι, ἆρ' οὐ πρᾶτον ἧμεν δεῖ τεκτονικὰν, εἰ τεκτονικὰν δεῖ δὴ μεταλλευτικὰν, ἀλλ' ἵνα ἀγραυλεῖν δυνατοὶ ὦντι, δεῖ σκέπαν ἧμεν τὰν ἐπὶ τὸ σῶμα: τοιγαροῦν πάντα μαστευόμενος καὶ ἀνερευνῶν, οὕτως εὑρήσεις ἔχοντα ποτ' ἄλλαλα. οὕτω δὴ πᾶσιν ἡμῖν ἄγρα τριχῶς. ὁ μὲν γὰρ τίς δοῦλος κατὰ νόμον γίγνεται ὁ δὲ κατὰ τὸν τρόπον τᾶς ψυχᾶς ὁ κρατούμενος ὑπὸ τῶν ἰδίων παθημάτων τᾶς ψυχᾶς ὁ δὲ τοιοῦτος, οὐκ ἁπλῶς δοῦλος, οὐδ' ὁτᾶ φύσει δοῦλος, ἀλλὰ τῶν παθῶν δοῦλος. Καὶ ἐν καταχρήσει δοῦλος καὶ μᾶλλον μοχθηρὸς ἄνθρωπος, ἢ δοῦλος κατὰ φύσιν, κατὰ φύσιν δὲ δοῦλος, ὁ δυνάμενος αὐτάρκως τὰς διὰ τῶ σώματος ὑπηρεσίας παρέχεσθαι τοῖς δεσπόταις, καὶ ἐν τῷ σώματος πορευθῆναι καὶ φορτία βαστάξαι, καὶ κακοπαθείας, καὶ διακονίας ὑπομένειν, μήτε δὲ ἀρετὰν, μήτε κακίαν ἐπιδεχόμενος ψυχικὰν, id est.

Eodem modo humanæ res se inuicem habẽt, quo cathenæ circuli, qui mutuo amplexu hærent, seq; inuicem sequuntur: quid si vnum ex eis, quemcunque tandem attrahas, tota cathena cũ suo principio cõsequetur: ita etiã quicquid in vitæ negocijs tibi sumas, reliqua necessariò sequi, ordine continuo succedentia deprehendes. Verbi gratia, si quis agriculturę studeat, an nõ prius oportet haberi artem fabrorũ lignariorum, & antè illam ærariorum? quam rursus metalla fodientium ars præcedat opus est: Item qui fodinis vacant, ruri degere possint, corpore tegantur necesse est, ad quod textores ac domus structores requiruntur: Similiter & alia omnia si quæras & scruteris, inter se connecti, reperies. Conditio autem vitæ seruilis & captiuæ quodã modo triplex est: alius enim iussu legis seruus fit: alius propter animi sui habitũ, qui à proprijs animi affectibus vincitur: talis autem non simpliciter, sed affectuum, neq; naturâ, sed per abusum seruus est, & improbus homo magis, quàm seruus naturâ. Est autẽ naturâ seruus, qui corporis functiones dominis præstare sufficienter potest, itinera conficiẽdo, onera baiulando, labores ac ministeria tolerando, interim neque virtutem animi, neque maliciam suscipiens.

Callicratides Pythagoricus Lacon, ex libro de familiarum felicitate.

Hoc igitur cognationis vniuersum cœtum & systema esse iudicandum est. Systema autem omne ex contrarijs quibusdam & dissimilibus est, quæ ad vnum aliquod optimum, & ad communem vtilitatem referantur: Nam chorus appellatus est cœtus musicæ communionis, & vnum communem spectat finem, nempe concentum. Item societas hominum circa nauim, ex dissimilibus & contrarijs quibusdam constitutur, & ad vnum quoddam optimum respicit, videlicet gubernatorem, & communem vtilitatẽ sibi proponit, hoc est, prosperam nauigationem. Sic & familiæ, quæ cœtus est cognationis, dissimilibus sui partibus componitur, & ad patremfamilias, veluti vnum optimum, se refert, & concordiam, vtpote commune bonum, molitur. In summa omnis familia tanquam psalterium tribus illis indiget, apparatu, concinnitate, & contrectatione siue vsu musico. Apparatus quidem est, omnium eius partium constructio, quibus ipsum totum & vniuersus ordinis cognati cœtus absoluitur. Sunt autem partium

eius duæ primæ & maximæ, homo, inquam, & res, siue possessio, quæ regitur, vsumq; sui præbet: quemadmodum ipsius animalis partes duę sunt primæ & maximæ, anima & corpus, illa regit & vtitur, hoc regitur & vsurpatur. Item vita ascititium est instrumentum actionum humanarum: corpus aũt instrumentum est natiuum & cognatum animę. Porrò hominum familiam constituentium, alij cognati sunt, alij affines: cognati, qui ex eodem sanguine prognati sunt, aut ab eisdem primis parentibus originem ducunt: affines autem cognati sunt ascititij, ex nuptiarum coniunctione principium habentes: illi verò aut patres sunt, aut fratres, aut aui paterni, vel materni, aut aliquid quippiam ei, qui per nuptias nobis coniunctus est. Quòd si amicorum etiam bonum ad familiam pertinet (sic enim familia fit amplior & magnificentior, nó solùm multis opibus, ac plurimis cognatis, sed etiam amicorum multitudine aucta) apparet etiam hinc procul dubio familiam augeri, & sociale genus amicitiæ ad perfectionem familiæ connumerandam. Possessio autem quædam est necessaria, quæ ad vsus vitæ requiritur: alia liberalis, quæ ornat & oblectat hominem, ita vt alijs non egeat: alia liberalem ornatum, ingenuamq; delectationem excedens, contumeliæ exitijq; radix inter homines pullulat: quippe multa posidẽtes, necessum est primùm inflari, inflatos aũt arrogãtes fieri, arrogãtes factos superbire, & cognatos tribulesq; suos neutiq̃ sibi similes existimare, deinde contumeliosos fieri: omnis autem contumeliæ finis exitium est. Vbi igitur in domo & ciuitate superfluitas extiterit, oportet abundantiam per legislatorem auferri, & resecari, quemadmodum à bono agricola luxuriantes frondes. Porrò cognati & familiaris hominum ordinis partes sunt tres: prima imperat, vt maritus: secunda paret, vt vxor: tertia familię & cognationi auxiliaris est, nempe liberi ex illis nati.

Hierocles in Oeconomico.

Πρὸ πάντων γε περὶ τῶν ἔργων ὑφ᾽ ὧν ὁ οἶκος συνέχεται. τοῦτ᾽ οὖν διαιρετέον μέν κατὰ τὸ πλεῖστον τῷ μὲν ἀνδρὶ τὰ κατ᾽ ἀγρὸν καὶ τὰ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς καὶ τὴν ἀστυπολίαν ἀνακεῖσθαι: τῇ δὲ γυναικὶ τὰ ἐπὶ τὴν ταλασίαν καὶ σιτοποιίαν, καὶ ὅλως τὰ κατοικίδια τῶν ἔργων οὔτε μὴν ἀγεύστους ἀξιωτέον εἶναι τοὺς ἑτέρους τῶν ἑτέρων. γένοιτο γὰρ ἄν ποτὲ καὶ γυναικὶ κατ᾽ ἀγρὸν γενομένῃ καθῆκον τὸ τοῖς ἐργαζομένοις ἐπιστῆναι, καὶ τὴν τοῦ οἰκοδεσπότου τάξιν ἐκπληρῶσαι. καὶ ἀνδρὶ περὶ τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν ἐπιστροφὴν ποιήσασθαι, καὶ τὰ μὲν διαπυθέσθαι, τὰ δὲ καὶ ἐπιδεῖν τῶν γινομένων, οὕτω γὰρ ἂν ἐπί συνδέοιτο μᾶλλον τὰ τῆς κοινωνίας εἰ συμμετέχοιεν ἀλλήλοις τῶν ἀναγκαίων φροντίδων, id est.

Ante omnia dicendum est mihi de operibus, quæ familiam sustentant. Hæc igitur diuidantur, vt fieri solet, ita vt viro opera rustica, forensia & ciuilia tribuantur: mulieri autem, quæ ad lanificium & frumenti apparatum attinent, omnia denique domestica negocia: non tamen alter ab alterius operibus omnino immunis esse debet: nam & mulierem aliquando decebit, vt rus egressa operarijs præsit, & patrisfamilias vicem gerat: & contrà, viro rerum domesticarum habere curam laudi dabitur, partim sciscitãdo, partim ea quæ fiunt inspiciendo: sic enim mutua communio magis stabilietur, si necessarias curas inter se communicent.

Xenophon de factis & dictis Socratis, lib. 3. Domos quoq;, cùm diceret easdem esse bonas, atq; vtiles, docere mihi videbatur quales oporteat ædificare: Vtrum autem aiebat, illum, qui habiturus est, qualem deceat domum, hoc considerare oportet, vt quàm maximè delectabilis & vtilis habitantibus sit? Quum verò hoc concederetur, delectabile itaq;, dicebat, est, æstate frigidam illam habere, hyeme calidam. Quum autem etiam in hoc consentiret: in domos igitur, aiebat, respicientes meridiem in hyeme solares radij ingrediuntur: tempore verò æstiuo, cùm sol suprà nos & per tecta eat, vmbram reddit: Si itaque bonum est sic ista fieri, oportet altiora quædam, quæ meridiem respiciunt, ædificare, vt sol hyemalis non excludatur: humiliora verò quæ Aquilonem, vt frigidi non incidant venti: &, vt vno dicam verbo, vbi omnibus horis ipse libenter refugiat, suamq; suppellectilem securè deponere possit, ista profectò maximè delectabilis ac optima domus esset. Picturæ autem ac varietates plures delectationes auferunt, quã afferunt. Templis verò atque aris locúm esse aiebat in primis decorum ac conuenientem, qui cùm eminentissimus sit, non facilimum aditum habeat: cõfert etenim hoc, tum vt aspicientes orent, tum vt castè adeant.

Oeconomia græca dictio est, οἰκονομία. ας. ἡ. & dispensatio domestica, & οἰκονομέω guberno, & οἰκονόμος dispensator rei familiaris dicitur. Hæc aũt est prudentia rectiua multitudinis vnius familiæ, secundũ B. Thomam secunda secundæ, quæst. 48. Cuius finis est vltimus, totum benè viuere secundum domesticam cõuersationem, secundum eundem ibidem, quæstione quinquagesima artic. 3.

Offensio græcè πρόσκοψις. ιος. ἡ. vel πρόσκομμα. ατος τὸ & προσκόπτω offendo dicitur. Offendere & defendere propriè contraria sunt. Nam offendere, est incurrere in aliqd atq; incidere. Terẽt. Offendi adueniens quendã mei loci hinc atq; ordinis hominem. Defendere verò est impellere. Quoniã verò qui incidunt in aliquid, lędere sępe solent id in quod incidunt, & econtrario q depellunt tuent̃, factũ est, vt offendere frequẽtissimè ꝓ lędere vsurpet̃, & defendere ꝓ tueri & quasi vim depellere. Offendere aliquãdo est inuenire. Varro: Romã regressus ibi nil offendi

offendi, quod antè annos quinquaginta reliquerim. Ab offendo fit offendiculum, quod significat impedimentũ, obstaculũ & offensam.

Offensio atq; offensa ita differunt, ꝙ offensio semper pasiuè accipitur, offensa verò actiuè. Cicero: In corpore ægro odiosa est omnis offensio. Idem: Cùm tot eius offensas pati nõ possem, inde discessi.

Officium græcè *καθῆκον. οντος. τὸ.* dicitur. Est autem officium actus congruus cuiusq; personæ. Vel sic: Officium est, quod quisque efficere debet ꝓ suæ personæ conditione. In quo animaduertere oportet quid loco conueniat, quid tempori, quid rerum aut personarum dignitati: diciturq; ab officio, cis, quo antiqui pro officio vtebantur. Hinc officiosus dicitur obsequiosus, & qui facilè merentibus exhibet honorem. à quo officiose, id est, cum officio & obsequio. è. Officium etiam dicitur magistratus, vel quia honoris gratia institutus est, vel quia opẽ populo fert, vel quia ius ꝙ vnicuiq; debẽt reddit. Cæteræ verò artes actionem suam officiũ vocant, vnde officium grammatici, officiũ medici, officium architecti. Hinc fit officina, i. locus in quo artifices sua opera faciũt. Differt autem à taberna, quod officina est vbi opera efficiuntur, taberna vbi venduntur. vnde opifices & tarbernarij dicuntur. Cicero: Opifices & tabernarios atq; omnem illam fœcem ciuitatum quid est negotij concitare? tabernas etiam antiqui casas dixêre, quòd ex tabulis fierent.

AMANTIVS. SCriptura nouit seruos natos & emptitios. Ioseph seruus fuit in Aegypto longo tempore.

1. Corinth. 7.

Seruus vocatus es? non sit tibi curæ.

Exodi 21.

In septimo anno seruus egreditur liber.

Leuitici 21.

Nõ opprimas fratrem, qui se tibi vendiderit.

Deutero 5.

Ne nimium grauemus seruos.

Hieremiæ 34.

Increpantur Iudæi, quòd iuxta legem non manumiserint seruos.

Et D. Paulus præallegato loco, 1. Corinth. 7. prædicat libertatem, si commodè fieri posit: Loquens de ethnicorum seruitute.

Ecclesiastici 33.

Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, & defendas illum vt teipsum: nam indiges eo quasi propria vita.

Asino pabulum debetur & flagellũ, & onus: ita seruo panis, castigatio, labor. Seruo tuo iunge laborem, & pacem habebis: si otio assueuerit, tum insolescet aduersus te: ne tamen nimium oneres, sed teneas modum in rebus omnibus.

Ibidem 10.

Seruo sapienti obsequitur Dominus, & prudens Dominus non ideò murmurat.

Ibidem 1.

Seruum fidelem, & operarium diligentem noli tractare crudeliter: seruum bonum dilige, & non obsta quò minùs liber fiat.

Rhythmicôs.

Pabula tardigrado solùm debentur asello,
Vt multo impositum uerbere portet onus.
Sic opus est seruis modicos expendere panes,
Et labor & crebrum connumeretur opus.

Eodem cap. paulò pòst.

Si frugi seruus tibi contigit atq; fidelis,
Vt te, sic illum protege, semper ama.
Re cogente uelut fratrem tractabis amicè
Hunc, ut præsentem te colat ipsa domus.
Iniustè sed si durus uiolaueris illum,
Te celerem rapiet non cogitante fugam.
Qua quæres, aut qua fugitiuum parte reduces,
Vix tibi dehinc serui copia talis erit.

2. Corinth. cap. 3.

Dominus autem spiritus est, vbi autem spiritus domini, ibi libertas.

1. Timoth. 6.

Quicunq; sunt sub iugo seruitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.

Ibidem.

Domini quod iustum est & æquum seruis præstate: scientes, quoniam & vos dominum habetis in cœlo.

Ad Ephesios 6.

Vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à domino, siue seruus, siue liber.

Isiodorus.

Vnus dominus æqualiter & dominis & seruis fert hæreditatem.

Cyprianus.

Qualem cupis erga te esse dominum, talis esto ipse contra conseruum tuum.

Menander.

Μακάριος ὅστις μακαρίοις ὑπηρετεῖ, id est.
Beatus, qui beatis seruit.

Idem.

Ὡς ἡδὺ δούλῳ δεσπότου χρηστοῦ τυχεῖν, id est.
Quàm suaue est seruo bonum dominum nancisci.

Prouerbiorum cap. 3.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlum, viam colubri super petram, & viam nauis in medio maris, & viã viri in adolescentia.

Ecclesiastici cap. 13.

Adolescentia & voluptas vana sunt.

Ibidem.

Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bonis sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum,

& scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.

Ibidem cap.32.

Adolescens loquere in tua caussa, vix cùm necesse fuerit.

Ibidem.

In medio magnatorum loqui non præsumas: & vbi sunt senes, non multum loquaris.

Versu facta.

Nonnunquàm iuuenis, sed paucula uerba loquatur,
Quæsitus referat cuncta rogata breui.
Quæ scis, hæc nescire uelis, perquire subinde,
Intenta capiens quodlibet aure tace.
Eximiosq; uiros inter tu comprime uocem,
Neue uelis irrumpere uerba senum.

Petrus Apostolus 1.cap.5.

Adolescentes subditi estote senioribus.

D. Hieronymus ad Nepotianum.

Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia tentatione & libidine impedita, non explicat suum fulgorem, nisi labore & studio & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur.

Ambrosius de Viduis.

Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis.

Idem in lib. de Officijs.

Honor est adolescentium, timorem Dei habere, parentibus deferre, honorē habere senioribus, castitatem tueri, humilitatem non aspernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta sunt ætati iuuenili; in senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, in adolescentibus verecundia commendatur.

Ibidem.

Verecundia cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes iuuenilesq; annos maximè decet. Vt artifex in materia commodiori melius operari solet, sic verecundia in ipso quoq; corporis decore plus eminet; ita tamen, vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quàm ornatus, vel cultus, vel expeditus.

Bernardus supra Cantica Sermo 87.

Quid amabilius verecundo adolescente? quā pulchra & quàm splendida gemma morum est verecundia in vita & vultu adolescentis? quàm vera & minimè dubia bonæ spei nuncia? bonæ indolis, virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti.

Idem ad Eugenium Papam.

Adolescentulum verbosum, & eloquentiæ studiosum, cùm sit sapientiæ inanis, non aliud quàm hostem iustitiæ reputa.

Idem ad Theobaldum militem.

Multos videmus iuniores super senes intendere moribus, & antiquorum dies & tempora præuenire meritis, & quod deest ætati, virtutibus compēsare: quia iuxta Apostolum ne quis contemnat adolescentem bonæ indolis. Senectus venerabilis non est numero annorum, sed magis merito morum computata.

Cassiodorus in epistolis.

Indignè transacta adolescentia, odiosam efficit senectutem, & honestè acta superior ætas fructus capit autoritatis: quid enim senectus suscipere valet, in quo iuuētus is reprehensibilis non fuit?

Celtes Poëta Germanus.

Qualiter in teneris adolescens uixerit annis:
Talem præbebit curua senecta senem.

Cyprianus de 12. abusionibus.

Sicut in senibus sobrietas, & morum profectio requiritur, ita in adolescentibus obsequium, & subiectio, & obedientia ritè exposcitur.

Cyprianus ibidem.

Sicut fructus nō inuenitur in arbore, in qua flos priùs non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non potuit, qui in adolescētia disciplinę alicuius exercitatione nō laborauit: disciplina igitur absq; obedientia qualiter fieri poterit? adolescens ergo sine obedientia: adolescens sine disciplina est.

Adolescentiam bonis rebus ac moribus crudiendam esse, ex scripturis sacris probatur.

Genesis. 37.

Audiens Iacob somnia Ioseph, increpauit eū, ne fortè inuidiam apud reliquos fratres sibi conciliaret.

Deutero.4. præcipitur, vt filij Israël doceant filios suos, quæcunq; audierint ac viderint.

Item 21.

Contumax filius lapidatur.

Tob.4.

Tobias senior ab infantia docet filium timere Deum.

Ibid.10.

Parentes Saræ vxoris Tobiæ iunioris dimittentes filiam suam salubribus monitis instruunt eam.

Iob. 2.

Magnam solicitudinem gestat pro filijs suis Iob, ac offerens pro eis holocaustum.

1. Regum 2.

Adonias filius Dauid, & filij Heli sacerdotis, quia malè educati, perierunt.

Prouerbiorum 3.

Bonum est viro, cùm iugum portauerit ab adolescentia.

Ibidem.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.

Ibidem 22.

Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit non recedet ab ea.

Ecclesiast.7.

Discede ab iniquitate, & mala non apprehendent te.

Ibidem 13.

Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea: sic qui communicauerit superbo, induet superbiam.

In uersus redacta,

Illyricam quicunq; picem contrectat, ab illa
Non poterit fœdas non habuisse manus.
Ni subitò fugias commertia uana superbi,
Tu quoq; mox fastu turgida corda geres.

Danielis 13.

Parentes Susannæ erudiunt filiam in legē domini Dei.

1.Machab.2.

Mathathias moriturus instruit salubriter filios suos.

1.Timoth.3.

Timoheus ab infantia sacras literas didicit.

Aristoteles 1. Ethicorum.

Nihil differt ab ętate puer & morib' puerilis.

Ibidem 6.

Iuuenes nō possunt esse prudentes: quia prudentia requirit experientiā, quæ indiget tēpore, & multitudo temporis facit experientiam.

Rhetorico. 2.

Iuuenes nō sunt maligni moris, sed facilis, propterea quòd nondum viderunt nequitias.

Item 7. Politicorum.

Iuuenes maximè ab ebritate custodire oportet.

Laërtius Diogenes de Vita & moribus philosophorum.

Pueros puberes non in forum sed in agrū duci Lycurgus iussit, vt primos annos nō in luxuria, sed in omni opere & labore agerent, nihil eos caussa somni substertere, & vitam sine pulmēto agere, neq; prius in vrbem redire, quàm viri facti essent statuit.

Aulus Gellius lib.8. Noct. Atticarum.

Pueros impuberes compertum est, si nimio cibo, nimioq; vino vtantur, hebetiores fieri, atq; hinc elici surditatē, improceraq; fieri corpora eorum, minusq; adolescere.

Seneca ad Lucilium epistola 16.

Magnum expecta gaudium, dum puerilem animum deposueris, & te in virum philosophię descripseris. Adhuc enim nō pueritia, sed quod grauius est puerilitas remanet: & hoc quidem peius est, quod autoritatem senum habemus, vitia verò puerorum, nec puerorum tantùm, sed infantum.

Epistola 110. ad Lucilium.

Facilè tenera conciliantur ingenia ad honesti rectiq; amorem.

Seneca in Tragœdia 2.

Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.

Ibidem 9.

Teneris in annis haud satis clara est fides.

Cicero 1. Officiorum.

Est adolescentis officium maiores natu vereri, ex ijsque eligere optimos & probatissimos, quorum consilio autoritateq; nitatur.

Ibidem.

Maximè hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendaq; in labore, patientiaq; animi & corporis, vt imbecillis, & ciuilibus officijs eorū vigeat industria: caueant intēperantiam, meminerint verecūdię: quod erit facilius, si huiusmodi quoq; rebus maiores natu interesse velint.

Idem in Rhet.9.

Qui adolescentum peccatis putant ignosci oportere, fallūtur: propterea quod ætas illa nō est impedimento bonis studijs. At hi sapienter faciunt, qui adolescentes maximè castigant, vt quibus virtutibus omnem vitā tueri possint, eas in ętate maturissima velint comparare.

Menander.

Νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει, id est.
Iuuenem autem tacere magis quàm loqui conuenit.

NANVS.

Olfactus græcè ὀσμὴ.ῆς.ἡ vel ὀσμὸς.οῦ.ὁ. Quid autem sit, quo organo, quo medio, quo obiecto vtatur, vide supra in arbore Animę. Similiter de alijs sensibus, tam exterioribus quàm interioribus.

Omissio græcè παράλειψις.ιος.ἡ. & παραλείπω omitto dicitur. Omissio importat prętermissionem boni debiti in ordine ad legem diuinā vel humanā, vel in ordine ad proximū. Primo modo opponitur iustitiæ legali. Secundo verò opponitur iustitiæ speciali. secundùm b. Thomam secunda secundæ, q.79 ar.3.

Opinio græcè δόξα.ης.ἡ & δοξάζω opinor dicitur. Est autem opinio actus intellectus declinātis in vnam partem contradictionis cum formidine alterius, secundùm b. Tho. 2.2.q.79.ar.4.

Differunt autem sic opinio, fides, scientia, dubium, & scrupulus, quia opinio est assensus intellectus ad aliquid, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quandā rationabilem electionem voluntariè declinans in vnā partem magis quàm in alterā, cū dubitatione tamen, & formidine alterius partis. Itatamen quòd ad illam partem, quam formidat, nō haberetur ratio expressè cōcludens: Formidat tamen ꝓpter debilitatē rationis alterius partis: fides autē est cū certitudine absq; tali formidine. Sciētia verò est assens' intellect' moti ab obiecto ꝑ seipsum cogniti: sicut in principijs primis, vel ꝑ aliud, sicut in cōclusionib', quarū est

scientia: Hæc ex b. Thoma vbi suprà. Dubium quid sit, vide suprà in Dubium, Scrupulus est, cùm intellectus ex leuibus coniecturis seu medijs & multum debilibus mouetur ad vnam partem, & hæc etiam dicitur Suspicio.

Opportunitas græcè εὐκαιρία.ας.ἡ. & εὔκαιρος.ου.ὁ. opportunus dicitur. Opportunitas est idem quod commoditas, scribiturque duplici p. nec venit ab opus, nec ab oportet, sed ab ob & portus: quoniam nauigãtibus maximè vtiles optatiq; portus sunt. Opportunũ dicimus, siue opportunè accidere, quod pro desiderio nostro accidit: è diuerso importunũ esse, siue importunè fieri dicimus, quæ sunt vel præter rationẽ loci seu temporis seu personarum. Importunũ igitur dicimus hominem procacem, atq; molestum, à quo importunitas dicta. Importunum pro inquieto & portu carente ponitur.

Oppositio græcè ἀντίθεσις.εος.ἡ. & ἀντιστοιχέω oppono. Est autem opponere ex aduerso ponere. Vnde opposita contraria, oppositio contrarietas. Sunt autem opposita, quęcunq; circa idẽ simul, & ob rem eandem, aut ad idem extrinsecus ascita esse nullo modo possunt. Quadrifariam autem opposita dicuntur, vel vt ad aliquid, sicut duplum & dimidum: vel vt contrarium, sicut album & nigrum: vel sicut habitus & priuatio, veluti visus & cæcitas: vel sicut affirmatio & negatio, quemadmodum homo sedet, homo non sedet.

Opprobrium grece ὄνειδος.εος.τὸ. dicitur. Quid autem sit, & vnde deducatur, vide suprà in Exprobratio.

Opus gręcè ἔργον τὸ & ἐργάζομαι operor. & ἐργασία.ας.ἡ. opera dicitur. Differunt autem opus & opera, quòd operæ sunt diurnum officiũ, opus verò finis fructusq;, secundũ Vlp. iuriscõsultũ. Teren. vtrunque vno versu optimè expressit, quod in opere faciundo operæ consumis tuæ. Hinc operæpretium, id est, fructuosum, ad rem pertinens. Aliquãdo tamen opus pro opera capi videtur. Virgil. Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit. Opus quandoq; pro necesse capitur, vt ægrotanti est opus medico. Hinc oportet venit, quod significat pariter necesse est.

Apud Eccl. siasten cap. 9.

Quodcunq; potest man' tua, instãter operare.

Ibidem cap. 11.

Mane semina semen tuum.

Iacobus cap. 1.

Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. Nunquid poterit fides saluare eum?

Ibidem.

Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.

Aristoteles lib. 4. Ethicorum.

Qualis vnusquisq; est, talia dicit, talia operatũ.

Idem lib. 10. Ethicorum.

In actionibus humanis minus creditur sermonibus quàm operibus.

Ibidem.

Quando sermones dissonant operibus sensibiliter, tunc contemnuntur.

Ibidem.

Delectatio tenet operantem in opere.

De hac materia habes supra in Acidia, Labor, Otiositas.

OPERA BONA NON PROHIbet *Euangelium, sed ea præter fidem requirit ad salutem.*

Dico igitur opera bona sanctorum in via non esse humana, sed Dei dona, quæ ex se & propria virtute non sunt bona, nec æterna beatitudine digna, sed fide per charitatem operante sunt Deo grata, & coronanda: ita tamen vt sua dona in nobis coronet. Sic 2. Corinth. 3. Omnis sufficientia nostra ex Deo. 1. Corint. 4. Quid habes, quod non accepisti? Iacobi. 1. Omne datum optimum à patre luminum. Sic D. Augustinus de gratia & libero arbitrio, ostendit merita nostra, non ex nobis, sed ex collata gratia fieri bona: nam dicit, Quapropter quod cœpit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo cui debetur. Psalmus. Adiutor meus esto, ne derelinquas me: dicendo, ne derelinquas me, ostendit, quod sibi derelictus nihil boni facit per se. Itẽ Augustinus, dona sua coronat Deus, non merita tua: non Deus coronat merita tua, tanquàm merita tua. Item: omne bonum à Deo: merita tua si sunt bona, ergo à Deo: si ergo Dei dona, dicit Augustinus, sunt bona merita tua, nõ Deus coronat merita tua, tanquàm merita tua, sed tanquã dona sua. Assan Titi.

Opera bona facienda, Matth. 5.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.

2. Corinth. 6.

Ne quam vsque demus offensionem.

Ibidem 8.

Procurantes honesta, non tantùm coram domino, sed & coràm hominibus.

Ad Galat. 6.

Dũ tempus habemus, operemur bonũ erga omnes, tum maximè erga domesticos fidei, bonum facientes non defatigamini.

Ephes. 2.

Dei sumus figmentum cõditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.

Ad Titum 2. cap.

Qui dedit semetipsum pro nobis, vt faceret nos sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Ad eundem 3.

Discant autem & nostri bonis operibus præesse, ad necessarios vsus.

Deus

Deus delectatur nostris Operibus bonis.

Hieremiæ 22. Lætabor cùm benefecero vobis. Ioannis 3. Filius hominis non venit, vt iudicet mundum.

Ibidem 13.

Vt eatis, & fructum afferatis, & maneat fructus vester.

Opera nostra demonstrant fidem nostram, & iustitiam consummant Ioannis 7.

Si quis voluerit voluntati eius obtemperare, hic cognoscet de doctrina mea.

Et 14.

Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Si quis diligit me, sermonē meū seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus &c.

Qui non diligit me, non seruat sermones meos.

Et 15.

Vos amici mei estis, si feceritis quęcunq; ego præcipio vobis.

1. Ioannis 2.

Qui dicit, Noui eum, & præcepta eius nō seruat, mendax est, & veritas in eo non est.

Ioannis 13.

In hoc cognoscēt omnes, quòd discipuli mei sitis, si dilexeritis vos inuicem.

Exodi. cap. 20.

Misericors sum ijs, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Deuterono. 6.

Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. Marci 12.

Ibidem 10.

Quid à te Dominus Deus tuus exigit quam vt timeas eum, & ambules in vijs eius, & diligas eum?

Psal. 30.

Diligite dominum omnes sancti eius, quoniā non est inopia timentibus eum.

Lucæ 7.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

1. Corinth. 8.

Si quis autem diligit dominum Deum, hic cognitus est ab eo.

Item 16.

Si quis non amat dominum nostrum Iesum Christum anathema sit maranatha.

De charitate vide Augustinum de spiritu & litera, cap. 36. Quòd præceptum de Dei dilectione non hîc, sed in patria perfectè impleatur. Quia impediat corpus peccati onus corruptionis, hîc caro spiritui repugnat. Rō. 7. Gal. 5. Non igitur ex tota anima & viribus diligitur summum bonum, siquidem ne potest quidem caro hoc. Rom. 8.

Diligentibus Deum, timentibus Deum, fidentibus Deo, omnia bona promittuntur. Psal. 90. Quoniā in me sperauit, liberabo eum, protegam eum. Quoniam cognouit, &c. Hiere. 36. Erit tibi anima tua in salutem: quia in me habuisti fiduciam. Psal. 16. Saluos facis sperantes in te. Scimus quoniam diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Rom. 8.

Iacobi 2.

Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Et iterum. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.

ORatio græcè εὐχή, ῆς, ἡ. & εὔχομαι oro dicitur. Est autē oratio dicentis pius affectus in Deum, secundum August. & habetur 4. Senten. dist. 15. art. 2. NANVS.

Oratio est oris ratio, per quam nostri cordis intima manifestamus Deo, sec. B. Tho. 4. Sent. dist. 15. & b. Tho. 2. 2. q. 83. art. 4.

Oratio est actus rationis practicæ. s. quia est vel petitio decentium à Deo, vel ascensus mentis in Deum b. Tho. 2. 2. q. 83. art. 1.

Oratio magistraliter diffinita, est offensio voluntatis nostræ facta ei à quo impetrare speramus id quod desideramus.

Orare est placidos petere, obsecrare est iratos rogare, secundum Donatum super Terent. Venit ipsius vltro lachrymans orans, obsecrās.

Oramus quę bona sunt. Supplicamus in aduersis, vel cum lachrymis, secundum Donatum super Terent. Ab oratio venit oratiuncula diminutiuum. Est etiam oratio apud grammaticos cōgrua dictionum ordinatio, & apud Logicos oratio est vox significatiua, cuius partium aliquid significatiuū est separatim vt dictio, non vt affirmatio vel negatio, secundum Arist. libro 1. Perihermen.

Tobias cap. 12

Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.

Iudith cap. 4.

Scitote quoniam exaudiet dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationib⁹ in cōspectu domini. Memores estote Mosi serui domini, qui Amalech confidentem in virtute sua, & in potentia sua & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit.

Dauid Psal. 34.

Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.

Prouerbiorum cap.15.

Longe est dominus ab impijs,& orationes iustorum exaudiet.

Ecclesiastici cap.7.

Melior enim finis orationis quàm principiũ.

Ibidem cap.18.

Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse homo qui tentat Deum.

Ibidem cap.21.

Fili peccasti,non adijcias iterum,sed & de pristinis deprecare,vt tibi dimittantur.

Ioannis 26.

Si quid petieritis patrem in nomine meo,dabit vobis.

Matthæus cap.6.

Tu autem cùm oraueris,intra in cubiculum tuum,& clauso ostio,ora patrem tuũ in abscondito,& pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

Idem cap.7.

Petite,& dabitur vobis,quærite & inuenietis,pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit,accipit: & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur.

Matthæus cap 26

Vigilate & orate,ne intretis in tentationem.

Lucas cap.11.

Cùm oratis dicite:Pater,Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie,& dimitte nobis peccata nostra,si quidem & nos dimittimus debenti nobis: & ne nos inducas in tentationem.

Idem 18. Saluator ait.

Oportet semper orare & non deficere.

Paulus ad Corinth.1. cap.11.

Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.

Ibidem.

Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum.

Idem 1. ad Corinth.cap.14.

Si orem lingua,spiritus meus orat,mens autẽ mea sine fructu est.

Idem ad Thessalon cap.5

Semper gaudete,sine intermissione orate,in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.

Idem ad Timotheum 1. cap.2.

Volo ergo viros orare in omni loco,leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate, ornantes se nõ in tortis crinibus, aut auro aut margaritis vel veste pretiosa: sed quòd decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.

Petrus apostolus cap.4.

Vigilate in orationibus, & hoc in spiritu & veritate.

Iacobus apostolus cap.5.

Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis,& orauit oratione vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.

Actuum apostolorum cap.19.

Orationes tuæ eleemosynæ tuæ,ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

August. de Cathechizandis rudib. & habetur di. 38. cap. Sedulò.

Non sunt voces ad aures Dei,nisi animi affectu.

Idem super Psal. 65.

Multi languescunt in orando, & in nouitate conuersionis suæ feruenter orant, postea languidè,postea frigidè,postea negligẽter: qui & quasi securi sint,vigilat hostis,dormis tu.

August. super Psal. 65.

Non deficias in oratione. Deus quod cõcessurus est,etsi differt,non aufert. Non leuitate vitur,qui promisit. Non facilè sententia mouetur. Quod promisit est fixum, fallere non potest,habet vnde faciet.

Ibidem.

Orationis puræ magna est virtus,& velut fidelis nuntius mandatum peragit, & penetrat quò caro non peruenit.

Idem super Psalm.85.

Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis,Deus tibi loquitur. Quando oras,cum Deo loqueris.

Idem Psalm.118.

Tunc porrò in toto corde clamatur,quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis,crebræ paucis: vtrum ne cuiquam, nescio.

Idem in sermone de Quadragesima.

Hæ sunt duæ alæ orationis quibus volatur ad Deum, si illud quod communicatur ignoscit delinquenti,& donat egenti.

Idem super Ioan. sermo.20.

Qui nouit quid det & cui det, aderit petenti,aperiet pulsanti. Et si fortè non dederit, nemo dicat se desertum. Fortè enim aliquid dare differt,sed neminem esurientem relinquit. Si enim non dat ad horam, exercet quærentem, non contemnit petentem.

Idem ad Probati.

Absit ab oratione multa precatio, sed feruẽs perseueret intentio. Nam multũ loqui,est orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, diuturna cordis excitatione pulsare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.

Idem

Idem in Enchyridio.

De quotidianis breuibusq; peccatis sine quibus hæc vita non ducitur: quotidiana oratio fidelium satisfacit.

Idem in glo. Matthæi 6.

Oratio paucis verbis res multiplices comprehendit, vt sic citò simplicitas fidei sufficientiã suæ salutis addisceret, & prudentia ingeniosorum profunditate mysteriorum stupesceret.

Idem super oratione dominica.

Impudentia est, vt à Deo petas diuitias. Non est impudentia, vt petas panem quotidianum, aliud est enim vt superbias, aliud vt viuas.

Hiero. in Leuit. ut habetur di. 36. cap. Si quis uult.

Moyses ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos: sed quid facit? orat. Vincit populus eius. Si relaxauerit & dimiserit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo sacerdos ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes eos, qui volũt piè viuere in Christo.

Idem super Abacuk.

Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogãdum, & quasi igne excoctum iustiorem & puriorem faciat.

Idem & habetur de con. di. 5. cap. Non mediocriter.

Non enim verbis tantùm, sed corde orandus Deus est. Quapropter melius est quinque psalmorum decantatio, cum cordis puritate ac serenitate ac spirituali hilaritate, quàm totius psalterij modulatio, cum anxietate cordis atq; tristitia. Cum igitur pro cunctis animabus psalmus vel missa dicitur, nihil minus quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.

Idem & habetur 13. q. 2. In præsenti.

In pręsenti seculo scimus siue oratiõibus siue consilijs inuicem posse nos adiuuari. Cùm aũt ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse, pro quoquam, sed vnumquenq; portare onus suum.

Idem super Marcum.

Ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis.

Idem ad Demetriadem.

Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærentem Deo, grata vicissitudo sanctæ operationis accendat.

Idem contra Vigilantium.

Error fuit quòd dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquam autẽ mortui fuerimus, nullius sit pro alio exordienda oratio.

Ambrosius lib. de Officijs.

Sit oratio pura, simplex, dilucida, atq; manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia: sed intermissa gratia.

Idem de Viduis.

Vbi est oratio adest verbum, fugatur cupiditas, libido discedit.

Idem in Hexameron lib. ultimo.

Si pro te rogas tantùm, pro te solo rogabitur: si autẽ pro omnibꝰ roges, omnes ꝓ te rogabũt.

Idem libro de pœnitentia.

Multi animi dum congregantur vnanimes fiunt magni, & multorum preces impossibilè est contemni.

Idem super Lucam libro 15.

Vberior est Dei gratia quàm precatio: semper enim plus tribuit Deus quã rogatur. Nam latro rogabat vt sui memor esset dominus cũ venisset in regnum suum. Dominus autem ait: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Grego. & habetur 13. q. 2. Animæ.

Animæ defunctorum quatuor modis soluũtur. Soluuntur autem oblationibus sacerdotũ, aut precibus sanctorum, aut charorũ eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.

Idem Registri lib. 1. & habetur 11. q. 6. Scriptum.

Longe est dominus ab impijs, & orationes impiorum non exaudiet.

Idem in prologo. 2. Moralium.

In grauibus peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena nõ diluit. Mundus ergo ostenditur esse de se, qui emundationem potuit pro alijs obtinere.

Idem libro 2. Moralium.

Ille deo veram orationem exhibet, qui semetipsum cognoscit, quia puluis sit humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quę agit, esse de misericordia conditoris agnoscit.

Idem libro 10. Moralium.

Omnipotens Deus sæpe eius precem in perturbatione deserit, qui pręcepta illius in tranquillitate contemnit.

Idem Moral. 21. super illud Iob 31. Quis mihi tribuat adiutorium, ut desiderium meũ omnipotens tribuat.

Vera postulatio est, non in oris vocibus, sed in cordis cogitationibus, valentiores voces apud Dei aures non faciunt verba, sed desideria.

Idem libro 25. Moralium.

Quisquis pro alijs intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur. Et pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto deuotè pro alijs intercedit.

Idem lib. 16. Moralium.

Tunc cor fidutiam in oratione accipit, cùm sibi vitæ prauitas nulla contradicit.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum.

Pro se orare necessitas cogit, pro alijs autem charitas fraternitatis hortatur: dulcior autem ante Deum est oratio, nõ quam necessitas transmittit, sed quã charitas fraternitatis cõmendat.

Idem super Matthæum 18.

Nihil potentius homine orante: qui orat cum

ieiunio duplices alas habet. Nam neq; oberrat, neq; torpet.

Idem super Matthæum 26.

Consuetudo erat ei sine eis orare, in quo docemur tempore orationis quærere secretum & fugere tumultum.

Isidorus de summo bono lib. 3.

Duobus modis oratio impeditur ne impetrare quisque valeat postulata, hoc est, si aut quisquam adhuc mala committit, aut si delinquẽti sibi debitum non dimittit.

Ibidem.

Sæpe multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem.

Ibidem.

Orationibus mundamur, lectionibus instruimur. Vtrunq; bonum est si liceat: si non licet vtrunque, melius est orare quàm legere.

Idem Etymologiarum lib. 6.

Sicut nullum in vulnere proficit medicamentum, si adhuc in eo ferrum sit, ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolus in mente, vel odium manet in pectore.

Idem de summo bono.

Oratio in præsenti vita tantùm pro remedio peccatorum effunditur, psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat in gloria superna, sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorũ laudabunt te. Cuius operis mysterium, quicunque fideliter intenta mente exequitur, quodã modo angelis sociatur.

Idem Etymologiarum libro 6.

Qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam, & ascendet celeriter & exaudietur.

Idem Soliloquiorum libro 2.

Immundus spiritus orationis instantia vincitur, dæmonia oratione eijciuntur, oratione dæmonia superantur.

Cassiodorus super Psal. 16. Exaudi domine.

Ipsius est oratio perfecta, cuius & causa clamat, & lingua & act⁹, sermo & vita & cogitatio.

Idem super Psalm. Psallite sapienter.

Non solùm cantantes, sed intelligentes psallere debemus. Nemo enim sapienter quicquam facit quod non intelligit.

Idem super Psalm. Confitebor tibi in uasis.

Pulchrè definitum est psalmos esse vasa veritatis, quasi spiritulia dolia, vinũ domini incorrupto sapore seruantia.

Idem super Psal. Miserere mei Deus.

Magna voce ille clamat ad dominũ, qui quãuis lingua taceat, bonis tamen operibus perseueranter clamat.

Idem super Psal. 101.

In psalmis vincitur mundus, plorando superatur diabolus, & cui mille cohortes ad pugnandum non sufficiunt, oratiõe vnius pauperis inclinatur.

Boëtius de Consolatione lib. 5.

Sperare & orare solus motus est, quo homines cum Deo loqui videntur.

Ibidem.

Non frustra in Deo sunt positæ spes & preces, quę cùm rectè fiunt inefficaces esse nõ possunt.

Cyprianus, & habetur de consecra. distinct. 1.

Quando autem.

Quando autem stamus ad orationem fratres dilectissimi, inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio carnalis hominis & secularis abscedat. Nec quicquam tunc animus aliud quàm id solùm cogitet quod precatur. Ideo & sacerdotes ante orationem præfatione præmissa, parant fratrũ mentes dicẽdo: Sursum corda, vt dum respondet plebs, habemus ad dominum, admoneatur nihil se aliud quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis venire patiat.

Seneca ad Lucilium epist. 4.

Non sunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus æredituus vt nos ad aurẽ simulachri, quasi magis audiri possim⁹ admittat: propè est deus tecum est, in te.

Cicero libro 1. de Legibus

Ad diuos adeunto castè, pietatem tenento, opes amouẽto, si quis secus faxit, Deus ipse vindex esto.

Menander.

εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος θεός, id est.

Precis iustæ exauditor Deus.

Ex 1. Epigrammaton.

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις, καὶ ἀνεύκτοις
ἄμμι δίδου, τὰ δὲ λυγρὰ, καὶ εὐχομένων ἀπερύκοις, id est.
Iupiter rex bona quidẽ, & precantibus & non precãtib.
Nobis da, mala uero & à precantibus remoueas.

Ouidius libro 1. de Arte.

Flectitur iratus uoce rogante Deus.

Martialis lib. 8. epigram. ad Domitianum.

Offendunt nunquam thura precesq; Iouem.

Idem lib. 10.

Et dominum mundi flectere uota ualent.

Idem lib. 10. Epigram. ad Marcum.

Non quacunq; manu uictima cæsa litat.

Horatius Carminum lib. 3. Ode. 23.

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente luna rustica Phidyle,
Si thure placaris & horna
Fruge lares, auidaq; porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda uitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.

Ibidem.

Immunis

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit auersos penateis
Farre pio, & saliente mica.

Idem epistolarum lib. 1. epist. ad Lollium.

Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert,
Det uitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

Sillius Italicus libro 4.

Iusta ite precati
Thure pio.

Iuuenalis Satyra 10.

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum mortis terrore carentem.

Dantes purgatorij Can. cap. 4.

Se oratione in prima non maiuta
Che surga su di cuor, chen gratia uiua:
Laltra che ual, che in cielo non e audita. Id est,
Si oratio in primis non me adiuuat
Quæ oriatur ex corde, quod gratia uiuat,
Alia quid ualet? quæ in cœlo non exauditur?

AMANTIVS.

Damascenus

EST autem oratio mentis erectio in Deum viuaci quadam fiducia in eius ineffabilem bonitatem.

Secundum Thomam.

Oratio verò nō consistit in multitudine verborum, sed attento & fideli cordis desiderio ad Deum vt vnicum in omnibus auxilium subuolante. Psal. 5.

Matthæi 21.

Omnia quæ pet[illegible]ritis in deprecatione, credentes accipie[illegible]s.

Ioannis 16.

Amen amen dico vobis, quęcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Exodi 14. de Mose angustiato.

Quid clamas ad me?

1. Regum 1.

Anna loquebatur in corde suo, & labia eius non mouebantur, & vox eius non audiebatur.

Ecclesiast. 5.

Pauci sint sermones tui coram Deo.

Matthæi 6.

Cùm oraueritis nolite multum loqui sicut ethnici.

Ioannis 4.

Deus adoratur in spiritu & veritate, non in magnificis & ampullosis verbis.

1. Corinth. 2.

Psallam spiritu & mente.

Ecclesiast. 34.

Deprecationem læsi exaudiet Deus.

Lucæ 11.

Magdalena non orat verbis, sed lachrymatur. & audit: dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hinc licet Lucæ vndecimo dicatur, petite & dabitur vobis, & 18. instantissimè orandum esse iubeat, Roman. 12. Precationi instantes. Marci 21. Quæcunque orantes petitis credite, & erunt vobis. Lucæ 18. Oportet semper orare & non deficere, vbi & parabola de iudice iniquo. Colossen. 4. Obsecrationi instate, vigilantes in ea. Iacobi 5. non tamen sensus est, vt spiritus velit iubere, quò in oratione multa oris verba multiplicemus. Nam Matthæi 6. Christus Battologiam auersatur, sed vult, vt nusquàm nō cor nostrum firma fiducia ad Deū ceu ad optimum patrem, & summum bonum sit erectum & infixum, vnde omne bonum & auxilium veniat, ad hoc autem non opus est Euchitarum more semper labia mouere, sed semper in vera fide Deum intueri per inuestigabiles gratiæ diuitias nobis per Christum emeritas, omne bonum firmiter ab eo sperare: & sic non lingua murmurat semper, sed cor semper vigilat, semper Deo summo suo bono indefatigabili desiderio adhæret.

Nec longa oratio rationabilis reijcitur Matthæi 6. Sed ostenditur, quòd rationabilis non sit illa, quæ semper fieri potest, & plerunq; dū iusto longior est sine corde sonus, & sine oratione fidei interna, nihil est quàm mera hypocrisis Euchitarum. Ita damnatur longa oratio, quæ fit sine corde. Potest autem oratio semper fieri, quia est spiritualis in corde, Ioannis ca. 4. Huc pertinet illud Lucæ 20. & 18. Matthæi 23. Sub prætextu precib' prolixis precamini, propter hoc plus accipietis damnationis. Sic Rusticus ad aratrum, artifex in officina potest assiduè orare, dum suum nihil confitetur corde, & in solùm Deum fide & spe nititur: nihil dubitans de Dei bonitate, omnia in nomine Dei agēs & timore Dei. Atq; illi sunt adoratores in spiritu & veritate, quos viros pater habere vult. Et me hercule, magna est res apud Deum, labor ingens, orare spiritu, ita vt cor verbis consonet in deuotione veraci, & fide in verbū promittētis: quicquid petieritis patrem, Ioan. 4. & 16. Ideo patres antiqui rectè dixerunt, nō esse maiorem laborem quàm orare, facilè est absq; corde murmurare verba. Ob id Battologi, murmuratores improbantur, Matthæi 15. Esaiæ 29. cap. & 1. Cū multiplicaueritis orationem, nō exaudiā. Matthæi 15. populus hic labijs me honorat, cor autem eorū longè est à me. Iacobi, cap. 4. Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.

Si obijciatur, quòd Deus omnia nouerit, & prædestinauerit, quibus det.

Item, voluntatem eius non esse mutabilem, vt flectatur more hominum. Ad hæc respondetur: non intromittat se massa perditionis in hęc Dei iudicia, satis sit nobis, quòd Deus vult orari & iussit orare. Oremus igitur in vera fide, & dabit cùm visum ei fuerit: nam differt nonnunquam petita, sed omnia nobis in bonū cedunt.

nos enim accendimur, & vehimur in Deum, & in gloriam Dei.

Ecclesiast.18.

Vbi oraturo præcipitur, vt attentè, quid velit à Deo petere consideret: primò omnium fidem, spem, charitatem, iustitiam: deinde & alia, quatenus his rectè ad gloriã Dei vti possumus.

Item præstituat sibi quid velit, quo maximè opus habeat. Psalm.31.& 141. Vanum est in auras verba fundere citra eiusmodi præstitutam intentionem, id quod vel ipsa orationis ratio conuincit.

Sit quoq; adtenta, seriosa, ardens, breuis, ex fide procedens (vnde Iacobi 1. Marc.11.) nec ad dextram vrgens, id est, temerariè tẽtans Deum, nec terminum exauditionis præfigens, nec ad sinistram, id est, crudelitatem, non credendo, quod audiamur: regia via incedatur, id est, simplici fide.

Pertinent autem quinq; ad veram orationem, primò promissio Dei: secundò, fides in eam: tertiò, petere aliquid certi ex instituto: quartò, desiderium ardens cordis, nõ oris tantùm murmur: quintò, in nomine Christi, per quem dilecti sumus.

Ardentius clamandum ad Deum pro defectu fidei, spei, charitatis, quàm pro rerum temporalium dominio. Defectus tuos omneis in præceptis Dei, vt in speculo, intueberis.

Fructus & efficacia Orationis.

Genesis 20. Abraham orauit, Deus sanauit Abimelech. Hieremiæ 42. Ora pro nobis ad dominum. Iob vltimo orat pro amicis.

2.Regum 17.

Multum valet deprecatio iusti assidua, ita Helias deprecatus est.

Matthæi 18.

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quæcunq; petierint, fiet eis.

2.Timothæi 2.

Adhortor, vt ante omnia fiãt deprecationes & obsecrationes.

Pro bonis & malis orandum est.

Ignatius Theologus pro se orari vult, in epistolis passim. Epistola 2. ait, indigeo illa laudabili vestra oratione, vt dignus sim illam, quæ in Syria est, ecclesiam per bonam orationem vestram pascere in Christo.

Est & oratio, quæ est opus tertij præcepti, nempe oratio pro tota ecclesia, sic pro principibus & omnibus hominibus orandum, 1. Timoth.2. Hierem.29. Baruch.1. De hac communi oratione, Ignatius epist.2. Omnes, inquit, in id ipsum ad orationem simul conuenite, vna deprecatio sit communis, vnus animus, vna spes, dilectio immaculata in fide Iesu, qua nihil melius est: vide super orationem dominicam, Cyprianum.

Obiectio philosophorum & Hæreticorum.

Si nouit Deus & antequam petamus quibus egeamus, ergo frustra scienti loquimur.

Respondeo.

Hieronymus cap.6. Matth. nos non narratores sed rogatores esse ait. aliud enim est narrare ignoranti, aliud scientem petere: in illo iudiciũ est, hîc obsequium est: ibi fideliter indicamus, hîc miserabiliter obsecramus. De hæreticis Psellianis Euchitis, vide titul. de hæreticis.

Orandum pro prædicatoribus, pro populo, pro malis & Ethnicis, & unicuiq; pro alio. Rom. cap.15.

Obsecro vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus, vt me laborantem adiuuetis præcationibus pro me apud Deum, vt liberer ab incredulis in Iudæa.

Ephes.6.

Orantes omni tempore in spiritu, & ad hoc ipsum vigilantes cum omni fidelitate, & deprecatiõe cum omnibus sanctis, & pro me, vt mihi detur sermo in apertione oris mei, vt liberè loquar, sicut oportet me loqui.

Philip. cap.1.

Christus annunciatur, & in hoc gaudeo, atq; gaudebo: noui enim quod hoc mihi cedet in salutem, per vestram deprecationem.

Collos.4.

Obsecrationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, vt loquamur mysterium Christi, propter quod & vinctus, &c.

2.Thessal.3.

Quod superest fratres orate pro nobis, vt sermo Domini currat & clarificetur sicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis & peruersis hominibus.

Actor. cap.12.

Ecclesia orat pro Petro in carcere deuincto.

Prædicator pro populo orare tenetur.

Roman.1. Primùm quidem gratias ago.

Ibidem 4.

Memoriam vestri facio semper in orationibus meis pro vobis.

Philip.1.

Oro vt charitas vestra magis ac magis abũdet.

Colos.2.

Non cessamus orare pro vobis, orantes & postulantes, vt impleamini cognitione voluntatis eius.

Ibidem 4.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est seruus Iesu Christi, semper enixè laborans pro vobis in

in precationibus, vt stetis perfecti, & completi, in omni voluntate Dei, testimonium enim illi perhibebo.

1 Thessal. cap. 1.

Gratias agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris indesinenter, propter opus fidei & laborē.

2. Thessal. 1.

Oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocare vocatione sua sancta.

1. Timothæi 2.

Sine intermissione habeo memoriam tui in orationibus meis.

Orandum pro bonis pariter & malis.

Esdræ 6.

Offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis.

Baruch 1.

Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babilonis, &c. vt sint dies eorum sicut dies cœli super terram, & vt det dominus virtutem nobis.

Matth. 5.

Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui est in cœlis.

Lucæ 23.

Christus in cruce orat: pater dimitte illis.

Romanorum 9.

Paulus optat esse anathema pro fratribus.

Actorum 7.

Stephanus orat pro inimicis, dicens: domine ne statuas illis peccatum, quia nesciunt quid faciunt.

Vnusquisq; orare debet pro alio.

Genesis 14.

Abraham orauit pro Sodomitis, vt Deus parceret eis.

Ibidem 39.

Isaac orauit pro vxore sterili.

Moyses orauit ꝓ populo. Exod. 8. 9. 17. 32.

Numeri 1.

Per eius orationem ad dominum soror eius Maria liberatur à lepra.

1. Regum 12.

Samuel orat pro populo suo. Absit, inquit, à me quò minus cessem orare pro vobis.

Ibidem 17.

Non cesses orare pro nobis.

2. Regum 12.

Deprecatur & Dauid dominum pro paruulo suo.

Iudith 8.

Multum confidebat Iudith in oratione fratrum, quando dixit, orate, vt firmum faciat propositum meum Deus, &c. Nihil aliud fiat nisi oratio pro me ad dominum Deum nostrum.

Actorum 8.

Petrus & Ioannes orant pro Samaritanis, vt acciperent spiritum sanctum.

Orate pro inuicem vt saluemini. Iacobi 5. Oratio fidei saluabit infirmum.

Oratio oritur ex cognitione defectus.

Fit autem oratio vel oritur ex cognitione defectus, quem vellemus sarciri, & ex fiducia eius quem credimus velle & posse sarcire.

Ex scripturis defectum nostrum agnoscimus: nam vt patet in vitijs & virtutibus, caremus multis, quæ deberemus habere, habemus multa, quæ non deberemus habere. Cognoscimus eum, qui potest defectum sarcire super vota, & quæ vellemus, oratione testamur ex abundātia cordis. Fiducia fit ex promissione & iussu: iussit orare, promisit exauditionem, & ex agnitione eius ipse potest implere. Quia summum bonū omnipotens vult, est optimus pater, nos filij igitur fidimus, implet, quia veritas.

Pati propter Christum est summa victoria.

Mantuanus in Catharina.

Sic emitur cælum, sic inuidus Orcus
Vincitur, & nulla esse potest victoria maior.
Nos castra subimus
Christe tua, & posthac tua numina sola sequemur:
Pauca pati melius, breuibus æterna parare
Gaudia supplicijs, quàm dum fugientia frustra
Complexi bona conamur retinere, laborem
Perdere, & infernos demum descendere ad amnes.

Vbinam orandum Matth. 6.

Vbi non interturbaris 14. ibidem. Christus ascendit in montem solus ad orandum, nec tamen alligamur loco priuatæ orationis, quia 1. Timoth. 2. in omni loco puras manus. Psa. &c. in omni loco dominationis tuæ, benedic anima mea, domino. Loco orationis iam totus mundus. Iosuæ 56. Hierem. 7. Domus mea domus orationis. Loquitur de templo Salomonis, quod tum externo cultui dedicatum erat, ad quod honestè obseruandum necessitas erat, vt ad templum domini verum orandum & reuerendum inducerentur.

Nehemiæ 1.

Nehemias ministrat regi, atq; ad interrogata respondet, & tamen non cessat.

Hostes oratione plus quàm armis superantur.

Exempla ex sacris scripturis extracta.

Templa nunc passim instituta sunt, propter cōuentus Christianorum, vt in illis commodè doceatur verbum domini, vnanimiter Deum laudemus & oremus, sacramentisq; initiemur, & in hoc propter Ecclesiam nihil agendum inhonestè. Hieremias 7. Nolite fidere verbis mendacij templum domini. Vide Hieronymū contra structuras magnificas.

Exodi 17.

Orat moses & vincit Israël.

2.Paralip.20.

Iosaphat rex timore perculsus propter exercitum qui venerat, confugit ad dominum in oratione, vt liberet eum.

4.Regum 19.

Ezechias audiens blasphemias & impetum magnum Senacherib, orauit ad dominum pro redemptione.

1.Mach.4.

Iudas Machabæus cum hostibus congressurus, orat & triumphat.

2.Mach.13.1.Machab.8.

In duobus alijs bellis quando non orauit, vbi pugnatur contra Antiochum, aufugit.

Nono.

Commissurus cum Bacchide & Alchimo, & non orans, occiditur.

Vndecimo.

Ionathas frater eius orat, & victoriam consequitur.

2.Mach.1.3.

Per generalem orationem Iudæi liberantur à morte & tribulatione.

Orandum in tribulatione.

Daniel.3.

Pueri in medio fornacis orant.

Cap.9.

Daniel in medio captiuitatis orat.

Cap.13.

Susanna derelicta ab omnibus orat.

Ionæ 2.

Ionas in ventre piscis orat.

Lucæ 22.

Christus tempore tribulationis & passionis orat, effundens sanguinis guttas.

Actorum 7.

Stephanus inter medios lapidantes orat.

12.Ibidem.

Dum Petrus seruatur in carcere, oratio fit ab ecclesia pro eo.

Et 10.

Paulus prostratus è cœlo orat in Damasco.

Modus & typus orationis Matt.6.

Sic orabitis; Pater noster qui es in cœlis, &c.

Luc.11.

Orantes autem dicite: pater noster, &c. Oratio præsupponit fidem.

Marci 12.

Quicquid orantes petitis, credite: quia accipietis.

Iacobi cap.1.

Postulet cum fiducia nihil hæsitans.

Deus spiritus est & spiritu adorandus.

Ioannis 4.

Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Arguta & clara est hæc adorationis siue orationis expositio: dicit Deum esse spiritum, vnde & eos, qui ipsum sunt veneraturi, non alia ratione id æquius possint aut debeant facere, quàm vt mentem ei deuoueant assiduo charitatis incremento, vt in ea nihil subdolũ remaneat, nihil ex ea prodire possit, quã quod sit verissimũ, ac Deo similimum. Hanc sententiam Cato maior Quiritum liberis tradidit, inquiens.

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt:
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Qui ergo sic Deo mẽtem dediderunt & deuouerũt, vt ei vnicè ad hæreant, vnicũ Deũ agnoscant, hi nimirum in spiritu iam adorant.

Orator græcè ῥήτωρ.ορος.ὁ. & ῥητορικός oratorius dicitur. Venitq; ab orando, hoc est, dicendo. Differunt aũt orator, rhetor, & declamator sic; quòd orator est, qui in iudicijs vel in cõcionibus causas agit. Rhetor qui rhetoricam profitetur. Declamator, qui aut docendi alios, aut exercendi se gratia fictam causam agit, vt in veris postea causis possit orare, quod declamare dicitur, quare declamare erit ficto themate cõponere: hinc actiones ipsæ orationes & declamationes vocantur. Ab orator dicitur oratorius. ria. rium: vt oratorius sermo, oratoria facultas, oratorium munus, & oratoriè aduerbium, hoc est more oratorio.

Cicero lib.1. Officiorum.

Est enim proprium oratoris apertè, distinctè, & ornatè loqui.

Idem lib.3. Officiorum.

Inhumanum est eloquentiam ad hominum salutem & cõseruationem datam, ad bonorum pestem perniciemq; conuertere.

De hac materia habes suprà de
Concio & Eloquentia.

Orbitas græcè ὀρφανία.ας.ἡ. & ὀρφανός.οῦ.ὁ. orbus dicitur. Orbus verò propriè dicitur is, qui lumen oculorum amisit, quasi amissis orbibus propter rotunditatẽ oculorum. Hinc per metaphorã orbi dicuntur, quicunq; aliqua re chara priuati sunt, quasi oculis priuati. Hinc etiã orbo verbum, hoc est priuo, & orbatus priuatus, & orbitas siue orbitudo, quæ est illa qualitas patrũ post amissos liberos, vel filiorum post amissos patres. Hinc etiam orbefacio, hoc est orbitatem alicui induco, & orbũ liberis facio, vnde orbifico & orbificus deducuntur. Orbem latini circulum: & orbiculum, paruum circulum dicunt. Mundumq; à rotunditate orbem vocant. Item orbitus, ta, tum, hoc est, circularis. Varro: Vt sydera cœli circa terrã atq; axem voluuntur motu orbito. Orbita verò est vestigiũ rotæ. A quo exorbito fit, hoc est à recto decedo, & quasi extra orbitam eo.

Cicero lib.5. Tuscu.quæst.

Sic cæcitas ferri facilè possit, si non desint subsi-

subsidia ad valetudinem. Democritus luminibus amissis alba & atra discernere non poterat: At verò, bona, mala, æqua, iniqua, honesta, turpia, magna, parua poterat. Etiam sine varietate colorum licebat beatè viuere, sine notione rerum non licebat.

De hac materia habes infrà ibi Visus.

ORdo gręcè τάξις. ιος ἡ. & τάσσω ordino dicitur. Est autē ordo parium dispariumq; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio, secūdum August. de Ciuitate Dei lib. 19.

Ordo ab ore dicitur, quod idem est quod dispono, quasi ore pronuntio, qui cuiq; locus esse debeat. A quo ordo dispositio gradus. Itē ordinarium, in quo ordo seruatur. Extraordinarium, quod fit extra ordinem: ordinatè aduerbium, hoc est seruato ordine.

Ordo sacer, est signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato ad officium, secūdum Magistrum sententiarum, & beatum Bona. in 4. dist. 24.

Paulus ad Corinth. 1. cap. 14.

Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.

Gregor. Columbo episc. & hab. 1. q. 1 Pueri.

Pueri ad sacros ordines nullatenus admittātur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant.

Idem in Registro.

Ne hi qui ordinati sunt pereant, prouideri debet quales ordinentur, vt aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studiū lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt.

Ibidem.

Nullus debet ad altare accedere, nisi cuius castitas ante susceptum mysterium fuerit approbata.

Ibidem.

Ordinatè ad ordines accedendū est. Nā casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus, per abrupta ascensum quærit.

Idem Anastasio præsbytero, & hab. distin. 40. cap. Non loca.

Nō loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt.

Origenes super Leuiticum.

Agnoscat vnusquisq; ordinē suum, & quid dignū sit eo ordine quem suscipit intelligat, & ita libret actus suos: ita etiam sermonem, incessum quoq; & habitum moderetur, vt cum ordinis sui professione conueniat: ne audiat dici ad se à Deo, quia propter vos blasphematur nomen meum inter gentes.

Ibidem.

Requiritur in ordinando sacerdote præsentia populi, vt sciant omnes & certi sint, quia qui ex omni populo est præstantior, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne aliqua postmodum retractio cuiq;, ne quis scrupulus resideret.

Boëtius Metro 6.

Sic quod præcipiti uita
Certum deserit ordinem
Lætos non habet exitus.

Seneca ad Lucilium epistola 39.

Nihil autem ordinatum, quòd præcipitatur & properat.

ORnatus, siue ornamētum gręcè κοσμὸς. ȣ. ὁ & κοσμέω orno dicitur. Ornatus aūt & delitiæ sunt necessarij tripliciter s. ꝓpter infirmitatem, cōsuetudinem & dignitatem, ex B. Tho. 4. sent. di. 15. q. 2. art. 3.

Ornatus virorum & mulierū, mensurandus est ad modum, & mensuram personæ & ad intentionem. Si enim mulieres portant ornamēta decentia, secundum statum & dignitatē suā, vt moderatè se habeant in factis suis, secundum consuetudinem patriæ, erit actus virtutis modestię: quę ponit modum in incessu, statu, habitu, & in omnibus motibꝰ exterioribus, & poterit esse meritorius si fit cū gratia. Similiter si fit vt placeat viro suo, vel ab alijs mulieribus retrahatur ex Bea. Thoma super Esaiam cap. 3. fi. Mulier & vir ornans se, vt prouocet alios ad cōcupiscentiam, peccat mortaliter. Non autem semper, si ex leuitate vel vanitate propter iactātiam ex. B. Tho. secunda secundæ q. 169. art. 2.

Ecclesiastici cap. 9.

Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam.

Ibidem cap. 19.

Amictus corporis, risus dentium, & incessus hominis enuntiant de homine.

Paulus 1. ad Cor. cap. 11.

Vir si comam nutriat, ignominia est illi.

Petrus 1. cap. 3.

Mulierum nō sit extrinsecus capillatura aut circundatio auri.

August. ad Possidonium, & hab. de conse. dist. 5.

Fucare figmentis quò vel rubicundior vel candidior vel verecundior appareat, adulterina fallacia est, quo non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperiū. Nam verus ornatus maximè Christianorum & Christianarū nō tantum est vllus fucus mendax, verùm nec auri quidē vestisq; pompa, sed mores boni sunt.

Idem de sermone domini.

Quanta amentia est effigiem mutare naturę, picturam quærere? Tolerabiliora propemodū in adulterio crimina sunt: Ibi enim pudicitia, hîc natura adulteratur.

Hieronymus ad Eustochium.

Quid dicā de his, qui ambiunt sacerdotiū quibus cura est, vt vestes benè oleāt, vt pes laxa pelle non oleat: quibus, vt crines calamistro rotentur, quibus, vt digiti annulis radient, & si via humidior fiat, vix in eam pedes vestigia comprimant.

Idem epistola 84.

Vestis nec satis munda, nec sordida & nulla diuersitate notabilis, ne ad te obuians turba cōsistat, nec digito demonstreris.

Ibidem.

Nec affectatæ sordes, nec acquisitæ delitiæ Christiano conueniunt.

Idem epistola 72.

Vestiū sordes, candidæ mentis indicia sunt.

Ambrosius in Hexame.

Deles picturam Dei mulier, si vultum tuum materiali candore oblinisti.

Idem de Virginitate lib. 1.

Collū catena cōstringit, pedes cōpedes includūt. Nil refert, an corpus auro ligetur an ferro, si ceruix premitur, si grauatur incessus, nil pretium iuuat, nisi quòd vos mulieres estis miserabiliores, quā qui publico iure damnantur. Illi optant viuos ligari. Mulier sic ornata, omnium domus est dæmonum infernalium.

Bernardus super Missus est.

Quid de habitu dicam, in quo non iam calor sed color requiritur, magisq́; cultui vestium, quā virtutum insistitur. Pudet dicere: vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à monachis pretiū affectatur in vestibus, nō necessitas.

Idem in Apologe.

Vanum cor, vanitatis notitiam ingerit corpori. Exterior enim superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi molliciem indicant. Non tantū curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens, inculta virtutibus.

Ioannes Chrysostomus super Matthæum homelia 23. in fine.

Quid à pueris distamus ludentibus & domos fabricantibus nos, qui domos præclaras fabricamus, nisi quòd nos cum pœna hoc agimus, illi cum gaudio.

Ibidem.

Nondum viri facti sumus, sed cùm effecti viri erimus sciemus, quòd hæc sunt ludibria & ea deridebimus: simus ergò viri. Vsquequo à terra trahimur in lignis & lapidibus? magna sapiētes, vsquequò ludimus?

Cyprianus in lib. de habitu Virginum.

Fœminæ manus Deo inferunt, quando illud quod ille formauit, reformare contendunt.

Ibidem.

Serico & purpura indutæ, Christum syncerè induere non possunt: auro, margaritis & monilibus adornatæ, ornamēta mentis & cordis perdiderunt.

Seneca ad Helbiam.

Nosti Romuli casam, dic potius illud humile tugurium. Sed nempe virtutes recipit, & omnibus tēplis formosius est, cùm ibi iustitia fuerit, continentia cum prudentia, cùm pietas omnium officiorum, cùm rectè dispensatorum ratio, cum diuinorum humanorumq́; scientia: nullus locus angustus, qui hanc magnam virtutum turbam capit, nullum exilium graue, ire cum hoc comitatu libet.

Idem ad Lucilium epistola 40.

Non faciunt equum meliorem aurea frena.

Ouidius epist. Phedræ ad Hippolytum.

Sint procul a nobis iuuenes, ut fœminæ, compti.
Fine coli modico forma uirilis amat.

Idem lib. 1. de arte Amandi.

Forma uiros neglecta decet.

Ibidem.

Munditiæ placeant, fuscentur corpora campo,
Sit benè conueniens, & sine labe toga.
Linguaq́; nec rigeat: careant rubigine dentes.
Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos:
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
Inq́; caua nullus stet tibi nare pilus.
Cætera lasciuæ faciant concede puellæ,
Et si quis malè uir quærit habere uirum.

Ibidem.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crura teras.

Ibidem lib. 3.

Mundicijs capimur, non sint sine lege capilli:
Admotæ formam dantq́; negantq́; manus.

Ostentatio græcè ἐπίδειξις.ιος.ἡ. & ἐπιδείκτης.ιος.ὁ. ostētator, & ἐπιδείκνυμι ostento dicitur: sumitur autem ostentatio pro iactantia, & inani gloria: venit autem ab ostento, quod significat sæpe, & cum iactantia quadam ostendo, à quo descendit. Ostendo verò componi videtur ab ore & tendo, quoniam os in id solemus extendere quòd volumus demōstrare. Ab ostēto pariter fit ostentum, de quo suprà in Monstrum. De hac materia habes suprà vbi Iactantia.

PActum græcè συνθήκη.ης.ἡ. & συντίθεμαι paciscor dicitur. Dicitur autem pactum à pactione, inde est pacis nomen appellatum. Pactio enim est duorum pluriumúe in idem placitum seu consensus vt l.1.ff.de pac. Vel sic: Pactum est, quod inter aliquos conuenit.

Pagus græcè πάγος ου.ὁ. dicitur. Est autem pagus prima societas, quæ constituitur ex pluribus domibus vtilitatis gratia non quotidianæ, secundum Arist.lib.1.Politico.

Pagus dicitur πηγὴ.ῆς.ἡ quod apud græcos fons dicitur. Etenim plures simul domus rusticæ, hoc est plures villæ pagus vocantur, quoniã circa fontes condi huiusmodi villæ consueuerunt. Hinc pagani dicti, quasi ex eodem fonte potãtes, hoc est villani. hinc semipaganus, quasi semiuillanus.

Palpatio græcè ψηλάφησις.ιος.ἡ. & ψηλαφητός.οῦ.ὁ. palpabilis & ψηλαφάω palpo dicitur. Palpabile quodlibet est tangibile, & non econtrario, ex B. Thom. 4. Senten. dist. 44. q. 2. art. 2.

Palpatio non pertinet ad tactum, vt discretiuus est cõtrariorum, scilicet calidi & frigidi, & huiusmodi; sed vt discretiuus corporũ solidorum, secundum B. Thom. 3. Sen. di. 21. q. 2. art. 4.

Palpare siue palpari (vtroq; enim modo dicit̃) pprie est leuiter & quasi tentãdo tãgere, vnde pro adulari frequenter accipitur, & palpatores ex eo dicuntur adulatores. A palpo fit frequentatiuũ palpito, quod leuiter & frequenter moueo, & quasi palpando, vnde palpitare cor dicitur, ob frequentem motum. Plin. Palpitat certe cor, & quasi alternatim mouetur.

Palpebra græcè βλέφαρον.ου.τὸ dicitur. Sunt aũt palpebrę capilli, quos in genis homines vtrinq; habent, dictę vel à palpitãdo, hoc est tremẽdo, vt Varroni placet, vel à palpando, hoc est prætentando obiecta. Ob hoc eñ natura palpebras homini dedit, vt ceu vallum quoddam visus essent, & prominens munimentum circa occursantia animalia, aut alia fortuitò incidentia.

Panis græcè ἄρτος.ου.ὁ dicitur. Panis autem forma substantialis consequitur mixtionem farinæ & aquæ & ipsam vstionem, ex B. Thom. 4. sen. dist. 11. q. 1. art. 1.

Panis furnaceus, qui in furno coquitur, à Gręcis κλίβανος. ου. ὁ. clibanus dicitur, & subcinericius, qui sub cinere: & focatius, qui in foco.

Panis azymus, est panis sine fermento, à Græcis enim fermentum ζύμη.ης.ἡ dicitur.

Panis dicitur à pascendo, vt Varroni placet, vnde pappa deducitur, qui propriè est cib⁹ puerorum, vnde fit pappo verbum, hoc est edo, cibum sumo. Plaut. Nouo liberto opus est quod pappet. A panis fit panifex, qui panem facit, & panifica mulier panem faciens, & panificium, ipsa panis factura.

Papa gręcè πάππας.ὁ. dici potest, & est summus pontifex, qui habet plenitudinẽ põtificalis potestatis, sicut rex in regno. Sed episcopi assumuntur in partem solicitudinis, quasi iudices singulis ciuitatibus præpositi, ex B. Tho. secunda secundæ q. 98. art. 9. & 4. Sen. di. 20. art. Dicitur autem à papæ admirantis interie ctiõe, vel quod sit pappas, hoc est pater omniũ Christianorum.

Par græcè ἴσος.ου.ὁ. dicitur. Est autem par quod in oẽs æquabile est. Paris autem numeri species sunt tres: Est enim vna, quæ dicitur pariter par. Alia verò pariter impar. Tertia impariter par.

Pariter par numerus est qui potest in duo paria diuidi, eiusq; pars in alia duo paria, vt hoc totiens fiat vsque dum diuisio partium ad indiuisibilem naturaliter perueniat vnitatem. 64. in 32. in 16. in 8. in 4. in 2.

Pariter impar numerus est, qui & ipse quidẽ paritatis naturam substantiamque sortitus est, sed in contraria diuisione naturæ numeri pariter paris opponitur, vt sunt 6. 10. 14. 18. 22. & his similes.

Impariter par numerus ex vtrisq; confectus, & medietatatis loco gemina extremitate concluditur, vt quia ab vtroq; discrepet, eadem ad alterutrum cognatione iungatur. Hic autem talis est, qui diuiditur in æquas partes, cuiusq; pars in alias æquas diuidi potest, & etiã aliquando partes partium diuiduntur, sed non vt vsq; ad vnitatem progrediatur æqualibus ista distinctio, vt sunt 24. & 38. ex Boëtio Arithmeticæ libro 1.

Parcitas quid sit, vide infrà in Parsimonia.

Parabola siue parabole dictio græca est παραβολὴ.ῆς.ἡ & à παραβάλλω quod est assimilo venit. Est autem parabola sententia habens obscuram similitudinem, secundum B. Thom. prima parte q. 1. arti. 10.

Parabola est sermo similitudinarius, qui aliud dicit, & aliud significat, secundum B. Tho. super Esaiam 14. col. 1.

Paradisus græca dictio est. Nam παράδεισος.ου.ὁ. pomarium significat, vnde & poma illa paradisea vocantur, à situ, quòd ferè in omnibus pomarijs inserantur odore saporeq; insignia.

Paradisus triplex est, scil. terrestris, cælestis & spiritualis. i. visio Dei, ex B. Tho. 1. parte quęst. 102. art. 1. & secunda secundæ quæst. 175. art. 3.

Paradisus terrestris est locus corporeus in oriente vt in nobilissimo loco, & interpretatur hortus, ex B. Thom. 2. 2. q. 84. art. 3. Estq; locus conueniens habitationi humanæ, quia habet aërem temperatum & tenuissimum, & plantas semper floridas, secundum B. Thom. 1. parte q. 102. art. 2.

De paradiso cęlesti vide suprà in gloria ęterna.

De paradiso spirituali, vide suprà in Deus.

Paradoxos græca dictio est παράδοξος.ου.ὁ. admirabilis & pręter opinionem. Est autem paradoxon quod est admiratione dignum, & opinionem hominum superat. Nam δόξα græcè opinio est, vnde extant Paradoxa Ciceronis.

Parapherna græcè est παραφέρνα, vnde paraphernalia bona dicuntur à iureconsultis, quæcunq; præter dotem fœminis à sponsis dantur à παρά præter, φερνή dos.

Parasitus græca dictio est παράσιτος.ου.ὁ. Est is qui aliorum mensam & cibaria sequitur. Componitur-

poniturq; ex παρὰ quod significat iuxta, & σῖτος.ȣ.ὁ quod esculentũ significat, quare parasiti vocantur, qui ad voluptatem eius in cuius contubernio sunt loquuntur & faciunt, nihil repugnãtes cibi & ventris gratia. Hinc diminutiuũ parasitaster, quod non significat paruum parasitum, sed parasitorum imitatorẽ. In aster enim nomina desinentia potius imitationem quàm diminutionẽ significant eius à quo descendũt.

De hac materia vide suprà in Gula.

PArens græcè γονεὺς.έος.ὁ.ἡ. Est aũt parens nõ modò pater & mater, vt vulgus putat, sed auus, proauus, & auia, proauia. Quin etiã Caius iurisconsultus, sentit omnes superiores parentis appellatione contineri. Venit autem parens à pario, paris. Est enim parere, fœtum emittere, quod proprium fœminarum est. Dicitur etiam de viris. Cæcilius: Hic vicinus noster peperisse se filium memorat, hoc est genuisse. Metaphoricôs etiam parere est acquirere, comparare. Virgi. Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperêre suo, decorate supremis Muneribus. A parens parentare deducitur, quod proprie est parentibus iusta celebrare. Et parentalia conuiuia, quæ in parentum aut propinquorum mortibus fieri consueuerunt. Et parricida, qui parentem occidit, & crimen ipsum parricidium. Is autem qui patrem occidit, dicitur patricida, qui & græcè πατροφόνος. dicitur, & qui matrem matricida, qui & græcè μητροκτόνος dicitur, scelusque ipsum patricidium & matricidiũ appellatur.

Exodi cap. 20.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi.

Idem cap. 21.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

Leuitici cap. 19.

Vnusquisque patrem suum & matrem suam timeat.

Idem cap. 20.

Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.

Ibidem.

Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur, patri matrique qui maledixerit, sanguis eius sit super eum.

Deuteronomij cap. 4.

Honora patrem tuum & matrem, sicut pręcepit tibi dominus Deus tuus, vt longo viuas tẽpore, & benè sit tibi in terrà quã dominus deus tuus daturus est tibi.

Ibidem cap. 21.

Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuijs lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens, pertimescat.

Ibidem cap. 27.

Maledictus, qui non honorat patrem suum & matrem suam, & dicet omnis populus, Amen.

Tobiæ cap. 4.

Igitur cùm Tobias putaret orationem suã exaudiri vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filiũ suũ, dixitq; ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentũ construe. Cùm acceperit Deus animã meam, corpus meũ sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes quę & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.

Prouerb cap. 19.

Qui affligit patrem & fugat matrem, ignominiosus erit & infœlix.

Ibidem cap. 20.

Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris.

Ibidem cap. 23.

Audi patrem tuum qui genuit te, & ne contempseris cum senuerit mater tua.

Ibidem cap. 28.

Qui subtrahit aliquid à patre suo vel à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

Ibidem cap. 30.

Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & commedant eum filij aquilæ.

Ecclesiastici 3.

Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.

Ibidem.

Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur.

Ibidem.

Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore, & qui obedit patri, refrigerabit matrem.

Ibidem.

Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt, in opere & sermone & omni patientia.

Ibidem.

Honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo manet.

Ibidem. Bene-

Benedictio patris firmat domos filiorũ, maledictio autem matris eradicat fundamenta.

Ibidem.

Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria, sed confusio.

Ibidem cap.3.

Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore.

Ibidem.

Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute.

Ibidem.

Eleemosyna enim patris non erit in obliuione: nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.

Ibidem.

Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrẽ, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.

Ibidem.

Honora patrem tuũ, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento quoniã nisi per illos natus nõ fuisses: & retribue illis quomodo & tibi.

Ibidem.

In omni virtute dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas.

Paulus ad Ephesios cap.6.

Filij obedite parentibus vestris in domino, hoc enim est, Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram: & vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione domini.

Idem ad Collossen.

Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in domino. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.

August. de uerbis domini sermone 6.

Pater & mater si ratione sunt educantes te, si in Christo nutrientes te, audiendi sunt, & in omnibus obtemperandũ est eis in omni iussione.

Idem & habetur dist.56.cap. Sponsus.

Sponsus ille, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos congruens inuitatis, nasci etiam voluit de bonis & malis. Quo exemplo discant parentum suorum filij, iniquitates sibi nõ obesse posse.

Hieron. tractans illud, Honora patrem & matrem.

Meretur cæcitatis subire supplicium, qui parentum vultus toruo visu despexerit, & elatis oculis læserit pietatem.

Idem super illud Matthæi 10. Qui amat patrem.

Si necessitas venerit, vt amor parentum siue filiorum amori Dei comparetur, & non possit vtrunque seruari, odium in suos, pietas in Deũ seruanda est.

Idem in epistola ad Heliodorum.

Gladium tenet hostis vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo?

Idem in epistola ad Ruffinum.

Sicut boni filij adulterorum nulla est defensio, sic mali filij coniugatorum nullum crimen est matrimonij, quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atq; virtutum.

Amb. super illud Matth.19. Honora patrem.

Primus gradus pietatis est iste, vt quos authores tibi voluit esse Deus, honores obsequijs, abstineas contumelijs, nec vultu lædenda est pietas parentum.

Ioannes Chrysostomus super illud, Mulier ecce filius tuus &c.

Docet nos Christus vsq; ad vltimam respirationem parentum diligentiam habere. Qui enim alijs mulieribus astantibus nihil dixit, docet nos plus aliquid impendere parentibus. Sicut enim aduersantes genitores ad spiritualia, nosse nõ debent, ita quando nihil impendunt, omnia debent eis præbere ante alios, quia genuerunt, quia aluerunt.

Cassiodorus super illud Psal. Iniquos odio habui.

Filios & parentes si aduersi sunt, alienata debemus voluntate contemnere. Sępe tamẽ quos flamma non terruit, quos ferrum nõ subdidit, necessitudinum blandimenta flexerunt.

Aristoteles lib. 8. Ethicorum.

Pater tria beneficia dat filio, est sibi causa essendi generando, est sibi causa nutriendi educando, & est sibi causa disciplinæ informando.

Ibidem.

Parentes amant suos filios sicut sui aliquid existentes, filij autem parentes vt ab his aliquid existens.

Ibidem.

Parentes plus amant filios quàm econuerso, quia magis sciunt parentes, quòd filij sunt eis nati, quàm filij.

Ibidem.

Matres plus diligunt filios quàm patres, quia certiores sunt de eis.

Ibidem.

Mater potest abnegare filiũ, & nõ econuerso.

Idem libro 9. Ethicorum.

Omnis artifex diligit opus suum, & etiam ipsum magis diligit quàm diligatur ab opere, vt patet de parentibus respectu filiorum.

Ibidem.

Matres plus amant filios, quàm econuerso.

Idem

Idem lib. 9. Ethicorum in principio.

Dijs parentibus & magistris non potest reddi æquiualens.

Idem lib. 8. Topicorum.

Qui dubitat vtrum oporteat deos venerari, aut parentes honorare, non indiget ratione sed pœna.

Valerius Maximus lib. 1.

Iustissimè quadam pari vindicta, parentum ac deorum violatio expianda est.

Isocrates in sermone admonitorio ad Dæmonicum.

Τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σαυτοῦ παῖδας, id est.

Talis sis circa parentes, quales utiq; precatus fueris circa teipsum tuos filios.

Ibidem.

τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, id est.

Parentes autem honora.

Homerus in ζ Iliados. Verba sunt Hectoris de Astyanacte filio.

Ζεῦ ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
παῖδ᾽ ἐμόν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,
ὧδε βίην τ᾽ ἀγαθόν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν
Καί ποτέ τις εἴπῃσι, πατρός δ᾽ ὅγε πολλὸν ἀμείνων, i.
O Iupiter aliiq; Dei, concedite & hunc fieri
Filium meum, sicuti me excellentem inter Troianos:
Et sic uiribus præstantem & Ilio: egregiè imperare.
Vt aliquando aliquis dicat, patre hic multo præstantior.

Menander.

Ἡδύ γε πατὴρ φρόνησιν ἀντ᾽ ὀργῆς ἔχων, id est.

Suaue quid est pater prudentiā loco iræ habens.

Ibidem.

βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν. id est.

Velis parentes ante omnes in honoribus habere.

Idem.

γονεῖς τίμα, καὶ φίλους εὐεργέτει, id est.

Parentes honora, & amicos beneficio affice.

Idem.

ἔλπιζε τιμῶν τοὺς γονεῖς πράξειν καλῶς, id est.

Spera honorans parentes te facturum benè.

Idem.

Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς, id est.

Dei maximi sapientibus parentes.

Idem.

ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς, id est.

Sufficienter uiues in senectute, pascens parentes.

Idem.

νόμιζε σαυτῷ τοὺς γονεῖς εἶναι θεούς, id est.

Persuade tibiipsi parentes esse deos.

Idem.

Πρὸς υἱὸν ὀργὴν οὐκ ἔχει χρηστὸς πατήρ, id est.

Aduersus filium iram non habet bonus pater.

Phocylides.

παισὶ μὴ χαλέπαινε τεοῖς, ἀλλ᾽ ἤπιος ἴσθι.
ἢν δέ τι παῖς ἀλίτῃ, κολουέτω υἱέα μήτηρ
ἢ καὶ πρεσβύτατοι γενεῆς, ἢ δημογέροντες, id est.
Filijs ne irascere tuis, sed indulgens sis:
Si uerò quid filius errauerit, castiget filium mater.
Vel maiores natu familiæ, uel populi seniores.

Pittacus.

μὴ ἔριζε γονεῦσι, κἂν δίκαια λέγῃς, id est.

Noli contendere cum parentibus, etiam si iusta dicas.

Idem.

γονέας αἰδοῦ, id est. Parentes venerare.

Cleobulus.

Τοὺς τέκοντας ὑπομονῇ νίκα, id est.

Parentes patientia uince.

Plautus in duobus captiuis.

Quā tu filiū tuū, tā me pater meus desiderat.

Idem in Sticho.

Si affirmabit pater aduersum nos, pati nos oportet, q̄ ille faciat cuius potestas plus potest.

Terentius comœdia 2.

Decet filium ex more patris, non patrem ex more filij viuere.

Idem comœdia 3.

Matres omnes filijs in peccato adiutrices, & auxilio, paterna iniuria solent esse.

Ibidem.

Nam qui mentiri aut fallere insueuerit patrē, tanto magis audebit cæteros.

Ibidem.

Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse (credo) quàm metu.

Ibidem.

Hoc patrium est, potius consuefacere filiū sua sponte rectè facere, quàm alieno metu.

Idem comedia 5.

Nam matris ferre iniurias pietas iubet.

Ibidem.

Nam me parenti potius, quàm amori obsequi oportet.

Virgilius Aeneidos lib. 2. de Aenea.

Ergo age chare pater ceruici imponere nostræ,
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.
Quo res cunq; cadent, unum & commune periculum.
Vna salus ambobus erit. Idem lib. 6.
Vicit iter durum pietas.

Propertius lib. 3. elegia 21.

Nam quantum ferro tantum pietate potentes
Stamus.

De hac materia habes suprà vbi Filius.

PArsimonia græcè φειδώ. όος. ἡ. & φειδωλός. οῦ. ὁ. parcus & φείδομαι parco dicitur. Est autem parsimonia, qua animi, honesti & vtilis causa, ne dispendium faciant, & bona sua, operum nomine vel facultatum appellata, inutiliter inhonesteque consumant, sed tueantur atque custodiant, prudenter considerāt. Cuius contrariū est luxuria seu luxus, & bonorū dilapidatio: videturque parsimonia differre à frugalitate, quod parsimonia est q̄d generalius. Frugalitas verò est propriè cibi potusq;, mentis frugi ac benè cōpositę moderatio: cuius contrariū voracitas. Cicero

Cicero tamẽ frugalitatem dicit plura complecti, ſcilicet fortitudinem, iuſtitiam, prudentiã.

Parſimonia à parſi præterito huius verbi parco, venit. Eſt enim parcere inter alia quæ habet ſignificata, idẽ quòd abſtinere. Virg. Parce pias ſcelerare manus. Vnde parcere pecunię abſtinere ab expenſione pecuniæ, ſiue parum expendere pecuniam, & parcere labori, id eſt nihil vel parum laborare. Hinc, vt diximus, fit parſimonia, quæ pro moderatione ſumptuum & parcitate, hoc eſt conuerſatione rerum accipitur. Ab eodem verbo venit parcus, qui frugi eſt & ſumptibus parcit, & parcitas, quæ idẽ eſt quod Parcimonia.

Phocilydes.

ἀρχόμενος φείδου πάντων, μὴ τέρμ' ἐπιδεύῃς. id eſt.
Cum incipis parſimonia utere in omnibus, ne in fine indigeas.

Heſiodus.

ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος χορέσασθαι,
Μεσσόθι φείδεσθαι δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ. id eſt.
Incipiente autem dolio, & finiente ſatiare,
Sed in medio parſimonia utere, grauis in fundo parſimonia.

Lucianus.

ὡς τεθνηξόμενος, τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
ὡς δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶν κτεάνων.
ἐστὶ δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέζον ἐφηρμόσατο, id eſt.
Tanquam moriturus tuis bonis fruere.
Tanquam autem victurus parce tuis poſſeßionibus.
Eſt autem uir ſapiens hic, qui ambo hæc cognoſcens,
Parſimoniæ & ſumptui menſuram aptauit.

Pars græcè μέρος.εος.τὸ. & μερικός.οῦ.ὁ. particularis, & μερίζω diuido dicitur. Partes autẽ ſunt, in quas materialiter diuiditur totum, ſecũdum B. Tho. tertia parte q.90.ar.1. Partis diminutiuum eſt particula græcè, μερίς.ιδος.ἡ. Pars eſt triplex, ſcil. integralis, vniuerſalis & proteſtatiua, ſecundum b. Tho. parte 76.ar.8. & ſecunda ſecundæ q.48. Hinc venit participare, quod nihil aliud eſt, quã aliquid ab alio partialiter accipere, ſecundũ B. Tho. ſuper Metaphyſice li. lect. 10.col.1. circa fi. Particulare dicitur, quia in eo particulatur natura cõmunis, ſecundũ virtutẽ eſſendi in pluribus, non autem ſecundum rationem eius, ex beato Tho. 1. Sen. diſt. 23.ar.2.

Pars ſecundũ aliquos dicitur à pari, quia partes ſimul iunctę pares, hoc eſt ęquales ſunt toti. Vel à partu, quòd pars à toto deducta, & quaſi parta ſit. Hinc fiunt particeps, participiũ, & participiale nomen, & plura alia.

Paruificentia grçcè μικροπρέπεια.ας.ἡ. dicitur. Eſt autem paruificentia vitium oppoſitum magnificentiæ, & eſt circa magnos ſumptus. Ideo minus vitium quàm illiberalitas ſecundum B. Tho. ſecunda ſecundæ q.135.ar.1.

Paſsio græcè πάθος.εος.τὸ. vel πάθημα.ατος.τὸ. & παθητικός.οῦ.ὁ. paſsiuus dicitur. Eſt autẽ paſſio effectus illatioq́; actionis, ſecũdum Gilbertum Porretanum libro ſexto principiorum. Venit autem à patior, vnde paſsibilis, patibulum, & patientia, de qua infrà.

PAtientia græcè ὑπομονή.ῆς.ἡ & ὑπομονικός.οῦ.ὁ patiens, & ὑπομένω ſuſtineo dicitur. Eſt autẽ patientia virtus, contumeliarũ & omnis aduerſitatis impetus, æquanimiter portans, ſecundũ Cice. in Rhetor. Patientia honeſtatis & vtilitatis cauſa, rerum arduarum & difficilium voluntaria ac diuturna perpeſsio, vt ibidem. Patientia eſt ſuas & ſuorum iniurias ac cætera mala ęquanimiter ferre, vt habetur 23.q.1. quod militare.

Eſdræ 3.cap.10.

Nunc ergo retine apud teipſum dolorem tuũ, & fortiter fer qui tibi contigerunt caſus.

Prouerbium cap.16.

Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.

Ibidem cap.19.

Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt, iniqua prætergredi.

Ibidem cap.25.

Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiem.

Eccleſiaſtes cap.7.

Melior eſt patiens arrogante.

Eccleſiaſtes cap.27.

Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.

Matthæi cap.5.

Audiſtis quia dictum eſt oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.

Paulus ad Romanos cap.5.

Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem.

Idem 2. ad Timoth. cap.3.

Et omnes qui piè volũt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur: Mali autem homines & ſeductores perficient in peius errantes, & in errorem mittentes.

Ibidem.

Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſsionem.

Iacbus in epiſtola cap.1.

Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cũ in tentationes varias incideritis, ſciẽtes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectũ habeat, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.

Ibidem.

Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Idem

Idem in epistola cap.5.

Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus domini appropinquabit, nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non vindicemini, ecce iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ per prophetas, qui locuti sunt in nomine domini, ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem vidistis, quoniam misericors est dominus & miserator.

Petrus Apostolus 1. cap.2.

Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gratia, si peccantes & collaphizati suffertis: sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitię viuamus, cuius liuore sanati sumus.

Augustinus de puero Centurionis & habetur 23. quæst.4.cap.Paratus.

Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt potiùs numerus crescat bonorum, vt non pari malitia se quis numero addat malorum.

Idem in epistola ad Probam.

Perfacilè est vesté contemptam habere, inclinato capite incedere, velum super capillos dimittere, sed verum humilem patientia ostendit iniuriæ.

Idem in sermone de Patientia.

Ne indignemini fratres, si mundo mali florent, & vos aduersa patimini, quia non est Christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cœlo, & vos nihil habere debetis in terra, sed spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via cótingit, gaudere debetis.

Idem in sermone ad Lippium.

Noli admirari frater, si postquam Christianus effectus es, mille te vndique tribulationes vexant, quoniam Christus nostræ religionis caput est, nosque eius membra sumus. Debemus ergo non solùm eum, sed & vitam eius cumulatissimè sequi. Vita enim Christi respersa fuit angustijs plurimis, summa paupertate circundata, à Scribis & Pharisæis est derisus, tandem propter nos peccatores morti turpissimæ traditus est. Vnde coniectura est, cùm te Deus immensis persecutionibus corripit, te & in electorum suorum numero destinasse, nam sine huiusmodi tribulationibus nequaquam ad eú peruenire possumus. Omnes enim qui ad paradisum redire desiderant, oportet transire per ignem & aquam. Siue fuerit Petrus apostolus, cui datæ sunt claues regni cœlorum, siue Paulus vas electionis, siue Ioãnes, cui reuelata sunt secreta cœlestia, necesse est vt omnes dicant: Permultas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Idem in sermone innocentium.

Fratres charissimi, bonos & iustos viros semper persecutionem malorum sustinuisse cognoscimus. Si diligenter cósideramus, inueniemus illos maiora supplicia sustinuisse qui faciunt, quàm qui sustinere videntur. Omnis enim homo qui alium in corpore persequitur, prius ipsum in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiã ille qui persequitur, aliquid de substantia eius tulerit, maius ipse dispendium sibi facit. Quia nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno, vbi est lucrum ibi & damnum, lucrum in arca, damnum in conscientia: tulit vestem, & perdidit fidem: acquirit pecuniam & perdit iustitiam.

Idem de doctrina Chistiana libro 1.

Quantò in hac vita fruimur Deo, vel per speculum, vel in ænigmate, tantò peregrinationé nostram & tolerabilius sustinemus, & ardétius sufferre cupimus.

Idem super Ioannem Homelia 58.

Deus in passione sua percussus ad maxillã nó præbuit aliam: demonstrans illa magna præcepta patientię, non in ostentatione corporis, sed in cordis præparatione facienda.

Idem libro de uerbis Domini, & habetur 23. quæst.4. Tolerandi.

Tolerandi sunt quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur, sed spiritualiter. Spiritualiter exire est facere, quòd pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cuiusque salua pace. Displicere est, non tangere. Non enim prophetæ qui hoc dicebát, populum suum dimiserunt, sed inter eos habitabant quos increpabant, vnum templum cum eis intrabant, eadem sacra celebrabant. Hoc ergò exire est ori non parcere, hoc est, immundum non tangere, voluntati malæ non consentire.

Idem super Ioannem & habetur ibidem, cap. Quid ergo.

Quid ergò voluit dominus noster Iesus Christus fratres charissimi admonere Ecclesiam suam, quando vnum proditorem in duodecim habere voluit? nisi vt malos toleremus, nec corpus Christi diuidamus. Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contendas, fur est & sacrilegus: & non qualiscunque fur, sed locu-

lorum

lorum dominicorum, & sacrorum.

Ibidem cap. Tu bonus.

Tu bonus tolera malum. Nam & Christus Iudam, cùm sciret furem esse, tolerauit, & ad prædicandum misit, eique cum alijs Eucharistiam dedit.

Idem de uerbis apostoli.

Iram fratris tunc portabis, cùm tu áduersus eum non irasceris, vt rursum eo tempore quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & tranquillitate supportet.

Idem super Psal. 21.

Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamẽto positus vreris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

Hieronymus epist. 88.

Affectus & perturbationes, quandiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circundamur, moderatè regere possumus, amputare non possumus.

Idem epistola ad Nepotianum.

Miles Christi non laude extollitur, nec vituperatione frangitur, non diuitijs tumet, nec contrahitur paupertate, & læta cõtemnit & tristia, per diem sol non vret, & luna per noctem.

Ambrosius super Beati immaculati.

Illud est magnificum, si subiectus contumelijs, iudicium Dei laudes: si vexatus ægritudine, iudicio Dei deputes: si inopia non reuocet, quò minus laudes iustitiam Dei.

Idem super Lucam lib. 5.

Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo suo tradi, vt cùm sis desertus à socio, proditus ab ipso, moderatè feras tuum errare iudicium, perisse beneficium.

Idem Officiorum lib. 1.

Non mediocre est mitigare iracundiam, nõ inferius quàm animo non commoueri. Hoc nostrum est, naturæ illud.

Greg. lib. 2. Moralium.

Magna est consolatio in eo quod displicet, quod ordinante illo erga nos aperitur, cui non nisi iustum placet.

Idem lib. 21. Moralium.

Festina consolatio bonorum, cõsideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu mala conspiciunt quod euadunt, læue æstimant quicquid aduersum in hac vita patiuntur.

Idem in Registro.

Facilis erit cõsolatio, si inter flagella quę patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta reuocemus. Hæc non iam flagella, sed dona esse cõspicimus, si quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus.

Idem super Prouerbiorum, 25. Dorctrina uiri per patientiam noscitur.

Tantò quisq; minus ostenditur doctus, quãtò minùs patiens. Neque enim potest veraciter bona docẽdo impendere, si viuendo nescit aduersa æquanimiter tolerare. Perfecti enim doctoris est, aliorum improbitatem patienter sufferre, vt se nouerit ab iniquis patiẽter obseruari. Neq; enim propria munditia sine tolerantia sufficit, neq; tolerantia sine munditia valet.

Idem lib. 2. Moralium.

Sæpe hostis callidus, cũ imparatam mentẽ ad tolerantiam videt, quid ab ea maximè diligatur exquirit, & ibi scandali laqueos inserit, vt quò magis res quæq; diligitur, eò per eam faciliùs patientia turbetur.

Idem lib. 2. Mor super illud, Frater fui draconũ.

Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non intolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia ab omni plenitudine longè distat. Abel quippe renuit esse, quem Cain malitia non exercet. Sicut in tritura paleæ grana prẹmuntur, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit.

Idem lib. 5. Moralium.

Patienter quippe illatã iniuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc in se habeat, in quo ipse debeat tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuiq; ad mentem culpa reuocatur. Quia erubescit peccatis non parcere, qui Deo vel proximo se recolit parcendo peccasse.

Ibidem.

Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat.

Idem lib. 7. Moralium.

Mitigat vim doloris considerata æquitas ferientis.

Idem in Prologo Moral.

Quędã verba Iob imperitis lectoribus aspera sonant, qui sanctorũ dicta, piè intelligere sicut dicuntur, ignorant. Quia animũ dolentis & iusti, in semetipsis assumere nesciunt, ideo doloris verba benè interpretari nõ possunt. Mentem quippe patientis, benè pensare nouit condescensio passionis.

Idem lib. 10. Moralium.

Dolor flagelli temperatur, cùm culpa noscitur. Quia quantò quisq; ferramentum medici patientius tolerat, tantò magis putridum conspicit esse quod secat.

Ibidem.

Mala vitę præsentis tantò durius animus sentit, quãtò pensare bonũ quod sequiẽ negligit. Nequaquam nos gratia in aduersitate deserit: Quia quò nos durius & dispensatione percutit, eò amplius & pietate custodit.

Idem lib.11.Moralium.

Nunquam est patientia virtutis in prosperis. Ille verò patiens est, qui & aduersis conteritur, & tamen à specie suæ rectitudinis non curuatur.

Idem lib.16.Moralium.

Qui à statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est, quòd contra mansuetæ percussionis gladios non persisteret.

Idem lib.30.Moralium.

Tunc illata vitia benè toleramus, cùm secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur, quod iniuria percutiemur, dum in actione nostra conspicimus, quia peius est quod murmuremus. Sicq; fit, vt cótumelijs gratia magis quàm ira debeatur, quarum interuentu, Deo iudice, pœna grauior declinari posse confiditur.

Ibidem.

Gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare, & si seruus conuitium dicat, iustus taceat: & si infirmus iniuriá faciat, iustus sufferat: & si pauper criminetur, iustus non respondeat.

Idem in Homilia super Euangelium, Cùm audieritis.

Plerunq; ideo patientes videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubio patiens non est, quia patientia non in ostensione requiritur, sed in corde.

Ibidem.

Non est perfectè bonus, nisi qui fuerit & cum malis bonus. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusauit.

Idem super Ezechielem homilia 7.

Patientia vera quæ ipsum amat, quem portat. Nam tolerasse & odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris.

Idem homilia 35.

Sed adiuuante nos domino, virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace ecclesiæ viuimus, & martyrij palmam tenemus.

Ibidem.

Nos sine ferro & flamma martyres esse possum⁹, si patientiá in animo veraciter custodiam⁹.

Idem Homilia de Martyribus.

Mori à persequente, Martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias, & odienté diligere, martyrium est in occulta cogitatione.

Idem super Euangel.35.

Doctrina viri per patientiam noscitur. Tantò ergo minus quisq; ostenditur doctus, quantò conuincitur minus patiens. Nec enim potest veraciter bona docendo impendere, si viuēdo æquanimiter nesciat bona tolerare.

Idem super Ezechielem.

Nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus.

Idem in homil. super Euang. Cùm audieritis prælia.

Patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoq; qui mala irrogat nullo dolore morderi.

Idem super Ezechiel. hom.7.

Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet: Alia nanq; sunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. A proximo nanque persecutiones, damna & contumelias sustinemus: ab antiquo aduersario, tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his, omnibus modis vigilanti oculo semetipsum debet circunspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne cótra flagella opificis proruat ad excessum murmurationis.

Ioannes Chrysost. serm.18.

Faciamus de necessitate virtutem seu voluntaté: exempli gratia, Propriū quis amisit filiū, substantiam alius omnem, & fortunæ bona, si noueris quod pactum est semel, nec deleri amplius, nec solui posse, licebit ea insanabili calamitate vtilitatis aliquid comparare, si magno ac virili animo aduersos tuleris fortunæ casus, pro que maledictis domino laudem referas, hoc pacto quę pręter spem obuenerint mala, in voluntatis officium commutabis.

Idem super Matthæum.

In proprijs iniurijs patientem esse laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare impiū est.

Ibidem.

Si vindicare vis sile, & funestā ei dedisti plagā.

Idem super Matthæum 5. Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo.

Primus gradus patientiæ, est nō incipere iniustitiā: secundus, postquam inceptus est, æqualibus non vindicari: tertius est, non facere vexanti ea quæ passus es.

Idem super epist. ad Heb.

Nihil ita confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neq; in verbo, neq; in opere reddere vindictam.

Isidorus Soliloquiorum lib.2.

Magna est virtus si non lædas, à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus, remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.

Idem lib.4. de Summo bono.

Discat non murmurare qui mala patitur, & si ignorat cur mala patitur, per hoc se iustè pati arbitretur, quia ab illo iudicatur, cuius nunquá iniusta iudicia sunt.

Bernardus super Cantica. sermo 86.

Ad virtutes spectat, tribulationes fortiter sustinere: ad sapientiam in tribulationibus gaudere:

gaudere: Confortare cor tuũ, & sustine dominum. Virtutis est gustare & videre, quoniam suauis est dominus sapientiæ.

Idem super Cantica.

Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio.

Idem ad Eugen. de Considerat. lib. 2.

Non bona patientia est, cùm possis esse liber, seruum te permittere fieri. Vera patientia est, pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quòd liceat.

Hugo lib. 2. de Claustro animi.

Qui dolorem capitis non patimur benignè, quomodo pro Christo capitis abscisionem pateremur? Qui flagellum timent, quomodo flagella sustinerent?

Boëtius de Consolat. philos. lib. 4. prosa. 6.

Quidam supplicijs inexpugnabiles, exemplum cæteris pertulerunt, inuictam malis esse virtutem.

Lactant. Firmi. Diuina. institut. lib. 3.

Beatus est igitur sapiens in tormentis, sed quũ torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet.

Idem lib. 5.

Magna & pręcipua virtus patientia est, quam pariter & vulgi publicæ voces, & Philosophi, & Oratores summis laudibus concelebrant: quòd si negari non potest, quin summa virtus sit, necesse est iustum & patientẽ virum in potestate esse hominis iniusti, vt patientiã capiat. Patientia est enim, malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt cum æquanimitate perlatio. Ergo iustus & sapiens, quia virtutem capit, habet in se patientiam, qua carebit omnino si nihil patietur aduersi: cõtrà, qui in rebus improsperis impatiens est, virtute maxima caret.

Idem libro 6.

Omnia itaque amara & grauia patienter ferenda sunt.

Seneca lib. de moribus.

Libenter feras quod necesse est, dolor patientia vincetur.

Idem in Prouerbijs.

Feras, non culpes, quod mutari non potest: Furor fit læsa sæpius patientia.

Idem de uirtutibus lib. 4.

Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliã fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cùm illum in potestate tua videris, vindictam putabis, vindicare potuisse. Scito enim magnum & honestum vindictę esse genus, ignoscere.

Idem epistola 68.

Quæris an omne bonum optabile sit? Si bonum est, inquis, fortiter torqueri, & magno animo vti, & patienter ægrotare, sequitur vt ista optabilia sint: Distingue, Tormenta à me abesse velim, sed si sustinẽda fuerint, vt me in illis fortiter, honestè, animosè geram, optabo, quidni ego malim non incidere in bellũ, sed si incido, & vulnera, & famem, & omnia quæ bellorum necessitas affert, generosè feram, optabo: itaq; non incommoda optabilia sunt, sed virtus, qua perferuntur incommoda: non pati tormẽta optabile est, sed fortiter pati.

Idem epistola 93.

Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea quæ possunt euenire firmandus, exilia, tormẽta, morbos, bella, naufragia meditare.

Ibidem.

Consurgamus itaque aduersus fortunam, & quicquid inciderit sciamus nõ esse tam magnũ quàm rumore iactetur.

Valerius Maximus lib. 3.

Aequaliter se in aduersis gerere, quid aliud est, quàm sæuientem fortunam in adiutorium sui pudore victam conuertere?

Idem libro 8.

Neque secundarum rerum prouentu insolenter abuti, neq; aduersis, prosperè debilitari oportet.

Cicero Tusculanarum quæstionum lib. 2

Quare si, vt initiò concessisti, turpitudo peius est, quàm dolor, nihil est planè dolor. Nam dũ tibi turpe, nec viro dignum videbitur, gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari, dolere, tum honestas, tum dignitas, tum decus aderit, tuq; in ea intueberis, te continebis. Cedet profectò virtuti dolor, & animi inductione languescet. Aut enim nulla virtus est, aut contemnendus est dolor omnis.

Ibidem.

Spartæ verò pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat, nonnunquã etiam (vt cùm ibi essẽm, audiebã) ad necem, quorũ non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt? viri non poterunt? Et mos valet, ratio non valebit?

Ibidem.

Si summus dolor est, inquit, breuem esse necesse est. Verba sunt Epicuri.

Ibidem.

Contẽno magnitudinẽ doloris, à qua me breuitas tẽporis vindicabit, antè penè q̃ inuenerit.

Idem lib. 3.

Summa est stulticia, summo cõfici mœrore.

Homerus ε Iliados. Verba sunt Dionis ad Venerem uulneratam à Diomede.

Τέτλαθι τέκνον ἐμὸν, καὶ ἀνάσχεο κηδομένη περ, id est.

Patere filia mea & tolera, tristitia quamuis effecta.

Idem in υ Odysseæ.

Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. id est.

Tolera corde, etenim peius aliquando tulisti.

Pittacus.

ἀνέχου ὑπὸ τῶν πλησίων μικρὰ ἐλαττούμενος. id est.
Tolera, si ab his qui sunt propè, minima quædam tibi detrahantur.

Menander.

ἀνδρὸς τὰ προσπίπτοντα γενναίως φέρειν. id est.
Viri est accidentia generose ferre. Idem.
ἄνεγκε λύπην καὶ βλάβην ἐρρωμένως. id est.
Fer tristitiam & damnum fortiter. Idem.
κούφως φέρειν δεῖ τὰς παρόντας τύχας. id est.
Leuiter ferre oportet præsentes fortunas. Idem.
νίκα λογισμῷ τὴν παροῦσαν συμφοράν. id est.
Vince ratione præsentem calamitatem. Idem.
πειρῶ τύχης ἄγνοιαν εὐχερῶς φέρειν. id est.
Conare fortunæ ignorantiam facilè ferre. Idem.
Στεῤῥῶς φέρειν χρὴ συμφορὰν τὸν εὐγενῆ. id est.
Fortiter ferre oportet calamitatem generosum. Idem.
τὴν τῶν κρατούντων, μάθε φέρειν ἐξουσίαν. id est.
Imperantium disce ferre licentiam. Idem.
φρονοῦντος ἐστι ζημίαν ῥᾷον φέρειν. id est.
Sapientis est damnum facilè ferre. Idem.
φέρειν ἀνάγκη θνητὸν ὄντα τὴν τύχην. id est.
Ferre necesse mortali existenti fortunam.

Plautus in Rudente.

Hoc quod est, necessarium est perpeti.

Terentius in Andria.

Quoniam non potes quod uis, id uelis, quod possis.

Idem Comœdia 6.

Nam quæ inscitia est, aduersus stimulum calces.

Ibidem.

Quod sors feret feramus æquo animo, istuc uiri est officium.

Virgilius Aeneidos lib. 1.

O socij (neq; enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

Ibidem.

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Ibidem.

Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

Idem Aeneidos libro 2.

Quid tantum in sano iuuat indulgere labori?

Ibidem libro 4.

Et obnixus curam sub corde premebam.

Ibidem lib. 5.

Superat quoniam fortuna sequamur.
Quoq; uocat uertamus iter.

Ibidem.

Quò fata trahunt retrahuntq; sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Ouidius Metamor. lib. 8. fabula 7.

Paupertatemq; ferendo
Effecêre leuem, nec iniqua mente ferendam.

Idem Metam. libro ultimo fabula 44.

Nec enim fortuna querenda
Sola tua est, similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres.

Idem Amorum libro ultimo elegia 9.

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim.
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

Idem libro 1. de remedio amoris.

Dura aliquis præcepta uocet mea, dura fatemur
Esse, sed ut ualeas multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamuis inuitus amaros
Aeger, & oranti mensa negata mihi est.
Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.
Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis.
At pretium pars hæc corpore maius habet.
Sed tamen est artis tristissima ianua nostræ,
Et labor est unus tempora prima pati.
Aspicis ut prensos urant iuga prima iuuencos.
Vt noua uelocem cingula lædat equum.

Idem libro 2. de remedio.

Posse pati facile est tibi, ni patientia desit,
Protinus ex facili gaudia ferre licet.

Idem Tristium libro 5. elegia ultima.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui nulla uigoris adest.

Idem in epistola Oenones ad Paridem.

Leuiter ex merito quicquid patiare ferendum est,
Quæ uenit indignè pœna, dolenda uenit.

Laberius.

Furor fit læsa sæpius patientia.

Ibidem.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Lucanus.

Gaudet patientia duris.

Propertius libro 4. elegia ultima.

Desine Paule meum lachrymis urgere sepulchrum,
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cùm semel infernas intrârunt funera leges,
Non exorato stant adamante uiæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ.
Nempe tuas lachrymas littora surda bibent.
Vota mouent superos, ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Tibullus libro 3. elegia 3.

Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostra.
Ingenio, frangit fortia corda dolor.

Horatius Carminum lib. 1. ode. 13.

Sed leuius fit patientia
Quicquid corrigere est nefas.

Idem carminum libro 2. ode. 20.

Absint inani funere neniæ,
Luctusq; turpes & querimoniæ.
Compesce clamorem, ac sepulchri
Mitte superuacuos honores.

Iuuenalis satyra 13.

Ponamus nimios gemitus flagrantior æquo
Non debet dolor esse uiri, nec uulnere maior.

Ibidem.

- Dicimus autem
Nos quoq; fœlices, qui ferre incommoda uitæ,
Nec iactare iugum uita didicêre magistra.

Lucanus Pharsaliæ lib. 9.

- Componite mentes
Ad magnæ uirtutis opus, magnosq; labores.

AMANTIVS.

Cicero in Rhetoricis.

Patientia est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impet' æquanimiter portás.

Aristoteles in libello de uirtutibus.

Mansuetudo incitabilis ad vindictam animi partis virtus est, propter quam non facile ad irã concitantur.

Græcè.

Πραότης δ' ἐστὶν ἀρετὴ τοῦ θυμοειδοῦς καθ' ἣν ὑπὸ ὀργῆς γίνονται δυσκίνυτοι.

Proprium uel officium mansuetudinis.

Mansuetudinis, est criminationes, calumnias, & contemptus moderatè ferre, ac ad vindictam celeriter non contendere, minimeque ad iram præcipitem esse, & cùm nec insuauibus, nec irritabilibus moribus sis, placidum stabilemque animum retinere.

Erasmus lib. 3. Apophtegmatum.

Diogenes Cynicus adolescenti conquerenti, quòd à multis perturbaretur: desine, inquit, & tu perturbationis indicia præ te ferre: significans nulla alia in re melius improbitatem lædentium finiri, quàm si, qui læditur, dolorem dissimulet. Etenim qui ob id incessunt hominem, vt illum discrucient, desinent, si viderint illum nihil commoueri.

Dissimulandus dolor.

Philemon in Ecdicazomeno.

ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν·
ὁ λοιδορῶν γὰρ ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν. id est.

Nihil est iucundius & docto uiro dignius,
Quàm ferre posse conuitiantem:
Quoniam si ille, cui conuitium fit
Dissimulauerit, in ipsum autorem redundat.

Euripides in Protesilao.

Δυοῖν λεγόντοιν θατέρου θυμουμένου,
ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος. id est.

Altero duorum colloquentium indignante,
Is, qui se non opponit, plus sapit.

Demosthenes à quodam conuitijs lacessitus: Nolim tecum in hoc genus certaminis descendere, dixit, in quo qui vincitur, ipso victore est melior. Id est:

εἰς ἀγῶνα ἐν ᾧ ὁ ἡττώμενος τοῦ νικῶντος ἐστὶ κρείττων.

Πλάτων λοιδορούμενος ὑπό τινος, λέγε (ἔφη) κακῶς, ἐπεὶ καλῶς, οὐ μεμάθηκας. Id est:

Quodam ei maledicente, perge, inquit, maledicere, vt qui benè loqui nunquam didiceris.

Aristippus contumelijs à quodam petitus, dixit: penes te est maledicere, penes me autem rectè audire.

Ἀρίστιππος, λοιδοροῦντος αὐτὸν τινὸς ἔφη, τοῦ μὲν λέγειν κακῶς σὺ κύριος, εἰ τοῦ δ' δικαίως ἀκούειν ἐγώ.

Pythagoras.

Μεγάλην παιδείαν νόμιζε δι' ἧς δυνήσῃ φέρειν ἀπαιδευσίαν. Magnam peritiam existimato, qua ferre potes aliorum imperitiam.

Theognis.

οὐ δύναμαί σοι θυμὲ παρέχειν ἄρμενα πάντα· τέτλαθι τῶν δὲ καλῶν οὔχι σὺ μοῦνος ἐρᾷς, id est.

Non possum tibi anime mi omnia suppeditare, quæ desideras: fer igitur patienter, pulchra non solus appetis.

Epictetus in Enchiridio.

Ab exiguis incipe, effunditur oleum, furto vinum aufertur. Cogita tanti redimi patientiã, tanti emi imperturbationem, nihil gratis fit. Cùm seruum accersiueris, præmeditare, fortè non pariturus, fortè nihil eorum quæ cupio facturus est: & non tanti est tamen, vt eius causa perturbari debeam, aut possim.

MVSONIVS IN SERMONE, AN *Philosophus actionem iniuriarum contra aliquem suscepturus sit.*

Demosthenes etiam oculis quosdam iniurios esse putabat, eamque rem intolerabilem esse, & homines inde plurimum affici: ita qui quid honestum, quid reuera turpe sit, ignorant, iniuriã se pati censent, si quis aut toruũ ipsum intueatur, aut irrideat, aut percutiat, aut conuitia iactet. At vir sapiens & cordatus, qualis philosophus esse debet, nullo horum perturbatur, non tam ipsa pati, quàm inferre turpè ducens: nam qui peccat, is turpitudini est obnoxius, qui verò patitur, quatenus ipse peccatum non admittit, eatenus neque turpis alicuius indignitatis particeps dicendus est. Quapropter non ad forum & actiones vllus mente præditus conuertetur, vtpote qui nullam sibi videatur iniuriam accepisse. Pusillanimitas est, has ob res indignari, & commoueri intensius, sed leniter & tranquillè tolerabit, quicquid acciderit. Hoc decorum eius, qui se magnanimum profitetur.

Stobæus in collectaneis, in loco de, Patientia.

Socrates publica conuitia passus ab Aristophane, non modò non ægrè tulit, sed obuium etiã interrogauit, num se rursus ad similem rem aliã opus haberet.

PATIENTIA MELIOR EST *fortitudine.*

Salomon Prouerbiorum 14.

Qui patiens est, multa gubernabitur sapientia: qui autem impatiens est, exaltat iustitiam suam.

Lucæ 21.

In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras.

Paulus ad Galatas cap.5.

Fructus spiritus, pax, patientia, &c.

Et cap.6.

Inuicem alij aliorum onera portate.

Ad Ephesios cap.5.

Hortor ego vos vinctus in domino, vt ambuletis ita, vt dignum est, vocatione ea, qua vocati estis: cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes vos inuicem per charitatem, studētes seruare vnitatem spiritus per vinculum pacis.

Ad Philipp.cap.1.

Mihi vita Christus est, & mori lucrum: nec ab vllo teneamini, ab aduersarijs, quæ illis quidem est causa perditionis, vobis autem saluti, & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verumetiam vt pro illo patiamini, idem certamen habentes, quod vidistis in me.

Ad Colossens.cap.3.

Sufferentes vos inuicem, & condonantes vobis mutuò.

1.Corinth.cap.1.

Christus vnicus omnis patientiæ antesignanus.

Ad Hebræ.cap.6.

Ne sitis imbecilles, sed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam hæreditatem acceperunt promissionis.

Ibidem cap.10.

Patientia vobis est opus, vt vbi voluntatem Dei peregeritis, reportetis promissionem: adhuc enim pusillum temporis, & qui venturus est, veniet.

Ibidem.

Per tolerantiam certamus in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei ducem, & consummatorē Iesum, qui proposito sibi gaudio, pertulit crucem.

EXEMPLA PATIENTIAE EX *sacra scriptura collecta.*

Est tolerantia, pax & gratia ex Deo.

1.Reg.cap.16.

Dauid persecutionem filij, & maledictionem Semei patienter tulit.

4.Reg.5.

Persequutoribus suis mensam apponit Helisæus.

Iob cap.2.

Iob specimen patientiæ præbuit dicendo: dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est.

Daniel.cap.3.

Mortem patienter tulerunt tres pueri.

2.Machab.cap.7.

Patientia septem fratrum, & matris eorum.

Ibidem cap.6.

Patientia Eleazari.

Matthæi cap.18.

Petro dixit Christus, vt septuagies septies dimitteret fratri.

Lucæ cap 5.

Discipulos Christus corripit, cùm petijssent ignem è cœlo, dicens: nescitis cuius spiritus estis: filius hominis non venit perdere, sed seruare animas.

Ioannis cap.6.

Mulierem accusatam adulterij benignè tulit.

Acto.cap.7.

Stephanus pro lapidantibus orat.

DEVS DAT PATIENTIAM *& gratiam.*

Psalm.61.

Veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.

Et Psalm.20.

Quoniam tu es patientia mea domine.

Hieremiæ 29.

Cogita cogitationes pacis, vt dem vobis finem, & patientiam.

Daniel.1.

Dedit dominus Danieli gratiam.

Roman.1.

Gratia vobis & pax à Deo patre.

Augustinus.

Qui fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno.

Ibidem.

Quò fata trahunt retrahuntq́;, sequamur:
Quicquid erit superanda omnis fortuna ferendo est.

Ouidius lib.8.fabula 7.Metamorph.

Paupertatemq́; ferendo
Effecêre leuem, nec iniqua mente ferendam.

NANTA

PAtria græcè πατρίς.ίδος.ἡ. dicitur. Et est vrbs seu oppidū, vnde orti siue oriundi, sumus, dicta q communis omniū parens sit. Aliquādo & prouincia ipsa ex qua orti sumus patria dicitur, sed tamen impropriè. Hinc patrium, quod patriæ est. Pater autem vnde & patria deducit, græcum est πατὴρ.έρος. & πατρὸς per syncopam, sic dictū, quòd παντηρεῖ hoc est, omnia seruat. Vel παῖδας τηρῶν, hoc est, filios seruans. Hinc paternus, hinc patriarcha nouum quidem & græcum, & is est, qui patrum, hoc est pontificū princeps & primus est. Hinc paterfamilias, qui primus est, & in familiam imperium habet. A patre venit etiam patronus, qui is est, qui litigatoris causam agit, quasi pater, sicut cliens is est, qui litigat, & cuius causa agitur. Cuius diminutiuum clientulus dicit, & clientela, quod modò significat clientum multitudiné, modò officium eorum erga patronos, à coloq; hæc deducuntur. Quid autē patronus ab aduocato differat, vide suprà in Aduocatus. A patrono fit patrocinium, q est ipsa rei ptectio. Et patrocinari, quod est tam verbo quā facto imbecilliorē ptegere. A patre

Litigator, Ciceroni est accusator; patronus, qui reū defēdit. Communiter tā men pro vtroque sumitur.

patre item fit patricida, qui patrem interfecit, à quo patricidium. Patricida grecè πατροφόνος seu πατροφόντης.ȣ.ὁ. & πατροκτονία.ας.ἡ. parricidium, quod quasi parenticidium dicitur. Hinc à pater fit patronymicum apud grãmaticos, quod sub patris nomine significat filium, vt Priamides, hoc est Hector Priami filius, & patrisso, hoc est patri similis sum.

Patriæ & parentibus homo maximè debitor est post Deum, secundũ B. Tho. secunda secundæ q.60.art.3. In patria & parentibus includuntur omnes consanguinei, ciues, & amici patriæ, secundùm B. Tho. secunda secundæ, quæst.80. art.1.

Homerus in I Odysseæ.

ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων
γίνεται, ἅπερ καί τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον
γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει, ἀπάνευθε τοκήων. id est.

Sane nihil dulcius sua patria neq; parentibus
Est, quamuis quis procul diuitem domum
Terra in aliena habitet procul à parentibus.

Ouidius libro 3. de Ponto, Elegia 4.

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patrijs posse uidere focis.

De hac materia vide suprà in Amor patriæ

AMANTIVS. Patria est vrbs vel oppidũ, vnde orti siue oriundi sumus. Dicta quod communis omnium parens sit. Deducitur à patre, qui aliquẽ genuit, quo etiam nomine, aui, abaui, proaui, &c. continentur. Hinc patriam nostrorum memoria dicimus, id est, maiorum nostrorum. Pater etiam nomen religionis est, vnde dij omnes patres vocabantur: similiter pater nomen reuerentię. Romulus centum senatores elegit, quos patres ab honore, siue ætate, siue cura, quam habere in rebus publicis expediendis oportebat, vocauit. πατήρ quasi per syncopẽ dictus, quod παντηρεῖ, hoc est, omnia seruat, vel παῖδας τηρῶν, id est, filios seruans. Debemus autem patriæ, & parentibus maximè omnia, post Deum, bona: includuntur autem in patria & parentibus omnes consanguinei, ciues, & amici patriæ.

Decorum est mori pro patria.

Euripides.

Conuenit omni ratione & arte
Amantes patriam, salutem eius moliri:
Ne fatigeris, dum patriam recuperare studes.
Natale solum, ut conuenit, gratissimum est hominibus,
Neq; uerbis eius dulcedinem exprimere possim:
Multo enim auro & opibus antecellit patria,
Ad inhabitandum prudenti uiro: nam quod naturæ
Cognatum est & familiare, nescio quam sui
Dulcedinem mortalibus in uita præstet.

Idem in Aegæo.

ἀλλ᾽ ὅμως οἰκτρὸς τις αἰὼν πατρίδος ἐκλιπεῖν ὅρους· τί
γὰρ πατρῴας ἀνδρὶ φίλτερον χθονός.

Quid paterna charius esset viro tellure.

Idem in Dictyæ.

Quod si non esses pessimus, nunquam ciuitate
Tua contempta regionem istam laudasses.
Meo quidem iudicio non rectè sapit,
Qui spretis patriæ finibus terræ,
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.

Idem in Phœnice.

Tu uero ô mea tellus, & genitorum patria
Vale: nam uiro, licet plurimum malis obruatur,
Nullum est suauius solum, quàm quod nutriuit eum.

Idem in Telepho.

Σπάρτην ἔλαχες κείνην κόσμει
Τὰς δὲ μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ, id est. Prouerbium.

Spartam sortitus es, hanc orna:
Nos uerò ex nostra parte Mycenas ornabimus.

Idem in Philoctete.

Μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει, id est.

Beatus ille, qui domi fortunatus manet.

Menand. in Heautontimorumeno.

Domi manere oportet, ac permanere liberum,
Aut non amplius uiuere illum, qui rectè beatus est.

Sophocles in Tereo.

Πολλὰ σὲ ζηλῶ βίου·
Κάλλιστα δ᾽ εἰ γῆς μὴ πεπείρασαι ξένης, id est.

Beatum existimo te ob uitam tuam plurimum.
Est autem optimum, si terrã nunquàm expertus es alienã.

Idem.

Domi manebit uir uerè beatus.
οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα, id est.

Quintus frater dicere solitus est, nihil iucundius esse lectulo domestico.

Theognis poëta Megarensis.

Πατρίδα κοσμήσω, λιπαρὴν πόλιν οὔτ᾽ ἐπὶ δήμῳ
Τρέψας, οὔτ᾽ ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος, id est.

Patriam ornabo, pulchramq; ciuitatem, neq; inter populum excellens, neque malis viris morigerans.

Sophocles Tragicus.

Nunquàm equidem patriæ inimicum uirum in amicitiam
Receperim meam: hoc sciens: quod patria
Est, quæ nos seruat, & dum in ipsa
Fortunata degimus, confabulamur inuicem:
Huiusmodi legibus hanc ego ciuitatem promoueo.

Euripides in Polinice.

Quid aliud est patria priuari, quàm malum magnum,
Maximumrę ipsa autem maius est quàm uerbis:
Quomodo istud fit? quod exulibus adeo malum euenit.

Vnum sanè maximum, quod exul non habeat dicendi libertatem.

Homerus.

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, id est.

Vnum augurium, pugnandum esse pro patria.

Idem.

ἀλλὰ μάχεσθαι ἐπὶ νηυσὶν ἀολλέες· ὃς δέ κεν ὑμέων βλήμενος, ἠὲ τυπεὶς θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ τεθνάτω, οὐ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης, id est.

Vos age ad naues confecti pugnate, donec uestrûm
Ictus, aut uulneratus mortem & fatum quilibet sequatur

Moriatur: non enim indecorum est ei defendenti patriam, mori.

Idem Odissea primo.

Αὐτὰρ ὀδυσσεὺς
ἱέμενος ᾗ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται. i. Cæterum Vlysses
Cupidus uel fumum exeuntem uidere
Patriæ suæ, sic mori optat.

Ouidius lib. 1. de Ponto, elegia quarta.

Non dubia Ithaci prudentia, sed tamen optat,
Fumum de patrijs posse uidere focis.

Euripides in Phœnisse.

O mater, ego prudens ac simul imprudens perueni
Ad uiros inimicos, uerùm necesse est,
Cunctá amare patriam: quod si quis secus ait,
Verba funditare gaudet, animum tamen in patriam conuertit.

Patria præferenda est omnibus, & amanda magis, quàm parentes proprij. Plato in Critone.

An sic es sapiens, vt te latuerit & patri, & matri, & progenitoribus omnibus patriam esse anteponendam? atque venerabilius quiddam sanctiusque? & in superiore sorte, tum apud Deos, tum apud homines mentis compotes esse patriã collocandam, colereque eam oportere magis, eiq; obedire, ac rigidius se gerenti, mitius assentiri, quàm patri, & si quid iubeat, vel dissuadere quantum liceat, vel facere, & patientissimè sustinere quicquid iusserit patiendum? ac siue in prælium miserit, ad vulnera excipienda, mortemq; subeundam, obediendũ est omnino: ius enim ita dictat, & neq; tergiuersandum, neque fugiendum, neq; ordinem deserendum, sed & in bello, & in iudicio, & prorsus vbique ea sunt, quę resp. patriaq; iusserit, faciẽda, aut certè verbis, quatenus iustum est, vti licet, ad persuadendum illi eamq; placandam: vi autem vti nefas est, vel contra matrem, vel contra patrem, maximè verò omnium contra patriam.

Eusebius Sardus.

A morte Patrum filios esse superstites, fortunatum & à fortuna petendũ est: Itemq;, vt ipsorum liberi singuli eodem ordine naturæ minores natu maioribus succedant. Communis hæc petitio iustissima est, & summo omnium studio suscipi digna, vt patria, quæ semper suscipit, & alit omnes, & quæ nobis maiores nostros exhibuit, tum ipsa, tum Deorum indigetum honores magis ac magis semper augeantur.

Pythagoras.

Ἐρωτηθεὶς, πῶς δεῖ ἀγνωμονούσῃ πατρίδι προσφέρεσθαι, εἶπεν, ὡς μητρί, idest.
Interrogatus quomodo oporteat se gerere erga patriam ingratam, vt erga matrem respondit.

Timotheus dux Atheniensium cùm audisset vnum ex collegis dicentem: an putas, ô Timothee, gratam nobis futuram patriã? modò nos, respondit, patriæ dignas referre gratias queamus.

Ex scriptis Serini Samoniti.

Lacones, qui ad regem Persarum venerant, vt pœnas darẽt, propter legatos, dimissi sunt, & insuper virtutis suæ gratia rogati, vt secum manerent: at quomodo, dixerunt, huiusmodi patriam relinquere possemus, cuius gratia tãtum itineris morituri confecimus?

Aristides interrogatus qua de re maximè in exilio contristatus fuisset: respondit, propter dedecus patriæ malè audientis sui causa exilij.

Seriphius quidam, cùm ei ciuitatis suæ paruitas ab Atheniense quodam obijceretur: mihi quidem, dixit, patria dedecus est, tu verò patriæ. Aristidis vxor administranti ei rempub. dixit, vtinam priuatas quidem res putares esse publicas, & contrà, publicas priuatas.

Pausanias Lacedęmoniorum dux ob intentatam ciuitatis patriæ suæ proditionem in templo Mineruæ, quæ ab æde aënea χαλκίοικος cognominata est, à patre Hegesilao, & matre fame necatus est. Chrysermus lib. 2. hist. Persicæ.

Cùm Athenienses contra Eunulpum regem Thracum belligerarent, Erechteus Atticæ rex oraculum accepit, se victurum hostes, si maximam natu filiarum Proserpinæ immolaret: reuersus is Athenas exposuit vxori Thrasytheæ Pythicum hoc oraculum: deinde filiam ad aras ductam occidit, & commisso prælio, potitus est victoria. Demoratus author est in lib. 3. Tragodumeni.

Herocles in sermone: quales in patriam esse debeamus:

Post sermonem de patria, maximè conuenit docere, quales in patriam esse debeamus: Est enim patria per Iouem velut alter quidam Deus, & primus maximusque parens: quare qui nomen ei imposuit, à re ipsa non temerè patriam nominauit, vocabulo quidem à patre deducto, pronunciato tamen fœminina terminatione, vt ex vtraque parente mixtum esset: atque hæc ratio insinuat patriam vnam ex æquo duobus parentibus colendam esse. Præferenda igitur omnino est patria vtriuis parentum seorsim, & non tantùm æquali, sed maiori etiam, quàm simul quidem parentes ambos maioris fieri, sed æquali honore dignari. Est autem alia ratio, qua mul ambos parentes, honore patriam afficere monet, neq; solùm ipsis eam præfert, sed etiam vxori, & liberis, & amicis, & absoluto sermone, rebus alijs omnibus post Deos.

Ibidem.

Qui

Qui seipsum præ patria seruare vult, tum iniustè facit, tum stolidus est, insuper impossibilia desiderans: at qui patriam sibi ipsi præponit, & dijs charus est, & mente prudens. Quicquid prodest patriæ, id singulis quoq; particulatim est commune: etenim totum nullum est sine partibus, & vicissim, quod ciui fuerit vtile, ciuitati quoque conuenit, si modò illi quatenus ciuis est expedit.

Exempla pietatis in patriam illustrium uirorum.

De pietate erga patriam vide Valerium Maximum libro 5. cap. 6.

Arctissimis sanguinis vinculis pietas satis fecit: restat nunc vt patriæ exhibeatur, cuius maiestati etiam illa, quæ Deorum numinibus æquatur autoritas, parentum vires suas subiecit: fraterna quoque charitas æquo animo ac libenter cedit, summa quidem cum ratione: quia euersa domo interdum reipub. status manere potest: vrbis ruina penates omneis secum trahat necesse est.

Romana exempla Pietatis.

Brutus primus consul.
Curtius Romanus.
Genitius Cippus Prætor.
Aelius Prætor.
Publius Decius.
Filius Pub. Decij.
Scipio Affricanus superior.
Publicani Domini seruorum.
Equites & Centuriones.

Externa.

Codrus rex Atheniensium.
Thrasybulus.
Themistocles
Fratres Philenis Carthaginensis.
Aristoteles.

Baptista Fulgosius lib. 5. cap. 6.

Cùm multi propter charitatem patriæ, non opes modò, verùm vitam quoq; ipsam profuderint, eiusmodique hominum laudibus fama, nomenque efferatur: iurè credendum est, post mortales, hanc vnam habere, cui maiorem nauare operam debeant.

Lycurgus Lacedæmonius.
Ancharus Mydæ regis Lydiorum filius.
Spartius & Bulides Lacedæmonij.
Quidam Prænestinus.
C. Marius consul.
Eresteus, de hoc suprà vidimus.
Mater Cleomenis regis Spartani.
Marcus Brutus.
Cassius Cherea Tribunus.
P. Rutilius Romanus.
Flaccus Valerius.
Zeno imperator.
Farinata Vbertus eques Florentinus.

Quidam Sarracenus, qui Conradum Bonifacij montisferrati Marchionis filium occidit, vt liberaret patriam suam.

De alijs duobus, quorum vnus Eduardum Britanniæ regem, alter Iacobum Lusignanum Cypri regem confodere voluit.

Marus Bethicæ incola.
Felicianus eques Pannonius.
Symon Vignosus Genuensis.

Euripides in Phaëtonte.

ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ, id est.

Vbicunque terrarum, quæ nutrit tellus, ea patria est.

Plutarchus in libro Exilio.

Hinc rectè interrogatus Hercules: Argiuus an Thebanus: haud vnam curo iactare, Græcia omnis est mihi patria.

Idem paulò pòst.

At nos quasi formicæ, vel apes, si ex vna cauerna, aut alueari exciderimus, hospites externiq; nobis esse videmur: quod idcirco fit, quia omnia propria, & familiaria, vt certè sunt, facere ignoramus. Atqui stulticiam eius irridemus, qui Lunam Athenis meliorem, nitidioremque esse dicat, quàm quæ Corinthi, & tamẽ in idem quodam modo vitium mentis incidimus, cùm peregrinantes terram, mare, aërem, cœlum, vt diuersa, aliaque à consuetis esse contendimus. Liberi quidem & soluti à natura in lucem emittimur: ipsimet autem nos ipsos colligamus, locorumque coartamus angustijs.

Paulò pòst.

Amissæ diuitiæ breui, facileque reparari nequeunt: patria verò statim quælibet ciuitas fit illi, qui nouerit vti.

Democritus.

Ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή: ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος, id est.

Quælibet terra homini sapienti est peruia: animæ namque forti vniuersus mundus patria est.

Musonius in libro, Exilium non esse malum.

Quid autem? an non communis hominum omnium patria est mundus ipse, quemadmodum censebat Socrates? Itaque non putandum reuera te exulare à patria, si migres inde vbi natus & enutritus es, sed tantùm te quadam vrbe esse priuatum, tum aliâs tum si existimari velis bonus & æquus: talis enim regionem quidem nullam, vel colit, vel despicit, tanquàm beatitudinis causam, sed ipse in sese omnia collocat, & putat se ciuem vrbis Iouis, quæ constat ex hominibus & Dijs. Consentientia his & Euripides dicit, vbi ait, ἅπας μὲν ἀὴρ, αἰετῷ περάσιμος, ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς, id est: Omnis quidem aër aquilæ penetrabilis est, omnis verò terra viro forti patria. Quemadmodum autem, si quis patria agens, aliam tamen domum inhabitans, non eam in qua natus erat, sese maceraret, & ob eam rem lugeret, nihili

nihili homo, & ridiculus esset: pari ratione is, qui inhabitans aliam ciuitatem, quàm in qua natus est, calamitatem putat, talis meritò stultus haberi queat, & vecors. Reliqua aurea vide in Stobæo.

Fabius ad filium apud Sillium Italicum.

Iamq; hoc nec dubites longæui nate parentis
Accipe, & æterno fixum sub pectore serua:
Succensere nefas patriæ, nec fœdior ulla
Culpa, sub extremas fertur mortalibus umbras.

Horatius in oda 2. lib. 2. ad amicos.

Dulce & decorum est pro patria mori.

Ouidius lib. 1. de Ponto ad Rufinum.

Rursus amor patriæ ratione ualentior omni,
Quod tua fecerunt scripta, retexit opus.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Quum benè sint clausæ cauea Pandione natæ,
Nititur in syluas quæq; redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

Ouidius lib 1. Fastorum.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Vt lucri uacuo quicquid in orbe patet.

Patriæ fumus igni alieno luculentior.

Lucianus. Vlisses apud Homerum odissеæ i. terræ natalis fumum optat videre surgentem. Et rursus inquit.

ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων
Γίνεται, εἴπερ καί τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον
Γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων. id est.

Sanè nihil dulcius sua patria, neq; parentibus
Est, quamuis quis procul diuitem domum
Terra in aliena habitet, procul à parentibus.

Volateranus uertit libro 3. Philologiæ.

Dulcius est patria nihil atq; parentibus unquàm,
Illis præsertim qui longè à finibus errant.
Forte domus propriæ peregrina in sede uagantur.

Sabellicus lib. 8. cap. 1. De charitate erga patriam.

Plato vir summus, & veritatis amicissimus, nullam in terris maiorem esse charitatem arbitratus est, quàm quæ cum patria est vnicuique nostrum. Hæc parens, hæc nutrix omnium, hæc artibus, opibus, disciplinis instruit, dignitatibus ampliat, omnia ad suorum ciuium commodum, & ornamenta refert: amat hæc, & vult ipsa amari, tuetur suos, nec vult negligi, &, vt breuiter dicã, patria à ciuibus exigit officia, quod cuique nostrum præstat, suo iure repetit. Exempla in Dauide, Achoto, Esdra, Placidia Honorij Cæsaris sorore, Francisco Dandulo, in Aristide, Sertorio, Pompeio, & Crasco, Agesilao, Themistocle. Ibidem habes, quæ licet legere.

Erasmus lib. 5. Apophtegmatum.

Sertorius sæpe victor ad Pompeium Metellumque misit, offerens se paratum redire in vrbem, si sibi permitteretur, dixitq;, malle se Romæ ignobilissimum ciuem, quàm exulem omnium aliarum ciuitatum imperatorem nominari.

Idem lib. 4. Apophtegmatum. Gn. Pompeio.

Quum ingens rei frumentariæ Romæ esset penuria, Pompeius titulo quidem annonæ procurator, re autem vera maris terræq; dominus declaratus, in Affricam, Sardiniam, ac Siciliã nauigauit, multaque frumenti vi collecta, properabat ire Romam: Verùm cum ingenti tempestate oborta naucleri detrectarent nauigationem, ipse primus nauem ingressus, iussit anchoras tolli, clamans, vt nauigemus vrget necessitas, vt viuamus non vrget. Significans patriæ periclitantis habendã rationem potius, quàm priuatæ incolumitatis. Si quidem reipub. subleuandæ curis immori pulchrum est: at patriam in extremo discrimine nostra cessatiõe deseri, turpissimum est. Hic monemur non animalia bruta tantùm omissa libertate venire in seruitutem, verùm etiam homines indomitos fame domari. Docemur item, publicæ saluti priuatã incolumitatem postponendam esse.

Idem Erasmus libro 5. Apophtegmatum.

Paulus Aemilius ex quatuor liberis masculis, quos susceperat, duos antè dederat in adoptionem. Ex duobus autem qui remanserant in familia, alter 5. ante triumphum diebus interijt, annos natus 14. alter quinto post actum triumphum die, annos natus 12. Ob id populo luctũ ac mœrorem cum illo iungente, ipse prodiens ad multitudinem, dixit: se post tam continuos rerum successus, aliquid magni à fortuna expectasse: se verò nunc de patriæ incolumitate securum esse factum, nihilque timere periculi, posteaquam fortuna prosperè gestarum rerum inuidiam in suam domum impingente, ipse pro omnibus dependisset.

Erasmus lib. 6 Apophtegmatum.

L. Sylla cùm Præneste oppidum armis cœpisset, decreuissetque quicquid erat ciuium trucidare, hospitem suum iussit excipi: hoc beneficio pensare volens hospitij communicati gratiam, ac ille contrà liberè, nolo, inquit, patriæ meæ extinctori debere vitam, simulque turbæ ad finem ciuium sese admiscuit, & cum illis trucidatus est.

Plato

Plato in Epistola 9. ad Archytam.

Te verò narrauerunt permolestè ferre, quod à publicis ciuitatis occupationibus te liberare non valeas. Quòd igitur dulcissimum vitæ genus sit, res suas agere, præsertim si quis ita secū instituerit, vt tum omnibus ferè indubitatum est: Verùm hoc etiam tibi reputandum est, nullum nostrûm sibi soli natum esse, sed ortus nostri partem sibi patriam vindicare, partem parentes, partem amicos: multa insuper pro temporum diuersitate nobis accidere, vitam nostram occupantium. Vocante igitur te patria ipsa ad remp. gubernandam, absurdum forsan esset non parêre, præsertim cùm simul accidat, vt aditus prauis hominibus relinquatur, qui nullam officij rationem habentes, proficiscuntur ad publica.

Nō solis nobis sumꝰ nati.

Egregia sententia, ex Platone.

Ἀλλὰ κ᾽ κἀκείνῳ δεῖ σὲ ἐνθυμεῖσθαι ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι.

Sophocles in Antigonæ.

Fieri autem non potest, cuiuspiam ut pernoueris
Animum atq; mentem, siue sensum, ni prius
Imperia nactus gesserit ciuilia:
Mihi enim quisquis ciuitatem gubernans quamlibet,
Non optima consilia aggreditur,
Sed linguam metu aliquo inclusam habet,
Pessimus esse & nunc uidetur, & semper uisus est:
Et si quis maiorem ullum præ patria sua
Amicum existimat, istum ego nullius esse precij iudico:
Ego enim testor Iouem, qui semper omnia uidet,
Minimè tacuerim, incommodum uidens
Ciuibus accedere loco salutis.

Καὶ μείζον᾽ εἴ τις ἀν τι τῆς αὐτοῦ πάτρας φίλον νομίζει, τοῦτον οὐδαμοῦ λέγω.

Ex sermone septimo de fortitudine desumptum.

Peste Lacedæmonios occupante, propter necem legatorum, quos Xerxes miserat, terram & aquam petens ceu primitias prædæ, oraculū datum est: liberandos ipsos, si qui modo Lacedemoniorum regi sese occidēdos obtulissent. Tum Bules & Sperches adierunt regem, cum mortis suæ petitione: Ille verò hominum virtutem admiratus, domum reuerti iussit. Serenus scribit eos rogatos, vt cum Xerxe manerēt, respondisse: non posse se patriam relinquere, cuius charitatis & pestis auertendæ gratia tantum itineris morituri confecissent.

Egregiū exēplū pietatis erga patriam.

PAVOR.

Pauor græcè θάμβος.ου.ὁ. & θαμβός.οῦ.ὁ. attonitus, & θαμβέω paueo & stupeo dicitur. Est autem pauor metus mentem è loco mouens, secundùm Ciceronem libro Tusc.q. Ex quo est illud Ennij: Tum pauor mihi sapientiam omnem ex animo expectorarat.

Pauor immobilitat cor. Ideo differt secundùm magis & minus à timore, faciente motum eius secundum Sistolen, ex B. Tho. super Esai. 8. lc.2.co.2.

De hac materia habes infrà vbi Timor.

PAupertas siue pauperies græcè πενία.ας.ἡ. & πένης.ητος.ὁ. pauper, & πενιχρός.ȣ.ὁ. pauperculus, vilis dicitur. Pauper (vt Varro sentit) dicitur à parua pecunia, vnde paupertas seu pauperies. Horatius: Mox reficit rates Quassas indocilis pauperiem pati. Hinc paupero & depaupero, quòd est pauperem facio. Quomodo autem paupertas ab egestate differat, vide suprà in Egestas.

Paupertas confert septem bona, scilicet peccatorum recognitionem, virtutum conseruationem, cordis quietem, desiderij impletionē, spiritualium bonorum dulcedinem, meritorū exaltationem, & cælestem hæreditatem, ex B. Thoma super Esaiam 48. fin.

Paupertas est duplex, s. paupertas ex coacta necessitate, & paupertas ex propria voluntate, secundùm B. Thomā contra gentiles lib. 2. ca.134.

Dauid Psalm.9.

Quoniam nō in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Idem Psalm.36.

Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.

Prouerb.ca.14.

Etiam proximo suo pauper odiosus est, amici verò diuitum multi.

Ibidem cap. 15.

Melius est parum cum timore domini, quā thesauri magni & insatiabiles.

Ibidem cap.16.

Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.

Ibidem cap.17.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius.

Ibidem cap. 18.

Cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigidè.

Ibidem cap. 19.

Melior est pauper iustus, quàm vir mendax.

Ibidem cap.30.

Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. Tribue enim victui meo necessaria, ne forte satiatus illicear ad negandum, & dicam: Quis est dominus? Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.

Ecclesiastes cap.9.

Sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita.

Eccle-

Ecclesiastici cap.18.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarũ.

Ibidem cap.27.

Propter inopiã multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, auertit oculum suum.

Augustinus de uerbis apostoli serm.28.

Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes ditius inuenire, visus nobis est quòd locuples sit, cælum emit quibus thesaurus conferri possit, quòd paupertati videmus indultum, vt ad regnum cælorum veniret. Diues possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet vt contemptu perueniat.

Idem de Ecclesiasticis dogmatibus.

Bonum est, facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius, pro intentione sequẽdi dominum, insimul donare: absolutum, solicitudine egere cum Christo.

Idem Psalmo 76.

Omnis philosophiæ magistra nobis est inopia. Non ita laudamus Ioseph cùm frumentum distribuebat, sicut cùm carcerem habitabat.

Idem de uerbis Domini.

Hi sunt pauperes spiritu, qui quando faciunt aliquid boni, Deum laudant: quando aliquid mali, se accusant.

Ibidem.

Fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum. Via cæli est pauper, per quã venitur ad patrem. Incipe erogare, si non vis errare.

Idem super Ioannem sermone 52.

Quare Christus habuit loculos, nisi quia ecclesia ipsius loculos habitura erat? Oportebat enim, vt mediator Dei & hominum, sicut nos excitauit ad summa, ita nobis compateretur ad infima.

Hieronymus & hab.12.quæst.2.cap. gloria. §. Crates.

Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, neque putauit se posse & virtutes & diuitias simul possidere. Nos suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur, & sub prætextu eleemosynæ, pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reseruamus? Plenus venter facilè de ieiunijs disputat. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est.

Ambrosius de Cain & Abel.

Esto pauper spiritu, & eris diues qualicunq; censu. Quia non in abundantia diuitiarum vita est hominis, sed in virtute & fide. Istę te diuitiæ verum diuitem faciunt, si sis in Deum diues.

Idem Officiorum lib.2.cap.21.

Hoc malum iamdudum humanis influxit mẽtibus, vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum admiratione capiantur.

Idem super illud Psal. Increpasti superbos.

Nihil grauius, quàm vt fratres nostros pauperes superbo oculo despiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gratia iudicantes, quia sunt inopes, cùm paupertas facilius sit Deo quàm thesaurus acceptior.

Idem in Hexameron, & hab.15. quæst.1. cap. Illa. §. Cæterùm paupertatem.

Cæterũ paupertatem & ignobilitatem, ęgritudinem & mortem nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauit. Quia necessaria ista in bonis habentur maximis, quorum nobis alia ex natura, alia ex commoditate accidere videntur.

Grego. in homelia, Homo quidam erat diues.

Cùm quosdam pauperes aliqua reprehensibilia perpetrare cõspicitis, nolite despicere, quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis curat.

Idem in Pastorali.

Offerẽda est eis cõsolatio, quos caminus paupertatis excoquit: illis inferẽdus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit.

Ioannes Chrysost. in sermone 18. super epistol. ad Hebræos.

Paupertas est manuductrix quędam in viam, quę decit ad cœlum, vnctio Athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & alacritate suscipit.

Isiodorus & hab.11.q.3.ca. pauper.

Pauper, dũ non habet quod offerat in iudicio, non solũ audiri contemnitur, sed & contra veritatem opprimitur. Citò violatur auro iustitia. Nullamq; reus pertimescit culpam, quam redimere numis existimat.

Idem Soliloquiorum lib.2. ca.52.

Multi propter opes periclitârunt, multi propter diuitias in discrimen venerunt, multis exitiabiles fuêre diuitiæ, multis mortem generauêre opes.

Bernard. in serm. de omnibus sanctis.

Vis obtinere cœlum? paupertatis vtilitatem complectere, & tuũm erit. Paupertas enim virtus nõ putatur, sed paupertatis amor. Regnum denique cœlorum est pauperum. Beatus qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.

Leo Papa sermone 4. de quadragesima.

Semper diues est Christiana paupertas, nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium domino omnia possidere. Operantibus ergò quæ bona sunt, non omnino metuendum, ne eis desit facultas operandi,

randi, cum & in duobus minutis, euangelicę illius viduæ sit laudata deuotio, & pro calice aquæ frigidæ pręmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum, benignitatis mensura taxatur, & nunquã eum miserandi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa nõ deficit.

Boëtius de Consolat. philo. lib. 2. metro. 2.

Nunquam diues agit qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

Idem de Scholast. disciplina.

Nouerca est disciplinæ egestas.

Seneca epistola 4.

Magnæ diuitiæ sunt lege naturæ composità paupertas.

Idem epistola 18.

Non enim horrenda res est aqua, & poléta, aut frũstũ hordeacei panis, sed voluptas est ex his capere voluptatem, & ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas posit.

Idem epistola 2.

Non sibi fœlix pauper erit, nisi fœlices cecidisse viderit. Honesta res est læta paupertas. Illa verò nõ est paupertas, si non læta est. Qui cum paupertate benè conuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.

Ibidem epistola 16.

Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: & si ad opinionem, nunquam eris diues.

Ibidem.

Exiguũ natura desiderat, opinio immensum.

Ibidem epistola 17.

Paupertas est contenta, desiderijs instantibus satisfacere.

Ibidem.

Multis ad philosophandũ obstitêre diuitiæ, paupertas autem expedita secura est. Aut ergo pauper sis, aut pauperi similis si animo vacare vis.

Ibidem epistola 18.

Aude hospes cõtemnere opes, & te quoq; dignũ finge Deo. Nemo alius Deo dignus est quã qui opes contempsit. Quarum possessionẽ tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepidè posideas. Quod vno cõsequeris modo: si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris tibi: si illas tanquam exituras semper aspexeris.

Ibidem.

Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus, si sciuerimus, quod nõ sit graue pauperes esse. Ad paupertatẽ sua sponte descendere, præoccupare est tela fortunæ.

Idem epistola 20.

Ob hoc vnum amandum est paupertas, quod à quibus ameris ostendit.

Ibidem.

Quod diuitijs non potes scire, paupertate scies. Illa veros certosq; tenebit amicos, discedet quisquis, non te, sed tua sequebatur. O quãdo illa dies veniet, quo nemo in honorem tuũ mentiatur.

Ibidem.

Redige te ad parua, ex quibus cadere nõ possis. Inest paupertati (sine qua nihil est iucundum) securitas.

Idem epistola 25.

Panẽ & aquã natura desiderat, nemo ad hoc pauper est, intra q̃ quisquis desiderium suum claudit, cum ipso Ioue de fœlicitate contendat.

Idem de quatuor uirtutibus.

Nec paupertas sibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida, & si res tibi exiguæ sint, nõ sint tamẽ angustæ, nec tua defleas, nec aliena mireris.

Idem lib. de Moribus.

Quis est pauper? qui sibi videtur pauper, qui paupertatem timet, timendus est. Scire vti paupertate, maxima fœlicitas est.

Idem in Prouerbijs.

Nudum latro dimisit, & in obsessa via pauperi pax est.

Idem in Hercule furente tragœdia 1.

Laus uera & humili sæpe contingit uiro, non nisi potenti falsa.

O quantum bonum est obstare nulli, capere securas dapes humi iacentem, scelera non intrãt casas, tutusq; mensa capitur, angusta cibus, uenenum in auro bibitur. Expertus loquor. Nã, rebus paruis altà præstatur quies.

Ibidem.

Secura duro membra uersantur thoro.

Ibidem.

Non capit unquam magnos motus humilis tecti plebeia domus.

Idem Tragœdia 9.

Benè paupertas humili contenta tecto latet. Quatiunt altas sæpe procellæ, aut euertit fortuna domos.

Idem Tragœdia 10.

Cespes Tyrio mollior ostro. Solet impauidos ducere somnos. Aurea rumpunt tecta quietem. Vigilesq; trahit purpura noctes.

Ibidem.

Pectora pauper secura gerit, tenet è patula pocula fago, sed non trepida tenet ipsa manu, capit faciles uilesq; cibos, sed dum strictos respicit enses, Aurea miscet pocula sanguis.

Ibidem.

Quisquis medium defugit iter, stabili nunquam trãmite currit.

Aristoteles libro 1. Ethicorum.

Imposibile est indigentem operari bona.

Idem lib. 2. Politicorum.

Imposibile est indigentem benè principari & studio vacare.

Idem lib. 4. Politicorum.

Qui nimis viles sunt & egeni, nesciũt prĩcipari.

Laërtius Diogenes de uita & moribus Philosophorum.

Nihil amittit qui nihil habet, & parum eget qui parum cupit, Socrates dicebat.

Cicero Rhetoricor. nouorum lib. 4.

Egens est qui non satis habet, & is cui satis nihil potest esse.

Ibidem.

Duo sunt quę possunt ad turpe cõpendium commouere, inopia & auaritia.

Salustius in Catalinaria.

Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid deliquere pauci sciunt, fama atq; fortuna eorũ pares sunt.

Ibidem.

Qui magno imperio præditi in excelso vitã ducunt, eorum facta cuncti mortales nouêre: ita in maxima fortuna minima licentia est.

Lucius Apuleius de Magia lib. 1.

Si quęcunq; in aliqua laude miramur, cũ paupertas ab incunabilis intricata est. Paupertas autem, prisca apud secula omnium ciuitatum conditrix, omniũ artium temperatrix, omniũ peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes rationes percompta.

Idem de Asino aureo libro 1.

Quid viatori de summa pauperie latrones auferre possunt?

Ibidem.

Specimen tibi gloriosum arrogaris, si cõtentus lare paruulo patris tui virtutes æmulaueris.

Idem lib. 3.

Hi sunt em̃ beati, quorũ diuitias nemo nouit.

Isocrates ad Dæmonicum.

μᾶλλον ἀποδέχου δικαίαν πενίαν, ἢ πλοῦτον ἄδικον. i.

Ama magis iustam paupertatem, quàm diuitias iniustas.

Phocylides.

μηδέποτε χρήστης πικρὸς γένῃ ἀνδρὶ πένητι. id est.

Nunquam fœnerator sis uiro pauperi.

Hesiodus.

μηδέποτ᾽ οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ,
τέτλαθ᾽ ὀνειδίζειν, μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων. id est.

Nunquã perniciosam paupertatẽ corrũpentẽ animũ uiro
Sustineas obijcere, beatorum donum semper existentiũ.

Menander.

πενία δὲ ἀγνωμονάς γε τοὺς πολλοὺς ποιεῖ. id est.

Paupertas autem ingratos sanè multos facit.

Idem.

καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς. id est.

Honesta paupertate labora magis, quã ditescere iniustè.

Idem.

λεπτῶς καλῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ λαμπρῶς κακῶς. id est.

Tenuiter honestè uiuere præstantius q̃ splendidè iniustè.

Idem.

μισῶ πένητα πλουσίῳ δωρούμενον. id est.

Odi pauperem diuiti donantem. Idem.

πενίαν φέρειν οὐ παντὸς ἀλλ᾽ ἀνδρὸς σοφοῦ. id est.

Paupertatem ferre, non omnis, sed uiri sapientis. Idem.

πένητας ἀργοὺς οὐ τρέφει ῥαθυμία. id est.

Pauperes pigros non nutrit pigritia. Idem.

πενία δὲ ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ, id est.

Paupertas autem inhonoratum & nobilem facit.

Idem.

πενίαν φέρειν καὶ γῆρας, ἐστὶ δύσκαλον. id est.

Paupertatem ferre & senectutem, est difficile.

Idem.

οὐδὲν πενίας βαρύτερον ἐστι φόρτιον, id est.

Nullum paupertate grauius est onus. Idem.

τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί. id est.

Pauperum enim sunt sermones uani.

Euripides in Medæa.

πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος. id est.

Pauperem fugit quilibet procul amicus.

Palladas.

φεύγετε τοὺς πλουτοῦντας ἀναιδέας οἰκοτυράννους
μισοῦντας πενίην μητέρα σωφροσύνης. id est.

Fugite diuites impudentes habitantes domos tyrãnorum,
Odio habentes paupertatem matrem modestiæ.

Plautus in duobus captiuis.

Miser homo est qui ipse sibi quod edit quærit: & id ægrè inuenit. Sed ille miserior, qui & ægrè quærit, & nihil inuenit. Ille miserrimus, qui cùm etiam cupit, quod edat non habet.

Idem in Epidicho.

Multa mihi in vnum locum confluunt, quæ meum pectus pulsant simul, multiplex ærumnã exercitã habet paupertas, pauor territat mentẽ animi neq; vbi meas collocem spes habeo.

Idem in Persa.

Quamquã nobis sint res pauperculę, modicę, & modestæ, melius est ita viuere. Nam ad paupertatẽ si adnigrat fama, grauior paupertas fit.

Idem in Rudente.

Omnibus modis qui pauperes sunt homines, miserè viuunt, pręsertim quibus nec quæstus est, nec didicêre artem vllam, necessitate quicquid est boni, id satis est habendum.

Idem in Stycho.

Paupertas facit. Ridiculus forem. Nam illa omnes artes perdocet.

Idem in Trinummo.

Qui eget parui est pretij.

Terent. Comœd. ult.

Nunquam æque ac modo paupertas mihi onus uisa est.
Et miserum & graue.

Virgil. Aeneid. lib. 8.

Aude hospes contemnere opes, & te quoq; dignum
Finge Deo.

Lucanus lib. 3.

Non sibi sed domino grauis est quæ seruit egestas.

Ibidem.

-O uitæ tuta facultas.
Pauperis angustiq; laris, ô munera nondum
Intellecta Deum. idem

Idem libro 1.

Paupertas fugitur, totoq; accersitur orbe,
Quo gens quæq; perit.

Idem lib. 2.

Damna mouent populos, si quos sua iura tuentur.

Idem lib. 4. Pharsa.

-O prodiga rerum.
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu.
Et quæsitorum pelago terraq; ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.
Discite quàm paruo liceat producere uitã,
Et quantum natura petat.

Ouid. Metamor. lib. 13. fab. 7.

Pauperis est numerare pecus.

Idem Artis lib. 2.

Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper.
Multaq; diuitibus non patienda ferat.

Idem de Remedio lib. 2.

Nil habet unde suum paupertas pascat amorem,
Non tamen hoc tanti est pauper ut esse uelis.
At tanti tibi sit non indulgere theatris,
Dum bene de uacuo pectore cedat amor.

Idem lib. 3. Amorum suæ Elegia.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,
Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

Tibullus lib. 1. Elegia 1.

Parua seges satis est, satis est requiscere lecto,
Scilicet & solito membra leuare thoro.

Idem lib. 1. Elegia 10.

Tunc melius tenuere fidem, cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Martialis Epigram. lib. 5. ad Emilianum.

Semper eris pauper, si pauper es Emiliane,
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Idem Epigram. lib. 9. ad Condilum.

Quæ mala sunt domini, quæ serui commoda nescis
Condile, qui seruum te gemis esse diu.
Dat tibi securos uilis lecticula somnos
Peruigil in pluma Caius ecce iacet.
Caius à prima tremebundus luce salutat
Tot dominos, ac tu Condile nec dominum.
Quod debes Cai redde inquit Phœbus & illinc
Cinamus, hoc dicit Condile nemo tibi.
Tortorem metuis, podagra, chiragraq; secatur
Caius, & mallet uerbera mille pati.
Quod nec mane uomis nec cunnum Condile lingis
Non maius quàm ter Caius esse tuus?

Idem lib. 11. in Nestor.

Non est paupertas Nestor, habere nihil.

Ibidem ad Caridemum.

O quantum cogit egestas.

Horat. Carminum lib. 1. Ode. 12.

Regulum, & Scauros, animæq; magnæ
Prodigum Paulum superante pœno,
Gratus insigni referam camœna,
Fabriciumq;.

Idem Carm. lib. 1. Ode. 38.

Persicos odi puer apparatus,
Displicent nexæ philyra coronæ:
Mitte sectari rosa quo locorum
Sera moretur.

Idem Carm. lib. 2. Od 10.

Rectius uiues Lycini, neq; altum
Semper urgendo, neq; dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius uentis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulgura monteis.

Idem Car. lib. 2. Ode. 15.

-Non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspicijs ueterumq; norma.
Priuatis illis census erat breuis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata priuatis, opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes, & deorum
Templa, nouo decorare saxo.

Ibidem Ode 16.

Viuitur paruo benè, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leueis somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Idem Car. lib. 3. Ode. 1.

Districtus ensis, cui super impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem:
Non auium, cytharæq; cantus,
Somnum reducent. somnus agrestium
Lenis uirorum, non humiles domos
Fastidit, umbrosamq; ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neq;
Tumultuosum sollicitat mare.

PAx græcè εἰρήνη. ης. ἡ. & εἰρηνεύω pacifico & εἰρηνικὸς. οῦ. ὁ. pacificus dicitur. Est autem pax tranquillitas ordinis, maxima in voluntate secundum. B. Thom. prima secundæ q. 70. art. 3. & secunda secundæ q. 29. o.

Pax est tranquilla libertas. Diciturq; à pactione, de qua supra in Pactum. Pactio autem à pango, quòd est figo. Vnde pangi carmina dicta sunt, quod ceris figerentur. Hinc pango metaphoricôs pro cano, scribo, manifesto, vsurpatur. Hinc pagina vtraq; pars folij dicta est, quod in ea carmina pangantur, hoc est, fingantur A-

pactio fit paciscor, hoc est, conuenio, & pactum conuentio. Hinc paco, hoc est, mitigo, lenio, placo, & pacifico, quod est pacem facio. A paciscor fit etiam depeciscor compositum: & depactus, quod significat idem quod pactus. Terentius: Iam depecisci mortem cupio.

Prouerbiorum cap. 17.

Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis omni iurgio.

Ibidem cap. 20.

Honor est homini qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur cõtumelijs.

Ecclesiastici cap. 4.

Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.

Ibidem cap. 8.

Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.

Ibidem.

Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te cõstituat litem tibi. Multos enim perdidit aurum & argentum, & vsq; ad cor regum extendit & conuertit.

Ibidem.

Non litiges cũ homine linguato, & nõ strues in ignem illius ligna.

Matthæi cap. 5.

Beati mites, quoniam ipsi posside bunt terrã.

Ibidem.

Beati pacifici, quoniã ipsi filij Dei vocabunt.

Ibidem.

Omne regnum diuisum cõtra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, nõ stabit.

Idem cap. 12.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

Paulus ad Hebræos cap. 12.

Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Augustinus de diuersis ecclesiæ obseruationibus, & habetur 23. q. 1. cap. Apud.

Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella peccata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coërceantur, & boni subleuentur.

Idem lib. 2. contra Parmenianum, & habetur 23. quæst. 4. cap. Quisquis.

Quisquis vel quod potest arguendo corripit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto immunis, de quo scriptura dicit: Væ his qui dicunt, quòd nequam est bonum, & quòd bonum est nequam. Omnino liber, prorsus securus, penitus est alienus.

Idem homil. 5. & hab. 2. cap. Non omnis.

Non omnis qui dicit pax vobis, quasi colũba est audiendus: corui de morte pascuntur. Hoc columba non habet, imo de fructibus terræ viuit, innocens victus eius.

Idem de uerbis Domini cap. 1.

Cõcorda cũ aduersario tuo. Nescis quãdo via finiatur. Cùm via finita fuerit, iudex restat & minister & carcer. At si seruaueris aduersario tuo bonã voluntatẽ, & cum eo consenseris, pro iudice inuenies patrem, pro ministro sæuo, angelum tollentem in sinu Abrahæ, pro carcere paradisum.

Idem de uerbis domini cap. 158.

Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortiũ charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos cõcordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat. Quoniam qui in eadem nõ erit inuentus, à patre abdicatur, à filio exhæredatur: nihilominus à spiritu sancto alienus efficitur. Nec ad hæreditatem domini poterit venire, qui testamentum pacis noluerit obseruare.

Idem super illud Psal. 84. Iustitia & pax osculatæ sunt.

Duæ sunt amicæ, iustitia & pax, tu fortè vnã vis, & alteram non vis. Nemo enim est qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari iustitiã. Interroga omnes homines, vis pacẽ, vno ore respondebit tibi genus humanum, opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt iustitia & pax, ipsæ se osculãtur: si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te.

Idem de Ciuitate Dei, lib. 21.

Bellum in quo caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem nunquã fuisset, si natura humana in rectitudine perstitisset. Nunc autem quia pacẽ cum Deo fœlix habere noluit, secum pugnat infœlix.

Idem in sermone 2. ad Eremitas.

Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Christianus dici non debet. Qui in hac non spe rat, in lubrico vitam & pedem ponit, in tempestate nauem collocat, in præcipitio se illaqueat, in arena semen seminat.

Hieronymus super epistolam ad Rom. Laudent nomen eius in choro.

Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit: Deum quidem laudat in tympano, sed nõ laudat in choro.

Ambrosius libro de Patriarchis.

Melius est emigrare cum gratia, quàm cohabitare

bitare cum discordia. Melius est sine lite abire, quàm cum iurgio residere.

Ibidem.

Nulla spatia possunt esse satis discordib⁹. Quietis & pacificis, etiam angusta abundãt, dissonis moribus, etiam spatiosa arctantur.

Gregorius in Pastorali.

Si Dei vocãtur filij, qui pacem faciunt: procul dubio Satanæ sunt filij, qui pacem confundũt.

Ibidem.

Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis: ita nihil est desiderabilius diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminãdo iurgia, dilectionem proximorũ perimit, hosti Dei familiarius seruit.

Idem in Moralib.

Nemo vires suas in pace cognoscet: & si bella deerunt, virtutum experimenta non ei proderunt.

Isidorus Soliloquiorum lib. 2. cap. 22.

Si cõtristaueris in aliquo fratrẽ tuum, satisfac illi. Si peccaueris in eum, age pœnitentiã corã illo. Si offenderis quenquam, repropitiare eum in pace. Perge velociter ad reconciliationem ꝓximi tui. Offensioni tuæ citò veniam postula. Non requiescas nisi reconciliatus fueris fratri.

Ioannes Chrysostomus de compunctione.

Christus pacem non ex ore, sed ex corde desiderat. Et affectu vult proximum, non labijs salutari.

Bernardus super Cantica.

Pax hominibus bonæ voluntatis. Non bonę, sed planè iniquæ voluntatis est, qui nequaquã pace cõtentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam mundi, nec pacem perinde retinens, nec gloriam apprehendens.

Caßiodorus epistola 22.

Decet regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim quod principem melius prædicet, quàm quietus populus, cõcors senatus, & tota respublica morum honestate prædita.

Boëtius lib. 4. de Philosophica consolatione.

Nostíne igitur, quòd omne quod est, tamdiu manere atq; persistere, quamdiu sit vnũ, sed interire atq; dissolui pariter atq; vnũ esse desierit.

Seneca lib. de moribus.

Si pacem diligis, belli ne feceris mentionem.

Idem de Beneficijs.

Quietissimam vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura omnium tollerẽt, meum, & tuum.

Idem in Hercule furente Tragœd. 1.

Pacem reduci velle victori expedit, victo necesse est.

Cicero in Philippicis.

Nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris, pax est tranquilla libertas.

Salustius in Iugurtha.

Ego vobis regnum firmum trado, si boni eritis, sin mali imbecillum. Nã concordia paruę res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Ibidem.

In omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur.

Ibidem.

Omne bellum facilè sumitur, cæterùm ęgerrimè definitur. Non enim in eiusdem potestate initium & finis est.

Iulius Cæsar.

Magna ex dissentionibus incommoda oriri solent.

Ouidius Artis lib. 3.

Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Tibullus lib. 1. Elegia 1.

Interea pax arua colit, pax candida primùm
Duxit araturos sub iuga curua boues.
Pax aluit uites, & succos condidit uuæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens uomerq; uigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

Horatius Carm. libro 1. Ode. 13.

—Fœlices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citius soluet amor Dei.

Idem epistolarum lib. 1. Elegia 3.

—At uos,
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia uexat
Indomita ceruice feros, ubicunq; locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

Concordia est animorũ aliquibus in rebus consensus, & imperãdi vnius, & obediendi alterius, vt inquit Aristoteles, volũtas. Cuius contrarium est seditio (vel vt alij) defectio: est vnio appetitentium diuersa petentium, velut eiusdem cordis. Græcis dicta ὁμόνοια. AMANTIVS.

Baptista Mantuanus de pace.

Pax plenum uirtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti precium est, preciumq; pericli:
Sydera pace uigent, consistunt terrea pace:
Nil placidum est sine pace Deo, nec munus ad aram.

Salustius in Iugurtha.

Concordia res paruæ crescunt, discordia autem magnæ dilabuntur.

Leo Bisantius auditor Platonis sophista

nobilis Philippo Macedonum regi contra Bilantium venienti occurrens: Dic age, inquit, Phi lippe, quæ te, causa trahit oppugnatum mœnia nostra? at ille: amor, inquit, patriæ tuæ, qua vt potior veni: Leo excipiens, atqui, respondit, nô instrumento bellico sed musico amantibus est opus: Quo dicto ducem à bello Bilatitio auertit.

Amor patriæ.

Quum Demosthenes multa super bello ad Athenienses, Leo verò pauca apud Philippum verba fecisset: Posthæc cû Athenas legatus missus esset, agitatamq; videret inter eos longa cótentione seditionem, in concionem ascendens risum populo excitauit, obesus admodum ventricosusq; apparens: At ille nihilo magis perturbatus: Quid ridetis, inquit, Athenienses, quod vobis videor pinguis? Scitote mihi vxorem lógè pinguissimam esse, talesq; ac tantos, cùm sumus concordes, breuis admodum lectus capit: discordes ne tota quidem domus. Quod sanè verbum tempestiuè loco accommodatum populum paci restituit. Philostratus hęc, quę inde Volateranus se vertisse refert lib. 16. Anthropologiæ.

Leo hûc pithonê Rhetorê vocat, Erasmus lib. 6. Apopht.

Elegans dictum.

Cicero ad M. Pompeium libro 8. epistola. famili.

Quum ad te literas misissem, suspitionem nullam habebam, te Reipub. causa mare transiturum, eramq; in spe magna, fore vt in Italia possemus aut concordiam côstituere, quâ mihi nihil vtilius videbatur, aut Rempublicâ summa cùm dignitate defendere.

Nihil melius concordia.

Aristotiles in 9. Ethicorum.

Concordia ad amicitiam pertinere videtur: itaq; nô est idem, quod eadem sentêtia: quandoquidem in ijs etiam, quorû alter alteri ignotus sit, inesse potest: nec concordes aiunt eos, qui de quauis re idem sentiunt, vt eos, qui de rebus cælestibus: quippe cùm idem & vnum de ijs rebus sentire non sit proprium amicitiæ. Sed ciuitates in concordia esse tum dicuntur, cùm de commodis & vtilitatibus vnum idemq; sentiunt & decernunt, quodq; publicè placuerit, exquuntur. Ergo in gerendis rebus ijs, quæ graues ac magnæ sunt, quęque adesse possunt, vel vtrisq; vel omnibus, concordia consistit: velut ciuitates concordes sunt, cùm placet omnibus, magistratus diligendos esse, aut ineundam cum Lacedæmonijs societatem, aut Pittacum imperatorem esse, si etiam ipse velit: at verò cùm seipsum vterq;, vt fit apud Phęnissas, voluerit deligi, tum seditio nascitur: Nô enim vnum idemque intelligere duos, quale id cunque sit, vnum & idem sentire est, sed idê in eodem, vt cùm populus & optimates, & viros optimos volunt præesse Reipublicæ: Sic enim omnes quod volunt, consequuntur, ciuiumque inter ipsos amicitia, concordia videtur, vt etiam celebratur. Est enim in commodis & vtilitatibus ijs, quę omnibus, quę ad vitę vsum pertinent, qualis bonis inter bonos concordia est: ij enim ijsdem de rebus vnum idemque & ipsi secum, & cum alijs sentiunt, præsertim cû eorum stent sententiæ & voluntates; non more Euripi refluant. Recta etiam & vtilia sibi proponunt, quorum communiter cupiditate ducuntur. At verò improbi vnum atq; idem, nisi ad breue & exiguum tempus, sentire non possunt, sicuti etiam amici esse solent, cùm in emolumentis sua augendi cupiditate inflammati sint: ijs enim in rebus quæ laborem, sumptusque desyderant, ab officio deficiant. Quæ quoniam sibi quisque exoptat, proximum quemque obseruat & arcet: euertetur enim funditus respublica, si à nemine conseruetur, ex quo nascuntur seditiones, dum alteri alteris necessitatem afferunt, ipsi fungi officio nolût.

Quę ciuitates in concordia esse ferâtur.

In quib. rebus cô cordia côsistat.

Seditio vnde nascatur.

Faustus Andrelinus in distichis.

Securus placida mundus sub pace,
Tranquillum est summi pax opus alma Dei.

CONCORDIA REBVS PARVIS diues est.

Sillius Italicus libro 9. de bello Punico.

Velle ac nolle ambobus idem, satiataq; toto
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus:
Discordia demens
Intrauit cœlos, superosq; ad bella uocauit.

Discordia res maximæ dilabuntur.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has segetes? en quò discordia ciues
Perduxit miseros? en quid conseuimus agros?
Insere nunc Melibœæ pyros, pone ordine uites.

PAX BELLO POTIOR. Concordia fulciuntur opes.

Erasmus lib. 5. Apophtegma.

Scilurus Scyta octoginta liberos masculos habens, quum esset moriturus fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere, id cùm singuli recusassent, eò quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atq; ita facilè confregit omnia, filios admonês his verbis: Si concordes eritis, validi inuictiq; manebitis, contrà, si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis Scythicè rem ob oculos ponere.

Pax Bello potior.

Crœsus Lydorum rex à Cyro captus, hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis têpore filij sepelirent patres, in bello contrà, patres sepelirent libros. Erasmus libro 6. Apophthegma.

Pax domestica.

Quum Gorgias Sophista recitaret in Olympicis ludis apud Gręcos orationê de concordia, Melan-

Melanthus quidem hic, inquit, de concordia totius Græciæ disserit, qui sibi & vxori, & familiæ, tribus duntaxat, vt concorditer viuant, nondum persuasit. Eras. lib. 6. Apophteg.

Concordia. Prouerbium.

Dicitur de omnium rerum consensu, & absoluta amicitia. Huc aptè accommodari potest illud Homericum, ex Homeri odissæa.

Οὐδέποτ' ἐν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ,
Ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ. id est.

Vera cōcordia.

Haud unquàm neq; concio nos, neq; curia dictis
Audiuit pugnare, animo sed semper eodem,
Et sentire eadem, atq; eadem decernere, uidit.

Sunt verba Nestoris de se, deq; Vlysse, Eras. Roter. chilia. 3. centu. 9.

Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ.

Sententia prouerbialis est illud. 5. Hom.

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν,
Conuicti pollent etiam uehementer inertes.

Hac conueniet vti, si quando significare volumus non esse contemnendam amicitiam, aut simultatem multorum, etiamsi fuerint alioqui imbecilles, & quorum singulos quisuis facilè contemnat: nã quemadmodũ, vt ait Ouidius.

Quæ non prosunt singula, multa iuuant:
Ita quæ non lædunt singula, multa nocent.

Pacis nomen dulce est, & ipsa res salutaris.

Hæc omnia ferè inuenies superius post locũ de Beneuolentia.

Cicero in Philippicis.

Nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas:

Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest, quem discordia, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eumque ex numero hominum eijciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Itaq; siue Sylla, siue Marius, & siue quis alius ciuile bellum optauit; eum detestabilem ciuem reipub. natum iudico. Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius, si aut ciuis aut homo habendus est, qui ciuile bellum concupiscit &c.

Cicero pro lege Agraria, contra Rullum Tribunum Plebis, propè finem ferè.

Vt circumspiciamus omnia quæ populo grata sunt, atq; iucunda, nihil tam populare, quàm pacẽ, quàm concordiam, quàm ocium reperiemus.

Euripides in Cresphonte.

Εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ καλλίστα μακάρων θεῶν,
Ζῆλός μοι σέθεν, ὡς χρονίζεις,
Δέδοικα δὲ μὴ πρὶν πόνοις ὑπερβάλῃ με γῆρας,
Πρὶν γὰρ χαρίεσσαν προσιδεῖν ὥραν,
Καὶ καλλιχόρους ἀοιδὰς φιλοστεφάνους τε κώμους
Ἴθι μοι πότνια πόλιν τάνδε ἐχθρὰν στάσιν εἶργ' ἀπ' οἴκων
Τὰν μαινομέναν τ' ἔριν θηκτῷ τερπομέναν σιδήρῳ.
id est:

O pax opulenta, & beatos inter pulcherrima diuos,
Desiderium me tui habet: ô quàm tardè moraris,
Atqui metuo, ne prius laboriosa uincar senecta,
Quàm iucundum tui tempus inspexero,
Cantusq; pulchri colores, conuiuiaq; coronis gaudẽtia.
Huc ades ô ueneranda hanc ad urbem, ædibus inimicam expelle seditionem.
Insanamq; litem, ferro quæ gaudet acuto.

Aristophanes in Georgis.

εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ ζευγάριον βοϊκόν,
εἰ γὰρ ἐμοὶ παυσαμένῳ τοῦ πολέμου γένοιτο
Σκάψαντ' ἀποκλάσαι, καὶ λουσαμένῳ διελκύσαι
Τῆς τρυγός, ἄρτον λιπαρὸν καὶ ῥάφανον φέροντι. id est.

O pax prædiues, & iugum boum:
Vtinam mihi immuni à bello contingeret
Fodere incuruato, lotoq; haurire
Vinum, panem optimum & raphanum ferenti.

Bacchylides in Pæanibus.

Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν εἰρήνη μεγάλα,
Πλοῦτον, καὶ μελιγλώσσων ἀοιδᾶν ἄνθεα,
Δαιδαλέων τ' ἐπὶ βωμῶν θεοῖσι τίθενται βοῶν,
Ξανθᾷ φλογὶ μηρίδες εὐτρίχων τε μήλων
Γυμνασίων τε νέοις αὐλῶν τε καὶ κώμων μέλει. id est.

Res maximas mortalibus producit pax,
Nempe diuitias, & suauissimorum cantuum flores:
Hæc efficit, ut in pulchris Deorum aris boum mũdentur
Flammis fuluis partes & lanigerarum pecudum:
Hæc facit, ut gymnasia iuuenes & tibias conuiuiaq; curent.

Euripides in Erechtheo.

κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχναις
μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ γήραϊ συνοικοίην,
ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα πολιὸν στεφανώσας,
περὶ κίοσιν ἐγκρεμάσας θαλάμοις
Δέλτων τ' ἀναπτύσσοιμι γῆρυν ἃν σοφοὶ κλέονται.

Id est.

Sat mihi fuerit, filum contexere araneæ,
Modò cum tranquillitate cana senecta fruar,
Et cantem, sertis redimitus canum caput,
Threicium imitatus poëtam cithara
In thalami columnis suspensa,
Librorumq; sonos euoluã, quos sapientes celebrauerint.

Aristophanes.

ὦ πότνια βοτρυόδωρε τί προσείπω σ' ἔπος;
πόθεν λάβοιμ' ἂν ῥῆμα μυριάμφορον. id est.

O ueneranda pax, largitrix uuarum, quo te nomine appellabo?
Et unde uerbum satis magnificum accipiam?

Menander.

εἰρήνη γεωργὸν κἂν πέτραις τρέφει καλῶς
πόλεμος δὲ κἂν πεδίῳ κακῶς ἔφυ. id est.

Pax agricolam uel inter saxeta benè nutrit:
Bellum autem etiam in campis malum est.

Philemon in Pyrrho.

οἱ φιλόσοφοι ζητοῦσιν, ὡς ἀκήκοα
περὶ τοῦτο, τ' αὐτοῖς πολὺς ἀναλοῦται χρόνος,
τί ἐστιν ἀγαθόν, καὶ οὐδὲ εἷς εὕρηκέ πω,

τίς ἐστιν ἀρέτην καὶ φρόνησιν φασι. καὶ
πλέκουσι ταῦτα μάλλον, ἢ τί τ' ἀγαθὸν.
ἐν ἀγρῷ διατρίβων τάντε γῆν σκάπτων ἐγὼ
νῦν εὗρον εἰρήνης τίν': ὦ ζεῦ φίλτατε
τῆς ἐπαφροδίτου καὶ φιλανθρώπου θεοῦ
γάμους, ἑορτὰς, συγγενεῖς παῖδας, φίλους
πλοῦτον, ὑγείαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονὴν
αὕτη δίδωσι, ταῦτα πάντ' ἂν ἐκλίπῃ
τέθνηκε κοινῇ πᾶς ὁ τῶν ζώντων βίος. id eſt.

Inquirunt, ut audio, philoſophi,
Et multum in hoc abſumunt temporis,
Quid nam ſit bonum: nec dum ullus inuenit quid ſit:
Alius uirtutem, alius prudentiam inquit, &
Hæc etiam intricant magis, quàm quid bonum ſit.
At ruſticus ego, terramq; fodiens,
Nunc bona quæ ſint pacis, inueni. O Iuppiter chariſsime,
Amabilis illius & benigniſsimæ Diuæ
Nuptias, feſta, cognatos, liberos, amicos,
Diuitias, ſanitatem, amorem, uinum, uoluptatem
Pax confert: Quòd ſi omnia hæc defecerint,
Perijt omnis comiter uiuentium uita.

Euripides tragicus poëta.

ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεὼ,
οὐδεὶς ἔτ' αὐτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται,
τὸ δυστυχὲς δὲ τοῦτ' ἐς ἄλλον ἐκτρέπει
εἰ δ' ἦν παρ' ὄμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
οὐκ ἄν ποθ' ἑλλὰς δορυμανὴς ἀπόλλυτο,
καὶ τοι δυοῖν γὰρ πάντες ἄνθρωποι λόγοιν
τὸν κρεῖττον' ἴσμεν καὶ τὰ χρηστὰ καὶ κακὰ,
ὅσῳ τε πολέμου κρεῖττον εἰρήνη βροτοῖς,
ἣ πρῶτα μέν μούσαισι προσφιλεστάτη;
νόοισι δ' ἐχθρὰ τέρπεται δ' εὐπαιδίᾳ
χαίρει δὲ πλούτῳ, ταῦτ' ἀφέντες οἱ κακοὶ
πολέμους ἂν αἱρούμεσθα ἐπὶ τὸν ἥττονα
δουλούμεθ' ἄνδρες ἄνδρα καὶ πόλις πόλιν. id eſt.

Quum de bello ſuſcipiendo ſuffragia fert populus,
Tum nullus mortem imminere ſibi cogitat,
Sed iſtud infortunium in alium conijcit:
Quòd ſi mors ob oculos eſſet, dum feruntur ſuffragia,
Nunquam inſano belli amore capta periret gratia.
Verũ enimuerò oẽs homines duplici ſermone propoſito,
Meliorem dignoſcimus, item bona & mala:
Et quantum bello potior ſit pax hominibus,
Quæ primùm quidem Muſis eſt gratiſsima:
Aduerſa uerò luctibus eſt, ſobolisq; dexteritate gaudet,
Ac delectatur opibus: illis nos mali relictis
Bella præferimus, & inferiorem
Subijcimus uiri uirum, & ciuitas ciuitatem.

Ariſtophanes ἐν τῶν εἰρήνῃ.

ὦ μῶρε, μῶρε, ταῦτα πάντ' ἐν τῇδ' ἔνι,
οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγρῷ τοῦτον ἐν χωρίῳ
ἀπαλλαγέντος τῶν κατ' ἀγορὰν πραγμάτων
κεκτημένον ζευγάριον οἰκεῖον βοοῖν,
ἔπειτ' ἀκούειν προβάτων βληχωμένων
αἰγός τε φωνὴν εἰς λεκάνην ὠθουμένης.
ὄψων δὲ χρῆσθαι πιννιδίοις τε καὶ κίχλαις,
καὶ μὴ περιμένειν ἐξ ἀγορᾶς ἰχθύδια
τριταῖα, πολυτίμητα βεβασανισμένα
ἐπ' ἰχθυπώλου χειρὶ παρανομωτάτῃ. id eſt.

O ſtulte ſtulte, hæc omnia paci inſunt,
Vt ruri aliquis in prædio habitet,
Immunis à forenſibus negocijs,
Proprium poßidens iugum boum,
Balantes & audiat oues,
Capræq; uocem ad mulctram emulgendæ:
Obſonijs autem utatur, conchis & turdis,
Neq; expectet in foro uenales piſciculos
Triduanos magni precij, contrectatos
Piſcium uenditoris iniquißima manu.

Xenophon lib. 6. rerum Græcarum.

Atqui ad ſapientes ſpectat quandoque bellum ſoluere, etiamſi non parua interceſſerit offenſa. Nos verò cũ vnanimiter ſentiamus, quid mirum ſi pacem bello pręferamus? quamuis iuſtius fuiſſet, nos inuicem armis nunq̃ dimicâſſe.

Ex oratione Calliæ hæc decerpta ſunt.

Silius libro. 11. belli Italici.

Pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum, pax una triumphis
Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem,
Et ciues æquare potens.

Ouidius lib. 1. Faſtorum.

Frondibus attiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum deſunt hoſtes, deſit quoq; cauſa triumphi,
Tu ducibus bello gloria maior eris. Nihil r ciliu p e

Silius lib. 2. belli Italici.

Quis uerò non æqua dedit uictoria nomen?
Audite ô gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſt ferte fidem.

Silius eodem libro.

Ante Iouem Genenna decus diuumq; hominumq;,
Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt:
Iuſtitiæ conſors, tacitumq; in pectore numen.

PACIS VIOLATOR NON PO- *teſt manere impunis.*

Lucretius poëta, lib. 5. de rerum natura.

Nec facilè eſt placidam, ac pacatam degere uitam,
Qui uiolat factis communia fœdera pacis.
Etſi non fallit eum diuum genus, humanumq;,
Perpetuò tamen id fore clàm diffidere debet.

DE SPE PACIS, *Petrarcha de remed. fort. dialo. 105.*

Melius eſt ſperare pacem, quàm ſpernere: ſtulti enim eſt faſtidire res certas, ambiguas ſpes amplecti. Spes pacis multos perdidit, ſperatæq; paci ſuccedens inſperata calamitas incautos obruit, ſopitoſq;, quos expertos inueniens non læſiſſet. Pacem aſſequi in noſtra manu ſitũ eſt, & rari ſunt, qui pacem non inueniant, ſi bona fide velle cœperint: ſed hi ipſi, quibus dulce nomen pacis eſt, pax amara eſt: pacem itaq; petentes, paci obſtant.

Quatuor

Quatuor nobiſcũ habitant pacis hoſtes: auaritia, inuidia, ira, ſuperbia: illi ſi in exilium pellantur, erit pax æterna.

Spes. Spes pacis haud dubia eſt. Ratio. Inter ſpem pacis, & pacem multa incidunt: Lene verbum, geſtus facilis, compoſitam ſæpè turbauit pacem. Ipſi tractatus, pacificique ſermones ferro ſæpè franguntur: animoſque acuit bellum, atque aſperat pacis ſpes: ſic amicitiæ mentioné irritam, quaſi cotem dixeris odiorum.

Spes. Poſt belli finem pax firmabitur. Ratio. Quantò firmata eſſet vtilius ante belli principium, quot damnis ac mortibus tempeſtiua pace eſſet occurſum? ſed vos pueri contumaces, ac diſcoli, ſine verberibus non ſopitis, in pace bellum, in bello pacem quæritis, neque vnquã niſi bello afflicti, pacem vel noſcere incipitis, vel amare, eam vt perditam fletis, ſic mox redditam pari leuitate contemnitis, donec vos iterum amiſſa perdoceat bona veſtra non ſpernere, mala veſtra non cupere, deniq; nõ ineptire, non furere, quod antequam aſſequamini pudeat: ſæpiſsimè idem nobis audiendum: nec ſatis eſt audijſſe, ſæpiſsimè videndũ & experiendum: dicam propriè, vt diſcatis aliquid, ſæpiſſimè vapulandum eſt.

Spes. Bellum pax ſequetur. Ratio. Melius præceſsiſſet bello iter obſtructũ: nihil inſanius, quã ſpe remedij vltrò vulneri ſeſe offerre. Auxilium non cauſam dant fomenta vulneribus: ægro ſalutem optare natura eſt, ſano ægritudinem ſpe ſalutis, inſania.

Gaudeo. Pax futura eſt. Ratio. Solet pax vrbibus mutationẽ afferre peſtiferã: optima quidẽ ipſa, ſed peſsimis circumuoluta comitibus: iniquis legibus, fluxis moribus, occultis odijs, aperta tyrannide. Recordare quid ciuili olim bello præſagus ille dixit, nec fefellit:

Superis quid prodeſt poſcere pacem,
Cum domino pax iſta uenit.

Melior eſt autem bellicoſa libertas viris fortibus, quàm pacifica ſeruitus. Bello quolibet funeſtior pax ſuperba & negligens: Sæpe armati inter gladios tuti, mox togati in gladios inciderunt, & ſeris votis optauêre bellum. Nunquam Romana virtus abijſſet, ſi bellum Carthaginenſe manſiſſet. Pax Punica Romanæ vrbis excidium fuit.

Notatu dignum. Hæc desumpta ſunt ex dialogo de pace & inducijs.

Peccatum eſt duplex, ſcilicet

- *Actuale, quod eſt ſeptuplex, ſcilicet*
  - *Superbia de qua infrà.*
  - *Auaritia de qua ſuprà.*
  - *Luxuria de qua ſuprà.*
  - *Inuidia de qua ſuprà.*
  - *Gula de qua ſuprà.*
  - *Ira de qua ſuprà.*
  - *Accedia de qua ſuprà.*
  - *Hæc quando mortalia, quando uenialia, uide locis ſuis in ſingula arbore.*
- *Originale quod habet 9. nomina, ſcilicet*
  - *Originale.*
  - *Fomes peccati.*
  - *Concupiſcentia.*
  - *Concupiſcibilitas.*
  - *Languor.*
  - *Tyrannus.*
  - *Lex peccati.*
  - *Lex carnis.*
  - *Lex membrorum.*
  - *Et eſt duplex, ſcilicet*
    - *Perſonale in Adam.*
    - *Naturale in alijs.*

Ex B. Thomæ 3. parte quæſt. 8.

PEccatum græcè ἁμαρτία. ας. ἡ. vel ἁμαρτάς. άδος. ἡ. ἁμαρτωλός. οῦ. ὁ. ἡ. peccator & peccatrix, & ἁμαρτάνω pecco dicitur. Eſt autem peccare, voluntate auerti à Deo, ſecundum Beatũ Thomam prima parte q. 94. art. 1.

Peccator ꝓpriè eſt, qui ex habitu peccat, vel ex propoſito. ſecun. B. Tho. ſuper Pſal. 27. co. 2.

Peccatum eſt, actus deuians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ, ſecundùm B. Tho. 1. parte q. 65. art. 1. & ſecunda ſecundæ q. 102. art. 1. & prima ſecundæ quæſt. 21. art. 1.

Peccatum nihil aliud eſt, ſecundum Auguſtinum, quàm neglectis rebus æternis temporalia ſectari, ex B. Tho. prima ſecundæ. q. 71. art. 6. & ſecunda ſecundæ q. 104. art. 3.

Peccatum nihil aliud eſt, quàm vtendis frui, & fruendis vti, ſecundùm Auguſt. ex B. Tho. prim. ſecundæ q. 71. art. 6.

Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, ſecundùm Auguſt. ex B. Tho. prima ſecundæ q. 71. art. 6. & quæſt. 76. art. 2.

Peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum, ſecundùm Amb. ex B. Tho. prima ſecundæ quæſt. 109. art. 4.

Peccatum eſt, omne quod eſt contra naturalem inclinationem, quia contrariatur legi naturæ, ex B. Tho. ſec. ſecun. q. 133. art. 1.

Peccatũ eſt voluntas retinendi, vel cõſequendi, quod iuſtitia vetat, ſecundùm Auguſtinum de dua-

de duabus animabus, ex B. Tho. prima secundæ q.74. art.6.

Peccatum est auersio ab incómutabili bono, & conuersio indebita ad commutabile bonum, secun. August. lib. de libero arbi.

Peccatum est affectio mala voluntaria, secundum eundem.

Ibidem.

Peccatum originale est habitus. s. languor naturæ. i. inordinata dispositio, ex dissolutione harmoniæ originalis iustitiæ, secun. B. Tho. 2. secun. q.8. art.1.

Peccatum veniale est quasi dispositio ad mortale, & cótingit semper, vel ꝑpter imperfectionem actus, vel propter inordinationem circa ea quæ sunt ad finem, & vtrunq; propter defectum ordinis contingit, ex B. Tho. prima secundæ quæst.88. art.1. & 2.

Peccare propriè est adulterium cómittere, dictum quasi pellicare, hoc est cum pellice coire, & peccatus ipsum adulterium, quasi pellicatus. Veteres enim non peccatum neutro genere, & secunda declinatione, sed peccatus masculino genere, & quarta declinatióe ꝑferebant. Quod vsq; ad Ciceronis ætatem durauit. Postea vsus obtinuit, vt peccatum neutro tantùm genere proferatur, & tam peccatú quàm pecco de omnibus delictis atq; erroribus dicantur. A pecco fit peccator, & peccatrix.

Peccatum & crimen differunt sicut genus & species. Nam omne crimen est peccatum, nó autem econuerso. Est enim crimen graue peccatú accusatione & damnatione dignissimum, secundum Augustinum super Ioannem, & habetur dist.81. cap. Apostolus.

Genesis cap.4.

Nonne si benè egeris recipies. Sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.

Ibidem.

Dixit Deus ad Cain: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Vagus & profugus eris super terram omnibus diebus vitæ tuæ. Dixit Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra.

Genesis cap 8.

Sensus enĩ & cogitatio humani cordis in malum prona sunt, ab adolescentia sua.

Nume. cap.5.

Cur inquit Moyses, transgredimini verbum domini, quod vobis non cedit in prosperum.

Ibidem cap.15.

Anima verò quæ per superbiam aliquid commiserit, siue sit ille ciuis, siue peregrinus, quoniam aduersus dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbũ enim domini contẽpsit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur & portabit iniquitatem suam.

Esdræ cap.8.

Et quæ contingunt nobis, omnia fiunt ꝑpter opera nostra maligna, & magna peccata nostra.

Ibidem 3. cap.1.

Quoniam me dereliquistis, & ego vos derelinquam: petẽtibus vobis à me misericordiam, non miserebor: quando inuocabitis me, ego nó exaudiam vos. Maculastis enim manus vestras sanguine, & pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia. Non quasi me dereliquistis, sed vosipsos, dicit dominus.

Ibidem cap.8.

In veritate enim nemo de genitis est, qui nó impiè gessit, & de confitentibus qui non deliquit: In hoc enim annuntiabitur iustitia tua, & bonitas tua domine, cũ misertus fueris eis qui non habent substantiam bonorum operum.

Ibidem cap.10.

Ecce pene omnes in perditionem ambulant, & exterminium fit multitudo eorum.

Ibidem cap.15.

Væ eis qui peccant, & non obseruant mandata mea dicit dominus.

Tobias cap.12.

Qui autem faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ.

Iudith cap.5.

Vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona.

Iob. cap.4.

Recordare, obsecro te, quis vnquam innocẽs perijt, aut quãdo recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminãt dolores, & metunt eos, flante Deo perijsse, & spiritu iræ eius esse consumptos.

Ibidem.

Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, nó sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitaté. Quanto magis hi qui habitãt domos luteas, qui terrenum habent fundamentũ, consumentur velut à tinea, de mane vsque ad vesperam succidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui auté reliqui fuerint, auferẽtur ex eis, morientur, & nó in sapientia.

Iob cap.11.

Oculi autem impiorum deficient, & effugiẽ peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ.

Iob cap.18.

Nonne lux impij extinguetur, nec splendebit flãma ignis eius, lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna quę super eũ est, extinguetur.

gueturːartabuntur gressus virtutis eius, & precipitabit eum consilium suum?

Iob cap. 20.

Hoc scio à principio, ex quo est positus homo super terram, quòd laus impiorũ breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsq; ad cœlũ superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquiliniũ in fine perdetur, & qui eum viderãt, dicent: vbi est? velut somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna.

Iob cap. 36.

Caue ne declines ad iniquitatem.

Dauid Psal. 9.

Increpâsti gentes, & perijt impius, nomen eorum delésti in æternum & in seculum seculi.

Ibidem.

Cognoscetur dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Conuertantur peccatores in infernũ, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.

Idem Psal. 9.

Dominus interrogat iustum & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorũ. Quoniam iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Idem Psalm. 13.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.

Ibidem.

Omnes declinauerũt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnũ. Sepulchrũ patens est guttur eorũ, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Psal. 30.

Erubescant impij & deducantur in infernũ, muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitaté in superbia & in abusióe.

Psal. 21.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Ibidem.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus: In chamo & freno maxillas eorũ constringe, qui non approximant ad te.

Ibidem.

Multa flagella peccatoris.

Psal. 36.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquã fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.

Psal. 51.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolũ. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitaté magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Psal. 54.

Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Psal. 91.

Veruntamẽ vani filij hominũ, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite cõcupiscere Diuitię si affluãt, nolite cor apponere.

Psal. 68.

Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Idem Psal. 74.

Dixi iniquis, nolite iniquè agere: & delinquẽtibus nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altũ cornu vestrũ, nolite loq. aduersus Deũ iniquitaté. Quia neq; ab oriéte, neq; ab occidéte, neq; à desertis mõtibus, quoniam Deus iudex est.

Psal. 74.

Et omnia cornua peccatorum confringam.

Idem Psal. 93.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos dominus Deus noster.

Psal. 103.

Deficient peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint.

Idem Psal. 128.

Dominus iustus concidet ceruices peccatorũ.

Prouerb. cap. 1.

Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Prouerbiorum cap. 4.

Ne delecteris in semitis impiorũ, nec tibi placeat malorũ via, fuge ab ea, nec transeas per illã, declina & deseras eã. Non enim dormiunt, nisi cùm malefecerint, & nõ capitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.

Ibidem.

Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.

Prouerbiorum cap. 5.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur,

tur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

Prouerbiorum cap.10.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; qui autẽ deprauat vias suas, manifestus erit.

Ibidem.

Quod timet impius, veniet super eum, desiderium suũ iustis dabitur, quasi tempestas transiens non erit impius. Iustus autem quasi fundamentum sempiternum.

Ibidem.

Timor domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur, expectatio iustorũ lętitia; spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via domini, & pauor his qui operantur malum. Iustus in æternum non cõmouebitur, impij autem non habitabunt super terram. Os iusti parturiet sapientiam, lingua prauorum peribit, labia iusti considerant placita; & os impiorum peruersa.

Prouerbiorum cap.11.

Si iustus in terra recipit, quãto magis impius & peccator.

Prouerbiorum cap.13.

Impietas autem peccatorum supplantat.

Prouerbiorum ca.14.

Domus impiorum delebitur.

Prouerbiorum cap.15.

Victimæ impiorum abominabiles domino; vota iustorum placabilia.

Ibidem.

Abominatio est domino via impij, qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.

Prouerbiorum ca.18.

Impius cùm in profundum venerit peccatorum contemnit, sed sequitur eum ignominia & opprobrium.

Idem cap.20.

Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.

Prouerbiorum cap.28.

Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absq; terroribus.

Ibidem.

Viri mali non cogitant iudicium, qui autem inquirunt dominum animaduertunt omnia.

Ecclesiastici cap.5.

Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste. Altissimus enim est patiens redditor, de propiciato noli esse sine metu. Neque adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas miseratio domini magna est. Multitudinis peccatorũ miserebitur, misericordia enim & ira ab illo citò proximat, & in peccatores respicit ira illius, non tardes cõuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

Ecclesiastici cap.12.

Altissimus peccatores odio habet; & impijs reddet vindictam.

Ecclesiastici cap.21.

Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphea bis acuta, omnis iniquitas, plagę illius non est sanitas.

Ecclesiastici cap.41.

Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Dñi altissimi: & si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.

Esaiæ cap.57.

Non est pax impijs dicit dominus Deus.

Ezechiel. cap.18.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Sophonias cap.1.

Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos, in die iræ domini.

Machabæorum 1. cap.2.

A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur. Quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perijt.

Matthæus cap.10.

Nihil enim est opertum quod nõ reueletur, & occultum quod non sciatur.

Marcus cap.2.

Quis potest dimittere peccata nisi solus De⁹.

Lucas cap.8.

Non est enim occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur, & in palam veniat.

Ioannis cap.8.

Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

Ioannis ca 9.

Scimus autem quia peccatores Deus non audit. Sed si quis Dei cultor est, & voluntatẽ eius facit, hunc exaudit.

Paulus ad Romanos 3.

Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Ibidem.

Oẽs enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

Idem cap.7.

Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

Paulus cap.8.

Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum spiritum, quæ

que sunt spiritus sentiunt. Nã prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo.

Ibidem.

Ergo fratres debitores sumus nõ carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Paulus 1. ad Corinth. cap. 6.

An nescitis, quia iniqui regnũ Dei non possidebunt? Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neque ebriosi, neque maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.

Paulus ad Galat. cap. 5.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis.

Ibidem.

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contẽtiones, ęmulationes, irę, rixę, dissensiões, sectę, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non cõsequentur.

Idem cap. 6.

Nolite errare, Deus non irridetur. Quę enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

Paulus ad Hebræos cap. 10.

Voluntariè enim peccãtibus nobis post inceptam notitiã veritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.

Iacobus cap. 2.

Quicunq; autẽ totam legẽ seruauerit, offendat autẽ in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: non mœchaberis, dixit &, non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autẽ, factus es trangressor legis.

Petrus 1. cap. 3.

Declinet autẽ à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: quia oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Vultus autem domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

Ioannes 1. cap. 1.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Ibidem cap. 3.

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: Et peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit, vt peccata tolleret: & peccatum in eo non est: Omnis qui in eo manet, non peccat, & omnis qui peccat, non videt eum, nec cognouit eum.

Ibidem.

Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.

Augustinus lib. de adulterinis coniugijs, & hab. 32. q. 7. cap. Quemadmodum.

Quemadmodũ nõ rectè dici potest, si nescit homo, non peccat. Sunt enim peccata ignorantium, quamuis minora quàm scientium.

Augustinus de Verà religione, & hab. 15. q. 1. ca. Quod autem. §. Vsq; adeò.

Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium.

Augustinus contra Faustum, lib. 2. & hab. 15. quæst. 1. cap. Inebriauerunt.

Inebriauerunt Loth filię eius, & se nescienti miscuerunt. Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantùm ebrietas illa meretur.

Augustinus lib. de Mendacio, & hab. 22. quæst. 2. cap. Faciat.

Faciat homo etiam pro temporali salute hominum quod potest, cùm autem ad hoc ventum fuerit, vt tali saluti nisi peccando consulere non possit, iam se existimet non habere quod faciat, quoniam ad reliquum esse prospexerit, quod rectè faciet.

Augustinus lib. de sermone Domini in monte, & hab. de pœ. dist. 2. cap. Sicut tribus.

Sicut tribus gradibus ad peccatum peruenitur. Sugestione, consensione & delectatione, ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde & in facto, & in consuetudine, tanquã tres mortes. Vna quasi in domo, id est, cùm in corde cõsentitur libidini: altera verò quasi iam prolata extra portã, cùm in factũ procedit assensio: tertia cũ in cõsuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus quasi in sepulchro iam putrens: quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis legit Euangelium, agnoscit.

Augustinus lib. quæst. Deut. & hab. de pœn. di. 4. Peccatum.

Peccatum quod ex Adam contrahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in æternum eis qui fuerunt per gratiam regenerati. Si in ea vsque in finem permanserint.

Augustinus libro de baptismo paruulorum.

Si quæratur à me, vtrum homo sine peccato poterit esse in hac vita, confiteor posse per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium.

Idem super Ioann.

Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant.

Augustinus de uera religione.

Nullum peccatum committi potest, nisi cũ appetuntur ea, quæ Christus contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit.

Augustinus de baptismo paruulorum.

Nemo renascitur in Christi corpore: nisi prius nascatur in peccati corruptione.

Augustinus de eccle. dogma.

Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, si cum affectu teneat sanctitatem.

August. lib. de fide ad Petrum.

Si fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum.

August. lib. 3. de libero arbitrio.

Quis peccat in eo quod nullo modo caueri potest.

Ibidem.

Ex quo incipit homo pręcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat antequam sit sapiens, si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum, aut cùm accepit non obseruet. Sapiens autem peccat, si se auertit à sapientia.

Augustinus lib. 12. de Trinitate.

Sane cùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis, nõ quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volens libenter, quę statim vt attigerunt animum respui debuerunt, non negãdum est esse peccatum, sed longe minus quàm si in opere statuatur implendum, & ideo de talibus quoq; cogitationibus venia petenda est, pectusq; percutiendum atq; dicendũ, Dimitte nobis debita nostra. Faciendum quoque quod sequitur, atq; in oratione iungendum, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Idem lib. de decem cordis.

In ipsis alimentis quæcunque concessa sunt, si fortè excedit modum & accipit amplius quã est necesse, peccat: quotidiana sunt ista quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non sunt leuia, qa plura. Quia verò quotidiana & plurima sunt, timenda est ruina multitudinis. Talia peccata dicimus fratres, quotidianis eleemosynis per se mundari.

Augustinus super Psal. 5.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dicit non sit; sed nõ regnet. Inest peccatum cùm delectaris, regnat cùm consenseris.

August. in sermone dominicæ 4. de aduentu.

Nolite contemnere venialia, quia minima sunt, sed timete quia plura: plerunq; enim bestiæ minutæ multæ necant. Nunquid minutissima sunt grana arenæ, sed si amplius in naui mittatur, mergit illam vt pereat. Quã minutæ guttæ pluuiæ, nónne flumina implent & domos deijciunt.

Augustinus super Psal. 54.

Omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur: aut ideò viuit, vt per eum iustus exerceatur.

Idem de Ciuitate Dei, lib. 14.

Viuebat homo in paradiso sine vlla egestate, cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignũ vitæ ne illum senecta dissolueret, nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus, non lascitudo fatigebat otiosum, nó somnus premebat inuitum.

Augustinus Confess. lib. 8.

Ex voluntate peruersa est libido, & dũ seruitur libidini facta est consuetudo. Consuetudo autem cui non resistitur, facta est necessitas, à quibus quasi ansulis sibimet cõnexis instar catenæ tenebat me dura seruitus.

Augustinus lib. 3. de Ciuitate Dei.

Remotis obstaculis insanæ opinionis scelera nuda iudicentur, nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia tegmina & vanæ laudis gloriæ auferantur, & apparebũt miserię peccatorum.

Augustinus lib. 7. Confessionum.

Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur etiam inuitus animus eò merito, quò in eam nolens illabitur.

Augustinus in Enchiridio.

Peccata quanuis magna & horrenda, cùm in consuetudiné venerint aut parua esse, aut nulla creduntur, vsq; adeò, vt nõ solùm occultãda, verumetiã prædicãda diffamandaq; videantur.

Augustinus super Matth. homel. 45.

Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua præmitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Dictum est aût quatriduanus est, re vera ad istam consuetudinem, de quo loquor, quodam progressu peruenit anima. Prima est quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo.

August. in sermo. 4. dominicæ, de aduentu.

Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus fortè consuetudiné iam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum sit: ob duritiam doloré perdit,

dit,& valdè putre est nec dolet. Quod non dolet, nō pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis: quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum, nec non de corpore præcidendum.

Augustinus lib. de Natura & gratia.

Excepta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullā prorsus habere volo quęstionem, inde enim scimus, quòd ei plus collatum fuit gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatū, quia concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si oēs sanctos & sanctas cùm hic viuerent congregare possem, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsum putamus, nisi quod Ioannes? Si dixerimus quia peccatum, &c.

Augustinus lib. 3. de Libero arbitrio.

Illa est pœna iustissima peccati, vt amittat vnusquisq; illud quo benè vti noluit, cùm sine vlla difficultate posset si vellet, id est, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectū sit, & qui rectum facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit.

Hieronymus lib. 1. super Amos, cap. 1.

Primū peccatū est, cogitasse quæ mala sunt. Secundum cogitationibus acquieuisse peruersis. Tertium quod mente decreueris, opere cōplesse. Quartum, post peccatum non facere pœnitentiam, & in suo complacere sibi delicto.

Hieron. super Psal. 80. Non erit in te Deus &c.

Cui Deus venter est, ei Deus recēs est. Quotcunq; vitia habemus, & quotcunq; peccata, tot recētes habemus deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est: Vnusquisq; enim quod cupit & veneratur, hoc illi Deus est.

Hieronymus in epist. ad Demetriaden.

Quicquid pudet dicere, pudet cogitare. Et tutissimum atq; perfectum, vt assuescat animus solicita semper & peruigili custodia discernere cogitationes suas, & ad primum animi motum, vel probare, vel reprobare quod cogitat, vel bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat. Hinc nanq; fons est boni, & origo peccandi. Ibi maximè oportet obseruare peccatū, vbi nasci solet, statimq; ad primam tentationis faciem & malum antequàm crescat restringere, dum adhuc est in cogitatione.

Hieronymus super Sophoniam.

Si quis fortitudinem latronis vel piratę eneruat, & infirmos reddit, prodest illis sua infirmitas. Debilitata enim membra, quibus prius nō benè vtebantur, à malo opere cessabunt.

Idem super Iosue.

Peccatori omnis creatura hostis est. Nihil est autem quod iustus timeat, omnis creatura ei famulatur. Vnde per Prophetā promittit ei Deus, dicens: Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi. Omnis igitur locus suscipit iustum. Omnis creatura exhibet debitum famulatum.

Ambrosius super Marcum, & hab. 24. q. 1. ca. Non turbatur.

Non turbatur nauis, quæ Petrum habet: turbatur illa quæ Iudam habet: etsi multa illic discipulorum merita nauigabant, tamē adhuc eā proditoris perfidia agitabat: In vtraq; Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem, ne per vnum fluctuemus plurimi.

Ambrosius lib. de Spiritu sancto.

Peccare in spiritum sanctū, est per malitiā, & inuidiam, fraternam impugnare charitatem.

Ambrosius super illud, Beati immaculati.

Qui se accusat, & si peccator sit, iustus esse incipit; q̄a nec sibi parcit, & Dei iustitias confitet̄.

Ambrosius super Lucam.

Nō virtus est, nō posse peccare, sed nolle: atq; ita tenere perseuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imitetur naturam.

Ambrosius de Iacob lib. 2.

Prauæ conscientię seruit, quicunq; vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deijcitur: seruilis est enim omnis passio. Quia q̄ facit peccatū, seruus est peccati: & peius q̄ est, multorū seruus est, qui subiectus multis vitijs, ita vt seruitio ei exire vix liceat.

Gregor. & hab. de pœnit. dist. 2. c. Sciendum.

Sciendum quippe est, quòd tribus modis admittitur peccatum, nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetrato: & grauius quidē infirmitate quàm ignorātia, sed multò grauius studio, quàm infirmitate peccatur.

Gregorius & hab. 50. dist. Quia sanctitas, §. Quid enim grauius.

Quid enim grauius est, aut carnale delictum committere, sine quo pauci inueniuntur, aut Dei filium iureiurando negare, in quo verbo hunc ipsum B. Petrum apostolorū principem, ad cuius sacrū corpus indigni sedemus, lapsum esse cognouimus? sed post negationē pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data est, quia ab apostolatu eum nō expulit, qui antè quidem ipsum negare prædixit.

Gregor. & hab. de pœ. dist. 1. c. Voluissent.

Voluissent iniqui si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, quia nunquā desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquàm careant supplicio, qui in hac vita nunquàm voluerunt carere peccato.

Gregorius lib. 4. Moralium.

Quatuor modis peccatũ perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde nanq; suggestione, delectatione, cõsensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum consummatur in opere, prius nãq; latens culpa agitur, postmodum & ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, deinde & in consuetudinem ducitur. Ad extremum quoq; vel falsæ fidei seductionib', vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.

Gregorius lib. 25. Moralium.

Peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodò, sed peccatum & pœna peccati: quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccatoris obnubilat, vt præcedẽtis peccati merito etiam in alijs cadat, vt qui malum sciens perpetrat, deinceps iustè in alijs etiam nolens cadat.

Gregorius lib. 18. Moralium.

Quędam autem peccata sunt, quæ à iustis vitari possunt, & sunt nonnulla quæ ab eis vitari non possunt. Cuius enim cor, in hac corruptibili carne subsistens, in sinistra cogitatione nõ labitur, etiam si vsq; ad consensus foueam non mergatur, & tamen hoc ipsum graue cogitare peccatum est. Sed dum cogitationi resistitur, à confusione animus liberatur. Mens igitur iustorum, etsi libera est à peruerso opere, aliquãdo tamen corruit in peruersa cogitatione.

Gregor. super Ezech. homel. 2.

Sicut ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ inuoluit. Quia & spiritus sanctus cor quod replet, eleuat, & ardor malitiæ, ad inferiora semper incuruat.

Idem lib. 14. Moralium.

Cùm reproborum mentibus occasio perpetrandi peccati deest, desideriorũ cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt: & cùm nõ semper diabolum sequuntur in opere, valdè tamen se illi obligant in cogitatione.

Gregorius lib. 22. Moralium.

Vsitatum generis humani vitium est, libendo peccatum committere: & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo excusare.

Ibidem.

Peccatum peccato addit, qui culpæ quam fecit, patrocinia defensionis adiungit.

Ioannes Chrysost. & hab. in decretis, dist. 40. cap. Homo Christianus.

Homo Christianus fortiter cadit in peccatũ, propter duas causas: aut propter magnitudinẽ peccati, aut propter altitudinem dignitatis.

Ioannes Chrysost. super illud Matthæi, Et per aliam viam reuersi sunt, &c.

Venisti per viam fornicationis, ambula per viam castitatis: venisti per viam auaritiæ, ambula per viam eleemosynæ. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis.

Ioannes Chrysostomus in sermone 1. Dominicæ aduentus.

Ante peccatum, liberũ arbitrium habemus benè operandi, nõ autem posteà: quia non nostra virtute post peccatum euadere possumus de manu diaboli, sed sicut nauis fracto gubernaculo, illuc ducitur vbi tempestas voluerit: sic à diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquã facere licebit, nisi quod ipse diabolus voluerit. Et nisi Deus valida manu misericordiæ suæ nos soluerit, vsq; ad mortem in vinculis peccatorum nostrorum permanebimus.

Isidorus de summo bono, lib. 2. cap. 26.

Omnia fugere homo potest præter cor suũ. Non enim potest à se quisquàm recedere. Vbicunq; erit, conscientia reatus sui illum non derelinquit, quamuis humana iudicia subterfugiat. Qui malè agit, iudicium tamen conscientiæ suæ effugere non potest. Nam etsi alijs celat quod egit, sibi tamen celare non potest, quia nouit quid desit. Duplex aũt in eo fit iudicium, quia & hic cõscientiæ suæ reatu punitur, & illic perpetua pœna damnatur.

Isidorus de summo bono, lib. 3. cap 98.

Reges à regendo dicti sunt. Ideò quilibet rectè faciendo regis nomẽ tenet, sed peccando amittit. Nam & viri sancti in sacris eloquijs reges vocantur, eo quod rectè agant, & sensus bene regant, & motus resistentes sibi rationali discretione componant.

Isidorus de summo bono, lib. 2. cap 26.

Diuisio & pugna, vt fit in animo hominis, pœna peccati est, ex primo homine in omnes filios propagata, vt qui noluit cũ Deo esse vnitus, esset in semetipso diuisus: & qui imperanti domino noluit esse subiectus, sibijpsi rebellis atque contrarius esset.

Isidorus de summo bono, lib. 2. cap. 9.

Sæpè occasio peccandi voluntatem facit.

Idem lib. 2.

Maioris est culpæ manifestè, quàm occultè peccare. Dupliciter enim reus est, qui apertè delinquit, quia agit, & docet.

Bernardus in sermone de apostolis.

Non viuit homo qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus: quoniam non est hoc viuere, sed vitam consumere, & appropinquare vsque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere. Dicitur vulgò, quod qui benè se pascit, benè viuit, sed mẽtita est iniquitas sibi quia non benè viuit: nisi qui benè facit.

Cassio-

Caßiodorus super illud Psal. 5. Expelle eos quoniam irritauerunt.

Hoc dicimus, quod tantum vnusquisq; à diuinitate repellitur: quantum eius peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudij: quia tantum à Deo reus lógior redditur, quantum numeroso crimine dilatatur.

Boëtius de philoso. consolat. libro 2. prosa 6.

Nec potestas sui compotem facit, quem vitiosæ libidines, insolubilibus astrictum retinét catenis. Et collata improbis dignitas, non modò non efficit dignos, sed prodit potiùs & ostentat indignos.

Boëtius lib. 4. prosa 5.

Hoc igitur modo quicquid à bono deficit, esse desistit, quò fit, vt mali desinant esse, quod fuerant, sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat, quare versi in malitiam, humanam quoq; amisêre naturã; sed cùm vltrà hominẽ quemq; prouehere, sola probitas possit; necesse est, vt quos humana cõditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum videas, hominem æstimare non possis. Auaritia feruet, alienarum opum violentus ereptor, similẽ lupi dixeris. Ferox atq; inquietus, linguam litigijs exercet, cani comparabis. Insidiator occultus, surripuisse fraudibus gaudet, vulpeculus exequetur. Irę intemperans fremit, leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax, non metuenda formidat, ceruis similis habetur. Segnis ac stupidus, torpet, asinum viuit. Leuis atque inconstans, studia permutat, nihil ab auibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus fertur, sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cùm in diuinam cõditionem transire non posit, vertatur in beluam.

Idem lib. 4. prosa 4.

Nec iniuria dici video, vitiosos, tametsi humani corporis speciem seruent, in beluas tamen, animorum qualitate mutari.

Idem ibidem.

Etenim, quod incredibile cuiquam fortè videatur, infœliciores esse necesse est malos, cùm cupita perfecerint: quàm si ea quæ cupiunt, implere non possunt. Nam si miserum est voluisse mala, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus.

Ibidem.

Neque enim est aliquid, in tam breuibus vitæ metis ita serum, quod exspectare longũ, immortalis prçsertim animus putet. Quorũ magna spes, & excelsa facinorum machina, repentino, atq; insperato sæpe fine, destruitur. Quod quidẽ illis miseriæ modum statuit. Nam si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam, quos infœlicissimos esse iudicarem, si non eorum malitiam, saltem mors extrema finiret. Etenim si de prauitatis infortunio vera conclusimus, infinitam, dico, liquet esse miseriam, quam esse constat æternam.

Idem lib. 4. prosa 4.

Fœliciores inquit esse improbos, supplicia luentes, quã si eos nulla iustitię pœna coerceat.

Ibidem.

Multò igitur infœliciores improbi sunt, iniusta impunitate damnati, quàm iusta vltione puniti.

Ibidem.

Nequeunt enim oculos tenebris assuetos, ad lucem perspicuæ veritatis, attollere. Similesq; auibus sunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat. Dum enim non rerum ordinem, sed suos intuentur affectus, vel licentiam, vel impunitatem scelerum, putant esse fœlicem. Vide enim quid æterna lex sanciat. Melioribus animum si conformaueris, nihil opus est iudice, præmium deferente, vt teipse excellentioribus addidisti.

Idem lib. 4. prosa 4.

At vulgus ista non respicit. Quid igitur hísne antecedamus, quos beluis similes esse monstrauimus?

Lactan. Firm. lib. 1. diui. institu.

Qui enim virtutis est expers, qui cupiditatẽ ac libidinibus malis vincitur, nõ cupidini, sed morti subiectus sempiternæ est.

Ibidem.

Qui peccant sæpe fœlices sunt, & qui piè viuunt, sæpe miseri: quia & fugitiui, & abdicati liberè viuunt.

Seneca ad Lucilium epistola 11.

Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistet.

Seneca epistola 28.

Initium salutis est notitia peccati.

Seneca epistola 58.

Tunc autem consummata infœlicitas, vbi nõ solùm turpia delectant, sed & placent.

Seneca ad Lucilium epistola 96.

Erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci: superuenerunt, ingesta sunt.

Seneca libro de moribus.

Nullum conscium pęccatorum tuorum, magis timueris, quàm temetipsum. Alium enim potes effugere, te autem nunquam. Nequitia autem ipsa est sui pœna.

Seneca in Tantalo Trag. 2.

Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.

Seneca Tragœdia 8.

Periêre mores, ius, decus, pietas, fides.

Aristoteles libro 1. Physicorum.

Vno inconuenienti dato, multa contingunt.

Idem libro 1. de cœlo & mundo.

Paruus error in principio, maximus est in fine.

Idem lib. 1. Ethicorum.

Non omninò felix est, qui sæpissimè turpissimus est.

Idem lib. 2. Ethicorum.

Malum est facilè, & bonum difficilè.

Idem lib. 3. Ethicorum.

Ignorantia excusat peccatum.

Ibidem.

In naturalibus desiderijs, pauci non peccant.

Idem lib. 4. Ethicorum.

Paruus, honore non est dignus.

Idem lib. 5. Ethicorum.

Pessimus est, qui non solùm vtitur malitia ad se, sed ad alium.

Idem lib. 7. Ethicorum.

Homo prauus, deterior est bestia.

Cicero lib. 4. Tuscul. Quæst.

Libidinosum igitur, & cupidum, & iracundum, & anxium, & timidum censeamus esse sapientem.

Idem lib. 5. Tuscul. quæst.

Potes igitur, aut qui male viuat, non eum dicere miserum, aut quem benè fateare, eum negare benè viuere.

Idem lib. 2. Rhetor. nouorum.

Nulla est lex, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit. Omnia supplicia, quæ à legibus proficiscuntur, culpæ aut malitiæ vlciscendæ constitutæ sunt.

Idem lib. Paradoxorum.

Peccare certè licet nemini.

Idem Rhetor. nouorum, lib. 2.

Voluntario facinori nulla est excusatio: imprudentiæ, est iusta deprecatio parata.

Homerus in υ Odysseæ.

ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους
ἀνθρώπους ἐφορᾶ, καὶ τίνυται, ὅστις ἁμάρτῃ. id est.

Iupiter illos puniet, supplicum exauditor, qui & alios
Homines inspicit, & punit quicunq; peccat.

Idem in φ Odysseæ.

ἐπειὴ πολὺ φέρτερόν ἐστιν
τεθνάμεν, ἢ ζώοντας ἁμαρτεῖν, id est.

Multò melius est
Mori, quàm uiuentes peccare. Menander.

αἰσχρὸν δὲ μηδὲν πράττε, μηδὲ μάνθανε. id est.

Turpe autem nihil fac neq; disce. Idem.

δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ. id est.

Bis peccare hoc non est uiri sapientis. Idem.

ἔργων πονηρῶν χεῖρ᾽ ἐλευθέραν ἔχε. id est.

Ab operibus malis manum liberam contine. Idem.

ὁ μηδὲν εἰδὼς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει. id est.

Nihil sciens, nihil peccat. Idem

ἃ μὴ προσήκει, μήτ᾽ ἄκουε, μήτ᾽ ὅρα. id est.

Quæ non decent, neq; audi, neq; inspice.

ἢ μὴ ποίει τὸ κρύπτον, ἢ μόνος ποίει. id est.

Vel non facias occultandum, uel solus facias.

Lucianus.

ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις, ἄτοπόν τι ποιήσας,
οὐ λήσεις δὲ θεούς, οὐδὲ λογιζόμενος. id est.

Homines quidē fortasse latebis absurdū quid cùm feceris
Non latebis autem deos, neq; ratiocinans.

Ex primo Epigrammaton.

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων, τίσιν οὐκ ἀποτίσει. id est.

Nullus hominum iniustorum pœnam non soluet.

Plautus in Mustellaria.

Nihil est miserius, quàm animus hominis conscius.

Plautus in Bacchide.

Qui deliquit supplex est ultrò omnibus.

Idem in Persa.

Cum aliquo malitia certare miseria est.

Ouidius Metamorph lib. 1. fab. 4.

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus:
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas, & uirgo cæde madentes,
Vltima cœlestum terras Astrea reliquit.

Ouidius Metamor. lib. 6. fab. 5.

Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu.

Ouidius Metamor. lib. 5. fab. 4.

Sed uetitum est adeò sceleri nihil.

Idem lib. 10. fab. 9. loquens de Myrrha in arborem sui nominis mutata.

Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum,
Vel si credetis, facti quoq; credite pœnam.

Ibidem.

At tu dum corpore non es
Passa nephas, animo ne concipe.

Ouidius Amorum lib. 1. Elegia 1.

Multa miser timeo, quia feci multa proterue,
Exempliq; metu torqueor ipse mei.

Ouidius Amorum lib. 2. Elegia 5.

Conscia purpureus uenit in ora rubor.

Ouid. Amorum, lib. 3. Eleg. penul.

Non peccat quæcunq; potest peccasse negare,
Solaq; deformem culpa professa facit.

Ouid. de Arte amandi, lib. 2.

Ludite, sed furto celetur culpa modesto.
Gloria peccati nulla petenda sui est.

Ibidem.

Neq; enim lex æquior ulla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Ouidius de Ponto, lib. 1. Eleg. 1.

Pœna potest demi, culpa perennis erit.

Ibidem.

Mors faciet certè, ne sim cùm uenerit, exul:
Ne non peccarim, mors quoq; non faciet.

Catullus Ode 26.

Nec facta impia fallacium hominum cœlicolis placent.

Horat. in Arte Poëtica.

— Omnes Visu

Visuros peccata putem mea.

Iuuenal. Satyra 1.

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor,
Nauigio montem ascendit, sortesq; poposcit,
Paulatimq; anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pirrha puellas.
Quicquid agunt homines, uotum, timor, ira uoluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Ibidem.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas, eadem facient cupientq; minores.

Ibidem.

Omne in præcipiti uitium stetit, utere uelis
Totos pande sinus. Iuuenalis Satyra 4.
Nemo malus fœlix. Iuuenalis Satyra 8.
Defensor culpæ dicet mihi, fecimus & nos
Hæc iuuenes, esto, desisti nempe, nec ultra
Fouisti errorem, breue sit quod turpiter audes.
Quædam cum prima resecantur crimina barba.
Indulge ueniam pueris.

Iuuenalis Satyra 9.

Viuendum rectè, tum propter plurima, tum his
Præcipuè causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas, nam lingua mali pars pessima serui.

Iuuenalis satyra 13.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet authori, prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis prætoris uicerit urnam.

Ibidem.

Egregium sanctumq; uirum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, & miranti iam sub aratro
Piscibus inuentis, & fœtæ comparo mulæ.
Sollicitus tanquam lapides effuderit imber,
Examenq; apum longa consederit uua,
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis uortice torrens.

Iuuenalis ibidem.

Has patitur pœnas peccandi sola uoluntas,
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum.
Facti crimen habet.

Iuuenalis Satyra 15.

Nam genus hoc uiuo iam decrescebat Homero,
Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.

Iuuenalis ibidem.

-Melius nos.
Zenonis præcepta monent, neq; enim omnia, quædam
Pro uita facienda putat.

Dantes Floren. lib. 1. cap. 1.

Oue oderai le dolorosi strida,
Vedrai li antichi spiriti dolenti,
Che la sera morte ciaschun crida:
Et uederai color che son contenti
Nel foco: per se speren di venire
Quando che sia, a le beate genti. id est,

Vbi audies dolentes eiulatus,
Videbis antiquos spiritus dolore affectos,
Qui ad mortem secundam altè clamant:
Et uidebis quosdam qui sunt contenti
In igne, quia sperant peruenire,
Cùm tempus fuerit ad beatas gentes.

Dantes Florent. lib. 1. cap. 3.

Et eccho uerso noi uenir per naue
Vn uechio biancho per antiquo pelo,
Cridando guai a uoi anime praue,
Non sperate mai piu ueder il celo:
I uengo per menarui al laltra ripa,
Ne le tenebræ æternæ, in caldo en gelo. id est,
Et ecce uersus nos ueniebat naue
Quidam senex albus ob antiquum pilum,
Clamans ueh uobis animæ prauæ.
Nolite sperare unquam deinceps uidere cœlum:
Venio ut ducam uos ad ripam alteram,
In tenebras æternas, in calorem & gelu.

PEcunia græcè χρῆμα. ατος. τὸ. & χρηματικός. ȣ ὁ. pecuniarius, & χρηματώδης. ȣ. ὁ. pecuniosus dicitur. Est autem pecunia totum, quicquid homines habent in terra, omnia quorum Domini sunt, seruus, vas, ager, arbor, pecus. Quicquid horum est, pecunia dicitur, secundùm Aug. de doctrina Christiana, & habetur in decretis 1 q. 3. c. totum. Pecunia, cuius diminutiuum est pecuniola, à pecu dicitur, quod olim diuitiæ omnes in agris, atque pecoribus esse, existimabantur. Vnde locupletes, & pecuniosi, appellati sunt diuites, quasi locorum & pecorum pleni. Et licet pecuniæ appellatione, non modò nummi, hoc est numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm iura contineantur, vt etiam Hermogianus iurisconsultus affirmat, frequenter tamen pecunia, pro ea quę numerata est, ab authoribus vsurpatur. A pecu, pariter fit peculium, quod proprie significat rem, quæ non in pecunia numerata consistit, vel in solo, vel in corporibus, vel in suppellectili, nostro labore, & industria paratũ, & à nobis ipsis lucrifactum. Vir. Nec spes libertatis erat, nec cura peculi. Hinc peculium castrẽse dicitur, vt ait Pomponius, quod à parentib⁹, & agnatis in militia degenti donatum est: vel quod filius in militia acquisiuit, quod, nisi militaret, acquisiturus nõ fuisset. Nã ꝗ fuisset sine militia acquisiturus, id peculiũ eius castrẽse nõ dicitur. Peculiũ nonnunquam pro paruo patrimonio capit̃: secũd. Vlpia. Hinc deriuat̃ peculiaris, ꝗ propriè significat rẽ ad peculiũ pertinentem. Sed vsu iam receptũ est, vt ꝓ proprio, siue speciali, seu præcipuo ponatur, vnde peculiariter aduerbiũ, hoc est specialiter, præcipuè. Sanè pecus pecoris, seu pecus pecudis (vtroq; eñ modo dicimus) significat om̃e animal, ꝙ sub hoĩs imperio è pabulo terrę pascit̃, vt boues, asini,

 equi,

equi, cameli, oues, capræ, elephantes, & reliqua huiusmodi. Transfertur aliquando pecus peco ris ad omne animal, quod humana lingua, & effigie caret. Virg. de apibus. Et pecudũ custodia solers. Horat. de pisc. Omne cùm Proteus pecus egit altos visere montes. Veteres pecu & pecus, coris, & pecus, cudis, neutro omnes genere protulerunt, vnde pecua legimus: vnde etiam pecuarium, quod ad pecus attinet. Pecuarium aliquando armentarium, aliquando loca, in quib⁹ armenta consistunt, nonnunquam ipsa armenta, significat. Persius: Findor, vt Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Ambrosius lib. de Officijs.

Pecunia facilè consumitur, consilia exhauriri nesciunt, hæc vsu augentur, pecunia minuitur, & citò deficit, consilium autem collatum, quò in plures diffunditur, eò redundantius manet, & in suum fontem recurrit.

Ambrosius Offi. lib 2. cap. 21.

Hoc malum iam dudum, humanis influxit mẽtibus, vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum admiratione capiantur.

Isidorus Solilo. lib. 1. cap. 1.

Vbiq; pecunia vincit, omnes mendicitatem spernunt.

Caßiodorus lib. 5. epist. 13.

Pulchrum est neglexisse fœda lucra pecuniæ.

Caßiodorus de dilectione Dei, cap. 5.

Pecunia cum labore acquiritur, acquisita, cũ timore seruatur, & tandem cum dolore grauissimo amittitur.

Plato in Phedone.

Propter pecuniarum possessionem, omnia prælia nobis fiunt.

Cicero libro Officiorum 2.

Malè enim res se habet, cùm quod virtute effici debet, id tentatur pecunia.

Ibidem.

Sed vt pecuniæ quærendæ, non solùm ratio est, verùm etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppetitent, nec solùm necessarios, sed etiam liberales: sic gloria & quærenda & collocanda ratione est. Quanquã præclarè Socrates, ad gloriam hanc viam proximã, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset.

Valerius Maxi. lib. 4.

Nihil eorum, quę virtuti debentur, emere pecunia licet.

Idem lib. 7. tit. Sapienter dicta aut facta.

Vnicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, vtrum eam pauperi ornato, an locupleti parum probato collocaret: cui is inquit, malo virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentẽ, quo dicto stultum monuit, vt generum potius, quã diuitias generi, legeret.

Horatius.

Sed quia naturam mutare pecunia nescit.

Iuuenalis satyra 13.

Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera.

Ibidem.

Ploratur lachrymis, amissa pecunia ueris.

Ibidem.

Interea pleno dum turget sacculus ore
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat, qui non habet.

OPES INIVSTAE NON PARANDAE. AMASTITIO.

Euripides.

NOn opes iniustas tibi condas, si studes multum
Temporis inhabitare regiam: præter ius enim
Aedes ingressæ non salutiferæ sunt.
Operam tamen dato, ut poßideas, nam in hoc generositas est sita.
In paupertate uerò ingnobilitas est,
Et timiditas & ignominia uitæ.

Idem.

Homines improbos ne promoueas in ciuitate:
Nam improbi siue pecunia aucti,
Siue ad aliquem urbis promoti magistratum,
Exultant in ædibus iniuria fortunatis.

Incerta est pæcuniæ possesßio.

Pythagoras. Superior his rebus esse assuesce;
Ventre quidem ante omnia, & somno, & libidine,
Et iracundia: nunquàm autem turpe quid committas, uel cum alio;
Vel solus: sed omnium maximè teipsum reuerere:
Deinde iusticiam præstes, tam dictis, quàm factis.
Assuefac ut omnes tuas res cum ratione agas.
Sed scias quod fato decretum sit mori.
Pecuniæ uerò quãdoq; solent poßideri, quandoq; perire.
χρήματα δ' ἄλλοτε μὲν κτᾶσθαι φιλεῖ ἄλλοτ' ὀλέσθαι.

Plato lib. 2. de legibus

Similiter pecuniarum prædiorumque & census & possessio se habet: excedens enim, & priuatim & in ciuitatibus inimicitias, seditionesq; parit, deficiens autem vt plurimum seruitutẽ. Nemo igitur liberorum gratia pecunijs incumbat, vt ditißimos eos relinquat, neq; enim ipsis, neq; ciuitati id conducit: sed census iuuenum adulatiõe vacuus omnium decentissimus & optimus est. Liberis ergo non auri, sed pudoris multum oportet relinquere.

Idem lib. 4. de legibus.

Pecuniarum cura vltimum honoris locum teneat. Quare pecuniarum, in quibus homines omne studium ponunt, vltimum ac tertiũ est, si rectè habeatur pecuniæ studium, mediũ corporis, animi primum.

Ibidem.

Nempe oportere dicimus, vt in ciuitate, quę summi morbi expers futura sit, quod dissidiũ aut

aut seditionem rectiùs appellarim, nec extrema in aliquibus ciuibus inopia sit, nec ingentes diuitiæ: nam vtraq; illa ab vtrisq; his pariuntur. Reliqua vide suprà in loco, Argentum, Aurum.

Propertius lib. 3.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia uitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu uitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Iuuenalis 6. Satyra.

Pecunia mores peregrinos attulit.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit: & turpi fregerunt secula luxu
Diuitiæ molles.

Horatius in epistolis.

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri,
Aegroto domini deducunt corpore febres,
Non animo curas:
Imperat aut seruit collecta pecunia cuiq;,
Tortum digna sequi potiùs quàm ducere funem.

Pecunia contra morbos non prodest.

Cicero in Officijs.

Pecuniæ est fugienda cupiditas: nihil est em̄ tam angusti animi, tamq́; parui, quàm amare diuitias, nihil honestiùs, magnificentiusq́;, quàm pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas ad munificentiam liberalitatemq́; conferre.

Item ex ueteri Rhetor.

Multos sæpè magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas.

Causa multorum bellorum est, quod reges non regant pecuniam, sed ipsi à pecunia regantur. Ludouicus Viues in dialogo de bello turcico, vel de Europæ dissidijs.

Terentius in Adelphis.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

Idem in Hecyra.

Quia paululum vobis accessit pecuniæ, animi sublati sunt.

Idem in Phormione.

Abi sic insciens, cuius tu fidem in pecunia perspexeris: verere ei verba credere, vbi quid lucri est te mihi fallere.

Plautus in Curculione.

Qui homo maturè quæsiuit pecuniam: nisi eam maturè parcit, maturè esurit.

Pecunia rerum ac solicitudinum causa est, ex Laërtio.

Pecunia Dea pecuniæ, quæ dat pecuniam, admiratione dignum, cur Iuuenalis sibi scribere permiserit:

Etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Aeris Deus, ex Varronis Spicilegio, ab Augustino dicitur Aesculanus.

Difficilis custodia pecuniæ.

ὥσπερ ἐχῖνον λαβεῖν μὲν ῥάδιον, συνέχειν δὲ χαλεπὸν, οὕτω καὶ τὰ χρήματα, id est. Quod est: sicuti Echinum vtiq; capere facilimum est, retinere difficilimum, ita & pecunias. Cui sententiæ succinit ferè illud Anaxagoræ ἐν τῷ περὶ βασιλείας: χρήματα χαλεπὸν συναγήρασθαι, χαλεπώτερον δὲ φυλακὴν τούτοις περιθεῖναι, id est: Pecunias cumulare arduū est, verùm custodiri multò difficilius.

Ouidius.

Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri:
Casus inest illic, hîc erit artis opus.

Archilochus tradit nummos sæpè cum minutijs hinc inde corrasis, non sine sudore cōparatos πολλάκις εἰς πόρνης γυναικὸς ἔντερον καταίρειν, i. in prostitutarū delabi interranea frequenter.

Pecuniæ signatores tribuni extiterunt: quod vel in decemuirorum legibus ita lectum probatur. Tribuni sunto, domi pecuniam custodiunto, vincula sontium seruantò, capitalia vindicāto, æs, argentum, aurúmue publicè signanto.

Pecunia dicta, teste Plinio lib. 33. cap. 3. Quod olim nummi pecudis effigie notari solebant.

Iulius Celsus lib. 6. de rebus gestis Cæsaris.

Ex pecuniæ cupiditatibus factiones dissensionesq́; nascuntur sæpè maximæ: prædæ etiam cupiditas multos nōnunquàm longiùs euocat.

Pecunia dicta est à peculio, quod est seruorum: & peculium dicimus, licet abusiuè, pro patrimonio.

Item.

Pecuniā antiqui à pecore deduxerunt, quòd vniuersa eorum pecunia in pecorū fructu esset. qua ratione & peculium dictum, quod quis sua industria acquirit. Alciatus de verborum significatione, in l. pecuniæ, & ibi Vlpianus.

Ex Euripedis Hecuba.

Pecunia seruos facit.

Vt nemo quisquàm liber est mortalium: aut
Fortuna seruum reddit, aut pecunia,
Aut scripta lex, aut multitudo ciuium
Vetat suopte uiuere ex arbitrio.

Pecunijs cumulandis omnes nunc student.

Diuersas hominum uideam cùm sparsa per arteis
Ingenia, est cunctis ars tamen una uiris,
Omnibus idem animus gratos sibi quærere nummos,
Omnis inexhaustas undiq; poscit opes.
Nullus adest priscæ uirtutis cognitor, ulla
Relligio superos uix putat esse Deos.
Nimirum ingenti congesta pecunia cura
Est Deus, humanas nunc regit ipse uices.

Pecunia quærenda, ex epist. Horatij.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos: hæc Ianus summus ab imo
Prædocet &c.

Erasmus in Chiliadibus.

Pecuniæ omnia obediunt.

Tam omnibus nationibus in ore fuisse videtur

tur hęc sententia, quàm nunc etiã omnibus est in vsu: pecuniæ obediunt omnia: & refertur in prouerbijs Hebręorum apud Ecclesiast. cap. 10. nec seciùs à græcis pariter ac latinis authoribus celebratur. Euripides in Phœnissis:

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν τιμιώτατα,
Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει, id est.
Mortalibus nihil est charius pecunia,
Atq; inter homines una plurimum ualet.

Item Aristophanes in Pluto.

Ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ὑγιὲς ἐστὶν οὐδενὸς
Ἀλλ' εἰσὶ τοῦ κέρδους ἅπαντες ἥττονες. id est.
Prout nihil sanum reperias uspiam,
Sed pariter omnes seruiunt uicti lucro.

Huc alludit & Demosthenis illud in 1. Olynthiaca. δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστὶν γενέσθαι τῶν δεόντων, id est: Breuiter opus est pecunijs, neq; citra has quicquàm corũ, quæ facienda sunt, confici potest. Rursus Aristophanes in eodem. Pluto facetissimè persequitur, quicqd rerum vel bonarum, vel malarum geritur inter mortales, id pecuniarũ gratia fieri, quin etiam Dijs ipsis non aliam ob causam rem diuinam fieri. Atq; inter alia permulta hanc catholicam sententiam refert:

ἢ τί κ' ἐστὶ λαμπρὸν καὶ καλὸν
ἢ χαρίεν ἀνθρώποισι διά σε γίγνεται:
ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γὰρ ἐσθ' ὑπήκοα, id est.
Si quid eximium est, aut splendidum,
Si quid uenustum hominibus, abs te una uenit.
Siquidem opibus uniuersa simul obediunt.

Proinde Horat. pecuniam reginã vocat.

Vxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.

Sed nemo festiuiùs pecuniæ tyrannidem descripsit, quàm Euripides, Bellerophontem ad hunc modum loquentem faciens. Referuntur autem à Seneca lib. Epistol. 21. Nam ipsa quidẽ fabula non extat: versus aliquot, quoniam sunt inprimis lepidi & venusti, nõ grauabor adscribere, sed aliquot locis emendatos: quandoquidem apud Senecam habentur deprauati.

Versus ex Bellerophonte Euripidis.

Sine me uocari pessimum, ut diues uocer.
Nemo an bonus, an diues omnes quærimus:
Non quare & unde, quid habeas tantùm rogant,
Vbiq; tanti quisq;, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? Nihil.
An diues quærimus omnes, nemo an bonus.
Aut diues opto uiuere, aut pauper mori.
Benè moritur, quisquis moritur dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.

Viues in epistola ad Henricum Angliæ regem octauum.

Primùm omnium pecuniæ admiratio detrahatur, compescatur luxus, incitetur sobrietatis studiũ, accendatur mutua charitas, nõ per peccata quæstũ fieri, sed virtutẽ esse vnicã virtutẽ.

Sophocles.

τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους, id est.
Pecuniæ hominibus amicos conciliant.

Menander in Menagyrta.

Μακάριος ὅστις οὐσίαν, καὶ νοῦν ἔχει:
χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς,
οὕτω μαθεῖν δεῖ πάντα καὶ πλοῦτον φέρειν:
ἀσχημοσύνης γὰρ γίνετ' ἐνίοις αἴτιος, id est.
Felix qui simul opes ac mentem habet:
Hic enim opibus, ubi conuenit, rectè utitur.
Sic discenda sunt omnia, & diuitiæ ferendæ,
Nonnullis enim fiunt causa indecentium facinorum.

Euripides in Erechtheo.

τὰς οὐσίας γὰρ μᾶλλον, ἢ τὰς ἁρπαγὰς
τιμᾶν δίκαιον; οὔτε γὰρ πλοῦτός ποτε
βέβαιος καὶ ἄδικος, id est.
Opes legitimas magis quàm rapinas
Colere decet: neq; enim diuitiæ iniustæ
Vnquàm constantes sunt.

Menandri comici.

Præstat pauca citra suspicionem possidere,
Quàm multa cum manifesta ignominia acquirere.

Ex similibus Aristkonis.

Ὡς τὸν αὐτὸν οἶνον πίνοντες, οἱ μὲν παροινοῦσιν
οἱ δὲ πραΰνονται, οὕτω καὶ πλοῦτον, id est.
Vt ab eodem uino alij cõtumeliosi, alij benigniores fiunt:
Sic à diuitijs alij aliter efficiuntur.

NANVS

Penus grǽcè ταμίειον. ου. τὸ. & ταμίας. ου. ὁ. penuarius dicitur. Est autem penus, omne quo homines vescuntur, secũdùm Cicer. lib. 2. de Natura deorum. Item est penus, quicquid lõgè vsionis gratia reconditur, ex eo quòd non in promptu est, sed intus & penitus habetur, locus etiã ipse dicitur penus. Penitus enim propriè significat intrinsecus, vnde penitior comparatiuum, hoc est interior, & penitissimus, hoc est intimus. Vnde penetrare quasi penitus intrare, à quo penetrabilis, qui facilè penetrat. Virgil. Aspice nũ magè sit nostrum penetrabile telum. Idem: Et penetrabile frigus adurit.

Penetrabile verò substãtiuum id significat, quod est in intimis partibus, & penetrabile sacrificium, quod in penetrabili, hoc est in intima ædium parte fieri solebat. Inde etiam penates, quòd penes nos sunt nati. Penitus autẽ à penes deriuatur, nam id penes nos videtur esse, quod est penitus recõditum. Sunt qui nolũt in penu, thus, cereos, ligna, carbones, aliaq; similia contineri. Propriè tamen, ea sola penui tribuuntur, quæ ad victum pertinent.

Penuarium significat omne id, quod in penu reponitur, & ipsum penu, vnde penuaria cella appellatur. Dicimus autẽ hic penus, & hæc penus quartæ declinationis, & hoc penus penoris tertiæ, & hoc penum peni secũdæ. A penu quidam putant penuriam deduci, quasi vrens penu, significatque inopiam omnium rerum,

præsertimq; earum, quæ penu recondi solent. Alij à pene dictum volunt, quòd pene vrat, vel quòd pene minùs sit quàm necesse est.

Penus, & cellarium sic differunt, quòd cellarium est paucorum dierum, penus verò longi temporis.

Percurro græcè διατρέχω dicitur. Est autem percurrere, expeditè in finem currendo deuenire, secundùm B. Tho. super Esaiam prophetã col. 1. fin.

PErfectio græcè τελειότης. ητος. ἡ. vel τελείωσις. ιος. ἡ. & τέλειος. ȣ. ὁ. perfectus, & τελειόω perficio dicitur. Est autẽ perfectum cui nihil deest, secundùm Aristotelem lib 3. Physicorum, & li. 1. de cælo & mundo.

Perficere est absoluere, à quo perfectè aduerbium, hoc est absolutè, integrè. Estq; compositum de facio, sicut efficio, quod in hoc differt à facio, quòd facere est in opere esse, efficere verò significat perfectionem, vnde affectus & efficax quod est, quod ad aliquid agendum vim habet, & maximè conducit, à quo efficacia pro vi, & effectè quod perfectè significat. A facio item componitur proficio, quod est profectũ facere & profectus. Plini. Nec minorem sub eo preceptore profectum fecit, sic & præficio, prępono, vnde præfectus, præfectura, & multa alia quæ à facio componuntur.

Matthæi cap. 19.

Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.

August. in 5. Psal. & habetur 22. q. 2. Ne quis.

Ne quis arbitretur perfectum, & spiritualẽ hominem, pro ista tẽporali vita, morte, cuius sua vel alterius nõ occiditur anima, debere mẽtiri.

Hieron. in epist. ad Theodorum Monachum.

Si vis perfectus esse, tu qui perfectum te esse pollicitus es, quid aliud quàm perfectam sectatus es vitam, pfectus autẽ seruus Christi, nihil præter Christum habet, aut si præter Christum habet, perfectus non est, cùm te perfectè Deo sit pollicitus, aut mentitus est. Os autem quod mentitur, occidit animam. Igitur vt concludã, si pfectus es, cur bona paterna desideras: si perfectus non es, dominum fefellisti.

Idem super cap. Matth. 19.

Vende omnia, &c. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post cõtemptas diuitias saluatorem sequitur. i. relictis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur quàm voluntas.

Hieron. in epistola ad Theophontem.

Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio.

Gregor. lib. 4. Dialogorum.

Plerunq; hi, quos iam perfectos homines ęstimat, adhuc in oculis summi opificis, aliquid habẽt imperfectionis. Sic sępe imperiti homines, nedum perfectè sculpta sigilla, conspicimus, & iam quasi perfecta, laudamus, quę tamen adhuc artifex considerat, & limat, laudari iam audit, & tamen ea tandem meliorando, non desinit.

Isidorus lib. 3. de summo bono.

Omnis perfectus ex lectione, & meditatiõe procedit, quę enim nescimus, lectiõe discimus, quæ didicimus, meditationibus conseruamus.

Origenes super illud Matth. cap. 20.

Si vis perfectus esse &c. Ille qui mutauit pro diuitijs paupertatem vt fieret perfectus, nõ in ipso tempore quo tradidit bona sua pauperibus fiebat omnino perfectus, sed ex illa die incepit speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes.

Aristoteles lib. 7. Physicorum.

Vnumquodque tunc perfectum est, cùm attingit propriam virtutem.

Cicero lib. Tuscul. quæst.

In animabus nostra semina virtutum innata sunt, quę si bonus cultor crescere permitteret, ipsam naturam ad perfectionem deduceret.

Cicero libro de Amicitia.

Nec quicquam difficilius est, quàm reperire in omni suo genere perfectum.

Lucius Apuleius de Deo Socratis.

Nihil est similius, & gratiosius Deo, quàm vir animo perfecto bonus, qui in tantum homines cęteros antecellit, quãtum ipse à dijs imortalibus, antecellitur.

Perfidia græcè ἀπιστία. ας. ἡ & ἄπιστος. ȣ. ὁ. ἡ perfidus dicitur. Est autem perfidia fidei violatio, & perfidus est, fidei violator. Veniunt à fides, de quo suprà in dictione Fides.

Periculum græcè κίνδυνος. ȣ. ὁ. & ἐπικίνδυνος. ȣ. ὁ. ἡ. periculosus, κινδυνεύω periclitor dicitur. Periculũ interdũ significat, salutis discrimen, vnde periculor verbũ deducit, ꝙ modo significat periculũ subeo, modo ꝓ experior, siquidem & periculũ pro experimento ponitur: Terent. Fac periculũ in literis, fac in palęstra. Venit autem periculum, à pereo, quod quidã ab intereo, ita separant, vt perire leuius sit, & quod non omnium rerum finem denotet. Plaut. Qui per virtutem perit, nõ interit. Dicitur autem intereo, quasi in totum eo. Quando periculum experimentũ significat, ab experior videtur deriuari.

Seneca in Hercule furente Tragœdia 1.

Nemo se tute periculis offerre, tam crebro potest.

Ibidem.

Quem sæpe transit casus aliquando inuenit.

Terentius Comœdia 5.

Auribus lupum teneo,

Ouidius Tristium libro 1. elegia 1.

*Terretur * nimio, pennæ stridore columba,*
Vnguibus accipiter, saucia facta tuis.
Non procul à stabulis, audet decedere, si qua

* aliâs minimo

Excussa est auidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëton, si uiueret: & quos
Optauit stultè, tangere nollet equos.
Me quoq;, quæ sensi, fateor Iouis arma timere:
*Me reor infesto, cùm tonat, * ore peti.*
Quicunq; Argolica de classe Capharea fugit, (* aliâs igne)
Semper ab Euboicis uela retorquet aquis.
Et mea cymba semel uasta percussa procella,
Illum, quo læsa est, horret adire locum.

Ouidius de Ponto lib. 2. elegia 7.

Sed me timor ipse malorum
Sæpe superuacuos cogit habere metus.
Da ueniam, quæso, nimioq; ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus, fallaci piscis ab hamo
Omnibus unca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem uisum longe fugit agna, lupumq;
Credit, & ipsa suam nescia uitat opem.
Membra reformidant mollem quoq; saucia tactum,
Vanaq; sollicitis incitat umbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis
Pectore concipio nil nisi triste meo.

Idem de Arte amandi lib. 2.

Cùm mora non tuta est, totis incumbere remis
*Vtile, & * aßiduè subdere calcar equo.* (* aliâs admisso)

Tibullus libro 1. elegia 6.

Ne pigeat magno pòst didicisse malo.

Horatius libro 1. epistola 16.

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterq;
Suspectos laqueos, & opertum miluius hamum.

Peritia græcè ἐμπειρία. ας. & ἔμπειρος peritus dicitur. Dicuntur autem periti, docti & experti, sicut econtrà imperiti, indocti & inexperti. Veniunt autē peritia & peritus, à perio verbo, quod significat aperio, doceo, quod verbum à pario, veteres traxêre. Inde etiam venit experior, de quibus omnibus habes suprà in Experientia.

PEriurium grecè ἐπιορκία. ας. ἡ. & ἐπίορκος. ου. ὁ. periurus dicitur. Est autem periurium, falsa iuratio, secundùm Hostien.

Periurium est mendacium, iuramento firmatum, secundùm B. Tho. 4. di. 39. q. 4.

Peierare est mente, nō ore, falsum iurādo dicere, secundùm Arist. lib. 1. Rheto.

Periuriū venit à peiero, quod est iuramentū infringo, vnde peierator, peieratrix, peieratio, deducuntur. Peiero autem, ex per, & iuro componitur, sicuti & coniuro, adiuro, coniuratio & adiuratio, de quibus suprà. Deierare est sanctè & vehementer iurare, à quo deierator, deieratrix, & deieratio descendunt.

Augustinus in decollatione Ioannis Baptistæ, & habetur 22. q. 5. Ille qui.

Ille qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam: Imo, duas animas, & eius animam quē iurare prouocauit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & falsum quod ille dicit, & iurare compellis, ecce iurat, ecce periurat, tu quid inuenisti, imo & tu peristi, qui de illius morte satiari voluisti.

Isidorus libro 2. Sententiarum, & habetur 22. q. 5. Quacunq;.

Quacunq; arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientię testis est, ita hoc accipit sicut ille cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & nomē Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit.

Cicero libro Officiorum 3.

Fraude periurium astringitur non soluitur.

Idem libro 2. de Legibus.

Periurij pœna diuina exitium, humana dedecus.

Hesiodus.

ὃς δέκε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας
ψεύσεται, ἐν ᾗ δίκην βλάψας νήκεστον ἀάσθη,
τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται.
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων. id est.
Qui testimonijs sponte iusiurandum iurans
Mentietur, in eoq; iustitiam lædens immedicabiliter læsus est.
Huius obscurior proles in futurum relinquetur.
Viri autem verè iurantis proles in futurum melior.

Menander.

θεὸν ἐπιορκῶν μὴ δόκει λεληθέναι. id est.
Deum deierans ne putes latere.

Ouidius epistola Acontij ad Cidippen.

Tantum periuria uita.

Ouidius lib. 1. Amorum.

Non benè conducti uendunt periuria testes.

Iuuenalis Satyra 13.

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponunt.
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura uoluente uices & lucis & anni:
Atq; ideo intrepidi, quæcunq; altaria tangunt.
Est alius metuens ne crimen pœna sequatur.
Hic putat esse Deos, & peierat, atq; ita secum
Decernat quodcunq; uolet de corpore nostro
Isis & irato feriat mea lumina sistro.
Dummodo uel cæcus teneam quos abnego nummos.
Et phthisis & uomicæ patres, & dimidium crus
Sunt tanti, pauper locupletem optare podagram
Non dubitat.

De hac materia vide supra vbi Iuramentum.

EST autem periurium, non quod quis ore linguáue protulit, sed quod mente iurata concepit & animo. Arist. 1. Rhetoricorum, cap. vltimo. Item Cicero tertio officiorum docet, cùm iusiurandum sit religiosa affirmatio, Regulum non debuisse conditiones, pactionesq; belli-

bellicas, & hostiles perturbare periurio.

Sophocles.

ὅρκοισι γὰρ τοὶ καὶ γυνὴ, φεύγει πικρὰν
ὠδῖνα παίδων: ἀλλ' ἐπὰν λήξῃ κακοῦ
ἐν τοῖσιν αὐτοῖς δικτύοις ἁλίσκεται
πρὸς τοῦ παρόντος ἱμέρου νικωμένη
ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος, id est.

Iuramentis enim & mulier fugit acerbam
Parturiginem liberorum: ast ubi malum abierit,
Eisdem in rebitus capitur,
A præsente cupiditate uicta.
Venereum iusiurandum non constitutam habet pœnam.

Callimachus.

ὤμοσεν ἀλλὰ λέγουσιν ἀλλὰ θεάσαι τοὺς ἐν ἔρωτι
ὅρκους μὴ δύειν οὔτ' ἐς ἀθανάτων, id est.

Iurauit quidem, sed, ut aiunt, amatoria
Iuramenta Deorum non subeunt aureis.

Diphilus.

ὅρκον ἑταίρας ταυτὸ καὶ δημηγόρου·
ἑκάτερος αὐτῶν ὀμνύει πρὸς ὃν λαλεῖ. id est.

Idem est iuramentum meretricis, & popularem captantis aurem:
Vterq; enim iurat apud illum, qui cum loquitur.

Hesiodus in Theogonijs.

ὅρκον τ' ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ. id est.

Et iusiurandum, quod quidem plurimum terrestres homines lædit, si quis ipsorum sponte peierauerit.

Euphro. in concione Deorum.

Καινοὺς πόριζον πρὸς μὲ θεῶν θεοὺς,
ἵνα τοὺς παλαιοὺς μὴ ἐπιορκῇς πολλάκις, id est.

Nouos tibi confinge Deos,
Vt ne sæpius antiquos offendas periurijs.

Euripides.

Συγγνώμονάς τοι τοὺς θεοὺς εἶναι δοκεῖ,
ἐάν τις ὅρκοις θάνατον ἐκφεύγειν θέλῃ
ἢ δεσμὸν ἢ βίαια πολεμίων κακά, id est.

Faciles mihi ad ueniam dandam Dij uidentur.
Si quis iurando mortem effugere cupiat,
Aut uincula, aut malam hostium uiolentiam.

Eusebius Ionicus.

Aio vnumquemq;, qui voluntatem peierandi habere videtur, aut qui peierat verbis, etiam si factum, quod comitatur periurium, non contingat, siue per fortunam aliquam, siue quod noluerit ille, cuius erat postulare, nihilò secius periurum esse animo, & non minùs meritum pœnam periuris præscriptã, quàm ille qui ipsa re peierauit.

De iureiurando vel περὶ ὅρκου.

Cherilus in Perseide.

ὅρκον δ' οὔτ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι, οὔτε δίκαιον,
οὐκ ἀνδρὸς ὅρκοι πίστις, ἀλλ' ὅρκων ἀνὴρ, id est.

Iusiurandum nec iustum, nec iniustum usurpandum est.
Iuramenta non fidem adferunt uiro, sed uir iuramentis.

Amphis.

ὅστις ὀμνύοντι μηδὲν πείθεται
αὐτὸς ἐπιορκεῖν ῥαδίως ἐπίσταται, id est.

Quisquis iuranti nihil credit,
Illemet facilè peierare scit.

Antiphanes.

δέσποιν', ὅταν τὶς ὀμνύοντος καταφρονῇ,
ᾧ μὴ σύνοιδε πρότερον ἐπιωρκηκότι
οὗτος καταφρονεῖν τῶν θεῶν ἐμοὶ δοκεῖ,
καὶ πρότερον ὀμόσας αὐτὸς ἐπιορκηκέναι, id est.

Hera, cùm aliquis contemnit iurantem,
Cui anteà nunquàm commißi periurij non est conscius,
Tum ille mihi Deos ipsos contemnere uidetur,
Ac prius aliquando iurans ipsemet peierasse.

Sophocles in Hippodamia.

ὅρκου δὲ προστεθέντος ἐπιμελεστέρα
ψυχὴ κατέστη: δισσὰ γὰρ φυλάσσεται
φίλων τε μέμψιν, κ' εἰς θεοὺς ἁμαρτάνειν, id est.

Apposito iureiurando cautior & diligentior
Animus fit: à duobus enim sibi tum cauet,
Et ne lædat amicos, & ne peccet in amicos.

Apollodorus.

μάστιγος οὔσης ὅρκον οὐκέτι δίδως, id est.

Præsente flagello non postules amplius iuramentum.

Alexis in Olynthijs.

οὐ τοῖς γὰρ ὀμνύουσι τὸν φρονοῦντα δεῖ
τοῖς πράγμασι δ' αὐτοῖσι πιστεύειν ἀεὶ, id est.

Sapientem non oportet iurantibus
Sed ipsis rebus semper habere fidem.

Lycurgus.

Δεῖ φίλοις καὶ τοῖς οἰκείοις βοηθεῖν ἄχρι τοῦ μὴ ἐπιορκεῖν, id est.

Eatenus amicis & familiaribus auxiliandum est, quatenus periurium non admittitur.

Epictetus in Enchiridio.

ὅρκον παραίτησαι, εἰ μὲν οἷόν τε εἰς ἅπαν, εἰ δὲ μὴ ἐκ τῶν ἐνόντων, id est.

Iuramentum deprecare, siquidẽ fieri potest omninò: sin minùs, saltem quod eius potest.

Herodotus lib. 1. Histor.

Ἄνευ γὰρ ἀναγκαίης ἰσχυρῆς πίστιες ἰσχυραὶ οὐκ ἐθέλουσι συμμένειν, id est.

Sine firma necessitate non potest firma fides permanere.

Eusebius.

οἱ πολλοὶ τοῖς ἀνθρώποις, τὸ εὐόρκους εἶναι αὐτοῖς παραινοῦσιν. ἐγὼ δὲ καὶ τὸ ἀρχὴν μηδ' εὐπετέως ὀμνύναι ὅσιον ἀποφαίνομαι, id est.

Multi homines adhortantur, vt in iurando probi sint, & fideles: ego verò ne principio quidẽ facilè iurare, religiosi viri officiũ existimo.

Isocrates ad Dæmonicum.

ὅρκον ἐπακτὸν προσδέχου, διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων, ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς. δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπιορκεῖν τοῖς δὲ φιλοχρημάτως ἔχειν, id est. Quibus ex causis iusiurandum præstare licitum sit.

Sacramentum oblatum tibi duabus de causis iurato: vel vt teipsum turpi suspicione libe-

res vel vt amicos ex magnis periculis eripias. pecuniarum verò gratia, etsi vera dicturus sis, nullum Deum iuraueris: sin minus, alijs periurus, alijs auarus videberis.

Herodotus lib.6. Historiæ.

De Glauco recusante depositum reddere Milesij uiri filijs.

Glaucus Delphos se contulit ad oraculum petendum: vtrũ iureiurando pecuniam deprędaretur, ibi Pythia respondit, his versibus.

Γλαῦκ', ἐπικυδείδη, τὰ μὲν αὐτίκα κέρδιον οὕτω
ὁμῷ νικῆσαι καὶ χρήματα ληίσασθαι
ὄμνυ', ἐπεὶ θάνατός γε ἐπὶ εὔορκον μένει ἄνδρα
Ἀλλ', ὅρκου παῖς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἐπὶ χεῖρες
οὐ δὲ πόδες κραιπνῶς δὲ μετέρχεται εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ κατόπισθεν ἀμείνων, id est.

Glauce Epicydides equidem expedit ad breue tempus
Iurando superesse, interuertisseq; numos
Deiora & Euorcum: quoniam manet exitus idem.
Ast Horci natus sine nomine, qui manibus, qui
Nullus est pedibus, rapidè aduenit usq; adeò, dum
Corripiens omnem perdet prolemq; domumq;
Cum sobole Euorci, melius sed postea agetur.

His auditis, Glaucus veniam sibi eorum quę dixisset vt daret Deum obsecrabat, cui Pythia inquit, idem pollére, tentare Deum, & facere. Glaucus deinde accitis Milesijs hospitibus pecunias reddidit, sed eius soboles & familia ex Sparta radicitus extritæ sunt. Bonum est ergò nihil aliud de deposito cogitare, quàm vt repetentibus reddatur.

Antiphanes.

ὁ διδοὺς τὸν ὅρκον τῷ πονηρῷ μαίνεται·
Τοὐναντίον γὰρ νῦν ποιοῦσιν οἱ θεοί·
ἐὰν ἐπιορκήσῃ τις αὐτὸς εὐθέως
ὁ δοὺς τὸν ὅρκον ἐγένετ' ἐμβρόντητος,
οἶμαι δικαίως ὅτι πεπίστευκεν τινί, id est.

O qui iuramentum à malo uiro postulati insanit,
Contrarium enim nunc Dij faciunt:
Nam si quis peierarit, continuò
Ille, qui postulauit iuramentum, fit attonitus,
Meritò nimirum, quia credidit improbo uiro.

Alexis.

ὅρκος βέβαιός ἐστιν, ἂν νεύσω μόνον, id est.

Firmum est iuramentum, si solùm annuero.

Sophocles.

ὅρκος γὰρ οὐδεὶς ἀνδρὶ φιλήτῃ βαρύς, id est.

Nullum iuramentum graue est furi impostori.

Euripides.

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος, id est.

Lingua iurauit, sed iniurata mens.

Menander.

Συγκέχυκε νῦν τὴν πίστιν ὁ καθ' ὑμᾶς βίος, id est.

Aetate nostra fides omnis confunditur.

Democritus.

ὅρκους οὓς ποιέονται ἐν ἀνάγκῃσιν ἐόντες, οὐ
τηρέουσιν οἱ φλαῦροι, ἐπὰν διαφύγωσιν, id est.

Iuramenta, quæ iurant adacti necessitate, nó seruant mali homines, postquàm periculum euaserint.

Cleanthes dixit, iurantem eo ipso quo iurat tempore, verè iurare aut peierare: nam si ita iuret tanquàm facturus quod iusiurandum attinet, verè sancteq; iurare: sin proposito dissentiente, tanquàm non facturus, peierare.

Euripides.

οὐ γὰρ ἀσύνετον
Τὸ θεῖον, ἀλλ' ἔχει συνιέναι τοὺς κακῶς
Παγέντας ὅρκους, καὶ κατηναγκασμένους. id est.

Non enim intellectu caret
Numen, sed potest intelligere quænam sint malè
Facta iuramenta, & necessitate coacta.

Permutatio græcè διαλλαγή. ῆς. ἡ. & διαλλάττω. permuto dicitur. Est autem permutatio vnius rei certæ, pro altera re certa, vicaria præstatio: gl. ad l. 1. C. de rer. permu. Permutatio fit à muto. Mutare propriè est transferre, vnde mutabile quod mouetur, & immutabile quod nó mouetur. A muto fit pariter cõmuto. Commutare verba, est litigare. Terent. Nunq̃ hodie tecum cõmutaturum patrẽ, vnum esse verbum. Muto frequentatiuũ est huius verbi moueo, o litera in u mutata. Dicimus etiam moto, tas, vnde motacilla auis vulgò nota, quòd semper moueat caudam, vnde vulgò nõ ineptè codatremula dicitur. Veteres enim codam, pro cauda dicebant.

PErseuerantia græcè ὑπομονή. ῆς. ἡ. & ὑπομένω persëuero dicitur. Est autẽ perseuerantia in ratione benè instituta stabilis & perpetua permansio, secundùm Ciceronem in Rhetoricis & secundùm Andronicum, ac B. Thomam secũda secundæ quæst. 128. ca.

Perseuerantia est virtus specialis, habens speciale obiectum, scilicet opus laboriosum, vt tristabile diuturnitatis, secundũ eundem, secunda secundæ, quæst. 122. art. 1.

Perseuerantia quid à fortitudine differat, vide suprà in Fortitudo: perseuerantiæ extrema sunt pertinacia, & leuitas. perseuerãtia dicitur, à perseuero verbo. Est autem perseuerare cum quadam constantia, & quasi pertinacia perdurare. Dicunturq; à seuerus, quod aliquando significat grauem & censorium, quasi semper verus, vel sequens verum, & nulla gratia, nullis illecebris mutabilis. Virgil. Curibusq; seueris: aliquãdo asperum. Idem: Montemq; seuerum, interdum sęuum & vitabilem. Idem: Amnemq; seuerũ Eumenidũ. Nonnunq̃ tristem & anxiũ. Vnde seueritas, hoc est, grauitas, constantia, asperitas, tristitia. Hinc asseuero verbũ, quòd est cum quadam vi ac motu animi, quasi cum seueritate aliquid affirmo, hinc asseueratio deriuatur. Quintilianus: Altera ex asseueratione probatio est.

Matthæi

Matth. cap. 10.

Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.

Paulus ad Hebræos cap. 12.

Fili mi noli negligere disciplinam domini: neq; fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat autem omnẽ filium quem recipit: In disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis offert se Deus, quis enim filius, quem non pater corripit?

Aug. ad Eudoxium, & hab. 16. q. 1. Vos autem.

Vos autem fratres exhortamur in domino, vt propositum vestrum in domino custodiatis, & vsq; ad finem vitæ perseueretis.

Hier. & hab. de Cons. dist. 5. Quicquid.

Quicquid enim necessitate fit, citò soluitur, quod voluntate accipitur, perseuerat.

Gregor. in Moral. & est de pœni. dist. 3. cap. Incassum.

Incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia & frustra velociter currit, qui priusquàm ad metas venerit deficit.

Idem super Ezech. & habetur de pœni. dist. 2. Pennata.

Pennata animalia minimè reuertuntur, cùm incedunt: quia prędicatores sancti sic à terrenis actibus ad spiritualia transeunt: vt ad ea quę reliquerant, vlterius nullatenus reuertantur. Et paulò pòst, Nemo mittẽs manũ suam in aratrũ &c. Manum quippe in aratrũ mittere, est quasi per quendam cõpunctionis vomerem ad ꝓferendos fructus terram sui corporis aperire sed retrò post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur, qui deliquit, quod quia electis Dei minimè cõtingit, rectè nunc ꝑ Prophetam dicitur: Non reuertebantur cùm incederent. Et paulò pòst. Vnde Paulus. Vnum verò quæ retro sunt obliuiscens ad anteriora me extendẽs, sequor ad * patriam supernę vocationis. In anteriora etem extentus, eorũ quę retro sunt, oblitus fuerat, quia temporalia despiciẽs quæ sola sunt æterna, requirebat.

* aliàs palmam

Idem in homilia 5. & habetur de pœni. dist. 2. Non reuertebantur.

Non reuertebantur cùm incederent, quia electi sic ad bona tendunt, vt ad mala perpetranda nõ redeant, qui enim perseuerauerit vsq; ad finem, hic saluus erit. Et sicut per Salomonem dicitur. Iustorũ semita, quasi lux splendens ꝓcedit, & crescit vsq; ad perfectum diem. In eorũ namq; animo bonum desiderium, atq; intellectus lucis intimæ, iam pars diei est. Sed quia vsque ad finem vitæ, in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cœlestia regna perducti, in ea luce quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt.

Bernardus epistola 139.

Absq; perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum: tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est, cui ęternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.

Caßiodorus lib. 1. epistola 14.

Malum cùm perseuerat augetur, & remediabile bonum est in peccato correctio.

Idem lib. 4. epist. 21.

Vituperationem generant, quæ in medijs conatibus ęgra deseruntur.

Idem lib. 5. epistola 25.

Alacriter incumbendum est inchoatis, cùm vicinitas perfectionis affuerit, spes affectus, tędium laboris excludit. Magnum genus incitamenti est, credere desiderata compleri.

Seneca ad Lucilium epistola 1.

Turpe est cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, ne crescat illi animus ipsa rerum difficultate.

Ibidem.

Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura.

Seneca epistola 24.

Perseuerandum est, & assiduo studio robur addendum est, donec bona mens sit, & bona voluntas est.

Idem epistola 65.

In excelso est vita beata, sed perseuerantia penetrabilis.

Idem epistola 99.

Qui constans est, imperturbatus est, sine tristitia est.

Idem epistola 93.

Consurgamus itaq; aduersus fortunam, & quicquid inciderit, sciamus nõ esse tam magnũ quàm rumore iactetur.

Idem Tragœdia 3.

Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,
Victasq; magno pectore ærumnas doma.
Resiste, tantis in malis uinci, malum est.

Idem Tragœdia. 5.

Haud est uirile terga fortunæ dare.

Idem Tragœdia 6.

Iuuenile est uitium, regere non posse impetum.

Ibidem.

Audax uirago, non tulit retrò gradum.

Arist. lib. 2. Magnorum Moral. cap. 18.

Perseuerantia est circa tristitias, & sustinens tristitias, ipse perseuerans est.

Laërtius Diogenes de uita & mor. philo.

Quicquid proposueris, firmiter seruans perseuera, dicebat Bias.

Cicero lib. Officiorum.

Nihil autem est, quod tam deceat, quàm in omni re gerenda, consilioq; capiendo, seruare constantiam.

Idem lib. 3. de Legibus.

Vi opprimi, in bona causa, melius est, quàm malè cedere.

Idem libro 1. de Natura deorum.

Quid tam temerarium, tamq; indignum sapientis grauitate, atque constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod nõ satis exploratè perceptum sit & cognitum, sine vlla dubitatione defendere.

Virgilius Aeneidos lib. 6.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quà tua te fortuna sinet.

Dantes Purgatorij canti cap. 5.

Si come torre ferma che non crolla
Gia mai la cima per soffiar de uenti. id est,
Sicut turris firma, quæ non concutit
Vnquam cacumen, propter flatum uentorum.

Persona græcè πρόσωπον.ου.τὸ. Est autem persona secundũ Theo. Naturæ rationalis, indiuidua substantia.

Persona propriè dicitur facies cõficta, à personando in theatris dicta, secundùm B. Thom. Longat autem penultimam. f. so propter vocabuli formã. Hinc personati dicuntur, qui huiusmodi personis tecti sunt. Et per metaphorã persona vsurpatur, pro qualitate qua alius ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in extrapositis, quæ à rhetoribus numerantur, in attributis personæ. Animi, vt quo studio sese exerceat, literarum ne, an militaris disciplinæ, & iracundus ne sit, an mitis, luxuriosus, an temperans. Corporis, vt adolescens ne sit, an ætate adultus, pulcher an deformis, robustus an debilis. Extrapositorũ, vt opulẽtus an paup, clàrus, an obscurus, prolẽ habẽs an orbꝰ. Hinc psona parasiti, militis, patris, serui, domini, præceptoris, &c. A persona fit personale & impsonale & personaliter & impersonaliter. Et personalis actio, quam iurisconsulti vocant, quæ in personam fit: Realis quæ in rem, vel in bona.

Persuasio græcè πειθώ.οῦς.ἡ & πείθω. persuadeo dicitur. Estq; hæc inter suadeo, & persuadeo differentia, ꝙ suadere est accõmodatis, & suauibus verbis aliquẽ in opinionem nostram inducere conari, hoc est hortari aliquem ad id ꝙ intendimus. Cuius contrarium est dissuadeo. Persuadere vero est suadendo, aut dissuadendo aliquid, hominem in opinionem nostram deducere. A suadeo fit suasio, suasor, & suadela, suadibile quod suaderi facile potest, suasorius adiectiuum. Vnde pars deliberatiua à rhetoribus suasoria dicitur, & suasorium munus, hoc est officium suadendi. Ita à persuadeo, persuasor, persuasio, persuadibile, persuadibiliter. Item suadere est facientis, persuadere verò perficientis.

Perturbatio græcè ταραχή.ῆς.ἡ.& ταράττω perturbo dicitur. Est autem perturbatio aduersa ratione contra naturam animi commotio, secundùm Ciceronem libro Tusculanarum quæstionum.

Perturbatio est mutatio ordinis, & æqualitatis in ratione, & immoderata passione inferiorum potentiarum: quæ non fuit in Christo, nec in aliquo sapiente, secundum B. Tho. 3. Senten. dist. 15. q. 2. art. 2.

Pertinacia græcè αὐθάδεια.ας.ἡ. & αὐθάδης.εος.ὁ.ἡ pertinax dicitur. Est autem pertinax, qui tenet imprudenter propositum suum, quasi omnino tenax, secundùm Isidorum, libro Etymo. & B. Tho. secunda secundæ. q. 138. art. 2.

Pertinax venit à tenax, quod modò significat id quod retinet, vt glutinum tenax: modò parcum, auarum. Apuleius, Homo diues, sed nimiú. tenax. Modò constantem, & perseuerantẽ. Horat. Iustum & tenacem propositi virum. Ab hoc fit tenacior, tenacissimus, tenaciter, tenacissimè, tenacitas, siue tenacia, quod duritiam obstinationem animi, & perseuerantiam significat. Quid perseuerans & pertinax differant, & de hac materia vide suprà in Obstinatio.

Peruicax idem quod pertinax, qui in suo proposito ad victoriam perseuerat, secundum B. Thom. secunda secundæ, q. 138. art. 2.

Petulantia græcè ἀσέλγεια.ας.ἡ.& ἀσελγής petulans dicitur. Est autem petulantia, voluptas, mentem à ratione ad Venerem reuocans, & cæteros illicitos trahẽs motus, lasciua subsultatio, & sine modestia proterua, ac procax loquendi, vel potiùs blaterandi consuetudo.

Petulantia est nimia quędam audacia, & procacitas, à petendo dicta, quasi ea petantur quæ absurda sunt, quemadmodum procacitas à procando dicitur. Procari enim veteres petere dicebant, vnde proci, petitores vxorum.

Phantasia græca dictio est φαντασία.ας.ἡ. Est autem motus à sensu factus, secundùm actum, secundùm Arist. lib. 2. de Anima.

Phantasia est quinta potentia, media inter æstimatiuam, & imaginatiuam, quæ componit & diuidit species imaginatas, secundũm Auicennàm, ex B. Tho. prima parte quęst. 78. art. 4.

Phantasia est thesaurus formarum per sensum acceptarum, componens & diuidens eas, & est idem cum imaginatiua, vt ibidem.

De hac vide suprà in arbore Animę.

Phantasma gręcum est φάντασμα.ατος.τὸ. Et est similitudo indiuidui, in organo corporeo, secundùm B. Tho. prima parte q. 84. art. 7.

Philosophia græca dictio est φιλοσοφία.ας.ἡ. Est amor scientiæ, secundùm August. lib.4. de Ciuitate Dei: & eundem contra Academicos, & Boëtius in Arithmetica. Componitur autem ex φίλος.ȣ.ὁ quod est amicus, & σοφία ας ἡ quod est sapientia. Habet autem sophia penul. correpta. Martialis.

Cùm tibi sit sophiæ par cura, & cura deorum.

Phocilides.

μὴ γαυροῦ σοφίῃ, μήτ' ἀλκῇ, μήτ' ἐνὶ πλούτῳ.

Ambrosius super Beati immaculati.

Philosophia quę est circa elementa mundi, est falsa magis quàm vera sapiétia. Scrutatur enim plagas mundi, spatia rimatur, quę sibi prodesse nihil possunt. Deum autem ignorat, quem solũ deberet inquirere.

Bernardus super Cantica.

Philosophorum ventosa loquacitas, non bonus est imber, qui sterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem. Vinum enim secularis sapientiæ inebriat quidem, sed curiositatem, inflans non nutriens, inflans non ędificans, ingurgitans, non confortans.

Arist. lib.1. Metaphy.

Propter admirari homines, & nunc, & primò, cœperunt philosophari.

Ibidem.

Phylomites. i. fabularum amator, est aliqualiter philosophus, quia fabula ex mirabilibus cõstituitur.

Ibidem.

Antiqui philosophi acquisitis necessarijs vitę, inceperunt philosophari.

Ibidem lib.2.

Appellari philosophiam scientiam veritatis, rectè se habet.

Ibidem lib.6.

Tres partes sunt philosophiæ & scientiæ speculatiuæ. s. naturalis, mathematica, & diuina. i. metaphysica. Naturalis considerat res coniunctas motui & materiæ secundùm esse, & secundùm rationem. Mathematica considerat res cõiunctas motui, & materiæ, secundùm esse, sed separatas à materia secundùm rationem: & Metaphysica considerat res separatas, à materia, secundùm rationem. Idem vult cõmentator magis expressè: quod Theoricæ scientiæ, id est, speculatiuæ sunt alijs scientijs desiderabiliores, & metaphysica: theoricis.

Ibidem.

Si omnis substantia est mobilis: physica est phylosophia prima, sed si aliqua substantia est immobilis: illa est prior quàm physica.

Commentator super 1. Physicorum.

Philophus siue sapiens, naturaliter est virtuosus, secundùm omnes species virtutum moralium, quæ sunt: iustitia, castitas, liberalitas, & similia.

Ibidem.

Liber physicorum est radix & principiũ philosophiæ naturalis.

Themistius super 3. de Anima.

Ratio vniuersalis dicit, quod omni philosopho est benefaciendum.

Arist. lib. de Sensu & sensato.

Naturalis philosophi est, de sanitate & infirmitate prima principia inuenire.

Ibidem.

Naturalis philosophus finit considerationé suam, ad ea quę sunt considerationis medicinę: sed medicus incipit ab eis: quę sunt de cõsideratione naturalis, vnde vbi philosophus dimittit, ibi medicus incipit.

Idem lib.10. Ethicorum.

Philosophia habet delectationes admirabiles puritate & firmitate.

Idem lib. de Pomo & morte.

Sępius philosophari, videtur mihi res diuina.

Ibidem.

Philosophia docet homines suum cognoscere creatorem.

Idem in epist. ad Alexandrum.

Suadeo tibi attendere rationes philosophiæ.

Idem lib.2. Politicorum.

Facile est ditari philosophis: si volunt.

Idem lib.2. Rhetoricorum.

Si sine arte, & propter actionem, aliquid fieri posibile est, magis per artem, & curam, & causam posibile est fieri, vnde vbi philosophus fuerit præses, ibi fœlix est ciuitas.

Idem libro 2. Topicorum.

Plura contingit benè scire, sed non plura intelligere, melius est philosophari, quàm ditari.

Seneca ad Lucilium epistola 16.

Dicet aliquis, quid mihi philosophia prodest, si fatum est? quid prodest, si Deus rector est? quid prodest, si casus imperat? nam & mutari certa non possunt, & nihil præparari potest aduersus incerta. Sed aut consilium meum Deus occupauit, decreuitq; quid facerem, aut consilio meo nihil fortuna permittit. Quicquid est ex his Lucili, vel si omnia hæc sunt, philosophãdum est, siue nos inexorabili lege fata constringunt, siue arbiter Deus vniuersi cuncta disposuit, siue casus res humanas sine ordine impellit & iactat. Philosophia nos tueri debet, hęc adhortabitur, vt libenter Deo pareamus, vt fortunæ cótumaciter resistamus, hęc docebit vt Deũ sequaris, feras casum.

Ibidem epistola 17.

Hoc scio neminem posse benè viuere, sed nec tolerabiliter, sine sapientię studio, cùm: omnia habueris, tunc & habere scientiam voles, & sapientiã, hic erit vltimum vitæ instrumentum.

Ibidem cap.20.

Facere docet philosophia, non dicere, & hæc

exigit, vt ad legem suã quisq; viuat, ne rationi vita dissentiat: vt ipsa inter se vita vnius sine omnium actionum dissentione coloris sit. Maximum hoc est & officium sapientiæ, & indiciũ, verbis opera concordent, vt ipse vbiq; par sibi, idemq; sit.

Seneca epistola 72.

Relinquo istum ludũ literarum philosophorum, qui rem magnificam ad syllabas vocãt, qui animũ minuta dicendo, dimittunt & cõterunt, & id agunt, vt philosophia potiùs difficilis, quã magna videatur. Socrates qui totã philosophiã reuocauit ad mores, hanc summã dixit esse sasapientiam, bona malaq; distinguere.

Idem epist. 94.

Quis dubitat quin deorum immortaliũ munus sit, ꝙ viuimus, philosophię, ꝙ benè viuim⁹. Itaq; tanto plus huic nos debere certũ est, quasi dijs, quanto maius est beneficium beata vita, quàm vita, & certè deberetur, nisi ipsam philosophiam dij tribuissent.

Ibidem.

Huius vnum opus est, de diuinis humanisq; vera inuenire. Ab hac nunquã recedit religio, iustitia, pietas, & omnis altus comitatus virtutũ consertarum inter se cohęrentiũ: hęc docuit colere diuina, humana diligere, penes deos imperium habere, & inter homines consortiũ: quod aliquandiu inuiolatum mansit, antequã societatem, auaritia distraxisset.

Ibidem.

De illa philosophia loquor, quæ nullum bonum putat, nisi quod honestum est, quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleri potest.

Idem lib. de Moribus.

Philosophia promittit mihi, vt me parem Deo faciat.

Ibidem.

Omnia impedimenta dimitte, & vaca benè mente apud phllosophiam.

Ibidem.

Ad philosophiam totã mentem cõuerte, huic asside, & hanc cole, & tunc ingens interuallum est, inter te & homines. Omnes mortales tu antecedes, & dij non multùm antecedent.

Lactan. Firm. lib. 3.

Diuina eruditio dialecticam, in qua omnis loquendi ratio cõtinetur nõ desiderat, quia nõ in lingua, sed in corde sapientia est, nec interest quali vtare sermone. Res tamen nõ verba quæruntur: & nos de grammatico, aut oratore, quorum scientia est, quomodo loqui deceat, sed de sapiente disserimus, cuius doctrinę est, quomodo viuere oporteat. Quod si neq; physica illa, ratio necessaria est, neq; hæc logica, quia beatũ facere non possunt. Restat vt in sola Ethica totius philosophiæ vis cõtineatur, ad quã se abiectis omnibus, Socrates contulisse dicit, in qua etiam parte, quoniam philosohi errauerũt, qui summũ bonum, cuius capiendi gratia generati sunt, non comprehenderũt, apparet falsam esse & inanem omnem philosophiam, quia nec instruit ad iustitię munera, nec officium hominis rationesque confirmat.

Plutarchus in Apophtegmatibus.

Iunior Dionysius dicebatur multos alere sophistas, nõ quòd illos admiraretur, sed quoniã per illos admirationi esse vellet: eiectus autẽ ex tyrannide cùm interrogaretur, quid tibi Plato aut philosophia profuit? Respondit, vt æquo animo facileque ferrem, huiusmodi fortunę mutabilitatem.

Macrobius lib. 1. super somnio Scipionis.

Vnde qui existimant nullis nisi philosophantibus inesse virtutes, nullos pręter philosophos beatos esse ꝓnuntiant. Agnitionẽ enim rerum diuinarum, sapientiã propriè vocantes, eos tantummodò dicunt esse sapientes, qui superna acie mentis requirunt, & quærendi sagaci diligentia comprehendunt: & quantum viuendi pspicuitas præstat, imitantur. Et in hoc solo esse aiunt exercitia virtutum, quarum officia sic dispensant: Prudentię esse, mundum, & omnia quæ mundo insunt, diuinorum cõtemplatione despicere: omnemque animæ cognitionem in sola diuina dirigere, temperantiæ omnia relinquere, inquãtũ natura patitur, quę corporis vsus requirit. Fortitudinis, animam nõ terreri, à corpore quodammodo ductu philosophiæ recedentẽ, nec altitudinẽ perfectæ ad superna ascensionis horrere. Iustitiæ, ad vnam sibi huius propositi consentire viam, vniuscuiusq; virtutis obsequium. Atq; ita fit, vt secundum hoc tã rigidæ definitionis abruptum. Rerumpublicarum rectores beati esse non possint.

Cicero lib. 1. Tuscul. quæst.

Philosophia verò omniũ mater artium, quid est aliud, nisi (vt Plato) donum (vt ego) inuentum deorum. Hæc nos primùm ad illorum cultum, deinde ad ius hominum quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemq; animi erudiuit. Eademq; ab animo tãquam ab oculis caliginem dispulit, vt omnia supera, infrà, prima, vltima, media videre⁹. Prorsus hæc diuina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas. Quid est enim memoria rerum & verborum, quid porrò inuentio? profectò id, quo nec in Deo quicquam maius intelligi potest.

Idem libro 2.

Est enim philosophia paucis contenta iudicibus: multitudinem consultò ipsa fugiens, eiq; ipsi & suspecta & iniusta.

Ibidem.

In ipsa enim Græcia, philosophia tanto in honore

nore nunquã fuiſſet,niſi doctiſsimorũ cõtentionibus diſſenſionibusque viguiſſet.

Ibidem.

Nam efficit hoc Philoſophia, medetur animis, inanes ſolicitudines detrahit,à cupiditatibus liberat,pellit timores. Sed hæc vis nõ idem poteſt apud omnes, tamen valet multùm, cùm eſt idoneam amplexa naturam.

Ibidem.

Nam vt agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur: falſumq́; illud ac improbe, etſi in ſegetem deteriorem ſunt datæ fruges, tamẽ ipſæ ſuaptè natura enitent, ſic animi non oẽs culti, fructum ferunt: atq; vt in eodem ſimili verſer, vt ager quanuis fertilis,ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ſic ſine doctrina animus. Itaq; eſt vtraq; res vna ſine altera debilis.

Ibidem.

Cultura autẽ animi, philoſophia eſt:quę extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos,eaq́; mandat his,& (vt ita dicã) ſerit,quæ adulta fructus vberrimos ferant.

Idem lib. 3.

Eſt profectò animi medicina philoſophia, cuius auxiliũ, nõ vt in corporis morbis petendũ eſt foris:omnibusq́; opibus & viribꝰ vt noſmetipſi nobis mederi poſsimus elalorandũ eſt.

Ibidem.

Magnum opus & difficilè,quis negat?Quod autem præclarum,non idem arduum, ſed tamẽ id ſe effectũrã philoſophia profitetur, nos modò curationem eius recipiamus.

Cicero Tuſcul. quæſt. lib. ultimo.

O vitæ philoſophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrixq́; vitiorũ. Quid nõ modò nos, ſed omninò hominum vita ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti, tu diſsipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti,tu eos primò inter ſe domicilijs, deinde cõiugijs, tum literarũ & vocum communione iunxiſti, tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti, ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos vt anteà magna ex parte, ſic nunc penitus, totosq́; tradimus.

Ibidem.

Pythagoram, vt ait auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus inprimis, Philiuntẽ ferũt veniſſe,eumq́; cùm Leonte principe Phliaſiorum docte & copioſè diſſeruiſſe quędam. Cuius ingenium & eloquentiam cùm admiratus eſſet Leo, quæſiuiſſe ex eo qua maxima arte confideret: at illum,artem quidem ſe ſcire nullam,ſed eſſe philoſophum. Admiratum Leontẽ nouitate nominis quęſiuſſe,qui nam eſſent philoſophi,& quid inter eos & reliquos intereſſet. Pythagoram autem reſpõdiſſe,ſimilem ſibi videri vitam hominum & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorũ apparatu totius Græciæ celebritate. Nam,vt illic alij corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent,alij emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur,eſſet autem quoddam genus eorũ, idq́; vel maximè ingenuum, qui nec plauſum nec lucrũ quærerent,ſed viſendi cauſa venirẽt, ſtudioſeq́; perſpicent quid ageretur & quomodo: item nos quaſi in mercatus quadã celebritate ex vrbe aliqua, ſic in hanc vitã ex alia vita, & natura profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ, raros eſſe quoſdã, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſè intuerentur: hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos,id eſt,philoſophos: & vt illic liberaliſsimum eſſet ſpectare, nihil ſibi acquirentem: ſic in vita,longè omnibus ſtudijs,contemplationẽ rerum cognitionemq́; præſtare.

Cicero Rhetor. ueterum, lib. 1.

Si oportet velle ſapere, dare operam philoſophiæ conuenit.

Cicero de Creat. cœli & mundi.

Nullum bonum philoſophia præſtabiliùs, neque datum mortalium generi, deorum conceſſum munere,neque dabitur.

Cicero in Hortenſio.

Philoſophia rationibus progredi debet: duo hæc ſunt maxima in philoſophia, iudicium veri,& finis bonorum.

Lucius Apuleius de dogmate Platonis.

Conſideranti mihi ſæpe alias virtutes,indagatrix,expultrixq́; vitiorum,diuinarum particeps rerum philoſophia videbatur,& nunc maximè,cum naturæ increpatione,cum remotarũ ab oculis rerum inueſtigationẽ ſibi vendicet. Nam cùm cæteri magnitudine rei territi, eiuſmodi laborem arduũ & profundum exiſtimarent,ſola philoſophia ſuum non deſpexit ingenium,nec indignam ſe exiſtimauit,cui diuinarum humanarumq́; rerum diſceptatio deferatur. Quid enim mundo præſtantiùs? Lauda q̃ putas ſpeciem,portio à te laudabitur mundi.

De 7. ſapientibus.

Επ]ὰ σοφῶν ἐρέω κατ᾽ ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν,
μέτζον μὲν κλεόβουλος ὁ λίνδιος εἶπεν ἄριςον.
χίλων δ᾽ ἐν κοίλῃ λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
ὃς δὲ κόρινθον ἔναιε, χόλου κρατέειν, περίανδρος.
πιτ]ακὸς, οὐδὲν ἄγαν, ὅς ἔην γένος ἐκ μιτυλήνης.
τέρμα δ᾽ ὁρᾷν βιότοιο, Σόλων ἱεραῖς ἐν ἀθήναις
τοὺς πλέονας κακίους δὲ, βίας ἀπέφηνε πριηνεύς.
ἐγγύην φεύγειν δὲ, θαλῆς μιλήσιος ηὔδα. id eſt.

Verba loquor ſeptem ſapientum, nomen, & urbem.
Optima menſura eſt, Cleobolus Lindius inſit.
Inq́; caua Chilon temet Lacedæmone noſce.
Et Periander agens iræ moderare Corinthi.
Nil nimis, eſt genitus qui Pittacus ex Mitylene.
Cerne Solon uitæ finem ſacris in Athenis.
Turba, Bias Priene genitus, canit ampla malorum.
Miletoq́; Thales ortus, uadimonia linquè.

Dantes inferni cap. 4.

Ma poi chalzai un po piu su le ciglia,
Vidde l maiestro de collor che sano
Seder fra philosophica famiglia:
Tutti lo miran, tutti honor gli fano. id est,
Sed postquam aliquantisper magis aspexi sursum,
Vidi magistrum eorum qui plura sciunt,
Sedentem inter Philosophicam familiam:
Omnes mirantur, omnes honorem exhibent.

De hac materia habes infrà vbi Prudentia, Sapientia & Scientia.

Nihil est præstantius Philosophia aut studio sapientiæ.

AMANTIUS. CAEtera quidem humanæ vitæ bona pusilla sunt, atq; indigna, quæ multis laboribus insectemur: Pulchra nobilitas, sed alienum bonum: preciosæ diuitiæ, sed fortunæ possessio: venusta gloria, sed inconstans: forma decẽs, sed caduca, paruoq; durans tempore: Ouid.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spatio rumpitur illa suo.

Optanda sanitas, sed permutationi prorsus obnoxia: concupitæ vires, sed ægritudine, aut senectute facilè contabescunt. Nihil præstantius intellectu, & ratione Hoc nullius fortunæ tollet incursus, nulla calumnia distrahet: Quũque reliqua omnia tempore minuantur, scientiam & rationem senectus auget: bellum singula trahens, atque omnia ferens, solam doctrinã nequit eripere.

Exempla.

Stilpho Philosophus. Megaram cùm Demetrius captam solo æquasset, Stilphonem Phileronem illic omnium nudum interrogauit, an suorum quicquàm amisisset. Cui Stilphon, haud equidem, inquit: bellum enim nulla ex virtute spolia ducit.

Socrates, cũm Gorgias percunctaretur, an Persarum regem felicem esse putaret: nescio, inquit, quantum virtutis habeat, & disciplinæ: perinde ac hisce, non autem fortunæ bonis persistat beatitudo.

Regna & opes non magis posidentium sunt, quàm cuiuscunq; sed vt in seculari ludo, nunc huc transeunt, nunc referuntur illuc.

Σοφία μόνη τῶν κλημάτων ἀθάνατον. Sola virtutis & viuenti, & mortuo stabilis est & firma possessio, iureq; diuitibus Solõ inquit, & nos non permutabimus cum virtute diuitias quis enim nouit variabiles humanæ vitę casus? nihil est sub Luna fixum, nunc diuites sunt homines, nunc pauperes, nunc seruiunt, nunc sanitate gaudẽt, nunc ægrotant, nemo scit manè, quid vesper vehat, nemo tam diuos habuit fauentes, crastinum sibi vt polliceri possit. Ob quam rem Theseus, vt scriptum apud Euripidem Cicero refert, sic dicere solitus erat: nam quæ audita à docto meminissem viro, futuras mecum commentabar miserias; aut mortem acerbam, aut exilij mœstam fugam, aut semper aliquam molem meditabar mali, vt si qua iniecta duritas casui foret, ne me imparatum cura laceraret repens: sed nulla res est, quæ aduersus nouercãtis fortunæ impetus certius quàm philosophia solamen præbeat. hinc iunior Dionysius, cùm eiectus tyrannide, & in exilium actus interrogaretur, quid sibi Plato & philosophia profuissent, vt ęquò, respondit, facileq; ferrem fortunæ mutabilitatem. Siue igitur aduersæ nobis, siue secundæ res fuerint, ad philosophiã, quod est virtutis studium recurrere debemus, cuius potisimum reges cõuenit amatores existere.

Mira rerum omnium varietas.

Philosophiæ studium omnibus utile est.

Philosophia omnium mater artium, quam Plato donum, Cicero inuentum vocat, absque literis haud facilè percipi potest. Hæc te primũ ad diuinum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, & ab tandem ad modestiam animum erudiet, & ab animo tanquam ab oculis caliginem remouebit, vt supera, prima, media, & vltima videas. Quis igitur literis insudare noluerit, quando tãtus ex his fructibus percipitur, in quibus est boni ac mali noticia, quæ nobis præterita referant, præsentia moderentur, futura inducant? Hæc Aeneas sine literis omnis ætas cæca est. Syluius, Pius II. P. M. posteà dictus.

Turpe est, eum, qui opibus & autoritate pręstat, non etiam virtute præstare. Cicero. vt cytharædus cùm prodierit optimè vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus varijs intexta, & corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, cytharam tenens exornatisimam, auro & ebore distinctã, ipse prætereà forma & specie sit, & statura apposita ad dignitatem: si cùm magnam populi commouerit his rebus expectationem, & repentè silentio facto, vocem emittat cùm acerbisimam, tum turpisimã, cum turpisimo corporis motu, quò melius ornatus sit, & magis fuerit expectatus, eò magis derisus & contemptus eijcietur. Ita si quis in excelso loco, & in magnis ac locupletibus copijs collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnib' abundabit, si virtutis & artium (quæ virtutis magistræ sunt) egebit: quò magis cæteris rebus erit copiosus, & illustris, & spectatus, eò vehementius derisus & contempus, ex omni conuentu bonorum eijcietur.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Quid est per Deos optabilius sapientia? quid præstabilius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc qui expetunt, philosophi nominantur, nec quicquam aliud est philosophia, quàm studiũ sapientię: sapientia autem est rerũ diuinarũ & humanarũ caussarumq;, quibus eæ res continentur, scientia.

pietas

Pietas græcè εὐσέβεια.ας.ἡ.& εὐσεβής.έος.ὁ.ἡ.pius dicitur. Est aũt pietas iustitia aduersus deos, secundùm Ciceronem lib. 1. de Natura deorum.

Pietas est per quam sanguine coniunctis, patriæq; & beneuolis officium & diligens tribuitur cultus.

Pietas accipitur aliquando pro cultu diuino. Vnde pietas idẽ est quod religio, græcè latria, seu theosebia, vnde ꝓpriè pietas est theosebia, id est, cultus Dei interior, qui propriè pertinet ad virtutes theologicas. Religio verò est latria, quæ pertinet ad seruitutẽ diuinam exteriorẽ. Hæc ex August. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4.

Pietas à vulgo sumitur pro actibus misericordiæ, quia Deus testatur hos actus sibi fieri, & ex hoc Deus dicitur pius, ex B. Thoma secunda secundæ, quæst. 101. art. 1.

Pietas est specialis virtus, & principaliter est ad parentes, ad patriam, in quibus includuntur omnes consanguinei, ciues, amici patriæ, ex B. Thoma secunda secundæ quæst. 80. art. 1.

PIgritia grecè ἀεργία.ας.ἡ & ἄεργος.ου.ὁ.ἡ.piger dicitur. Est autẽ pigritia metus consequentis laboris, secundùm Ciceronem lib. 4. Tusculanarum quæst. Quid verò differat à negligentia, vide suprà in Negligentia.

Pigritia venit à piger. Piger verò dicitur quasi æger.

Cicero libro Officiorum.

Contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alijs, in quibus vt dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est.

Salustius in Catilinaria.

Vbi pro labore desidia, pro continentia atq; æquitate libido & superbia inuadunt, fortuna simul cum moribus mutatur.

Ibidem.

Vbi socordiæ atq; ignauiæ te tradideris, nequaquàm deos implores, irati infestiq; sunt.

Phocylides.

μηδὲ μάτην ἐπὶ πῦρ καθίσας μινύθης φίλον ἦτορ, i.
Neq; frustra apud ignem sedens minues charum cor.

Pittacus.

ἀργὸς μὴ ἴσθι. id est. Piger ne sis.

Hesiodus.

τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
ζώῃ κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀρμήν.
οἵτε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοί. id est.
Huic autem dij indignantur & homines, quicunq; piger,
Viuit fucis occultantibus similis aculeum,
Qui apium laborem consumunt pigri.
ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος, id est.
Pigritia autem uituperium. Idem.
οὐ γὰρ ἐτωσιοεργὸς ἀνὴρ πίμπλησι καλιήν,
οὐδ' ἀναβαλλόμενος, μελέτη δέ τοι ἔργον ὀφέλλει.
αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει. id est.
Non enim piger uir implet domum,
Neq; differens: studium sane opus auget.
Semper differens uir damnis luctatur. Idem.
πολλὰ δ' ἀεργὸς ἀνὴρ κενεὴν ἐπὶ ἐλπίδα μίμνων,
χρηΐζων βιότοιο, κακὰ προσελέξατο θυμῷ. id est.
Multa autem piger uir uanam spem expectans,
Indigens uictus mala cogitauit animo.

De hac materia habes vbi suprà Acedia & Otiositas.

Pirata græcè πειράτης.ου.ὁ. & πείρω pertranseo dicitur. Est aũt pirata, qui maria latrocinijs infestat. Vnde ars ipsa piratica appellatur. Nomen hoc sumptum volunt aliqui à quodam Pirata, qui primus huiusmodi artem exercuit.

Pyramis græca dictio πυραμίς.ίδος.ἡ. dicitur à πῦρ.ρός.τὸ. quod est ignis, descendit: quòd eius imitatur figuram, quæ ex inferiori parte est lata, paulatim gracilescens in acuitatem desinit. Fuerunt aũt pyramides in Aegypto structuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, fastigiatæ vltra omnẽ excelsitatem quæ manu fieri posset, vt dicit Solinus in Collectaneis, Et regũ pecuniæ, vt dicit Plinius lib. 36. natural. hist. otiosa ac stulta ostentatio. Martialis: Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

Pyramis est primus numerus in solidis, sicut triangulus in superficialibus, secundùm Beatũ Thomam super psal. 6. princ.

Pœna græcum vocabulum esse videtur. Illi enim ποινή.ῆς.ἡ. dicunt, licet Varro à pendendo dictam velit. Est autem pœna supplicium, quo quis ob delictum afficitur.

Pœna est noxæ vindicta, secundùm Vlpian. Octo pœnarum genera Cicero esse commemorat. s. damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem, mortem. A pœna fit pœnitentia siue pœnitudo, & punitio, & impunitio, & pœnitet, & pœniteor, de quibus infrà.

POenitentia græcè μετάνοια.ας.ἡ. & μετανοέω pœnitentiam ago. Est aũt pœnitentia, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, secundùm Ambrosium & Theologum 4. Sentent. distinct. 14.

Pœnitentia est virtus, qua commissa mala cũ emẽdationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus, secundùm Magist. Sent. dist. 14.

Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet cõmisisse, secundùm August. & hab. de pœnit. dist. 3. cap. Pœnitẽtia.

Pœnitet, vnde pœnitẽtia deducitur, dicitur quasi poena tenet. Poenitere enim dicimus, cũ quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroq; consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamq; in his nostram demutamus. Et quoniam, quæ nobis tædio vel vel pudori sunt, pœna quędã esse vidẽtur, fit vt pœnitet aliquando pro tædet accipiať. Sanè vt dicimus

dicimus me pœnitet.i.pœna tenet.Ita & pœniteor.i.pœna teneor dicimus,sed pœna hic ablatiui casus est.

Deuteronom.4.

Nouissimo autem tempore reuerteris ad dominum Deum tuũ,& audias vocem eius, quia Deus misericors dominus Deus tuus est.

Paralipom.secund. cap.7.

Si clausero cælũ,& pluuia nõ fluxerit,& mãdauero & præcepero locustę vt deuoret terrã, & misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus super quos inuocatum est nomen meum,deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam,& egerit pœnitentiã à vijs suis pessimis,ego exaudiam de cælo.

Ibidem cap.38.

Pius enim & clemens est dominus Deus vester,& non auertet faciem suam à vobis,si reuersi fueritis ad Deum.

Tobiæ 13.

Conuertimini itaq; peccatores,& facite iustitiam coram domino, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.

Prouerbiorum.24.

Septies enim in die cadit iustus & resurget, impij autem corruent in malum.

Sapientiæ 11.

Et misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

Ecclesiastici 5.

Ne tardes conuerti ad dominum,& ne differas de die in diem,subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

Ecclesiastici 17.

Conuertere ad dñm,& relinque peccata tua, precare ante faciem domini, & minue offendicula.Reuertere ad dominũ,& auertere ab iniustitia tua,& nimis odito execrationem, & cognosce iustitias,& iudicia Dei,& sta in sorte propositionis & orationis altissimi Dei.

Isaiæ 30.

Si reuertamini & quiescatis,salui eritis.

Hieremiæ 3.

Vulgò dicitur.Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virũ alium, nunquid reuertetur ad eam vltra?nunquid nõ polluta erit,& cõtaminata mulier illa?Tu autẽ fornicata es cum amatoribus multis,tamen reuertere ad me dicit dominus,& ego suscipiam te,leua oculos tuos in directum,& vide vbi nunc prostrata sis.

Hieremias cap.18.

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei,& subitò loquar de gente & regno, vtę dificem & plantem illud,si fecerit malũ in oculis meis,vt non audiat vocem meam, Pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum vt facerem ei.

Hieremias cap.25.

Reuertimini vnusquisq; à via sua mala, & à pessimis cogitationibus vestris, & habitabitis in terra quam dedit dominus vobis & patribus vestris à seculo,& vsque in seculum.

Ezechiel.cap.33.

Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via & viuat. Conuertimini à vijs vestris pessimis.

Ionas cap.3.

Conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate,quæ est in manibus eorum.Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus,& reuertatur à furore iræ suæ,& non peribimus.

Matth.cap.3.& 4.

Pœnitentiam agite,appropinquabit enim regnum cœlorum.

Matth.ibidem,& Lucas cap.3.

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

Idem cap.11.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos.Tollite iugum meum super vos,& discite à me,quia mitis sum & humilis corde,& inuenietis requiem animabus vestris:iugum enim meum suaue est,& onus meũ leue.

Idem cap.18.

Tunc accedens Petrus ad Iesum dixit: Domini quoties peccabit in me frater meus,& dimittam ei:vsq; septies?Dixit illi Iesus:Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagiesseptíes.

Marcus cap.2.

Non necesse habent sani medico,sed qui malè habent,non enim veni vocare iustos,sed peccatores.

Lucas cap.5.

Non egent qui sani sunt medico,sed qui malè habent,non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Lucas cap.9.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,& tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

Lucas cap.15.

Ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente,quàm super nonaginta nouem iustis,qui non indigent pœnitentia.

Paulus ad Romanos cap.2.

An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Paulus ad Ephesios cap.4.

Deponite vos secundum pristinam conuersationem,veterem hominem qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autẽ

spiritu

ſpiritu mentis veſtræ,& induite nouum hominem,qui ſecundum Deum creatus eſt,in iuſtitia,& ſanctitate veritatis.

Ibidem.

Omnis amaritudo & ira,& indignatio,& clamor,& blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia.Eſtote autẽ inuicẽ benigni, miſericordes,donantes inuicem,ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.

Paulus ad Timoth.primæ cap.2.

Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Actuum Apoſt.cap.3.

Pœnitemini igitur & conuertimini,vt deleantur peccata veſtra.

Iacobus in epiſt.cap.1.

Abijcientes omnem immunditiã & abundantiam malitiæ,in manſuetudine ſuſcipite inſitũ verbum,quod poteſt ſaluare animas veſtras.

Ioannes primæ cap.2.

Filioli mei hæc ſcribo vobis,vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,nõ pro noſtris autem tantùm,ſed etiam pro totius mundi.

Auguſt.& hab.de pœni.diſt.1.cap.Magna.

Magna pietas Dei,vt ad ſolam promiſsionem peccata dimiſerit, nondum pronuntiat ore, & tamen iam Deus audiuit in corde quia ipſum dicere quaſi quoddam pronuntiare eſt.Votum enim pro opere reputatur.

Auguſt.de pœni.diſt.1.cap.Libenter.

Libenter ignoſco,promptè indulgeo,miſericordiam magis volo quàm ſacrificium,quia per ſacrificium iuſtus commendatur,per miſericordiam peccator redimitur: non veni vocare iuſtos,ſed peccatores ad pœnitentiam. In lege ſacrificium,in euangelio miſericordia eſt,lex per Moyſen data eſt,per me gratia.

Auguſt.in ſerm.de pœni.& hab.de pœni.diſt.1.cap.Non ſufficit.

Non ſufficit mores in melius commutare,& à pręteritis malis recedere,niſi etiam de his quę facta ſunt, ſatisfaciat domino per pœnitentiæ dolorem,per humilitatis gemitum,per contriti cordis ſacrificiũ, cooperantibus eleemoſynis & ieiunijs.

Auguſt.in homilia de pœni.& hab.ibidem.cap.In actione.

In actione pœnitentiæ vbi tale commiſſum eſt,vt is qui commiſit,à Chriſti corpore ſeparetur,non tam conſideranda eſt menſura temporis,quàm doloris.

Ibidem cap.Iudicet.

Iudicet ſemetipſum homo voluntate dum poteſt, & mores conuertat in melius, ne cùm iam non poterit, præter voluntatem à domino iudicetur.

Auguſt.in lib.de pœni.& habetur diſt.1.cap.Quem pœnitet.

Quem pœnitet,omnino pœniteat & dolorẽ lachrymis oſtendat,repræſentet vitam Deo per ſacerdotes,præueniat iudiciũ Dei per cõfeſsionem. Præcepit enim dominus mundandis, vt oſtenderent ora ſacerdotibus.docens corporali præſentia confitenda eſſe peccata,non per nuntium,nõ per ſcriptum manifeſtanda. Dixit eñ, ora monſtrate, & omnes,nõ vnus pro omnibꝰ, non alium ſtatuatis nuntium qui pro vobis offerat munus à Moyſe ſtatutum, ſed qui per vos peccaſtis,per vos erubeſcatis. Erubeſcentia eñ ipſa partem habet remiſsionis ex miſericordia. Inde præcepit dominus, vt neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quod per ſeipſum dicit ſacerdoti erubeſcentiam vincit,timore offenſi memor fit criminis.Fit enim veniale per confeſsionem,quod criminale erat operis ratione,& ſi non ſtatim purgatur,fit tamen vitale ꝙ commiſerat mortale.Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum quæ commiſerit nuntio Dei denegauit. Deus autem qui miſericos & iuſtus eſt,ſicut cõſeruat miſericordiam in iuſtitia,ita & iuſtitiam in miſericordia: opus enim eſt miſericordiæ peccãti peccata dimittere,ſed oportet vt iuſtus miſereatur iuſtè. Oportet enim vt non ſolùm quid,ſed in quo doleat,cõſideret,ſi dignus eſt, non dico iuſtitia,ſed miſericordia. Iuſtitia eñ ſola dãnat,ſed dignus eſt miſericordia, qui ſpirituali labore petit gratiam.Laborat enim mẽs patiendo erubeſcentiam,& quoniam verecundia magna eſt pœna,qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia. Vnde apparet, quia quanto pluribus confitebitur in ſpe veniæ turpitudinem criminis,tanto facilius conſequitur gratiam remiſsionis.

Auguſt.ibidem diſt.3.cap.Satisfactio.

Satisfactio pœnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditũ indulgere.

Auguſt.ibidem cap.Si apoſtolus.

Dicit dominus,vade & noli amplius peccare, nõ dicit,nec pecces, ſed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo ſeruabitur, niſi dolor in pœnitentia cõtinuè cuſtodiatur.Hinc ſemper doleat & de dolore gaudeat,& de doloris pœnitentia ſi contigerit ſemper doleat, & nõ ſit ſatis quòd doleat,ſed ex fide doleat & nõ ſemper doluiſſe doleat.

Auguſt.ibidem cap.Pœnitentes.

Pœnitentes(ſi tamen eſtis pœnitentes, & non eſtis irridentes)mutate vitã,recõciliamini Deo, & vos cũ cathena paſcetis. Qua inquis cathena? quę ligaueris in terra,erunt ligata in cœlo. Audis ligaturã,& Deo putas facere impoſturã.Pœnitentiã agis,genua figis, & rides & ſubſannas

patien-

patientiam Dei: Si pœnitentiam agis, pœnites: si non pœnites, pœnitens non es. Si ergo pœnites, cur facis quod malè fecisti? si fecisse pœniteat, noli peccare: si adhuc facis, certè non es pœnitens.

Augustinus lib. Solilo. & habetur de pœnit. dist. 3. cap. Inanis.

Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius: frequenter peccans & lugens vix veniam merebitur: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: nihil valet veniam à malis poscere, & mala de nuò iterare. Persiste ergo in confessione, esto in patientia fortiter confirmatus, vitam bonam quam accepisti tenere nō desinas, propositum bonæ vitæ conserua iugiter.

Augustinus lib. de pœni. & habetur de pœnit. di. 3. cap. Sunt plures.

Sunt plures quos peccasse pœnitet, sed non omninò, reseruantes sibi quędam, in quibus delectentur: non animaduertentes Deum simul mutum & surdum à dęmonio liberasse. Per hoc docet nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reseruari, habenti septem dęmonia, potuit proficere sex expulsis. Expulit autem septem, vt omnia crimina simul eijcienda doceret. Legionem autem ab alio eijciens, neminem reliquit de omnibus, qui liberatum posſideret: ostendens, quod si etiam peccata sint mille, oportere de omnibus pęnitere.

August. lib. de pœni. dist. 5. cap. Consideret.

Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerātia, in varietate personę, & quali fecerit hoc tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status aut officij, aut secundum modum meretricis, & in modo sui operis, & qualiter suam turpitudinem peregit. Si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, vt sunt domus dominorū, aut aliorum multorum: si in tempore orationi constituto: vt festiuitates sanctorū & tempus ieiunij, consideret quantum perseuerauerit, & defleat quod perseueranter peccauit: & quanta virtus fuerit in pugnatione. Sunt qui non solū non inueniuntur, sed vltrò se peccato offerunt, nec expectant tentationem sed præueniunt voluptatem, & pertractant secum quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccauerint. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda, vt cū agnouerit quod peccatum est multum, cito inueniat Deum propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inueniet se, cui⁹ ętatis fuerit, cuius sapientiæ & ordinis & statum omnem alterius non peccantis. Immoretur in istis singulis, & sentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitij, defleat virtutem qua interim caruit.

Augustinus ibid. dist. 7. cap. Si quis positus.

Si quis positus in vltima necessitate suæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed non p̄sumimus quod benè hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus securitatē nō possum⁹. Nūquid dico dānabit? sed nō dico liberabit. Vis ergo à dubio liberari, vis ꝙ est incertū euadere? age pœnitentiā dum sanus es. Si sic agis, dico tibi ꝙ securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiā quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

Ibidem cap. Qui egerit.

Qui egerit pœnitentiam veraciter, & solutus fuerit à ligamento quo erat astrictus, & à Christi corpore separatus, & benè post pœnitentiā vixerit, sicut ante pœnitentiam viuere debuit, post reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, à populo Dei non separabitur.

Ibidem cap. Si quis autem.

Si quis autem, &c. & infrà: Baptizatus ad horam: securus hinc exit: fidelis benè viuens, securus hinc exit: agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm sanus est, & postea benè viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego securus non sum: vnde securus sum dico, & securitatem do: vnde securus non sum, pœnitentiam dare possum, securitatē dare non possum. Et post pauca: Sed vnde scis inquit, ne fortè Deus dimittat mihi? verum dicis, illud scio, hoc nescio: nā nam ideo do tibi pœnitentiam, quia nescio: nā si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem.

Augustinus de pœni. & habetur de pœni. dist. 7. capite Nullus.

Nullus expectet quando peccare non potest: arbitrij enim quærat libertatem, vt delere possit commissa, non necessitatem. Qui prius itaq; à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat ea, non liberè sed quasi necessitate condemnat.

Augu. lib. de ecclesiasticis dogmatibus.

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus & in vltimo vitæ spiritu, si admissorum pœniteat.

Idem super Psalm. 5.

Sunt multi quos peccare non pudet. O incredibilis insania, de vulnere ipso nō erubescis, & de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus fœtidum & putridū est? Confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam, dic iniquitatem meā ego agnosco, & peccatū meū contra me est semper, tibi soli peccaui, quia tu solus sine peccato.

August.

Augustinus lib. de pœnitentia.

Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, & mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit ac roborat.

Hieronymus & hab. de pœnitent. dist. 1. cap. Importuna.

Importuna in Euāgelio mulier tandem meruit audiri, & clauso cum seris ostio, media licet nocte ab amico amica panes tres accepit, Deus ipse qui nullis intra se separari viribus potest, publicani precibus vincitur vel superatur. Niniue ciuitas quæ peccato perijt, fletibus stetit. Quorsum ista tam lōgo repetita principio? videlicet, vt paruum magnus aspicias, vt diues pastor, morbidam ouem non contemnas. Christus in paradisum de cruce etiam latronem tulit, & ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidij pœnam martyrium. Christus inquam prodigum filium reuertentē lætus amplectitur, & nonaginta nouem pecudibus derelictis, vna ouicula quæ remāsit, humeris boni pastoris aduehitur. Vbi verò peccator intelligens vulnus suum, tradet medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis.

Hieronymus in Amos prophetam, & hab. de pœnit. dist. cap. Si agimus.

Si agimus pœnitentiam, ipsum quoque suæ pœnitebit sententiæ.

Hieronymus ibidem, cap. Super tribus.

Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum. Iuxta tropologiam, hoc possumus dicere. Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt: secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis: tertium, quod mente decreueris, opere compleuisse: quartū, post peccatum non agere pœnitentiam, & suo sibi complacere delicto.

Hieronymus & habetur de pœnit. dist. 1. cap. Quia diuinitatis.

Quia diuinitatis natura est clemens & pia, magisq; ad indulgentiam quàm ad vindictam prona, quia non vult mortem peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat: Si quis post lapsum peccatorum, ad verā pœnitentiam se conuertat, citò à misericorde iudice veniam impetrabit.

Hieronymus ibidem cap. Mensuram.

Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia idcircò non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoq; crimine, vt de singulis dicāt, qualiter vnumquodq; emendandū sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligētis relinquēdum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis quàm doloris, nec abstinentia tantum ciborum quàm morticatio vitiorū, propter quod ipsa tempora pœnitentiæ pro fide & conuersione pœnitentium abbreuianda præcipiunt, si pro negligentia protelanda æstimant. Tamen pro quibusdam culpis pœnitentiæ modi sunt impositi.

Hieronymus ibidem, dist. 3. cap. Septies.

Septies in die cadit iustus & resurgit: si cadit, quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non admittit, qui per pœnitentiam semper resurgit, & non solùm septies, sed etiam septuagesiesseptíes delinquenti, si conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur: cui plus donatur, plus diligit. Dauid quoque per pœnitentiam adulterij simul & homicidij veniam impetrauit.

Hieronymus ibidem cap. Totam.

Totā pœnitentiam peccatoris ostendit psalmus quinquagesimus, quando ingressus est ad vxorem Vriæ, & à Nathan propheta correctus, respondit dicens: Peccaui, statimq; meruit audire, & Dominus abstulit peccatum tuum à te. Adulterio enim iunxerat homicidium, & tamē conuersus ad lachrymas, ait: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Magnum enim peccatum, magna indiget misericordia. Vnde subiungit, & dicit: Multum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meā ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, (Rex enim erat, alium non timebat, alium nō habebat super se) & contra te malum feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Conclusit enim Deus oīa sub peccato, vt omnibus misereatur, tantumq; proficit, vt dudum peccator & pœnitens transierit in magistrum, ait: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Confessio & pulchritudo coram eo, vt qui fuerat sua peccata confessus, dixerit: Corruptæ sunt, & computruerunt cicatrices meæ, vt fœditatem vulnerū in sanitatis decorem commutet.

Idem ibidem dist. 3. cap. Nihil Iudæ.

Nihil Iudæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando frater sic in fratrem peccat, vt emendare valeat quod peccauit, potest ei diuinitùs dimitti: sin autem permaneant opera, frustra voce assumitur pœnitentia. Hoc est quod de eo dicitur, & oratio eius fiat in peccatum, vt nō solùm emendare nequiuerit, proditionis nefas, sed proprij homicidij scelus addidit.

Idem super illud Mat. Pœnitemini & credite.

Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compensat, pericula maris, spes lucri delectat, dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem: pœnitentiamq; agit, qui vult æterno adhærere bono. Præconia Christi narrare possunt, qui palmam indulgentiæ meruerunt.

Idem in epistola ad Susannam.

Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat.

Ambrosius super Lucam, & hab. de pœn. dist. 1. cap. Petrus.

Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo: non inuenio quid dixerit, scio quòd fleuit, lachrymas eius lego, satisfactionem non lego.

Ambrosius & hab. de pœn. dist. 1. ca. Nemo.

Nemo potest benè agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam, sed negant his oportere communionem reddi, qui per præuaricationem lapsi sunt. Deus aũt nullum crimen excepit, qui peccata omnia donauit.

Ibidem cap. His potestatis. §. Arbitror peruenire.

Arbitror enim quòd & Iudas potuisset tãta miseratione domini non excludi à venia, si pœnitentiam non solùm apud Iudæos, sed apud Christum gesisset. Qui agit pœnitentiam nõ solùm diluere peccatum lachrymis debet, sed etiam emẽdationibus operiri & tegere delicta superiora, vt non imputetur ei peccatum.

Ambr. & hab. de pœn. dist. 1. ca. Nouit.

Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.

Ibidem cap. Deus.

Deus diffinitionem non facit, qui misericordiam suam omnibus promisit, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine vlla exceptione concesit: sed, qui culpã exaggerauerit, exaggeret pœnitentiam, maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus.

Idem lib. 1. de Cain & Abel.

Egressus malitiæ, virtutis operatur ingresũ, eodemq; studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.

Ambrosius lib. de Ioseph, cap. 36.

Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda iniuriasq; subeũdas, nec cõmoueri, si quis ei peccati sui crimen obijciat.

Idem super tertia ad Simplicianum.

Nihil peccare, solius est Dei, emendare, sapientis: corrigere erratũ, & pœnitentiam agere de peccato, ita tamen difficilè est in hac vita homini. Quid enim tam rarum, quàm vt inuenias virum qui seipsum coarguat, & factum cõdemnet suum? Rara itaq; confesio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi huius assertio. Repugnat ei natura, impugnat verecundia. Natura quia omnis sub peccato qui carnẽ gerit, culpæ obnoxius est: ergò repugnat natura carnis, & illecebra seculi, innocentię integritatiq;, repugnat etiam verecundia. Quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri, dum præsentia magis quàm futura cogitat.

Ambrosius in sermone ad Vincula.

Fidelior factus est Petrus, postquàm fidem se perdidisse defleuit, atq; ideò maiorem gratiã reperit, quàm amisit.

Gregorius in æsti. tempus, & hab. de pœn. dist. 3. c. Pœnitentiam.

Pœnitentiam quippe agere dignè non possumus, nisi modum quoq; eiusdẽ pœnitentiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam, qui sic alia deplorat, vt iterũ alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelet?

Gregor. ibidem §. Sunt qui.

Sunt qui dicunt, pauci temporis pœnitentiã contra peccatum debere sufficere, vt iterum liceat ad peccatũ redire. Rectè hos pastoris primi sentẽtia percutit, qui ait: Canis reuersus ad suũ vomitũ, & sus lota in volutabro luti. Magna est enim contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed & si quis in eadem pœnitentia perseueret. Pœnitentiam veram agere, est commissa plangere, & iterum plangenda declinare.

Greg. in Pasto. de pœnit. dist. 3. ca. Qui admissa.

Qui admissa plangit, nec tamẽ deserit, pœnæ grauiori se subijcit, quia ipsam quam flendo impetrare potuit veniam contemnit.

Ibidem cap. Lauamini.

Lauamini & mundi estote, post lauacrum enim mundus esse negligit, quisquis post lachrymas, vitæ innocentiam non custodit. Lauantur ergo nec mundi sunt, qui cõmissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt.

Gregorius in Moral. & hab. ibidem, cap. Incassum.

Incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia & frustra velociter currit, qui priusquàm ad metas venerit, deficit.

Idem in pastorali cap. 52.

Fit plerunq; gratior Deo amore ardẽs vita post culpam, quàm in securitate torpens innocẽtia.

Idem super illud. Matth. 3. facite fructum pœni.

Vnusquisq; conscientia cõuenitur, vt tantò maiora quęrat bonorũ lucra per pœnitentiam, quantò grauiora intulit damna per culpam.

Gregorius in homilia 25.

Immensam clementiam cõditoris nostri debemus aspicere, qui nobis in signum, pœnitentiæ exemplum posuit eos, quos per pœnitentiã post lapsum viuere facit. Perpendo enim petrũ, cõsidero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam Magdalenam, & nil in eis aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla. Fortasse enim ex fide lapsus est aliquis, aspiciat Petrum, qui amare fleuit quod timidus negauit: alius, qui supra proximum suum immani crudelitate exarsit, aspiciat latronem, qui in ipso mortis articulo, ad vitę prēmia pœni-

pœnitendo peruenit: alius, auaritię æstibus altè aliena diripuit, aspiciat Zachæum, qui alicui abstulit, quadruplum ei reddidit: alius, igne libidinis succensus carnis munditiam perdit, aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis igne diuini amoris excoxit.

Gregor. homil. 19. super Euang.

Apud misericordiæ iudicē nec ille fallax habebitur, qui ad veritatē reuertitur etiam, postquàm mentitur. Quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiā suscipit, ipse suo iudicio hoc quando errauimus abscondit.

Idem homil. 33. super Euang.

Quot habuit in se oblectamenta, tot de se inuenit holocausta, conuertit ad numerum virtutum, criminum numerū, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Déum cōtempserat in culpa.

Gregor. Moral. lib. 23.

Quatuor sunt qualitates quib9 iusti viri anima in cōpunctione vehementer afficitur. Cùm aut suorū malorū non reminiscitur, cōsiderando vbi fuerat: aut iudiciorū Dei sententiā metuens, & secum quærens, cogitat, vbi erit: aut cùm mala vitæ præsentis solerter attendens, cōsiderat vbi est: aut cùm bona supernę patrię cōtemplans, lugens conspicit vbi non est.

Gregor. Moralium lib. 24.

Tres modi conuersorum, inchoatio, medietas & perfectio: in inchoatione inueniunt blandimenta dulcedinis: in medio certamina tentationis: in extremo perfectio plenitudinis. Prius igitur dulcia suscipiunt, quibus consolentur, postmodum amara quæ exerceant, & tunc demum suauia quæ confirmant.

Idem lib. 31.

Quò plus caro præmitur, eò plus cælesti spe animus securus lętatur. Tantò em̄ melius mens ad superna appetenda componitur, quantò ab illicitis corpus arctius edomatur.

Ioannes Chrysost. & habetur de pœni. dist. 3. cap. Perfecti.

Perfecta poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre: & infrà. In corde eius contritio, est fructifera poenitentia.

Idem super Matt. 23. cap. Onera grauia.

Si errauimus paruam poenitentiam imponēdo, melius est de misericordia Dei rationem, quàm de austeritate reddere. Vbi enim paterfamilias est largus, dispensator non debet esse auarus: vt si Deus benignus, vt quid sacerdos austerus.

Ibidem.

Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parua mandantem, & grauia facientem.

Idem super Matth. homil. 32.

Non dolere quia peccaueris, magis indignari atq; irasci facit Deum, quàm illud peccatum quod antè perpetraueris.

Isidorus de summo bono & hab. de pœni. dist. 3. cap. Irrisor.

Irrisor est nō pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reuersus ad suū vomitum est poenitens ad peccatum. Multi em̄ lachrymas indesinenter fundunt & peccare nō desinūt. Quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiā cerno, & affectū poenitentiæ nō habere, quia incōstantia mentis, nō recordatione peccati lachrymas fundunt. Nunc verò reuiuiscente vsu ea quæ fleuerunt, iterando committunt. Esaias de peccatoribus dicit. Lauamini, mundi estote. Lauatur & mūdus est, qui & peccata plāgit, & flenda iterum nō admittit. Lauatur & nō est mundus, qui plangit quæ gessit nec deserit, & post lachrymas ea quæ fleuerat repetit.

Isidorus lib. 3. de summo bono.

Poenitentia est medicamentū vulneris, spes salutis, per quā peccatores saluantur, per quam Deus ad misericordiā prouocatur, quæ nō tempore pensatur, sed profunditate luct9 & lachrymarum. Poenitentia autem non mensium, nec temporū cursu poena pensatur, sed poena qua anima cruciatur, & mortificatur caro.

Leo Papa, & habetur de pœniten. distinct. 1. cap. Sufficit.

Sufficit poenitenti confessio, quę primùm Domino offertur: deinde sacerdoti, qui pro delictis poenitentium, precator accedit.

Leo Papa in sermone ibidem, dist. Non est ibi.

Inter omnia sceleratior omnibus ô Iuda, & infelicior omnibus extitisti, quem nō poenitētia reuocauit ad Deum, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses consummationem criminis tui & donec sanguis Christi pro peccatoribus effunderetur, informis lethi suspendiū detulisses.

Hugo lib. 3. de mysterijs ecclesiast.

Poenitentia dicta quasi punientia, eo quod ipse homo in se poenitendo punit quod admisit. Tria enim quę sunt in percussione pectoris, pectus, sonus & manus, significāt quod poenitētia est de his, quæ mēte & opere peccauimus.

Lactantius Firmia. diui. institu. lib. 6. cap. 13.

Agere autem poenitentiam nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se vlterius nō peccaturum. Ignoscitur itaq; his, qui ad peccatum ignoranter, imprudenter, incauteq́; labuntur: veniam non habet, qui sciens peccat.

Ibidem lib. 6. cap. 24.

Nec tamē deficiat aliquis, aut de se desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus ad iniustitiæ viā lapsus est: potest enim reduci & liberari,

si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus, satis Deo faciat.

Ibidem.

Nemo potest esse tam prudens, tam circumspectus, vt aliquando non labatur. Et iccirco Deus imbecillitatẽ nostram sciens, sua pietate aperuit nobis portũ salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas carnis subiecta est, medicinæ pœnitẽtia subueniret. Ergo quicunq; aberrauerit, referat pedem, seq; quàm primũ recipiat ac reformet. Sed reuocare gradũ superasq; euadere ad auras, hoc opus hoc labor est. Degustatis enĩ malè iucundis voluptatibus vix diuelli ab his possunt, facilius recta sequerẽtur, si earũ suauitates non attigissent: sed si eripiant se malæ seruituti, condonabitur his omnis error, si errorẽ suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquàm putet, si delicti conscium non habebit, scit ille omnia in cuius conspectu viuimus. Etsi vniuersos homines celare possumus, Deũ non possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum.

Seneca ad Lucilium epist. 22.

Nemo cum sarcinis enatat, emerge ad meliorem vitam propitijs dijs.

Seneca Tragœdia 8.

Quem pœnitet peccasse pene est innocens.

Ibidem.

Nam sera nunquam est ad bonos mores uia.

Menander.

ἡ δὲ μετάνοια γίγνετ᾽ ἀνθρώποις κρίσις. id est.

Pœnitentia fit hominibus iudicium.

Periander.

ἁμαρτὼν μεταβολεύου. id est.

Cùm peccaueris subeat te pœnitentia.

Plautus in Aulularia.

Qui homo culpam admisit, in se nullus est tam parui prætij, quin pudeat, quin purget sese.

Ouidius lib. 1. de Remedio Amoris.

Vtile propositum est, sæuas extinguere flammas,
Nec seruum uitijs pectus habere suum.

Ibidem.

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuêre moras.
Sed propera, nec te uenturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ibidem.

Si citò sensisses quantum peccare parabas:
Non tegeres uultus cortice myrrha tuos.
Vidi ego quod fuerat primò sanabile uulnus
Dilatum, longæ damna tulisse moræ.
Sed quia delectat Veneris decerpere fructus,
Dicimus assiduè, cras quoq; fiet idem.
Interea tacitè serpunt in uiscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.

Ouidius lib. 1. de Ponto.

Talia cœlestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid ualeant numina teste probent.
Sæpe leuant pœnas ereptaq; lumina reddunt,
Cùm benè peccati pœnituisse uident.

Ouidius epist. Penelopes ad Vlyss.

Irascor uotis heu leuis ipsa meis.

Dantes Canti. inferni. 27.

Absoluer non si puo chi non si pente,
Ne pentir e uoler in sie puosi
Per la contradiction che nel consente. id est

Absolui non potest, quem criminis non pœnitet,
Nec pœnitere & uelle simul stant,
Propter contradictionem, quæ id non patitur.

Dantes Canti. 3. Purgatorij.

Ver è, che qual in contumacia more:
Di sancta giesa, anchor cal fin si penta,
Star li conuien da questa ripa in fore,
Per ognum tempo che glie stato trenta,
In sua presumption, se tal decreto
Piu corto per bon prieghi non douenta. id est,

Verum est, ut qui in contumacia moritur
Sanctæ ecclesiæ, quamuis in fine pœniteat,
Stare oportet ab hac ripa foris,
Per omne tempus quo stetit, triginta
In sua præsumptione, si tale edictum
Breuius bonis precibus non efficitur.

Dantes Canti. 9. purgatorij.

Noi fummo gia tutti per forza morti.
Et peccatori in fin allulte mora,
Quiui lume del ciel ne feci accorti:
Si che pentendo & perdonando fuora
De uita uscinimo a dio pacificati,
Che dal di sio di se ueder naccorra, id est,

Nos fuimus olim omnes ui perempti,
Et peccatores usq; ad extremam horam,
In qua lumen cœleste nos monuit:
Ea propter pœnitendo & parcendo extra
Vitam exiuimus Deo pacificati,
Vt ad se uidendum summè nos alliceat.

Dantes Canti. 9. paradisi.

Vedi se far si de lhomo excellente,
Si chaltra uita la prima relinqua,
E cio non pensa la turba præsente:
Che ta iamento & adice richiude,
Ne per esser batua anchor si pente. id est,

Vide si fieri debet homo excellens,
Sic ut altera uita primam relinquat.
Ad id non cogitat iam turba præsens,
Quam Tiliauentum, & Athesis circundant,
Nec quamuis uerberata adhuc pœnitet.

Dantes Canti. 10. purgato.

Non uo pero lector che tu tismaghi
Di bon proponimento, per udire
Come dio uol chel debito si paghi.
Non attender la forma dil martyre,
Pensa la successiõn, pensa che peggio,
Oltre la gran sentenza non puo ire. id est,

Nolo

Nolo ob hoc lector ut terrearis
A bono proposito, quod uideris
Qualiter Deus uult ut debitum persoluatur.
Non attendas qualitatem martyrij:
Animaduerte successum ipsum, cogita peius,
Vltra magnam sententiam ire nequis.

Francisc. Petrar. soneto 24.

Piu gloria e nel regno de li electi
Dum spiritu conuerso, & piu sistima,
Che di nonnanta noue altri perfecti. id est,
Maius est gaudium in regno electorum
Vnius spiritus conuersi, & pluris fit,
Quàm nonaginta nouem aliorum perfectorum.

Francisc. Petrar. canti. 19. stantia 1.

Chi smarrita ha la strada torni in dietro. id est,
Qui rectum iter exijt, reuertatur.

Poeta græca dictio est ποιητής ου ὁ & ποιητικός ου ὁ poëticus dicitur. Quid autem sit poëta innuitur ab Horatio Sermonum 1. dicẽte: Ingenium cui sit, cui mens diuinior atq; os Magna sonaturum des nominis huius honorem. Sanè poëta dici latinè potest factor, nam à ποιέω ꝙ est facio deriuatꝰ: & cùm apud grecos prima sit diphthongus oi, nos abijcientes i. retinemus o, euphoniæ causa. Ne conuersa œ diphthongus quæ apud nos sonum habet solius e, & cùm simpliciter secunda sit e, dissonantiam soni conficere videretur. Inde veniunt poema & poesis ipsum figmentum, & poeticum quod ad poetam attinet, & poetor verbum, quod est in poetica exerceor, siue poetam ago.

August, lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 13. & Confess. lib. 1. de Poëtis loquens.

Didici in eis vtilia multa.

Ibidem.

Legi Iouem tonantem & adulterantem. Fingebat hoc Homerus, humana ad Deos trãferebat, diuina mallem ad nos. Non accuso verba quasi vasa electa atq; prætiosa, sed vinum erroris propinatur ab ebrijs doctoribus. Et nisi biberemꝰ cedebamus, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat.

Hieronymus in epistola de duobus filijs.

Dæmonum cibus est carmina poëtarum, secularis scientia, rhetoricorum pompa verborũ. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla iustitiæ refectio reperitur: studiosi earum, in fame veri & virtutum penuria perseuerant.

Ibidem.

Nugas tenemus, & fonte veritatis amisso opinionum riuulos consectamur.

Ibidem.

Sacerdotes dimissis euangelijs & prophetijs, videmus comœdias legere, & amatoria, Bucolicorum versuum cantare verba.

Cic. in oratione pro Archia Poëta.

Atqui sic à summis eruditissimisq; hominibus accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina & præceptis & arte constare, poetam natura ipsa valere, & mẽtis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu inflãmari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quòd quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur iudices sanctum apud vos humanissimos homines hoc poetę nomen, quod nulla vnquam barbaria violauit, * saxa & solitudines voce respõdent. Homerum Colophonij ciuem suum esse dicunt. Chij suum vendicant. Salamini reputãt. Smirnij verò suum esse confirmant *. Charus fuit Africano superiori noster Ennius: itaq; etiam in sepulchro Scipionũ putatur is esse constitutus. Quid noster hic magnus qui cum virtute fortunam æquauit? Nónne Theophantem Mityleneum scriptorem rerum suarum, in concione militũ ciuitate donauit: & nostri illi fortes viri sed rustici ac milites, dulcedine quadã gloriæ commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbauerunt.

*Multa desunt.

*Et hîc quoque.

Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstionum.

Quid poetæ, nónne post mortem nobilitari volunt? vnde ergo illud: Aspicite ô ciues senis Ennij imaginis formam, hic vestrũ pinxit maxima facta patrum. Mercedem gloriæ flagitat ab his, quorum patres affecerat gloria. Idemq;. Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu Faxit, cur? volito viuus docta per ora virũm.

Ibidem.

Mihi verò ne hæc quidem notiora & illustriora carere, vt diuina videntur, vt ego aut poetam graue plenumq; carmen sine cęlesti aliquo mẽtis instinctu putem fundere, aut eloquentiã quandam sine vi fluere abundanter, sonãtibus verbis vberibusq; sententijs.

Plinius lib. 7. cap. 29.

Alexander Magnus inter spolia Darij Persarum regis vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisq; ac margaritis præciosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus: quando tædebat vnguenti bellatorem & militia sordidum: imo hercule inquit, librorum Homeri custodiæ detur, vt præciosissimum humani animi opus, quàm maximè diuiti opere seruaretur. Idem Pindari vatis familiæ penatibusque iussit parcere, cùm Thebas raperet. Aristotelis philosophi patriam, suam credidit. Archilochi poetæ interfectores, Apollo arguit Delphis. Sophoclem Tragici cothurni principem defunctum, sepelire Liber pater iussit. Obsidentibus mœnia Lacedæmonijs, Lysandro eorum rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur humari delicias suas: requisiuit rex, quis supremum diem Athenis obijsset, nec difficulter ex ijs quę Deus significasset intellexit, pacemque funiri dedit.

Strabo in primo.

Sapientissimi, qui de poeticis quicquã elocuti sunt, primam quandam philosophiam poeticam esse asserunt. Et inferiùs: Antiqui verò poeticam primam philosophiam quandã esse perhibent, quę ab incunte nos ętate ad viuendi rationes adducit, quæ mores, quę affectiones edoceat, quæ res generosas cum iucunditate præcipiat: posteriores verò solùm poetam ipsum sapientem esse asseruerunt. Quamobrem Græcorum ciuitates, ab ipso primordio, eorum liberos in poëtica erudierunt, nõ vtiq; voluptatis, sed castæ moderationis gratia. Et infrà: Nunqd & poëtarum auditoribus nihil confert ad virtutem, vt locorum multorũ & militiæ & agriculturæ gnari existant.

Quintilianus lib. 1.

Denique credamus summis oratoribus, qui veterum poëmata vel ad fidem causarum, vel ad ornamentũ eloquentiæ assumunt. Nã præcipuè quidam apud Ciceronem, frequentius tamen apud Asinium etiã & cęteros qui sunt proximi, vidimus Ennij ac Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij & aliorum inferri versus, summa nõ eruditionis modo gratia, sed etiã iucunditatis: cùm poëticis voluptatibus aures à forensi asperitate respirent. Quibus accidit non mediocris vtilitas, cùm sententijs eorũ velut quibusdam testimonijs quæ proposuêre confirment.

Idem lib. 5.

Sententijs quidem poëtarum non orationes modò sunt refertę, sed libri etiam philosophorum. Et quanquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen authoritatem à pluribus versibus, non fastidierunt.

Aulus Gellius lib. 13. cap. 15.

Qui verba latina fecerunt, humanitatem appellarunt id propemodum quod gręci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionmq; in bonas arteis dicimus: quas qui synceriter cupiũt, appetuntque, ij sunt vel maximè humanissimi. Huius enim scientiæ cura & disciplina ex vniuersis animantib. vni homini data est, idcircoq; humanitas appellata est.

Aristoteles lib. 1. Meteorum.

Philomythes & fabularum amator est æqualiter philosophus, quia fabula ex mirabilibus cõstituitur, μυθώδης autem fabulator est nobis, μῦθος fabula.

Idem lib. 1. Poëtriæ.

Omnis oratio poëtica vel est laudatio aut vituperatio.

Ibidem.

Ars poëtica est ars logicalis.

Ibidem.

Homo naturaliter delectatur in symphonia & in metro.

Ibidem.

Animæ virtuosæ & nobiles naturaliter adinuenerunt artem carminum ad laudandum: animæ verò deficientes ab his de nobilitate adinuenerunt carmina ad vituperandum.

Valerius Max. lib. 3. de fiducia sui.

Ne Euripides quidẽ Alcestidi Tragico poëtæ respondit probabile, apud quem cùm quereretur, quòd eo triduo non vltra tres versus sine maximo impenso labore deducere potuisset, atq; is se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: sed hoc, inquit, interest, quòd tui in triduum tãtummodò, mei verò in omne tempus sufficient. Alterius enim fœcũdi cultus scripta intra primas memoriæ metas corruerunt, alterius cunctante stilo elucubratum opus, per æui tempus plenis gloriæ velis feretur.

Seneca lib. de Beneficijs.

Istæ ineptiæ poëtis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est, & dulcem fabulã nectere: sed qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, ac memoriam officiorũ animis ingerere volunt, seriò loquãtur & magnis viribus agant.

Homerus in ι Odisseæ.

καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ
τοιοῦ δ᾽ οἷος ὅδ᾽ ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν. id est.

Honestum est audire poëtam
Talem, qualis hic est deis similis in uoce.

Idem in θ Odisseæ.

πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, οὕνεκ᾽ ἄρα σφέας
οἴμας μοῦσ᾽ ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φυλὸν ἀοιδῶν. id est.

Apud omnes homines terrestres poëtæ:
Honoris particpes sunt & reuerentiæ: quoniã certè illos
Cantus Musa docuit, amatq; genus poëtarum.

Vrbes Homerum sibi uendicantes, secundùm Aulum Gellium lib. 3. cap. 11.

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
σμύρνα, ῥόδος, κολοφών, σαλαμίν, ἴος, ἄργος, ἀθῆναι, i.

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophõ, Salamin, Ius, Argos, Athenæ.

Boët. in princ. operis sui de Consolat.

Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camœnæ.
Et ueris elegi fletibus ora rigant.
Has saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Lucanus Pharsaliæ lib. 9.

O sacer & magnus uatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus æuum.

Horatius Carminum 4. Ode 8.

Dignum laude uirum Musa uetat mori:
Cœlo Musa beat.

Ibidem Ode 9.

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte, carent quia uate sacro.

Paulùm sepultæ distat inertiæ,
Celata uirtus.

Idem de Arte Poëtica.

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam
Viribus. & uersate diu, quid ferre recusent,
Quid ualeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Ibidem.

Quandoq; bonus dormitat Homerus.

Ibidem.

Vt pictura, poësis erit, quæ, si propiùs stes,
Te capiet magis, & quædam, si longiùs abstes.
Hæc amat obscurum, uolet hæc sub luce uideri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Ibidem.

-Mediocribus esse poëtis,
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Ibidem.

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua.
Id tibi iudicium est, ea menes, si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras nonumq; prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit.
Quod non ædideris, nescit uox missa reuerti.
Syluestreis homines sacer, interpresq; deorum,
Cædibus, & uictu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tygreis, rapidosq; leones,
Dictus & Amphyon, Thebanæ conditor aras,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet, fuit hæc sapientia: quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis:
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida molliri, leges incidere ligno,
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atq;
Carminibus uenit pòst hos insignis Homerus,
Tyrtæusq; mareis animos in Martia bella
Versibus exacuit, dictæ per carmina sortes,
Et uitæ monstrata uia est, & gratia regum
Pierijs tentata modis, ludusq; repertus,
Et longorum operum finis, ne fortè pudori
Sit tibi Musa lyræ solers & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude, quid prosit uideo ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Idem Sermonum lib. 1. satyra 4.

-Quem uis media erue turba,
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat:
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum.
Hunc capit argenti splendor, stupet Albius ære.
Hic mutat merces surgente à sole ad eum, quò
Vespertina teget regio, quin per mala præceps
Fertur, uti puluis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut amplict ut rem.
Omnes hi metuunt uersus, odere poëtas.
Fœnum habet in cornu, longè fuge. dum modò risum
Excutiat sibi, non hic cuiquàm parcet amico.

Ibidem.

-Neq; enim concludere uersum
Dixeris esse satis, ne si quis scribat, uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atq; os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Idem epist. lib. 2.

Os tenerum pueri, balbumq; poëta figurat.
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem.
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert, orientia tempora notis
Instruxit exemplis: inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, uatem nisi musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit.
Cœlestes implorat aquas docta prece blandus:
Auertit morbos, metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine dij superi placantur, carmine manes.

Ibidem.

Ille per extentum funem mihi posse uidetur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt magus: & modò me Thebis, modò ponit Athenis.

Ibidem epist. 2.

Præter cætera, Romæ mé ne poëmata censes
Scribere posse, inter tot curas, totq; labores?

Ibidem.

Hàc rabiosa fugit canis: hàc lutulenta ruit sus:
I nunc, & uersus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbeis?
Ritè cliens Bacchi, somno gaudentis, & umbra.
Tu me inter strepitus nocturnos, atq; diurnos
Vis canere, & contracta sequi uestigia uatum?

Ibidem.

Multa fero, ut placem genus irritabile uatum.

Ibidem.

Ridentur, mala qui componunt carmina: uerùm
Gaudent scribentes, & se uenerantur, & ultrò
Si taceas, laudant, quitquid scripsere beati

Catullus:

Nam castum decet esse poetam.
Ipsum, uersiculos nihil necesse est.

Ouidius lib. 2. artis Amandi.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur,
Dummodo sit diues, barbarus ille placet. Ibidē.
Ipse licet uenias musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Ibidem lib. 3.

Quid petitur sacris, nisi tantùm fama poëtis?
Hoc uotum nostri summa laboris habet.
Cura ducum fuerant olim, regumq; poetæ:
Præmiaq; antiqui magna tulêre chori.

Sanctáq; maiestas, & erat uenerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi
Nunc hederæ sine honore iacent operatáq; doctis
Cura uigil musis, nomen inertis habet.
Sed famæ inuigilare iuuat: quis nosset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus?

Ibidem.

Adde, quòd insidiæ sacris à uatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoq; nostra bonos.

Ibidem.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli:
Sedibus æthereis spiritus ille uenit.

Idem Amorum lib.1. Eleg.10.

Scindentur uestes: gemmæ frangentur, & aurum,
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

Idem Elegia ultima.

Quid mihi liuor edax ignauos obijcis annos?
Ingenijq; uocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet ætas,
Præmia militiæ puluerulenta sequi?
Nec me uerbosas leges ediscere, nec me
Ingrato uoces prostituisse foro?
Mortale est, quod quæris opus: mihi fama perennis
Quæritur, ut toto semper in orbe canar.
Nulla Sophoclæo ueniet iactura cothurno.
Cum sole, & luna semper Aratus erit.

Ibidem.

Ergo cùm silices, cùm dens patientis aratri
Depereant æuo, carmina morte carent.
Cedant carminibus reges, regumq; triumphi:
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Idem Amorum lib.3. Elegia 8.

At sacri uates, & diuûm cura uocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

AMANTIVS. POëta dicitur factor, vel fictor, à Græco verbo ποιέω, id est facio vel fingo: hinc poëma & poesis ipsum figmentũ, & poetor, id est, in poetica exerceor vel poetam ago.

Horatius 1. sermonum lib. satyra 4. innuit quis sit poeta, his versibus:

Putes hunc esse poetam,
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atq; os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Cicero in lib. de optimo genere Oratorum.

Cicero varia genera poematum enumerat, scilicet tragicum, comicum, epicum, melicum, ac dithyrambicum, quod magis tractatum sit à latinis, & quoduis esse diuersum à reliquis: in tragœdia comicum vitiosum esse, & in comedia turpè tragicum: porrò in cæteris suum cuique certum sonum, & quandam intelligentibus notam esse vocem.

Cicero lib.2. de Oratore.

Sæpe ipse audiui, poetam bonum nullum (id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam aflatu quasi furoris.

Codrus Bononiensis in 8. sermone habito de laudibus Homeri.

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Latinè sic.

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smirna, Rhodus, Colophõ, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

Ego autem cùm videam tot varias sententias, Homerum κοσμοπολίτην, id est, ciuem mundi, quod de se dicere solebat Socrates, appellarem. Huic meæ sententiæ conuenit Antipater poeta, qui epigramma huiusmodi de Homero scripsit, quod Guarinus Veronẽsis latinum ita fecit:

Diceris à multis Colophonis alumnus Homere,
Hic tibi dat Smyrnam, præbet at ille Chium.
Quin & Ion quidam, Salamina superbam,
Thessaliam multi te genuisse ferunt.
Sunt & qui memorent alijs te sedibus ortum:
Sic uarijs natus crederis esse locis.
Dicere si liceat mihi Phœbi oracula, cœlum
Certa tibi patria est, Calliopea parens.

Cicero uocabulum poetæ pro fictione usus est, in oratione pro M. Cœlio.

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraq; fictas omnium insidias facilè se per seipsam defendat. verùm hæc tota fabella vetus, & plurimarum fabularum poetria, quàm est sine argumento, quàm nullum inuenire exitum potest.

D. Augustinus lib.2. de ciuitate Dei cap.13. & lib.1. confess. de poetis loquens dicit, didici in poetis vtilia multa.

Poesis mores format. Ouidius lib.3 de arte amandi.

Adde quod insidiæ sacris à uatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoq; nostra bonos.
Nec nos ambitio, nec amor nos urget habendi,
Contempto colitur lectus & umbra foro.

Ibidem.

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores conuenienter eunt.

Horatius in arte poetica.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere uitæ.

Laus poeticæ, ex Cœlio in antiquis lectionibus lib.4. cap.1. desumpta.

Doctissimum quemque sic de poetica pronunciasse animaduerte, veluti sit ea prima quædam philosophia, quæ nobis à cunabulis quodam modo vitæ rationem commonstret: quid agendum, quidúe declinandum, iucun- Poeta sapiens. Poetica musica philosophia.

iucunditate præscribat, adeò vt nonnulli postea dicere minùs addubitarūt, poëtam solùm esse sapientem. Quo nomine Græcorum nobilissimi ab ineunte ætate sic instituebantur, nō quia voluptatem toto impetu captarent, sed vt optimis statim imbuerentur: Quoniam se esse morum magistros musici profiteantur, idque cum Pythagoricis comprobat Aristoxenus, itē & Horatius,

Poetæ magistri morum.

Ex lib.2 epistola 1.ad Augustum Cæsarem.

Os tenerum pueri, balbumq; poëta figurat,
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis & inuidiæ corrector & iræ.

Poetæ casligatores & cātores sunt.

Homerus literarum parens in Clytemnestrę custodia poëtas cantores & castigatores esse putat, vt qui philosophi sint, ac ex musis omnia sciant, quum & sapientiæ magnitudine etiam vaticini censeantur.

Cicero in oratione pro Archia poëta.

Ennius sanctos appellat poëtas, quòd quasi aliquo Deorum dono atq; munere commendati nobis esse videantur, proinde minùs mirum, si non alium esse poëtam, quàm virum bonum statuunt prudentiores. Adeò autem multiplex poëtarum eruditio est, adeò necessaria, summis coniuncta emolumentis, vt nec defuit qui solutam orationem poëtices videri imitationem, argumentis astruere nitantur, ceu poëtę primùm prodierint, mox qui metrum soluerint: Cadmus, Pherecides, Hecateus, quod prima in Homerum scribit commentatione Eustachius: & quia genus id orationis magnitudinē habet ac sublimitatem, estq; ἔποχον, id est, equo vehitur: inde quæ talis non est oratio, ex humilitate pedestris dicitur, vt quæ ex alto in solum sit delapsa paulatim: ita vt Rhetoricæ elocutionis & artis dicendi fons, sit ipsa poëtica.

Laus poëtarum ac poëticæ, poëta unde, uaria genera poëmatum.

Plato in lib.2. de Repub. poëtas Deorum filios vocat: in Lyside, adeo poëtas admiratur, vt eos sapientiæ patres nuncupet, ac duces. Et in Ione carminis excellentis poetam nō arte fieri scribit, sed aflatu diuiniore: imo vero, inquit, musa diuino instinctu concitat poëtas: conciti poëtæ, alios timore corripiunt, vt fiat annulorum quodam modo mirus ordo, qualem creditur magnes efficere: addit & paulò pòst, nil aliud esse poëtas, quàm Deorum interpretes, dū aflantur furore. Porrò idem in Phædro scribit, non hominum esse inuenta, præclara poemata: sed cœlestia munera: argumento illud esse, q̄ nemo etiamsi orbem illum doctrinarum obierit acuratissimè excellens euaserit poëta, ni cœlestis ille vigor & concitatio accesserit feruentior, vt vera fiat illa assertio ex Fastorum 6.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Hanc diuinitatem poëticam & Democritus astruxit. Plato idem in Cratylo scrutans, qui sint verorum nominum doctores, Sophistas irridens poëtas censet adeundos, nec quoslibet etiam in triuio, sed diuinos, ceu à dijs hi plane didicerint nomina rerum vera, apud quos ea demùm reperiantur.

Cœlius lib.4. antiquarum lectionum cap.2.3.4.5.

Poëtę nomē inde ꝓpagatū scribit Eustachius, quod ποιεῖν signet ἐμμέτρως cantare vel scribere. Fabius Quintilianus inquit, perito quodam initio infusum, & aurium mensuræ, & similiter decurrentium spaciorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Aristoteles poësin ex imitatione natam primùm ostendit: quoniam imitandi studium sit ab ineunte ætate homini innatum, & eo à brutis differat. Mox subdit, ad metrum natura procliues maximè paulatim produxisse poësin, ac genuisse, ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, quod non aliud sonare videtur, quàm ex rudi principio & hac imitandi ratione. Vnde poesis ortum ducit, diuulsa disparataque ars est, ac abijt quodammodo in membra plura, sicuti hymnos alij, & laudes concinnarunt: alij monodi, alij lyrici, alij comici, quidam tragici vocantur: communi nomine omnes, poëtæ Lyrici dicti, quòd ad Lyram eorum carmina concinnuntur, vt Pindari principis in hoc genere, Monodorū peculiare est, sub vna tantùm persona argumentum explicari quodlibet, quod illi dicunt μονοπροσώπως ἀφηγεῖσθαι. Est enim monodia, cantus lugubris. Comicorum, risus est proprius cum choris & personis: Tragicis, familiaris est miseria & calamitas.

Poëtarum lectio quid Oratori conferat.

Plurimùm dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poëtarum, multiq; eius iudiciū sequūtur, neq; immeritò: namq; ab ijs & in rebus spiritus & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optimè rerum talium blandicia reparantur. Meminerimus tamen non per omnia poëtas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, genus ostentationi comparatum: & præter id quod solam petit voluptatē, & eam non falsa modo fingendo, sed etiam quędam incredibilia sectatur, patrocinio quoq; aliquo iuuari, quòd alligati ad certā pedum necessitatem, non semper vti proprijs possint, sed repulsi à recta via, necessariò ad eloquendi quædam diuerticula confugiant: nec mutare quædā modo verba, sed extendere, corri-

corripere, conuertere, diuidere cogantur. Nos verò armatos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad victoriam niti decet.

Hæc Quintilianus lib. 10. cap. 1. de copia verborum.

Poëtæ diuini ex lib. Fast. Ouidij 6.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Idem in tertio, de arte Amandi.

Est Deus in nobis, sunt & commertia cœli,
Sedibus æthereis spiritus ille uenit.

Isocrates in Parenesi ad Dæmonicum.

Poëtarum optimæ sententiæ discendæ, & quę alij viri eloquentes vtiliter præceperunt legẽda sunt: nam vt apes videmus omnibus quidem flosculis insidere, & de singulis vtilia carpere: sic eruditionis comparandæ studiosos nihil inexploratum relinquere, sed vtilia vndiq; colligere decet.

Poëtæ & studia eorum in nullo precio sunt, neq; habentur, ergo miseri.

Poëtarum sors dura & misera.

Heu miseram sortem, duramq; à sydere uitam,
Quam dat doctiloquis uatibus ipse Deus.
Siue Deus, seu fata ferant, seu nostra uoluntas,
Sunt miseri ingenijs qui micuêre suis.
Virgilius patrios miserandus perdidit agros,
Et seruus stabulis factus in urbe fuit.
Proscriptus Geticas habitauit Ouidius oras,
Et procul à patria barbara regna tulit.
Tarpeiæ inuisus fuerat sed Horatius urbi,
Solus Mecœnas uerus amicus erat.
Ast ego Germano qui primus in orbe poëta,
Cui scripta est multis patria carminibus,
Et uirtus laudata bonis, scelera exagitata,
Quæ pia posteritas non sine laude canet:
Me miserum quoties iniuria ficta lacessit,
Innocuam uitam commaculare studens.
Forsitan hæc nobis Deus ad meliora parauit,
Vt pateat uitæ candida fama meæ.
Accedit nostris ingens nunc pondus erumnis,
Infirmus lecto uoluor ut ipse meo.
Iamq; miser iaceo cunctis despectus amicis,
Dum me pauperies uexat, & atra lues.
Scilicet aduersis rebus se prodit amicus,
Ignotus lætis qui mihi rebus erat.
Solus ades nostros poteris qui auferre dolores,
O Fusemane, malis unica cura meis.
Te mea Musa rogat, quæ te super æthera tollit.
Pollicita ut regis iam mihi summa fiet:
Ni faciat, ueniet mea sub fora chara supellex,
Vt mihi iam miseros comparet ore cibos.

Poësis uera à Deo, & ad Deum.

Plato in dialogo, qui Ion inscribitur, carmina illa solùm diuina, musica, musarumq; furore infusa poëtis existimat, quæ quando musica humana cantantur, & cantatorem ipsum & audiẽtes quodammodo concitant in furorem. ad Alexandrum Braccium M. Ficinus lib. 1. epist.

Plato & Pythagoras Homerum Hesiodumq; ex hominum cœtu ad inferos expulerũt, quòd partim tanquam ingrati diuina ad homines, partim tanquã impij humana ad Deos trãstulerint.

De impietate poëtarum: Isocrates in Busiride.

Poëtæ ex immortalitate Deos genitos asserunt, eosq; atrociora facinora perpetrasse, tamẽ pertulisse asserunt, quam hominum nefariorũ filios: talesq; fabulas de ipsis commenti sunt, quales nemo cõtra suos inimicos dicere audeat.

De poëtarum miseria. Ioannes Campanus uir admirabilis ingenij & doctrinæ.

Vade quà semper populi uagantur,
Quà manu ramis capiunt ab altis,
Quà Notus spirat tenui susurro
Vellera Seres.
Vade per syluas Arabum beatas,
Qui uident Phœbum gelidas ad Arctos,
Qui bis æstatem, totiesq; brumam
Exhibet annus.
Aut agros Nili madidos calentis,
Fer gradum ad summos Zephyri uolatus,
Quære per totum studiosus orbem
Diue Tridente.
Tu genus nullum reperis sub ipso
Syderum lapsu inferius poetis,
Vilius sacris nihil est Camœnis
Tempore nostro.
Quid manum prodest ferulæ minantis
Tot pati pœnas teneris sub annis,
Et metu sequi Samium bicorni
Tramite callem?
Quid iuuat longas uigilare noctes,
Igne secerni borea furenti,
Ducere & mœsta iuuenilis æui
Tempus in umbra?
Scribimus longos ueterum triumphos,
Consulum fasces, equitumq; pugnas,
Carpimus luxum, pariter docemus
Dogmata uitæ.
Viuit Argoæ dominus carinæ,
Hectoris uiuit domitor superbus,
Viuit Actææ superator arcis
Carmine Minos.
Phyllidis tristi lachrymantis umbra,
Pyramum Thysbes miserum clamantis
Et piæ durum Halcyonis amorem
Carmina seruant?
Liberatorem patriæ Camillum,
Qui Numantinos Numidasq; uicit,

Quiq; Cymbrorum domuit feroces
Milite turmas.
Carmen euersas Babylonis arces,
Ilij muros, Tyriæq; Thebes,
Alteram Theben penitus ruentem
Stare coëgit.
Nemo tam claro genitus parente:
Nemo tam clara probitate fulsit,
Mox edax quem non perimit uetustas,
Vate remoto.
Sed sui nunquàm precium laboris
Sentiunt uates, alios & aurum
Vestit & gemmæ, miseris poëtis
Trita lacerna est.
Pictor ex pictæ precio figuræ,
De tuba uiuit tubicen canora,
Pascit ars omneis, sua sola damno
Musa poetæ est.
Iam palus tristes retinens arenas,
Est ubi fontes fuerant Medusæ,
Iam ruit rupes tibi sacra quondam
Mitis Apollo.
O duces magni, ingenuiq; reges,
Imperitores, equitesq; clari:
O boni damnosam Heliconis omnes
Flete ruinam.
Ergo si misera est uatum fortuna, ualete
Vos mea Pierides, ad fora regredior.
Iam satis indultum, steriles sat uerba dedistis,
Vtiliora fori iurgia tristis erunt.
Exercete dolos, sæuasq; intendite lites:
Ad uestrum redeo pessima turba forum.

CVR POETAE PAVCI BONI.

Iacobus Mycillus poëta elegantissimus,
amicus summus meus.

Non benè conueniunt trepidæ cum carmine curæ,
Non eadem uersus cura, lucrumq; facit.
Pierides syluas ac ocia libera quærunt,
Et tacitas inter flumina sacra uias.
At fora solicitæ curæ populosa frequentant,
Et strepitus uulgi, iudiciumq; colunt.
Hinc est quod raros ætas habet ista poëtas,
Et nostra nullum carmen ab urbe uenit.
Diuitias quando solùm spectamus & aurum,
Curarum fontes, & caput omne mali.
Nec studium recti, nec fas laudatur, & omnis
A precio uirtus, famaq; uicta iacet.
Deposcit uacuum Thalia pectus,
Et curas fugit ociosa Clio.

Ouidius, ultimo lib. de Trist. Ad amicum exhortantem ut carmina componat.

Scribis ut oblectem studio lachrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est quod amice mones, quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere uolunt.

Deniq; non paruas animo dat gloria uires,
Et facunda facit pectora laudis amor.

Quomodo quis poëta fiat.
Mycillus poeta elegantissimus fecit.

Vnde breui longum deducas tempore carmen,
Quóue modo fias Iuste poëta rogas?
Nulla sua ignauos sequitur incuria sponte
Reges, sed forti est fama paranda manu,
Aeacides multos tolerauerat ante labores,
Quàm meruit magni nomen habere ducis.
Multa tulit fecitq; prius, quàm contigit esse
Aeneæ generum prisce Latine tuum.
Quam cupis assiduo quærenda est fama labore,
Ocia non ullos excoluêre uiros.
Sunt faciles musæ, ast habitant in rupibus altis,
Has superare labor, cætera plana uia est.
Vince modo rupes, nec duro parce labori:
Atq; ultrò uenient in tua fata Deæ.
Ingenium non dura tibi natura negauit,
Et uincere potes, qua decet arte potes.
Cur studium & solùm depredas Iuste laborem?
An quia non tanto carmina digna opere?
Carmina cœlestes possunt adducere Diuos,
Tartara carminibus flectere sæua potes. Vis carminis.
Carmina crudeles demulcent sæpe labores,
Hæc magis innumeris artibus una ualent.
His quoq; formosam potes exorare puellam,
Victa erit, & teneras porriget illa manus.
Cinthia carminibus quoties tibi capta Propertî?
Aut quoties lachrymas hæc tibi uicta dedit?
Fallitur immenso qui se spectabilis auro
Esse putat, nec spes inuenit ista fidem.
Carmina sola beant, sola addunt carmina famam:
Hæc metuunt magni fulminna nulla Iouis.

Poëtis sunt quædam inter se communia, ex lib. 2. de Ponto.

Sunt tamen inter se communia sacra poëtis,
Diuersum quamuis quisq; sequamur iter.

Poëtæ & natura & arte consummati fiunt, ex arte poëtica Horatij.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prosit, uideo, ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Poëtæ fingunt uera aut uerisimilia: ex arte Poëtica Horatij.

Ficta uoluptatis caussa sint proxima ueris,
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterq; monendo.

Idem.

Musæ poëtarum steriles.

Dispereant latiæ sterilis mea castra camænæ,
Dispereat fallax numen Apollo tuum.
Iam sat arenosis commisimus hordea sulcis,
Tutaq; sunt uano sat mea colla fuco,

Tota

Tota fuit stulto consumpta labore iuuenta,
Pasceret ut uatem uita beata senem.
Inuida canicies properat: nil Phœbe propinas,
Nil mihi dat Helicon, Pegasis unda nihil.
Coccina fert humeris & serica quæq; satelles,
Et Paticus, læno, Pharmacopola, cocus.
Horum est quicquid nunc auditur in orbe monetæ:
Nil aliud uates, quàm benè dixit, habet.

Despecti poëtæ.

Vix dederat placidam membris nox atra quietem,
Cynthius est nostro uisus adesse toro:
Et mihi Daphnæa cinctus sua tempora lauro
Edidit hæc mœsto Fuchsmage uerba sono:
Quid sequeris nostras uates miserande sorores,
Quid tua Cæsareis laudibus ora teris?
Carmina da Scombris, doctas iam linque Camœnas,
Spongia sit multis uersibus una satis.
Præmia nulla refert scriptor: uix tanta poëtæ
Aera sonant, tenues comparet unde libros.
Nullaq; nunc curat Fridericus carmina: rarus
Cæsarea uates nunc ope diues erit.
Vis tua Rhenenses repleant marsupia nummi,
Vis tibi perpetua templa parare fide?
Vade citò domini fornaci ligna ministres:
Solus habet uestri Cæsaris Haytzer opes.
Consule iam misero (si qua est uia) consule uati,
Qui mea nunc solus carmina sæpe rogas.
Sed quæ nam Phœbi melior sententia, iam te
Lincia uel linquam, uel calefactor ero.

Ofenheitzer. præferũtur Poetis.

Nulli poëtæ, ubi desunt Polliones, & Mecænates.

Si ludo Fuxmage tibi, qua fronte pudorem
Nostrum, queis uerbis, qua ratione tegam?
Quod tam nostra diu siluit modò rustica Clio,
Et scio me ueri criminis esse reum.
Si tamen admittis tenuis purgamina culpæ:
Commoditas musis non fuit ulla meis.
Non laurus, plectrúmue Dei, non enthea uatis
Pectora turbidulis surripit Ister aquis.
Mecænas mihi nullus erat, nec prodigus ore
Pollio restituit aruula rapta mihi.
Ergo quî poteram turbato pectore fortem,
Et genus & mores commemorare tuos?
At cecini, dices, ad magni Cæsaris urnam:
Sic desertus olor morte premente canit.
Crede mihi incultis sterilescunt uitibus uuæ.
Nec segetes reddit non benè cultus ager.

Poëtæ uenerandi & non despiciendi sunt.

Faustus Andrelinus poëta.

Nomina doctiloqui non sunt spernenda poëtæ,
Nomina non uiles inter habenda uiros.
Rebus in humanis nil est preciosius illo,
Qui sua Gorgoneis ora rigauit aquis.
Cui tantum natura fauet, cui spiritus ingens,
Cui furor æthereà missus ab arce uenit:
Inclyta uirtuti tribuit, qui nomina famæ,
Quo semel offenso quisquis ab hoste cadit.
Res tamen arcta domi est, fateor, sed maxima uati
Gloria gemmiferis antè ferenda uadis.
Nil habet; est ipsi contempta pecunia uati,
Charius est laudi consuluisse suæ:
Ignaui tumidos populi contemnit honores,
Non facit ad doctos uulgus inane uiros.
Nos syluæ, nos antra iuuant, nos deuia tantùm
Rura, nemus, fontes, flumina, riuus habet.
Sunt ea scribendis quæsita silentia rebus,
Aptior est multò sylua nemusq; foro.
Nulla tamen nostras eneruant otia mentes,
Maxima sunt uanos damna præisse dies.
Hic repetit primas ueteres ab origine causas:
Hic sua Phœbeos sub iuga ducit equos:
Concinit hic pigri tardantia plaustra Bootæ,
Hic nunquàm uetito sydera mersa mari.
Ille Gigantæo sparsa est ubi sanguine tellus,
Hic noua magnorum concinit acta ducum.
Vos, quibus æternæ facimus uaga murmura famæ,
Digna decet larga dona dedisse manu.
Exiguo, reliquis quæ dantur, tempore restant:
Quæ data sunt uati munera, semper habet.

Magna utilitas poëtarum lectionis, ex Horat. lib. 2. Epistol. ad Augustum.

Scribimus indocti, doctiq; poëmata paßim.
Hic error tamen, & leuis hæc insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige.
Torquet ab obscœnis iam tum sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis & inuidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, uatem nisi musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit,
Celestes implorat aquas, docta prece blandus
Auertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine Dij superi placantur, carmine manes.

Carmen ueræ opes.

Cùm fuerit uacuis manibus capitale uerendos
Cæsaris Assyrij crimen adire lares:
Scandere dux celsos timuit mea musa penates,
Munere regifico ni comitata foret.
Copia nulla mihi, flaui tibi nulla metalli
Cura, nec occiduo ditior orbe uiget.
Ergo det alter opes, ego princeps do tibi carmen,
Nec maius uates, quod dare poßit, habet.
Gratius argento, fuluo preciosius auro
Carmen, & hoc tanto principe digna magis.
Verè carmen opes: nam cætera carmina præter,
Fortuna instabili datq; rapitq; manu.
Excipias igitur placido mea carmina uultu.

Parua nec audacis munera sperne uiri.

Carmina præstant omnibus diuitijs.

Paule decus patriæ, parui lux magna Naonis,
Natus Amalthæa gloria prima domo.
Si tibi Pactolus fuluum sine fine metallum
Afferat, aut dites Lydius Hermus aquas.
Quicquid & Eôa nudus legit Indus in unda,
Ornet inauratos, accumuletq; lares.
Nil dederis lepido, mihi crede, decentius unquàm
Carmine, non maius numina munus habent.
Est ratio, labuntur opes, sunt friuola rerum
Omnia: ab æterno carmen ubiq; uiget.

Ouidius lib. 4. de Ponto ad Suillum.

Musæ uetant suos mori.

Carmine fit uiuax uirtus, expersq; sepulchri,
Notitiam seræ posteritatis habet.

Laus carminum.

Magnanimo qui dat regi uel rura, uel aurum,
Argentum, mensas, coccina uasa, domos.
Dat cupidè Curio Crasso, paruoq; potenti,
Munera Fabricio perniciosa Mydæ.
Non aurum cupiunt pulchræ sed laudis honores
Et decus & clari nomina clara duces.
Carmina qui regi regum fert munera, uitam
Carmine post uitæ tempora Cæsar habet.
Carmine defunctus magnus nunc uiuit Achilles,
Semper & Alcides carmine uiuus erit.
Dices fortè tuum carmen non uiuit, at illud
Viueret ut feci, sit uoluisse satis.

Carmina neminem intermori sinunt modò quis laudabilis sit. ex Oda 8. Horat. lib. 4. ad M. Lollium consulem.

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte carent, quia uate sacro
Paulùm sepultæ distat inertiæ
Cælata uirtus, non ego te meis
Chartis inornatum sileri
Totúe tuos patiar labores
Impunè Lolli carpere liuidas
Obliuiones.

Carmina neminem interire sinunt.

Gloria præclaris ducibus post funera uatum
Carminibus doctis non moritura uenit.
Sic non tam clarè referunt Chartaginis altæ
Mœnia se nobis igne perusta diu.
Non celeris fuga bellantis reiecta retrorsum
Hannibalis nobilis, cladiferæq; minæ,
Nota forent, forsan non nouißemus & ipsum
Affrica quem misit, nomine uicta alio.
Est ea uis doctis ô Cysce iocunde poëtis,
Illis ut clades nulla nocere queat.
Chartæ si sileant, si quid benefeceris ipse
Mercedis facti ceperis inde nihil.

Ilion euersum quid quæso laudis haberet?
Quæq; futura tibi Romule fortis erat?
Sic quoq; quæ nullo procurat reddere menti,
Antiqua ex libris discimus illa nouis.
Sic uirtus, uatum fauor, atq; potentia linguæ
Aeacum ab infernis restituêre locis.
Dulcibus hinc epulis summi Iouis impiger astat
Hercules, ac unà fercula grata capit.
Dignos laude uiros infernas scandere noctes
Non fert, sed sedes ponit ad æthereas.

Carmina lætum animum & liberum à curis omnibus expetunt.

Cymbriacus.

Et tu Castalidum cultor studiose Sororum
Phosinagone, hæc quondam carmina nostra leges.
Tum dices, nostro sunt cæsar tempore uates,
Ad cytharam numeris qui tua facta ferant.
Ocia si dederis toties sperata Camœnis,
Vt tibi securi plectra mouere queant.
Qualis erat quondam uafri laudator Vlyßis,
Tunc cùm Smyrnæas scriberet Iliadas.
Qualis & Andinus uates, quum ferret in oras
Aenæam Latias, Iliacosq; Deos.
Aut cùm Marmoreis caneret Lucanus in hortis
Prælia ciuili gesta nephanda manu.
Aut cùm laudaret lepidum Verona Catullum,
Delia bella suum, Cynthia bella suum.
Carmina proueniunt numeris deducta serenis:
Esuriens certè non benè cantat olor.
Nec magno constant uates uilißima rerum
Pars, cupidæ uobis pluris emuntur opes.
Quæ periunt usu: quum longos carmina honores,
Et laudes semper in noua secla ferant.

Carminum nulla merces, nec honor est.

ad Pergerium.

Do quod carmina serius, putato
Id caussæ mihi Pergeri fuisse,
Quòd non est precium meis Camœnis:
Cùm sint Cæsareis coquis honores,
Et tibicinibus satis potentes.
An, te oro, esuriet sacer poëta,
Qui de carminibus potest sonoris
Annos addere cæsari Sybillæ,
Parrarumq; colos diu morari,
Et facta inclyta mittere ad nepotes?
Sed mi, dum uigilo, perit papyrus,
Et magni emptum oleum uorat lucerna,
Tum uestes nimio teruntur usu,
Insomnes mihi pruriunt ocelli,
Dum noctes alijs meas repono.
Verum hæc nemo hominum mihi resarcit.
Sic grati pereunt dies & anni,
Occultis pedibus uenit senectus,
Dum Phœbum sequor, & nouem sorores,
Et plectris ferio lyram sonoris.
Impunè ô mala cæcitas, canentem

Versus solicitat furens egestas:
Et gratis tamen audiunt poëtam.
Carmina nil commune habent cum curis.
Anxia mens hominum, curis confecta dolore,
Non potis est cantus pandere Pierios.
Carmina prouenient cytharam pulsando sonoram;
Tristia cum lætis non benè signa cadunt.
Carmina scripta potoribus aquæ non diu manent.
Prisco si credis, Mœcænas docte, Cratino
Nulla placere diu, nec uiuere carmina possunt.
Quæ scribuntur aquæ potoribus, ut malè sanos
Ascripsit Liber Satyris Faunisq; poëtas.
Vina ferè dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur uini uinosus Homerus.
Ennius ipse pater, nunquàm nisi potus ad arma
Prosiluit, dicenda forum putealiq; Libonis
Mandabo siccis adimam cantare seueris,
Hoc simul edixit: Nec cessauêre poëtæ
Nocturno certare mero, putere diurno.
Hinc Athenæus 2. Dipnosophista libro.
ὕδωρ ἢ πίνων, χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκης. id est.
Aquam bibens nihil probum & utile paries.

NANVS. Politica græca dictio est, nam πολιτικός.ȣ.ὁ. ciuilis & πολῖτις.ιδος.ἡ ciuis, & πολιτεία.ας.ἡ. respuplica dicitur. Est autem politica prudentia per quam conuenienter disponuntur pertinentia ad bonum commune ciuitatis, secund. B. Tho. secun. secun. q. 50. ar. 4. Et est principalior quàm Oeconomica & quàm Monastica: quid autem sit Oeconomica vide suprà in dictione Oeconomica. Monastica verò est prudétia, qua quis seipsum prudenter regit, secund. B. Tho. secunda secundæ q. 54. art. 2. Diciturq; monastica à μόνος.ȣ.ὁ. quod est solus. Vnde & monasterium quod & μοναστήριον.ȣ.τὸ. dicitur, & solitudo potest interpretari.

Politia est ordo quidam inhabitantium ciuitatem in principando & in subijciendo, secundùm Aristot. lib. 3. Politicorum.

Pollutio græcè μίασμα.ατος.τὸ, & μιαίνω polluo dicitur. Est autem pollutio, vt theologi capiũt, genitura somno sparsa, & à polluo quod est inquino deducitur.

Pollutio est immunditia, seu corruptio corporalis, in viro vel muliere ex decisione & motu seminis proueniens, secundùm B. Tho. 4. sententiarum dist. 9. q. 1. art. 4.

Pompa græca dictio est πόμπη.ης. πομπεύομαι mitto pompam dicitur. Est pompa omnis spectaculum, nõ econtrà. Pompa enim in prosperis, & in aduersis, qualis est in triumpho, & in funere, quasi quidam solennis apparatus & ostentatio.

Spectaculum verò græcè θέα.ας.ἡ. & θεατής.οῦ ὁ. spectator, & θεωρέω speculor dicitur. Estque spectaculum nunc illud quod spectatur, nunc locus ipse vnde spectatur.

Pomilio græcè νάνος dicitur. De hoc vide suprà in Nanus.

Pótifex grecè ἀρχιερεύς.έος.ὁ & ἀρχιερωσύνη.ης.ἡ. pontificatus dicitur. Est autem pontifex sacer magistratus, dict⁹ vel à posse & facio, vt Scæuolæ placet, vel vt Varro affirmat à ponte & facio. Nam instaurandorum pontium curã habebat. Pons quoq; sublicius à pontificibus primũ est factus, & postea sæpe restitutus. Erant autẽ minores & maiores pótifices, inter quos vnus summus pontifex dicebatur, quòd à Romanis veteribus sumptum nostrę quoq; sectę homines seruant. Hinc pontificatus deducitur, & pótificius quo ius pontificium, quod modo ius Canonicum appellant. Et pontificalis. Vnde pontificales libri in q̃bus sacræ cœremoniæ cõtinentur.

De hac materia vide infrà in Prælatus.

POpulus græcè λαός.οῦ.ὁ. & λαϊκός οῦ.ὁ. popularis dicitur. Est autem populus cœtus iuris cõsensu, & vtilitatis communiõe sociatus, secundùm August. lib. I. de ciuitate Dei. Populus est multitudo hominum iuris consensu, & concordi communione sociata, secundùm B. Thomam prima parte 31. artic. 1. Differt autem populus à plebe, quod in populo omnis pars ciuitatis omnesq; ordines continentur. In plebe autem nó nisi nobiliores & patricij.

Populus vt aliquibus placet, dicitur, ἀπὸ τῶν πολλῶν πλειόνων hoc est multo pluribus, quod omnes ordines, vt dictũ est cõplectatur. Plebs verò ἀπὸ τῶν πλειόνων hoc est à pluribus, plures enim sunt plebei quã patricij. A populus diminutiuum fit popellus, hoc est paruus populus, & popularis, hoc est quod populi est, & aliquãdo charus, & populare hoc est amorem populi conciliare. A populus item fit populor & depopulor, hoc est prædor & deprædor. A quibus populatio & depopulatio. A plebs pariter fit diminutiuum plebecula, & plebeius de plebe.

Portentum græcè τέρας.ατος.τὸ dicitur. Quid autem sit & quomodo à monstrum, prodigiũ & ostentũ differat, Vide suprà in Monstrum.

Portentum. i. mirum, quod sua magnitudine portendit, secũ. B. Tho. sup Esaiã. 8 lect. 3. cor. 2.

Possessio græcè κτῆμα.ατος. κτάομαι possideo dicitur. Significat aliquando actũ ipsum possidendi, nó nunquã bona quę vulgo vocãtur immobilia. Hinc possessorium iudiciũ, quod non super re principali sed super possessione est. Et possessiuũ apud grãmaticos, quod aliquid significat, quod possidetur vt Euandrius ensis.

Postillena lignum est incuruum, quod sub asini aut iumenti cauda ponitur. Plaut. Ita te à gerunda curuum aqua faciam, vt postillena possit ex te fieri. Dicitur autẽ postillena à post & stando,

do, quod ſtet à parte poſteriori. Ita & anſilena qua pectus equi aut iumenti ſiue alterius animalis cingitur, ab antè ſtando. græceq; Προστερνίδιον. ȣ τὸ dicitur, quod nos pectorale equi dicimus.

Poſt liminiũ eſt ius amiſſæ rei recipiendæ, ab extraneo in ſtatum priſtinum reſtituendæ, moribus legibusq; conſtitutum. Vt habetur ff. de capti. & poſtli. re. l. hoſtes.

Poſtprædicamentum eſt quod conſequitur diuerſa genera, ſecundũ B. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 99. art. 1.

Poſtulatio græcè ἀξίωμα. ατος. τὸ. & αἰτέομαι poſtulo dicitur. Eſt autem poſtulatio quędam gratiæ petitio à ſuperiore facta de promouẽdo aliquem ad prælationẽ, ad quam de iure cõmuni propter defectum aliquem vel impedimentum eligi, ſeu promoueri non poterat. Et ex hoc tacitè infertur differentia inter electionem & poſtulationem. Nam poſtulatio innititur gratiæ, electio verò innititur iuri: vnde ille qui de iure poteſt eligi non debet poſtulari, ſecundùm Panormi. extra & ſuper Rubrica.

Poſtulatio implorat quandam protenſionem deſiderij in id quod petitur. Et addit ſupra petitionem communiter dictam determinatũ petitum. ſ. finem ex B. Tho. 4. Sen. di. 15. q. 4. art. 3.

Potentatus græcè δυναστεία. ας. ἡ. & δυναστής. ȣ. ὁ potens dicitur. Eſt autem multitudo potentiæ vel opus validum dominationis, ſecundùm B. Thomam ſuper Pſal. 18. col. 4.

Potentia græcè δύναμις. ιος. ἡ. & δυνατῶς potẽter dicitur. Potẽtia autem ſignificat id quod eſt principium, non autem relationem eius, ſecundùm B. Tho. prima parte, q. 41. art. 5.

Poteſtas propriè nominat potentiam actiuã, cum aliqua præeminentia, ſecundùm eundem 4. ſenten. diſt. 24 quæſt. 1. art. 1.

PRæceptum græcè ἐφημοσύνη. ης. ἡ. vel ἐφετμή. ῆς ἡ. dicitur. Eſt autem præceptum iuſsio vel imperium faciendi aliquid, vel nõ faciendi. Pręceptum importat applicationẽ legis ad ea quæ ex lege regulantur, ſecundùm B. Thom. prima ſecundæ q. 40. art. 2.

Præcipere eſt actus rationis, quia importat motionem cum quadam ordinatione, ſecundùm eundem ſecunda ſecundæ, q. 42. art. 8.

Pręcipere nonnunquã ſignificat antè videre. Vir. Omnia præcepi, atq; animo mecũ ante peregi. Aliquando præcipere eſt præuenire. Virgil. Exultatq; animis, & ſpe iam pręcipit hoſtẽ. Hinc præcipuũ & præcipuè, quaſi antè omnia. Aliquando ſignificat iubere. Idem: Ipſi numerumq; modumq; carinis præcipiant. Interdum ſignificat monere & inſtituere. Vnde artiũ magiſtri præceptores dicuntur, & placida eorum præcepta, & præceptiones dicuntur.

Geneſis cap. 26.

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meę, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesq; ſeruauerit.

Leuitici cap. 26.

Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germẽ ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehẽdet meſsium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſq; pauore habitabitis in terra veſtra.

Deutero. cap. 4.

Cuſtodite mandata domini Dei veſtri, quę ego præcipio vobis.

Ibidem.

Cuſtodi præcepta eius atq; mandata, quæ ego præcipio tibi, vt benè ſit tibi & filijs tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram, quam dominus Deus tuus daturus eſt tibi.

Ibidem cap. 5.

Cuſtodite igitur & facite quæ præcepit dominus Deus vobis. Non declinabitis neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtrã: ſed per viam quam præcepit dominus Deus veſter ambulabitis, vt viuatis & benè ſit vobis, & protelentur dies veſtri in terra poſſeſsionis veſtræ.

Ibidem cap. 6.

Audi Iſrael & obſerua, vt facias, quæ præcepit tibi dominus, & benè tibi ſit, & multipliceris amplius, ſicut pollicitus eſt dominus Deus patrum tuorũ tibi terrã lacte & melle manantem.

Ibidem.

Cuſtodi præcepta domini Dei tui ac teſtimonia & cæremonias, quas præcepit tibi, & fac ꝙ placitum eſt, & bonum in cõſpectu domini: vt benè ſit tibi.

Ibidem.

Præcepitq; nobis dominus, vt faciamus omnia legitima hęc, & timeamus dominum Deum noſtrum, vt benè ſit nobis cunctis diebus animæ noſtræ, ſicut eſt hodie. Eritque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimꝰ & fecerimus omnia pręcepta eius coram domino Deo noſtro ſicut mãdauit nobis.

Ibidem cap. 7.

Scies quia dominus Deus tuus ipſe eſt rex fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiã diligentibus ſe, & his qui cuſtodiunt præcepta eius in mille generationes, & reddens odientibus ſe ſtatim, ita vt diſperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis reſtituens quod merent. Cuſtodi ergo præcepta & cæremonias atq; iudicia, quę ego mando tibi hodie vt facias.

Ibidem. cap. 11.

Ama itaq; dominum Deum tuum, & obſerua pręcepta eius & cæremonias, iudicia atque mandata omni tempore.

Ibidem.

Si ergo obedieritis mandatis meis quæ ego præcipio vobis, vt diligatis Dominũ Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro & in tota anima vestra, dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam vt colligatis frumentum & vinum & oleum, fœnumq; ex agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis & saturemini.

Ibidem.

En propono in conspectũ vestro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. Maledictionem, si nõ obedieritis mãdatis domini Dei vestri, sed recesseritis de via quã nunc ego ostendo vobis, & ambulaueritis post deos quos ignoratis.

Iosue cap.22.

Custodiatis attentè & opere compleatis mandatum & legem, quam præcepit vobis Moyses famulus domini, vt diligatis dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obseruetis mandata illius, adhęreatisq; ei, ac seruiatis in omni corde & in omni anima vestra.

Ibidem.

Absit à nobis scelus hoc, vt recedamus à domino & eius vestigia relinquamus.

Regum primo cap.15.

Nunquid vult dominus holocausta ac victimas, & non potius vt non obediatur voci domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatrię nolle acquiescere.

Ibidem lib. tertio cap.8.

Sit quoq; cor nostrum perfectum coram domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius.

Paralipomenon primi cap.28.

Custodite & perquirite cuncta mandata domini Dei nostri, vt possideatis terram bonam, & relinquatis eam filijs post vos vsq; in sempiternum.

Tobias cap.4.

Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri.

Dauid Psalmo.110.

Fidelia omnia mandata eius confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate.

Idem Psalmo.118.

Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Ecclesiastici cap.12.

Deum time, & mandata eius obserua.

Ibidem cap.6.

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & in concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

Oseæ cap.14.

Quia rectæ viæ domini, & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis.

Matthæus cap.5.

Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Idem cap.12.

Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est.

Idem cap.15.

Quare & vos transgredimini mandatũ Dei.

Idem cap.19.

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi. Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facias, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuũ & matrem tuam, diliges proximum tuum sicut teipsum.

Marcus cap.3.

Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

Lucas cap.8.

Mater mea & fratres hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

Ibidem.

Amen dico vobis, nemo est qui derelinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam.

Iohannes in Euangẽ. cap.14.

Si diligitis me, mandata mea seruate.

Ibidem.

Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.

Ibidem cap.15.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.

Idem 1. Cano. cap.2.

Et in hoc scimus qm̃ cognouimus eum, si mãdata eius obseruem⁹. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius nõ custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.

Ibidem cap.5.

Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eũ, qui natus est ex eo. In hoc cognoscim⁹, quoniã diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & man-

& mandata eius faciamus: Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.

August ad Casulanum, & habetur dist. 9. cap. Sana. §. Cùm ergo.

Cùm ergo in naturali iure nihil aliud præcipiatur quam quod deus vult fieri. Nihilq; aliud vetetur, quam quod Deus prohibet fieri. Deniq; cùm in canonica scriptura nihil aliud, quàm quod in diuinis scripturis & legibus inueniatur, diuinæ verò leges cum natura cõsistant, patet quod quæcunq; diuinæ voluntati, seu canonicæ scripturæ contraria probantur, eademq; etiam naturali iuri inueniuntur aduersa. Vnde quecunque diuinæ voluntati seu canonicæ scripturæ, seu diuinis legibus postponẽda censentur, eisdem naturale ius præferri oportet. Cõstitutiones ergo vel ecclesiasticæ, vel seculares, si naturali iuri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ.

Idem libro 2. Confessionum & habetur dist. 8. cap. Quæ contra.

Quę cõtra mores hominũ sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pactũ inter se, gentis, aut ciuitatis, cõsuetudine vel lege firmatũ nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim omnis pars vniuerso suo nõ congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morẽ vel contra pactum quorumlibet iubet fieri, & si ibi nunquã factum est, tamen faciendũ est: & si omissum est, restaurandũ est, & si statutũ non erat, instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate cui regnat iubere aliquid, quod neq; ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & si non est contra societatem ciuitatis eius, obtemperatur ei: imò, cõtra societatẽ fit, si non obtẽperatur ei: generale quippe pactũ est societatis humanæ, obtẽperare regibus suis. Quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ ad ea, quæ iusserat sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ, maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Idem in sermone de monte & habetur 24. q. 1. cap. Quisquis.

Quisquis præceptis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ: & paulò pòst. Pręcepto domini non obedire peccatũ est, & cõsilio si vti nolueris, minus boni adipisceris, nõ mali aliquid perbetrabis.

Hieronymus ad Lucianum & habetur dist. 12. cap. Illud.

Illud breuiter te admonendum puto, traditiones ecclesiasticas præsertim quę fidei non officiant ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliquorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.

Gregor. & habetur dist. 12. ca. Præceptis.

Præceptis apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quæ à sancta Romana Ecclesia & apostolica authoritate iussa sunt, salutiferè impleantur, si eiusdẽ sanctę Dei Ecclesiæ (quæ est caput vestrum) cõmunionem habere desideratis. Non nouũ aliquid pręsenti iussione præcipimus, sed illa quæ olim videntur indulta, firmamus. Cùm nulli dubium sit, quod non solùm pontificalis causatio, sed omnis sanctæ spei Romanę ecclesiæ & religionis relatio ad sedem apostolicam, quasi ad caput omnium ecclesiarum debuit referri, & inde normam assumere, vnde assumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omitti. Cuius authoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui noluerint ab apostolicæ petrę (super quam Christus vniuersalem fundauit Ecclesiã) soliditate conuelli. Si quis hæc apostolicæ sedis pręcepta non obseruauerit, pręcepti honoris esse hostis non dubitetur.

Idem & hab. dist. 14. q. 1. Quod præcipitur.

Quod pręcipitur imperatur, quod imperatur necesse est fieri, si non fiat, pœnam habet. Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est, vbi præceptum sanitatis est seruientis, vt obediat vel imperantis vt ei obediatur.

Isidorus & hab. 11. q. 3. Si is qui. §. Si quis prohibet.

Si quis prohibet vobis quod à Domino pręceptum est, vel rursus imperat fieri quod Dominus prohibet, execrabilis sit omnibus qui timent Deum.

Cyprianus de lapsis, & hab. dist. 50. cap. Si quis.

Si quis præpostera festinatione temerarius, remissionem peccatorum cunctis putat se dare posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantùm nihil prodest, sed obest lapsis. Prouocasse enim iram Dei est, non seruasse sententiam, nec misericordiã pijssimi Domini deprecari, sed contempto Domino de sua facilitate præsumere.

Virgil. Aeneidos lib. 2.

-Neu præceptis parere recusa.

Horatius in arte poëtica.

Quicquid præcipies esto breuis, ut citò dicta,
Percipiantq; animi dociles, teneantq; fideles.

Dantes Paradisi cap. 26. Adam ait.

Hor figliol mio, non il gustar del legno
Fu per se la caggion di tanto exilio,
Ma solamenter il trapassar del segno. id est.
Nunc fili mi, haud gustatio ligni
Fuit ex se causa tanti exilij,
Sed duntaxat transgreßio signi.

LVDIMAGISTRI OFFICIVM HONESTVM.

AMANTIVS.

Erasmus in lib. Epistolarum.

CVm inter Magistros aliquot proponerem de hypodidascalo, quidam non infimæ opinionis subridens: quis, inquit, sustineat in ea schola vitam agere inter pueros, qui possit vbiuis quomodocunq; viuere? respondi modestiùs: hoc munus mihi videri vel inprimis honestum, bonis moribus ac literis instituere iuuentutem: neq; Christum eam ætatem contempsisse, & in nullum rectiùs collocari beneficiũ, & nusquam expectari fructum vberiorem, vtpotè cùm illa sit seges ac sylua reipub. addidi, si qui sint homines veri pij, eos in hac esse sententia, vt putent sese nullo officio magis demereri Deum, quàm si pueros trahant ad Christũ.

Pueri à Christo amati sunt.

De conditione ludimagistrorum. Erasmus in farragine Epistolarum, ad Ioannem Sapidum.

Porrò sortem tuam, vt laboriosam esse non negauerim, ita tragicam (vt tu vocas) aut deplorandam esse, prorsus inficior. Ludi literarij magistrum esse, proximum regno munus est. An tu putas sordidam esse functionem, primam illam ætatem tuorum ciuium, optimis literis, & Christo statim imbuere, totq; ꝓbos & integros viros patriæ tuæ reddere? stultorum opinione humilius est, re longè splendidissimum. Etenim si Ethnicis quoque semper prçclarum, magnificumq; fuit de Repub. benè mereri, dicam audacter, nemo melius de ea meretur, quàm rudis pueritiæ formator, modò doctus, & integer: quę duo sic in te paria sunt, vt nescias vtro teipsum superes. Iam quod in salario diminutum est, Christus ipse de suo pensabit abundè: siquidem ipsa virtus satis amplum sui premiũ est. Neque verò quicquam moueat animum tuum, quòd vides quorundam ignauissimo ocio tantum annui census è publico decretum, qui sibi viuant, vel principibus inseruiant, at non ex vsu reipublicæ: ei verò, qui communis est omnium liberorum parens, & in re maximè omnium necessaria tantis sudoribus agit publicum negocium, tam malignum stipendium exolui: integrum & incorruptum virum munus hoc requirebat, cuiq; vel gratuitas, pietas, cordi sit. Itaq; magnitudo salarij dignitasq; proposita, sceleratissimum quemque ad hoc negocium pelliceret. Ipse, mi Sapide, dignitatem addes ex tuis dotibus: munere si parum apud homines splendido, certè apud Christum magnificentissimo decoraberis.

Miseria Pædagogorum: Ex Borbonio.

Qui nunc me uideo esse pædagogum,
In prædiuite sum domo moratus,
Contriuiq; bonos miser tot annos,
Gustando mala, gratiasq; agendo,
Sperando, ingenueq; seruiendo,
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt, serò sapere atq; pœnitere,
Tabesq;, senium. Ergo nunc ab aula
Ad caulam uenio, quid est agendum?
Solæ perfugium fidele, & unum,
Si quas calleo, litteræ supersunt.
Nec iam me pudet esse pædagogum.

Præceptor à discipulis & uirtute & habitu differat. B. Mantuanus, de uita beata.

Quis est qui nesciat æquum esse, vt à discipulis præceptor, nedum virtute discernatur, verumetiam grauiori quodam, & honestiori habitus priuilegio? partim quia discipulo maior est præceptor, partim quia modestia corporis ornamenta nõ paruo adiumento virtutibus animi sunt ad comparandam grauitatem, vt vulgaris tumultus ac cupiditas reprimi possit, ac gubernari.

Præceptor toris discipulo maior.

MVNVS PRAECEPTORIS.

Aldus Manutius Romanus.

Primùm memineritis oportere vos eorum, quos accepistis instituendos, sic satagere, vt simul & docti fiant, & imbuantur moribus: quia quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu: atque adeò à teneris adsuescere multum est, nec solùm rectores, magistrosque vos esse adolescentiũ, sed, & parentes puteris: scitis enim illud, qui præceptorem sancti voluere parentis esse loco: equidem bonos malósue vos esse tantum referre existimo, vt ausim dicere, bonorum malorumq; omnium, quæ vbique fiunt terrarum, vos esse potissimam caussam: nã iuriscõsulti, philosophi, rectores vrbium, principes ducesq;, ac reges, nec non monachi, sacerdotes, episcopi, cardinales, ipsiq; summi pontifices, & denique quicunq; vel solas literarum nõtas tenent, sub disciplina olim vestra fuere paruuli, à vobis instituti sunt, virtus vestra vitiumúe eorum profuit aut nocuit moribus. Tantum valet longa consuetudo, vt si cum sancto diu vixeris, sanctus futurus: si cum peruerso, peruertaris. Siquidem (vt inquit Fabius) Leonides Alexandri Pædagogus, quibusdam eum vitijs imbuit, quæ robustum quoq; & maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Quamobrẽ quantũ boni, & sancti præceptores ciuitatibus prosint, non facilè dixerim: quãtum obsint praui, & vitiosi, non queo dicere. Quare non possum nõ multum mirari, nullam ferè puerorum patribus & rectoribus vrbium, in eligendis præceptorum moribus esse curam. Non

Sancti præceptores & boni item mali.

Non animaduertunt, quantum inde boni, mali ue infundatur in ciuitates: nam quales sunt qui instituunt, tales & qui instituuntur, velint nolint, euadent longa die.

Longa dies homini docuit parêre leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Magna pœna expectat eos qui pueros fidei suæ commissos nō rectè educant.

Videte igitur vos, qui & longo tempore, & assiduè teneros, & simplices adolescentulorū animos instituitis, quantum & prodesse potestis, & obesse hominibus. Quod si quisquam est sic oblitus sui ipsius, vt agnos suæ commissos fidei ceu lupus deuoret, heu quanta illum pœna apud Manes vel breui expectat: nam qui ita perniciosi sunt, vt non solùm obsint, quod ipsi corrumpuntur, sed & quod corrumpunt, plusque exemplo quàm peccato nocent: immatura morte, ne tantum obesse queant.

Petrarcha de remedio prosperæ fortunæ.

D. Excellenti præceptore glorior. R. Alieno nec dum desinis gloriari: quid ad te excellentia præceptoris tui? crede, quod sæpe reputo, intra te sit oportet, quod te faciat gloriosum, de te qualis tu discipulis sis videto: an nescis multos stultos ac hebetes fuisse in scholis Socratis aut Platonis?

Erasmus in paraclesi hæc de ludimagistris narrat.

Principes, Episcopi, Ludimagistri, misere illud & omnis aspectū hominū genus.

Hæc inquam plebea, si præstarent pro sua sorte principes, si in concionibus inculcarent sacerdotes, si pueris instillarent ludimagistri potius, quàm erudita illa ex Aristotelis & Auerrois desumpta fontibus, non sic perpetuis penè bellis tumultuaretur vndique res christiana, non tam insano studio, per phas nephasque congerendi diuitias feruerent omnia, non tot litibus vbiq; perstreperent sacra pariter ac prophana: deniq; non titulo tantùm, & cæremonijs differremus ab ijs, qui Christi philosophiam non profitentur. Siquidem in illis tribus hominum ordinibus præcipuè situm est Christianæ religionis vel instaurandæ vel augendę negocium: in principibus, &, qui horum gerunt vices, magistratibus; in Episcopis, & horum vicarijs sacerdotibus, & in ijs, qui primam illam ętatem ad omnia sequacem instituunt. Quos si omisso negotio suo contingat ex animo conspirare in Christum, nimirum videremus haud ita multis annis verum quoddam, vt & Paulus inquit, γνήσιον Christianorum genus passim emergere, quod Christi philosophiam non cęremonijs tantùm & propositionibus, sed ipso pectore, totaq; vita referret. His armis longè citius pellicerentur ad Christi fidem Christiani nominis hostes, quàm minis, aut armis: vt omnia iungamus pręsidia, nihil ipsa veritate potentius.

Lodouicus Viues lib. 2. de Anima, & titulo de ratione studij.

Externa sunt, magister & instrumentum: Magistro non satis est benè, quæ profitetur, scire, nisi expeditè ea possit explicare, & artem dexteritatemq; ad rem adiungat: quod si contingat, breuiter in magnam eruditionem docilis discipulus euadet.

Idem eodem libro.

Alterum præceptoris officium est, emendare ac corrigere, quod nō minùs est vtile, quàm vmbratilis explicatio præceptorum, & eo magis si corrector, cur quicquam vel probet vel reijciat, tum norit ipse, tum sciat tradere, & velit diligenter explicare. Vitamus enim damnata, pergimus quà videmus eum præire, ac nos ducere. Quod si solidi sit, & exacti iudicij præceptor, plus ab emendatione paratur iudicij, quàm ex alijs omnibus scholæ exercitamentis.

Philelphus lib. 2. de Educatione liberorum.

Pædagogi graues sint in primis, liberiq; ab omni vitæ crimine: dehinc egregiè docti: nam quemadmodū nutricum quanto purius incorruptiusq; lac fuerit, tanto infantium, qui eò aluntur, valetudo magis atq; robur adiuuatur: Ita ij, qui electiores literas & mores habuerint, eò etiam disciplinis firmiora relinquent probitatis & doctrinæ altiùs demùm surrectura vestigia. Nec dubitandum est, quin à principio præstantissimis pueris doctor eligatur, licet ad imbuendam rudem adhuc ætatem mediocriter etiam doctus quisque ac gregarius sufficere videatur. Nam quò eruditior fuerit, eò faciliorem, clarioremque doctrinam ministrabit, quæ puerorum maximè nutrit ingenia, iacent etiam in eis certiora literarum, ac rectiora fundamenta, quæ non aliter ac iacta fuerint, perpetuò secum sedebunt, atque infixa perdurabunt. Præstabit quoque eruditores eis pręficere placidi ac mitis ingenij: Nam præceptorum inhumanitas maximè impedit profectum, qui ad literas in ea ætate fit. Imitantur etiam facilimè pueri mores, quos in maioribus suis assiduè conspiciunt: in quo præclarum est illud, quod apud Platonem educatum puerum, ad parentesque posteà reductum, cùm sublata voce excandescentem conspicerent patrem, dixisse ferunt: Nunquàm hæc apud Platonem vidi.

Catoni fuit pædagogus Sarpedon, homo comis atque vrbanus, & qui verba magis, quàm verbera in promptu haberet, quod illi admodum ad literarum morumq; rationem profuit, parebat ei Cato, faciebatque omnia illius iussu, singulas causas rationesq; ab eo efflagitans, ac tanq̃ diuinum quoddam oraculum obseruās. Præstat igitur, vt magistri pueros sibi cōmen- Sarpedō præceptor Catonis.

datos, non aliter, quàm filios omni cura & amore prosequantur, nullum deniq; refugientes in erudiendis eis laborem, pro quibus cùm perfectam ad eruditionem euaserint, non minùs gaudebunt, quàm agricolæ pro plãtatis arboribus, vbi dulcem edunt fructum. Hæc ille.

NANVS. Præcipitatio græcè χρημνός οῦ ὁ. & χρημνώδης. εος ὁ.ἡ, præceps, præruptus, & χρημνίζω præcipito dicitur. Est autem præcipitatio operatio per impetum voluntatis vel passionis sine prudentia & partibus eius, secundùm B. Thomam, secunda secundæ, quæst. 8. art. 6.

Præceps eum propriè significat, qui sine consideratione aliqua aut modo quid agit, & quasi rem præoccupat, componiturq; à præ & capio. Vnde pro nimis festino poni solet. Capitur aliquando pro loco aliquo, vnde quis se præcipitem dare facilè possit. Turrim in pręcipiti stantem. Hinc etiam præcipitium locus præruptus, vnde est facilis præcipitatio, & præcipitãter aduerbium, quòd significat temerè, incõsideratè.

Præco græcè κήρυξ.κος. ὁ. & κήρυγμα.ατος. τὸ. præconium dicitur. Est autem pręco, qui iussu magistratus populum vocat, aut aliquid obseruandum iubet, ac iussa diuulgat, aut aliqd publicè vel priuatim venditioni proponit, aut ferias diésue festos indicat, aut supplicationes ꝑnuntiat, hi etiam curiones vocati inueniuntur. Et à præco fit præconium, ipsa pręconis vox. Et quoniã à præcone res gestę etiam pronunciari solent, ac palã omnibus fieri, ideò pręconium aliquando pro fama & gloria vsurpatur, & laudum præcones, qui eas diuulgant.

Pręda gręcè λεία.ας.ἡ vel ληλασία.ας.ἡ. & λησεύομαι. prędor dicitur. Pręda dicuntur corpora ipsa rerum quę capta sunt. Manubię verò appellatę sunt pecunia à quęstore ex venditione prædæ redactę, secundum A. Gellium lib. 12. Noctiũ At. c. 23. Prædo quid differat à raptore & quid sit, vide infrà in Rapina. Dicitur autem præda, vt Varroni placet, à pario, quasi parida, quòd sit manu parta: vel dicamus à prę, quod est ante, & do, quod auferatur per vim, antequam detur à possidente.

PRædestinatio græcè προόρισις. ιος. ἡ & προορίζω prędestino dicitur. Est autẽ prędestinatio diuinę voluntatis per gratiam electio, secũdùm Augustinum lib. De Libero arbitrio.

Prędestinatio est quędam pręordinatio Dei ab æterno, de his quę per gratiam Dei fienda sunt in tempore secundùm eundem 3. parte, quæst. 24. artic. 1.

Prędestinatio est ratio trãsmissionis creaturæ rationalis ad vitam æternã in mente Dei, sec. B. Thomam prima parte, q. 24. art. 1.

Prædestinatio est cognitio futurę beatitudinis hominum. Præscientia verò econtrariò est cognitio futurę damnationis.

Prædestino compositum ex præ & destino. Destino autem ex de & sto. Est autẽ destinare, deliberare, assignare, deputare, adijcere, quasi stare facio. Virgil. Et me destinat arę.

Ecclesiasticus cap. 9.

Nescit homo an amore vel odio dignus sit.

Danielis 12.

In illo tẽpore saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus scriptus fuerit in libro vitę.

Paulus ad Ephesios 1.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prędestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suę, in laudem glorię gratię suę.

Ibidem.

Nos sorte vocati sumus: prędestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia.

Romanorum 8.

Quos Deus prędestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autẽ iustificauit, illos & magnificauit.

Augustinus & habetur 23. quæst. 4. ca.

Nabuchodonosor.

Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam. Nónne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnũ quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem, ipsis in flagellis durior est effectus & perijt. Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilum nimium altè sapienti corde diiudicat, cur medicamẽtũ vnius medici confectum, alij ad interitũ, alij valuerit ad salutẽ? nisi quia Christi bonus odor, alijs est odor vitæ in vitã, alijs est odor mortis in mortem. Quantum ad naturã, ambo homines erãt: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad causam, ambo captiuũ Dei populum possidebant: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorũ fecit esse diuersos? nisi quod vnus Dei manum sentiens, in recordatione ꝓpriæ iniquitatis ingemuit: alter, libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio.

Ibidem. §. Vasis.

Vasis irę nunquam Deus redderet interitũ, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum. Quia nec Deus peccãti homini iustè inferret iram, si homo ex prędestinatione Dei cecidisset in culpam.

Ibidem. §. Prædestinatio.

Prędestinationem Dei siue ad bonum siue ad malum in omnibus operari ineptissimè dicitur, vt ad vtrunq; homines quędam necessitas videat impellere. Cùm in bonis voluntas sit intelligenda,

telligenda,non sine gratia,in malis auté voluntas sit intelligéda sine gratia. Cùm verò aliquos à Deo aut traditos desiderijs suis, aut obduratos legimus, aut relictos magis in peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorũ crimina præcesserunt, vt ipsi sibi pœnã debuerint, qua eis etiã supplicium verteretur in reatum:atq; ita nec de iudicio Dei quærimur, quo deserit,meritos deseri,& misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. Vires itaq; obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit,quia eum non prædestinauit:sed ideò eũ non prędestinauit,quia recessurum ab ipsa obedientia præuidit. Prædestinatio quoq; Dei semper in bono est, quæ peccatum sola voluntate hominis commissum, aut remittendum nouit cum laude iustitiæ. In malis autẽ operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est, quia sicut præsciuit & prædestinauit quæ ipse fecit,& vt faceremus dedit; ita præsciuit tantùm, non etiam prædestinauit quæ nec ipse fecit,nec vt faceremus exigit. Hi autẽ de quibus dicitur: Ex nobis exierunt,sed non fuerunt ex nobis:si enim fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum,voluntate exierunt, voluntate ceciderũt: & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati si essent reuersuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.

Idem & hab. ibidem, §. Duæ sunt.

Duæ sunt necessitates, simplex vna, veluti necesse est omnes homines esse mortales: altera conditionis, vt si aliquem ambulare quis scit, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque esse nouit, id esse aliter quàm notũ est, nequit. Sed hæc minimè secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura,sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem,quãuis eum tunc cùm gradiatur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo,si quid prouidentia præsens videt,id necesse est esse,tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. At quidem ea futura quæ ex libertate arbitrij proueniunt, præscientia contuetur. Hęc igitur ad intuitum relata diuinũ, necessaria fiunt per dispensationem diuinæ notionis: per se verò considerata, absolutam naturæ libertatẽ nõ deserunt. Fient igitur proculdubio cuncta quę futura Deus esse præsciuit,sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio,quæ quamuis eueniant existendo, tamen naturam propriam non amittunt, quæ priusquàm fierent, etiam non euenire potuissent.

Ibidem §. De Tyrijs.

De Tyrijs verò & Sydonijs quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum desuper vt crederent,quos credituros fuisse ipsa Veritas docet, si talia, qualia apud nos credentes facta sunt,virtutum signa vidissent. Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant si possunt, qui calumniantur: & ostendant, cur apud eos Dominus mirabilia,quibus profutura non erãt fecerit, & apud eos quibus erant profutura,nõ fecerit. Nos etenim si ratione facti profunditatem iudicij eis penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus & verum esse quod dixit,& iustum esse quod fecit, & non solùm Tyrios & Sydonios, sed etiã Corosaim & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc voluisset in eis Dominus operari. Neq; enim vlli falsum videri potest quod, Veritatis ait: Nemo potest venire ad me,nisi fuerit ei datum à patre meo.

Idem lib. 3. de Libero arbitrio.

Sicut tu quædam quæ fecisti, meministi:nec tamen quæ meministi omnia,fecisti:ita Deus omnia quorum ipse actor est, præscit:nec tamen omnium quæ præscit,ipse actor est:quorum autem non est malus actor, iustus est vltor.

Idem super Ioannem homilia 27.

Nemo venit nisi tractus. Quare illum trahat noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe & intellige. Nondum traheris, ora, vt traharis. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illũ: nuces puero demonstrantur & trahitur, & quò currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.

Idem libro de Prædestinat. sanctorum.

Nõ quia futuros nos tales esse præsciuit ideò elegit, sed vt essemus tales per ipsam electionẽ suæ gratiæ, qua gratificauit nos in dilecto filio suo.

Idem libro Retractationum.

Elegit igitur quos voluit gratuita misericordia.

Gregorius in dialogo, & habetur 23. 4. cap. Obtineri.

Obtineri nequaquàm possunt quæ prædestinata non fuerint: sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoq; perennis regni prędestinatio ita est ab omnipotẽti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulãdo mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

Menander.

μένει δ' ἕκαστον τῶθ' ὅπερ μέλλει παθεῖν, id est.
Imminet autem unicuiq;, quod debet pati.

Dantes purgatorij cap. 16.

Voi che uiuete, ogni cagion rechate
Pur suso al chiel, cusi come se tutto
Mouesso seco di necessitate.
Se cusi fusse, in uoi fora distruto
Libero arbitrio, & non fora iustitia.

Poi

Per ben letitia, & per mal hauer lutto.
Lo cieclo i nostri mouimenti initia
Non dico tutti, ma posto chel dica,
Lume nhe dato al bene & a malitia. id est,
Vos qui uiuitis, omnem causam refertis
Etiamnum sursum in cœlum, sicut si totum
Moueret secum neceßitatem afferens.
Si sic foret, in nobis tolleretur
Liberum arbitrium, neq; foret iustitia:
Non dico omnes, sed quamuis idipsum dicam,
Lumen nobis datum est ad bonum & ad malum.

Idem Paradisi canti. cap. 20.

O prædestination quanto remota
E la radice tua da quelli aspetti,
Che la prima caggion non uegion tota.
Et uoi mortali teneteui stretti
A giudicar, che noi che dio uedemo,
Non cognosciamo ancor tutti li celetti. id est,
O prædestinatio quantum remota
Est radix tua ab his aspectibus.
Qui primam causam haud totam uident.
O mortales uos tenete strictos
Ad iudicandum, nam nos, qui deum cernimus,
Nequaquam adhuc cognoscimus electos omnes.

PRedicatio græcè κήρυγμα ατοσ: τὸ, & κήρυξ. κοῦ ὁ. prędicator dicitur. Est autem prędicatio vt hîc sumitur, euãgelij in ecclesia recitatio, quod fit linguis loquendo, pertinet ad diaconũ: ad sacerdotes autem pertinet exponere & exhortari quod est prophetare, ex B. Thom. tertia parte q. 97. art. 1. & 4. sent dist. 5. q. 2. art. 1.

Prædicare est principalissimus actus & proprius episcopi, & dignior quàm baptizare, secundùm eundem, tertia parte q. 57. art. 1.

Prædicare non licet nisi prælato, vel ex eius authoritate, sec. eundem. 4. sen. dist. 19. q. 2. ar. 2.

Prędicatio debet fieri propter gloriam Dei & salutem hominum, non autem propter lucrum vel laudem propriam, secundùm B. Thò. super epistolam ad Romanos 10. lect. 2. col. 4. fin.

Prędicator habet octo nomina, scilicet miles, vinitor, pastor, bos, arator, triturator, seminator, & architectus templi, ex B. Tho. primæ ad Corinthios 9. col. 3. 7.

Prædicamus vt res sunt, laudamus cùm extollimus secundùm Donatum super Teren. in Eunucho.

Deutero. cap. 18.

Et ait dominus, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem ea quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam.

Ecclesiastici cap. 5.

Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas, & cum sapientia proferes responsum verum.

Ezechiel cap. 3

Audies verbũ ex ore meo, & anuntiabis eis ex me.

Esaias cap. 52

Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem.

Matthæus cap. ultimo.

Euntes in mundum vniuersum, prędicate euangelium omni creaturæ, docentes omnes gentes & baptizantes eos.

Lucas in Euangelio cap. 4.

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Idem in Euangelio cap. 11

Beati qui audiũt verbũ Dei & custodiũt illud.

Ioannes cap. 8.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Paulus ad Timothæum 1. cap. 4.

Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Idem ad Hebræos cap. 4.

Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagũ quoq; ac medullarum, & discretor cogitationũ & intentionum cordis.

August. & habetur 1. q. 1. Interrogo.

Interrogo vos fratres vel sorores, dicite mihi, quid plus videtur vobis, corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respõdere: hoc dicere debetis, quod nõ sit minus Dei verbũ, quàm Christi corpus. Et ideo quanta solicitudine obseruamus quando nobis ministratur vt nihil ex ipso de manibus nostris in terrã cadat: tanta solicitudine obseruemus, ne verbum domini quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat. Quia, non minus erit reus qui verbum Dei negligẽter audierit, quàm ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.

Idem super Apocalip. homil. 2.

Quia angelus nuntius interpretatur. Quicũq; episcopus vel presbyter, vel etiã laicus de Deo loquitur, & quomodo ad vitam æternam perueniatur anuntiat, meritò angelus dicitur.

Idem lib. de Mendacio, & hab. 22. q. 2. cap. Primum.

§. Ad sempiternam.

Ad sempiternam verò salutem nullus ducendus est, opitulante mendacio.

Idem super Ioannem.

Sic debet esse sermo Dei fidelibus tanquam pisci hamus. Tunc capit quando capitur, & reti & hamo piscatur perfectius, sed reti turba concluditur, hamo singularis eligitur.

Idem de doctrina Christiana lib. 4.

Prædicator laboret vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur, & hoc se posse magis

gis pietate orationum, quàm oratoris facultatē non dubitet, vt orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit prius orator quàm doctor. Et in ipsa hora accedens priusquàm exeat proproferat linguam ad Deum, leuet animam sitientem, eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat.

Idem in sermonibus communibus 26.

Nemo dicat mihi, non vacat legere, ideò non possum Dei præcepta vel agnoscere vel implere. Nec aliquis dicat, non noui literas, ideò non imputabitur quicquid minus de præceptis Dei impleuero. Inanis & inutilis est ista excusatio, quia si quis nesciens literas, diuinam lectionē non potest legere, potest tamē legentem audire. Qui verò literas nouit, fieri non potest, vt nō inueniat libros, quibus possit diuinam scripturam legere. Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces, & videamus, si nobis nō remanet tēpus à quo diuinæ lectioni vacare possimus. Fugiamus prandia luxuriosa, & cœnas quę nos ad vitia protrahunt, in quibus per ebrietates, turpiloquia & scurrilitates anima vulneratur, aut morte moritur, & tempus erit, quo de salute animæ cogitemus.

Hierony. in Leuit. & habetur dist. 36. cap. Si quis uult.

Si quis vult pontifex esse, non tam vocabulo quàm merito imitetur Moysen, imitetur & Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quod non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini? Quid autem ei opus erat? Vt aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, vt à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sępius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ spiritussanctus docet.

Idem super Malachiam, & hab. 16. quæst. 1. cap. Reuertimini. §. Si quis.

Si quis doctus & eruditus in lege Domini potest alios erudire, non debet suæ assignare prudentię ingenioq; quod possidet, sed gratias agat primū Domino, qui cuncta largitur, deinde sacerdotibus eius ac ministris, à quibus doctus est. Si enim non egerit gratias, sed scientiā vendicauerit sibi, in penuria maledicet. Quod si intelligens largitorem Deum, & agens his gratiis per quos Deo eruditus est humiliauerit se, & in domum Dei intulerit cibos, hoc est, scripturarum alimenta in Ecclesijs populis ministrauerit, statim aperientur super eum cataractæ cœli, & effundetur pluuia spiritualis, & mandabit nubibus suis, vt pluant super eum imbrem, & abundantia rerum omnium perfruetur.

Idem super illud, Vinum tuum mixtum est aqua.

Omnis doctor quia austeritatem scripturarum per quam potest audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum scripturarum violat, atq; suo corripit sensu.

Idem super Ezech. cap. 4.

Qui speculator Dei futurus est, multò tempore debet quiescere, & dolere ea quę videt nihil habere in conscientia, quod in alijs correpturus est.

Ibidem, Si dicente me ad impium.

Magnum discrimen est, Dei tacere sermones, ob triplicem causam. Vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem.

Idem super illud Ecclesiastici, Verba sapientum quasi stimuli.

Notandum est quod dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lachrymam, sed errantibus tardis, pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens. *fortè infligere

Idem ad Paulinum presbyterum. Est & in Prologo Bibliorum cap. 7.

Nolo offendaris in scripturis sanctis, simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolatæ sunt, vt rusticam concionem faciliùs instruerent, & in vna eademque sententia, aliter doctus, aliter eniteret indoctus. Non sūm tam petulans & hebes, vt hęc me nosse pollicear, & eorum fructus capere in terra, quorum radices in cœlo fixæ sunt: sed velle fateor, sed eniti me profiteor, magistrum renuens, comitem spondeo, petenti datur, pulsanti aperitur, quærens inuenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in cœlo. Obuijs te manibus excipiam, & vt ineptè aliquid ac de Hermagoræ tumiditate effundam, quicquid quæsieris, tecum scire conabor.

Idem in epistola ad Nepotianum.

Docente in Ecclesia te non clamor populi, sed gemitus suscitet, lachrymę auditorum, laudes tuæ sint.

Idem super Esaiam.

Ille est doctor ecclesiasticus, qui lachrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem.

Ambrosius in sermone de Ieiunio, & habetur dist. 35. cap. Sexto die. §. Qui enim.

Qui enim Christum annuntiat, ab omni vitiorum incentiuo præstare se debet alienum.

Idem super Lucam.

Aperi os tuum, sed prius vt aperiatur imploта. Vita enim, verbum erigit & acquirit. Sermo enim sine vita, non est Dei sermo.

Idem

Idem super illud 1. Corinth. Vsq; in hanc horam & esurimus, &c.

Liberè enim & iuxta fidem veram sine adulatione Christum prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes, gratiam non habebant apud homines.

Idem super illud Lucæ 9. Quicunq; non receperit uos, &c.

Quales debeat esse qui Euangelizat regnũ Dei, præceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pecunia, hoc est, subsidij secularis adminicula nõ requirens, fideq; victus putet sibi quò minus ista requirat, magis posse suppetere.

Idem super Lucam.

Alienum est prædicatorem regni Dei cursitare per domos.

Gregor. super Euang. lib. 1. homilia 6.

Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur.

Idem lib. 1. homilia 2. super illud Ezechiel. 3. Audies uerbum ex ore meo, & annunciabis eis.

Præpositus sine culpa non est, quando verba iustè non audiens, ex sua culpa moritur subiectus. Hunc ipse occidit, quia eum morti tacendo tradidit. Vbi enim subiectus ex culpa sua moritur, ibi is qui præest (quia tacuit) reus mortis inuenitur. Tot occidimus, quot ad mortem ire tepidi tacentes videmus.

Idem Moralium 20. super illud Iob 19. Super illos stillabat eloquium meum.

In hoc videtur indita sapientia magistrorũ. Debet enim subtiliter qui docet prospicere, ne plus studeat prædicare, quàm capiatur ab auditore.

Idem super Iob 28. Quando ponebat pluuijs legem.

Loquendi authoritas perditur, quando vox operibus non iuuatur.

Idem Moralium 30. in fine.

Tunc enim est sermo viuus & efficax, cùm est prædicantis pura sanctitas, & virtuosa perfectibilitas.

Idem Moralium 30. super illud Iob 38. Quis dedit gallo intelligentiam.

Gallo intelligentia tribuitur, cùm doctori veritatis discretionis virtus, vt nouerit quibus, quid, & quãdo proferat, diuinitus ministratur. Non enim vna eademq; est cunctis exhortatio, quia nec cunctos, par morũ qualitas astringit. Sæpè enim alios inficiunt, quæ alijs prosunt.

Idem Moraliũ 30. super illud Iob. 39. Nunquid nosti tempus partus Ibicum in petris.

Oportet vt prædicatores sint fortes in præceptis, compatientes infirmis, terribiles in minis, in exhortationibus blandi.

Idem in Regist. lib. ult. in fine.

Censemus eos qui apostolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionem dare, pœnitentes suscipere, peccata soluere.

Idem super Euang. lib. 1. homil. 2.

Collocutionis vox, corda torpentia excitat plus quàm lectionis, & quasi quadam manu sollicitudinis, vt vigilent pulsat.

Idem super Ezechielem, & hab. dist. 50. cap. Quid est.

Quid est hoc quod prophetæ iacẽti dicitur? Sta supra pedes tuos & loquar tecum. Quid enim iacenti loquebatur, cur statim promittit se locuturum? Sed sciendũ est, quia alia sunt quæ iacentes, alia quæ stantes audire debemus. Iacenti enim dicitur vt surgat, stanti autem præcipitur, vt ad prædicationem proficisci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione iacentibus, præberi non debet authoritas prædicationis: sed cùm iam in bono surgimus, cùm iam recti stare cœperimus, dignum est vt ad lucrandos alios in prædicatione mitti debeamus. Stans ergo propheta, visionem spiritualem vidit, & cecidit: iacens verò admonitionis verba suscepit, vt surgeret: surgens autem, præceptũ audiuit, vt predicaret. Nam, qui adhuc ex super biæ vertice stamus, cùm iam de æternitatis timore aliquid sentire cœperimus: dignum est, vt ad pœnitentiam accedamus, & dum infirmitates nostras subtiliter agnoscentes, humiliter iacemus, per diuini verbi cõsolationem, ad fortiora opera resurgamus.

Idem super Ezechielem homilia 3.

Vita prædicantium & sonat & ardet. Ardet desiderio, sonat verbo. Aes ergò candens est & prædicatio accensa: sed de candenti ære, scintillæ prodeunt, quia de eorũ exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Rectè ergò, prædicatorum verba scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint incendunt.

Idem homilia 11.

Ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui à prædicante cum compassione animi profertur. Ille loqui veraciter nouit, qui prius benefacere didicit.

Ibidem: Nasus tuus sicut turris libani.

Prædicatoris vita semper debet in alto fixa permanere, vt more narium discernat fœtores vitiorum, odoresq; virtutum.

Idem in Pastorali.

Ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui à prędicatore cum compassione animi profertur: nam tunc verbi semen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.

Idem super Ezech. homil. 2. & in Pastorali.

Nequaquàm debent homines in ætate infirma præ-

ma prædicare, quia sermo doctrinæ non suppetit nisi in perfecta ætate. Redéptor noster, cùm cæli sit conditor, & angelorum doctor, ante tricennale tempus, in terra magister noluit fieri hominum, vt videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cùm ipse etiam qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate prędicaret.

Idem lib. 6. Moralium.

Ille vberes prędicatione fructus colligit, qui seminę bonæ operationis præmittit. Nam loquendi autoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur.

Idem lib. 10. Moralium.

Vbi conscientiam mordet reatus criminis, linguam ligat timor confusionis.

Ibidem lib. 17. Moralium.

Non debet prędicator, infirmis insinuare cũcta quę sentit, nec debet prędicare rudibus quãta cognoscit.

Idem Moralium lib. 18. & in Pastorali.

Lex ipsis prædicatoribus imposita est, vt ipsi viuendo illuminẽt quæ loquendo suadere festinant, nam loquendi autoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur.

Idem Moralium 20. & hab. super Iob 29. cap. Stillabat eloquium meum.

Debet subtiliter is qui docet prospicere, ne plus audeat quàm ab audiente capitur prædicare, debet ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo abscindere, ne dũ paruis sublimia, & iccirco non pro futura loquitur, se magis curet ostẽdere quàm auditoribus prodesse.

Idem lib. 21. exponens illud Iob: Si fructus terræ comedi absq; pecunia.

Fructus enim terrę absque pecunia comedere, est ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem ecclesiæ prædicationis precium non prębere. Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiæ commoda ad vsum corporis percipit, sed exhortationis ministerium nõ impendit. Quid ad hoc nos pastores dicimus, qui aduentum præscripti iudicis præcurentes, officium quidem pręconis suscepimus, sed elementa ecclesiastica multi manducamus, exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus quod subiectorum debemus cordi.

Idem Moral. lib. 24. parte 5. cap. 12. & hab. dist. 46. Hoc habet.

Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre quæ docent: & recta quæ sapiunt etiam rectè ministrare non possunt. In verbis enim eorum perditur, quod cũ docent, quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere, eosque quos docent, vt longè infra se positos velut in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominãdo dignantur.

Rectè autem his per prophetam dominus dicit: Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Cum austeritate enim & potẽtio imperant, qui subditos suos, non cum tranquillitate ratiocinãdo corrigere, sed aspere inflectere dominãdo festinant. At contrà, vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitium fugit per cognitionem, quãnto ardentius verborum suorũ iaculis, ipsum magistrum elationis insequitur. Cauet enim, ne cum elatis moribus prædicet, quem in cordibus audientium sacris sermonibus insectatur. Ecce quare religiosi prohibentur in episcopos ordinari. Est & alia causa huius prohibitionis. Religiosi nanq;, vel adulationibus animos principum sibi concilíant, vel fratribus suis detrahendo, infamię notã ingerunt, vel inter fratres discordiam seminando, seditionẽ nunquam facere cessant, quæ omnia in prelatis damnabilia esse probantur.

Idem lib. 28. Moralium.

Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est vt causarum origines à sacris paginis sumat, vt omne quod loquitur, ad diuinæ autoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ędificium locutionis firmet.

Idem in fine pastoralis loquens de seipso.

Vsurpaui mihi cotis officium, quæ ferrũ reddit acutum, cùm sit inutilis ad secandum. Pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, aliosque ad perfectionis littus redigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor.

Idem super Ezech. hom. 10.

Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba inter conscientiã remordet. Vnde necesse est, vt qui verba Dei loquitur, prius studeat scire qualiter viuat, & pòst ex vita colligat quę & qualiter dicat.

Ibidem.

Ad prædicandam namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitatio sermonis. Qui enim vitam suam interius pensat, & ex suo foris admonendo alios ædificat, quia corde linguæ calamũ tangit, in eo quod manu verbi proximis scribit.

Idem Homil. 30. super Euang.

Nisi spiritus sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuit, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vanum laborat.

Idem super Ezech. & in Pastorali.

Si negligis implere quod doces, alijs messem seminas, & ipse frumẽti participatione ieiunas.

Ioan. Chrisost. de laudibus Pauli Homilia 6.

Qui prædicationis suscipit officium, non oportet mollem quidem esse atq; resolutum, sed fortem & per cuncta robustum. Nec enim

saltem attingere quisquã debet præclari huius muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam in mortem tradere.

Seneca epistola 70.

Turba sapientum plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit, quia plus homines oculis quàm auribus credunt.

Idem epistola 90.

Sunt quidam qui in signum simulatę perfectionis, vitia qbus ipsi laborãt in alijs mordẽt, lacerant, & reprehendunt, ac si ipsi illa vitia nõ haberent.

Idem epistola 118.

Qui ad philosophandum venit, quotidie secum aliquid boni ferat, aut sanior domum redeat, aut sanabilior.

Dantes paradisi Canti. 92

Voi non adante giu per un sentiero
Philosophando, tanto ui transporta
Lamor de la parenza, el suo pensiero.
Et anchor questo qua su si comporta,
Cum men desdegno che quando posposta
La diuina scriptura o quando e torta,
Non ui si pensa quanto sangue costa
Seminarla nel mundo, & quanto piace
Che humelmente cum essa saccosta.
Per apparer ciaschun se ingegna & face
Sue inuentione, & quelle son transcorse
Di predicanti, el uangelio se tace.
Vn dice che laluna se retrorse.
Ne la paßion de Christo, & senterposce:
Per chellume, del sol giu non si porse.
Et altri, che la luce si nascose
Da se pero alhispani & ali indi
Dome a Iudæi tal eclypsi rispose.
Non ha Florenza tanti lapi & bindi,
Quanto si fatte fauole per anno.
In pergamo si cridan quinci & quindi.
Si che le per corelle che non sanno
Tornan dal pascho pasciute di uento,
Et non lescusa non ueder lo danno.
Non dixe Christo al suo primo conuento,
Andati a predicar al mundo ciancie:
Ma de cio de lor ueracce fundamento.
Et quel tanto sono ne le sue guancie,
Si chapugnar per accender la fede
Del euangelio fero scudo clancie.
Hora si ua cum motti, & cum iscede
A predicar, & pur che ben se rida,
Scomphia el capucio, & piu non si richiede.
Ma tal lucel nel becheto sanida,
Che sel uulgo il uedesse uede, rebbe
La perdonanza, di chel si confidai
Per cui tanta stultitia in terra crebbe,
Che sensa proua dalchun testimonio
Ad ogni promißion si conuerrebe.
Di questo ingrassa il porco sancto Antonio,
At ultri ancor che sono aßai piu porci,
Pagando di moneta senza chonio. id est,

Vos non descenditis per eandem semitam
Philosophando, tantum nos transportat
Amor apparentiæ, & sursum desiderium.
Et id quoq; in cœlo permittitur
Cum minori indignatione, quàm cum postposita
Diuina scriptura, uel cùm extorta fuerit.
Non cogitatur quanti constet sanguinis
Eam ipsam seminare in mundo, & quantum placeat
Qui humiliter eidem adhæserit.

Vt appareat quisq; conatur & facit
Suas inuentiones, & hæ sunt digreßiones
Prædicantium, cùm euangelium ipsum silcatur.
Vnus dicit lunam retroceßisse
Cùm pateretur Christus, & se interposuisse,
Quoniam lumen solis se infrà non porrexit.
Et alij quod lux sese abscondit
A se: quapropter Hispanis & Indis
Sicut Iudæis talis eclipsis respondit.
Non habet Florentia tot lapes & bindos,
Quot factæ sunt fabulæ per annum.
In rostris proclamatur hinc & illinc.
Sic ut ouiculæ quæ non sciunt,
Reuertuntur à pascuis uento saturæ,
Nec excusantur damnum suum non cernere.
Non dixit Christus suo primo conuentui,
Ite & prædicate mundo fabulas.
Sed dedit ei uerax fundamentum.
Idq; tantum sonuit in suis buccis,
Sicut ad pugnandum ad accendendam fidem.
Ex euangelio pararunt scuta & lanceas.
Nunc itur cum uerbis risum commouentibus
Ad prædicandum, & modò risum multum moueant,
Inflant capitium, nec aliud exquiritur.
Sed talis auis in capitio recumbit:
Quam si uulgus conspiceret, uideret
Indulgentiam, in qua confidit plurimum:
Quapropter tanta amentia in terra creuit,
Vt sine ratione alicuius testimonij
Omni promißioni conueniens foret.
Ob id pinguefacit porcum sanctus Antonius,
Et alij quoq; qui longe magis sunt porci,
Soluendo ex moneta sine signo.

PRælatus grecè ἔφορος .ου.ὁ & ἐφορέω obseruo dicitur. Est autem prælatus largè sumendo, omnis habens curam animarum, secundùm Inno. in cap. Firmiter, de sum. tri. & in c. decernimus. de iudi.

Prelatorum maximum est periculum, triplici ratione. Quia prelatis incumbit sacramenta dispensare, quæ nõ nisi mundè tractari debẽt. Et quia debent reddere rationem de proprijs, & de alienis inquantum pertinent ad eos, ex B. Thoma 4. sent. dist, 17. q. 3. articulo 3. Præla-

Prælatus existens in peccato mortali, etiam occulto, corripiẽdo, vel quicquid aliud officij sui faciendo, peccat mortaliter. Non autem hoc agens vt frater, ex b. Thoma secunda secundæ, q.33. art,5. & 4. sen. dist. 19. q.2. art.2.

Leuitici cap. 21.

Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suũ non discooperiet, vestimẽta non scindet, & ad omnẽ mortuum non ingredietur omninò. Super patre quoque suo, & matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium domini, quia oleum sanctę vnctionis Dei sui super eum est.

Esaias cap. 21.

Super speculam domini ego sum stans iugiter.

Idem cap. 62.

Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum nõ tacebunt.

Ezechiel. cap. 3.

Speculatorem dedi te.

Idem cap. 34.

Suscitabo pastorem meum qui pascat eas.

Ibidem.

Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos.

Ioannes cap. 10.

Bonus pastor animã suam dat pro ouibus suis.

Paulus 1. ad Timoth. cap. 3.

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Idem 1. ad Corinth. ca. 3.

Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

Ibidem.

Vt sapiens architectus fundamentum posui.

Ibidem cap. 9.

Quis militat vnquam suis stipẽdijs? quis plãtauit vineam, & de fructu eius non edit?

Idem ad Hebræos cap. 5.

Nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron.

Ibidem cap. 8.

Omnis nanq; pontifex ex hominib9 assumptus, pro hominibus cõstituitur, in ijs qui sunt ad Deũ, vt offerat dona & sacrificia ꝓ peccatis.

August. & hab. in decret. 8. q. 1. cap. Qui episcopatum.

Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris.

Ibidem.

Locus superior, sine quo populus regi non potest, & si ita teneatur & administretur vt decet, tamen indecenter appetitur.

Idem super Ioan. & hab. in decre. dist. 81. c. Apostolus.

Apostolus Paulus quando elegit ordinãdos vel presbyteros vel diaconos, & quicunq; ordinandus est ad pręposituram ecclesiæ, non ait, Si quis sine peccato est, hoc. n. si diceret omnis homo improbaretur, & nullus ordinaretur. Sed ait: si qs sine crimine est. Sicuti est homicidiũ, adulteriũ, aliqua immũditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegiũ, & cætera huiusmodi. Crimen autem est graue peccatum accusatione & damnatione dignissimum.

Idem de uita clericorum, & hab. dist. 86. cap. Quando.

Quãdo necessitas disciplinæ in morib. coẽrcendis dicere vos dura verba compellit: si etiã ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt vos à subditis veniã postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos dũ nimiũ seruatur humilitas, regẽdi frangatur autoritas, & tamen petenda est venia ab omnium domino, qui nouit eos quos plus iustè fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

Idem ad Valer. & hab. dist. 40. c. Ante omnia.

Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore faciliùs & leuius, & hominibus acceptabilius, si episcopi aut presbyteri aut diaconi officio perfunctoriè atq; adulatoriè res agatur, sed nihil apud deum miserabilius & tristius & damnabilius.

Idem lib. de Pastoribus.

Quicunq; ita prępositus est, vt in eo ꝙ prępositus sit gaudeat, & honorẽ suũ quęrat & cõmodo sua solùm respiciat, se pascit, non oues.

Idem de uerbis domini.

Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius episcopi aut presbyteri officio: sed apud deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet.

Hieronymus in epistola ad Titum, & habetur dist. 25. cap. Primùm.

Primùm itaq; sine crimine iubetur esse episcopus, quod alio verbo Timotheũ irreprehensibilem nominatum puto, non quod eo tantũ tempore, quo ordinandus est, sit sine vllo crimine, & potestas maculas noua conuersatione diluit, sed quod ex eo tempore quo in Christũ renatus est, nulla peccati consciencia mordeatur: quomodo enim potest præses ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictũ simile corruit? Aut qua libertate peccantem corripere potest, cùm tacitus ipse sibi respondeat eadem se admisisse quæ corripit.

Idem in Leuit. & hab. dist. 36. c. Si quis uult.

Si quis vult esse pontifex, nõ tam vocabulo, quàm merito imitetur Mosen, imitetur & Aaron. Quid. n. dicitur de eis? quod non discedãt de tabernaculo domini. Erat ergo Moyses inde

sinenter in tabernaculo domini: quid autem ei opus erat, vt aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret? Hæc duo sunt pontificis opera, vt à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sępius meditando: aut populũ doceat, sed illa doceat quę à Deo ipse didicerat, non ex ꝓprio corde vel humano sensu, sed quę spiritus sanctus docet.

Idem ad Rusticum episco. Narbo & habetur dist. 93. cap. Diaconi.

Hinc propter auaritiam sacerdotum sæpe odia consurgunt, hinc episcopi accusantur à clericis, hinc principium litis, hinc detractiõis causa, hinc origo fit criminis.

Idem ad Euandrum episco. & habetur ibidem cap. Legimus.

Potẽtia diuitiarũ & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum nõ facit, cęterũ omnes apostolorũ successores sunt.

Idem epistola ad Titum, & hab. dist. 95. cap. Olim.

Olim idẽ erat presbyter qui episcop9, & antequam diaboli instinctu studia, vel schismata in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego aũt Cephę, cõmuni presbyterorũ concilio, ecclesię gubernabãtur. Postquã aũt vnusquisq; eorũ, quos baptizauerat suos esse putabat, nõ Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbiteris superponeretur, & schismatũ semina tollerentur.

Ibidem.

Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex ecclesię consuetudine, ei qui sibi prępositus fuerit esse subiectos: ita episcopi nouerint, se magis consuetudine, quàm dispensationis dominicę veritate, presbyteris esse maiores, & in communi debere ecclesiam regere.

Idem ad Nepotianum, & habetur dist. 95. c. Esto subiectus.

Esto subiectus pontifici tuo, & quasi parentẽ animæ ama, sed episcopi sacerdotes sciant se esse, non dominos: honorent clericos quasi clericos, vt ipsis episcopis, à clericis quasi episcopis honor deferatur. Scitum est illud imperatoris Domitij: Cur ego, inquit, te habeam vt principem, cùm tu me non habeas vt senatorem.

Idem de Paulo super episto. ad Gala. & habetur 2. q 7. Cap. Paulus.

Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.

Idem Leuitico, & hab. 8. q. 1. c. Licet ergo.

Licet ergo Dominus de constituendo principe præcepisset & elegisset, tamen conuocatur etiam synagoga. Requiritur ergo in ordinando sacerdote etiam populi præsentia, vt sciant omnes & certi sint, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.

Idem & habetur 8. q. 1. cap. Illud.

Illud inferendũ est aduersus eos qui de episcopatu intumescunt: & putant se non dispensationẽ Christi, sed imperiũ consecutos, quia nõ statim omnibus his meliores sunt, quicũq; episcopi nõ fuerint ordinati, & ex eo quod episcopi electi sunt, se magis æstiment comprobatos. Si autem peccata filiorum ab episcopatu iustũ prohibent, quanto magis se vnusquisq; considerans & sciens, quia potens, potenter tormenta patietur, retrahit se ab hoc non tam honore quàm onere, & aliorum locum qui magis digni voce sunt, non ambit occupare.

Idem epist. 43. super illud Pauli ad Timot. ca. 3. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Opus, inquit, non dignitatem, laborem non delitias, opus per quod humilitate decrescat, non fastigio intumescat.

Ibidem.

Tanta debet esse conuersatio & eruditio pontificis, vt omnes motus & egressus, & vniuersa eius opera notabilia sint, veritatem mente concipiat, & eam toto habitu resonet & ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit populorum.

Idem & habe. in. decre. dist. 35. c. Ecclesię.

Ecclesię principes, qui in delitijs affluunt, & inter epulas atq; lasciuias, pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quod eijciendi sunt de spatiosis domibus, lautisque conuiuijs, & multo labore epulis conquisitis: Et si vis scire quò eijciendi sunt, propter malas cogitationes, & opera sua, euangelium lege, in tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. An non confusio & ignominia est Iesum, crucifixum, pauperem, & esurientem, fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in apostolorum loco sumus, nõ solùm semonem eorum imitemur, sed etiam conuersationem & abstinentiam.

Idem epistola 13.

Quid enim excepta ordinatione episcopus plus quàm presbyter facit?

Amb. de mysterijs & hab. 1. q. 1. Cùm ordinaretur.

Cũ ordinaretur episcopus, ꝙ dedit aurũ fuit, quod perdidit anima fuit, cùm alium ordinaret quod accepit aurũ fuit, quod dedit, lepra fuit.

Idem in Pastorali.

Honor & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum vulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quã si plumbi metallũ ad auri fulgorem

gorem cõpares. Quippe cùm videas regum colla & principum, submitti genibus sacerdotum, & deosculata eorum dextra, orationibus eorũ se credant communiri.

Ibidem.

Nihil in hoc seculo excellẽtius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri potest.

Ibidem.

Sicut senatorẽ chlamys ornat, sicut agricultura rusticũ, sicut barbarũ arma, sicut nautã nauigationis peritia, & singulos quosq; opifices operis sui qualitas, ipsos demonstrat actores: sic episcopũ, non aliter nisi episcopalis operatio designat, vt ex bono opere magis quã professione noscatur, plus meritis esse episcopus, quã quod nomine vocitetur.

Idem in suo Pastorali.

Sicut leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate, quia ruina quæ de alto fit, grauiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiã dilabitur, ruina grauior est. Non enim est tanti gaudij excelsa tenere, quanti mœroris est de excelsis corruere, nec constat tantam gloriam sequi victoriam, quantam ignominiam post ruinam.

Idem ad coëpiscopos.

Vacate & videte, nisi vacaueritis à terrestribus, nihil cognoscere poteritis de cœlestibus.

Grego. & habetur dist. 40 cap. Nos qui.

Nos qui præsumus, non ex locorũ vel generis dignitate sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbiũ claritate, sed fidei puritate.

Idem Anastasio presbytero, & habetur Ibidem cap. Non loca.

Non loca vel ordines, creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt.

Idem Ioanni episc. Constan. di. 45. c. Quid autem.

Quid autem de episcopis, qui verberibus timeri volunt canones dicant, benè fraternitas vestra nouit: pastores enim facti sumus, non percussores. Egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa, in omni patiẽtia & doctrina. Noua verò atq; inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

Idem, & habetur dist. 81. cap. Oportet.

Oportet sacerdotes quibus domini populus commissus est, cum magna constantia vigilare super domesticas oues, ne lupinis morsibus, id est, diaboli stimulis lanientur.

Idem & hab. 1. q. 1. cap. Quicunque.

Quicunq; sacros ordines vendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt. Vnde scriptum est: Anathema dãti, anathema accipienti, * hęc est simoniaca hæresis, quomodo ergo si anathema sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? & cùm in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere possunt? Qui maledictus est, benedicere quomodo potest?

Alias, hoc est.

Idem Romano defensori Siciliæ. & hab. 11. q. 1. cap. Peruenit. §. Nam si.

Nam si sua vnicuique episcopo iurisdictio nõ seruatur, quid aliud agitur nisi vt per nos per quos ecclesiasticus custodiri ordo debuit, confundatur?

Idem & habetur 11. q. 3. ca. Sententia.

Sententia pastoris siue iusta siue iniusta fuerit, timenda est.

Idem in Homi. 27. & hab. 11. q. 3. cap. Ipse ligandi.

Ipse ligandi atq; soluendi potestate se priuat, qui hanc pro suis voluptatibus, & non subditorum moribus exercet.

Idem in Registro.

Hoc quod me ad episcopatus ordinem cognoscitis perueniſſe, si me diligitis plãgite. Quia tantæ huius mundi occupationes sunt, vt per episcopatus ordinem, penè ab amore Dei videam me esse separatum.

Idem in Pastorali lib. 3.

Nemo plus in ecclesia nocet, quàm qui peruerse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquenti nanq;, hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum vehementer culpa extenditur, cùm pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Idem in Pastorali.

Lux gregis est flamma pastoris. Decet enim dominicũ pastorẽ & sacerdotem, moribus & vita clarescere, quatenus in eo tanquã in lucis suę speculo, plebs sibi cõmissa, & eligere quid sequatur, & videre posſit quod corrigat.

Idem lib. 20. Moral.

Talis debet esse dispensatio regiminis, vt is qui præest ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum ne nimia lętitia vilem reddat, aut immoderata seueritas odiosum.

Ibidem.

Miscẽda est lenitas seueritati, faciendo quoddam ex vtroq; temperamentũ, vt neq; multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluãtur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul & manna erat, quia scripturæ sacræ scientia in boni rectoris sit pectore, sit virga discretionis, sit manna dulcedinis.

Ibidem.

Hinc Dauid ait: Virga tua & baculus tuus &c. Virga enim percutimur, & baculo sustentamur. Sit ergo discretio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet.

Xxx 3 Idem

Idem super Ezechielem homil. 2.

Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitã, vt pòssit prodesse per prouidentiam.

Idem super illud: Si dicente me ad ipsum.

Vbi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest (quoniam tacuit) reus mortis tenetur.

Idem in Pastorali.

Tunc fuit laudabile episcopatum quærere, & per hunc quandocunq; dubium non erat, ad supplicia peruenire.

Idem in Registro.

Deiecisti eos cùm alleuarentur. Cùm alleuatur deijcitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit.

Idem homilia 7. super illud: Dignus est operarius mercede sua.

Quid nos ô pastores agimus, quando mercedem cõsequimur, & tamen operarij nequaquã sumus? Fruct⁹ quippe sanctæ ecclesię in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus, cuius damnationis sit, sine labore, hîc percipere mercedem laboris. Ecce, ex oblatione fideliũ viuimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prędicationis (vt dignum est) insudamus.

Idem in Homilia.

Illi præ cæteris Deum videre sublimè merentur, qui fidelibus gregibus præesse solicitè sciunt: & dum ipsi piè super gregem vigilant, diuina semper gratia largius coruscant.

Idem lib. 2. Moralium.

Cùm maiores voluptati deseruntium, moribus lasciuiæ frena laxantur, & tanto licentius hostis ad feriendũ occupat, quantũ hi qui pro culpis intercedere poterant, voluptati vacant.

Idem lib. 21. Moralium.

Cùm igitur is qui subest, seruiat ad obsequiũ, restat proculdubio, vt is qui præest seruiat ad verbũ, & cùm is qui subest, vitijs obtemperat, oportet vt is qui præest, curam solicitudinis impendat.

Idem lib. 24. Moralium.

Malè se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. Non debet hominũ ducatum suscipere, qui nescit hominib⁹ benè viuendo præire; ne, qui ad hoc eligitur, vt aliorũ culpas corrigat, quę resecare debuit ipse cõmittat.

Idem lib. 26. Moralium.

Subtilissima ars viuendi est, culmen tenere, gloriam reprimere, esse quidem in potẽtia, sed potentem se esse nescire, ad largiendum dona potentem se agnoscere, ad rependenda noxia omne quod potenter valet, ignorare.

Idem lib. 1. Dialogorum.

Vsus rectæ cõuersationis est, vt præesse non audeat, qui subesse non didicit, nec obedientiã subiectis imperet, quam prælatus non nouit.

Idem in Pastorali.

Ab imperitis, pastorale magisterium, quãta temeritate suscipitur? cũ sit ars artium, regimẽ animarum, hoc est, magisterium disciplinæ, vt culpis discretè nouerit parcere, & piè resecare.

Ibidem.

Nequaquàm valet, in culmine humilitatem discere, qui in imis positus, non desinit superbire, nec scit laudẽ cùm suppetit fugere, qui ad hanc didicit, cùm deesset anhelare.

Ibidem.

Tantum debet populi actionem actio transcendere præsulis, quantũ distare solet à grege vita pastoris.

Ibidem.

Si dilectionis testimoniũ est cura pastoralis, quisq̃s virtutibus pollens gregẽ Dei renuit pascere, summũ pastorẽ conuincitur non amare.

Idem in 9. Registri.

Peruenit ad nos, quosdam episcoporum, sub prætextu solatij, in vna domo cum mulieribus conuersari. Sed ne per hoc subsannatoribus iusta obtrectationis detur occasio, aut per facilè inimicus materiam detrectationis assumat, hæc compescas, nec cohabitare patieris, exceptis his quos sacra canonum censura permittit, scilicet matre, amita, & germana. Melius tamen faciunt, si etiam à talium cohabitatione omninò contineant, exemplo B. Augustini dicentis: Quę cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.

Idem in Pastorali, & habetur dist. 43. cap. Sit rector.

Sit rector discretus in silẽtio, vtilis & cautus in verbo, ne aut tacenda proferat, aut ꝓferenda reticescat. Nã sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretũ silentium, eos qui exaudiri poterant, in errore relinquit.

Bernard. de Considerat. lib. 4.

Discant à te coëpiscopi tui comatos pueros, & comptos adolescentes secum non habere, certè inter mitratos, discurrere calamistratos non decet.

Dantes Floren. inferni Cant. 19.

Et se non fusse chancor lo mi uieta
La reuerenza de le summe chlaui,
Che tu tenesti ne la uita lieta,
Io userei parolle anchor piu graui,
Che la uostra auaritia il mundo attrista,
Calcando i bonni, e solleuando i praui.
Di uoi pastor saiurse il uangelista
Quando collei che sie de soura laecque.
Put taneggiar coi regi a lui suuista.
Quella, che colle sette teste nacque,

E dale

E dale diece corna hebbe argomento,
Fin che uirtute al suo marito piacque.
Fato uha uete idio doro e dargento.
E che altro da uoi alli dolatre,
Se non chelli uno, e uoi nhorate cento?
Ai Constandin di quanto mal fu matre,
Non la tua conuersion, ma quella dote,
Che date prese il primo richo patre? Id est,
Et si non adhuc mihi prohiberet
Reuerentia clauium maximarum,
Quas tenuisti in uita prius læta,
Vterer ego uerbis grauioribus.
Nam nostra auaritia qua tristatur mundus,
Deprimens bonos, sursum tollit prauos.
Vos ô pastores notauit Euangelista
Cùm ea quæ sedet super aquas,
Cùm qua sunt fornicati reges terræ
Illa quæ cum septem nata est capitibus.
Et ab ea decem cornua sumpserunt argumentum,
Quousq; uirtus suo marito placuit.
Fecistis uobis Deum ex auro & argento.
Et quid distat inter uos & idololatras?
Nisi quod is unus est, & uos colitis centum
Ha constantinus quanti mali fuit mater,
Non tua conuersio: sed illa dos,
Quam à te sumpsit primus diues pater.
Idem Florent. paradisi. Cant. 11.
Pensa hora mai qual fu collui, che degno
Collega fu a mantener la barca
Di Pietro in alto mar, per dricto segno.
Et questo fu el nostro Patriarcha:
Per che qual segue lui, come comanda,
Discerner poche buona merce carca.
Mal suo peculio di noua uiuanda
E facto giotto, si chesser non puote.
Che per diuersi salti non si spanda.
Et quanto le sue pecore rimote
Euagabunde piu da esso uanno,
Piu tornano aloutl di lacte uote.
Ben son de quelle che temenno il damno
Et strigonsi al pastor, ma son chi poche,
Che le cappe fornisse puocho panno. Id est,
Cogita iam qualis fuit ille, qui dignus
Collega fuit ad conseruandam nauem
Petri in alto mari, per rectum signum.
Et hic fuit noster patriarcha:
Quoniam qui sequitur eum, ut ipse præcipit,
Discernere potest qui bonas uehit merces.
Sed suum peculium nouarum dapium
Gulosum factum est, ut esse non possit,
Quin per diuersos saltus non spargatur.
Et quanto oues eius remotiores
Et uagabunde magis ad eum eunt,
Magis reuertuntur ad ouile suum uacuæ lacte.
Earum quædam sunt quæ timent damnum,
Et pastori adhærent, sed sunt tam paucæ,
Quorum cappas complet paruus pannus.
Idem Florent. paradisi cant. 21.
In quel loco fui o Pier Damiano,
Et Piero pectinar fui nella casa
Di nostra donna insul lito Adriano,
Puoca uita mortal mera rimasa,
Quando fui chiesto e tratto a quel capello
Che pur di mal in peggio si trauasa,
Venne Cephas, e uenne il gran uascello
De lo spirito sancto, macri e scalzi.
Prendendo il cibo de qualunq; hostello.
Or uogion quinci e quindi, chi rincalzi
Li moderni pastori. e chi li meni:
Tanco son graui, e chi direto gli alzi.
Copran di manti loro i para freni,
Si che due bestiæ uau sottuna pelle,
O patientia, che tanto sosteni? Id est,
In eo loco fui ego Petrus Damianus,
Et Petrus piscator fuit in domo
Nostræ dominæ in litore Adriatico,
Exigua uita mortalis mihi remansit,
Quando fui petitus & emissus & ille pileus
Qui tandem è malo in peius transmutatur.
Venerat Cephas, & uenit grande uasculum
Spiritussancti, macri & nudi pedibus,
Capientes cibum ex quocunq; hostiolo.
Iam uolunt hinc & inde, qui pedes præparent
Moderni pastores, & qui se ducant
Tam graues sunt, & qui post sese tollant,
Tegunt mantelijs equos albicantes,
Sic ut duæ bestiæ sub pelle uadunt una.
O patientia quæ tam multum sustines.
Idem Floren. paradisi cant. 27.
Quelli chusurpa in terra il luoco mio,
Il luoco mio, il luoco mio che uaca
Nella præsenza del figliuol de dio.
Fatto ha de cimitero mio cloaca
Del sangue e di la puzza: onde l peruerso
Chi cade di quassu, la giu si placa. Id est,
Qui usurpant in terra locum meum,
Locum meum inquam, locum meum, qui uacat
In præsentia filij Dei.
Fecit ex cœmiterio meo cloacam
Sanguinis & fetoris, unde peruersus
Qui hinc cecidit, istic placatur.
Ibidem.
In ueste di pastor lupi rapaci
Si uegion di qua super tutti paschi.
O diffesa di dio per che pur giaci? Id est,
In ueste pastorali lupi rapaces
Videntur hinc per cuncta pascua:
O defensio Dei cur adhuc iaces?

Præmiũ græcè πρεσβῆιον. &.τὸ dicitur. Est aũt præmiũ id quod redditur alicui in bonũ eius, secundùm B. Tho. 3. sent. dist. 29. q. 4.

Præmium & pretium sic differre videntur,

 quòd

quòd præmiũ duntaxat pro rectè factis datur. Pretium verò non modò pro rectè factis, sed etiam pro malè gestis. Salust. Vicit tamen in senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiá anteferebat. Terét. Ego pretium ob stultitiam fero. Propriè tamen pretium est, quod re empta datur. Terent. Pretium sperans ilicò produxit ac vendidit. Hinc pretiosum, charum & magni pretij: & appretio, æstimo, pretium impono.

Præmium, vt quidam volunt, dicitur quasi præuium, quia primò præponitur, quod dandũ est victori, deinde certatur. Ita & pretiũ, quasi preitium à præeundo, licet breuiet primam, quoniam primo soluitur pecunia, deinde res empta apprehenditur.

Presbyter græca dictio est, nam πρεσβύτερος. ȣ.ὁ. senior dicitur.

Presbytera dicitur vidua, quia presbyter idem est quod senior, ex B. Thoma 4. sent. dist. 25. quæst. 2. artic. 1.

Præscriptio est quoddam ius tempori congruens, authoritate legum vim capiens, pœnã negligentibus inferens, & litibus finem imponens. Differunt autem præscriptio & vsucapio, quia vsucapio est in rebus mobilibus & se mouentibus, præscriptio verò in immobilibus & iuribus incorporalibus, & habetur inst. de vsu, & longi temporis præscriptione.

Præsens græcè παρών, οντος, τὸ. & παρȣσία, ας. ἡ. præsentia dicitur. Est autem præsens propriè illud cuius essentia præsentatur sensui vel intellectui, secundùm B. Tho. 1. parte, q. 8. art. 3. Præsens nonnunquã significat fauentem. Virgil. Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos. Item dicitur præsentaneum venenũ, & præsentissimũ, quod statim interficit. A præsens fiunt duo aduerbia inpræsentia & inpræsentiarum, quæ significant præsenti tempore.

Præstigium, est diuinatio per dæmones ingerentes se visui vel auditui hominum, à præstringendis oculis dictum, ex B. Thoma secun. secundæ, quæst. 95. art. 3.

PRæsumptio græcè τόλμημα, ατος, τὸ. vel τόλμα. ης. ἡ. dicitur. Est autem præsumptio aliquando in bono, quasi præ alijs sumptio, & nonnunquàm in malo, secundùm B. Thomam secunda secundæ, quæst. 21. art. 2.

Præsumptio in malo, dicitur immoderatio spei dupliciter: suprà vires proprias, vel contra iustitiam Dei. Prima opponitur magnanimitati. Secunda verò est species blasphemiæ in spiritum sanctum. Prima oritur ex inani gloria. Secunda ex superbia.

Ecclesiastici cap. 8.

Cùm audace ne eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi nõ est adiutorium elidet te.

Ibidem cap. 9.

Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.

August. Solilo. lib. 8. & hab. 2. q. 7. cap. Præsumunt.

Præsumunt prælati nõ debere se reprehendi vel accusari, pro eo, quod canones non eos passim constituunt accusandos, quod tantùm negatur solis criminosis, cùm de reprehendendo veritas ipsa constituat: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, &c.

Idem de Baptismo contra Donatum lib. 2.

Aliter aliquid sapere quàm res se habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præscindendæ cõmunionis & condẽdi schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica præsumptio. In nullo autem aliter sapere quàm res se habet, angelica perfectio est. Vita itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus. Quandiu ergo nan habemus perfectionem angeli, nõ habeamus præsumptionem diaboli.

Idem de uerbis Domini, cap. 14.

Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis. Nemo erit à Deo firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum.

Idem super illud Ecclesi. 7. Nõ te iustifices ante Deum quoniam agnitor cordis est.

Nulla præsumptio perniciosior, quàm de propria iustitia aut scientia superbire.

Gregor. lib. 6. Moralium.

Quantalibet doctrina mens polleat, grauis imperitia est, velle docere sapientioré. Immensa enim præsumptio, à seniore sibi reuerentiam exigere, silentium imperare meliori.

Ibidem.

Omni culpa grauius de cõmisso vitio superbire. Nam quãuis de virtute nasci elatio soleat, nonnunquàm tamen stulta mens de perpetrata nequitia, se exaltat.

Idem lib. 25. Moralium.

Lumen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddã pietatis est, & tãto minùs animus ad id peruenit, quãto magis intumescit, quia eo ipso foras repellitur, quò minùs inflatur.

Idem lib. 28. Moralium.

Quia prima stultitia angeli elatio cordis fuit, vera sapientia hominis efficitur humilitas suæ æstimationis, quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehemẽter desipit, quo semetipsum nescit.

Ibidem.

In præcipitium pedem porrigit, qui mensurarum suarum limité non attendit. Et plerunq; amittit quod poterat, qui audacter ea ad quæ pertingere non valet, arripere festinat.

Ibidem.

Ibidem.

Pia conditoris dispensatione agitur, vt de se confidens anima dispensatoria tentatione pulsetur, quatenus infirmata quid sit inueniat, & præsumptionis propriæ fastum deponat.

Idem super Ezechielem homilia 9.

Iusti nunquã sua bona detegunt, nisi eos aut proximorum vtilitas, aut nimia cogat necessitas, vt Iob, qui inter flagella per humanæ increpationis verba depressus, dum mentem suam ad desperationis foueam conspexit impelli, bona sua enumerat dicens: Oculus fui cæcorum &c. Quia iam cadere poterat, nisi ad memoriam sua benefacta reuocasset.

Gregorius lib. 23. Moralium.

Humiles cælum petunt, dum se in terrã deijciunt. Superbi infima petunt, dum despiciendo cęteros quasi altioribus extolluntur. Illi dũ se despiciuut, cælestibus iunguntur. Isti dum se erigunt à superioribus diuiduntur. Atq; (vt ita dixerim) illi se eleuantes deprimunt, isti eleuantur deprimentes.

Bernandus de 12. gradibus humilitatis.

Præsumptuosus primus in conuentibus residet, in consilijs primus respondet, nõ vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quicquid ipse non fecit aut ordinauit, nec rectum factum, nec pulchrè æstimat ordinatum, iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturos. Si cùm tempus aduenerit, & non promoueatur ad prioratum siue in abbatẽ, aut inuidum iudicat, aut deceptum.

Ibidem.

Quomodo præsumptuosus culpam suam cõfitebitur, qui nec esse putat, nec putari culpabilis patitur? propterea cùm culpa ei imputatur, crescit non amputatur.

Ibidem.

O superba pręsumptio, præsumptuosa superbia, quæ nõ solùm angelos Deo voluit adæquare, sed homines præsumpsit deificare. Porrò quos erexit depressit, & quos exaltauit humiliauit. Hæc turrim euertit, linguam confudit, Goliam prostrauit, Aman suspendit.

Isidorus Soliloquio. lib. 2. cap. 13.

Alios superbia non excedas, elationis pennas non erigas.

Leo papa, & hab. de consecrat. dist. 4. cap. Si nulla. §. Non.

Non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.

Cassiodorus super Psal. Et non defecit de plateis eius.

Omne malum execrabilius redditur, quando publica præsumptione tractatur.

Vegetius de re Militari lib. 3.

Imperita rusticitas plura promittit, & credit se scire quæ nescit.

Cicero Rhetoric. nouorum lib. 4.

Aut qui priuatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum & se cognoscentem videre in potestate quis poterit?

Valerius Maximus lib. 9.

Temeritatis subiti & vehementes sunt impetus, quibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula respicere, nec aliena facta, iusta æstimatione prosequi valent.

Menander.

ἀνὴρ ἄβουλος, εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων, id est.
Vir temerarius in uanum laborat currens.

Idem.

ἀβουλία γὰρ πολλὰ βλάπτονται βροτοί. id est.
Temeritate enim multùm læduntur mortales.

Idem.

ἀνὴρ ἄβουλος ἡδοναῖς θηρεύεται. id est.
Vir temerarius uoluptatibus uenatur. *Idem.*
προπέτεια πολλοῖς ἐστιν αἰτία κακῶν, id est.
Temeritas multis est causa malorum.

Plautus in Pseudulo.

Sine pennis uolare haud facilè est.

Virgil. Bucolic. Elegia 3.

Non benè ripæ creditur.

Ouid. de Ponto lib. 4. Elegia 11.

Sed neq; prudentem solari stultior ausim,
Verbaq; doctorum nota referre tibi.

Idem de arte amandi lib. 3.

Odimus immodicos (experto credite) fastus,
Sæpè tacens odij semina uultus habet.

Catullus Elegia 3.

Atqui nec diuis homines componier æquum est.

Iuuenalis Satyra 5.

Maxima quæq; domus seruis est plena superbis.

Dantes Florent. paradisi Cant. 2.

Tornati a rueder li uostri liti,
Non ui fidate in pelagho, che forse
Perdendo me, rimanesti smariti. id est.
Reuertimini ad reuidenda uestra littora,
Nolite uos credere pelago, nam forsan
Perdentes me remaneretis deuij.

Franciscus Petrar. Soneto 270.

Ad cader ua chi tropo sale, id est.
Ad causam tendit, qui ascendit nimium.

Idem Can. 19. Stantia 3.

A me pur pare,
Senno a non cominciar tropaltre impresse. id est.
Mihi uidetur,
Sapere non incipere nimis ardua negocia.

De hac materia habes suprà vbi Audacia, & infrà vbi Superbia.

Primitię græcè χάραγμα. ατος. τὸ. & χαράσσω soluo dicitur. Sunt aũt primitię pars prima frugum dño offerenda, secundũ Alexã. in 3. parte Sum. Est & primitium, quod primum in aliqua re & principale est. Ouid. Ecce rapit medijs flagrantem Rhetus ab aris Primitium torrem.

Princeps

PRinceps græcè ἄρχος. ὁ. & ἀρχηγός. ὁ. principatus dicitur. Princeps aliquando primum significat, & est adiectiuũ. Macrob. Qui gradus inter eos princeps habebatur. Aliquando optimatem. Vnde ciuitatis principes dicimus, qui rempublicam administrant. Interdum dominũ, vt Augustinus princeps, Nero princeps. A quo principatus, hoc est imperium.

Princeps dicitur quasi primũ caput. A quo principium & principale & principatum.

Principium est id à quo aliquid procedit, quocunq; modo, & econuerso, secundum B. Tho. prima parte quæst. 33 artic. 1.

Principium sumitur à prioritate, sed non significat eam, secundum eundem ibidem.

Principium est constitutũ in esse per principium. Ideò non conuenit lineæ respectu puncti, nec motui respectu termini à quo, ex B. Thoma 3. sent. dist. 12. quæst. 1. artic. 1.

Deuteronomij cap. 16.

Iudices & magistratus cõstitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum recto iudicio, nec in alteram partem declinent. aliâs magistros.

Sapientiæ cap. 6.

Audite ergo reges & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimũ in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur. Nõ enim subtrahet personã cuiusquàm Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquàm, quoniam pusillum & magnum ipse facit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & ne excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iustè iudicabuntur, & qui didicerint iusta inuenient quid respondeant.

Ibidem.

Verè rex sapiens populi stabilimentum est.

Ibidem.

Si delectamini in sedibus & sceptris ô reges populi, diligite sapientiam.

Prouerbiorum cap. 7.

Leo rugiens & vrsus esuriens princeps impius, super populum pauperem. Dux indigens prudentia, multos opprimit per calumniam.

Ibidem cap. 31.

Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas. Ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorũ, & mutent causas pauperis.

Ecclesiastici cap. 10.

Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.

Ibidem.

Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.

Ibidem.

Rex insipiens perdet populum suũ, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium.

Ibidem.

Qualis est rector ciuitatis, tales habitantes in ea.

Ibidem.

Omnis potentatus breuis vita.

Ibidem.

Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias & cõtumelias, & diuersos dolos.

Ibidem.

Væ terræ, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt.

Ibidem cap. 13.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

August. de ciuitate Dei, lib. 2. cap. 20.

Rex cùm est iniustus, tyrannus est.

Idem 4. de ciuitate Dei, cap. 4.

Malus enim si regnat, seruus est tot dominorum quot vitiorum.

Idem in epistola 32.

Rex seruit Deo leges iustas præcipiendo, & contrarias abrogando.

Idem lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 24.

Neque nos Christianos quondam Imperatores ideò felices dicimus, quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicę domuerunt, vel inimicos ciues contra se insurgentes, & cauere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia huiusmodi ærumnosæ vitæ vel munera vel solatia, quidam etiam cultores dæmoniorum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent isti. Et hoc de misericordia scilicet factum est, ne ab eis qui in eum crediderũt, hæc tanquàm summa bona desiderentur. Sed felices eos dicimus, si iustè imperãt, si inter linguas se sublimiter honorãtium, & nimis honorabiliter salutãtium, & sibi nimis humiliter obsequentium nõ extollantur, si se homines esse meminerint, si potestatẽ suã ad Dei cultum dilatandum, maiestatiq; eius famulari faciunt, si Deum timent, diligunt, & colunt, si plus amant regnum illud, vbi nõ timent habere cõsortes, si tardiùs vindicãt, facilè ignoscũt. Si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæq; reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odijs, exercent. Si eandem, veniam non

non ad impunitatem iniquitatum, sed ad spem correctionis indulgent. Si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant. Si luxuria in eis tanto castigatior, quátò potest esse liberior: & si hæc omnia faciant non propter fauorem inanis glorię, sed propter charitatem felicitatis æternæ. Si propter peccata sua humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificiũ Deo vero immolare nõ negligunt, tales Christianos imperatores, dicimus esse felices, interim spe, postea reipsa futuros, cùm id quod expectamus aduenerit.

Idem 15. de ciuitate Dei, cap. 8.

Non terrena potestas vult esse victrix gentium, cùm sit captiua vitiorum.

Idem contra Faustum cap. 32.

Authoritas belli est penes principem. Ministerium exequendi est penes milites.

Idem lib. 3. ad Chrysost.

In hoc seruiunt reges Deo, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quę pertinent ad societatem humanam, sed quæ ad religionem diuinam.

Ambrosius super illud psalmi, Anima mea in manibus.

Quicunq; proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animam suam rector sui congrua viuacitate permiserit, is benè regia quadam potestate se cohibẽs, rex dicitur: quod regere se nouerit, & arbiter sui iuris sit, nec captiuus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium.

Gregorius super Iob 35. Deus potentem non abijcit.

Magna est potentia téporalis, quæ apud Deũ meritum suum habet de bona administratione regiminis. Nonnunquàm tamen eoipso quod præeminet cæteris, elatione cogitationis intumescit: & dũ foris immenso fauore circũdatur, intus veritate vacuatur: atq; oblitus sui, in voces se spargit alienas: talemq; se credit, qualem foris audit, non quidẽ intus discernere debuit. Subiectos decipit, eosq; ęquales sibi naturæ ordine nõ agnoscit. Cunctis se existimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse.

Ibidem.

Bona namq; est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita.

Idem super illud Iob 38. Ipse enim regnare facit hypocritam propter peccata &c.

Qui talem patitur rectorem, Deum nõ accuset, quia nimirũ sui fuit meriti, peruersi rectoris subiacere ditioni. Culpam igitur magis accuset operis, quàm iniustitiam gubernãtis: Dabo, inquit, tibi regem in furore meo.

Gregorius Moral. 17. super illud Iob. 26. Gigantes gemunt sub aquis.

Nomine gigantum potentes huius seculi significantur, aquæ verò populi sunt.

Moralium 11. super illud Iob, Effundit despectiones super principes.

Principes dicuntur qui principantur cogitationibus.

Ibidem super, Balthæum ragum dissoluit.

Qui membrorum suorum motus benè regere sciunt, meritò reges dicuntur.

Idem Moralium 20.

Princeps enim nõ debet dominare, sed ratio.

Ibidem.

Sæpè à disciplinę metu resoluimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena relaxamus, quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacius ipsi ad illicita resoluuntur.

Idem lib. 46. Moralium super illud Iob, Reges in solio collocat in perpetuum.

Benè sancti viri scripturæ sacræ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, motu luxuriæ appetitũ infrenãt, modò gloriam inclinant, modò suggestiones liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.

Idem 26. Moralium.

Summus locus benè regitur, cùm is qui præest, vitijs potiùs quàm fratribus dominatur.

Gregor. super illud Iob. 3. Cum regibus & consulibus terræ.

Reges qui sua corpora benè regere sciunt, qui desideriorũ motus in se temperant, subiectas cogitationes lege virtutis regulant. Reges quia sibijpsis præsidẽt, & se regere sciunt. Ideò beata terra cuius rex nobilis est, & væ terræ cuius rex puer est.

Idem in Pasto. lib. 2. super illud Pro. 16. Melior est qui dominatur animo suo expugnatore urbium.

Ille enim vincit & expugnat exteriora, hic regit & ordinat sua interiora.

Idem 1. Registri.

Necesse est vt omnes culpas & negligentias sibi imputet, qui ministerium virtutis infirmo commisit.

Ibidem.

Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit & pastor nescit.

Idem in Pastorali.

Sæpè suscepta cura regiminis, cor per diuersa diuerberat. Et impar quisq; inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur ad multa.

Ibidem.

Caput quippe subiectorum sunt cuncti qui p̃sunt. Et vt recta pedes valeant itinera carpere, hic proculdubio caput ex alto p̃uidet, ne à prouectus sui itinere pes torqueat, cũ curuata corporis rectitudine, caput sese ad terrã declinat.

Ioan-

Ioannes Chrysosto. super illud Matt. 10. Sicut oues in medio luporum. Homilia 32.

Quid ouis in medio luporum? Quid columba in medio accipitrum &c. Impius enim princeps siue dominus est, vt leo rugiens & vrsus esuriēs super populum pauperem.

Bernardus ad Eugenium. lib. 1.

Simia in bancho, rex fatuus in solio.

Isidorus de summo bono lib. 3.

Reges à rectè agendo vocati sunt. Ideoq; rectè faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur. Rectè ergo illi reges vocantur, qui tam in semetipsos, quàm in subditos benè regendo modificare nouerunt.

Boëtius de consolat. philoso. lib. 3.

Sententia Platonis est, beatas fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset.

Idem de Consolatione lib. 2.

Quę est hęc potestas, quę solicitudinum morsus, formidinumq; aculeos vitare nequit? vellent enim ipsi securi viuere, sed nequeunt. An potentem censes, quem vides velle quod non potest efficere, qui satellite latus cingit, qui quos tenet ipse plus metuit, qui vt potens esse videatur in manu seruientium situs est?

Seneca lib. 1. de Clementia cap 3.

Principum crudelitas bellum est. Clementia in quamcunq; domum peruenerit, eam fœlicē & tranquillam parabit, sed in rege quò rarior, eò mirabilior. Magni animi proprium est, placidum esse tranquillumq;, ac iniurias & offensas superādo despicere. Muliebre enim est furere. Ira non decet regem.

Ibidem cap. 4.

Quod si dij placabiles & æqui, delicta potentium non statim fulminibus prosequunt̄, quāto æquius est, hominem hominibus præpositū miti animo exercere imperium?

Ibidem lib. 5. cap. 4.

Optimè deos exemplum principibus constituam, vt se tales ciuibus præbeant, quales sibi deos esse volunt.

Idem ad Neronem.

Inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid pulchrius quàm viuere optantibus cunctis? Quis huic audeat struere aliquod periculum, sub quo iustitia, pax, securitas, dignitas floret, sub quo opulenta ciuitas, copia bonorum omnium abundat?

Idem epistola 34.

Si vis tibi omnia subijcere, subijce te rationi. Multos reges, si te ratio regat.

Idem epistola 96.

Animus noster modò est rex, modò tyrannus. Rex est cùm honesta intuetur, salutem cōmissi corporis curat, & nihil illi imperat turpe, nihil sordidum. Vbi verò corpus impotens, & delicatum, transit in nomen detestabile, & fit tyrannus.

Seneca Tragœdia 2.

Regem non faciunt opes,
Non uestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes:
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor,
Vulgi præcipitis mouet.

Et pòst.

Quem non lancea militis,
Non strictus domuit Calybs.
Qui tuto positus loco,
Infra se uidet omnia,
Occurritq; suo libens
Fato, nec queritur mori.
Reges conueniat licet.

Ibidem.

Rex est qui metuit nihil.
Hoc regnum sibi quisq; dat. *Ibidem.*
Non capit regnum duos.

Ibidem.

Habere regnum casus est, uirtus dare.

Idem Tragœdia 3.

Qui uult regnare languida regnet manu.

Idem Tragœdia 4.

Fraus sublimi regnat in aula.

Idem Tragœdia 5.

Quisquámne regno gaudet?
O fallax bonū quantū malorū fronte quàm blanda tegis!

Ibidem.

Dubia pro certis solent timere reges.

Idem Tragœdia 6.

-Quoquò fortuna altius
Euexit ac leuauit humanas opes:
Hoc se magis supprimere fœlicem decet,
Variosq; casus tremere.

Idem Trag. 7.

Aequum atq; iniquum regis imperium feras.

Ibidem.

-Hoc reges habent
Magnificum, & ingens nulla quod rapit dies
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.

Ibidem.

Grauis ira regum est semper.

Idem in Trag. 8.

Nec regna socium ferre nec tedæ sciunt.

Ibidem.

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioq; nimis excelso locas,
Nunquam placidam sceptra quietem:

Certum ue tenuere diem,
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempestas;
Non sic Lybicis syrtibus æquor
Furit alternos uoluere fluctus,
Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat. Metui cupiunt,
Metuiq; timent: non nox illis
Alma, recessus præbet tutos,
Non curarum somnus domitor
Pectora soluit.

Idem Tragœdia 9.

Decet timeri Cæsarem, at plus diligi.

Idem Tragœdia 10.

Tu quicunq; es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua uulgus in aula
Centum pariter limina pulset:
Cùm tot populis stipatus eas
In tot populis, uix una fides.

Ibidem.

Non duces sæuos miseranda tellus habet.

Aristoteles lib. 5. Ethicorum.

Princeps custodire debet iustum.

Ibidem.

Principatus virum ostendit.

Idem lib. Oeconomicorum.

Nunquàm oportet domum esse sine custode.

Idem lib. 8. Ethicorum.

Malus rex tyrannus dicitur.

Ibidem.

Rex debet se habere ad suos subditos, sicut pastor ad oues.

Idem lib. 3. Politicorum.

Prudentia propriè virtus principis.

Idem lib. 8. Ethicorum.

Similis est comparatio regis ad subditos, patris ad filios, pastoris ad oues.

Idem lib. 3. Politicorum.

Melius est ciuitatem regi viro optimo, quàm lege optima.

Idem lib. 4. Politicorum.

Sine principibus impossibile est esse ciuitatẽ.

Idem lib. 5. Politicorum.

Nõ de facili potest inuadi qui est sobrius, sed qui ebrius. Neq; qui est vigil, sed qui est dormis. Quapropter princeps ne inuasibilis sit ebrietatem & somnum debet euitare.

Ibidem.

Periculosum est principi subdito dare magnos honores.

Ibidem.

Rex iustitiam conseruare debet.

Ibidem.

Princeps deicola debet esse, quia minus timent homines iniustum pati à principe, si deicolam ipsum putant esse.

Ibidem.

Oportet principem bonos honorare, & ipsemet honores eis distribuere. Supplicia autem distribuere non per se, sed per alios.

Ibidem.

Princeps nullum magnum virum totius sui dominij debet facere custodem.

Ibidem.

Si princeps aliquem à potestate sibi tradita deponere velit, gradatim hoc debet facere, & non simul auferre totam potestatem.

Idem lib. 6. Politicorum.

Prauos nõ est securum facere dominos, quia ipsi magis indigent custodia aliorũ, quàm possint alios custodire.

Idem lib. 7. Politicorum.

Necesse est futurum principem subditum esse, vel fuisse.

Idem lib. de regimine principum.

Summa bonitas in rege, est abstinentia à pecunijs & possessionibus subditorum.

Ibidem.

Summa sapientia est in rege, seipsum regere.

Ibidem.

Honorificentia est in rege, à multiloquio si se abstineat.

Cicero lib. 1. de Diuinatione.

Regula est enim sapere & dijudicare.

Idem lib. 3. de legibus in principio.

Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia & diligentia esse ciuitas non potest.

Ibidem.

Noster verò Plato Tytanum è genere statuit eos, qui vt illi cęlestibus, sic hi aduersentur magistratibus.

Ibidem.

Iusta imperia sunto. *Ibidem.*

Vt enim cupiditatibus principum & vitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari & corrigi continentia.

Idem lib. 1. Officiorum.

Omninò qui reipublicę præfuturi sunt, duo præcepta teneant Platonis. Vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt * quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, vt corpus totum reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. alias quicquid.

Idem lib. 3. Officiorum.

Ad vulgi opinionem quæ maior vtilitas quã regnandi esse posit? Nihil tamen inutilius eo, qui iniustè consecutus est, inuenio. Possunt cuiquàm vtiles esse languores, solitudines, diurni & nocturni metus, vita insidiarum & periculorum plenissima?

Idem lib. Parodoxorum.

Laudetur verò hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur? Quo modo? aut hic cui tandẽ libero imperabit, qui

non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primùm libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat auaritiam, & cæteras animi lab. s repellat. Tú alijs incipiat imperare, cùm ipse improbissimis dominis dedecori, aut turpitudini parêre desierit. Dum quidem his obediet, nó modo imperator, sed liber habendus omninò non erit.

Vegetius de re militari.

Nullus est quem oporteat, vel plura vel meliora scire quàm principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis.

Valerius Maximus libro 8.

Vtriusq; industriæ laudé, duo inter se reges partiti sunt. Cyrus omniũ militum suorũ noĩa, Mithridates duarũ & viginti gentium quę sub regno eius erant linguas edi scendo. Ille, vt sine monitore exercitum salutaret: hic, vt eos qbus imperabat sine interprete alloqui posset.

Salustius in Catilinario.

Si regum atq; imperatorum animi virtus ita in pace, vt in bello valeret, æquabilius atq; cõstantius res humanæ sese haberent.

Homerus in α Iliados.

κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ
εἴπερ γὰρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι. id est.

Potentior enim rex quando irascitur uiro inferiori,
Quamuis iracundiam & illo ipso die decoquat,
Sed & in futurũ habet iram donec perficiat
In pectoribus suis.

Idem in β Iliados.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς. id est:

Non bonum multorum dominatio, unus dominus sit,
Vnus rex. Idem in α Odyssea.

οὐ μὲν γάρ τι κακὸν βασιλευέμεν αἶψά τε οἱ δῶ
ἀφνειὸν πέλεται, καὶ τιμηέστερος αὐτός: id est.

Non enim malum imperare, statim ei damus
Diues fit, & magis honoratus ipse.

Idem in ρ Odyssea.

χαλεπαὶ δὲ τ' ἀνάκτων εἰσὶν ὁμοκλαί. id est.

Molestæ autem sunt regum minæ.

Menander.

ἀρχῆς τετυχὼς ἴσθι ταύτης ἄξιος. id est,

Principatum assecutus, sis hoc dignus. Idem.

εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ, id est.

Imago autem rex est animata Dei.

Euripides in Medæa.

Δεινὰ τυράννων λήματα καί πως,
ὀλίγ' ἀρχόμενοι, πολλὰ κρατοῦντες,
χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσι. id est.

Graues tyrannorum superbiæ, & quodammodo
A minimo incipientes multa possidentes,
Aegrè iras mutant. Periander.

τοὺς ἡγεμόνας φοβοῦ, id est. Principes time.

Pittacus.

Μὴ ἄρχε πρὶν ἄρχεσθαι μάθῃς, id est.

Noli imperare antequàm subditus esse discas.

Thales.

τὸν κρατοῦντα τίμα, id est.

Imperantem honora.

Horatius carminum lib. 2. Ode 2.

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & uterq; Pœnus
Seruiat uni.

Lucanus lib. 8. Pharsal.

Mitißima sors est
Regnorum sub rege nouo.

Ibidem.

Exeat aula
Qui uult esse pius, uirtus & summa potestas
Non coëunt.

Claudianus alloquens Theodosium.

Tu licet extremos latè dominère per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patière iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cùm poteris rex esse tui, procliuior usus
In peiora datur, suadetq; licentia luxum.
Illecebreisq; effræna fauet: tunc uiuere castè.
Asperius, cum prompta Venus: tunc durius iram
Consulimus, cum pœna patet, sed comprime motus.
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat. mentemq; domet respectus honesti.

Ouid. lib. 1. de Ponto.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia uelox.
Quiq; dolet quoties cogitur esse ferox.

PRinceps dicitur, qui aliquot vrbes seu ciuitates sub se tenet & possidet. Dictus princeps, quasi primum caput, & principatus dominatus, vel imperium. Regna autem dicũtur integrę regiones, quæ à rege possidentur. Hinc reges à regionibus possessis dicti: Ita Galliæ regnum est, & dicitur rex Galliæ, qui præsidet ei: item Boëmiæ, Vngariæ, Poloniæ, &c dicuntur & principes, optimates ciuitatis, qui Rempublicam administrant. Nonnunquàm principes, vocantur domini: sic Augustus primus, Nero princeps, Caius princeps notantur: Vnde principatus deriuatur pro dominatu, Græcis ἄρχος dictus, & ἀρχὴ principatus. Vocatur & imperator princeps, ff. de constit. prin. per totum, Princeps, id est, primum locum tenens. Extra de elect. c. cupientes in Pan. lib. 6. & ibi Ioannes Andr. C. de principibus agen. in rebus, lib. 12. Princeps ex diuina ordinatione ad regendum populum instituitur. 8. q. 1. c. Ergo. Et eius officium est cogitare de vtilitate communi: deinde singulorũ: item prospicere illum ARBITRATIVS. l. regestis ff. ex quib. Ad Roma. cap. 13.

illum oportet, vt subditi in pace, securi ac tranquilli viuere queant. In Auten. De hæred. & falcid. collat. 1. ibi quid princeps. Principes ciuitatis dicuntur magistratus, ff. de excusa. l. Spadonem. §. si ciuitatis. Item principes pro maioribus officialibus accipiuntur in iure. C. de offic. diuers. Iud. l. fui. Dicitur & papa princeps. Porrò & prælatus. extra de Reg. Iur. c. 2. 25. distin. c. Ecclesiæ principes. Vide Egidium in tractatu de regimine principum.

PRINCIPEM ESSE NECESSArium, rationibus quibusdam subsequentibus colligitur.

Salomonis preclara est sententia, vbi inquit: Vbi non est gubernatio, dissipabitur populus. In omnibus profectò, quibus certus aliquis est propositus finis, in quibusq; sic aut aliter procedere contingit, opus esse dirigente aliquo nemo dubitat, si modo ad præscriptum finem perueniendum fuerit. Neq; enim nauis ventorum flatibus exposita diuersis in portum appellat vnquàm, nisi id agat præsidentis industria. Sed homini esse finem quendam propositum, ad quem vita & actiones tanquàm scopum dirigantur, non est, opinor, qui ambigat: etenim per intellectum agit, cuius ex fine diuersa est operatio: diuerso autem calle ad eum ipsum homines perduci, studiorum diuersitate notissimum. Proinde assistat necesse est quispiam, à quo intendatur, dirigaturq; ad finem, ad quem insito rationis lumine ferimur. Aptissimum igitur est vnum aliquem esse debere, cuius consilio & prudentiæ reliqua subijciatur multitudo: alioqui multis cohabitantibus, & vnoquoq; sua cómoda procurante, nullo negocio dilaberentur res, ni princeps aliquis præsideret, qui publico bono tanquàm mitis parens, vt ab Homero dictum, consuleret: sicut & hominum cæterarumq; animantium diffluerent corpora, nisi vis aliqua foret excellentior, quæ assistens membrorum aleret custodiretq; compagem. Igitur necesse est, præter id, quod mouet ad proprium vniuscuiusque bonum, esse item, quod commune omnium distribuat, componatq; bonum: nam & in omnibus, quæ in vnú ordinantur disponunturque, quiddam pernoscitur, principis gerens vicem: siquidem in corporum vniuersitate, corpus primum, id est, cæleste, reliqua corpora quodam diuinæ prouidentiæ munere, ordineq; dispensat atq; moderatur. Omnia verò animantia rationale animal regit, hominem ipsum diuinior anima. Cœlius lib. 13. cap. 29. & 30. Antiquar. lectionum.

Principis officium ac munus est, ita regnum gubernare, & ei præsidere, sicut corpori præsidet anima, & amplius, & veluti mundo Deus: tum suborietur mansuetudinis & clementiæ lenitas, dum singulos ipsi obnoxios, perinde habet ac corporis sui membra, cogitabitque id solùm fulmen, quod Iuppiter mittit, placabile esse: perniciosum id, quod deliberauit, & vt Seneca inquit, alijs quoq; Dijs authoribus misit: quia Iouem, id est, regem prodesse etiã solùm oportet, nocere non, nisi cũ pluribus visum est.

PRINCEPS, EIVS OFFICIVM, *bonus, malus, principatus, imperium,*

Isocrates ad Dæmonicum.

εἰς ἀρχὴν κατασαθεὶς, μηδενὶ χρῶ πονηρῷ πρὸς τὰς διοικήσεις: ὧν γὰρ ἂν, ἐκεῖνος ἁμάρτοι σοι τὰς αἰτίας ἀναθήσουσιν, id est:

Imperium gerens nullius mali opera ad gubernandum vtere: illius enim peccatorum causæ in te referentur.

Solon Athæniensis.

ἄρχε πρῶτον, μαθὼν ἄρχεσθαι: ἄρχεσθαι γὰρ μαθὼν ἄρχειν ἐπιστήσῃ, id est.

Impera vbi prius didiceris parêre: regi enim cùm didiceris, scies regere.

Bion dixit, oportere bonum principem ac magistratum discedentem non ditiorem sed clariorem euasisse.

Agathon dixit, principem oportere trium meminisse: primùm, quòd imperet hominibus: deind, quòd secundùm leges: tertiò, quòd non semper imperet.

Græce.

Τὸν ἄρχοντα τριῶν δεῖν μεμνῆσθαι, πρῶτον μὲν ὅτι ἀνθρώπων ἄρχει, δεύτερον ὅτι κατὰ νόμους ἄρχει, τρίτον ὅτι οὐκ ἀεὶ ἄρχει.

Themistius ex Phlotecno.

Principatus & imperij nomen verum mihi gerere videtur ille princeps, qui auro inexpugnabilis, ratione facilis captu sit, libertatem exerceat, magnanimitatem laudet, & contumaciã sibi vicinam caueat.

Eusebius Sardus.

Illum, qui alijs præest & præcipit, non potestate solùm regendi ac imperandi, sed dignitate prudentiaq; subditis antecellere conuenit.

Idem.

Homines inobedientes sunt illis, qui cùm iniustè viuant, alijs præesse volunt: Obedientiam autẽ facilem ad ea, quæ princeps vel ipse, vel per alium præcipit, apud subditos efficiet quiuis, qui, quæ ipsum facere decet, diligenter exequitur, & eorum, quæ agere conuenit, subditis sese exemplum præbet.

Idem.

Boni principis est hoc vnum propriũ lucrũ, & instar infinitorum aliorum, omnia sic facere, vt & in ipso imperij tẽpore, & post id, iustitiæ ac bonorũ omniũ à subiectis testimoniũ habeat.

Qualem principem esse oporteat, id est, non solùm subditorum patrem & pastorem, ἀλλὰ τὸν ἤπιον ἤπιον φέρων, ut Homerus inquit.

Idem Eusebius Sardus.

Vir princeps & priuatus quilibet intelligat, quod qualis fuerit ipsarum rerū actionumq́;, quas agit, natura, talem quoq; ex ipsis memoriā & famam, vel bonam vel malam consecuturus sit. His consideratis, ita demum alterutrā viam ingrediatur, vel eam, quæ perducit ad infamiā, vel quæ ad memoriæ splendorem: & illam, quæ ei melior futura videbitur, anteponat.

Idem.

Principatum gerens ne reminiscaris inimicitiarum & dissensionum, si quę prius tibi cum aliquibus intercesserunt: Non enim ad regnandum promotus es, vt teipsum vlciscaris, verùm vt imperio tuo subditos etiam ab aliorum insidijs securos atq; tutos custodires: & vt custos esses recti, & magnæ Deæ iusticiæ minister ac interpres.. Itaque si quid admiseris præter eius sententiam, aut deceperis ipsam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipsa, tum à constitutis circa eam genijs custodibus & vltoribus pro factis vindictam expectato.

Idem.

Si constitutus in magistratu inimicitiæ memor fueris, in deteriorem conditionē teipsum das, & grauitate ac sanctitate, quæ requiritur in principe, teipsum priuabis apud conscios tibi, quòd inimicitiæ indulgeas, & pro sanctissimis nominibus, & pro iudice, inquam, ac principe causam agentium hostis eorum turpissimo nomine appellandus sis.

Idem.

Principatum, quem geris, ornes, teipsum verò nō immutes: neq; enim per magistratum tibi quicquā accessit, neq; eo deposito decedet.

Idem.

Ἀρχὴν λαβὼν μοι ἐπαίρεο, οὕτως ἢ διατέλεε: οὕτω γὰρ καὶ ἀποθέμενος, οὐκ ἀφῃρῆσθαι τοῦ σεμνύνοντός σε νομισθήσεαι. id est.

Magistratum nactus non extollaris, sed idem permaneas: sic enim deposito quoq; magistratu nō priuatus existimaberis, eò q̄ te illustrauerit.

Idem.

Vir bonus, qui gentis alicuius, aut ciuitatis imperium suscepit, non propter fiscum, aut dona cupiendi, & à diuitibus pecuniam comparandi causa, similis est homini, qui pretiosum aliquod depositum accepit: vt hic enim quod datur, non retinendi, aut sibi vendicandi gratia sumit, sed vt custodiat, & integrum reddat ei, qui deposuit, quandocunq; repetiuerit: ita principem quoq; non ob quæstum priuatum, sed salutem custodiamq́; subditorum omnia facere oportet, sic vt ipsos quoad efficere potest illæsos, & in felici statu, ei, qui credidit, restituat.

Democritus.

Homines meminerint magis malè quàm benè factorū: sic enim fieri decet, quemadmodū illum, qui reddidit depositum, laudari non oportet, qui verò non reddidit, is vituperari & puniri debet: Similiter de principe res habet, non enim ideo creatus est, vt læderet, sed vt iuuaret.

Sopater in epistola ad Hemetenum fratrem, de gubernando imperio.

Imperio dignus fieri debes, non Reip. statu, sed virtutis & animi erga subditos excellentia. Scias igitur te subditorū singulis præstare communi pro omnibus cura, & solicita gubernatione pro vniuersa Repub.

Ibidem.

Quos autem prius non cognoscebas, & nihil ad te pertinere putabas amplius, quàm quiuis homo communem hominū naturam, illos iam princeps factus, reuereri debes, ceu iam notos & familiares, ac omnes tibi amicos esse videns, paterna beneuolentia complecti. Homero certè non satis fuit principem simpliciter subditorū patrem appellasse, quamuis haud aliud nomē inter homines benignius inueniri posset, sed ad patris vocabulum adiunxit quoque mansuetū, simul & parentibus & bonis principibus huiusmodi nomenclaturam conuenire ratus.

Ibidem.

Curam quidem & prouidentiam subditis debitam omnibus tribuere animum inducas: illos verò, quos vsu bonos esse cognoueris, morum familiaritate tibi concilies. Fugienda est superbia, & coniuncta ei vitia, vt sunt: arrogantia, & pertinacia, tanquam humilis vilisq́; animæ affectus: Sui enim obliuisci propter phantasiam breuis imperij, magnam pusillanimitatem arguit. Curandum est tamen, ne dum probrosos istos excessus malitiæ vitamus, in alteram improbitatis extremitatē turpiter impingamus: lenitatem dico, & humilem animi vilitatem, malos mores pro malis prioribus commutantes. Quamobrem oportet verè imperantem, mansuetum simul & grauem erga subditos tum videri, tum esse.

Ibidem.

Nec ira in subditos vtendum est, neque peccantibus institutum suum sine reprehensione relinquendum: nam iracundia principem ab insanis nihil differre signum est: hoc verò leuitatem ad peccandum in subditis gignit.

Ibidem.

Præbe teipsum simul & clementem & malis infensum: lentè quidem puniendo, clementiā: malis autem indignando improbitatis odium præ te ferens: Vt hoc quidem, fugienda esse mala, illud autem, non nimis implacabilem ijs, qui peccauerunt, esse fortunam: documento sit.

Ibidem.

Abstinendum est etiam dicterijs verè imperantibus:

rantibus: nam qui ridiculis gaudet; imperij maiestatem imminuet.

Ibidem.

Quin & à conuitijs purus sit princeps: hoc enim precipitis imperitorum hominum iracūdiæ signum est.

Ibidem.

Admonitionum duo genera: alterum acriter obiurgans, alterū leniter curans, argumenta mihi videntur probi principis.

Ibidem.

Imperandi modum singulorum moribus decenter accommodato: cum probis moderatè, cum supinis vehementer, cum audacibus acerbè, cum cautioribus deniq; leniter agens.

Ibidem.

Oportet autem à peccatis arcere per necessitatem suadelæ coniunctam: his verò, qui deliquerunt, moderatam iustitię castigationem inferre, ita vt parua quidem & vulgaria peccata dissimulentur (nec enim conducit & quælibet, & omnia simpliciter punire, neq; cognoscentē negligere) quæ verò iam ingrauescunt, ijs cura secundùm leges adhibeatur.

Ibidem.

Desiderandum quidem est, animam quoad eius fieri potest à vitijs puram esse, interim tamen cogitabis, homini congenitum esse peccare. Quocirca qui punit homines tanquam impeccabiles, modum transgreditur rectæ & secundùm naturam castigationis. Exhibeas autē teipsum magistratui ornamentum: non externis & temporaneis adumbrationibus glorieris.

Ibidem.

Gratia & beneficia, quæ iustitiam transgrediuntur, ne gratię quidem mihi dici debere videntur: amicas autem iustitiæ nemo reiecerit vltrò, qui modo non ex quercu, aut petra natus sit. Quandoquidem enim lex sæpiusculè duriores peccatis pœnas irrogat: ius, quod æquum: dum austeram legum sententiam mitigans, inculpata mihi videtur veræ & liberę gratiæ occasio: verùm iudicia quidem, quæ occupantur circa iustitiæ emendationem, in contractibus omninò non agnoscunt gratiarum genus: Quę autem circa delicta versantur, mansuetam & humanam gratiarum faciem non recusant.

Archytas Pythagoræus de lege & iustitia.

Cæterùm oportet verum principem non rectè tantùm imperare scire, ac posse, sed etiam humaniter: turpe enim fuerit, pastorem oues odisse, & pecoribus suis infensum esse, quinetiam legitimus: sic enim demùm principis dignitatem habuerit. Scientia enim rectè iudicare poterit, potestate punire, humanitate beneficia conferre, deniq; ex legibus ista omnia secundùm rationem facere. Optimus autem erit princeps, qui lege diuinissima vtitur, qualis futurus est, qui nihil sui gratia facit, sed omnia propter subditos: Nam lex quoq; non sui, sed subditorum gratia est.

Iamblichus in epistola ad Dyscolium.

Verus princeps magna cum dignitate & bonitate præest, magnifica bonorū munera subditis exhibet, victus abundantis, salutis omnimodæ, & vitæ tranquillitatis author est. Hunc enim sibi finem proponit honestus princeps, vt subditos felices efficiat: & tum sanè præ cæteris, qui ab eo gubernantur, in primis eximius est, cùm illi beatam vitam agunt, qui seipsos ei commiserunt. Siquidem publica vtilitas non separata est à priuata, quin potiùs in vniuersali, singulis etiam vtile continetur, & partes in toto seruantur, tum in animalibus, & ciuitatibus, tum in alijs quoq; naturis.

Idem in eadem epistola.

Inter omnia principum opera plurimum facio, & admiror magnanimitatē & magnificentiam, & maximè cùm benè merendo de hominibus, non exactis & aureis rationibus vtuntur, neq; parcunt in largitionibus, nec tanquā in lance trutinę æqualia pro æqualibus cómutant, sed gratiam ingenuè proferunt, non tantùm ex vasis fundentes ipsas, vt poëtæ canunt, nec alijs huiusmodi organis inclusas, sed nudas intectas, & sine velamentis externis continuas, sibiq; cohęrentes, benigniter & beneuolè porrigunt, vt decet & gratiosum est. Huiusmodi enim gratiarum decus, meritò coronam imperij appellauerim.

Idem in epistola ad Agrippam.

Lex est commune bonum, sine quo nihil bonum fieri potest. Cæterùm oportet principem legibus præfectum, syncerè purgatum esse iuxta summā legum rectitudinem, ac neq; seductione, aut fraude falli per ignorātiam, nec vim inferentibus concedere, nec vlla occasione iniusta allici: nā seruatorem & custodem legum, tam incorruptum oportet esse, quàm summè fieri potest in humana natura.

Cato maior pessimum dicebat esse principē, qui imperare sibi ipsi non possit.

Grecè sic:

Κάκιστον ἔλεγε τὸν ἄρχοντα εἶναι τὸν ἄρχειν ἑαυτοῦ μὴ δυνάμενον.

Epictetus in Enchiridio.

Quemadmodum si gubernare nauem conareris, omninò prius artem gubernādi perdisceres: ita ciuitatem recturus, regendi disciplinam addiscito: vt enim illic nauis vniuersa tuæ fidei cómittitur, ita hic tota respub. gubernanda est.

Ibidem.

Si proposueris ornamenta quæpiam ciuitati consecrare, teipsum pulcherrimo mansuetudinis, iustitiæ, & beneficentiæ ornamento primùm decores.

alteri prodigi, alteri liberales: prodigi qui epulis, visceratiónibus, & gladiatorum muneribus, ludorũ, venationumq; apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut omninò nullam sint relicturi. Liberales, qui suis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienũ suscipiũt causa amicorum, aut in filiarũ collocatiõe adiuuãt, aut opitulantur, vel in re quærẽda vel augẽda.

Diogenes Cynicus petebat à prodigo minam, à quo cùm rogaretur: cur ab alijs obolum, à se peteret minam: quia, inquit, ab alijs omnibus denuò me accepturum spero, abs te verò an rursus accepturus sim, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται hoc est, in genibus Diuum positum. Laërtius libro 6. in vita Diogenis.

Menander.

τοὺς τὸν ἴδιον δαπανῶντας ἀλογίστως βίον
τῷ καλῶς ἀκούειν, ταχὺ ποιεῖ πᾶσι κακῶς, id est,

Si qui suas opes temerè dilapidant,
Laudibus extollunt, id obesse multis potest.

Euphron in Didymis.

ὁ γὰρ τὸν ἴδιον οἰκονομῶν κακῶς βίον,
πῶς οὗτος ἂν σώσειε τῶν ἔξω τινάς, id est.

Nam qui suam malè gubernat rem familiarem,
Dic quæso quomodo seruabit is alienam?

Lucianus in Menippe.

Theron Menippæ filius patrimoniũ omne adhuc iuuenis
Turpiter lasciuis sumptibus dißipauerat.
Postquàm uerò Euctemon paternus amicus ipsum uidit
Iam excruciari arida pauperie,
Illachrymans ad se recepit, & maritum
Suæ coniunxit filiæ, magnam dotem largitus.
Vt primùm autem Theron præter spem ditatus est,
Statim pristinos sumptus repetebat,
Nihil non deliciarum indulgens uentri indecenter,
Ac nefariæ sub uentre libidini,
Ita Theronem obruit secundò
Noxiæ paupertatis reciproca unda.
Cæterùm Euctemon denuò defleuit, non quidem illum,
Sed filiæ suæ dotem & nuptias.
Cognoui autem, quod quisquis malè usus est,
Rebus proprijs, non poßit esse fidus in alienis.

ἔγνω δ᾽ ὡς οὐκ ἔστι κακῶς κεχρημένον ἄνδρα
τοῖς ἰδίοις, εἶναι πιστὸν ἐν ἀλλοτρίοις.

Euphon.

ἔργον συναγαγεῖν σωρὸν ἐν πολλῷ χρόνῳ,
ἐν ἡμέρᾳ δὲ μιᾷ διαφορῆσαι ῥᾴδιον, id est.

Haud facilè cumulus aceruatur, etiam longo tempore:
Vno uerò die facilè dißipabitur.

Menander comicus.

Multi sic affecti sunt, ut ægrè queant
Parcere quicquàm ulterius, quàm uita præsenti.

Diphilus Poëta.

Si nauigatio fortè quatridui instituatur,
Prospicimus quæ necessaria sunt indies:
At si quid parcendum in senectam sit,
Cur non uiaticum parsimonia reponemus.

Theognis.

Sicut ego, mediam uiam ingredere pedibus,
Neq; alijs Cyrne largitor aliena.

Pythagoras Samius.

μὴ δαπανᾶν παρὰ καιρὸν ἀπειροκάλως ἐνὶ ἡμῶν
μὴ δ᾽ ἀνελεύθερος ἴσθι. μέτρον δ᾽ ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, i.

Ne sumptus temerè & importunè feceris,
Sed neq; illiberalis esto. Modus in omni re optimus.

Vrsinus Velus sic uertit.

Dilapidare caue nummos, ceu nescius uti:
Pelle tamen sordes, modus optima regula rerum.

Socrates cùm facilè quendam omnibus gratificari, nulloque delectu suppeditare animaduertisset: malè pereas, imprecatus est, quoniam Gratias virgines vt scorta prostituisti. κακῶς ἀπόλοιο ὅτι τὰς χάριτας παρθένους οὔσας πόρνας ἐποίησας.

Crates diuitum & prodigorum pecunias ficis arboribus, quę in pręcipitijs nascuntur, cõparabat: quibus homines nõ fruuntur, sed corui tantùm & milui, vt prodigorum opibus scorta & parasiti.

Τὰ τῶν πλουσίων καὶ ἀσώτων χρήματα ταῖς ἐπὶ τῶν κρημνῶν συκαῖς ἤκαζεν, ἀφ᾽ ὧν ἄνθρωπον μηδὲν λαμβάνειν, κόρακας δὲ καὶ ἰκτίνους ὥσπερ παρὰ τούτων, ἑταίρας καὶ κόλακας.

Prodigi, quia res suas malè administrant, alienas regere minimè possunt.

Zenon, ad prodigalitatem suam excusantes, quod ex multis superfluis sumptus facerent, dicebat: igitur & coquis veniam dabitis, si falsa obsonia se fecisse dixerint, quod copia salis adfuerit.

Xenophon in lib. 8. Institutionis Cyri Persarum regis.

οὐ γὰρ τὸ μὴ λαβεῖν τ᾽ ἀγαθὰ οὕτω χαλεπόν, ὡς τὸ λαβόντα στερηθῆναι, id est.

Non tamẽ graue est, bona nõ accipere, quàm acceptis priuari.

Horatius saty. 3. lib. 2. Sermonum.

Si malè rem gerere, insani: contrà benè, sani est.
Quid ergo?
Sensit, cum summam patrimonij insculpere saxo
Hæredes uoluit? Quoad uixit credidit ingens
Pauperiem uitium, & cauit nil acrius, ut si
Fortè minus locuples uno quadrante periret,
Ipse uideretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam & rex,
Et quicquid uolet. Hoc ueluti uirtute paratum,
Sperauit magnæ laudi fore. Quid simile isti
Græcus Aristippus? qui seruos proijcere aurum
In media iußit Lybia: quia tardius irent
Propter onus segnes. Vter est insanior horum?

Theages.

Καὶ μὴν

Καὶ μὲν ἀσωτία ὑπερβολὴ τοῦ δέοντος ἐν δαπάνῃ χρημάτων, id eſt.

Prodigalitas quidem eſt exceſſus decori in ſumptu pecuniarum.

Quatuor Senarij Menandri, quos Volateranus lib. 42. Philologiæ ſic uertit:

Stulte ſua prodigentes uiri cauſam dant,
Cauſam dant omnibus audiendi malè,
Nam qui propriam uitam neſcit domi regere,
Quo nam pacto hoc alienam ſeruauerit?

Proteruiam facere, eſt omnia decoquere. Erat religioſum in hoſtijs, vt ſi quid reliquum eſſet, id igni conſumeretur: quemadmodum Moſes tradit de agno paſchali. Porrò id genus ſacrificij Romani proteruiam appellant: vndè celebratur illud Catonis feſtiuiter dictum in Albidiũ quendam, qui patrimonium vniuerſum luxu abſumpſerat, vnis exceptis ædibus, quæ incendio conflagrarunt: Proteruiam, inquit, fecit, propterea quod ea quæ commeſſe non potuerit, quaſi combuſſiſſet.

Gallorum incuſare ventrem: Contra multũ abſumentes luxu facultates. Huic animanti vẽter eſt mirificè calidus, ita vt omnia ſtatim concoquat.

Aliud, relinque quippiam & Medis. λεῖπέ τι καὶ μήδοις. In eos, qui facultates omnes abligurriunt, id eſt: comparce tu, quod diſsipent ij, qui tibi malè volunt. Ex quo Medi & Phocidem ipſam, & extremos Bæotiæ terminos incurſarunt, omnia vexantes miſcenteſq; populationibus.

E dolio hauris: in profuſores & prodigos, Heſiodus monet dimidiato dolio parcendum eſſe, quòd ſera ſit in fundo parſimonia: & Perſius Satyra 2. Donec deceptus & expes, nequicquàm in fundo ſuſpiret numus in imo.

Vnà cum caniſtro: i. αὐτῷ κανῷ. In eos quadrat, qui rem intemperanter profundunt, deuorant, atque abligurriunt. Plato: Ipſo caniſtro cuncta rapuiſti ſimul.

Cicero.

Largitio non habet fundum. Significatur autem liberalitate ſtulta quantaſlibet opes exhauriri. Tranſlatum videtur, à pertuſo dolio Danaidum apud inferos.

Plena manu.

Feſto die ſi quid prodegeris, profectò egere liceat, niſi peperceris. Admonet ne in ſumptibus ſolennibus ita profuſi ſimus, vt non ſuppetat, quo feramus quotidianos. Accommodabitur non perperam in eos, qui iuuenes rem prodigunt, eſurituri ſenes.

Bello parta ἐκ πολεμίας. Vbi quis immodicè inſumpſerit. Solent autem erepta ex hoſtibus celerius ac magis temerè profundi.

Glaucus alter. In hominẽ alendis equis exhaurientẽ facultates ſuas, γλαῦκος ἄλλος ἱππόβοτος.

Immolare boues βουθυτεῖν: qui amplos, magnificoſq; ſumptus faciunt: diuitum & regum eſt potiùs, boues ſacrificare, & βουθυσίαν pro magnifico apparatu vſurpant.

Non nauigamus ad Hippolaëtas. Admonemur inde parcius vtendum eſſe rebus præſentibus: neque enim nauigari ad eum locum, vnde rerum copia exuberat: vt quod temerè prodegeris, facilè poſsis ſarcire. Vide Eraſ. in Chiliaſuis de ijs omnibus.

Qui fuerint olim prodigi, ex uarijs authoribus collecti ſequuntur.

Formianus à Catullo vt decoctor ac magno ære alieno oppreſſus inceditur, ita ait.

Iſta turpitudo puella naſo
Decoctoris amica Formiani.

M. Tigellius Hermogenes adeò fuit prodigus, vt tibicines, hiſtriones, paraſiti, gnatones, mimi, epulones, balatrones, mendici, vnguentarij, caupones, reliquiq; ocioſæ vitæ homines mortem eius multis lachrymis defleuerint.

Horatius lib. 2. Sermonum.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
Mœſtum, ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat, &c.

Filius Aeſopi tragœdi tanta fuit prodigentia, vt vniones aceto liquefactas cœnis apponeret.

Horatius lib. 2. Sermonum.

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet, ut decies ſolidum exorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.

Martialis lib. 1. epigrammatum notat Baſſam fœminam, quod excrementa corporis aureo exciperet vaſe, vbi ait.

Ventris onus miſero (nec te pudet) excipis auro,
Baſſa bibis uitro, carius ergo cacas.

Idem lib. 9. Cinnæ cuiuſdam luxum ita arguit:

Nam tu dum metuis, ne quid poſt fata relinquas,
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.

M. Liuius cùm omnia per luxum dilapidaſſet, ſuæ ſtultitiæ per iocum illudebat, dicens, ſe nihil cuiquàm reliquiſſe præter cœlum & cœnum. itaq; cùm pecunia egeret, multa per ſcelus commiſit.

Nero princeps annis 14. quibus imperio prefuit, bis & vicies millies donationibus effudit, id eſt, quingenties & quinquagies centena millia aureorum.

C. Caligula opes immenſas à Tyberio congeſtas, ac vicies ſepties milies ſeſtertium intra annum abſumpſit.

Demetrius Antigoni & Aratonices filius, ducenta talenta ſcortis dari iuſsit, author Plutar.

Apitius omnium ferè luxum, ac prodigalitatem nepotinis helluationibus ſuperauit. De quo Martialis lib. 5.

Dederas

Dederas Apici bis trecenties uentri,
Sed adhuc superat centies tibi laxum,
Hoc tu grauatus ne sitim & famen ferres.
Summa uenenum potius duxisti.

Quod sic interpretatur Budæus: apici sexcẽties sestertiûm, id est, quindecies centena aureorum coronatorum milia, inexplebili illa helluatus ingluuie, cùm posses adhuc ducentis quinquagenis milibus, (quod centies laxum Poëta appellat) vitam cauto & eleganti victu producere, tamen venenum miser hausisti, ne patrimonio tanto superesses, quod iam non te deserturũ videbatur. Cleopatra vltima Aegypti regina cœnam parauit Antonio, in qua centies sestertiûm, id est, ducenta & quinquaginta milia aureorum vno ferculo secundæ mensæ consumpta sunt: vnde Sidonius Cleopatricas dapes vocat. Tantus fuit Agrigentinorum luxus, & prodigalitas in omni re, vt Plato diceret, eos ædificare, ac si victuri perpetuò forent: ita demum conuiuari, veluti semper morituri. Vtebantur lechytis & xistris argenteis, habebãt & lecticas totas ex ebore. Singuli Vitellij apparatus non minus quadringentis milibus constiterunt. In cœna eidem à fratre data duo milia lectissimorum piscium, septem auium apposita traduntur. Idem Vitellius in suo principatu, ducentis sestertijs condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis ædificata erat: habuit autẽ in ea patina scarorũ iecinora, phasianorũ & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes à Carpathia vsq; fretoq; Hispaniæ petitarum. Auctor est Suetonius Trãquillus in eius vita.

Licinius Crassus cùm omnia decoxisset, occurrentiũ tum cachinnis vocabatur diues, his verbis: qui in Parthos militauit, nõ fuit appellatus diues primus, sed hic.

Heliogabalus inuitatis ad prandium summis viris, croco mensam sternebat, dicens, se fœnũ pro eorum dignitate exhibere. Idem triclinia, lectos, & porticus omni florum genere strauit, lilijs, violis, hyacinthis, & narcissis, quos flores pedibus cõculcabat: naues pretiosis mercibus onustas mergi in portum iussit: magni animi id esse dicens. Aureo vtebatur vase, ad corporis excrementa: gemnas ab optimis sculptas artificibus in calceamentis ferebat, quæ nunquã iterabat: pretiosas vestes sæpè conscidit: minxit etiam in Myrrhinis & Onichinis vasis, omnibus meretricibus sine effectu libidinis, multos quãdoq; dedit aureos nummos.

Exempla memorabilia prodigorum.

Lutius Neratius homo egregriè improbus, autore Gellio, cùm pro delectamẽto haberet os hominis liberi manus suæ palma verberare, seruum comitẽ habebat, crumenã plenã assiũ portitantem, quemcunq; depalmauerat, numerari statim secundũ 12. tabulas, viginti quinq; asses eidem iubebat.

Callias fuit quidã, qui cõsectandis meretricib. vniuersum dilapidauit patrimoniũ: hinc per iocum dicebatur à scortis deplumatus.

Phocus Phocionis filius cùm paternas opes prodigo luxu prodegisset, Atheniensibus vsq; adeò factus est odiosus, vt occurrẽtes oẽs diffamatorem sui generis illum nuncuparent.

Alphonsus rex Neapolitarum, cùm multa per luxum prodegisset, conflatoq; ære ingenti alieno, iam non haberet vnde creditoribus satisfaceret, dolore & ira permotus, plerosq; suis spoliauit bonis.

Alexander Macedo Promachum bibacissimum hominem, victorem in vini certamine aurea corona donauit.

Belflorius homo Sicul⁹ priuatus domũ inchoauit tãto sumptu, vt fundamẽtis modicè adhuc ab humo extantibus pecunia sit exhaustus, quã tamen multis annis improbo labore sibi comparauerat.

Cleopes Aegypti rex sumptu Pyramidis eò redactus inopia est, vt filiã exponere venalem ad meretricium quæstum coactus sit.

Galenus imperator Valeriani filius gemmatas ferebat caligas, exemplo Caligulæ, qui inde traxit nomen.

C. Curio Tribunus plebis sexcenta æris alieni sestertia debuisse fertur. Autor Vale. Max.

Petrus presbyter cardinalis, sedente in pontificatu Sixto, duobus annis trecenta aureorũ milia luxu & vanitatibus prodegit.

Cęsar Alexandri sexti pontificis filius, quotidianis epulis ducentos aureos dicauit: parasytis vestes duorum milium donauit: exercitũ octo milia hominũ viuente patre semper aluit.

Prodigis bonorum administratio interdicitur & datur ex leg. 12. Tabularum, Curator.

Prodigus est, qui sermone quidem videtur sapiens, sed factis tamen insipiens, l. his qui. §. D. Pius, ff. de tuto. & curat. Et dicitur magis vanus quàm malus. quarto ethico. Inter viles personas numerat̃. ff. de donat. l. nõ debet. Et quis sit verè ꝓdigus ac auarus. lege Ber. extra de cõsuetu. c. ex parte & ff. de cura furi l. penul. & l. 1. c. eod. Quomodo autem probetur quis prodigus ac auarus ex fama vicinorum, habes ff. de Edili edict. l. sciendũ. §. illud. De mino. l. 3. §. si minor. Et notatur in simili c. de iure dot. l. vbi. Ad hæc delinquit prodigus in se tantùm, nõ alium. Glos. singula secundùm Baldũ in l. 1. §. Exigitur. ff. de bono. possess. secun. tab. Quis sit ꝓdigus: Bart. in l. habet in prin. de tute. l. is qui. §. de tutoribus & curat. dat. Quomodo verò differat à furioso. hab. in l. is cui. ff. de Testa. & confertur pupillo in cõtrahendo, nõ aũt peccãdo. Bart. in l. si cura. ver. vel ad secundum. C. de restitutio-

ſtitutionibus in integrum l. ſi quis in tantam ver. quæro quid prodigi. C. vnde vi & plenè Alex. atq; Aretinus in l. is cui bonis. ff. de ver. oblig. Abbas & alij in. C. ex Parte de conſuet.

Prodigalitas eſt morbus curabilis, ſed auaritia nō. Egidius li. 2. cap. 18. De regimine Principū.

Lege 12. tabularum interdicitur furioſo & prodigo bonorum ſuorum adminiſtratio, daturq; vtriq; curator: tamq; diu erunt ambo in curatione, quàm diu vel furioſus ſanitatem, vel prodigus ſanos mores receperit. Vlpianus. ff. de cura fur. dan.

Alphonſus Aragonum rex equiti ſubinde aliquid à rege flagitanti, ſed mox quod acceperat profundēti: ſi pergam, inquit, tibi dare quæ petis, citius me pauperem effecero, quā te diuitem: nam qui tibi donat, nihil aliud quàm aquā infert pertuſo dolio. Eraſ. li. 6. Apophthegma.

Diogenes præteriens prodigi cuiuſdam ædes inſcriptionem habentes venales: facilè inquit, diuinabam fore vt præ immodica crapula domum euomeret: iam enim domū abſumpſerat, antequàm venalem proſcriberet: vomitus igitur erat verius, quàm venditio. Eraſ. in lib. 3. Apophtheg. folio 124.

Proditio græcè προδοσία. ας. ἡ. & προδότης. ου. ὁ. proditor, & προδίδωμι prodo dicitur. Eſt autē prodere fallere & tradere. Saluſ. Antequam arcem proderet hoſtibus. Vnde proditor, proditio, prodimentum. Prodere eſt etiam manifeſtare: Vnde & proditores à prodendis conſilijs hoſtibus dici poſſunt.

Promiſsio græcè ὑπόσχεσις. ιος. ἡ. & ὑποσχέομαι promitto dicitur. Eſt autē promiſsio actus rationis, qui eſt enūtiatio & ordinatio alicuius, ſecundùm beatum Thomam ſecunda ſecundæ q. 88. arti. 1.

Promittere eſt polliceri. Sed hoc differunt, quod pollicemur ſponte, promittimus rogati.

Promptuarium græcè ταμίον. ου. τὸ. dicitur. Eſt autem promptuarium locus in quo res ad vſum neceſſariæ ita repoſitæ ſunt, vt ſtatim promi & proferri poſsint. Diciturq; à promptus, quod in ea prompta ſint & parata. Promptus verò appellatur is, qui iam eſt paratus & expeditus ad agendum, & in quo nulla mora eſt, quaſi iam è penu ſiue repoſitorio ſit productus.

Pronuntiatio græcè προφορά. ᾶς. ἡ. & προφέρω pronuntio dicitur. Eſt autem pronuntiare proferre. Vnde pronuntiatio pro ipſa prolatione accipitur. Eſt etiam pronuntiare decernere & ſtatuere, de ijsq; dicitur ius cognoſcendi.

Prophetia greca dictio eſt, προφητεία. ας. ἡ. & προφήτης. ου. ὁ propheta & προφητεύω vaticinor dicitur. Eſt autem prophetia diuina inſpiratio rerum, futura immobili veritate denuntians, ſecundùm Caſsiodorum, ex B. Tho. ſecunda ſecundæ, q. 171. articulo 3.

Propitiatio græcè ἱλασμός. ου. ὁ. & ἱλαστήριον. ου. τὸ propitiatorium dicitur. Erat autem propitiatorium tabula ſuper alas cherubin. Quia exinde Deus propitiabatur populo, ſecundùm B. Tho. prima ſecundæ q. 102. art. 4.

Propoſitio græcè πρότασις. ιος. ἡ. & πρόθεσις. ιος. ἡ propoſitum dicitur. Eſt autem propoſitū actus voluntatis deliberatæ, ſecundùm B. Tho. ſecunda ſecundæ q. 88. articulo 1.

Propoſitio eſt enuntiationis altera pars, in qua prædicatur vnum de vno, ſecundùm Ariſt. lib. 1. Poſte.

Proportio græcè ὁμοίωμα. τος. τὸ dicitur. Significat autem proportio ſecundùm primam nominis impoſitionem, habitudinē quantitatis ad quantitatem ſecundū determinatum exceſſum vel adæquationem. Sed transfertur ad ſignificandum habitudinem quorumcunq;, ſicut materiæ ad formam, potentiæ ad actum, obiecti ad potentiam, finiti ad infinitum, creaturæ ad creatorem, ex B. Tho. 1. parte q. 12. art. 1.

Proprium græcè ἴδιον. ου. τὸ. & ἰδιότης. ητος. ἡ. proprietas dicitur. Eſt autem proprium de genere accidentium, ſecundùm B. Tho. prima ſecundæ q. 82. art. 2.

A proprium fit proprietas notæ ſignificationis, horū oppoſita ſunt improprium & improprietas.

PRoſperitas græcè εὐημερία. ας. ἡ. & εὐημερέω proſperor dicitur. Eſt autem proſperitas fœlicitas, & ad votū ſucceſſus. Venit autem à ſpe, vnde & proſper fœlix, hoc eſt qui ſpem noſtrā implet. Vnde proſpera ſidera, tēpora, loca, fines, actiōes, ſucceſſus. Itē felix qui ſpe ſua potit⁹ eſt.

Prouerb. cap. 1.

Proſperitas ſtultorum perdet eos.

Auguſt. in ſermone de puero Centurionis, & hab. 23. q. 1. cap. Paratus. §. Nihil eſt.

Nihil eſt infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut interior hoſtis roboratur.

Ibidem.

Si Deus pollere permittat iniquos in proſperitate, tunc indignatur grauius, & ſi impunitè dimittat, tunc punit infeſtius.

Idem de Verbis domini cap. 13.

Magnæ virtutis eſt cum fœlicitate luctari, ne alliceat vt corrumpat, ne ipſa ſubuertat fœlicitas. Magnæ inquam virtutis cum fœlicitate luctari, magnæ felicitatis eſt à felicitate nō vinci.

Idem lib. 2.

Nemo frangitur aduerſorum moleſtia, qui proſperorum delectatione non capitur.

Idem ſuper Pſalm. 7.

Nemo gratuletur homini, qui proſperatur in via ſua, cuius peccatis deeſt vltor & adeſt laudator. Maior hic ira domini eſt. Irritauit enim dominum peccator, vt iſta patiatur, id eſt, vt correctionis flagella non patiatur.

Idem

Idem super Matthæum sermone 29.

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur fœlicitas, cuius dulcedo non est fallax.

Idem epistola 36.

Prospera huius mundi, asperitatem habent veram, iucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidā quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.

Idem epistola 82.

Mundus periculosior est blandus, quàm molestus.

Hieronymus super Esaiam libro 7.

Nulla res longa mortalium est, omnisq; fœlicitas seculi dum tenetur, amittitur. Cùm enim tribulationis tempus aduenerit, omne quod præteritum est, nihil adiuuat sustinentem.

Hiero. super illud Matthæi 17. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur?

Si haberes sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longæuitatem Enoch, si diuitias Crœsi, si potestatem Octauiani. Quid prosunt hæc? cùm tandem caro datur vermibus, & anima dæmonibus cum diuite sine fine crucianda.

Gregorius in homilia de diuite & Lazaro, & habetur de pœnit. dist. 3. in fine.

Cauendum est nobis, ne si forte aliquid boni agimus, in præsenti seculo remunerationem accipiamus, ne forte dicatur nobis, receperunt mercedem suam. Nisi enim diues ille aliquod bonum egisset, vnde in præsenti seculo remunerationem accepisset, nequaquam Abraham dixisset: Recepisti bona in vita tua.

Idem lib. 3. Moralium.

Cùm quis positus in prosperitate diligitur, incertum est vtrum prosperitas an persona diligatur. Amissio autē fœlicitatis interrogat vim dilectionis, nec prosperitas quippe amicum indicat, nec aduersitas inimicum celat.

Idem lib. 5. Moralium.

Sancti viri cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauida suspicione turbantur. Timent enim ne hîc laborum suorum fructus recipiant.

Idem lib. 12. Moralium.

Iniquus prosperari in sua mala actione permittitur, quatenus & peruersa faciat, & tamen fœliciter viuat. Peruersus quisquis quanto citius peruenit ad desiderium, tanto infœlicius rapitur ad tormentum.

Idem lib. 13.

Iusti sæpius placet ex aduersitate mala perpeti, quàm ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari.

Gregor. lib. 15. Moralium.

Præsentis vitæ prosperitas, innocentiæ testis non est, quia multi ad perennem vitam per flagella redeūt, & pleriq; ad infinita supplicia perducendi sine flagello moriuntur.

Idem Iob 18. Præcipitabit eum consilium suum.

Prosperitas gressus obligat, vt vix ad bona prodire possint.

Idem lib. 28. Moral.

Solet lætitia arcana mentis aperire, atq; aperiendo amittere. Aduersa verò cùm nos exterius deprimunt, interius cautiores reddunt.

Idem lib. 31. Moralium.

Multos sua peius fœlicitas strauit, multos diuturna pax victos reddidit, eoq; illos inopinatos hostes grauius perculit, quo longo quietis vsu negligentiores inuenit. Vnde sancti viri, cū multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quosdam supernæ dispensationis moderamine exerceri, se etiam tentationibus exaltant. Quia tanto robustius acceptam virtutū gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi infirmitatem suam humilius agnoscunt.

Greg. Moral. super illud Iob 5. Video stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius.

Quasi per amœna prata ad carcerem venit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum currit.

Ioan. Chrysosto. & habetur de pœni. dist. 3. cap. Quid ergo.

Quid ergo turbamur? nemo videns malignos prosperitatem habere, turbetur, non est hîc retributio malignitatis, neque virtutis. At si aliquando contingat, vt aliqua sit retributio vel malitiæ vel virtutis, non tamē secundùm quod dignum est, sed simpliciter veluti quidam gustus iudicij, vt qui resurrectionem nō credunt, talibus doceantur. Quando itaque videmus malignum ditescere, non subruamur: & quando videmus bonos mala pati, non turbemur. Hîc corona, illic supplicia. Est & alia ratio, quia nō potest vel malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona, neq; bonus in omnibus bonus esse, sed habet aliqua peccata. Quando ergo prosperitatem malus habet, malo capitis sui est. Cùm enim pro illis paucis bonis retributionem hîc accipit, illic iam plenius punietur.

Boëtius de consolatione philosopho. libro 4. prosa 4.

Nam in omni aduersitate fortunæ, infœlicissimum genus infortunij est, fuisse fœlicem.

Ibidem.

Cùm igitur præcipuè sit mortalibus vitæ cura retinendæ, O te si tua bona cognoscas fœlicem, cui suppetunt etiam nunc, quæ vita nemo dubitat esse chariora. Quare sicca iam lachrymas, nondum est ad vnum omnis exosa fortuna.

Ibidem.

Quis

Quis est enim tam compositæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum cõditio bonorum, & quæ vel nunquã tota proueniat, vel nunquã ꝑpetua subsistat. Hinc census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris, esse mallet ignotus. Ille vtroq; circũfluus, vitã cœlibẽ deflet. Ille nuptijs fœlix, orbus liberis alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus, filij filiæ úe delictis mœstus illachrymat. Id circo nemo facilè cum fortunę suę cõditione cõcordat. Inest eñ singulis, ꝙ inexpertus ignoret, & expertus exhorreat.

Ibidem.

Adde quod fœlicissimi cuiusq; delicatissim⁹ sensus est, & nisi ad nutũ cuncta suppetant, oĩs aduersitatis insolens minimis quibusq; prosternitur. Adeo præexigua sunt, quæ fortunatissimis summã beatitudinis detrahunt. Quàm multos esse coniectas, qui se cœlo ꝓximos arbitrentur, si de fortunæ tuę reliquijs pars eis minima contingat. Hîc ipse locus quem tu exiliũ vocas, incolentibus patria est. Adeo nihil est miserum nisi cùm putes. Contraq; beata sors omnis est æquanimitate tolerantiũ. Quis est ille tam fœlix, qui cùm dederit impatientiæ manus, statũ suum mutare non optet? Quàm multis amaritudinibus, humanæ fœlicitatis dulcędo respersa est, quę si etiã fruenti esse iocunda videaẽ, tamẽ, cũ minus quàm velit habeat, retineri nõ possit. Liquet igitur, quàm sit mortaliũ rerum misera beatitudo, quę nec apud ęquanimos perpetua ꝑdurat, nec anxios tota delectat. Quid igitur ô mortales extrà petitis, intra vos positam fœlicitatem? Error vos inscitiaque confundit.

Ibidem.

Atq; vt cognoscas in his rebus fortuitis beatitudinem constare nõ posse, sic colliges. Si beatitudo est summum naturæ bonum ratione degentis, nec illud est summum bonũ, ꝙ eripi vllo modo potest, quoniam præcellit id quod nequeat auferri: manifestum est, quod ad beatitudinem percipiendam fortunæ instabilitas aspirare non possit. Ad hæc quẽ caduca ista fœlicitas regit, vel scit eam, vel nescit eam esse mutabilem. Si nescit, quænam beata sors esse potest ignorantiæ cæcitati? Si scit, metuat necesse est, ne amittat quod amitti posse non dubitat. Quare continuus timor non finit esse fœlicem. An vel si amiserit, negligendũ putat: sic quoq; perexile bonum est quod æquo aĩo ferat amissum.

Ibidem libro 2 prosa 8.

Etenim plus reor hominibus aduersam, quã prosperam prodesse fortunam. Hęc enim spe fœlicitatis cùm videtur blanda, mentitur. Illa semper vera est, cùm se instabilẽ mutationẽ demõstrat. Illa fallit, hæc instruit. Illa mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis fœlicitatis absoluit. Itaq; illam videas ventosam, fluentẽ, suiq; semper ignaram. Hanc sobriã succinctamq;, ac ipsius aduersitatis exercitatione prudentem. Postremò felix, à vero bono deuios blanditijs trahit. Aduersa, plerunq; ad vera reduces velut vnco trahit. An inter minima existimandum putas, quod amicorum tibi fideliũ mentes hęc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos sodaliũ vultus ambiguos secreuit. Discedẽs suos abstulit, imo reliquit. Quanti hoc integer (& vt videbaris tibi) fortunatus emisses?

Boetius de Consolatione philosophiæ libro 4. prosa 6.

Nam illud quoq; quod improbis, nunc tristitia, nunc optata proueniunt, ex eisdẽ ducitur causis. Ac de tristibus quidem nemo miratur, ꝙ eos malè meritos omnes existimant, quorũ quidem supplicia, tum cæteros à sceleribus deterrent, tum ipsos quibus inuehuntur, emendant. Læta verò, magnum bonis augmentũ loquuntur. Quid de huiusmodi felicitate debeãt iudicare, quam famulare sępe imbrobis cernãt.

Aristoteles libro 1. Ethicorum.

In fortunatis virtus refulget.

Ibidem.

Sicut vna hyrundo nõ efficit ver, nec vna calida dies, nec modicũ tempus facit ęstatẽ, nec vna virtus virtuosum hominẽ facit: sic nec vna dies nec modicum tempus, facit hominem felicem.

Ibidem libro 3.

Nullus est bonus, nec beatus nolens.

Idem libro 10.

Homo felix siue sapiens, indiget aliqualiter rebus exterioribus, quia natura per se non est sufficiens speculari, sed oportet ꝙ habeat corpus sanũ, cibũ, & reliquum famulatũ, non tamẽ indiget magnis & multis rebus, quia nõ oportet felicem, dominum terræ vel maris esse.

Ibidem.

Vltima felicitas hominis consistit in operatione optimæ suæ potentiæ respectu sui oppositi subiecti.

Ibidem.

Speculatio veritatis est ipsa felicitas.

Ibidem.

Homo sapiens maximè est felix.

Idem lib. 7. Politicorum.

Sine quatuor virtutibus quæ sunt fortitudo, temperantia, prudentia & iustitia, nemo dicitur beatus.

Ibidem.

Felicitas perfecta, est vsus virtutis.

Seneca ad Lucilum epistola 30.

Turpe est deos fatigare. Quid votis opus est? fac te ipse felicem. Facies autem si intellexeris

bona esse, quibus admixta virtus est. Turpia, quibus malitia coniuncta est.

Ibidem.

Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa, quę si non deserueris, par Deo surges. Parem autem te Deo pecunia non faciet. Deus nudus est. Fama nõ faciet, nec ostẽtatio tui, & in populos nominis demissa notitia. Nemo nouit Deum, multi de illo malè existimant & impunè. Non turba seruorum, lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium. Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Nec forma quidem & vires te beatum facere possunt.

Idem epistola 80.

Segetem vbertas nimia sternit, rami onere franguntur: ad maturitatem non prouenit nimia fœcunditas.

Idem epistola 126.

Tunc beatum esse te iudico, cũ ex te tibi gaudiũ omne nascetur, cùm in his quę homines cupiunt, optant, custodiunt: nihil inueneris, non dico quod malis, sed quod velis.

Idem de Prouidentia.

Nihil infœlicius eo cui nihil accidit aduersi, quia malè iudicauerunt dij de ipso.

Idem libro de moribus.

Nondum fœlix es, si nõ te turba deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc primum contemnere, ab alijs contemni.

Idem de prouidentia.

Fugite diuitias, fugite eneruatiuam fœlicitatem, quæ commarcescunt.

Ibidem.

Cũ omnia quæ modum excesserint noceant, periculosissima fœlicitatis intemperantia est, quæ in vanas mentes imaginationes euocat.

Ibidem.

Illos quis meritò dixerit miseros, qui nimia fœlicitate torpescũt, quos velut in mari lento, tranquillitas iners detinet.

Seneca in Thyeste Tragœdia 2.

Nemo confidat nimium secundis.
Nemo desperet meliora, lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes
Crastinum ut posset sibi polliceri.

Lactan. Firm. lib. 2. cap. 1. diui. institut.

Ex rerũ prosperitate luxuria, ex luxuria verò vitia omnia, sic impietas aduersus Deũ nascitur.

Idem lib. 3.

Quod ad alteram philosophię partem, quam ipsi moralem vocãt, in qua totius philosophiæ ratio continetur, in qua sola oblectatio est atq; vtilitas, in qua nullus dissidio, nullus errori locus est, sed vnum sentire omnes oportet, vnum eligamus, ac potissimum quod est summum ac principale bonũ, in quo totius sapientiæ cardo versatur. Et Epicurus quidem summũ bonũ in voluptate animi esse censet. Aristippus in voluptate corporis. Calliophon & Dinomachus honestatem cum voluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione dolorum, summum bonũ posuit. Hiero, in non dolendo. Peripatetici aut in bonis animi, aut corporis, aut fortunę. Erillus summum bonum esse in scientia. Zeno cum natura congruenter viuere, quidam Stoicorum, virtutem sequi.

Laërtius Diogines de Vita & morib. philosopho.

Felicitas semper subiecta est inuidię, sola ergo miseria inuidia caret, dicebat Socrates. Felicitatis index dies vltimus est, dicebat Solõ.

Cice. lib. 2. de Finibus bonorum & malorum.

Non enim hilaritate, nec lasciuia, nec risu, aut ioco, comitate & leuitate, sed sæpe etiam tristes firmitate & constantia sunt beati.

Ibidem.

Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest.

Ibidem.

Qui bonũ omne in virtute ponit, is potest dicere perfici beatam vitam perfectione virtutis.

Idem lib. 4. Rhetoricorum nouorum.

Fer mãsuetè fortunã tuã, nosce te esse hominẽ.

Idem libro ultimo Tuscul. quæst.

Iam verò quî potest vir bonus nõ ad id quod laudabile sit omnia referre quę agit, quęq; sentit? Refert autem omnia ad beatè viuendũ, Beata ergo vita laudabilis, nec quicq̃ sine virtute laudabile. Beata igitur vita virtute conficitur.

Cicero in Paradoxis

Nemo potest non beatus esse, qui est totus aptus ex sese, quiq; in se vno sua ponit omnia.

Salustius in Catilinario.

Quippe res secundæ animum sapentũ fatigãt.

Lucius Apuleius floridorum lib. 2.

Verum verbum est ꝓfectò, quod aiunt. Nihil quicquã homini tam prosperum diuinitus datum est, quin & admixtum sit aliquid difficultatis, vt etiam in amplissima quæq; lætitia subsit quæpiam vel parua querimonia, cõiugatione quadam mellis & fellis.

Qu. Curtius de Gestis Alex. lib. 9.

Vnum est temeritatis solatium, sola felicitas.

Aulus Gel. Noctium atticarum lib. 17.

Itidem absurdum est, vna sola virtute vitam fieri beatam dicere: Quoniã cùm virtus abest, beata esse vita nunquam potest.

Ibidem.

Virtus autem (vt isti dicunt) non accessio, neque supplementum, sed sola ipsa vitæ beatæ instar est, & propterea vitam beatam ipsa sola vna cùm adest facit.

Macrob. super Scipionis somnio lib. 1.

Si ergo

Si ergo hoc est officiũ virtutis beatæ, cõstat, & politicas esse virtutes. Igitur & de politicis efficiuntur beati. Iure ergo Tullius de rerum publicarũ rectoribus dixit, vbi beati æuo sempiterno fruantur.

Valerius Maximus lib.8.

Neq; secundarum rerũ prouentu insolenter abuti, nec aduersis prosperè debilitari oportet.

Ibidem libro 9.

Humanæ vitæ conditionem primus & vltimus dies continet. Quia plurimũ interest quibus auspicijs inchoetur, & quo fine claudatur. Itaq; eum demum felicem fuisse iudicamus, cui & accipere lucem prosperè, & reddere placidè contingit, medij temporis cursus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aspero, modò trãquillo motu peragitur, spe semper minore, dum & cupidè votis extenditur, & ferè sine ratione consumitur.

Menander.

Δίκαιον εὐπράττοντα μεμνῆσθαι θεοῦ. id est.
Iustum est fœliciter agentem recordari Dei. idem.
κατ᾽ ἰδίαν φρόνησιν οὐδεὶς εὐτυχεῖ. id est.
Iuxta propriam sententiam nullus fœlix. idem.
κοινὸν δὲ καλόν ἐστι χρηστὸς εὐτυχῶν, id est.
Commune autem bonum est bonus fœlix. idem.
Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ᾽ ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ. id est.
Non est qui in omnibus uir fœlix sit. Idem.
Πολλοὶ μὲν εὐτυχοῦσιν, οὐ φρονοῦσι δέ. id est.
Multi quidẽ fœliciter agunt, non sapiant quãuis. Idem.
τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν. id est.
Fœliciter agentem & sapere putamus. idem.
τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς, id est.
Benè enim agenti omnis terra patria. idem.
τῶν εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς. id est.
Fœlicium omnes sunt affines. idem.
ὡς εὐχόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι. id est.
Quàm facilè cadunt splendidæ fortunæ.

Lucianus.

θεοῦ μὲν ἐκτὸς οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτός. id est.
Deo quidem sine nullus fortunatus est mortalis.

Virgil. Aeneid. lib.10.

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum, rebus sublata secundis.

Ouid. lib.3. fabula 2.

- Sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est, diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Ouid. Artis lib.1.

Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore
Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus.

Ibidem.

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,
Nec facilè est æqua commoda mente pati.

Idem Tristium libro 1. Elegia 7.

Donec eris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Vide suprà in Amicitia.

Horat. lib. epist.1. epistola 19.

Dum tua nauis in alto est
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

Iuuenalis.

Nemo malus fœlix.

Dantes inferni Can. cap.19.

Nessum maior dolore
Che recordarse del tempo fœlice
Ne la miseria. id est,
Nullus maior dolor
Quàm recordari temporis fœlicis
In ipsa miseria.

Fran. Petrar. Soneto 45.

Inanci al di de lultima partita
Hom beato chiamar non si conuene. id est,
Ante diem ultimi recessus
Hominem beatum dici non expedit.

Idem triumpho temporis.

Quanti fœlici son gia morti in fasce?
Quanti miseri in ultima uechieza?
Alchun dice, beato e chi non nasce. id est,
Quot fœlices in fascijs diem obierunt?
Quot miseri in ultima senecta?
Quispiam beatum esse dicit, qui non nascitur.

Proteruitas græcè προπέτεια.ας.ἡ. & προπετὴς έος.ὁ.ἡ proteruus dicitur. Dicimus autẽ proteruũ eum, qui ambulans per impudentiã obuiũ cubito feriat, aut cũ cõtumelia sibi cedere cogat. Hinc proteruia vel proteruitas hoc est petulantia, & proteruè, & proteruiter, hoc est petulãter. Est & proteruio verbum, quod est lasciuio, inobedio, petulanter ago. Videtur autem dici proteruus, à proterendis obuijs. Erat etiam proteruia apud antiquos sacrificiũ, in quo mos erat, vt si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc est locus ille Catonis: Nam cùm Albidius quidã bona sua comedisset, & nouissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, proteruiam eum fecisse dicebat. Quod enĩ comedisse non potuerat, id combussisse.

Prouerbiũ græcè παροιμία.ας.ἡ. & παροιμιακός.οῦ.ὁ prouerbialis dicitur. Est autem prouerbium sententia generalis, cui consuetudo fidẽ attribuit, opinio communis ad sensum accõmodat, incorruptę veritatis integritas acquiescit, secundùm Ciceronem lib.2. Rhetoricorum.

PRouidentia gręcè πρόνοια.ας.ἡ. & προνοητικός οῦ.ὁ. prouidus, & προνοέω prouideo dicitur. Est autem prouidentia, per quã futurũ aliquid videt antequã factũ sit, secund. Cicero. in Rhe.

Prouidentia est notio futurum pertractans euentum. Cuius officiũ est ex pręsentibus futura perpendere, aduersus aduenientem calamitatem se consilio præmunire, secundùm August. de Spiritu & anima.

Prouidẽtia Dei & ipsa diuina ratio in summo omnium principe constituta, quę cuncta dispo-

nit, secundùm Boëtium lib. 4. prosa 6. de Cōso. Differt autem à fato, quòd prouidentia pariter cuncta, quamuis diuersa, quamuis infinita com plectitur. Fatum verò singula digerit in motū locis, formis ac temporibus distributa. Vt hæc temporalis ordinis explicatio, in diuinæ mentis adunata prospectu, prouidentia sit. Eadem verò adunatio digesta atq; explicata temporibus, fatum vocetur: quæ licet diuersa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo nanq; fatalis ex prouidentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens mouet operis effectum, & quod simpliciter præsentaneéq; prospexerat, per temporales ordines ducit. Ita Deus prouidentia quidem singulariter, stabiliterq; facienda disponit. Fato verò hæc ipsa quæ disponit, multipliciter ac temporaliter administrat. Ex Boët. de Consol. lib. 4. prosa 6.

Prouidens, cautus, & prudens sic differunt, quod prouidēs dicitur quasi porrò videns. Perspicax est enim, qui incertorum prouidet casus. Cautus verò est, prudens in discretione vitiorū speciem virtutis prę se ferentium. Prudens autem, qui ratione studet vitare contraria iustitię, propter iustitiam, ex Isidoro.

August. de singularitate clericorum.

Vbicunque fuerit prouidentia, frustrantur vniuersa contraria, vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur.

Idem libro de sermone domini in monte.

Cùm viderimus aliquem seruum dei prouidere ne ista necessaria sibi desint, non iudicemus eum de crastino solicitū esse. Nam & ipse dominus propter exemplum loculos habere dignatus est, & in Actibus apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria procurata esse in futurum propter eminentem famem.

Hieronymus super Ezechielem.

Prouidentia Dei omnia gubernantur, & quę putatur pœna medicina est.

Ambrosius de Officijs lib. 2. cap. 3.

Ante factum cogitate, & cùm diu cogitaueritis facite quod probatis.

Gregor. in homil. Cùm audieritis prælia.

Minus iacula feriunt quæ præuidentur, & tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hęc per prouidentiæ clypeū munimur. Sagitta enī præcognita facilius euitatur.

Caßiodorus lib. 1. epist. 6.

Omnia subita probantur incauta.

Seneca lib. de moribus.

Quicquid à sapiente diligenter præuidetur, cùm ad rem agendum peruentū fuerit, facilius superatur atq; decernitur. Melius enī est ante tempus occurrere, quàm post vulnus datū remedium quærere. Nam sibi non est cauendi tēpus in medio malorum.

Idem lib. de beneficijs.

Velox consilium sequitur pœnitentia.

Idem in Prouerbijs.

Grauius nocet quodcunq; inexpertum accidit. Melius est pręcauere quàm cauere. Vtilius est erubescere, quàm pauescere.

Seneca Tragædia 2.

Serum est cauendi tempus in medijs malis.

Arist. lib. de Somno & uigilia.

Magis præuident fatui futura quàm alij, quia eorū memoria nō est occupata circa pręsentia.

Idem de regimine principum.

Facta præterita certa documenta dāt futuris.

Ibidem.

Futura si præsciuntur, leuius tolerantur, & prudentius amantur.

Ibidem.

Consilium est oculus futurorum.

Idem in epist. ad Alexandrum.

Si oculis cordis videre delectabile est, animæ oculis acutè intueri mirabile est.

Cicero libro Officiorum.

Grauiora enim sunt ea quæ repentino aliquo motū accidunt, quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur.

Idem lib. Rhetoricorum uete.

Melius accurantur quę consilio reguntur, quā quæ sine consilio administrantur.

Idem lib. 4.

Solent enim diu cogitare omnes qui magna negotia volunt agere.

Idem de Natura deorum in principio.

In primis magna dissensio est, eaq; nisi dijudicatur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerū ignoratione versari. Sunt enim philosophi & fuerunt, qui omninò nullam habere censerunt rerum humanarum procurationem Deos. Quorū si vera sententia est, quę potest esse pietas? quę sanctitas? quę religio? Hęc enī omnia purè ac castè tribuēda deorum numini ita sunt, si animaduertant̄ ab ijs, & si est aliquid à dijs immortalibus humano generi tributū. Si autē dij neq; possunt nos iuuare, nec volūt, nec omninò curāt, nec quid agamus animaduertunt, nec est quod ab his ad hominū vitam pmanare posit, quid est quod vllos dijs immortalibus, cultus, honores, preces, adhibeamus? In specie aūt fictę simulatiōis, sicut reliquę virtutes, ita pietas inesse nō potest, cū qua simul & sanctitatē, & religionē tolli necesse est. Quibus sublatis, pturbatio vitę sequitur, & magna confusio. Atq; haud scio, an pietate aduersus Deos sublata, fides etiā & societas generis humani, & vna excellentißima virtus iustitia tollat. Sunt autem alij philosophi, & hi quidem magni atq; nobiles, qui deorum mente, atque ratione omnem mundum administrari & regi censeant: neque

neq; verò id solùm, sed etiam ab eisdem vitę hominum consuli & prouideri. Nam & fruges, & reliqua quæ terra pariat, & tempestates, ac temporũ varietates, cœliq; mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescãt, à dijs immortabilibus tribui generi humano putant, multaq;, quæ dicentur in his libris coligũt, quę talia sunt, vt ea ipsa dij immortales ad vsus hominum fabricate penè videantur.

Sophocles in Electra.

ἐςὶ μέγας ἐν οὐρανῷ
ζεύς, ὅς ἐφορᾷ, πάντα καὶ κρατύνει. id est.
Est magnus in cœlo
Iuppiter, qui inspicit omnia & imperat.

Ibidem.

προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις, ἔφυ
κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ. id est.
Prouidentia, nullum hominibus poßibile est
Lucrum capere melius, neq; mente sapiente.

Terentius in Eunucho.

Malo ego non prospicere, quàm hunc vlcisci accepta iniuria.

Lucanus lib. 7. Pharsaliæ.

- Mortalia nulli
Sunt curata Deo.

Virgil. lib. 4. Aeneidos.

Scilicet hic superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Ouidius Metamorph. lib. 13.

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

De hac materia habes suprà, vbi Consilium, & infrà vbi Prudentia, & Sapientia.

Prouidentia græcè ἐπαρχία. ας. ἡ. dicitur & ἐπαρχιώτης. prouincialis dicitur, prouincia vnde dicatur, & quot significet, vide glos. in Clemẽ. Pastoralis, de sentent. & re iudic. in ver. No. prouinciarum.

Prouincia dicitur, quæ habet decem, vel vndecim ciuitates & vnum regem. 6. q. 3. scitotę.

Prouincię alterius iudicem habere non licet, nisi detur per superiorem. 6. q. 3. c. Scriptum, §. 1. q. 1. iudices.

Extra prouinciam reus trahi non debet, nisi ratione rei quæ debet discuti vbi contigit 3. q. 6. neminem.

Item ratione appellationis. 3. q. 6. Peregrina. 6. q. 3. Scitote 2. q. 6. Qui se. Item ratione mandati maioris iudicis 3. q. 6. Vnaquæq;.

Item ratione criminis 16. quæst. 4. Si quis suadente.

Item ratione quæstionis & dubitationis circa fidem, vbi recurritur ad Papam, 24. quæst. 1. Quotiens.

Item ratione personæ, sicut est episcopus, de quo non est diffiniendum sine Papa, 3. quæst. 6. Quanuis. 11. q. 1. Iudices.

Prouisio est verbum latum quod comprehendere potest nominationem, postulationẽ, præsentationẽ & collationem glo. in Clemen. c. vlti. de ele. & in verbo Prouisioni.

Prouisio Papæ de simplici beneficio non extenditur ad dignitatem. de præbendis. c. Cùm olim.

Prouocatio non est propriè appellatio, glo. 1. c. Cùm sit Romana, de appellat. in verbor. Nec solent.

Prudētia B. Tho. secunda secundæ, q.48.

- Largè sumpta quæ includit etiā scientiam speculatiuam, cuius partes sunt
  - Physica, sub qua comprehenduntur omnes scientiæ demonstratiuæ. Et est recta ratio ad scientiam causandam per demonstrationem.
  - Dialectica, quæ est recta ratio ad faciendam opinionem ex probabilibus.
  - Rhetorica, quæ est recta ratio, ex quibusdam coniecturis ad suspicionem inducendum, uel aliqualiter persuadendum.
- Strictè sūpta.
  - Vera q.47. art.13.
    - Imperfecta artic. 31. c.
      - Cùm bonum quod capit pro fine, non est communis finis totius humanæ uitæ, sed alicuius particularis negotij, ut prudens negociator, prudens nauta.
      - Cùm deficit in principali actu prudentiæ, qui est præcipere. Videlicet cū quis rectè cōsiliatur, & benè iudicat super pertinētib. ad totā uitā, sed nō efficaciter præcipit.
    - Perfecta cuius
      - Obiectum Agibile, ut est consiliabile, uel sub ratione ueri. Nam agibile ut agibile, uel sub ratione boni, est materia aliarum uirtutum, ex B Thoma secunda secundæ. q.47. artic.5. & 2. Senten. dist.33. q.2. artic.2.
      - Actus secūda secundæ q. 47. art.8.
        - Consiliarij, id est, inquirere agenda.
        - Bene iudicare de inquisitis & inuentis.
        - Præcipere, i. applicare ad opus præcōsiliata, & solicitudo ad prædictum actum pertinet.
        - Oppositum: Præcipitatio. Inconsideratio. Inconstantia.
      - Partes q.49.
        - Integrales q. 48. & 49. o.: Memoria. Docilitas. Ratio. Intellectus. Solertia. Prouidentia. Circūspectio. Cautio.
          - Oppositum: Præcipitatio. Negligentia et Inconstantia. Incōsideratio.
        - Subiectiuæ q̄ sunt species eius q.50. o.: Monastica. Legispositiua uel Regnatiua. Politica. Oeconomia. Militaris.
          - Oppositum: Imprudentia harum quinque.
        - Potentiales & adiunctæ q. 51.: Eubulia. Synesis. Gnome.
          - Eubulia, Synesis: Oppositum. Præcipitatio siue Temeritas.
          - Gnome: Oppositum. Incōsideratio.
  - Falsa, habens cum uera prudentia similitudinem. Et est per aliquem malum finem dispositio congruentium illi fini. Hac dicitur prudens latro, ad latrocinandum cōuenientes uias adinueniens. De qua Paulus ad Romanos 8. Prudentia carnis mors est. Hæc autem est sextuplex.
    - Astutia.
    - Dolus.
    - Fraus.
    - Prudentia carnis.
    - Solicitudo temporalium superflua.
    - Solicitudo futurorum.

PRudentia græcè φρόνησις.εος.ἡ. & φρόνιμος.ὁ. prudens dicitur. Est autem prudentia recta ratio agibilium, secundùm Arist.6. Ethico. prudentia est mentis virtus qua de bonis ac malis quę ad felicitatem pertinent benè possumus consulere, secundùm Arist. lib.1. Rhetor.

Prudentia est virtus dirigens ad rationis normam vniuersa quæ cogitat, quæq; agit, ac nihil præter rectū vel laudabile facit. Prudentiæ insunt, Ratio, Intellectus, Circumspectio, Prouidentia, Docilitas, & Cautio, ex Macrabio.

Prudentia est rerum bonarum, ac malarum scientia, secundùm Cicer. lib.2. Rhet. Partes eius sunt: Memoria, Intelligētia, Prouidentia. Quid autē sit vnaquæq; harū, suo loco videri potest.

Prudentia est appetendarū & vitandarum rerum scientia, secundùm Aug. lib.1. de Lib. arb.

Prudentia vera & perfecta est qua cōsiliamur, iudicamus & præcipimus, quæ ad bonū finem totius vitæ humanæ pertinent, & solis bonis cōuenit, ex B. Tho. secunda secundę q.47. art.13.

Prudentia carnis est qua qs inordinatę afficitur, vel studium adhibet ad carnis delectationem consequendam. Et est peccatum mortale, si in delectationibus carnis finis totius vitæ costituatur, secus, est veniale. Si autē ꝑpter honestam causam fiat, puta cū studet comestioni propter corporis sustentationem, nullum erit peccat, nec congruenter diceretur prudentia carnis.

Prudentia nomen sumit à prouidentia, sicut à principaliore eius parte. Quia omnia requisita ad prudentiam necessaria sunt, vt aliquid ordinetur in finem, ex B. Tho. secunda secundæ q. 49. art.6.

Prouidentia est ratio ordinis in finem, secundū B. Tho. prima parte q.49. art.1. Prouidentia verò importat respectum quendam alicuius distantis, ad ea quæ in præsenti occurrunt & ordinanda sunt, secundùm eundem secūd. secun. q. 49. ar.6. & est principalior pars prudentiæ, secundùm Ciceronem & Macrobium.

Prudens & sciens ita differunt, quod prudens est, qui intelligentia sua aliquid cognoscit: sciens

ſciens, qui alterius iudicio rem percipit, hoc eſt prudens per ſe, ſciens per alios. Terentius in Eunucho: Et prudēs & ſciens, viuus viuensq́; pereo, ex Donato ſuper Terentium: Prudens dicitur quaſi prouidens, vel porrò videns, id eſt, procul videns.

Prouerbiorum cap. 2.

Fili mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, vt audiat ſapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſiueris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tūc intelliges timorem Domini, & ſcientiā Dei inuenies: quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia. Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter, ſeruans ſemitas iuſtitiæ, & vias ſanctorum cuſtodiens. Tunc intelliges iuſtitiam & iudicium & æquitatem & omnem ſemitam bonam. Si intrauerit ſapientia cor tuū, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via mala, & ab homine qui peruerſa loquitur.

Prouerbiorum cap. 3.

Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri & argenti primi & puriſsimi. Fructus eius pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.

Ibidem cap. 6.

Dic ſapientiæ, ſoror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.

Ibidem cap. 11.

Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, vbi multa conſilia.

Ibidem cap. 13.

Aſtutus omnia agit conſilio, qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam.

Sapientiæ cap. 6.

Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudēs quàm fortis.

Eccleſiaſtici cap. 6.

Et ſi videris ſenſatum euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.

Ibidem cap. 10.

Seruo ſenſato liberi ſeruient, & vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus, & anſcius non honorabitur.

Ibidem cap. 21.

Verba autem prudentum ſtatera ponderabuntur, in ore fatuorum cor illorum, & in ore ſapientum cor eorum.

Lucas 16 de Prudentia in malum.

Filij enim huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.

Paulus ad Romanos cap. 8.

Prudentia carnis mors eſt.

Auguſt. lib. de Ciuitate Dei, & hab. 26. q. 2. cap. Qui ſine.

Qui ſine ſaluatore ſalutem vult habere: & ſine vera ſapientia æſtimat ſe prudentē fieri poſſe, non ſanus, ſed æger, non prudens, ſed ſtultus in ægritudine aſſidua laborabit, & in cæcitate noxia demens & ſtultus permanebit.

Idem ad Eremitas in ſermone de Prudentia.

Fratres chariſsimi non ſolùm ſilentium tenere debetis in eremo, ſed prudentiam rapere feſtinate. Prudentia enim vobis neceſſaria eſt, quia docet quid fugiendum, & quid tenendū ſit. Prudentia docet te vt nō ſuperbias, nec mireris de rebus tranſitorijs, cùm ſint caducæ, & ea quæ poſſides tanquàm aliena poſſidere aduertas. Prudentia docet te, vt quæ non potes perpetuò tenere fructuosè, permittas abire. Prudentia docet te, vt in cunctis idem ſis, tam in proſperis quàm in aduerſis, ſicut manus quę eadem eſt, & cùm in palmam extenditur, & in pugnum reſtringitur. Ipſa te docet quomodo reprehenſibilis ſit nimia laudatio & immoderata vituperatio, illa quidem adulatione, ſed iſta ſuſpecta malignitate. Prudentia teſtimonium veritati, non amicitiæ reddit, prudentia cum diſcretione promittit, & promiſſum accelerat, & amplius quàm promiſit præſtat. Prudentia docet quomodo præſentia ordines, quomodo præteritorū recorderis, & quotidie futura prouideas.

Hieronymus ſuper Oſeam.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, quia prudētia abſque bonitate, malitia eſt, & ſimplicitas abſque rationali ſtultitia nominatur.

Ambroſius lib. 2. Officiorum cap. 8.

Promptius nos iuſto viro, quam prudenti cōmittimus.

Idem lib. 29. Moralium.

Animalia prophetica, & in circuitu, & intus plena oculis eſſe memorantur. Quiſquis enim exteriora ſua honeſtè diſponit, ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet, ſed intus nō habet: Sancti verò homines ſemper & exteriora ſua circūſpiciunt, vt bona de ſe extrà ꝓbeant fratribus: & interiora ſua vigilantia attendunt, quia ſe irreprobabiles interius iudicis obtutibus parant, ideo in circuitu oculos & intus habere perhibentur.

Idem lib. 22 Moralium.

Sicut quibuſdam viſum eſt, vt de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperātia, fortitudine, & iuſtitia, quādo perfectę ſunt ſingulæ, tunc ſibi ſunt coniunctę, diſiunctę autem perfectę eſſe nequaquam poſſunt: quia nec prudentia vera eſt, quæ iuſta & temperans & fortis non eſt: nec temperantia perfecta, quæ fortis,

iusta & prudens non est, nec fortitudo integra, quæ prudens fortis & temperans non est.

Idem super Ezechiel. parte 2. homil. 10.

Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, & tantum habet spiritualis atrij latus vnum, quantum latera singula: quia vnusquisq; tantum prudens est, quantum temperans, fortis & iustis: tantum temperans, quantum prudens iustus & fortis fuerit.

Isido. libro 4. epistolarum.

Scopulus ille vitandus est, vbi alter offendit. Pecora ipsa vitare norunt quæ se læsisse cognoscunt: itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerũt, tenaces laqueos, auis capta declinat, retia auis suspecta non incidet, & omnia quæ possunt habere contraria faciliter casus assumeret, si curam salutis propriæ non haberet.

Idem libro Etymologiarum.

Sapiens dictus à sapore, quia sicut iustus est aptus ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum atq; causarum.

Arist. lib. 11. de Animalibus.

De ratione prudentis auditoris est, iudicare super sermones dicentis & audientis.

Idem libro 6. Ethicorum.

Prudentia est recta ratio agibilium.

Ibidem.

Iuuenes non possunt esse prudentes, quia prudentia requirit sapientiam, & experientiã, quæ indiget tempore.

Ibidem.

Impossibile est prudentem non existere bonum.

Idem libro Elenchorum.

Difficilè est simul multa conspicere.

Idem Magnorum moral. libro cap. 11.

Prudentia est circa operabilia, in quibus electio est & fuga.

Idem cap. 77.

Prudentis est optima petere, & horũ electionem & operationem.

Ibidem libro 1. cap. 81.

Prudentia sicut architector virtutum est.

Ibidem libro 2. cap. 7.

Neq; absq; prudentia aliæ virtutes fiunt, neq; rudentia perfecta est absque alijs virtutibus, sed cooperantur quodammodo ad se inuicem, consequentes prudentiam.

Idem in Problematibus.

Parui capitis prudentiores sunt eis, qui sunt magni capitis.

Idem lib. 7. Physicó.

Anima quiescens & residens fit prudens.

Idem de Sensu & sensato.

Auditus magnam partem confert ad intellectum & prudentiam.

Seneca epistola 86.

Qui prudens est & temperans est & constans: qui constans est, imperturbatus est, sine tristitia est, qui imperturbatus est, ergo prudẽs beatus est.

Idem de Quatuor uirtutibus.

Si prudentiam amplecteris, vbiq; idem eris, & prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes: sicut manus quæ eadem est, cùm in palmam extenditur & cũ in pugnum astringitur.

Idem libro de Beneficijs.

Prudens si terminos suos excedat, callidus inuestigator latentium, & scrutator qualiumcunque noxarum ostenditur, malus, fastu plenus, versipellis & simplicitatis inimicus, commendator est culparum, & postremò vno nomine, à cunctis malus homo vocabitur. In has ergo maculas prudentia immensurata perducet.

Ibidem.

Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur, preterita cogita, præsentia ordina, futura præuide. Vnde Aristo. Alexandrum ammonet, vt prædecessorum acta ad memoriam reducat. Inquit enim: Annales patrum discute, inde poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita, dant certum documentum in futuris.

Idem libro de Beneficijs.

Non est turpe cum re mutare consilium.

Idem in Prouerbijs.

Bonum est, aliena mala fugienda intueri, ruina precedentium docet posteros, & cautio est semper in reliquum lapsus anterior, vitio enim alterius sapiens emendet suũ, & ignauus nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus.

Cicero Libro 1. de Legibus in fine.

A prouidendo prudentia appellata est.

Idem lib. 3. de Natura deorum.

Versutos eos appello quorũ celeriter mens versatur.

Ibidem.

Prudentia constat ex scientia rerum bonarũ & malarum.

Idem libro 1. de Diuinatione.

Prudentes possumus dicere prouidentes.

Idm Rhetoricorum nouorum libro 3.

Prudentia est calliditas, quæ ratione quadã potest habere delectum bonorum & malorum. Dicitur etiam prudentia scientia cuiusdã artificij, & appellatur prudentia rerum multarum memoria, & vsus quàm plurimorũ negotiorũ.

Ibidem.

Prudentiæ partibus vtemur in dicendo, si cõmoda cum incommodis conferemus, cùm alterum sequi, vitare alterum cohortemur.

Cicero Tusc. quæst. libro 1.

Magni autẽ est ingenij reuocare mentẽ à sensibus, & cogitationẽ à consuetudine abducere.

Idem

Idem lib. de Amicitia.

Hoc est animi benè constituti, lætari bonis rebus & dolere contrarijs.

Idem de Oratore lib. 3.

Non tanta est in rebus obscuritas, vt eas non pœnitus acris viri ingenium cernat, si modò aspexerit.

Salustius in Catilinario.

Priusquàm incipias consulto, vbi consulueris maturè facto opus est.

Lucius Apuleius de Natura deorum.

Præscire cuncta prudentes decet.

Laërt. Diog. de uita & moribus Philos.

Cùm quis exierit domum, primò quid sit facturus quærat: cùm autem intrauerit, quærat iterum quid fecerit, dicebat Cleobulus.

Ibidem.

Duorum temporum maximam habendam curam dicebat Pythagoras, & mane & vesperi, id est, eorū quæ acturi sumus, & quæ gessimus.

Poggius lib. 2. de uita Cyri ex Xenophonte traducta.

Nullius virtutis vsum absq; prudentia vtilē esse, nullosq; quicunq; hi fuerint ciues, procul à prudentia posse, neq; publicis, neq; priuatis in rebus boni viri officium præstare, amicos quoque gratiores efficere prudentia, vt vtiliores ministros.

Idem libro 4.

Nam sicut videtur esse fortissimus, qui plurimos hostium pugnando cœperit, ita cùm id est persuadendum, qui plures in suam traxit sententiam, eloquentissimus ac prudentissimus æstimatur.

Idem libro 1.

Solere enim homines, quem in procurandis sibi vitæ commodis prudentiorem putent, huius libenter cōsilijs vti, quod & alijs in multis, & in corpore infirmis satis licet perspici, à quibus ad vnguem seruarentur medicorum præcepta. In mari quoq; nautas omnes parêre gubernatori, sic & viatores itinerum peritos sequi.

Valerius Maximus lib. 7.

Demadis dictum quàm sapiens. Nolentibus enim Atheniensibus diuinos honores Alexandro decernere, videte inquit, ne dum cælum custoditis, terram amittatis.

Ibidem.

Illa vero pars calliditatis egregia ab omni reprehensione procul remota, cuius opera quia à latina appellatione uix aptè exprimi possunt, græca pronunciatione stratagemata dicuntur.

Isocrates ad Dæmonicum serm. admonitorio.

ῥώμη δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε. id est.

Fortitudo uerò cum prudentia quidem iuuit, sine uerò hac magis habentes læsit.

βουλευόμενος παραδείγματα ποιοῦ τὰ παρεληλυθότα τῶν μελλόντων. id est.

Deliberans exempla facito præterita futurorum.

Ibidem.

βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. i.

Delibera tardè, perfice autem citò quæ uisa sunt.

Ibidem.

ὅταν δὲ ὑπὲρ τῶν σεαυτῶν μέλλῃς τινὶ συμβουλεύεσθαι, σκόπει πρῶτον, πῶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ διῴκησεν· ὁ γὰρ κακῶς διανοηθεὶς ὑπὲρ τῶν ἰδίων, οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων, id est.

Quando autem pro tuis rebus futurus sis ab aliquo cōsulere, considera primùm quo pacto sua administrauit, malè enim deliberans de proprijs, nunquàm bene cōsulit de alienis.

Menander.

ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστ' ἀεί. id est.

Bonum maximum prudentia est semper. Idem.

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. id est.

Viri character ex sermone cognoscitur. idem.

ἂν εὖ φρονῇς τὰ πάντα γ' εὐδαίμων ἔσῃ. id est.

Si benè prudens sis in omnibus fortunatus eris. idem.

ἔνιοι κακῶς φρονοῦσι πράσσοντες καλῶς. id est.

Nonnulli non prudentes sunt agentes benè. idem,

συνετὸς πεφυκὼς φεῦγε τὴν κακουργίαν. id est.

Prudens natus fuge malignitatem. idem.

νοεῖν γὰρ ἐστὶ κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχειν. id est.

Intelligere enim est melius quàm silentium habere. idē.

ὁ παρ' ἡλικίαν νοῦς, μῖσος ἐξεργάζεται. id est.

Præter ætatem mens odium operatur. idem,

οὐδεὶς ὃ νοεῖς μὲν οἶδεν, ἃ δὲ ποιεῖς βλέπει. id est.

Nemo quod cogitas nouit, sed quod facis inspicit. idem,

οὐ πανταχοῦ δὲ ὁ φρόνιμος ἁρμόττειν δοκεῖ. id est.

Non ubiq; autem prudens conuenire uidetur. idem,

ψυχῆς μέγας χαλινὸς ἀνθρώποις ὁ νοῦς. id est.

Animæ magnum frenum hominibus est mens.

Pythagoras.

μηδ' ἀλογίστως σαυτὸν ἔχειν περὶ μηδὲν ἔθιζε.
ἀλλὰ γνῶθι μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι.
χρήματα δ' ἄλλοτε μὲν κτᾶσθαι φιλεῖ, ἄλλοτ' ὀλέσθαι. i.

Ne imprudenter teipsum habere circa aliquid assuesce.
Sed cognosce quod mori fato constitutum est omnibus.
Pecunias uerò interdū acquirere uelis, interdū perdere.

Idem.

βουλεύου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται. id est.

Consule ante opus, ne stulta fiant. idem.

πρῆσσε δὲ ταῦθ' ἅ σε μὴ βλάψῃ, λόγισαι δὲ πρὸ ἔργου. i.

Fac autem ea quæ te non lædant, sed cogita ante opus.

Periander.

ὃ ἂν ὁμολογήσεις ποίει. id est,

Quod utiq; fateberis fac.

πρᾶττε ἀμεταμέλητα, id est. Fac non pœnitenda.

BIAS.

νόει καὶ τότε πρᾶττε, id est. Cogita, & deinde fac.

Sophocles in Aiace.

οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ' ἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες, οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ. id est.

Homines enim malæ mentis bonum præ manibus
Habentes non cognoscunt, antequàm amittatur.

Plau-

Plautus in Persa.

Si quam rem accures sobriè ac frugaliter, solet illa recta sub manib⁹ succedere, atq; ædepol fermè vt quisq; rem accurat suam, sic ei ꝓcedit.

Virgilius Aeneid. lib. 1.

Ac ueluti populo in magno cum sæpè coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus.
Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem ac meritis, si fortè uirum quem
Conspexere silent, arrectisq; auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Virgilius lib. 12.

Quantum ipse feroci
Virtute exuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atq; omnes metuentem expendere casus.

Ouid. Metam. lib. 13. fa. 1. uerba Vlyßis contra Aiacem.

Tibi dextera bello
Vtilis, ingenium est quod eget moderamine nostro,
Tu uires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantùm corpore prodes,
Nos animo: quantoq; ratem qui temperat anteit
Remigis officium, quanto dux milite maior,
Tanto ego te supero.

Idem lib. 15. fabula 2. de Pythagora.

Isq; licet cœli regione remotus
Mente deos adijt, & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit,
Cumq; animo & uigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat cœtumq; silentum.

Martialis lib. 12. ad Bethim.

Qui sua metitur pondera, ferre potest.

Horat. Carminum lib. 3. Ode 29.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridetq; si mortalis ultra
Fas trepidat, quod adest memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur.

Iuuenalis satyra 10.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortuna deam, cœloq; locamus.

De hac materia habes suprà vbi Eruditio, Doctrina, & infrà vbi Sapientia & Scientia.

AMANTIVS.

Plato in libro Definitionum.

PRudentia facultas est per se hominis felicitatem efficiens. φρόνησις δύναμις ποιητικὴ καθ' αὑτὴν τῆς ἀνθρώπου εὐδαιμονίας.

Aristoteles de uirtutibus.

Ἔστι δὲ φρόνησις μὲν ἀρετὴ τοῦ λογιστικοῦ παρασκευαστικὴ τῶν πρὸς εὐδαιμονίαν συντεινόντων, id est:

Prudentia est rationabilis animæ partis virtus, qua ea quæ ad felicitatem suam tendunt, dispicientes sibi comparant.

Τῆς δὲ φρονήσεως ἐστὶ τοῦ βουλεύσασθαι τὸ κρῖναι τὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ κακὰ καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ αἱρετὰ καὶ φευκτὰ τὸ χρῆσθαι πᾶσι καλῶς τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς τὸ ὁμιλῆσαι ὀρθῶς τὸ συνιδεῖν τοὺς καιροὺς, τὸ ἀγχίνως χρήσασθαι, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ τὸ τὴν ἐμπειρίαν ἔχειν τῶν χρησίμων πάντων, id est.

Prudentiæ quidem est, & cõsilium capere, & bona malaq; discernere, & petẽda fugiendáue in vita dijudicare, & bonis ijs, quæ quidé cócessa nobis naturâ sunt, præclarè vti, & rectè cú hominibus cõgredi, & oportunitatem rerum cernere, & rationem orationemq; sagaciter adhibere, & eorum, quæ esse nobis possunt vsui, omnium experimentũ, scientiamq; tenere. Ipsa verò memoria, experientiaq; & industria, aut à prudentia proficiscuntur, aut comes eius vnaquæq; earum existit, aut experimentum & memoria quidem cõcurrentes coadiutricesq; causæ: industria verò, & in dando cõsilio felicitas, partes prudentiæ sunt iudicandæ.

Aeschilus.

Ὁ δεῖ παρὼν φρόντιζε, μὴ παρὼν ἀπῇς:
ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφός, id est.
Quæ opus est præsens dispice, ne præsens absis:
Qui utilia nouit, non qui multa nouit, sapiens est.

Menander in Theoph.

ὁ πλεῖστον νοῦν ἔχων μάντις πλείστων αἰτία,
ἡ σύνεσις ἀνὴρ πρὸς τὰ βελτίω σοφὴ, id est.
Mente præcellens uates erit plurimarum rerum causa,
Intelligentia prudens utiq; fuerit restitutionis in meliorem partem siue statum.

Idem in Imbrijs comœdia.

Non est quicquam, pater, in hominum natura
Maius ratione & cõsilio: nã cõponendis et dispõnẽdis rebus,
Et rationem subducendo commodè unusquisq; est
Princeps, imperator, dux populi: rursum
Consiliarius, qui præstat ratione, omnia habet.

Agathen.

Recta prudentia magnus est Deus:
Non prudentiam sed fortunam sequi oportet.
Non prudentiam, ut putas, conuitio affecisti.

Græcè sic:

ἀλλὰ ἡ φρόνησις ἡ ἀγαθὴ θεός μέγας
οὐ τῇ φρονήσει τῇ τύχῃ δ' ἕπεον.
οὐχ ὡς νομίσεις τὸ φρονεῖν εἶπας κακῶς.

Pythagoras Samius.

Inter homines multi mali boniq; sermones
Incidunt, quibus haud absterrearis, neq; sinas
Ab instituto te dimoueri, si quis aduersus te mentiatur,
Leniter cedes: quod uerò nunc dicam, ubiq; sequi debes:
Nemo tibi neq; uerbis neq; factis imponat,
Vt facias dicásue, quod tibi non consultißimũ sit:
Quin facito quæ tibi nõ obsint, & rationẽ ante factũ imito.

Idem.

Robur & murum & arma sapienti prudentia præstat,
id est: ἰσχὺς καὶ τεῖχος καὶ ὅπλον σοφῷ ἡ φρόνησις.

Sententia Monastica.

ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστι ἀεί, id est.
Prudentia bonum semper est quàm maximum.

ἡδύγε πατὺρ φρόνησιν αὐτ᾽ ὀργῆς ἔχων, id est.
Suauis est pater, qui prudentior quàm iracundior fuerit.
Συνετὸς πεφυκὼς, φεῦγε τὸν κακουργίαν, id est.
Cùm sis prudens, fuge malitiam.
ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἣν μὴ νοῦς παρῇ, id est.
Quàm nihil est disciplina sine mente.

Theognides Poëta.

ἀργαλέον φρονέοντα παρ᾽ ἄφροσι πολλ᾽ ἀγορεύειν:
Καὶ σιγᾶν αἰεὶ τὰ τὸ γὰρ ἀδύνατον, id est.
Indecorum est prudentē apud imprudentes multa loqui:
Perpetuò autem tacere, impoßibile est.

Exemplum.

Prudentia est bonorum malorumq́; scientia ad hominem pertinentium: sed scire est solius hominis. Ergo hæc virtus huic vni animalium à natura est concessa. Huius non vulgare exemplum edidit vetustissimus ille Chananeę regionis accola: is cum Sara coniuge Aegyptum ingressus gentis libidinem in alienas fœminas veritus, pro cōiuge fratrem egit, haud ignarus id consilium & ad muliebrem pudicitiam tuendam, & ad suam ipsius salutem pertinere. Profuit haud dubiè id hominis commentum, sed humana pietas, cuius ille erat diligens custos, vtrunq; ab iniuria seruauit.

Gene. 12. Sabellicus li. 4. cap. De Prudentia.

Prudens consiliũ Abrahami.

Apophtegma sapiens.

Demades nolentibus Atheniensibus diuinos honores Alexandro decernere: videte, inquit, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Valerius lib. 7. cap. 2. de sapienter dictis.

Cœlũ cu... ...dire, ...ã a... ...ttere.

Apologus.

Glires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinauerant, quò paratiorem haberent cibum, ne victus gratia toties ascendere & descendere cogerentur: sed quidam ex ijs, qui ætate & vsu rerum ac prudentia cæteros longè anteibat, eos absterruit, dicens: si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis, ac posteris nostris alimenta prębebit? Fabula hæc monet, virum prudentem debere non modò præsentia intueri, verumetiam futura longè prospicere.

Simile uel παραβολή.

Sicut animātia quædam etiam corporis partes amputant, ob quæ periclitari sese sciunt, veluti Fiber: ita prudentis est aliquando facultatum iactura vitæ consulere.

Prouerbium.

A fronte simul & occipitio oculatus: cùm indicabimus admirabilem rerum omnium cognitionem, aut singularem prudentiam, quæ constat non præsentium modò scientia: sed & memoria præteritorum, & futurorum prospicientia.

Rectè versum hunc ex 1. Homeri libro vsurpabimus.

ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα. id est.
Qui scit præterita ac præsentia, postq́; futura

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur.

Sententia Græca.

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται, id est.
Viri character ex sermone cognoscitur.

Latina Philosophica.

Non est turpe, consilium cum re mutare. Seneca lib. de Beneficijs.

Exemplum.

Alexander Augustus mater Mammea parum probante vxore, etiam grauius ferente, quòd popularitate vel nimia vteretur, præcipuè verò quòd ab amicis se atq; familiaribus corrigi facilè pateretur, ac si quid parum pro dignitate ab eo factum argueretur, illud confestim ad arguentis sententiam emendaret: qua ex re imperatoriam maiestatem nō imminueret modò, verùm contemptibilem eã concessione illa sua redderet, quin me hercule, inquit, securiorem, magisq́ue ac magis stabilem, ac longè amplius gentibus acceptam.

Apophtegma.

Xenocrates philosophus cùm maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, vno ex his quærente, cur solus linguam suam cohiberet: quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquàm.

Fabula.

Piscator quidam demissis in mare retibus, extulit pisciculum pusilli corporis, qui piscatorem obsecrabat ne se tam pusillum & minutum caperet, sed abire & crescere permitteret, posthac grandiusculo potiturum, cui piscator: ego verò amens sim, si lucrum quod inter manus habeo, licet exiguum dimittam, spe futuri boni quantumlibet magni. Hæc fabula innuit stolidũ esse, qui ꝑpter spem maiorem, rem pręsentem & certã, licet paruã non amplectitur.

Parabola.

Animalia quædam circa cubilia cōfundunt vestigia, ne queant inueniri, sic nobis cælandũ bonum nostrum, quò tutius sit.

Vulpes scilicet.

Alter Ianus, ἴανος ἄλλος.

Quadrat in prouidum ac circumspectum. Persius: ô Iane, à tergo cui nulla ciconia pinsit. Sumptum ab Iano bifronte, cuius fabula est notissima & celeberrima apud poëtas.

Sententia Græca.

Sophocles in Aeiace flagellifero.

οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ᾽ ἀγαθὸν χερσὶν ἔχοντες
οὐκ ἴσασι, πρὶν τὶς ἐκβάλῃ, id est.

Homines stolidi non nouerunt bonũ, etiam si manibus habeant antequàm amittatur.

Philosophica.

Præscire cuncta prudentes decet. Apuleius de natura Deorum.

Aristoteles.

Prudentia est habitus agendi circa humana bona vera cum ratione.

Officium

Officium prudentis.

Aristot. 6 cap. 3. ad Nicomachũ.

Δοκεῖ δὲ φρονίμου εἶναι, τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὑτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, id est.

Videtur itaq; prudentis esse, benè consulere posse circa ea, quæ sibi sunt bona, ac cõducẽtia.

Exemplum.

Agebatur Romæ occultè inter patres de Carthagine funditus delenda, exijtq; ea consultatio in longam & difficilẽ disceptationem: Maiore Portio Catone, cui anteà Prisci nomen fuit, censente Carthaginem esse delendam, vt Roma incolumis esset, & cùm multi pedibus irent in eam sententiam, tum Scipio identidem testatus dicitur, videret illi qui cupidè vellent Carthaginem excisam, ne populus Romanus æmulæ & inimicæ vrbis metu liberatus, in domesticam laberetur discordiam: quod malum multò prius prospexit Nasica ac prędicauit, sed fatali necessitate ire obuiam non potuit, Sabellicus cap.8.lib.4. Florus lib.49. in Florum. Florus lib.3.cap.15. de bello punico tertio. Appianus in Lybico. Plutarchus in vita Catonis Censorij. Orosius lib.4.cap.22. Plinius cap.18. Cœlius naturalis historiæ 15.

Apophtegma.

Quum Antonius Getæ pater seuerus destinasset omnes diuersarum partium occidere, inter suos dicere solitus est: Hostes vobis eripio, adeò consentiente Basiano, vt liberos etiam illorum suaderet necari. Geta puer interrogauit quantus esset occidendorum numerus, eum cùm pater edidisset, rogauit, num isti haberent parentes ac propinquos: Quum responsum esset, habere, & quidem multos: plures ergo, inquit, in ciuitate tristes futuri sunt quàm læti, quod Vicinij valuisset cordati pueri dictũ, nisi quorundam crudelitas obstitisset. Erasmus lib. 6. Apophtheg. Spartianus in vita Antonij Getę.

Fabula.

Domo quapiam, quòd perplures forent mures catus præsentiens illuc accessit, atq; nunc vnum, nunc alium capiens, complures interimẽdo comedit: verùm mures cùm se in diem consumi perciperent, ad vnum coacti, inquiunt secum, amplius inferius non esse descendendum, si nolumus perditum iri omnes, sed hîc superius manendum, quò catus ascendere non potest: at catus consilio murium percepto, simulans se mortuum esse, posterioribus pedibus se ad palum suspendit, qui fixus parieti erat, è muribus quispiam deorsum acutè prospiciens, vt catum esse cognouit, haud infacetè ait: Heus amice, & si te follem esse certò scirem, deorsum minimè descenderem.

Morale.

Significat virum prudentem, si semel fallitur, fictis & simulatis hominibus non amplius fidere.

Simile.

Sunt qui propius admota non cernunt, quæ longiùs absunt vident, ita nonnulli plus sapiũt in rebus alienis, quã in his, quę ad se pertinent.

Parœmia.

Acetum habet in pectore: pro eo, quòd est sapit & astutus est, Plautus in Bacchidibus eo visus est. Sumptum ab illo, quod acida palatum iuuant, acuuntq; & irritant stomachum: consimile est, salsitudo inest illi.

Sententia Græca.

Σώφρονος δ' ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς, id est.

Prudente diffidentia haud alia res vtilior est mortalibus.

Euripidis in Helena.

Petrus Mosellanus usurpare solebat.

Νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν. Sobrius vel prudens sis, & memineris nemini confidere: est autem Epicharmi Siculi. Allegat Cicero 1. epistol. ad Atticum. Erasmus in prouerbio: nemini fidas.

Philosophica.

Prudens beatus est, & prudentia ad vitã beatam satis est. Seneca epistola 86. Valerius Flaccus lib.4. argonauticôn.

Poetica.

Sed te non animus, nec solis uiribus æquum
Credere, sæpè acri potior prudentia dextra.

Πανουργίαν Aristoteles dicit esse δεινότητα οὐκ ἐπαινετὴν, id est, solertiam nõ commendabilem.

Ecclesiast. cap.1.

Πανουργεύομαι καὶ πανούργευμα ῥίζα σοφίας τίνι ἀπεκαλύφθη, καὶ τὰ πανουργεύματα αὐτῆς τίς ἔγνω, id est: Radix sapientia cui reuelata est, & astutias illius quis cognouit?

Exemplum.

Pontanus de prudentia, Plinius cap. 15. de uiris illustribus.

Aedificauerat Romæ ædes ea tempestate magnificas, æditoq; in loco Publius ille Valerius, cui pòst à publici ac popularis boni studio inditum cognomen est Publicola, ijs ex ædibus cùm descendisset in forum atq; in curiam Valerius, vt & consulum primorum vrbis virorum mos erat, magno patrum ac populi comitatu honoris gratia deducebatur, quæ res visentibus regiæ pompæ similitudinem præseferebat. itaq; cùm ob hoc ipsum, quodq; collegam minimè suffecisset, in suspitionẽ venisset affectati regni, clamque à quibusdam etiam maledictis discerperetur, rei eius ab amicis admonitus, cõsilium è vestigio cœpit diruendæ domus, quæ magna ex parte causam suspitioni videbatur afferre: nocte igitur non exigua manu fabrorũ operariorumque conducta, domum omnem à fundamentis dirui tanta festinatione iussit, vt illucescente iam die ædificium vniuersum æquatum iam solo iaceret. Hac itaq; demolitio-

ne non

ne non suspicionem modò aboleuit omnem, verùm in populo patribusq; summam vitæ integritatisq; sibi admirationem peperit, maxima etiam cum gratia, ac beneuolentia, ex eoq; maior indies est habitus. Florus lib.1.cap.9. Epitomatum. Valerius lib.4.cap.1.de animi moderatione. Plutarchus in vita eius.

Apophtegma.

Erasmus lib. 6. Apophtegmatum.

Crœsus Lydorum rex, cùm videret Cyri milites per vrbem captam discurrentes, percontatus est Cyrum, quid agerent, quumq; is respondisset, diripiunt vrbem tuam, opesq; tuas populantur: nequaquam, inquit, ô Rex, nihil iam hîc rerum est, tuum est, quod diripiunt, ea vox commouit Cyrum, vt suos à direptione reuocaret.

Fabula.

Senex quidam iuuenẽ sibi poma surripientem blandis orabat verbis, vt ex arbore descenderet, nec res suas auferre vellet: sed cùm incassum verba funderet, (iuuene eius ætatem, ac verba contemnente) non in verbis tantùm, inquit, verùm etiam in herbis audio esse virtutẽ. Herbas igitur vellere, & in illum iacere cœpit, quod iuuenis conspicatus, in vehementem risum effusus est, & senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse depellere: tunc senex omnia experiri cupiens, quando, inquit, verborum & herbarum vires aduersus raptorem mearum rerum nullę sunt, lapidibus agam, in quibus dicunt quoq; esse virtutẽ, lapidesque, quibus gremium impleuerat, in iuuenem iaciens illũ descendere & abire coëgit.

Affabulatio.

Hæc fabula indicat, omnia prius prudenti tentanda, quàm ad armorum confugiatur auxilium.

Simile.

[Ex mora]libus Plu[tar]chi.

Quemadmodum medici pharmacum ad vnicum morbum repertum, ad omnes similes ac finitimos accommodant, ita conuenit authorũ dicta ad varios vsus accommodare.

Aliud elegans simile ab apibus.

Vt apis ex amarissimis floribus, & asperrimis spinis mel suauissimum ac lenissimũ colligit, sic ex turpibus ac sceleratis fabulis vtcunq; decerpi potest aliquid vtilitatis.

Prouerbium.

Πολλῶν πανηγύρεων δίος βαλάνων ἔφαγεν, id est. Multorum festorum Iouis glandes comedit: de sene longoq; plurimarum rerum vsu docto: perinde valet, quasi dicas, multas vixit Olympiadas, quercus autem Ioui sacra.

Sententia Græca.

Homerus Odissex ω.

Καὶ πολλοὶ περ ἐόντες ἀναγκαῖοι πολεμισαὶ, id est. Aetas cana quidem, sed non inidonea bello.

Latina.

Macrobius in somnium Scipionis.

Prudentiæ est, mundum istum & omnia, quę in mundo sunt, diuinorum cõtemplatione despicere, omnemq; animi cogitationem in sola diuina dirigere.

Poëtica.

Musonius de septem sapientum sententijs.

Loqui & simul sentire animo.

Bias Prienus.

Quod prudentis opus? cùm possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse & uelle nocere.

Borbonius Poëta.

Spernit turpe lucrum prudens, ædesq; superbas
Spernit inauratas, marmoreasq; trabes:
Spernit ebur, gemmas, argentum, aulæa, tapetas,
Spernit opes, uastæ luxuriemq; domus:
Spernit odoratas uestes, auroq; trilices,
Spernit delicias Cypris amorq; tuas.
Spernit compositæ damnosa impendia mensæ,
Spernit res hodie, quas rude uulgus amat.
Spernit & inuidiam & sceleratæ murmura linguæ,
Spernit clamosi iurgia uana fori.
Omne malum (breuiter) prudens spernitq; fugitq;,
Virtutemq; bonæ gaudia mentis habet.
Contentusq; una hac, mortaleis ridet honores,
Inq; humili patiens nescit egere casa.
Omnia fert, & se casus componit ad omneis,
Quod loquitur lingua, pectore sentit idem.

Prudentia quid?

Viues lib. 2. de Anima.

Ratio eorum quæ aguntur in bono, est prudentia: eorum autem quæ exercentur in vtilibus vitæ huius exterioris, vt Aristoteli placet, est ars. Ars est collectio generalium formularũ ad vsum aliquem tendentium, quæ verò circũstantijs seu negotijs variantur (ea sunt enim περιστάσεις) hoc est, locis temporibus, personis, & eiusmodi circumspectionis sunt seu prudentiæ, quam multi iudicium appellãt. Item in solis hominibus ingenium est, & prudentia.

Isocrates in Nicocle.

Prudentes existimamus, qui inter se de negocijs optimè disserunt.

Viues in 3. declamatione L. Syllæ dictaturam deponentis.

Prudentis & boni viri officiũ est, non à præsenti affectu capi, & si quid suaserint vel ira, vel odium, vel voluptas, (mali consultores) non protinus ei assentiri, sed aduocata in consilium ratione atque prudentia, superioribus rebus cum præsentibus collatis, iudicio singula æstimare, non priuato aliquo dolore benemerita omnia more ingratissimorum hominum obliuisci, quod & spero, & confido vos facturos, quos sæpè audiui ingratitudines illas leuissimi

Verba L. Syllæ.

populi Atheniensis damnare, & aduersari, qui vel propter suspitiones nonnullas criminis maximos ciuitatis viros & fortissimos imperatores, vel exilio, vel morte mulctarunt, oblitterata memoria tantorum in Rempublicam meritorum.

Isocrates ad Demonicum.

Ῥώμη δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως, ὠφέλησεν ἄνευ δὲ ταύτης, πλεῖον τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε, id est.

Fortitudo cum prudentia quidem iuuat, sine ipsa vero magis lædit habentes.

Σωκράτης ἐρωτηθεὶς, τί φρόνησις εὐαρμοσία εἶπε, ψυχῆς. ὁ αὐτὸς ἐρωτηθεὶς τίνες φρόνιμοι, οἱ μὴ ῥαδίως, εἶπεν, ἐξαμαρτάνοντες, id est.

Socrates interrogatus quid esset prudentia, animæ, respondit, continuitas: idem roganti, quinam prudentes essent, qui non facile aberrant, dixit.

Gregorius Nasianzenus theologus dixit, qui serpentis prudentiã in malis, columbinæ synceritati circa bona miscuerit, is neq; prudentiam sinet malignam fieri, neq; simplicitatẽ stolidam, id est.

ὁ γὰρ τὸ ὄφεως φρόνημον περὶ τὸ κακὸν ἐν τῆς περιστερᾶς ἀκεραίῳ περὶ τὸ καλὸν ἀναμίξας οὔτε τὸ φρόνιμον ἐάσει κακοῦργον γενέσθαι, οὔτε τὸ ἁπλοῦν ἀνόητον.

Plutarchus in lib. de Morali uirtute, quid differant inter se sapientia & prudentia.

Rerum omnium, aliæ absolutè quodam modo se habent, vt terra & cœlum & astra: alia erga nos modo quodam affecta sunt, vt bonum, malum, eligendum, fugiendum, voluptas, dolor, vtrumq; ratio complectitur: superioris generis scientia est, & contemplatio: ex altero, quod videlicet nos respectat, deliberandi facultas oritur: Et agendi huius virtus est prudentia, illius vero sapientia. à sapientia autem differt prudentia in eo, quod à contemplandi genere, ad actuum affectionibusq; agitatum, conuersione & respectu quodam facto secundùm rationem prudentia subsistit: quapropter prudentia fortunæ est opus, sapientia vero ne consilio quidem eget ad suum finem consequendum: in æternis enim, & eodem modo semper se habentibus versatur: & quemadmodum Geometria non consultat, vtrum triangulus in ternos angulos abeat, duobus rectis æquales, sed nouit, (sunt enim consilia earum rerum, quæ aliâs aliter se habent, non autem firmarum atq; mutabilium) sic mens contemplatiua, prima stabilia vnam sempiternamq; naturam habentia, nullisq; obnoxia mutationibus exercens, à capiendo cõsilio libera est. At prudentiã in rebus errorum, ac turbulentię plenis immersam, sæpè cũ fortuitis misceri necesse est, & cõsultatione in rebus dubijs vti, & vbi consuluerit iã agere, irrationabili quoq; assistente atq; præsente, & simul à iudicijs tracto.

Idem eodem loco.

Circa bonum prudentia quadrupliciter se gerit, quum aut adipiscitur bona, aut tuetur, aut adauget, aut prudenter vtitur: hi prudentiæ aliarumq; virtutum sunt canones, quibus ad vtrunq; vtendum est fortuna.

Idem in libro, an utilis sit prænotio futurorum.

Porrò prudentia quidem non tam corporũ, quàm rerum est inspectio, priusquàm ipsas res homo aggrediatur, vt quàm commodissimè eas obuias, & quasi incidentes excipiat: prospicit enim futura, siquidem corpus anteriori soli parte oculis præditum est, posteriori verò omninò cæcum. Cogitatio autem præterita quoque memoriæ beneficio conspicit: hæc em̃ est ille scriba, qui semper intus manet & residet, vt Plato inquit, hæc est animæ pars siue instrumentum, quod res transeuntes apprehendit, conseruat, sistit, & circulum facit, id quod præterijt reflectens, vt cum præsenti iungatur, non permittens, vt in infinitum abeat, & in natura non consistat, neque cognitione comprehendatur.

Democritus.

Prudentiæ est, futuram iniuriam præcauere, indolentiæ verò, quod factum est non vlcisci.

Aristoteles dixit: quoniam euentus quidem rerum nostræ voluntati, se haudquaquam accommodant, nos certè voluntatem euentibus accommodare oportet. *Officiũ prudentiæ.*

ὤποποι οὐδεὶς ἐκφεύγει ἅμα αἰπὺν ὄλεθρον *Matth. Agric.*

Σφῇσιν ἀτασθαλίῃς ἄλγε' ἔχει βαρέως.

Iambilichus in epistola ad Aphalium.

Τὴν ἡγεμονοῦσαν τῶν ἀρετῶν φρόνησιν καὶ χρωμένην αὐταῖς ὅλαις καθάπερ ὄμμα νοερὸν τάξεις, τε καὶ μέτρα αὐτῶν καὶ τὴν εὐκαιροτάτην εὖ διακοσμοῦσαν, ἐπιδείκνυσιν ὅλον ὑπαυγὲς ἐν τῷ παρόντι, id est.

Prudentia virtutum princeps est, reliquisq; omnibus vtitur, atq; ipsarum ordinem, modũ, & occasionem in præsentia tanquã oculus quidam mentis vndequaq; lucidissimus ostendit: generatur ergo hæc primùm quidem à syncera perfectaque mente, atque sic genita, in ipsam mentem intuetur, à qua perficitur, modumque & exemplar inde sibi pulcherrimum omnium suarum actionum habet. Quod si quæ nobis etiam cum dijs intercedit communitas, ea maximè virtutis huius gratia consistit, & per hanc in primis ipsis assimilamur, huius beneficio bona & vtilia, honesta & turpia discernimus, factaq; conuenientia iudicamus ac emendamus: deniq; vt paucis omnia complectar, gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis princeps, quin etiam ciuitates & familias, priuatamq; singulorum vitam, ad exemplar diuinũ referens, qua potest optima similitudine depingit, hoc dolet, illud inscribit, vtrobiq; assimi- *Vnde generetur prudentia.*

lationis

lationis modo studens. Merito igitur Deo similes facit sui possessores prudentia.

Plato in Phædro.

Πέφυκε ξυνιέναι εἰς τὸ αὐτὸ φρόνησίς τε καὶ δύναμις μεγάλη, καὶ ταῦτα ἄλληλα ἀεὶ διώκει καὶ ζητεῖ, καὶ συγγίνεται. id est.

Prudentia & magna vis naturæ coniungi solent, semper se mutuò persequuntur, quærunt, & conueniunt.

Gæus.

Σωφρονέστερον δίκαι σοῦ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν, τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν, id est.

Prudentius agit, qui sibi cauet priusquàm malum ingruat, quàm qui malo iam accepto ad accusandum conuertitur.

Crito.

Prudens vir ad vitam, quasi viam quandam, nō preciosius viaticum, sed quod magis necessarium est, comparat.

Græcè sic.

Φρόνιμος ὥσπερ εἰς ὁδὸν τὸν βίον οὐ τὰ πολλὰ ἄξια σύνθησιν ἐφόδια, ἀλλὰ τὰ ἀναγκαιότερα.

Socrates.

ὥσπερ εἰς κενὸν σκάφος τὰ ἀπὸ τῆς φρονήσεως ἔργματα δεῖ προσεμβάλλειν, id est.

Prudenter facta, tanquàm in vas inane, alia alijs superinijcere oportet.

Damippus Pythagoricus in prudentia & bona fortunæ.

Prudentia & bona fortunæ ita se habent inuicem, prudentia res est rationē habens, & verbis effabilis ordinata & definita: fortuna verò neq; sermone rectè comprehenditur, neq; rationem habet, inordinata omninò ac infinita. Illa prior & dignitate & potentia, hæc vtroque posterior: solet enim illa gubernare, determinare, hæc verò regi & terminari, iunguntur tamen aliquando & simul vtraque conueniunt prudentia simul & bona fortuna: cæterùm oportet semper naturam rationalem, & quæ sermone definiri potest, habere quod terminet, ac disponat: irrationalem autem in verbis non effabilem habere opus est, alteram naturā qua definiatur & ordinetur, eadem enim vbiq; est ratio, de infinita, & finiente natura: siquidem infinita, vt materiæ & substantiæ, habentia rationem, terminari & disponi apta sunt ab alijs ratione, & prudentia præditis: quod cùm artis efficientisq; causæ locum habeant, ordinare ac finiri cætera solent.

Idem.

Prudentia est, quæ res definit, ac infinita disponit: ideoque cæterarum quoque virtutum dux & mater est: etenim virtutes omnes ad pręscriptum & rationem prudentiæ cōstituuntur.

Archytas Pythagoræus in lib. de uiro bono & felice.

Vir prudens hoc maximè pacto nascetur: primùm nactus sit oportet ingeniū solers, memor & laboriosum, deinde statim à puero animum exerceat, ratiocinetur circa mathemata exactas speculationes, & rectam philosophiam versetur, postea de dijs & legibus & vitis hominum experientiam indipiscatur: duo enim sunt, quę prudentis habitum gignunt, quorum alterum est, vt mens disciplinis ac exquisitis contemplationibus animum exercitauit, ad prudentiam sat idoneus est: neq; ille, qui iam dictorū quidem nihil consequutus, sed in multis aliâs historijs & rebus experiundo versatus est: prior enim ad singularia perpendenda cæcum habet animum, alter in vniuersalium contemplatione nihil videt. quemadmodum aliquis computando partibus coniunctis totum ex ipsis resultans colligere potest, ita in rebus quoq; ratio quidem speculationem vniuersalem deliniat, experientia vero singularia iudicat.

Prudentia virtus est, de rationali parte manans, ad ea quæ ad felicitatem tendant constituenda idonea.

Eius proprium est, vt omnia ratione, atq; consilio agitentur, inde consulta maturè transigantur.

Item munus eius est in consilio res adhibere, bona malaq; discernere, & omnia quę in humana vita deligenda fugiendaq; sunt, præsentibus omnibus bonis honestis vti, bene consuescere opportunitates percællere, sermone & opera sagaciter vti, rerum omniū vtilium habere experientiam & memoriam. Prudentiæ contraria stultitia & dementia.

Partes prudentiæ quatuor sunt, & numerantur.

Astutia mentis est, qua rebus industrijs cautum captatur consiliū, & acutè dispicitur atq; iudicatur, quid bonum, quid malum, quid vtile, quid incommodum sit: versutiæ nomen assumit, quum in malum sese contulerit.

Memoria, qua repetit animus quæ fuerunt. Cicero in Rhetoricis, idem de memoria & reminiscentia, est iterata resumptio alicuius apprehensi sensu, vel intellectu. Vel secundùm eundem, est pars integralis prudentiæ, non est autem futurorum, nec præsentium: sed præteritorum tantùm. sensus præsentium, spes futurorum.

Intelligentia est, per quam ea perspiciuntur quæ sunt, à qua sunt, qui non seiungant calliditatem, per quam mentes, quid cuiq; rei tractanda conueniat, callent: cuius contrarium ignorantia vel socordia.

Prouidentia est, per quam futurum aliquid spectatur, antequam factū est. Ex cunctis prudentię partibus industrię omnes actionesq; solerter tractatæ, probitatis & officij nomen assequuntur,

quuntur, & deniq; tria prudentiæ tempora deputantur: vt præterita meminerit, præsentia cõsyderet, futura cõeiectet. Sed veritatis partibus hæc adscribi solent, & nõ iniuria, cunctis siquidem virtutibus moralibus moderatur prudentia, vt fine ipsa nomen vllum obtinere non possint, &c.

Aristoteles de Virtutibus.

ἔστι δὲ φρόνησις μὲν ἀρετὴ τοῦ λογιστικοῦ παρασκευαστικὴ τῶν πρὸς εὐδαιμονίαν συντεινόντων.

Comites qui sint, vide apud Aristotelem, & cæteros, qui ex professo hac de re scribunt.

NANVS. PRuina græcè πάχνη. ης. ἡ. & παχνώδης. εος. ὁ. ἡ. pruinosus dicitur. Est autẽ pruina vapor qui congelatur priusquàm in aquam conuertatur iterum, secundùm Aristot. lib. Meteorum. Dicitur autem pruina à perurendo, hoc est, valde vrendo, quod fruges & virgulta perurat.

Psalterium græca dictio est, ψαλτήριον. ου. τὸ. & est instrumẽtum decem chordarum. Significat autem decalogum. Tangitur manu à superiore, sed cithara ab inferiori, dicit à ψάλλω quod est canto pulso. Vnde etiam psalmus ψαλμός. οῦ. ὁ. quod est canticũ, quod cantabat, vel cantari faciebat Dauid ad psalterium. Item psallere, spiritualiter est gaudendo gratias agere Deo, corde, ore, & operibus, ex B. Tho. super Psal. 2. col. 6. & Psal. 6. col. 6. Differũt Psalmus & hymnus, quoniam propriè hymnus dicitur, qui voce naturali fit, psalmus qui in aliquo musico instumẽto. Vnde Psalmodia deducitur canticũ mixtũ, vt cùm aliquis ad cytharam, siue aliud musicũ instrumentum canit.

PVdicitia græcè ἁγνεία. ας. ἡ. & ἁγνός. οῦ. ὁ. pudicus dicitur. Est autẽ pudicitia animi virtus, qua quis verecundatur de actibus, de quibus homines magis verecũdantur, vt sunt actus venerei secundùm Augustinum lib. 14. de Ciuit. Dei. Nec inuitè auferri potest, secundùm eundem lib. 1. de Ciuitate Dei.

Pudicitia dicitur à pudore, & est pręcipuè circa signa venereorum, vt sunt tactus, oscula, & huiusmodi. Castitas verò circa venereã cõmixtionem, ex B. Tho. secunda secundæ q. 143. c.

Pudor ab Aristot. sic definitur: αἰσχύνη ἐστὶ φόβος δικαίου ψόγου, hoc est pudor est timor iustę vituperationis, qui affect⁹ est honestissimus. Differt autem pudor à verecundia sic, vt aliquibus placet, quod pudor est rei turpiter actæ, verecundia verò ętiam rectè facti ac honesti. Hinc pudibundus, qui pudore ducitur, & pudenda virilia, quæ & verenda dicuntur, & depudico verbũ quo veteres vtebantur. Estq; depudicare, violare, stuprare, & quasi pudicitiã auferre.

Ecclesiastici cap. 26.

Omnis enim ponderatio non est condigna continentis animæ.

Ibidem.

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.

Ibidem.

Gratia super gratiã mulier sancta & pudorata.

August. contra Iulianum lib. 4.

Pudicitia res est animæ, virginitas corporis, deniq; illa integra in anima permanẽte, potest ista corpore violenter auferri: & cùm ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciui voluntate corrumpi.

Cyprianus de 12. abusionibus.

Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorũ, creatoris omnium dici amica.

Cicero lib. de Legibus.

Quid enim possumus eos qui à stupro arceantur, infamiæ metu pudicos dicere? cùm ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur. Nam quid laudari ritè, aut vituperari potest, si ab eo recesserit, quod aut laudandum, aut vituperandum putes?

Plautus in Epidico.

Non nimis potest pudicitiam quisq; suæ seruare filiæ.

Iuuenalis satyra 10.

-Rara est adeò concordia formæ,
Atq; pudicitiæ.

Ouidius epistola Paridis ad Helenam.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Pueritia græcè παιδία. ας. ἡ. & παιδικός. οῦ. ὁ. puerilis dicitur. Pueritia autem modò ætatem puerilem significat, modò pro puritate accipitur. Varro: Ea erat matronæ simplicitas, & pueritia, & honestas. Puerilitas verò non ipsam ętatem, sed actum aliquem puerilem significat. Seneca. Qui pueritiam eius seu potius puerilitatẽ ludibrio habuit. Puerasco autem, id est puer fio, & repuerasco, quasi in puerilem ętatem reuertor, quæ omnia à puer deducuntur.

De hac materia habes suprà in Adolescentia, & Iuuentus.

PVlchritudo græcè καλλονή. ῆς. ἡ. vel κάλλος. εος. τὸ. & καλός. οῦ. ὁ. pulcher dicitur. Est aũt pulchritudo corporis quædã apta figura membrorum cum coloris quadam suauitate, secundùm Ciceronem lib. Tuscul. quæst.

Prouerbiorum cap. 11.

Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.

Ibidem cap. 31.

Fallax gratia, & vana est pulchritudo.

August. de Ciuitate Dei lib. 15.

Pulchritudo corporis bonum Dei donũ est, sed propterea id etiam largitur malis, ne malũ, bonum videatur bonis.

Ambro-

Ambro. lib. 3. de Virginit.

Iuuenem veteres fabulæ ferunt, cùm propter admirabilem oris pulchritudinem, in amorem incenderet fœminas, stigmatibus exarasse vultum suum, ne qua eum amare posset.

Boëtius lib. 3 de Consolat.

Sicut ait Aristo. Si linceis oculis homines vterentur, vt eorum visus quæq; obstantia penetraret, nónne introspecto visceribus illud Alcibiadis pulcherrimum corpus turpissimum videretur? igitur te pulchrum videri non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.

Seneca in epistola 124.

Quid excolis formam? cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Vide suprà in Contemptus humilium.

Idem in Prouerb.

Sicut formosa pictura est, cùm nulla pars errat, sic & formosus homo, in quo nulla pars peccati fœda est.

Idem Tragœdia 4.

Anceps forma bonum mortalibus, exigui donum breue temporis.

Ibidem.

Res est forma fugax, quis sapiens homo confidat fragili? dum licet utere, tempus sic tacitum subruet horaq;.

Cicero lib. 4. Rhetoricorum nouorum.

Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur.

Lucius Apuleius de Magia libro 1.

Socrates philosophus vltrò etiam suasisse fertur discipulis suis, crebrò vt semet in speculo contemplarentur, vt qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendiò procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minus commendabilem se forma putaret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret.

Laërtius Dioge. de Vita & Morib. philoso.

Diogenes cùm vidisset quendam decora facie & moribus inhonestum, ait: O quàm bona domus, & malus hospes.

Periander.

Ἐπαίνει τὰ καλά, id est.

Lauda pulchra.

Menander.

Μὴ κρῖν' ὁρῶν τὸ κάλλος, ἀλλὰ τὸν τρόπον. id est,

Noli iudicare uidens pulchritudinem, sed morem.

Idem.

Ὡς ἡδὺ κάλλος, ὅταν ἔχει νοῦν σώφρονα, id est.

Quàm suauis res pulchritudo, quando habet mentem sapientem.

Isocrates ad Dæmonicum ser. admonitorio.

Κάλλος μὲν γὰρ, ἢ χρόνος ἀνάλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανε. i.

Pulchritudinem quidem uel tempus consumpsit, uel morbus languefacit.

Virg. in Bucolic.

O formose puer nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

Ouidius Metamor. libro 13. fabula 8. Verba Polyphemi ad Galatheam.

Nec mea quod duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta, turpis sine frondibus arbor,
Turpis equus, nisi colla iubæ flauentia uelent.
Pluma tegit uolucres, ouibus sua lana decori est.
Barba uiros, hirtæq; decent in corpore setæ.

Idem lib. 15. fabula 3.

Labitur occiduæ per iter decliue senectæ,
Subruit hæc æui demoliturq; prioris
Robora, fletq; Milon senior cùm spectet inanes
Illos, qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes fluidos pendere lacertos.
Flet quoq;, ut in speculo rugas conspexit aniles,
Tyndaris & secum, cur sit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas
Omnia destruitis, uitiataq; dentibus æui,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Idem epist. Phædræ ad Hippolytum.

Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina compti,
Fine coli modico forma uirilis amat.

Ouid. de Arte amandi lib. 1.

Forma uiros neglecta decet. Minoida Theseus
Abstulit à nulla tempora comptus acu.
Hippolytum Phædra, nec erat benè comptus, amauit:
Cura deæ, syluis aptus Adonis erat.
Munditiæ placeant: fuscentur corpora campo.
Sit benè conueniens, & sine labe toga.
Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes:
Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos.
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues.
Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.
Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares uirq; paterq; gregis.
Cætera lasciuæ faciant concede puellæ
Et si quis malè uir quærat habere uirum.

Idem lib. 2.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Nec semper uiolæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam uenient cani formose capilli,
Iam uenient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, & astrue formam:
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Idem Tristium lib. 4. Elegia 4.

Ista decens facies longis uitiabitur annis.
Rugaq; in antiqua fronte senilis erit.

Idem libro 3. Elegia 7.

Inijcietq; manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepidum passu non faciente uenit.

Cumq; aliquis dicet, fuit hæc formosa, dolebis:
Et speculum mendax esse querere tuum.
Sunt & opes modicæ, cùm sis dignissima magnis:
Finge, sed immensis censibus esse pares.
Nempe dat, & quodcunq; libet fortuna, rapitq;:
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.
Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingenijq; bonis.
En ego cùm patria caream, uobisq;, domoq;,
Raptaq; sint, adimi quæ potuêre mihi:
Ingenio tamen ipse meo comitorq;, fruorq;,
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.
Quilibet hanc sæuo uitam mihi finiat ense:
Me tamen extincto fama superstes erit.
Dumq; suis uictrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum martia Roma, legar.
Tu quoq;, quàm studij maneat fœlicior usus,
Effuge uenturos, quà potes, usq; rogos.

Iuuenalis Satyra 10.

-Filius autem
Corporis egregij miseros, trepidosq; parentes
Semper habet, rara est adeò concordia formæ
Atq; pudicitiæ, sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac ueteres imitata Sabinos.
Prætereà castum ingenium, uultumq; modestum
Sanguine feruentem tribuat natura benigna
Larga manu, quid enim puero conferre potest plus
Custode, & cura natura potentior omni?
Non licet esse uiros, nam prodiga corruptoris
Improbitas, ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia, nullus ephœbum
Deformem sæua castrauit in arce tyrannus.
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, uel
Strumosum, atq; utero pariter, gibboq; tumentem.
Nunc ergo iuuenis specie lætare tui, quem
Maiora expectant discrimina: fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet quascunq; mariti
Exigere irati: nec erit fœlicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat: exigit autem
Interdum ille dolor plus, quàm lex ulla dolori
Concessit, necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ: mox cùm dederit Seruilia numos,
Fiet & illius, quam non amat, eruet omnem
Corporis ornatum: quid enim ulla negauerit udis
Inguinibus, siue est hæc Hippia, siue Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed casto quid forma nocet? quid profuit olim
Hippolyto graue propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc ceu fastidita repulsa.
Nec Stenobœa minus, quàm Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ, mulier sæuissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admouet.

Pulsus græcè σφυδμός.οῦ.ὁ. dicitur. Est autem pulsus humidi calefacti spumificatio, secundũ Aristotelem libro 7. Physicorum.

Pulsio est, cùm expellens deficit ei quod expellitur, secundùm Arist. lib. 7. Physicorum.

PVnitio græcè κόλασις.ιος.ἡ. & κολάζω punio dicitur. Punitio inquantum pertinet ad iustitiam publicam, est actus iustitiæ cõmutatiuę, vindicatiuæ verò inquantum pertinet ad immunitatem personæ singularis, ex B. Tho. secunda secundę q. 80. ar. 1. Sanè pro punio penio quasi pœna afficio, dicebant veteres. Hinc impunè quod est sine pœna, & impunitas. Seneca: Quippe delictorum impunitas homines audaciores reddit ad malum. Hinc pœna & pœnitentia, de quibus suprà.

Deuteronomij cap. 25.

Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.

Ibidem cap. 28.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus: sed vnusquisq; pro peccato suo morietur.

Ezechielis cap. 18.

Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij.

Sapientiæ cap. 11.

Per quę peccat quis, per hęc & torquetur.

August. & hab. dist. 25. cap. Qui in aliud.

Qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis, prius purgabitur igne purgationis: hic ignis etsi non sit æternus, miro tamen modo grauis est; superat enim omnem pœnam quam vnquam passus est aliquis in hac vita, vel pati potest.

Augustinus lib. 3. de libero arbitrio.

Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud quo benè vti noluit, cùm sine vlla difficultate posset, si vellet. i. vt qui sciẽs rectè non facit, amittat scire quod rectum sit, & qui rectum facere, cùm posset noluit: amittat posse cùm velit.

Augustinus lib. 1. Confessionum.

Iussisti domine, & sic est, vt pœna sit omnis inordinatus animus.

August. in Enchirid. cap. 93.

Mitissima omnium pœnarum erit eorum, qui præter peccatũ, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt.

August. de pœ. & hab. 2. q. 1. cap. Multi corriguntur.

Non ergo illi quos monemus agere pœnitentiam querant sibi comites ad supplicia, nec gaudeant, quia plures inueniãt sibi similes; nã propterea non minus ardebunt, quia cum multis ardebunt.

Aug. lib. de ciui. Dei, & hab. 23. q. 5. cap. Nõ est.

Non est innocentiæ, parcendo sinere, vt in malum grauius incidat, pertinet ergo ad innocẽtis officium, non solùm nemini malũ inferre, verũ etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, aut

aut vt ipse qui prius odio habetur, corrigatur experimento, vt alij terreantur exemplo.

August. & hab. 24. q. 3. cap. Corripiantur.

Pœna episcopalis iudicij in ecclesia nulla maior est.

Hieron. in Naum proph. & hab. 23 q. 5. ca. Quid ergo.

Quid ergo, ait, contra dominũ cogitatis? Ipse est qui creauit mundũ, & consummationẽ eius faciet: quòd si vobis videtur crudelis, & rigidus & cruentus, quòd in diluuio genus deleuit humanum, super Sodomã & Gomorram ignem & sulphur pluit, Aegyptios submersit in fluctib. Israelitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eum ideò ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret.

Hiero. ad Rusticum & ha. de pœ dist. 3. c. Achab.

Achab rex impijssimus vineam Nabutę cruore possedit, & cum Iezabel nõ tam coniugio sibi, quàm crudelitate coniũcta, Heliæ increpatione corripitur. Ad eundem, hęc dicit dominus, occidisti & possedisti. Et iterũ: In loco quo linxerunt canes sanguinem Nabutæ, ibi lingent sanguinem tuum, & Iezabel carnes comedent, ante muros Israel. Quod autem cùm audisset Achab, scidit vestiméta sua, & posuit saccum super carnem suam, & ieiunauit, & dormiuit in cilicio. Factus est sermo domini ad Heliam, dicẽs, quia reueritus est Achab faciem meam, nõ inducam malum in diebus eius, vnum scelus & Achab & Iezabel commiserunt: sed tamen conuersus Achab ad pœnitentiam, pœna differtur in posteros, & Iezabel in scelere perseuerãs, præsenti condemnatur iudicio.

Hiero. & hab. 24. q. 1. c. Non afferamus.

Dominus priora delicta, recentibus pœnarũ exemplis cauenda monstrauit.

Grego. in Mora. & hab. dist. 38. c. Qui ea.

Qui ea quæ Dei sunt sapiunt, à domino sapiũtur, & qui ea quæ Dei sunt nesciunt, à Dño nesciũtur: Paulo attestãte, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur. Idem: Quicunq; stultus est in culpa, erit sapiens in pœna.

Grego. lib. 6. Moralium.

Iniustus quisq; eò atrocius in tormẽtis obruitur, quò altius peccatis eleuatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in peruentiõe damnabitur, & quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitũ tendit.

Gregorius libro 9. Moralium.

Iustum est vt quos culpa simul inquinat, par etiam pœna astringat, & qui nequaquã dispari sunt iniquitate polluti, nequaquam tormento crucientur dispari, quatenus simul damnatio conterat, quos similis elatio subleuabat.

Ibidem.

Horrẽdo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Mors perimit & non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit.

Ibidem.

Electos Dei cernimus & pia agere, & crudelia tolerare: hinc ergo colligitur, districtus iudex quanta illic feriat districtione, quos reprobat, si hîc cruciat quos amat.

Ibidem.

Sicut vno sole omnes tanguntur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis vna est gehẽna quę affligit: & tamen non omnes vno calore comburit, quia quod hîc agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.

Gregor. lib. 15. Moralium.

Pœna præsens quæ iniusti animum à prauis desiderijs mutat, ab æternis supplicijs non liberat quos mutat: nam quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt.

Grego. lib. 20. Moral. & hab. 1. q. 4. cap. Homini.

Contrà dominus ad Moysen: Ego sum Deus zelotes, qui visito peccata patrum in filios vsq; in tertiam & quartam generationem, licet non inæqualitate iudicij, sed magnitudine clementiæ.

Idem lib. 30. Moralium.

Ad districti iudicij iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, quia quandiu valuit habere, noluit terminum criminis.

Gregor. lib. 4. Dialog.

Anima illic posita benè esse perdidit, & esse non perdidit: & quare semper cogitur, vt & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur, quatenus ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.

Gregorius, & hab. dist. 28. cap. Quia.

Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda semper est veritas, vt inquiri debeat vtrũ accusata noxa condemnet, an à pœna, innocentia patefacta subducat.

Ioannes Chrysostomus super Matth. cap. 1.

Iustius est enim iniustũ iustè euadere, quàm iustum iniustè punire: quia reus etsi semel euaserit, si semel perierit, iam non potest reuocari.

Idem super illud Matth. 6. Excidetur & in ignem mit.

Noui, & plurimi solã pertimescunt gehennã, ego autem, illius gloriæ amisionẽ, multò amarius, quàm ipsius gehennę dico esse supplicium horribile. Mille quis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatę illius glorię honore expelli, & esse exosum Christo.

Bernardus epistola 52.

Ob hoc inflexibilis & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter: licet temporaliter perpetratū, quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita vt si nunquàm moreretur, nūquàm peccare desineret, imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset.

Hugo lib. 2. de Anima.

Iustè puniuntur, qui licitis abutuntur, iustius verò puniuntur, qui aliena rapere conantur, sic satanas cælum, sic protoplastus perdidit paradysum.

Caßiod. super Psal. Dixit incipiens.

Occultam culpā sequitur aperta percussio, vt malis exterioribus interna puniantur, & cor publicè corruat, quod latenter peccabat.

Seneca in Prouerbijs.

Satis pœnarum est potuisse puniri, grauis tamen pœna est, quem pòst, facti pœnitet.

Aristot. lib. 10. Ethicorum.

Oportet bonos prouocare ad virtutes per præmia, malos autem per pœnam insanabiles totaliter exterminare.

Valerius Max. lib. 1.

Lento enim gradu ad vindictam sui, diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij, grauitate compensat.

Cicero pro Milone.

Et pœnā semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt.

Cicero lib. 1. de Legibus.

At verò scelerum in homines atq; impietatū nulla expectatio est, itaq; pœnas luunt, nō tam iudicijs quæ quondam nusquàm erant, hodie multifariam nulla sunt, vbi sunt, ficta sunt, tamē persæpe falsa sunt, vt eos agitent, insectenturq; furiæ non ardentibus tedis, vt in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisq; cruciatu.

Idem lib. 2. de Legibus.

Sceleris etiā pœna tristis, & præter eos euentus qui sequuntur, per seipsa maxima est.

Idem lib. 3. de Legibus in fine.

Noxiæ, par pœna esto, vt in suo vitio quisq; plectatur.

Idem lib. 3. de Natura deorum.

Etenim nec domus, nec respublica, ratione quadā & disciplina designata videatur: si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis.

Paulus Orosius lib. 8.

Conspiratorum ac sceleratorum, etsi paucitas contemni posit, tamen pertinacia magna pœna afficienda est, ne malo exemplo cæteri moueantur.

Suetonius in Tiberio.

Boni pastoris est tondere pecus, nō deglubere.

Virgil. Aeneid. lib. 6.

Ergo exercentur pœnis.

Vide suprà in Infernus.

Lucanus lib. 5. Pharsaliæ.

Quicquid multis peccatur indultum est.

Horat. sermonum lib. 1. Satyra 3.

— Adsit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili insectere flagello.

Horatius epist. lib. 1. epist. 17.

Oderunt peccare boni uirtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Iuuenalis Satyra 2.

— Sed illos
Defendit numerus iunctoq; umbone phalanges.

Dantes lib. 1. cap. 1.

Et uedrai le dolorose strida:
Vedrai li antiqui spiriti dolenti,
Che la secunda morte ciaschun crida.
Et uedrai collor che son contenti
Nel foco, perche speren de uenire
Quando che fia, alle beate genti. id est.
Et uidebis mœstos stridores:
Videbis antiquos spiritus dolentes,
Qui ad mortem secundam quisq; clamat.
Et cernes eos, qui sunt læti
In igne, quoniam sperant peruenire,
Cùm tempus fuerit, ad beatam turbam.

Dantes inferni Cant. 14.

O uendetta de dio, quanto tu dei
Esser temuta. id est.
O uindicta Dei, quantum debes
Timeri.

Dantes purgat. Cant. 21.

La diuina iustitia contra uoglia
Come fu al peccar, pone al tormento. id est.
Diuina iustitia contra uoluntatem,
Sicut fuit ad peccandum, aufert tormentum.

Dantes paradisi Cant. 6.

Multe uolte gia pianzeron li figli
Per la colpa del padre. id est.
Sæpius olim deplorarunt filij
Propter culpam parentis.

Dantes paradisi Cant. 22.

La spada de quasu non taglia infreta,
Ne tarde mai al parer de collui
Che desiando o temendo, la spetta. id est.
Ensis supernus non citò uulnerat,
Nec tarde unquàm, iudicio eius.
Qui desiderans aut timens, operitur eundem.

Pusillanimitas græcè μικροψυχία. ας. ἡ. & μικρόψυχος. ὁ. Pusillanimis dicitur. Est autem pusillanimitas, virt' opposita magnanimitati per defectum, quia deficit pusillanimis à proportione suę potentię, dū recusat in illud tendere, quod est commensuratum suæ potentiæ.

Pusillanimitas est contraria magnanimitati secundùm defectum, pręsumptio autem secundùm

cundùm excessum, ideo vtraq; est peccatum, ex B. Tho. secunda secundæ q. 130.

Pusillanimitas, secú. Arist. est vitium, quo impotentes videntur animi, ad felicitatem infelicitatemq;, honorem & dedecus sustinendum.

QVadragesima græcè τεσσαρακόστη. ης. ἡ. & τεσσαρακοστός. ȣ. ὁ. quadragesimus dicitur. Ieiuniũ ante pascha, quod quadragesima dicit, fit quadraginta diebus, sicut à Christo, à Moyse & Helia, quadruplici ratione, vel quia sec. Greg. per hos quadraginta dies virtus decalogi, per libros quatuor sancti euágelij impletur: Vel quia dignum est, vt carnem nostrã quaterdecies affligamus, vel quia in his offerre cõtendimus decimas dierum: Vel quia secundùm Aug. creaturæ inuisibili debet ternarius numerus, sed creaturę visibili debetur quaternarius, propter calidum, frigidum, humidum & siccum. Vnde si denarius numerus ducatur per quaternarium, qui competit corpori, per quod administratio geritur, quadragesimũ numerum conficit, ex B. Tho. 2. 2. q. 147. art. 5. & 4. Sent. di. 15. q. 3. art. 3.

Quadratio græcè τετραγωνισμός. ȣ. ὁ. & τετράγωνος. ȣ. ὁ. quadrus & τετράγωνον. ȣ. τὸ. quadratũ dicitur. Est autem quadratum figura rectilinea, orthogonia, habens omnia latera æqualia; secundùm B. Tho. super Mete. lect. 7. col. 3.

Quæstio græcè ζήτημα. ατος. τὸ: & ζητημάτιον. ȣ. τὸ. quæstiuncula dicitur. Quod quadrupliciter, s. an est, quia est, quid est, & propter quid est. Et duæ primæ reducuntur in eandem, & aliæ duæ in vnam aliam, ex Bea. Thom. super 7. Meta. lec. fi. o. & posteriorum lib. 2. lege. 1. o. Dicitur autẽ questio à quero, quod nihil aliud est quàm quę sit res aliqua inuestigare.

Matth. Agric. in Aurora.

Ingeniorum excellens vis quæstionibus propositis, mutuaq; conflictatione & excitanda, & augenda & locupletanda: quemadmodum ipsa memoria rerum optimarũ supellectile instruẽdi, locupletanda, & expolienda est.

A quæro dicuntur quæstores. qui prępositi sunt pecuniæ publicæ querendæ, hi & vectigalia exigunt, & ærarij curam habent. Hi aliquãdo rebus capitalibus præerant, & hi quæstores parricidij dicebantur, quorum lex 12. tabularum mentionem facit. vir. Quęsitor Minos vrnam mouet. Item à quęstus fit diminutiuũ quęsticulus ꝙ significat lucellum, hoc est paruũ lucrũ.

Quęstus gręcè ἐργασία. ας ἡ. & ζητέω quęro dicit Dicitur aũt quęstus omne quod ex opere cuiuscunq; descẽdit. l. Quęstus. ff. ꝓ socio. Est & questus sine diphthongo, de quo infrà in Querela.

Qualitas gręcè ποιότης. ητος. ἡ. & ποῖος. ȣ ὁ. ἡ. qualis dicit. Est autẽ qualitas secundũ quã quales dicimur, secundùm Arist. lib. Prędicamen.

Qualitas propriè importat modum, id est, determinationem substantię, vel secundùm ꝙ potentia materię determinatur ad esse substãtiale, & sic est differentia substantiæ. Vel ad esse accidentale, & sic est differentia accidentis, & prędicamentorũ qualitatis, ex B. Tho. prima secundæ q. 49. artic. 2.

Quando gręcè πότε dicitur, & ἕως quãdiu dicit. Est aũt Quãdo, id quod ex tẽporis adiacẽtia relinquitur, sec. Gilbertũ Porretanũ lib. 6. princ. Quando est proportio relicta ex tempore, secũdum B. Tho. 4. Sent. dist. 16. q. 3. art. 1.

Quantitas gręcè ποσότης. ητος. ἡ. & πόσος. ȣ. ὁ. quantus dicitur. Est autem quantitas secundũ quam quanti dicimur, secundùm Arist. li. Prædicamentorum.

Quantitas est prima post substantiam, secundùm B. Tho. prima secundæ q. 52. art. 1.

Quantitas duplex, s. continua & discreta. Cõtinua vt linea, superficies, corpus, locus, tempus, & similia. Discreta, vt numerus & oratio, ex Aristo. lib. Prędicamentorum.

Querela gręcè μομφὴ. ῆς ἡ. vel θρῆνος. ȣ ὁ. & θρηνέω. queror dicitur. Est autẽ queror verbũ deponens, idem quod lamẽtor, diciturq; à quę & res: nam lamentando quæ res sit, quę nos agitet explicare solemus. Verum sine diphthongo scribitur, & corripit primam, vt differat à quęror, quod est passiuũ huius verbi quęro. Hinc quærimonia pariter, quod idem est quod lamentatio, & questus pro lamentatione. Ouid. Et quoties aliquos parat edere questus Sibilat, hanc illi vocem natura reliquit.

Quies gręcè παῦλα. ης. ἡ. & παύομαι quiesco dicitur. Est autem quies id quod est in re, de cuius aptitudine est vt moueatur, non tamen est mota, secundũ Albertum Magnum in philosophia sua super libros Physicorum.

Quies est priuatio motus in illo, de cuius aptitudine est vt moueatur, non tamen est motum, secundùm Auicennam.

Quies quod propriè somnũ significat, dicta quasi qui tibi es, & nullo alio negotio destineris. Tunc enim cæteris negotijs non vacamus cùm dormimus. Propter quod etiam pro tranquillitate accipitur quies, à quo fit requies eiusdem significationis: & quietus, tranquillus: & quietudo, quiesco & requiesco.

Sophocles in Electra.

ὁρᾶ, πόνȣ τοι χωρὶς ὀυδὲν ἐυτυχεῖ, id est.
Vide, labore quidem sine nihil benè succedit.

De hac materia habes in Acedia, Labor & Otiositas.

RAbies græcè λύσσα. ης ἡ. & λυσσώδης. εος ὁ. ἡ. rabidus seu rabiosus dicitur. Est autem rabies siue rabia, morbus canum, cùm veluti furore quodam acti, huc atq; illuc rapiuntur, nec vllum quietis locum inueniunt. Diciturq; à rapio rapis, hinc etiam rabio, is, verbum quod est nimia ira, & quasi rabie agitor. Varro: Quid est quod latras? quid rabis: quid vis tibi? Cæcilius rabia rabere se ait. Alij rabiem quasi

rauiem dictam volunt, à vocis raucitate, quam rabiosi emittunt, similem canum latratui: veteres enim rauũ obtusum dixêre. Vnde vox raua parùm liquida. A rauus fit raucus, qui vocem nimio clamore siue alia causa obtusam habet, & raucitas, ipsa vocis obtusitas.

Matth. Agric. Ὀργὴ δ' ἐν φρεσσὶν χρυερῆσιν θάρσος ἀέξει ὀργὴ χωσαμένοις, δειλὰ χαριζομένη.

Rancor est displicentia contra aliquem, propter quem desiderat vel quærit quis malum alteri, & est filia Acedię, aliquando est filia Iræ.

Rancor est indignatio contrà inducentes ad diuina, secundũ B. Tho. secun. secun. q. 25. art. 4.

Rapina græcè ἁρπαγή. ἧς. ἡ. & ἅρπαξ. γος. ὁ. rapax & ἁρπάζω rapio dicitur. Est autem rapina rei alienę per vim iniusta ablatio. se. B. Tho. se. secundæ quæst. 66. art. 8.

Rapere propriè est, cum impetu quodã & violentia auferre. Vir. Raptas sine more Sabinas. Ponitur etiam pro vitiare, & propriè est de virginibus. Et sic raptus vt est species luxurię, est quando puella de domo patris violenter abducitur, vt corrupta, matrimonio habeatur, siue ei, siue parentibus violentia inferatur, secundùm B. Tho. secunda secundæ q. 15. art. 4.

Raptus quandoq; est cum stupro, & quãdoq; sine eo, vt in raptu viduę, vel nuptę, vel corruptæ. Et quandoq; stuprũ est sine raptu, si defloretur virgo sine vi, ex B. Tho. vbi suprà.

Raptus est illicitus concubitus cum violentia, secundùm B. Tho. secun. secun. q. 154. art. 8.

Rapina, raptio, & raptus sic videntur differre, quòd raptio ad personam refertur, rapina ad rem, raptus ad stuprum.

Rapacitas continetur sub violentia, cùm sit species eius, quę violentia est filia auaritiæ, ex B. Tho. secunda secundæ q. 108. art. 8. c.

Raptor dicitur propriè, qui rapit res immobiles, prædo verò mobiles. Vnde rapina dicitur de rebus immobilibus, deprædatio autem de mobilibus & se mouentibus, vt animalibus & huiusmodi, secundùm Ioan. An. Largè verò raptores dicuntur omnes publicè & violenter res alienas deprædãtes, tam mobiles q̃ immobiles. Rapina q̃d à furto differat, vide suprà in Furtũ.

Dauid Psalm. 61.

Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere.

August. lib. q. Exod. & hab. 14. q. 5. cap. Pœnale.

Pœnale est occultè auferre, multò maioris pœnæ est visibiliter eripere: auferre ergo nolenti, siue occultè, siue palã, habet præceptũ suũ. Furti enim nomine, benè intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Non enim rapinã permisit, qui furtũ prohibuit, sed vtiq; furti nomine in lege veteris testamenti, & rapinam intelligi voluit. A parte enim totum significauit, quicquid illicitè rerum, proximo aufertur.

Ibidem ca. Si quid.

Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti: quia plus non inuenisti, ideo plus nõ rapuisti: q̃ alienũ negat, si posset & tolleret. Deus cor interrogat, nõ manum.

August. & habetur 14. q. 5. cap. Fortè aliquis.

Fortè aliquis cogitat & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero. Vnde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero: sed huiusmodi cogitatio è diaboli calliditate suggeritur. Nam si totũ tribuat pauperibus quod abstulerat, addit potius peccatũ, quàm minuat.

Augustinus de uerbis domini cap. 20.

Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, vbi putas mittendus erit, qui inuasit alienam? si cum diabolo ardet, qui nudum non vestiuit, vbi putas arsurus est, qui expoliauit? Nõ nocent mala prętérita, si non placent.

Aug. in sermone de dominica 4. Quadragesimæ.

Si pœnale est clãculò auferre, multò maioris pœnæ est violenter eripere.

Hiero. in lib. Leuit. & hab. 14. q. 5. cap. Multi.

Multi sine peccato putant esse, si alienũ quod inuenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere; discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddit.

Hieronymus ibidem, cap. Nemo qui.

Nemo qui rapit, moriens (si habet vnde reddat) saluatur, si eos quorum fuit, inuenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribuat.

Ambrosius in libro de bo. mo. & habetur 14. quæst. 4. cap. Si quis.

Si quis vsuram accipit, rapinam facit, vita nõ viuit.

Ambrosius ibidem, q. 5. cap. Rapinam.

Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, vt cui est ablata restituatur.

Fulgentius tractans illud Matthæi, Omnis arbor. &c.

Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? aut quid recipiet qui alienum tulerit, si semper ardebit qui de suo non dedit? Et si, iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam?

Rabanus super illud Matth. 16. Esuriui, & non dedistis &c.

Quid recipiet qui aliena tulit, si semper ardebit qui sua non dedit?

Seneca epistola 75.

Nulli cui rapina fœliciter cessit, gaudium rapti durauit in posterum.

Raritas græcè ἀραιώσις. ιος. & ἀραιόω raresco & ἀραιός. ȣ. ὁ. rarus dicitur. Est autẽ rarum id, cuius partes distant à se inuicẽ, se. Arist. lib. Prędica.

Rarum est, in quo parum est de materia sub magnis

magnis dimensionibus, densum verò econtrario, secundùm B.Tho.2.Sent.dist.30.q.1. art.1.

Rarum interdũ ponitur pro præstanti, quoniam omnia præclara rara sunt. A rarus raresco, id est, rarus fio. A rarus fit rete, vt placet Varroni, à quo reticulum diminutiuum, & irretio verbum, quod significat retineo, capio: & irretitum dicimus aliqua fraude aut blanditijs, aut dolo, quasi rete captum.

Ratio græcè λόγος.ȣ.ὁ. & λογικός. οῦ.ὁ. rationabilis dicitur. Est autem ratio aspectus mentis, quæ bonum malumq; discernit, virtutes eligit, Deum diligit, secundùm Augustinum libro de Spiritu & Anima.

Ratio est natura intellectualis obumbrata, secundùm B.Thomam 1.Sent.dist.3.q.4.

Ratio & intellectus non sunt idem, quia ratio quandoq; est recta, & quandoq; non recta, tã in speculatiuis, quàm in practicis: sed intellectus semper est rectus, secundũ eundem 1.sent. dist.1.q.1.art.1. & 4.

Ratio & intellectus non distinguuntur, sicut duæ potentiæ, sed sicut diuersi actus eiusdem potentię: quia intelligere est intelligibilem veritatem simpliciter apprehendere. Ratiocinari autem est procedere de vno intellectu ad aliud intellectũ ad veritatem intelligibilem cognoscendam, secundùm eundem 1.parte.q.79.ar.8. Hinc ratiocinatio, quę est discursus intellectus ab vno in aliud, à principio ad conclusiones, vt in syllogismis & consequentijs.

Ratio vt est pars prudentiæ, est discursus intellectus, quo applicatur vniuersalia principia agibilium ad particularia, varia & incerta agibilia. Et sic eam ponit Macrobius ex sententia Platonis.

Ratio distinguitur in superiorem & inferiorem, secundùm diuersa officia. Nam ratio superior est, quę intendit ęternis conspiciendis, aut cõsulendis. Conspiciendis quidem, vt secundũ quod ea in seipsis speculatur. Cõsulendis verò, secundùm quod ex his accipit regulas agendorum. Ratio inferior est, quę intendit temporalibus rebus, ex August.lib.12.de Trinitate.

Ratio est motus animi vera à falsis distinguens, à qua fit ratiocinatio, quę à gręcis syllogismus, συλλογισμός.οῦ.ὁ.dicitur.

Rationem habere, si cum genitiuo iungitur, est habere respectum, vt habenda est ratio honoris. Si cum ablatiuo cum pręposítione cum, est habere negocium. Cice. Rationem habet cũ terra, quę nunquam recusat imperium.

August.contra Manichæos.

Si ratio consentiat, vt quod libido cõmonet faciendum esse decernat, ab omni vita beata, tãquàm de paradiso expellitur homo, & iam peccatum imputatur, etiamsi factum nõ sequatur, quia rea tenetur in cofessione conscientia.

Caßiodo.lib.3.epistola.52.

Paucos ratio capit ac probabilis oblectat intentio. Illud potiùs turba dicitur, quod ad remissionem curarum constat inuentum.

Lactantius Firmianus lib.6.cap.4.

Semper ita viuamus, vt rationem nobis reddendam arbitremur.

Idem lib.7.cap.ultimo.

Nam quicunq; rationem hominis abiecerit, hæc præsentia secutus in humum seipse prostrauerit: tanquam desertor domini, & imperatoris, & patris sui, punietur. Intendamus igitur iustitiæ, quæ nos inseparabilis comes ad Deũ sola perducet, & dum spiritus hos regit artus, infatigabilem militiam Deo militemus: stationes, vigiliasq; celebremus, congrediamur cum hoste, quem nouimus, fortiter: vt victores, ac deuicto aduersario triumphantes, præmium virtutis, quod ipse promisit, à Deo consequamur.

Seneca epistola 68.

Sola ratio incommutabilis & iudicij tenax est: non enim seruit, sed imperat sensibus.

Seneca epistola 67.

Bona illa sunt vera, quæ ratio dat, ac sempiterna, quæ cadere nõ possunt ac decrescere quidem ac minui. Cætera opinione bona sunt, nomen quidem habent commune cum veris, proprietas autem bona in illis non est.

Ibidem.

Ama rationem, huius te amor contra durissima armabit.

Seneca epistola 77.

In homine quidem optimũ ratio est, hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio aũt perfecta bonum proprium est, cætera illi cum animalibus satis communia sunt. Valet homo, & leones: formosus est & pauones: velox est, & equi, & ideò in his omnibus vincitur.

Ibidem.

Nam cùm sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit: hæc autem vnum bonum est, quo vno beatus efficitur s. virtus.

Aristot.lib.1.Politicorum.

Homines ratione & intellectu vigentes, naturaliter domini sunt, & rectores aliorum.

Idem in epistola ad Alexandrum.

Eos qui vtuntur ratione, & cum hac omnia volunt agere, tanquàm bonos & optimos existentes laudamus. Eos autem qui sine ratione aliquid faciunt, tanquàm crudeles, & rudes, & bestiales existentes odimus.

Idem lib.1.Metaphysicæ.

Hominum genus arte, & rationibus viuit.

Idem lib.1. Ethicorum.

Ratio semper deprecatur ad optima.

Idem in epistola ad Alexandrum.

Sicut dux est saluator exercitus, sic ratio eruditionis vitæ est dux animæ.

Cicero

Cic.lib.Officiorum.

Ratio ergo hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulatè, ne quid fallaciter agatur.

Idem lib.2.Tuscul.q.

Sed præsto est domina omnium & regina ratio, quæ connexa per se, & progressa longius, fit perfecta virtus.

Ibidem.

Fortes em̃ nõ modò fortuna adiuuat, vt est in veteri ꝓuerbio, sed multo magis ratio, quę q̃busdam pręceptis confirmat vim fortitudinis.

Ibidem.

Est enim animus in partes distributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cùm igitur vt nobismetipsis imperemus hoc pręcipitur, vt ratio coërceat temeritatem: in animis omnium, est ferè natura molle quiddam, demissum, humile, eneruatũ quodãmodo & languidum: Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius: sed presto est domina oĩm, & regina ratio, quę connexa per se, & ꝓgressa longius fit perfecta virtus. hæc vt imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndũ est viro.

Idem in paradoxis.

Irrideat si quis vult, plus apud me vera ratio valebit, quã vulgi opinio: neq; ego vnquam dicam illum bona perdidisse, si quis pecus aut supellectilẽ amiserit: nec nõ sępe laudabo illũ sapientem Biantem, cuius cùm patriã Priænem accepisset hostis, cæteriq; ita fugerent, vt multa de suis rebus secum asportarent: cùm esset ammonitus à quodã, vt ipse idem faceret, Ego verò, inquit, facio. Nam oĩa mea mecum porto. Ille hæc ludibria fortunæ, nec sua quidem putauit, quæ nos etiam appellamus bona.

Idem Rhetoricorum ueterum lib.1.

Domus ea quæ ratione regitur, omnibꝰ est instructior rebus, quã ea q̃ temerè & nullo cõsilio administrat. Exercitus is, cui prępositus est sapiẽs & callidus imperator, oĩbus partibus cõmodius regitur, quàm is qui stultitia & temeritate alicuius administratur.

Idem de legibus lib.2.

Lex vera atq; princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, est ratio recta.

Idem de Natu. deo.lib.2.

Nihil est mente & ratione melius.

Idem de fini.bono.& malo.lib.4.

Rationis perfectio est virtus.

Quintus Curtius de gestis Alexandri lib.4.

Nihil autem potest esse diuturnum, nisi cùm subest ratio.

Reatus græcè ὑπευθυνία.ας.ἡ.& ὑπεύθυνος. reus dicitur. Est autem reatus obligatio ad pœnam ꝓpter peccatũ, se.B.Tho.2.sent.di.30.q.1.art.2.

Reatus aliquãdo sumitur pro culpa, aliquando pro pœna, quia est medium quodãmodo inter vtrunq;, secun. eundẽ 2.sent. di.42. q.1.ar.2.

Recõciliatio græcè διαλλαγή.ῆς.ἡ. & διαλλάττω. reconcilio dicitur. Est autem reconciliatio amicitiæ reparatio, se.B.Tho.4.sen.di.15. q.art.5. Venit autem reconciliatio à reconciliare, quod est in gratiam restituere, quoties s. amici qui interposita aliqua offensa aliquandiu fuerint, in pristinam redeunt beneuolentiam ac familiaritatem. Venit autem à concio, quæ quid sit, vide suprà in Concio. Hinc fit concilium, multitudo populi consulendi gratia congregata, à quo conciliabulum, locus in quo cõcilium congregatur.

Matthæus in Euangelio cap.5.

Si ergo offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius, reconciliari fratri tuo, & tũc veniens offeres munus tuum.

August. super Matth.5. Vade prius reconciliari, &c.

Si absens est, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosternas, in conspectu eius cui oblaturus es: si præsens est, reuocandus ad amorem ab eo veniam petendo, si eum læsisti, vel si te læserit, dimittendo cordis rancorem.

Augustinus in sermone consecrationis ecclesiæ.

Si ad mensam cuiusq; potentis hominis. nemo præsumit cum scissis vestibus & inquinatis accedere, quanto magis à conuiuio æterni regis. i. ab altari domini debet se vnusquisq; inuidię, vel odij veneno percussus, iracundię furore repletus, cũ reuerentia & humilitate subtrahere, propter illud quod dicitur: Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Et iterum: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

Gregorius lib.4.Dialogorum.

Sciendũ ꝙ ille rectè delicti sui veniã postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquit, relaxat. Munus em̃ non accipitur, nisi antè discordia ab animo pellatur, dicente Veritate. Si offers munus tuum, &c. Qua in re pensandum est, cùm omnis culpa munere saluatur, quàm grauis est culpa discordiæ, qua nec munus accipitur, nec proximus reconciliatur. Debemus itaque ad proximum quamuis longe positũ, longeq; disiunctum, mente ire, eiq; animum subijcere, humilitate, ac beneuolentia placare.

Ioannes Chrysost. super illud Matth. Vade prius reconciliari &c.

Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si verbis, verbis: si factis, factis: nõ em̃ quem factis læsisti, sine factis placaueris. Sine causa oras ad Deum, sine causa eleemosynas facis de rebus quibus alios spoliasti. Quid enim prodest si vinus ad Deum pro te orat & alius aduersum te Deum interpellet? Iuxta illud Ecclesiastici.34. Dona iniquorum non probat altissimus.

Ioan.

Ioan. Chrys. lib. de compunctione cordis, tractans illud Matth. 6. & dimitte nobis.

Si tantummodo non lædas eum qui te læsit, auertas tamē te ab eo nec libenter eum videas; manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde: quod si est, nondum vtique quod Christus mandauit, expletur. Nunquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum; vt non te quidem lædat, auertat se tamen à te, & peccatorum tuorum memoriam teneat; & videre te nolit: igitur qualem vis erga te esse Deum cùm delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te.

Isidorus de summo bono, lib. 3.

Frustra propitiari sibi Deum quærit, qui citò placari in proximum negligit.

Seneca libro de Moribus.

Dissentis ab alijs, à te reconciliatio incipiat; cùm ignoscis ita beneficiū tuū tempera, vt non ignoscere videaris, sed absoluere, quia grauissimum pœnæ genus est, contumeliosa venia.

De hac materia habes suprà vbi Pax.

Redargutio græcè ἔλεγχος. ȣ. ὁ. & ἐλέγχω redarguo dicitur. Estq; idem quod correctio, vel reprehensio.

De hac materia vide suprà in Correctio.

Regnum græcè βασιλεία. ας. ἡ. & βασιλεύω regno, & βασιλεὺς ἐος. ὁ. rex dicitur. vnde regnatiua prudentia, quæ dirigit principem in ordine ad regnum, secundùm B. Tho. secunda secundæ. quæst. 50. artic. 1.

De hac materia habes suprà vbi Princeps, & infrà vbi Tyrannus.

Regnum à regendo dicitur, ideò qui alios sub sua prouidentia habet, regnum dicitur habere, ex B. Tho. 4. Sent. dist. 49. q. 1. art. 2.

QVIS OPTIMVS REIPVB. STATVS. THOMAS MORVS.

Quæris uter melius, rexne imperet, ánne senatus?
Neuter (quod sæpè est) si sit uterq; malus.
Sin sit uterq; bonus, numera præstare senatum,
Inq; bonis multis plus reor esse boni.
Difficile est numerum forsan reperire bonorum;
Sic facilè est unum sæpius esse malum.
Et fuerit medius sæpè inter utrunq; senatus,
Sed tibi uix unquàm rex mediocris erit.
Consilioq; malus regitur meliore senator:
Rex consultores sed regit ipse suos.
Alter ut eligitur populo, sic nascitur alter.
Sors hîc cæca regit, certum ibi consilium.
Illeq; se factum populo, populum sibi factum,
Scilicet hic ut sint, quos regat ipse, putat.
Rex est in primo semper blandissimus anno,
Omni anno consul rex erit ergo nouus.
Rex cupidus longè populum corroserit æuo:
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota mouet quæ pastam fabula muscam
Ferre iubet, subeat ne malè pransa locum.
Fallitur, expleri regem qui credit auarum,
Nunquàm hæc non uacuam mittet hirudo cutem.
At patrum consulta grauis dissensio turbat,
Regi dissentit nemo, malum hoc grauius:
Nam cùm de magnis uaria est sententia rebus,
Quæstio sed tamen hæc nascitur unde tibi?
Estne usquàm populus, cui regem siue senatum
Præficere arbitrio tu potes ipse tuo?
Si potes hoc, regnas: nec iam cui consule tradas
Imperium: prior est quæstio, an expediat.

Duo necessaria reipub. præfuturis, ex officiorum libris M. Ciceronis.

Omninò qui reipub. præfuturi sunt, duo præcepta Platonis teneant: Vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterū, vt totū corpus reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant: vt eñ tutela, sic procuratio reipublicæ ad eorum vtilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Qui autē partem ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem atq; discordiam: ex quo euenit, vt alij populares, alij studiosi optimi cuiusq; videantur, pauci vniuersorum.

Duo præcepta gubernantium.

Seditio, & discordia vnde nascatur.

Thomas Morus Anglus.

Regibus ex multis regnum cui sufficit unum,
Vix rex unus erit, si tamen unus erit.
Regibus è multis regnum benè qui regat unum,
Vix tamen unum erit, si tamen unus erit.

Regno fidere stultum, ex Troade Senecæ Hecubæ.

Quicunq; regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Animumq; rebus credulum lætis dedit,
Me uideat: & te Troia nonnunquàm tulit,
Documenta fors maiora quàm fragili loco
Starent superbi, columen euersum cecidit
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor:
Ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia.

Reges debent esse humiles, ex Thyeste Senecæ.

Vos quibus rector maris atq; terræ
Ius dedit magnum necis atq; uitæ,
Ponite inflatos, tumidosq; uultus:
Quicquid à uobis minor extimescit,
Maior hoc uobis dominus minatur:
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies uidit ueniens superbum,
Hunc dies uidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis:
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho

Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauenteis,
Crastinum ut poßet sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine uersat.

Seruientem regi impudentem esse necesse est.

Ex Hippolyto Senecæ.

Verecunda inutilis aulico. Aureus versus.

Haud est facilè mandatum scelus adire,
Verum insta: qui reges timet,
Deponat, omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regij imperij pudor.

Magna pericula regibus impendent:

Ex Oedipode Senecæ.

Quisquam ne regno gaudet? O fallax bonum,
Quantum malorum quàm fronte blanda tegis?
Vt alta uentos semper excipiunt iuga,
Rupemq; saxis uasta dirimentem freta,
Quamuis quieti uerberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa fortunæ subiacent.

Regis ad exemplum subditi uiuunt: ex Claudiano, de quarto Honorij consulatu.

Tyrannorũ est terrere.

Qui terret, plus iste timet, sors ista Tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortesq; trucident,
Muniti gladijs uiuant, septiq; uenenis,
Ancipites habeant artes, trepidiq; minentur:

Officiũ boni regis.

Tu ciuem patremq; geras, tu consule cunctis.
Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica uota
In commune iubes: si quid, censesq; tenendum
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre uetat, quum uiderit ipsum
Authorem parêre sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe uulgus,
His tamen effectis, nec fastidire minores,
Nec pete præscriptos homini transcendere fines.

L. digna vox C. de const. Princ.

Ex Hippolyto Senecæ. *Aula fraudulenta.*

Fraus sublimi regnat in aula.

Ex Hercule furente.

Inuidiam pati ars prima regni.

Ars prima regni est posse inuidiam pati.

Ex Troade Senecæ.

Patria liberis preferenda.

Est regis alti, spiritum regi dare.
Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
Præferre patriam liberis regem decet.

Regis est, fortunam ferre: ex Seneca.

Fortunæ terga dare est fœmineũ.

Quid iuuat coniunx mala
Grauare questu? regium hoc ipsum reor
Aduersa capere, quoq; dubius magis
Status, & cadentis imperij moles labat.
Hoc stare certò preßius fortem gradu:
Haud est uirile, terga fortunæ dare.

Amari regem magis decet, quàm metui.

Ex Octauia Senecæ.

N. *Ferrum tuetur principem.*
S. *Melius fides.*
N. *Decet timeri Cæsarem.*
S. *At plus diligi.*
N. *Metuant necesse est.*
S. *Quicquid exprimitur, graue est.*
N. *Iußisq; nostris pareant.*
S. *Iusta impera.*

Summa virtus quæ sit in rege. August. Cæsar.

Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo,
Hæc summa uirtus: petitur hac cœlum uia.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis Deus.

Augusti dictum. Nolle se nocentibus imperare, imperium depositurum si Reipublicæ se esse principem non expediret.

Deo gratum interimere Tyrannum.

Ex Hercule furente Senecæ.

Rex iniquus.

Victima haud ulla amplior
Potest magis optima mactari Ioui,
Quàm rex iniquus.

Quid regem faciat, ex Thyeste.

Quis uos exagitat furor,
Alterius dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi artium,
Regum quo iaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non uestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes:
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquàm stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.

Audi obsecro.

Qui tuto positus loco,
Infra se uidet omnia,
Occurritq; suo libens
Fato, nec queritur mori,
Mens regnum bona poßidet.

Qui sit verus rex.

Rex est qui metuit nihil,
Hoc regnum quisq; sibi dat:

Lubrica aula.

Stet quicunq; uolet, potens
Aulæ culmine lubrico.
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leui perfruar otio:
Nullis nota Quiritibus,
Aetas per tacitum fluat,
Sic cum transierint mei,
Nullo cùm strepitu dies,
Plebæus moriar senex.

Cœlius lib. 14. cap. 12. Ennius.

Nulla sancta societas, nec fides regni est,
Omnisq; potestas impatiens consortis erit.

Seneca.

Seneca.

Regnum non duos capit: neq; mundus duos soles.

Reges omnia timent, ex Thyeste Senecæ.

Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nosse tremuêre gentes,
Cuius ad nutum posuêre bella,
Medus & Phœbi propioris Indus,
Et Dacæ Parthis equidem minanti,
Anxius sceptrum tenet, & mouentes
Cunctas diuitias, metuitq; casus
Mobiles rerum, dubiumq; tempus.

Casus rerum mobiles.

Viues in Epistola ad Henricum Angliæ Regem.

Magnum regni columẽ sunt amici prudentes ac liberi, quibus moderata potentia sustentatur: Rexque siue prudentiæ verecundia, siue melius suadentis monentisq; oratione atq; authoritate, sese ad studia virtutis cõuertit, tũ populo vtitur sui simili, hoc est optimo: regnũq; quietum agit, minimè studiosum rerũ nouarũ.

Respublica firma, ex Persa Plauti.

Quid id quod vidisti, vt munitum muro tibi visum est oppidum? si incolæ benè sunt morati, pulchrè munitum arbitror, perfidia & peculatus ex vrbe & auaritia si exulant, quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio, septimũ periurium, octaua indiligentia, nona iniuria, decimum quod pessimum adgressu, scelus. Hęc nisi vnde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum fit.

Multi regna non reges colunt: ex ultima Tragœdia Senecæ.

Tu quicũq; es, qui sceptra tenes, licet omne tua vulgus in aula centũ pariter limina pulset: cùm tot populis stipatus eas, in tot populis vix vna fides. Pauci reges non regna colunt: Plures fulgor conuocat aulæ: cupit hic regi proximus ipsi, clarusque latas ire per vrbes: vrit miserum gloria pectus, cupit hic gazis implere famem: Colit hic reges, calcet vt omnes, perdatq; aliquos, nullumq; leuet, tantùm vt noceat, cupit esse potens.

Lodouicus Viues in Epistola ad Henricum Regem Angliæ, 8.

Regi malo mali sunt subditi: inter malos verò cõcordia haud diuturna. Quum princeps superbè imperat, subditi contumaciter parent. Malos regere acerbissimum est: Acerbius etiam si rector ipse sit malus, nec vlli parent libentius quàm boni bono. Ergo regni vinculum maius aut firmius nullum est, quàm bonitas: Nam imperia dura, aut immoderata citò dissoluuntur, magisq; violenta sunt quàm duratura, quoniã nihil stabile principem cum subditis coniungit, nec aliud ad disiunctionem expectatur, q̃ occasio. Nullum animal inuitum retinetur perpetuò, si liceat effugere: nihilq; magis à coacto laboratur, quàm vt certissimè quicquid remoratur, abrumpat. Maximum est animorum glutinum inter bonos, nec secus bonus vir obnũ imperantem audit quàm seipsum. Quapropter illud in primis est sapienti principi laborandũ, quiq; sempiternum imperium, & ipse dum viuat possidere, & hæredibus tradere per manus cupit, vt se ac suos bonos faciat, ipseq; sit gubernandi peritissimus, & parére modeste atq; obedienter subditos doceat.

Malo regi mali subditi. Bonitas maximum regni vinculum. Imperia violenta non diuturna. Disiunctionis occasio.

Inter bonos maximum glutinũ.

Officiũ principis boni.

Musonius, quod oporteat etiam reges Philosophari.

Ne tibi persuadeas, cuiquam esse magis quàm tibi philosophandum: nec id aliam ob causam magis, quàm quia rex es. Est enim regis posse homines conseruare, ac beneficijs afficere: Id aut facturo scire necessarium fuerit, quid homini bonum, aut malum sit, quid iuuet, quid obsit, quid vtile, aut inutile. Siquidem pereunt, qui in mala incidunt: seruantur qui bona consequuntur, & beneficijs obstringuntur, qui his digni iudicantur, quæ iuuent, vtiliaq; sint: contra malè afficiuntur, qui indamnosa atq; inutilia impelluntur. Quid sit autẽ bonum aut malum, vtile aut inutile, quid conferat aut obsit, non alterius est discernere, q̃ philosophi: quippe qui in eo ipso cõtinuè versatur, huic vni rei studet, vt percipiat, quicquid ad hominis felicitatem, aut infelicitatem pertinet. Constat igitur, philosophari regem oportere.

Bonum. Vtile.

Prætereà decet, aut potiùs necesse est, regem ita subditis iura administrare, vt ne quispiam plura quàm par sit, aut pauciora consequatur, sed vt mereatur vnusquisq;, ita vel honore vel pœna afficiatur. Quomodo autem quispiam hæc, iustitia non præditus efficeret? iustus verò quo pacto quis esse poterit, si iustitia quid sit ignoret? Est igitur rursus regi & hanc ob causam philosophandum: nec enim absq; philosophia iustitiam, iustumque tenere vnquàm existimabitur. Etenim haud dici potest, quod qui didicit iusta, non magis ea intelligat, quàm ille qui non didicit: neque quod non sint huiusmodi rerum imperiti omnes, qui nunquàm philosophati sunt: Quò fit, vt homines inter se contendant, ac digladientur, dum alij alia iustiora esse asserunt. Certè super illis, quę sciunt homines, non solent dissentire homines: neq; enim de albis, nigris, calidis, frigidis, mollibus, aut duris cõtendunt, sed de huiusmodi eadem omnes sentiunt & loquuntur. Quare etiam de iustis consentirent similiter, si nossent ipsorũ naturam: sed interim dum concordes non sunt, ignorantiam suam arguunt. Nec tu quidem (vt mihi videtur) huius inscitiæ es expers. Quapropter huic cognitioni operam dare debes magis,

Iustitia.

Temperantia.

magis; quàm alius quispiam, idque tanto diligentius, quanto turpius est, regé quàm homines priuatam iusticiam ignorare.

Temperantia.

Ad hæc tum regem ipsum temperantem esse oportet, tum subditos eiusmodi reddere, vt & ipse modestius imperet, ac subditi pareant decentius, neutri autem delicientur. Perniciosa enim est voluptas & principi, & priuatis omnibus. i. λυμαντικὸν γὰρ ἄρχοντός τε καὶ ἰδίου τοῦ παντὸς ἡ τρυφή. Quo autem pacto quispiam aut ipse temperans erit, cùm imperare cupiditatibus haud didicerit? aut quomodo luxuria diffluens alios reddet temperatos? quæ verò scientia, pręter philosophiam, ad temperantiam perducat, nulla est: hæc enim voluptatem & auaritiam vincere, frugalitatem diligere, luxum & sumptus declinare docet: verecundiam seruare, linguamq; compescere adsuefacit, modum, ordinem, elegantiam, & honestatem parit: denique decorum in gestu habituque conciliat: quæ cũ homini insunt, eum grauem ac temperantem reddunt. Quapropter & rex ita instructus, maximè Deo similis & venerandus existit. καὶ δὴ καὶ βασιλεὺς οὕτω ὑπάρχει ταῦτα μάλιστα ἂν εἴη θεοπρεπής τε καὶ αἰδοῦς ἄξιος. Vt autem quis intrepidus sit, audens, & minimè formidolosus, id pręstat fortitudo, quæ nemini vtiq; inesse potest, qui in morte ac labore nihil inesse mali sibi non constanter persuaserit. Hæc etenim mors inquàm, & labor homines perterrefaciunt, & à mente deturbãt, cũ pro malis habentur? Quod autem mala non sint, sola docet philosophia. Quare si fortitudo regibus est acquirenda, vt omninò est, præ omnibus studijs philosophari debent, cùm fortes aliter euadere non valeant.

Fortitudo.

Eloquentia decet etiam reges.

Est item si quid aliud, & hoc maximè regum, dicendi facultate minimè superari, & haud secus oratione colloquentes, quàm armis hostes vincere: nam si in hac re inualidi reges fuerint, necesse erit, vt quàm sæpissimè seducantur, & falsa pro veris admittant: quòd imprudentiæ extremæq; indicium est ignorantiæ. At nescio an philosophia quicquam magis mortalibus largiri soleat, quàm vt ne oratione superentur, falsaq; à veris discernant, hæc affirment, illa redarguant.

Boni magistratus aut principis est, Iustis esse æquum, malis uerò hostem, & porrò utramq; partem audire, atq; postea rectè iudicare.

Euripides in Sylco.

Iustis quidem æquus & iustus, malis uerò
Omnium maximus hostis in terra.

Idem in Heraclidis.

Quisnam de causa iudicaret, aut sententiam ferret,
Priusquàm utriusq; sermonem euidenter audierit?

Idem.

Ego illum, qui iniustitia infamis
Ad aram aßidet, lege neglecta,
Adducerem ad pœnam dandum, nihil metuens Deos:
Nam uirum malum semper malè affici conuenit.

Menander.

Qui prius condemnauerit, quàm causam luculenter audiuerit: is malus est, quia malè credidit.

Apollodorus Atheniensis Comicus.

Oportet auditorem & re uera prudentem Iudicem,
Antequàm narretur sermo, uitam considerare
Dicentis, qualis nam sit, cuias, & summam studij
A puero sui quorsum direxerit. Qui enim est proditor
Sui ipsius, & malus ætatis ac formæ suæ custos,
Talis in primis ciuitatem totam pessundat:
Nec enim turpe putãt, huiusmodi homines repulsam pati
Cùm nihil non audeant, dudum namq; pudorem
Omnem exuerunt apud alias fores.
Itaq; aggreditur omnia impudenter
Quilibet ipsorum, audax est, undequaq;
Mentitur, peierat, testatur, rabulam agit,
Furatur, publicanus est, dissolutus ac ignauus: tandẽ uerò
Si non ciuitatem, certè tribum suam paulatim euertit.

Lysias Orator. Iudicantes eadem mente prȩditos esse decet, qua legis latores.

Antiphon.

Si peccandum sit iniustè, reum absoluere, quàm iniustè perdere, melius fuerit: illud enim quidem peccatum est, hoc verò impietas.

Plutarchus in libello de Iside.

Thebis iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculi conniuent, eò quod iusticia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.

Plato in Demodico.

Quo pacto quispiam aut ius rectè dicere, aut homines decenter iudicare posset, qui nó vtrũque aduersariorum audierit? Sermones enim, quemadmodũ purpura & aurum melius dijudicantur, si conferas inuicem. Nam qua gratia vel dicendi tempus aduersariorum vtriq; conceditur, aut cur iudex vtrosq; se similiter auditurum iurat, nisi existimasset legislator caussas hoc modo iustius ac melius à iudicibus posse iudicari? Tu verò mihi videris ne vulgare quidem istud dictũ audijsse: μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. id est. Iudicium nó antè fe ras, quàm audiueris ambos. Atque hoc non celebraretur ita, nisi rectè decenterque dictum esset: Consulo itaq; tibi, dixit, in posterum ne tam præcipitanter homines aut reprehendas, aut collaudes.

Sententia Græca.

Τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος, τοῖς δὲ αὖ κακοῖς
Πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.

Vtraq;

Vtraq; pars audienda.

Τίς ἂν δίκην κρίνοιεν, ἢ δοίη λόγον,
Πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν, μῦθον ἐκμάθησα φῶς.

Idem.

Ἐγὼ γὰρ ὅστις μὴ δίκαιος ὢν ἀνὴρ,
βωμὸν προσίζει τὸν νόμον χαίρειν ἐῶν,
Πρὸς τὴν δίκην ἄγοιμ' ἂν οὐ τρέσας θεούς:
Κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί.

Græca sententia Menandri.

ὁ προκαταγινώσκων δὲ πρὶν ἀκοῦσαι σαφῶς.
αὐτὸς πονηρός ἐστι, πιστεύσας κακῶς.

Græca sententia Apollodori.

Δεῖ τὸν ἀκροατὴν, καὶ συνετὸν ὄντως κριτὴν
Πρὸ τοῦ λεγομένου τὸν βίον διασκοπεῖν,
Ποῖός τις ὁ λέγων, καὶ πόθεν, καὶ τὴν ἀκμὴν
ἐκ παιδὸς αὐτοῦ πρός τε καταθέμενος.

Cheremon.

Σοφῶν γὰρ ἀνδρῶν τὰς ἁμαρτίας καλῶς
Κρίνειν, τὸ δ' εἰκῆ, καὶ μετὰ σπουδῆς κακόν. id est.
Sapientũ est uirorũ, peccata diligenter et rectè iudicare:
Quod autem temerè ac negligenter fit, malum est.

Euripides in Auge.

οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τῆς δίκης
ἐστί τοι καλὸν τοὺς κακοὺς κολάζειν. id est.
Misericordia digni sunt, non malefici, sed probi homines:
Malos homines castigare bonum est.

Pindarus Lyricus poëta.

ἐπηρεάζοντα τι καὶ παθεῖν ἔοικε. id est.
Contumeliosè quidpiam agentem pati quoq; conueuit.

Plato in Gorgia.

Οὐκοῦν τὸ δίκην διδόναι μεγίστου κακοῦ ἀπαλλαγὴ ἦν πονηρίας, ἦν γὰρ, σωφρονίζει γὰρ πως, καὶ δικαιοτέρους ποιεῖ, καὶ ἰατρικὴ γίνεται πονηρίας ἡ δίκη. id est.

Ergo maximi criminis pœnam dare, à malicia liberari est. Sic est, facit enim modestiores, iustioresq; ipsa pœna, & improbitatis pœna fit.

Euripides in Palamede.

Στρατηλάται δ' ἂν μύριοι γενοίμεθα,
Σοφὸς δ' ἂν εἷς τις, ἢ δύ' ἐν μακρῷ χρόνῳ. id est.
Imperatores quidem innumeros fieri licet,
Sapientem uerò uix unum aut alterum longo tempore.

Idem in Archelao.

ἔχει δὲ καὶ τοῦτ' ἔστ' οὐχὶ μικρὸν εὐγενὴς
ἀνὴρ στρατηγῶν, εὐκλεᾶ τ' ἔχων φάτιν. id est.
Hoc etiam non paruum decus est nobili
Viro, si fuerit imperator, & gloriosum inde nomen consequatur.

Idem in eadem Tragœdia.

Ὀλίγον ἄλκιμον δόρυ κρεῖσσον στρατηγοῦ μυρίου στρατεύματος. id est.

Exigua hasta valida potior est, quàm dux infiniti exercitus.

Idem in Erechtho.

Ὡς σὴν θεοῖσι τοὺς σοφοὺς κινεῖν δόρυ
Στρατηλάτας χρὴ, τῶν θεῶν δὲ μὴ βίᾳ. id est.
Cum dijs mouere hastam sapientes
Duces oportet, non autem præter ipsorum uoluntatem.

Idem in eadem Tragœdia.

Odi cùm quis imperator in regione
Non omnibus ubiq; leuia adhibuerit remedia:
Non enim factis ipsis, aut rebus succenseré oportet,
Quum nihil aliud inde sit utilitatis futurum:
Sed res si rectè instituantur, feliciter succedent.

Idem in Timeno.

Τὸ δὲ στρατηγεῖν τοῦτ' ἐγὼ κρίνω καλῶς
Γνῶναι τὸν ἐχθρὸν, ᾗ μάλιστα ἁλώσιμος. id est.
Imperatoriam artem in hoc sitam esse puto, ut benè
Cognoscas hostem, quo maximè pacto poßit capi.

Ibidem.

ἄρξεις ἄρ' οὕτω χρὴ δὲ τὸν στρατηλάτην
ὁμῶς δίκαιον ὄντα ποιμαίνειν στρατόν. id est.
Sic quidem imperabis: Oportet autem imperatorem
Simul existentem iustum regere exercitum.

Idem in Phœnißis.

Ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης. i.
Cautus imperator præferendus est audaci.

Idem in Helena.

ἴσθι τὸ τολμᾶν ἀδύνατ', ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ:
Δοκῶ μὲν οὐδείς. id est.
Nosti quod audere impoßibilia, uiri sit non sapientis,
Videtur enim nullus.

Xenophon de dictis ac factis Socratis.

Minima imperandi pars est, posse instruere aciem: Sed imperatorem & præparandi ea quæ ad bellum conferant, expertum esse oportet, & ad victum militibus necessaria reperiendi, machinandi & operandi. Et ad hæc diligentem eum esse necesse est, corpore patientem, prudentem, mitem, durum, simplicem, insidiatorem, cautum, furem, liberalem, rapacem, donãdi plus quàm habendi amatorem, tutum, & alios aggredi aptum: Cæteraque multa sunt, quæ tum natura, tum doctrina illum habere oportet, qui benè imperaturus sit. Bonum verò est, aciem etiam ordinare scire: multò nanq; differt ordinatus, ab inordinato exercitu. Quemadmodum enim lapides, lateres, ligna, & tegulæ, inordinatè quidem proiecta ad nihil vtilia sunt: cùm verò ordinentur deorsum & sursum, neque putrefiunt, nec fluunt lapides ac tecta. In medio autem lapides & ligna, quem admodum in ædificijs componuntur, tum domus res pluris æstimanda efficitur. In bello autem primos & vltimos ordinare oportet, qui fortitudine excellant, in medio verò peiores, vt à primis ducantur, ab vltimis verò impellantur.

Ibidem.

Quare Agamemnon populorum pastor dictus.

Qua de causa, inquit, arbitraris Homerum nuncupasse Agamemnonem ποιμένα λαῶν, id est, Pastorem populorum? Nónne quoniam, quemadmodum pastorem oportet curare, vt saluæ sint oues, ac habeant vnde viuant: sic etiã imperatorem curare necesse est, vt exercitus saluus sit, illudq; perficiat, cuius rei gratia militat? Militát verò, vt hostibus superatis feliciores ipsi sint, cũr namq; ita laudasset Agamemnonem, atq; vtrumq; eũ appellasset, regemq; bonum, militemq; robustum, ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής. Nisi quòd probet illum esse militem fortem, qui non solùm aduersus hostes fortiter luctetur, sed omni etiam exercitui huius causa sit: regemq; bonum, qui non solùm benè regeret se, sed etiam illis, quos regat, felicitatis causa sit. Rex namque eligitur, non vt suijpsius causa agat, & curam habeat, sed vt per ipsum, qui eum elegerunt, in felicitate degant. Similiter militant omnes homines, vt quàm optima vita fruantur: imperatores præficiunt, vt ad hoc eos conducant. Oportet igitur imperatorem prospicere, vt hoc idem eligentibus conferat: nec etiam aliud melius isto facilè est reperire, nec contrario turpius. Et ad hunc modum considerans, quæ sit boni præfecti virtus, cætera quidem auferebat, illud autẽ relinquebat; videlicet, vt felices efficiat illos, quorum quisq; dux effectus est.

Ibidem paulò pòst.

Boni imperatores sunt, qui boni patresfamiliâs: & eorum officium est commune, subditos sibi obedientes facere, & præcipere cuilibet, quæ facere sciat: bonos premijs afficere, malos autem pœnis. Id est: Καὶ μὲν τὸ τοὺς κακοὺς κολάζειν καὶ τοὺς ἀγαθοὺς τιμᾶν. Socios autem atque auxiliares acquirere, custodire res suas, circa eas & diligentes ac industrios esse.

Plutarchus in libro, An seni administranda sit Respublica.

Rhetores Athenis Iphicrati, & Timotheo adductum Charetem hominem robustum ostendebant, atque talem imperatorem constituendum volebant: Timotheus autem, non per Deos, dixit, sed talis ille sit, qui imperatori gestaturus est stragula: Imperator verò tum quæ ante ipsum, tum quæ à tergo sunt, prospiciat.

Epaminundas Thebanus magno & egregio exercitu conspecto, sed sine duce: quanta belua, dixit, absq; capite, id est.

ἰδὼν στρατόπεδον μέγα, καὶ καλὸν στρατηγὸν οὐκ ἔχον, ἡλίκον ἔφη θηρίον, καὶ κεφαλὴν οὐκ ἔχει.

Antigonus olim hostibus ingruentibus cedens, dixit, se non fugere, sed vtilitatem retrò sitam persequi. Id est: ὑποχωρῶν τοῖς πολεμίοις ἐπερχομένοις, οὐκ ἔφη φεύγειν, ἀλλὰ διώκειν τὸ συμφέρον ὀπίσω κείμενον.

Erasmus lib. 5. Apophtegmatum.

Iphicrates in sociorũ agro castrametatus, cũ vallum extrueret, & fossam pararet, obijcienti, quid est, quod metuamus? dixit: nulla deterior vox imperatoris esse potest, quàm non putabam, id est.

τί γὰρ φοβούμεθα χειρίστην, ἔφη, φωνὴν στρατηγοῦ εἶναι τὴν, οὐκ ἂν προσεδόκησα.

Eundem cùm Rhetor quidam in concione interrogaret: quísnam esset, quod adeò se efferret, num eques, aut grauis armaturæ miles, id est, ἢ ὁπλίτης, aut sagitarius, aut peltam gerens? nihil horum sum, dixit, sed istis omnibus imperare noui: Sentiens esse pulchrius bonũ præstare ducem, quàm quemuis militem. Erasmus ibidem, & Ioannes Stobæus in sermone secundo de imperatoribus. Dux bonus.

χαβρίας Atheniensis optimos imperatores esse dixit, qui res hostium notissimas haberent. Id est: ἔλεγε κάλλιστα στρατηγεῖν τοὺς μάλιστα γινώσκοντας τὰ τῶν πολεμίων. Erasmus libro quinto Apophtegmatum.

Idem dicere solebat, formidabiliorem esse ceruorum exercitum, duce leone, quàm leonũ, duce ceruo: Sentiens totam belli fortunam pendere à virtute prudentiaq; ducis. Idem Erasmus præallegato loco. Philippo Macedonum regi à Stobæo ascribit.

Thucydides lib. 3. in concione Cleonis.

Quicunq; imperator consilijs contra hostes iuuat, potior est, quàm qui ipsos sine prudentia pugnandi robore aggreditur.

Pyrrhus Epirorarum rex, cùm quidam inter pocula quærerent: vtrum Antigenidas, aut Satyrus melior esset tibicen: Mihi sanè, dixit, præstare videtur dux Polysperchion: innuens quæri oportere non inutilia, sed necessaria. Id est: διδάσκων ὅτι ἀναγκαῖα δεῖ ζητεῖν, καὶ ἄχρηστα.

Hannibal cùm audisset Stoici cuiusdam argumenta, quibus probaret solùm sapientem imperatorem esse, risit: Existimans fieri non posse, vt militaris scientia paretur sine vsu, & experientia in rebus ipsis. Id est: ὁ σοφὸς μόνος στρατηγός ἐστιν, ἐγέλασε νομίζων ἀδύνατον εἶναι, ἐκτὸς τῆς διὰ ἔργων ἐμπειρίας τὴν ἐν τούτοις ἐπιστήμην ἔχειν.

φίλιππος ἔλεγε κρεῖττον εἶναι στρατόπεδον ἐλάφων λέοντος στρατηγοῦντος ἢ λεόντων, ἐλάφου στρατηγοῦντος.

Pyrrhus ad quendam promittentem se traditurum, & aciem instruendi artificium, qui tamen in acie nunquam fuerat, dixit, non opus sibi esse imperatore, cuius aures tubæ sonus nunquam circumierit.

Timotheus quærenti, quid inter imperatoriam

riam artem, & oratoriam discriminis esset: idẽ, dixit, quod inter bellum & pacem.

Nihil omnium difficilius est, quàm rectè imperare & præesse alijs.

Eudamidas, cùm philosophus quidam solũ sapientem bonum esse imperatorem asseruisset, dixit: mirabilis quidem oratio est: is verò, qui loquitur, nunquam circa se clasſicum tubæ sonum expertus est, id est.

φιλοσόφου διαλεχθέντος ὅτι μόνος ἀγαθὸς στρατηγὸς, ὁ σοφός ἐστὶν, ὁ μὲν λόγος ἔφη. θαυμαστὸς, ὁ δὲ λέγων οὐ περιέσε σάλπιγκται.

Probauit sententiam, sed indicauit cum fide loqui de re, quam nullo modo sit expertus. Stobæus in sermone de imperatoribus. Et Erasmus lib. 1. Apophtegmatum recenset.

Imperium nescit pietatis iura.

M. Cicero lib. 3. Officiorum scribit, Iulium Cæsarem hos versus ex Euripidis Phænissis semper habuisse in ore:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Hos ipse vertit hoc pacto.

Nam si uiolandum est ius, regnandi gratia
Violandum est, alijs rebus pietatem colas.

Erasmus lib. 2. Apophtegmatum.

Difficilè est imperare.

Diocletianus adhuc priuatus dicere solet, nihil esse difficiliùs, quàm imperare. Id Flauius Vopiscus in Aureliano tradit se audiuisse à patre suo, & addunt causam: Colligunt, inquit, se quatuor aut quinq; simul, consilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit; Imperator qui domi clausus est, vera non nouit, cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri nõ oportet. Amouet à Repub. quos debet retinere. Ita, vt dixit Diocletianus, bonus, cautus, optimus venditur imperator. At vulgus ad imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci vtcunque, eligi emptis suffragijs, ac solennibus cæremonijs confirmari. Erasmus lib. 6. Apophtegmatum.

Scipio Maior postquàm Carthaginem armis cœperat, milites quidam virginem eleganti forma captam adduxerunt, eique tradiderunt: Hic ille, libenter acciperem, inquit, si essem priuatus, non imperator. Iuuenis insigni puellæ forma corrumpi non potuit, quo minùs meminisset, quid deceret imperatorem. At multi hodie sunt, qui ob hoc ipsum sibi credunt tum licere, tum decora esse omnia, quod sunt imperatores.

Homerus in Iliade.

Magna etenim magni est excandescentia regis.
Insuper à Ioue uenit honos, sceptriq; potestas:
Et colit æterni regem Olympi.

Ibidem.

Vnius imperium optimum esse.

Multorum imperium multa est confusio semper;
Multi sunt damno domini: rex unicus esto.
Vnius sit princeps populum ditione gubernans;
Cui dedit imperij sceptrum Saturnius ingens.

Ibidem.

At rex ipse tuis prudenter consule rebus:
Consilijs pare alterius quoq; recta monentis.

Prouerbium Græcum.

Πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν. id est.
Multi imperatores perdiderunt Cariam.

Adrianus Cæsar moriturus dixit illud vulgatum: Turba medicorum perdidit Cæsarem; Id est: Πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλέα ἀπώλεσαν. Atqui & hodie verum est, turbam medicorum multis esse causam mortis. Erasmus libro 6. Apophtegmatum.

Antigonus rex cõspiciens filium suum eos, in quos habebat imperium, ferocius tractantẽ atque insolentius: An ignoras fili, inquit, regnum nostrum esse splendidam seruitutem? Nihil dici potuit cordatius: nam princeps non minùs obseruire cogitur populo, quàm populus principi: nisi quod princeps id facit cum dignitate, alioqui reuera mutua est seruitus. Idẽ Erasmus lib. 4. Apophtegmatum.

Adrianus Cæsar in senatu frequenter dicere solebat, se sic gestaturũ principatum, vt sciret rem populi esse, non suam priuatam: Nimirum attigit hoc, quod vnum distinguit regem à tyranno. Erasmus lib. 6. Apophteg.

Idem imperator creatus adeò contempsit inimicos, vt vni, quem habuerat capitalem, fortè obuio, dixerit, euasisti. Principibus in priuatis offensis debet esse satis, potuisse vlcisci. Idẽ eodem loco.

Princeps obseruare leges suas debet.

Augustus legem tulerat de adulteris, quomodo iudicandi essent de hoc crimine delati, & quomodo puniendi conuicti. Pòst iræ impotentia irruit in adolescentem delatum, quòd cum Iulia Augusti filia commercium habuisset, cumq; manibus verberauit. At cùm adolescens exclamasset; Legem tulisti, ô Cæsar, adeò facti pœnituit Cæsarem, vt eo die recusaret cænam capere. Crimen per se graue erat, tum admissum in Cęsaris filiam. Quis princeps ibi dolori suo obtemperaret? Aut quis ibi legum iudiciorumq; moras expectaret? At tantus princeps sibi adeò displicuit, vt à seipso pœnas sumeret, quod legi, quam alijs propiderat, non per omnia paruisset.

Princeps aditu facilis sit.

Adrianus cuidam ipsi libellum trepidè porrigenti, qui manum nunc proferret, nunc retraheret: quid, inquit, an putas te assem dare

elephanto? Solent enim pueri minimos numos elephanto porrigere, quos ille non sine spectatorum admiratione proboscide sic corripit, vt pueri manum non lædat. Sic videmus pueros & in vrsorum rictum manum inserere, non sine metu, ita molestum erat optimo principi, quod timeretur. Erasmus libro 4. Apophtegmatum.

Optimo iure laudibus vehitur illa vox Traiani, qui amicis incusantibus, quòd parum memor imperatoriæ maiestatis, nimium esset omnibus expositus, respondit: Talem præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. Erasmus lib. 8.

Ibidem.

Constantius Chlorus amicis admonentibus, quòd in augendo fisco videretur indiligentior, respondit, publicas opes rectius à priuatis haberi, quàm intra vnum claustrum reseruari. Bonus princeps, qui magis à suis diligitur, quàm timetur, habet quicquid ciues possident.

Theodosius iunior tam admirabili fuit ingenij lenitate, vt cùm ab amicis rogaretur, quãobrem neminem eorum, à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret: Vtinam, inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum, in ijs, qui lædunt Rempublicam, decet esse seuerum. Erasmus libro 8. Apophtegmatum.

Vopiscus in diuo Aurelio refert Apophtegma scurræ cuiusdam, qui dixerat, in vno annulo bonos principes omneis sculpi posse: sentiẽs esse magnum imperatorum numerum, sed in ijs perpaucos bonos.

Adrianus Cæsar in colloquijs etiam humilimorum mirè ciuilis erat, eosque detestari solebat, qui hanc humanitatis voluptatem ipsi inuiderent, hoc prætextu, quod dicerent principis maiestatem vbiq; seruãdam. Erasmus lib. 6. Apophtegmatum.

Impar imperio & principatui.

Adrianus Cæsar Commodum Aelium Verũ iterum consulem fecerat, eumq; imperio destinauerat: Quem cùm cerneret, nec corpore, nec animo satis validum, dicere solebat: in caducũ parietem inclinauimus, ac perdidimus quater milies. H. S. quod populo pro adoptione dedimus.

Idem dicere consueuerat sibi molestum esse, si quem videret tristem, cùm tamen omnes doctos quæstiunculis vexaret, sed vexatos donauit aliquo munere.

Illum transeuntem mulier quædam appellauit: Audi me Cæsar. Is cùm respondisset, non est otium: illa clamauit: Noli ergo imperare. Ad hanc vocem restitit, & audiuit mulierem. Erasmus lib. 6. Apophtegmatum.

Rex quidam, cuius nomen supprimitur, nominari alioquin dignissimus, cùm ipsi porrigeretur diadema, tenuit aliquãdiu manu, dixitq; ô nobilem magis quàm felicem pannũ, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis periculis, solicitudinibus, ac miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentẽ tollere dignetur. Idem lib. 6. Apophtegmatum.

Matthias Agricius in Epist. Principem decere uigilantem esse.

In primis autem Homerus, (quem alienæ laudis diligentem præconem fuisse constat) subinde fingit suum, πολύτροπον καὶ πολύμητον Vlyssem summa luce in varietate consiliorum magnorum versari, atque pro communi salute in tot ac tantis dimicationib⁹ multa prudentissimorum, & per omnis generis fortunæ vices exercitatorum ducum iudicio subijcere: mentem quoque ipsa cogitatione summorum virorum, populorumq; confirmare.

Moribus versatilẽ & cõsilijs varium.

Idem in sequentibus.

Nulla certè elegantior, nulla præstãtior laus viris principibus obtingere potest, quàm in Reipublicæ pulcherrimis muneribus, prudentium, minimeq; ineruditorum hominum dulci conuictu frui: tempora etiam (vt sunt alia alijs vel quibusque rebus conficiendis, accommodatiora) mitissima, & maximè oportuna consilijs capiundis, & in omnes partes versandis, adhibere.

Idem in Encomio Auroræ.

Agite igitur, agite ô Proceres, qui Reipublicæ splendorem, & decus sustinetis, eundem maturis consilijs, & antelucana deliberatione conseruate, conseruatam laudabili administratione exornate. Diluculo rerum controuersarum causas exacto iudicio versate, examinate & dirimite, ne vel mens cuiusquàm è sua sede ac statu dimota honesto anteponat vtile, vel inconsulta & temeraria animorũ affectione Respub. in grauem perturbationem cõijciantur. Quoties Respublicæ florentissimę præcipiti quorundam amentia turpe damnum senserunt? Quoties labefactatæ maturis prudentissimorum hominum consilijs restitutæ sunt? Eiusmodi exemplorum historiæ plenæ sunt. Rectis consilijs ceu neruis humana societas cõtinetur. Eadem dissoluta, perdita, & consiliorum inope licentia violatur, distrahitur, & peruertitur.

Sollicita omninò res principatus.

Δημοσθένης δυοῖν ἔφησεν δυσαιν τῆς μὲν ἐσὶ τὸ βῆμα, τῆς δὲ εἰς ἄδυ μᾶλλον ἂν ἑλέσθαι τὴν εἰς ἄδυ τὸν εὖ φρονοῦντα. id est.

Demo-

Graue dictum Demosthenis.

Demosthenes dixit, duabus vijs propositis, altera ad tribunal, altera ad inferos, prudentem virum præoptaturum esse eam, quæ ad inferos ducit.

Euripides in Plisthene.

Nec omne populo imperium committas,
Nec affliges ipsum, nimis tribuens diuitijs,
Nec uirum populo fidum unquam eijcias,
Neq; promoueas plus quàm tempus postulat:
Haud enim tutum est,
Ne tibi ex ipso fiat insignis tyrannus.
Adhæc prohibe illum, qui præter ius honoratur:
Praui enim feliciter agentes, morbus sunt Reipublicæ.

Id est:

Κώλυε δ' ἄνδρα παρὰ δίκην τιμώμενον:
Πόλει γὰρ εὐτυχοῦντες οἱ κακοὶ νόσος.

Idem Tragicus.

Ἀλλ' οὐ πρέπει τύραννον, ὡς ἐγὼ φρονῶ,
οὐδ' ἄνδρα χρηστὸν νεῖκος αἱρεῖσθαι κακοῖς:
τιμὴ γὰρ αὐτὴ τοῖσιν ἀσθενεστέροις. id est.
Atqui non decet regem, ut mihi uidetur,
Neq; uirum bonum, contendere cum improbis:
Istud est honori enim deterioribus.

Menander Comicus.

καλόν γε βασιλεὺς, τῇ μὲν ἀνδρείᾳ κρατῶν, id est.
Egregium quiddam rex est, qui fortitudine præcellit.

LIBERALITAS ET CLEMENTIA, *facilitas, & ueritas principem decent.*

Pontanus de principe.

Princeps, qui sese hominem esse meminerit, nunquam superbia efferetur, æqualitatem sectabitur, & cùm maximè è sententia cedere sibi videbit, tum maximè credet præesse rebus humanis Deum, cui superbia ipsa mirum in modũ displiceat. Nihil antiquius veritate ipsa principi esse debet: declarat id, quod à maioribus nostris sapientißimè institutum est, vt liber euangeliorum, quo diuina continetur veritas diebus singulis osculandus principi offeratur, cũ in re diuina adest, vt ex eo colendæ veritatis admonitus meminerit studiosißimum eius esse debere. In primis studere oportet, vt, qui te adeunt, facilem esse intelligant: nihil enim tam alienum est à principe, nec quod aliorum in se odium tantopere concitet, quàm asperitas, & ea quæ morositas dicitur: contrà verò, in omni vita maximè laudatur comitas grauitate tẽperata.

Summa etiam cura attendendum, vt iuridicundo præfecti, auaritia cæterisque malis libidinibus animum liberum atq; inuictum gerãt, ius quoq; ita prohibeatur, vt nullius rei acriorem, quàm legum ac liberalitatis defensorẽ se princeps ostendat: nihil nisi quod iustum & honestum sit, ab vllo exigat. Ex quo fortuna principum in edito & præclustri sita est loco, præbetque sese spectandum omnibus, studendum est, vt dicta factaq; illius omnia eiusmodi sint, quæ non modo laudem atq; autoritatem pariãt, sed & familiares, & populares ipsos ad virtutem excitent, ad quam nulla eos res magis excitabit, quàm spectata ipsis virtus, & mores quàm probatißimi. Prudentißimè igitur Claudianus poeta.

Iudices tales.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et prouerbij locum tenet idipsum: Dominus qualis sit, familiam ostendere.

Ibidem ad Alphonsum.

Si amari à familiaribus vis, si futuri boni regis expectationem concitare, id de te in primis præsta, vt non vni ex omnibus addictus viuas, quod maximè alienum est à principe, sed teipsum omnibus tanquam per vices partire, palam faciens vnum te esse, ad quem referri omnia & velis & debeant. Vt enim malè actum esset cum genere humano, si vni se Deus aut paucis admodum præberet exorandum: eodem modò malè cum principum regumq; familiaribus, si in tanta multitudine vni aut paucis admodum locus fidesque sit. Nullus enim familiaribus maior est dolor, quam vbi cum principe suo, veluti per interpretem agendum sit: Oportet enĩ, qui amari à suis & minimè peccare in Republica velit, plurimis oculis, pluribusq; auribus vtatur.

Iacobus Caldora dux ætatis suæ clarißimus dicere solebat, eo die multum se pecuniæ comparasse, quo multos audijsset: Cùm multum audire, maximos thesauros esse duceret. Vultus etiam bonus, & læta (vt dicitur) frons, incredile est quantum adiuuent: clarum nanq; est, dextera corpus pasci, animum vultu.

Principem in vmbra & plumis, vt aiunt, aßiduè agentem multa vitia necesse est circũ sistere, cùm voluptatem titillantium nutrix sit culcitra: cui morbo multum adijciunt secreta cubiculorum conclauia. Quamobrẽ rectè ab Horatio dictum est:

Ocium & reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

PRAVI ET STVLTI PRINCIPES *à Deo constituuntur propter nostram inobedientiam.*

Esaias cap. 3.

Et dabo adolescentes principes, & paruuli dominabuntur in eos. Auget infelicitatem ciuitatis, vbi pro optimis & prudentißimis malos & stultos magistratus sortita fuerit: id quod cõsentaneum est, vbi legum sanctio nulla manet, & contemnitur verbum Dei. Igitur inter calamitates mundi hæc etiam est non minima, vt præficiantur pueri magistratus, non ætate, neq; innocentia, sed sensibus pueriles, cõsilijs & factis nullam gerentes curam, nihil experti, temerarij,

merarij,& quales Roboam habebat cōsodales, nullam erga subditos habentes affectionem. Etenim sicut videmus pueros, quamuis parentes & fratres eorum mortui efferantur, equitare in arundine, ridere, ludere, ineptire: Ita stultis principibus omni tempore vacat ludere, venari, conuiuia, choreas, & ludicra certamina instituere, multaque inepta alia agere, quamuis pauperes & subditi opprimantur & pereant: & si quando veniunt & subsidium petunt, ridentur & contemnuntur, ablutiq; conuitijs multis abire in malam crucem iubentur, & non rarò in carcerem conijciuntur, non aliam ob causam, quàm quod dominos interpellarint. Nonnunquam suo sanguine tyrannis pœnam luunt, si occiderint vel ceruum, aprum, aut vrsum, etiā segetes depascentes. Isthæc non fiunt fortuitò, nec citra indignationem Dei.

Oseæ capite tertio dicit dominus: Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. Atq; hoc iustè propter inobedientiam nostram: quia enim obedire DEO nolumus, qui est rex & dominus noster, sicut dixit: Et ego eorum dominus ero. Iustum est, vt tyrannos & asperos dominos, vel stultos sortiamur. Sic Adam inobediens Deo factus, meruit ne vlla ei creaturarum obediret, fiere tq; ipsis iumentis contemptior. In tanta tyrannide non humiliabitur plebeiorum insania, sed omnes inuadunt proximos, & non expectata iudicis sententia, alius vim infert alteri: & sicut obedientiā reiecerunt, ita neque reuerentiam cuiquam exhibent. Innominatus autor in Esaiam, cap.3.

Deus dominatur principibus, & redigit in nihilum. Cor regis in manu Dei est: & qui hodie imperat centum prouincijs, cras in sepulchrum proijcitur, sicut Nabuchodonosor accidit. Quare igitur non magis timetur Deus, immò quare nō magis speratur in Deum, qui tam facilè tyrannos auferre ac tollere potest? Tanta est potentia Dei, vt principes ac iudices, & eos, qui potentissimi videntur, vnico nutu ita annihilet, quasi nunquam plantati, nunquam comparuissent super terram: nulla etiam posteritas eorum compareat: neque turbo aliquis tam facilè stipulā aufert, quàm ira Dei principes perdet: sola enim voluntate perdit. Idem in cap. 40. Esaiæ.

PRINCIPES HVIVS MVNDI
criminum suorum reprehensiones non ferunt.

Exemplum in Herode, Marci cap.6. Ideo crudeliter è medio tollunt bonos ac pios viros, arguentes iniusta ipsorum facta, & pro fideli admonitione pessimam reddunt gratiam. Ingrata est aulis veritas, quę nusquam minus locum habet: pro ea regnant adulatio, & calumnia, sicut hoc multæ præclaræ sententiæ, cùm sacræ, tum prophanæ testantur. Licet autem periculosum sit & minimè tutum arguere vitia principum, sed nihilominus recta facienda sunt, & arguenda mala pijs doctoribus, iuxta verbū Dei, quocunq; etiam res euadat, ne tacendo culpam alieni criminis in nos deriuemus.

Impij & mali principes regnis præficiuntur, propter peccata populi, Iob 34. cap. Prouerb. 28. Esaiæ 3. Et dabo pueros principes, & effœminati dominabuntur eis.

Eccles. cap. 10.

Væ terræ, cuius rex puer est, & principes manè comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.

Ibidem.

Rex insipiens perdet populum suum.

Insipiens prorsus gentem rex perdit & urbes:
Consilijs florent mœnia cuncta bonis.
In domini est conclusa manu terrena potestas,
Pro meritis reges addit & ille bonos.
Ipse Deus regum uires & sceptra tuetur,
Omnia ut auspicio prosperiora gerant.

Demosthenes contra Androcionem.

Eum, qui pro ciuitate aliquid agit, ciuitatis ingenium imitari decet: atque huiusmodi nobis, ô Athenienses, seruandi sunt: odio autem habendi, qui isti homini dissimiles fuerint. Siquidem qualescunque amare & seruare videbimini (quod fortè scientibus vobis dicam) talibus esse similes existimabimini.

Herodotus lib. 6.

φιλέει δὲ πῶς προσημαίνειν εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ, ἢ πόλει ἢ ἔθνει ἔσεσθαι. id est.

Signa ferè præcedere solent, quoties magna mala aut ciuitati, aut genti alicui imminent.

Polyenus Macedo, in libro de re militari.

Negotia publica ciuitatis omnium existimare oportet maxima, vt feliciter augeantur: neq; præter æquum contendere, ne potentiam sibi comparare priuatam, præter publicum bonum. Ciuitas enim prosperè agens, felicitas est maxima: in hac insunt omnia, hac salua cuncta seruantur, hac pereunte nihil non pessum it.

Aeschines contra Timarchum.

τὸν γὰρ τὴν ἰδίαν κακῶς οἰκήσαντα καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως παραπλησίως οἰκήσατο διαθήσει. id est.

Illum enim, qui in sua familia non benè vixit, in communibus quoq; Reipub. negocijs similiter versaturum existimabat.

Polyenus de re militari.

Vbi potentes ꝓ tenuioris fortunæ hominib. sumptū facere sustinent, eisq; ministrare & gratificari, ibi misericordię locus est, nullus ciuiū deseritur, mutua societas, defensio, & cócordia nascuntur, atq; alia bona tot tantaq;, vt nemo verbis exprimere possit.

IVRAMENTVM QVOD EPHOEBI *Athenis præstare solebant.*

Aristoxenus Pythagoricus, in lib. Apophtegmatum.

Non ignominia afficiam arma sacra, neque deseram meam Astitem: quo cùm victus fuero, dimicabo pro sacris & prophanis, siue solus, siue cum multis. Patriam non derelinquam, in deteriori statu, sed ampliori melioriq́; , quàm acceperim. Semper magistratus præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo, atq; alijs quibuscunq; plebis cõsensu decretis. Quòd si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare voluerit, non cõcedam, sed vlciscar tam solus, quàm cum pluribus. Sacra quoq; patria colam: horum Dij mihi testes & conscij sunto.

Aristoteles.

Omninò putandũ est, nihil tam esse malum, quàm est inobedientia: nec homines diu incolumes durari possunt, vbi nemo præest. De magistratu verò & subiectis ita sentiendum est: Magistratus quidem oportere non tantùm prudentes esse, verumetiã benignos: subditos verò non morigeros tantùm, sed amantes quoq; magistratuum.

Porrò singularum ætatum cura habenda, ita, vt pueri quidem in literis alijsq́; disciplinis exercerentur: iuuenes ciuitatis, morũ atq; legum diligenter essent studiosi: viri actionibus, publicisq́; muneribus incumberent: senes autem in meditationibus, iudicijs & consilijs prudentissimè versarentur. Sic futurum esse, vt pueri non habeant mores infantium, neq; viri iuuenile retineant ingenium: nec deniq; senes desipiant. Ad hæc adsuescendum, vt statim à puero alimenta certo ordine modoque sumantur, ex quo ordo ac modus vbiq; decorũ & vtilitatem adferũt: cõtraria verò vt turpia noxia sunt.

Matth. Agric. in locũ Hom. Iliad. 2. Οὐ χρὴ, etc.

Turpe est, inquit, virum principẽ totas dormitando traducere noctes, cui tot populi commissi, tot curæ incumbunt. Ita sanè est: Quid enim tam decet virum principem, quàm studia & consilia sua omnia in commune cõferre? eaq́; cura & vigilijs inquirere, quæ ad cõseruandam communis vitæ societatem pertinent? Vel hac sola nota Isocrates bonũ principem agnoscit, si priuatos affectus exuendo sese in commune consulere demonstret.

Idem de principe ebrio.

Καὶ λίβυς ἀλβάνῳ μεγαλήτωρ ὤλετ᾽ οἴνῳ
ὅς γέγον᾽ Αὐσονιδῶν δὴ μέγα δεῖμα πάζων,
Κοσμήτωρ, παζικῆς τε πελώριος ἕρκος ἀρούρης
Θωρυχθεὶς οἶνον πῶσ᾽ ὑπέραντλ᾽, ἔθανε.

Idem de insipiente principe.

Sin quisquam princeps, genus alto sanguine natum,
Huius lucentem + decoris fastidiat ortum
Heu quàm funestos uoluet facto agmine motus?
Heu quantas struet ille acies? quot funera lætho
Sternet sanguineo? quot bella exhausta ciebit?
Cædibus horrescet tellus imbuta cruentis.
Hinc coniuratis uolitans descendet ab aruis
Colluuies, grauis exuuijs, spolijsq́; coactis:
Et quando insurget rabies flagrante tumultu,
Tunc leges figet dubias, idemq́; refiget,
Exquirens culpas faciles, subigensq́; fateri
Iuraq́; confundet ferro temerata nefando,
Insontes cædet, pulsataq́; corpora franget
Indomito fastu: sic mens accensa furore
Percutiet matres: pendebunt oscula circum
Filioli, hi teneros uultus largo imbre rigabunt.
In mœrore trahent uitam, luctuq́; sepulti
Diffugient celeres multi, ab labentibus annis
Deserto explebunt inopem sub culmine uitam.
Pars ultro profugi terris iactentur & alto.
Vix sibi constabit nimio mens fracta dolore.
Pars patrijs moti tectis, uitamq́; perosi,
Damnabunt fatum infœlix, tenuesq́; penates:
Multa mouens animo furijs agitatus & ira,
Audebit quodcunq; nefas immane mouere,
Ibit Thisiphone furiarum pessima iuxtà
Attolletq́; facem subter, & præcordia condet.
Quis luctus uiduis homines in sedibus anget
Squallentes? at tu Diuûm pulcherrime Rector
Nobis indulges roseam quibus ætheris arcem,
(Nam tibi stellatæ seruit plaga lactea molis)
Adsis has furias, & monstra horrentia contra.
Da tantos motus, dirasq́; euadere pestes
Ne sic flamma uagos circumfusa explicet ignes:
Nec sic spumanti pinguescat sanguine terra
Cæde tepente madens, & sæuo ducta labore
Prælia mitescant, trepida & bella inuida clade:
Gaudia succedant, atq; artes pacis amicæ
Mentibus occursent tacitis, iam sanguinis (eheu)
Exhaustum satis est: dolor omnes tangit acerbus;
Qui ciet imbrem oculis madidum, & sub pectore mixtos
Planctus: tam dubij mira inconstantia casus.

Relatio græcè ἀναφορά. ας. ἡ & ἀναφορικὸς. οῦ. ὁ: relatiuus dicitur. Est autem relatio ordo vnius NANVS. rei ad aliam; secundùm B. Tho. in quęstionibus de potentia Dei, quæst. 7. art. 9. c.

Relatio à refero descendit, quod aliqd referat, sine quo nec ipsum quidẽ possit consistere, vt pater & filius, dominus & seruus: hæc quidẽ relatiua sunt, quia nec pater esse potest nisi filium habeat, nec dominus nisi seruum, & talis respectus (vt ita dicam) relatio vocatur.

RElIGIO græcè θρησκεία ας. ἡ. & θρῆσκος οῦ. ὁ. religiosus dicitur. Est aũt religio quæ superioris cuiusdã naturę, quã diuinã vocãt, curam cæremoniamq́; affert, secundũ Cic. lib. 2. Rhet.

Religio nihil aliud est, quàm cultus diuinus, secundùm August. lib. 10. de Ciuitate Dei.

Religio est, qua se anima vni Deo, vnde se pec-

cato

eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.

Lactantius Firmianus.

Apparet nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi vt abiectis vanitatibus & errore miserabili, Deum cognoscat, & Deo seruiat, nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis iustitiæ ad cultum religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, vt generati, nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solùm nouerimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit.

Idem lib.6 cap.2. & alibi.

Non enim religio cælestis constat ex rebus corruptis, sed ex virtutibus animi; quę oritur è cęlo, hic est cultus in quo mẽs colẽtis, seipsam Deo immaculatam victimã sistit. Quisquis igitur præceptis cælestibus obtemperauerit, hic cultor est veri Dei, cuius sacrificia sunt, mansuetudo animi & vita innocens, & actus boni: quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquod ac pium fecerit. Itaq; in aram Dei, quæ verè maxima est, quæ in hominis corde collata inquinari non potest sanguine, iustitia imponitur, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia: hic est verissimus ritus, hæc illa lex Dei, vt à Cicerone dictum est, præclara & diuina, semper quæ recta & honesta iubet, vetat praua & turpia, cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi, iustè, ac legitimè necesse est viuere, cuius legis pauca equidem capita in sequentibus ponam: si quis autem omnia comprehendere volet, ex fonte ipso petat, vnde riuus iste manauit.

Idem lib. de ira Dei, cap.11.

Religio esse non potest, vbi metus nullus est.

Isidorus in Synonymis.

Professionem tuam habitu & incessu demonstra, vt sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu grauitas, in incessu honestas.

Idem de summo bono libro 3.

Qui ad ostensionem sanctitatis prætendit, vt alijs quandoque præesse desideret, ille non est discipulus Christi, sed prauitatis sectator existit: quia non pro Deo sed seculi honore studet portare crucis laborem.

Isidorus & hab. dist. 81. cap. Valet.

Valet interdum conuersis pro salutæ suæ animæ, mutatio loci. Plerunq;.n. dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est ergo & inde etiam corporaliter euelli, vbi quisquis illecebris deseruiuit: nam locus vbi quisq; prauè vixerit, in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi quisq; cogitauit vel gessit.

Bernardus homilia 4. super Missus est.

Video (quod non parum doleo) post spretã seculi pompam, nõnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, & sub alis mitis humilisq; magistri grauius insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro, quàm fuissent in seculo.

Ibidem.

Pleriq; in domo Dei nõ patiuntur in cõtẽptu haberi, qui in domo sua nõ nisi contemptibiles esse poterant, vt qui videlicet vbi à pluribus honores appetuntur, ibi locum habere nõ meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.

Hugo de claustro animæ libro 3.

Abundans est pauperi religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, peruersis seuera, bonis optima, hæc sunt beneficia religionis.

Macrobius Saturnalium libro 3.

Religiosi sunt, q facienda & vitãda discernũt.

Valerius Max. lib.1. titu. de religione.

Tantum autem studium antiquis, non solùm seruandę sed etiam amplificãdę religionis fuit, vt florentissima tum & opulentissima ciuitate x. principum filij senatusconsulto, singulis Heturiæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traderentur.

Valerius Maximus libro 3.

Publica religione consecrata virtus, nulla priuata laudatione indiget.

Cicero libro .2 de legibus.

Ad diuos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amouento: qui secus faxit, Deus ipse vindex esto.

Ibidem.

Castè iubet lex adire Deos, animo videlicet in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cùm multum animus corpori præstet, obserueturq; vt casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id seruandum magis. Nam illud vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur, animi labes nec diuturnitate vanescere, nec manibus vllis elui potest.

Ibidem.

Affert enim hęc opinio religionẽ vtilem ciuitatibus: siquidem & illud benè dictũ est à Pythagora doctissimo viro: Tum maximè pietatẽ & religionem versari in animis, cùm rebus diuinis operã daremus. Et q̃ Thales, qui sapientissimus inter 7. fuit, Homines existimare oportere, Omnia quæ cernerẽt, deorum esse plena. Fore enim omnes castiores, velutiq; in fanis essent maximè religiosos. Est enim quædam opiniõe species deorum in oculis, non solùm in mentibus. Eandemque rationem luci habent in agris.

Ibidem.

Cùm consulerent Athenienses Apollinem Pythium

Pythium quas potiſsimum religiones tenerêt, oraculum editum eſt, eas, quæ eſſent in more maiorum: quò cùm iterum veniſſent, maiorũq; morem dixiſſent ſæpè eſſe mutatum, quæſiuiſſentq; quem morem potiſsimum ſequerentur è varijs, reſpondit, optimum. Et profectò ita eſt, vt id habendum ſit antiquiſsimum, & Deo proximum, quod ſit optimum.

Ibidem.

Pœna verò violatæ religionis iuſtam recuſationem non habet.

Cicero lib. 2. de Natura deorum.

Cultus autem deorum eſt optimus, idemq; caſtiſsimus atque ſanctiſsimus, pleniſsimuſque pietatis, vt eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.

Ibidem.

Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinent, diligenter retractarent, & tanquã relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo, vt eligentes ex eligendo, tanquàm à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes.

Idem lib. 1. de Diuinat. in fine.

Nec em̃ ſuperſtitione tollenda religio tollitur.

Ibidem.

Nam & maiorum inſtituta tueri, ſacris cærimonijsq; retinendis ſapientis eſt.

Ibidem.

Quamobrẽ vt religio propaganda etiam eſt, quæ eſt coniuncta cum cognatione naturæ, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes eijciendæ.

Iſocrates ad Dæmonicum ſerm. admonitorio.

πρῶτον μὲν ὄυν εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, μὴ μόνον θύων, ἀλλὰ καὶ τοις ὅρκοις ἐμμένων. ἐκεῖνο μὲν γὰρ τῆς τῶν χρημάτων εὐπορίας σημεῖον. τοῦτο δὲ τῆς τῶν τρόπων καλοκἀγαθίας τεκμήριον. id eſt.

Primum quidem igitur cole quæ ad Deos, non ſolùm ſacrificans, ſed iurijurandis permanens. Illud quidẽ enim pecuniarum abundantiæ ſignum, hoc autem morum probitatis coniectura.

Ibidem.

Τὸν μὲν θεὸν φοβοῦ. id eſt. Deum quidem time.

Periander.

εὐσεβείας ἔχε, id eſt. Religionem habe.

Menander.

θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρονῆς ὑπέρ θεα, id eſt.

Mortalis natus ne quæras ſapere ſupra diuina. Idem.

θεὸν σέβε, καὶ πάντα πράξεις εὐθέως. id eſt.

Deum cole, & omnia facias diuinè. Idem.

ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ λάλει καὶ μάνθανε. id eſt.

Pro religione & loquere & diſce.

Dantes Paradiſi cant. 22.

Pier comincio ſenza ora & ſenza argento,
Et io cum oratione & con digiuno,
Et Franceſco il humilmente el ſuo conuento.
Et ſe guardi el principio di ciaſcuno.
Poſcia riguardi la oue e tranſcorſo,
Tu uederai del biancho facto bruno. id eſt.
Petrus incepit ſine auro & ſine argento,
Et ego cum oratione, cum ieiunio.
Et Franciſcus humiliter ſuum conuentum.
Et ſi reſpicis principium cuiuſcunq;,
Et tandem reſpicis quò peruenerit,
Videbis ex albo nigrum factum.

Definitiones uariæ, hinc inde ex authoribus claßicis exquiſitæ.

AMANTIUS.

Religio duos fines complectitur: alterum, in quem tendit religio, alterum, qui religione tendit in alterum. Deus autem eſt, in quem tendit religio, homo verò, qui religione tendit in eum.

Vera religio uel pietas hæc eſt.

Quæ vni ſolique DEO hæret, qui ergo pij ſunt, vnum dominum ſuum audiunt, qui eos à carne ita auulſit, ac ſibi adiunxit, vt eius vnius vocem audire cupiant, & cum flagrante amore anima, Cantic. 2. clamet: ſonet vox tua in auribus meis, & : quã dulcia faucibus meis eloquia tua: vt ab ore Domini pendeat, nullius præter ſponſi ſui verbum vel audiat, vel recipiat. Quã fidem Dominus vt nobis probè ob oculos poneret, crebrò in ſcripturis connubio fideli comparat, & tanquàm ſedulus maritus ab adulterio deterret, ac ſcortatione. Hoc vnum prorſus intendens, quod ſicut in matrimonio fides præ omnibus exigitur, (imò matrimonium nihil aliud eſt, quàm data acceptaq; fides) ita pietas non ſit pietas, niſi toto pectore domino animę ſponſo fidas, in eum ſolùm oculos figos, aurem præter ipſum pœnitus nulli accommodes: ac propterea iubet Nume. 15. per quatuor palliorum angulos fila hiacynthina inſeri, quæ cùm viderint, inquiens, recordentur omnium mandatorum Dei domini, ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos, per res varias fornicantes. Deuteron. 4. ſic inquit Deus: Nunc audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens eas viuas, & ingrediens poſsideas terram, quam dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Cuſtodite mandata domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.

Ibidem 12.

Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.

Requirit ergo fides, ſiue pietas, vt à Deo diſcamus, quo nam pacto ei placere poſsimus, quibus modis ſeruire, deinde vt ijs, quæ ab ipſo didicimus, nihil addamus, nihil adimamus.

Qui enim addunt, Deum inſipientiæ arguunt, ſeque ſupra Deum ponunt, quaſi iſta, quæ ipſe parum cõſideratè promulgauerit, ſua prudentia reſtituere valeant: callidi ſcilicet.

Qui verò adimunt, crudelem dominum faciunt, quaſi per impotentiam præceperit, quæ

isti sua humanitate, mansuetudineque lenire possint vel sciant.

Verbum ergo Domini, qui fideles sunt, sic amplectuntur, vt naufragi tabulas. Quid enim est, quo cōscientia se cōsolari queat, quàm vnico verbo Dei? Viuit enim homo in omni verbo, quod de ore Dei procedit. Deut. 6. Matth. 4. Sed qui homo? fidelis. Quid enim commercij incredulo cum verbo Dei? cui stultitia est cœlestis sapientia, qui te, si Deo fidas, exibilat.

Pius ergo solus est, quem verbum Dei alit, reficit, cōfortat, è diuerso verò sequitur, quod pius nullo alio verbo pasci potest, quàm diuino. Sicut enim Deo solo fidit, ita eius solius verbo certus redditur, & sicut solo Dei verbo certus redditur, ita nullius verbum, quàm Dei recipit. Quibus iterum non modò ex scriptura, sed etiam ex ipsius fidei natura manifestum fit, quod nullius creaturæ verbum pro verbo Dei recipi potest: quia in creaturæ verbo non redditur quieta, pacataq; conscientia. Nihil ergo de nostro addendum est Dei verbo, nihilq; nostra temeritate de illius verbo adimendum. Pietas ergo incontaminata est, quę vnis ac solis verbis Dei nititur. Matthæi 15. Isaiæ cap. 29. Hinc elicitur eum cultum, eam pietatem, aut religionē vanā ac falsam esse, quę ex humana inuentione, aut lege proficiscitur. Ioan. ca. 8. Docet sic Christus: qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Summa religionis est, Iesum credere esse Christum.

Paulus ad Roma. 5.

Si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd illum Deus excitauit à mortuis, saluus eris.

1. Corinth. 5.

Tradidi in primis vobis quod accepi, quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris.

1. Ioannis 4. & 5. cap.

Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

Ea fides, si est recta, non historica, nec literalis, nunquàm otiosa erit, quin fructus quoque fidei viuaces parturiat.

Fides, quæ non est fundata in scriptura, nulla est omninò.

Nume. cap. 9.

Per verbum Domini figebant tentoria.

Deuteron. cap. 6.

Et ligabis ea quasi signum in manu tua, scribesque ea in limine & vestibulo domus tuæ.

Ibidem cap. 11.

Ponite hæc verba mea in cordibus vestris, ac animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate, & Deuteron. 13. per totum.

Dauid psalmo 1.

Beatus vir, qui meditatur in lege Domini die ac nocte.

Ibidem Psal. 118.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis mei. Λύχνος τοῖς ποσί μου ὁ νόμος σοῦ καὶ φῶς ταῖς τρίβοις μου.

Eobanus, Psal. 118. Beati immaculati.

Felices quicunq; agitant sine crimine uitam,
Qui leges Domini, quas meditentur, habent.

Ibidem, Octonarius 14.

Vt laterna pedes, sic me tua uerba gubernant:
Lampas ut extenta quæ face monstrat iter.

Ibidem.

Mirabilia testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea. θαυμαστὰ τὰ μαρτυρία σοῦ, διὰ τοῦτο ἐξηρεύνησεν αὐτὰ ἡ ψυχή μου.

Declaratio sermonum tuorum illuminabit, & intellectum dabit paruulis. Eobanus, octonar. 6.

Admiranda tuis sunt, quæ tu oracula reddis:
Sunt & ob hoc animæ maxima cura meæ.
Cuncta tuum ueniens renouat ceu lumine uerbum,
Vt sapiant stupidis pectora docta facit.

Ex uerbo Dei dijudicantur spiritus, utrum ex Deo sint, Estq; uerbum Dei amußis ac perpendiculum.

Prouerb. 1.

Salomon prolixè hortatur ad cognitionem verbi, quæ est vera sapientia.

Esaiæ cap. 8.

Liga testimonium, signa legem, in discipulis meis expectabo dominum, qui abscondit faciē suam à domo Iacob, & præstolabor eum.

Prouerb. 8. 9. & 2. Petri 1. iubemur armati esse verbo.

Ephes. 4. cap.

Sic Thessalonicenses scrutabātur scripturas, an ne ita haberent, quæ prædicabat Paulus. Et ideo sollicitè monemur etiam per Apostolos, vt simus in verbo Dei. Hoc enim est amussis & perpendiculum, quo spiritus metimur, an ex Deo sint: alioqui quomodo spiritus dijudicabimus? neq; tamen hoc dictum est de mortua litera, q̄ & ipsa chara est, neq; iustificat, sed de verbo, quod per fidem firmatū est in corde gratia spiritus sancti, vt ad Romanos 10. cap. Quomodo credent ei de quo nō audierunt? quomodo autem audient absq; vlla prædicatione, vel prædicante? quomodo autem prędicabunt, nisi missi fuerint? Fides ergo per verbum Dei, si per verbum Dei, itaque necessariò concluditur: nullam esse fidem, quæ non subsistit in verbo Dei.

Ioannis cap. 3.

Qui ex DEO est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Constat ergo, quod qui ex Deo nati sunt, eius verbum audiunt, & contrà, qui nō audiunt, ex Deo noti non sunt. Qui verò ex Deo nati sunt, non

non ex voluntate viri, Ioan. 1. sic nati sunt, id est, non suo consilio aut electione Deum sibi constituerunt, qui verè Deus est, sed eius vi, quo iam fidunt, factum est, vt se Dei filios esse agnoscant: inquit enim, nō ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Qui ergo ex Deo nati sunt, eius solius verbum audiunt ex quo nati sunt: hoc enim est discrimen inter filios Dei, & filios carnis: quòd qui Dei filij sunt, carnalia cogitant. Roman. 8. porrò quicquid ex ore Dei non est profectum, à filijs Dei non recipitur: inhabitans enim in eis Spiritus omnia prodit, dictatque, carnisne sint quæ audiunt, an spiritus. Vnde posteà fit, vt spiritualia omnia iudicet, omnia cognoscat, 1. Corinth. cap. 2. Ipse verò à nemine iudicatur, non enim caro, aut sanguis est, qui iudicat, sed spiritus. Loquimur autem de eis solummodò, qui Christi sunt, & qui spiritum eius habent, ad Romanos 8.

Remedium græcè φάρμακον.ου τό. dicitur. Remedium autem duplex contra malum, s. impediens futurum & remouens malum præsens, ex B. Thom. prima secundæ, q. 42. art. 6.

Reminiscentia græcè ἀνάμνησις.ιος ἡ. dicitur. Est autem reminiscentia inquisitio eius, quod excidit à memoria, & prior ea est tantùm in parte sensitiua, & tantùm in homine, secundùm B. Tho. prima parte, q. 78. art. 4.

De hac materia habes suprà in Memoria.

Remuneratio græcè ἀντίδωρον. τό. & ἀντιδίδωμι remunero dicitur. Est autem remuneratio idem quod retribuo.

Ren græcè νεφρός.οῦ.ὁ. & νεφρῖτις.ιδος.ἡ. morbus renum qui & nephritis dicitur. Renes autem, vt Varroni placet, dicti sunt quod inde riui obsceni humoris oriantur.

Renunciatio græcè ἀπόταξις.ιος.ἡ. & ἀποτάσσω renuntio dicitur. Est autem renunciatio rei vel iuris proprij facta scienter legitima refutatio, vt habetur 7. q. 1. c. Quàm periculosum.

Renuntio aliquando pro nuntio accipitur. Seruius Sulpitius: Postquàm mihi renunciatū est de obitu Tulliæ filiæ tuæ. Aliquando pro renuo, vnde renunciatio, de qua suprà.

Reprobatio græcè ἀποδοκίμασις ιος ἡ & ἀποδοκιμάζω reprobo, & ἀδόκιμος.ου.ὁ. reprobus dicitur. Reprobatio Dei est pars prouidentiæ, respectu eorum qui exciderunt à beatitudine, sicut prædestinatio respectu eorum qui diuinitus ordinantur ad eam, secundùm B. Tho. 1. parte, q. 23. art. 2. c. Est autem reprobo compositum à probo, sicut comprobo eius oppositum.

Reptile græcè ἑρπετόν.ου τό. & ἕρπω repo dicitur. Est autem reptile animal, cuius corpus non multum eleuatur à terra, per instrumenta motus, sed repit vi costarū, vt serpens: vel vi annulorum, vt annulosa: vel vi oris, vt quidam vermis: vel vi penularum, vt pisces, ex B. Thoma prima parte, q. 72. art 2.

Reptile dicitur à repto, quod est frequentatiuum à repo.

Requies græcè ἀνάπαυσις ιος.ἡ. siue ἀνάπαυλα. ης.ἡ. & ἀναπαύομαι quiesco dicitur. Est autem requies laboris intermissio, quæ omninò in hominum vita necessaria est, vt testatur Arist. lib. Ethicorum 4. cap. 8.

Ouidius in epist. Phedræ ad Hippolytum.

Quod caret alterna requie, durabile non est,
Hæc reparat uires, fessaq; membra leuat.

Res græcè πρᾶγμα.ατος.τό. dicitur. Significat autem res statum ac cōditionē, vnde respublica & res priuata dicitur, res meæ, tuæ, bonæ, malæ, vocātur. Cicero: Id enim rebus nostris minimè conducebat, hoc est, statui nostro. Aliquando res est quæ à persona distinguitur. Vnde argumentorū loci sunt à rebus & à personis. Interdum pro commercio. Vt res est mihi cum homine iniusto. Nonnunquàm pro causa, vt ea re, qua de re, quamobrem, id est, propter quam causam, ea de re, ob eam causam, ab re, sine causa. Res comperendinata dicitur, cùm causa, hoc est, iudicium in diem tertium constitutum est. Res imperium aliquando significat. Virgilius: Postquàm res Asiæ.

Respectus græcè ἐπίβλεψις.ιος ἡ. & ἐπιβλέπω respicio dicitur. Est autem respectus ratio qua ad aliquid agendum mouemur. Plin. Nanq; eo respectu cōmotus abscesserat. Interdum significat ipsam retrospectionem. Plaut. Et me respectu terruit. Dicitur autem à respicio, quod est retro aspicio, siue rursus aspicio.

Respublica græcè πολιτεία.ας.ἡ. & πολιτεύομαι rempublicā gero dicitur. Est autem respublica paucorum potestas, in qua census magistratus declaratur, secū. Arist. lib. 1. Rhetoric.

Respublica est institutio ciuitatis, circa magistratus honoresq; publicos, quemadmodū debeant impartiri, & in quos potestas autoritasq; summa debeat consistere, & qui sit finis cuiusq; societatis, secundùm Aristot. lib. 4. Rhetor.

Respublica est res populi, secūdùm August. lib. 1. de Ciuitate Dei.

Respublica est quoddam corpus compaginatum ex membris quod diuini muneris beneficio animatur, & summæ æquitatis agitur nutu, & regitur quodam lumine rationis, secundùm Plutar. in institu. Traiani.

Isocrates ad Dæmonicum.

ἐκ τῶν κοινῶν ἐπιμελειῶν ἀπαλλάττου μὴ πλουσιώτερος, ἀλλ' ἐνδοξότερος, πολλῶν γὰρ χρημάτων κρείττων ὁ παρὰ τοῦ πλήθους ἔπαινος. id est.

A communibus administrationibus discede non ditior, sed gloriosior. Multis enim pecunijs præstantior à multitudine laus.

De hac materia habes suprà vbi Amor patriæ & vbi Patria.

Restitutio græcè ἀπόδοσις. ιος. ἡ. & ἀποκαθίστημι restituo dicitur. Est autem restitutio in pristinum statum impositio, vt habetur ff. de verbo. sig. l. restituere.

Restitutio, est actus iustitię communicatiuę, quia aliud videtur esse, quàm aliquem statuere in possessionem rei suæ, secundùm B. Thom. secunda secundæ q. 41. prin.

Restitutio à restituo fit, restituo autem à statuo. Est autem restituere modò reddere. Teren. Gnatum ei restituit: Modò in pristinum statum reducere. Iustinus: Hunc regno à patre priuatū filius restituerat. Hinc restitutio ipsa repositio dicitur. Caius Iuris cōsultus: Restituere, inquit, plus est quàm exhibere. Nam exhibere est præsentiam corporis præbere, restituere verò est etiam possessorem facere, fructusq; reddere.

Resurrectio græcè ἀνάστασις. ιος. ἡ. & ἀνίστημι resurgo dicitur. Est autem resurrectio à morte ad vitā reparatio. Vel sic: Resurrectio est ab eo quod cecidit & dissolutū est, iterata vnio.

Resurgo componitur ex re & surgo, surgo autem ex sursum & rego, quod propriè significat erigor. Surgere etiā pro crescere metaphoricôs accipitur. Virgilius: Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli respice. Veteres surrego pro surgo dicebant: vnde surrectio deriuatur. Resurgere est rursus surgere. Hinc resurrectio quæ propriè de defunctis dicitur.

Iob cap. 18.

Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Esaias cap. 11.

Resurgent mortui, & suscitabuntur qui sunt in sepulchris.

Esdræ 3. cap. 14.

Iudicium post mortem veniet.

Ibidem.

Quando iterum reuiuiscemus.

Ibidem.

Iustorum nomina patebunt, & impiorum facta ostendentur.

Ezechiel. cap. 37.

Ossa arida, ecce ego dabo vobis spiritum, & viuetis, dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnem.

Ibidem.

Et accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam.

Ibidem.

Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educā vos de sepulchris vestris.

Daniel cap. 12.

Et multi de his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt.

Matthæus cap. 24.

De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cælorum, nisi pater solus.

Idem cap. 27.

Multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt.

Paulus primæ ad Corinthios cap. 15.

Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

Augustinus in Enchiridio.

Resurgent sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, sine difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta fœlicitas erit.

Idem de Ciuitate Dei libro 22.

Tibi absit, q ad resuscitanda corpora vitęq; reddenda, nō possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quę vis bestiæ vel ignis assumpsit, vel q in puluerem cineremúe collapsum, vel in humorem solutum, vel quod in auras est exhalatum: absit vt sinus illud, secretumq; naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omnium creatoris aut cognitionem lateat, aut refugiat potestatem.

Hieron. epist. 1. siue Ruffini Aquilegiensis presbyteri ad Laurentium Papam.

Sed infideles clamant & dicunt: Quomodo potest caro quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerem vertitur, etiā maris interdū pfundo sorbetē, fluctibusq; dispergitur, colligi rursum, & reintegrari in vnum corpus, & ex anima hominis reparari? Ad quos primā interim responsionem sermonibus Pauli faciamus, dicentis eis: Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum tritici, aut alicuius cæterorum seminum. Deus autem dat corpus prout vult: quod autem in seminibus quæ in terram iacis perannos singulos fieri vides, hoc in tua carne quæ lege Dei seminatur in terra, futurum esse nō credis? Cur quæso tam angustus & inualidus diuinæ potentiæ æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi & reparari posse non credas? An non censes cùm videas quod etiam mortale ingenium diuersas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putat? Hæc cur quidem non concedimus ei, qui fecit hominem? quando tantùm is, qui ab ipso factus est, assequi potest, & cū auri propriā venam & argenti aliā, æris quoq; lōgè disparē, ferriq; ac plumbi diuersam intra speciē terrę latere, mortale deprehēdat ingeniū, diuina virtus inuenire posse ac discernere nō putabit, vnusq(q; carnis ppriū sensum etiā si videatur dispersus? Sed ad hæc tentemus aías quę deficiunt

ficiunt in fide naturalib⁹ ratiōibus adiuuare. Si quis diuersa semina in vnum permisceat, & hæc indiscreta seminet, vel passim spargat in terrā, nónne vniuscuiusque seminis granū, quocunque loci iactum fuerit, competenti tempore, secundùm naturæ suæ speciem germen producet, vt statum suæ formæ suique corporis reparet? Itaque ergo vniuscuiusque carnis substantia, quāuis variè diuerseq; dispersa sit, ratio tamen ipsa quę inest vnicuiq; carni, est immortalis: quia immortalis animæ caro est, ex eo tempore quo seminatis in terrā corporibus, primū veri dei voluntate arrisit, collectum terræ attractumq; substantiæ suæ sensum reddit ac reparat in illam speciem, quam mors aliquando dissoluerat. Et ita fit vnicuique animæ, vt non ad confusum aut extraneum, sed ad suum quod habuerat reparetur: consequenter potest pro agonibus præsentis vitæ cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri. Et ideo satis caute ecclesia nostra fidem simboli docet, quæ in eo quod cęteris traditur, Carnis resurrectionem vno addito pronomine tradidit, Huius carnis resurrectioné: huius sine dubio, quā habet is, qui profitetur signaculo crucis frōti imposito: quo sciat vnusquisq; fideliū, carnem suam, si mundam seruauerit à peccato, futurum esse vas honoris, vtile domino ad omne opus bonum paratum: si vero contaminatam in peccatis, futurum esse vas iræ ad interitum. Iam vero de ipsa resurrectionis gloria, & de promissionis magnitudine si quis plenius scire desiderat, in omnibus penè voluminibus diuinis, inueniet iudicari. Ex quibus nos cōmonitionis tantūmodo gratia pauca præsenti loco memorantes, finem iniuncti à te opusculi faciemus. Igitur Apostolus Paulus, quòd resurgat mortalis caro alijs multis asserit argumentis, dicens: Quod si resurrectio mortuorum non est, ergo Christus nō resurrexit: si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra. Et paulò pòst: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis initium dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriūtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: Vnusquisq; auté in suo ordine, initiū Christus. Deinde hi qui sunt Christi in aduētu eius, deinde finis. Et in sequētibus addit & hęc: Ecce mysterium dico vobis: Omnes quidé resurgemus, nō omnes autem immutabimur, (siue vt in alijs exemplaribus inuenimus: omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur) in momēto, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Sed & ad Thessalonicenses nihilominus scribens, dicit: Nolo auté vos ignorare fratres, de dormientibus, ne cōtristemini, sicut cęteri qui spem nō habent: nam si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita Deus, eos q̧ dormierūt per Iesum, adducet, cū illo. Hoc em̄ vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui reliqui sumus, in aduentu Domini, nō p̄ueniemus eos, qui dormierunt, quia ipse dominus in iussu & in voce archangeli & tuba Dei descendet de cęlo & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui reliqui sumus, simul cū illis rapiemur, in nubib⁹ obuiā Christo in áëra, & ita semper cum domino erimus. Verùm ne existimes hæc Pauli solius quasi nouella prædicatione signari: Audi etiam quid Ezechiel propheta olim per spiritum sanctū pręlocutus sit. Ecce inquit, ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris. Iob quoq; mysticis redundans eloquijs, audi quàm euidēter resurrectionē mortuorū prædicet. Est (inquit) arbori spes, si enim abscisa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nunquā deficiet, quod si senuerit, in terra est radix eius. Si verò in petra emortuus fuerit truncus, ab odore aquæ reflorebit, & faciet fruticem sicut nouella. Vir verò si mortuus fuerit, abiit? & mortalis si ceciderit, vltra non erit? Non tibi videtur in verbis his cum quodam pudore arguere homines & dicere: Itá ne stultum est hominū genus, vt cū videant excisæ arboris truncum rursum pullulare de terra, & lignum emortuum iterum vitam recipere, ipsis ne lignis quidem aliquid simile de semetipsis: nec arboribus opinantur? Vt autem scias quod veluti interrogantis modo legendū sit quod dixit, mortalis autem cùm ceciderit, non resurget, de consequentibus probat. Subiūgit nanq; statim: Si em̄ mortuus fuerit homo, viuet. Et paulò pòst dicit. Expectabo vsq; quò iterū fiam. Et iterū idem dicit. Qui resuscitaturus est super terrā pellem meā, quę hęc nunc haurit. Hæc quidem ad ꝓbationem dicta sunt professionis nostrę, quia cōfitemur in symbolo huius carnis resurrectionem, quod enim adiunctum est huius, vide quàm consonum sit omnibus his quæ de diuinis voluminibus memorauimus. Quid enim aliud indicatur in dictis Iob quæ superiùs exposuimus? Quia cùm dicit, resuscitabit pellem meam, quæ hęc nunc haurit, id est, quæ ista tormenta perpetitur, nónne apertè dicit huius carnis resurrectionem futuram? huius, inquam, quæ tribulationum & tentationum cruciamenta quæ sunt nunc sustinet: sed & Apostolus cùm dicit. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Nunquid non corpus suum quodammodo contingentis & digito palpantis est vox? Hoc ergò quod nunc corruptibile corpus est, resurrectionis gratia incorruptibile erit: & hoc quod nunc mortale est, immortalitatis virtutibus induetur. Vt

sicut Christus resurgēs à mortuis, vltra iam non moriturus, mors ei vltra nō dominabitur: ita & qui in Christo resurgent, nec corruptionē sentient vltra, nec mortem, non natura carnis abiecta, sed conditione eius, & qualitate mutata. Erit ergo corpus quod resurget à mortuis, incorruptibile & immortale, non solùm iustorum, sed etiam peccatorum. Iustorū quidem, vt semp possint permanere cum Christo, peccatorū verò, vt absq; interitione sua debitas luāt pœnas. Quòd autem iusti semper cum domino permaneant, iam in superioribus edocuimus, vbi ostēdimus quia apostolus dicit: Deinde nos qui viuimus, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubib⁹ obuiā Christo in aëra, & ita semper cum domino erimus. Nec mireris, si caro sanctorum in tantam gloriam ex resurrectione mutabitur, vt in occursum Dei suspensa nubibus & aëre vecta rapiatur, cùm ipse apostolus exponens, quantū cōferat Deus his qui diligūt eum, dicat: Qui transmutabit corpus humilitatis nostræ conforme Dei, corpori claritatis suę. Nihil ergo absurdum est, si sanctorum corpora dicātur nubibus in aëra sustolli, cùm ad formā corporis Christi, quod in dextera sedet, dicātur reformāda. Sed & hoc sanctus apostolus vel de se, vel de cęteris sui loci, vel meriti addidit, & dixit, quia cōsuscitabit nos cum Christo, simulq; faciet sedere in cęlestibus. Vnde cùm hęc & eorum similia quàm plurima, sancti Dei in repromissionibus habeant in resurrectione iustorū: nō erit iam difficilè credere, etiam illa quę prophetæ prædixerāt, quod iusti scilicet fulgebūt sicut sol, & sicut splendor firmamenti in regno Dei. Cui enim difficilè videbitur eos fulgorem solis habituros, ac siderū ac firmamenti, huius splendore decoratos, quibus vel vita vel conuersatio angelorū Dei paratur in cœlis, vel conformandi dicūtur ad gloriam corporis Christi. Ad quam gloriam saluatoris ore promissam, respiciens sanctus apostolus, dixit: Quia seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale. Si enim verum est, sicut certè verum est, ꝙ iustos quoq; & sanctos, angelorum cōsortijs sociabit diuina dignatio, certū est, quod & corpora eorum in spiritalis corporis gloriā vertet, nec hoc tibi cōtra naturalem corporis rationem videatur esse promissum. Si enim credimus secundū ea quę scripta sunt, quod accipiens Deus limū terrę plasmauit hominem, & hæc fuit natura corporis nostri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem, cur tibi aut absurdum aut contrariū videtur, si ijsdem ratiōibus quib⁹ terra proficisci dicitur in corpus animale, rursum corpus animale in corpus proficisci spiritale credat? Hæc quidē atq; his similia multa inuenies in scripturis diuinis de resurrectione iustorum. Dabitur aūt etiam peccatorib⁹ (vt suprà diximus) incorruptionis & immortalitatis ex resurrectione conditio, vt sicut iustis Deus ministrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret & pœnæ. Sic enim propheticum diffinit eloquium, cuius & paulò antè meminimus, vbi dicit: Et multi resurgent de terræ puluere, hi quidem in vitam æternam, hi autem in confusionem & opprobrium æternum.

Hieronymus epistola 2.

Resurrectionem etiam carnis confitemur & credimus, vt dicamus nos in eadē in qua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos, qualesq; semel post resurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum permansuros.

Gregorius lib. 14. Moral. super illud Iob. Scio quòd redemptor meus uiuit, &c.

Redemptor noster, suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, vt nos posse resurgere, confidamus.

Idem in Homilia tractans illud Ioannis 20. Quia uidisti me Thoma, &c.

Non casu factum est, vt discipulis dominum videntibus post resurrectionē, electus ille discipulus tunc deesset, pòst autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet, non casu gestum est, sed vidēdo & palpādo factus est testis veræ resurrectionis.

Idem super illud Matthæi ultimo. Quidam autem dubitauerunt.

Quòd discipuli tardè crediderint, non tam infirmitas illorum quàm nostra firmitas fuit: nam illis dubitantibus, resurrectio multis argumentis monstratur, quia & commedit, & se oculis videndum, & manibus palpandum & contrectandum præbuit, quod de solo spiritu esse nō potest, minus inquit Maria Magdalena præstitit, quæ statim credidit, quàm Thomas, qui diu dubitauit.

Idem libro 14. Moralium.

Sunt nonnulli considerantes, quod spiritus à carne soluitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in puluerem redigitur, ꝙ puluis in elementa soluitur, vt nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionē fieri posse desperant, & dum arida ossa respiciunt, hæc vestiri carnibus, rursum quo ad vitam virescere posse, diffidunt. Qui si resurrectionis fidem ex obedientia nō tenēt, certè hanc tenere ex ratione debuerant, quid enim quotidie, nisi resurrectionem nostram, in elementis suis mundus imitatur? Nam per momenta temporum, cernimus arbusta viriditatē foliorū amittere, à fructuū prolatione post largitionē cessare, & ecce, subitò quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem rediuiuo decori vestiri.

Ibidem.

Consi-

Consideremus paruum cuiuslibet arboris semen, quod in terram iacitur, vt arbor ex illo producatur, & comprehendamus, si possumus, vbi in illa tanta paruitate seminis, tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit: vbi lignũ, vbi cortex, vbi viriditas foliorum, vbi vbertas fructuum: nunquid non in semine, tale aliquid videbatur cùm in terrã iaceretur? Quid ergo mirum, si tenuissimum puluerem à nostris oculis in elementa redactum, cùm vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta reintegrat?

Ioannes Chrisosto. super illud Matth. 22. Qui dicunt non esse resurrectionem.

In omni re aut actu, virtus agendi, spes est futuri. Qui.n.arat, arat vt metat, qui pugnat, pugnat vt vincat, & post pauca: Tolle ergo spem resurrectionis, & resoluta est obseruantia omnis pietatis. De hac materia habes suprà, in Iudiciũ finale.

Retributio græcè *ἀνταπόδοσις.ιος ἡ*: vel *ἀνταπόδομα ατος. τὸ.* & *ἀνταποδίδομι* retribuo dicitur. Est autem idem quod remuneratio, à retribuo, que venit, quod est remunero.

Reuelatio græcè *ἀποκάλυψις.ιος ἡ.* & *ἀποκαλύπτω* reuelo dicitur. Reuelo addit supra visionem intelligentiam visorũ secundùm B. Thomam super 2. epist. ad Corint. c. 12. co. 1. fi.

REuerẽtia *αἰδώς.όος. ὁ. ἡ.* & *αἰδέομαι* reuereor dicitur. Est autem reuerentia honor exhibitus in testimonium virtutis.

Reuerentia est timor initialis & castus, tamẽ capi potest in bono & in malo, sicut etiam confusio, id est, erubescentia, secundùm B. Thomã super psalm. 34. col. 17.

Reuereri est actus timoris, & vt debetur Deo, est actus latriæ, secundũ eundem 2.2.q.81.art.2.

Reuereri est honorare à quo reuerentia, honor quem tam in verbis quàm in factis alicui exhibemus, quare rem aliquam turpem nominaturi, solemus dicere, salua reuerentia, saluo honore, item reuerendus, dignus reuerentia: & reuerenter, cum reuerentia.

Reuereor autem componitur ex re & vereor. Est autem vereri timere cum pudore quodam erga eum quem metuimus. Quidam tamen hæc separant sic: quod vereri sit hominis liberi, timere serui: quod ille pudoris, hic pœnę metu teneatur.

Petrus apostolus 1. cap. 2.

Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deũ timite, regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.

Hieronymus ad Nepotia. & hab. dist. 95. cap. Esto.

Esto subiectus pontifici tuo, & quasi parentem animę ama: sed episcopi, sacerdotes sciant se esse, nõ dominos: honorent clericos quasi clericos, vt ipsis episcopis honor deferatur. Scitũ est illud oratoris Domitij: Cur ego inquit te habeam vt principem, cùm tu nõ me habeas vt senatorem.

Gregorius super Ezechielem.

Boni reuerendi sunt, ne offendantur: ne fortasse per eos ille prouocetur ad iram qui eorũ corda semper inhabitat.

Isidorus lib. 3. de summo bono.

Cham filij Noë sententia damnantur, qui suorum præpositorum culpas in publico produnt.

Glosa Eccle. 3 super illud, Honora patrem tuum ut superueniat tibi benè &c.

Cham nuditatem patris irrisit, & semen suum in seruitutem perpetuam damnauit. Absolon quoq; Dauid de regno expulit, & concubinas eius incestauit, sed morte cõdignas pœnas luit. Helisæi caluiciũ pueri Bethel irriserunt, & duo vrsi de saltu, ex eis quadraginta duos lacerauerunt: quia puerilis stultitia Iudęorum, in caluariæ loco Christum crucifixũ irrisit: sed quadragesimo secundo anno post ascensionẽ eius, duo vrsi Vespasianus & Titus de saltu gentiũ egressi, illusores sæuissimè laniauerunt.

Boëtius de Philo. consol. libro 3.

Non possumus ob honores reuerentia iudicare dignos, quos ipsis honoribus iudicamus indignos.

Seneca epist. 41.

Bonus vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magnifica & recta. Magnorum fluminum capita veneramur, coluntur aquarum calentiũ fontes, & stagna quędam, vel opacitas, vel immensa altitudo sacrauit.

Ibidem.

Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa fœlicem, in medijs tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, non subibit te veneratio huius, vis istuc diuina descendit.

Idem epistola 45.

Multum egerunt qui antè nos fuerunt, sed nõ peregerũt, suscipiendi tamen sunt, & ritu deorum colendi. Quam venerationem pręceptoribus meis debeo, eandem illis pręceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem video, aut prætorem, omnia quibus honor haberi solet faciam, equo desiliã, caput adoperiam, semita cedam. Quomodo ergo Marcum Catonem, & Lælium sapientem, & Socratem cum Platone, in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego illos veneror, & tantis nobilibus assurgo.

Cicero Tusculanarum quæstionum libro ultimo.

Adolescentis officium sit maiores natu vereri, atque ex his probatissimos eligere, quorum consilio vtatur.

Idem

Idem in Officijs.

Adhibenda est igitur quędam reuerentia ad versus hoïes, & optimi cuiusque, & reliquorũ.

Valerius Maximus lib. 8.

Pythagoræ tanta veneratione ab auditorib⁹ tributa est, vt quæ ab eo acceperant in disputationem deducere nefas putarent, qui etiam interpellati ad reddendam causam, hoc solùm respondebant, ipsum dixisse: magnus honor, sed scholasticus.

De hac materia habes suprà vbi Honor & Laus.

Reus græcè ἔνοχος. 8. δ. dicitur. Et est ille qui in rem, hoc est, causam ac iudicium vocatus est. A quo reus stipulando est, qui stipulatur: reus promittendo, qui suo nomine quid alteri promittit. Item reus voti, qui suscepto voto se numini obligat: damnatus voti, qui promissa vota iam soluit, & sunt propria sacrorum verba Reũ agere, & accusare: reum peragere, est condemnare. Hinc reatus, de quo suprà.

De origine, fine, ac uiribus Rhetoricæ.

AMANTIUS. Rhetoricę primùm in Sicilia Corax & Ctesias Syracusani: vt ait Cicero, simul & prooemiorum & epilogorum, ac argumentationũ, quas Græci agonas vocant, repertores fuêre: inde Athenas per Gorgiam Leontinum fluxit, cuius discipulum Isocratem Aristoteles tunc æmulatus scholis pomeridianis cœpit præcipere, dititans illud notum, αἰσχρὸν γὰρ σιωπᾶν Ισοκράτην ἐᾶν λέγειν eodem ferè tempore Theodectes: post hos, Hermogoras & Hermogenes, qui etiam de arte scripsit. Inde Rhodum per Aeschinem exulem ars peruenit: posteà deflorescentibus iam Athenis Alexandriam migrauit, quanquam celebriore philosophiæ studio ea vrbs teneretur: postremò Massiliæ per Antoninorũ tempora, cùm huius facultatis, tum reliquarum artium studia viguêre. Apud nostros verò, Romæ Ciceronis temporibus maximè floruit, per Apollonium Molonem. Cicero initium orandi conditoribus vrbium & legislatoribus tribuit: negatq; ante Periclem quicquàm in ea, quod ornatum habuerit, reperiri. Hæc ex Volaterano.

De orationis origine, deq; eloquentiæ uiribus.

Expositurus hoc anno Rhetoricen ad Herennium, tria potissimùm præsenti proludio exequar, illa sanè quæ præstare debet quisq; orator: vt doceat, delectet, moueat. Exordiar autem prius ab orationis origine, deinde ab eloquentiæ viribus, deinceps ad reliqua pergam. Oris sonus ab initio olim cõfusus erat, qui tandem paulatim voces discernens res omneis suo nomine appellauit. Mercurium aiunt apud Aegyptios primùm verba in ordinem redegisse, multisq; rebus imposuisse nomina, fuisse quoque literarum inuentorem. Athenis autem primum se Orator extulit, primumq; etiam monumentis & literis oratio est cœpta mandari. Hæc verò omnium regina rerum: nam non modò inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam aduersantem & repugnantem, vt imperator & fortis & optimus, capere potest.

Eloquentiæ uis.

Cùm duæ summæ sint in Oratore laudes: vna, subtiliter disputandi ad docendum: altera, grauiter agendi ad animos audientium permouendos, ipsius autem eloquentiæ tanta vis est, vt omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisq; naturæ, quæ mores hominum, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim, mutationesq; teneat: eadem mores, leges, iura describat, rempub. regat, omniaq; ad quamcunq; rem pertineant, ornatè copioseque dicat. Eloquentia probamus vera esse quæ defendimus: eloquentia cõciliamus nobis eos qui audiunt: eloquentia eorum animos ad quemcunq; motum causa postulabit, vocamus. Ea apud Romanos adeò floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerunt. Cæterùm quia res nulla apud animos hominum plus quàm ordo & ornatus orationis valet: & vt terra cultu, sic animus disciplinis melior, vberiorq; efficitur: nec vnquàm solida & robusta fuerit eloquẽtia, nisi multo stylo vires acceperit, &c.

Finis Rhetoricæ, vt Aristoteli placet, nõ persuadere, sed tãtùm benè dicere, & ea nosse, quæ sint ad rem persuadibilia: veluti & medicinæ, non sanitatem quærere, sed benè mederi, & eò procedere arte, quousq; fieri poterit. Cicero idem in arte sentit, alijs verbis: finem, ait, aptè dicere atque adpositè, quæ faciunt ad persuadendum.

De uiribus ipsius.

Parem hanc viribus Dialecticæ Aristoteles facit, nisi quod illa strictior, hæc latior: amborumq; nullius certè scientiæ, sed communem quendam modum omnium nosse. Aliarum quidem artium, præter has, nulla inter se pugnantia syllogizat. Huius igitur facultatis magna vis est, ait Quintilianus, nec vlli veterum satis pertractata: quam si quis ritè sectatus fuerit, vngues tondere, capillos reponere, non existimabit ad suam curam pertinere: quodq; mirum, cùm cæteræ artes iudicium doctorum exquirant, hæc etiam imperitorum: quapropter ex Demosthenis sententia, nulla huic res magis quàm pronunciatio conferet, quæ corporis eloquentia putatur. Hac igitur vna re vel indocti sæpè dicendi famam quærunt: itaque vbique clamant ac dexteram eleuant, multaq; voce, anhelitu, iactatione corporis cõtendunt.

Iam manum ad pectus reuocare, ferire caput, pede terram incutere, mirè ad pullatum circulũ facit. In his verò qui defecerunt, vel doctissimus nihil scire putabitur: quamobrem modestis tantùm hæc facultas ediscenda, vt virtus: cæteris, vt arrogantiæ instrumenta, fugienda.

Archidamus Lacedæmonius interrogatus, an esset Pericle potentior, respondit, quamuis Pericles in bello sit à me victus, ea tamen est facũdia præditus, vt cùm de his ratiocinetur, non victus sed victor appareat.

Eloquentia est cultura animi. Hæc vna est de summis virtutibus, quæ sacra ac venerabilis, quæ rerum publicarum gubernatrix esse perhibetur: quam M. Tullius primam artem appellat: quam Cornelius Tacitus autumat cæteris aliarum artium studijs esse anteponendam: in qua præsidium simul & telum est, & quo pugnare pariter & nitescere possimus: quę flexamina, quæ omnium rerũ regina à luculentis scriptoribus nuncupatur: qua qui præditus est, inter homines (vt ita dicam) Deus putatur: qua denique efficitur, vt reliquis hominibus tantò præstemus, quantò homines bestijs antecellunt.

Isocrates in Nicocle. Eloquentia plurimorum in humana uita bonorum autor.

Nihil cæteris naturæ dotibus à brutis animãtibus separamur: quid? quod & robore, & celeritate inferiores sumus, alijsq; cõmoditatibus permultis. Verùm insita nobis vi quadam inuicem persuadendi, explicandiq; quæcunque visum fuerit, simul beluinam vitam exuimus, simul congregati, ciuitates condidimus, & leges inuenimus, & artes excudimus.

ORIGO ET INITIVM RHEtoricæ, utilitas & commoda.

Communis Mercurius κοινὸς ὁ ἑρμῆς.

Initium Rhetoricæ.

In initio cùm essent recens nati homines, magnus inter hos, ac reliqua animantia tumultus erat, perturbatioq; super terram, propterea ꝙ non possent inuicem vti sese: nec enim vlla res intercedebat, quæ illos conciliaret: verùm qui potentiores erant, opprimebant inferiores, neque satis erant idonei, vt reliquis animantibus resisterent: omnibus enim illis omni ex parte inferiores erant, aliaque in re ab alijs vincebantur: veluti ab vniuerso genere volucrium celeritate: vnde factum est, vt, quod ait Homerus, Pygmæis accidere à gruibus, id tum temporis passim à robustioribus auibus paterentur homines. Rursum quantũ ad vires attinebat, longè superabãtur & à leonibus, & ab apris, & alijs item compluribus: atque hunc in modum silentio peribant. iam verò quæ ad munitionem órnatumq; corporis, non coruis modò, verùm etiam cocleis cedebant, neque cuiquam ex ipso suppetebat, quod ad tuendam vitam erat opus: itaque cùm ad eum modum interiret hominũ genus, ac paulatim dilaberetur: Prometheus (vt semper est hominum studiosus) orator ascẽdit in cœlum mortalium nomine, non ille quidem missus ab eis, neque enim id temporis legatos vllos erat cernere, sed ipse vltroneus abijt. At Iupiter partim in gratiam Promethei maximè qui iusta postulare videretur, partim negocio apud sese considerato, filium suum Mercurium iubet ad homines descendere, rhetoricen secũ adducentem. Edixit autem, vt eam mortalibus impartiret, non quemadmodum Prometheus, omnibus ex æquo sensus reliquaque corporis membra, perinde quasi theatralem pecuniam dispertiens, vt omnes ex æquo Rhetorices essent participes, non aliter quàm oculorum, manuum, ac pedum: sed vt præstantissimos quosque ingenioq; generosissimo, & indole pollentissima præditos deligeret, atque ijs demũ munus hoc impartiret, vt pariter & suam ipsorum & aliorum incolumitatem tueri possent. Porrò posteaquàm Rhetorica iam ad mortales peruenisset, cùm negotium, quod habebant cum beluis molestissimum, licebat effugere, tum verò desierunt vndequaq; inter sese simultatem exercere, reperto commerciorum initio: digressique de moribus alij in aliam orbis partem iungebantur: principiò quidem sub dio viuentes, pòst autem vbi verbis inter se cõmunicassent, & ciuitatem condiderunt ac distributi sunt, nõ quemadmodum anteà temerè, verùm in ordines plebis ac belli duces, sanctisque legibus tum principes, tum Reipub. statum instituerunt: ijs munera cœperunt offerre, primitias, auspicantes ab oratione, quibus nunc quoque vel maximè gaudere deos consentaneum est: quandoquidem hac cõtigit, vt primũ esse deos cognosceremus. Hinc deinceps ita creuit homo, vt qui initiò debilis fuerat atq; inualidus, postea in altum tolleretur: quiq; anteà ꝓ nihilo habitus ac despectus erat, deinceps factus est omnium, quę sunt in terra, dominus: cui quib⁹ vti liberet ius esset, nõ alio ꝓpugnaculo sibi parato quàm oratione. Atq; hic nobis sit fabulæ finis. Hactenus Aristides. Extat consimilis apud Platonem de Protagora.

Non omnibus eloquẽtia datur.

Homo per eloquentiã factus dominus omnium rerum.

Rhetoricæ commoda.

Sed quibus honoribus, quáue dignitate Rhetoricam, id est, eam quam benè disserendi rationem appellant, prosequar? cùm huic vni iamdudum vos ipsi bonã & magnam laudis partem attribueritis. Quantum enim apud cęteras artes valeat, etsi vobis omnibus, viri insignes, notum esse arbitror, illud tamen aliarum scientiarum pace dicam, quod omnes verè aliæ artes ac disciplinæ sine hac vna ieiunæ & non satis ornatæ habeantur: efficit quoque vt de vna-

vnaquaque scientiarum copiosè & subtiliter disseramus, tantum verò nostris temporibus apud nos lumen & dignitatem attulit, vt non satis docti habeantur, qui in hac vna saltem mediocriter eruditi non sint. Nonnihil etiam ad animorum vim rationemque attinet: quod facilè videmus, si veterum exempla commemorare voluerimus: in ea cognouimus quàm plures omne studium adhibuisse, vt in aliqua eius parte florerent. Audiuimus illos priscos oratores, Catones, atq; Gracchos, quorum eloquentia actum est, vt ea re summis honoribus & dignitatibus adaucti fuerunt. Audiuimus alios, quorũ eloquentia imperio Romano profuit, Ciceronem in primis, Crassumq́; Antonium, & alios quàm plures: quibus tantum hodierno die debemus, quantum his, qui nostris tẽporibus summam laudem & ornamentum attulerunt.

Quanta utilitas oratoriæ facultatis: ex præfatione Trapezuntij, in libros Rhetoricorum.

Cùm mihi in mentem venit, quanta oratorię facultatis tum dignitas, tum vtilitas sit, nõ possum non vehementer dolere, quod his nostris tẽporibus nulla ferè bonarum artium tam abiecta, atq; contẽpta habeatur: nam etsi nonnullæ liberaliũ artium, vt Geometria, vt Arithmetica, & quę huius generis sunt, omninò ab vsu ceciderunt, ne non multum eas ad humanitatẽ pertinere dicam, non sumus tamen in ipsis tantam passi iacturam, quantam in hac humanitatis artium præclarissima, maximeque necessaria: nam in illis quidem ita integra subtilissimorũ scriptorum opera vsque ad præsens extãt, vt nihil ei desit qui proficere in eis desideret, nisi studium ac diligentia: in hac verò dicendi copia, quanto plures scriptorum elegantissimi libri à maioribus nostris tam latinis quàm græcis relicti sunt, tanto pauciores, vel potius nulli his perditis temporibus nostris reperiuntur: quod siue negligentia omnium, siue eorum qui docent, quique orationis copiam profitentur, ignorantia quadam aut perfidia factum sit, vnusquisque per seipsum consideret. Ego id existimo, nisi Bertolini, Alani, aliorumque huiusmodi libros (nescio an satis vtiles) transcribere, ab his qui docent, coacta esset posteritas, aut loco harum nugarum, bonorum opera inuenirentur, aut saltem auditores non imbuti his delirationibus, nudos animos ad humanitatis doctrinas facilius adplicarent, quibus nihil vnquam vtilius, nihil dignius homini à patre hominumque Deorumq; tributum est: nam philosophia quidem, qua omnes liberales artes continẽtur, si dicendi suauitate priuata sit, omnem orationis grauitatem infringit, atq; concidit, totumque ingenij succum asperitate imbibit nimia.

Philosophia sine eloquentia nulla.

Quòd si omnes mutum esse summum incommodum arbitrantur (carere eñ omni humanitate profectò videtur, qui loqui non potest) certè & malè loqui: id verò summo incommodo humanitatisq́; priuationi proximum est: quare posse temporibus, locis, personis, causis, rebus, ornatè, distinctè, copiosè atq; prudenter orationem accommodare, quod huius artis officium est, non paruæ felicitatis existimauerim: quantus verò honor, laus, dignitas, in eos qui copiá dicendi adepti sunt confluat, quæ emolumenta, quæ commoda homines eloquentia consequantur, nemo facilè poterit explicare: nam & patriam fundare legibus, tutari consilijs, sententijs suis amplificare disertus poterit, & amicis præsidio, & suis ornamento futurus est: prę-terea inimicis timorem, hostibus terrorem incutiet: quod Macedonum reges cùm clarissimos oratores ab Atheniensibus peterent, vt facilius denudatam custodibus vrbem opprimere possent, ita esse declararunt. Neq; nos terret, quod à nonnullis ignorantia dicitur orationis copiam, quod nonnunquam obfuisset ciuitatibus, ab omni benè instituta Repub. exterminãdam videri: nec enim vllã artem inuenies, quibus cum versamur detrimentum afferre nó possimus. Quis ignorat quanto facilius cæteris atq; cautius salutem hominis medicus oppugnare possit? quis nescit iurisconsultum acutanimium interpretatione legum summum ius in summam iniuriam posse conuertere? at nemo est, qui aut legum scientiam, aut medicinæ doctrinam exterminet: tanto magis amplectuntur, quanto ciuitatum ægritudines eadem arte qua illatæ sunt, curari etiam solent. Præterea eloquentia expulsa (nisi mutus esse malis, quod omnem societatem coniunctionemque hominum, totamq́; Rempublicam funditus euertit) & in iudicijs, & in senatu, & apud populum tibi nonnunquam dicendum est, vbi nisi dicendi copia valeas, à malis, & à loquacibus viris simul cum Repub. euertẽre.

Nesciens loqui caret omni humanitate.

Nota de peritis oratoribus.

Abusum non artẽ tollendã esse.

Iurisconsultus. Medicus.

Vtilitas eloquentiæ.

Non igitur obsunt rebuspub. hęc dicendi studia, sed prosunt: non comprimunt, sed constituũt: non euertunt, sed erigunt: nam si nulla essent, nihilominus improbi peruersiq́; homines, ac tanto magis, quantò se tueri oratione boni non possent, rebus nocerent. Quare, vt non medicina, sed perditi medici: vt nó ius, sed improbi iurisconsulti expellẽdi sunt: sic nec eloquentia eijcienda videtur, sed hi quum diserti sint, improbi sunt. Ac multò magis medicina & cæteris artibus eloquentia est retinenda: nam neque gubernari respub. sine oratione poterit, nec improbos ciues arcebit, & à gubernaculis ciuitatis depellet, nisi vi eloquentiæ. Huius ergo tam præclarissimę rerum publicarũ tutricis studia,

Eadem Isocrates in Nicocle.

Medicina nó expellẽda sed perditi medici.

ſtudia, tantò nobis ardentiore animo ſuſcipienda, illuſtrandaque videntur, quantò diutius iacuerint: ſolet enim præclariſsimarum artium iactura, niſi quis citius ſuccurrat, non ſufferendas calamitates & publicas, & priuatas inuehere.

Vis eloquentiæ ex Cicerone, de Natura deorum.

Eloquẽtia rerũ domina. Sic iam verò domina, vt vos ſoletis dicere, eloquendi vis quàm eſt præclara, quamq́; diuina, quæ primùm efficit, vt ea quæ ignoramus diſcere, & ea quę ſcimus alios docere poſsimus: deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac ducimus perterritos à timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iracundiaſq́; reſtinguimus: hęc nos iuris, legum, vrbium ſocietate deuinxit, hæc ab vita immani & fera ſegregauit, &c.

Multi ob eloquentiam periêre. Petrarcha de aduerſa fortuna, &c.

D. eloquentiæ nihil eſt. R. Cura, vt ſapientiæ ſit aliquid, vt innocentiæ, vt virtutis: illa enim paucorũ, hæ ſunt omnium. Multi propter eloquentiam periêre. Sunt quibus obſcurum nomen propugnaculũ eſt ſalutis, diſertis nunquam deſunt labores, tantæq́; vigiliæ vltrò ſuſcipiuntur. flatus volatilis ſic exercet animum, ſolida quaſi virtus in verbis ſit, rebus intende animum: in verbis enim flatus & labor, & eloquentia, in rebus quies, virtus, felicitas, vnde ſi tibi eloquium deeſt, maximo quærendi odij inſtrumento cares, &c.

In verbis flatus. In rebus quies.

Effectus eloquentiæ.

Effectus eloquentiæ ſecundùm Ciceronem in Quæſt. Tuſcul. eſt approbatio audientium.

Petrarcha de remedio proſperæ fortunæ, Dialogo 9.

Verus orator, id eſt, eloquentię magiſter, niſi vir bonus, eſſe non poteſt. Cato: Orator eſt vir bonus, dicendi peritus.

Cicero.

Nihil eſt eloquentia, niſi copiosè loquens ſapientia: ad eloquentiam perfectam bonitas & ſapientia exiguntur, deinde nec ipſa ſufficiũt, niſi adſit peritia & copia: ita prima illa duo virum bonum ſapientemq́; duntaxat, hæc autem ſola duo nec bonum & ſapientem, nec eloquentem quidem efficiunt, ſed loquacem: omnia verò coniuncta, perficiunt oratorem, cuiuſque artificium.

Lodouicus Viues lib. 2. de Anima.

Quibus eſt ratio ac iudicium citum, ſed inefficax, ij loquaces eſſe poſſunt, eloquentes autem nullo modo. Eloquentiam voco abſolutam expreſsionem eorum, quę mente conceperis, aptis atq; commodis verbis, quod poſitum eſt in perfecta cuiusq; linguæ cognitione, tum connexione ſermonis congruenti, & rationibus appoſitis, quod eſt iudicij non ſolùm acutiſsimi, ſed etiam ſolidi ac circumſpecti. Salluſtius de L. Catilina benè expreſsit, ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum, & multes videas facundos in narrando, in argumentis planè infantes: ſicut è contrario, expenſio hæc eorum, quæ dicenda ſunt, & circumſpectio illorum, quæ adiacent: loci, temporis, perſonarũ, atq; huiuſmodi tardiloquos ſæpè ac pauciloquos facit viros magni ingenij: Leues autem & acutuli, quod nihil penſi habeant, quid profundant, verboſiſsimi ſunt.

Diogenes Cynicus oratores ac cæteros ad gloriam facientes omnia, appellabat τρισανθρώπους, id eſt, ter homines, ancipiti dicto: nam vt vulgus hominem eſſe negat, qui nec doctus nec humanus eſt, ita philoſophus hominem vocabat miſerum, qui nihil haberet ſupra hominem, ſiquidem iuxta Homerum, nullum animal homine miſeriùs: proinde ter homines dixit, ter miſeros, qui ſua ſtudia omnia conferrét ad rem inaniſsimam, ac populari multitudini, multorum capitum beluæ ſeruirent ſeruitutẽ. Eraſmus lib. 3. Apophtegmatum.

Epicurus philoſophus diſſuaſit oratoriæ operam dare, ſubiungens illam nihil quidem vnquàm profuiſſe, plurimum etiam obfuiſſe. Laertius diogenes in vita eius, lib. 10.

Archytas ſermonem ſimplicem probat, nixus authoritate Euripidis in Licymno de Hercule.

Φαῦλον ἄκομψον τὰ μέγιστ' ἀγαθὸν πᾶσαν ἐν ἔργῳ περιτεμνόμενον σοφίαν λέσχην ἄτριβῆ. id eſt.
Neglectum, inornatum, atq; ut plurimum probum,
Re metientem, non uerbis capientiam:
Sermone nunquam palliato, at ſimplici.

Laertius in vita Archytæ lib. 3.

Ibidem de oratione.

Archytas in 5. partes orationem diuiſit. Eius genus quoddam, quo vtuntur in concionibus hi, qui adminiſtrant Rempub. idq; ciuile appellari.

Aliud, quo vtuntur oratores in demonſtratione, dum vel laudant, vel vituperant, vel accuſant quempiam, eſſe vero id genus oratorium.

Tertium, quo priuati inter ſe mutuò colloquuntur, diciq; priuatum.

Quartum, quo compendio ij qui rogant, & reſpondent ad interrogata, diſſerunt, vocariq; id genus Dialecticum.

Quinto, quo artifices, dum de ſua arte diſſerunt, loquuntur: appellariq; id artificioſum.

Zeno philoſophus apud Laertium lib. 7.

Dictio, inquit, eſt vox literata, vt dies eſt: oratio verò vox ſignificatiua, quæ ex mente proficiſcitur: loquutio eſt dictio expreſſa iuxta gentium varietatem, quemadmodum Attico more dicitur — Dictio. Oratio. Locutio.

dicitur θάλαττα, Ionico verò ἡμέρη, id est, dies. Vox à dictione differt, nam vox quidem sonus est; fit enim dictio nihil significans, vt blytiri.

Exphantes Pythagoricus in libro de Regno.

Vtinam humanum ingenium nulla persuasione opus haberet, est enim persuasio terrenæ prauitatis vestigium, qua mortale animal participat; nam persuasio res est vicina necessitati, vt quæ ea perficere sua opera conetur, quæ necessitatem declinauerunt: at quæ sponte naturæ honestum amplectuntur, nulla persuasionis reuerentia mouentur, nec enim timent necessitatem. posset autem solus rex in hominis animo etiam hoc bonum efficere, vt quod melius est, imitando decorum sequeretur, illos verò, qui tanquam ebrietate corrupti sunt, & propter malam educationem melioris obliuionem inciderunt, oratio adhibita restituit, laborantes sanat, eiectaq; obliuione prauitatis vitio ipsis innata, memoriam inserit, ex qua persuasio dicta nascitur, quæ licet malis orta, boni tamen aliquid producit terram inhabitantibus: in qua, quod vitio naturæ deest, propter eius imbecillitatem, oratio inter homines vsurpata, resarcit ac explet.

Orator eadem dicere debet, quæ lex.

Aeschines.

Χρὴ τὸ αὐτὸ φθέγγεσθαι τὸν ῥήτορα, καὶ τὸν νόμον; ὅταν δὲ ἑτέραν μὲν φωνὴν ἀφίησιν ὁ νόμος, ἑτέραν δὲ ὁ ῥήτωρ, τῷ τοῦ νόμου δικαίῳ διδόναι χρὴ τὸν ψῆφον μὴ τῇ τοῦ λέγοντος ἀναισχυντίᾳ, id est.

Idem dicere oportet tum oratorem, tum legem: cùm autem aliam vocem lex, aliam orator ædit, iustitiæ legis suffragari oportet, nõ dicentis impudentiæ.

Euripides in Oreste.

ὅταν γὰρ ἡδὺς τοῖς λόγοις φρονῶν κακῶς
πείθῃ τὸ πλῆθος, τῇ πόλει κακὸν μέγα:
ὅσοι δὲ σὺν νῷ χρηστὰ βουλεύουσι ἀεὶ,
Κ' ἂν μὴ παραυτίκ' αὖθις εἰσὶ χρήσιμοι, id est.
Si quis blandiloquus sed malo præditus animo
Persuaserit uulgo, magnum est ciuitati malum:
Illi uerò, qui prudenter bona semper consulunt,
Etsi non in præsentia, inposterum tamen utiles sunt.

Idem in Bacch.

Vir potens qui fuerit audax, & dicendi peritus, malus fit, & sine mente ciuis.

NANVS. Rigor græcè ῥίγος.εος.τὸ. & ῥίγιος.ου.ὁ. rigidus dicitur. Est aũt rigor iuris excessus vel austeritas, q quandoq; statuitur ad terrorem aliorum. Rigor venit à rigeo, quod propriè est frigeo, & quoniã quæ frigent, horrent & durescunt, per metaphorã rigere & rigescere pro indurari accipitur. Hiuc rigor, non modò pro frigore, sed etiam pro duritie capitur & asperitate.

RIsus græcè γέλως.ωτος.ὁ. & γελάσιμος.ου.ὁ. risibilis dicit. Est aũt risus, vox cõfusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuntians, secundùm Cassiodorũ super Psal.

Risibile addit aliquam naturam extraneã supra hominem, quæ est præter essentiam hominis, ex Beato Thoma in quæstionibus disputatis de veritate, q.1.art.5.

Risus à rideo venit, quod græcè γελάω dicitur. Vnde ridiculus adiectiuum, quod est contemptu & derisione dignus. Ridiculum vero substantiuum significat dictum, quod risum potius quàm derisionem excitat. Hinc etiam arrideo, hoc est lætitiam animi ridendo ostendo. Ridiculosus idem est quod ridiculus.

Isocrates ad Dæmonicum.

μήτε γέλωτα προπετῆ στέργε, μήτε λόγον μετὰ θράσους ἀποδέχου, τὸ μὲν γὰρ ἀνόητον, τὸ δὲ μανικόν. id est.
Neq; risum petulantem ama, neq; sermonẽ cum audacia suscipe.
Hoc quidem enim stultum, hoc uerò furiosum.

Menander.

γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν. id est.
Risus intẽpestiuus inter mortales graue malum. *Idem.*
γελᾷ δ' ὁ μῶρος κ' ἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ. id est.
Ridet autem stultus, & si quid ridiculum non sit.

Rixa græcè ἐρίθεια.ας.ἡ. & ἐρίζω rixor dicitur. Est autem rixa audax voluntas vindicãdi iniuriam factã se. Alber. Mag. li.3. cõpendij, cap.17.

Rixa videt quoddam priuatum bellũ quod agitur inter personas priuatas, non ex aliqua publica autoritate, sed magis ex inordinata voluntate.

Rixa est contradictio in factis.f. mutua percussio, & particulare bellũ, sine autoritate publica. Sed contentio est in verbis secundùm B. Tho. secunda secundæ q.41.art.1.c.

Rixa à ringo dicitur. Est eñ ringere siue ringi, rostrum torquere, quod canes faciunt latraturi. Hinc ringi pro irasci capitur, & tacitũ stomachari. Teren. Ille ringitur, tu rides. A rixa fit rixor verbum, quod est iurgor, contendo. A quo contentiosus rixosus.

Ros græcè δρόσος.ου.ὁ. & δροσερός.ᾶ.ὁ. roscidus dicitur. Est aũt ros vapor cõcret⁹ in aqua, & neque si fuerit æstus vt exiccetur, sursum ductus, neq; si frigus, vt congeletur vapor ipse, secun. Aristotelem libro 1. Meteororum.

Ros & pluuia differũt sola quantitate, secundùm B. Tho. super Iob, cap.38.col.7.

Ros est humor, qui sereno tẽpore è cælo fluit. A rore fit rosidus, hoc est rore perfusus. Virg. Sæpibus in nostris paruã te rosida mala (Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem, Hoc est mala, quę matutino rore humecta sunt.

Ruditas græcè σκαιότης.ητος.ἡ. dicitur, & venit à rudus, q ꝓpriè à veteribus dicit rudis, aspera & imperfecta. Ideo hominem imperitum rudẽ nominamus. A quo fit erudio, quod est doceo, instruo: & eruditio doctrina, & eruditè doctè, & ruditas imperitia. Rudus nouum, & rudus vetus

vetus & rudis quid sint, vide suprà in Eruditio.

Rugitus græcè ὠρύγη.ης.ἡ. & ὠρύομαι rugio dicitur. Est autem rugitus, vox leonis, & vrsi, propter vehementiam doloris & famis. Ideo significat vehementiam tristitiæ vel fletus, ex Beato Thoma super psalm. 37. col. 7.

Ruina græcè πτῶσις.ιος.ἡ. & πίπτω cado dicitur. A ruo venit ruina, quæ propriè significat casum, poniturq; interdum pro excidio, vnde ruinosum. Hinc rutum instrumentũ rusticũ, quo ea ruina eruitur, & rutabulum, quòd eo ignis proruatur, vt panes coquantur. Hinc etiam ruto verbum sine c. ab eruendo spiritu, licet & cũ c scribi possit. Virgil. Atque omnem Cocyti eructat arenam.

Sophocles in Aiace.

ἀλλ' ἄνδρα χρὴ κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ, id est.
Sed uirum oportet & si corpus natura sortitus sit magnũ
Existimare posse cadere, & paruo incommodo.

Rumor græcè φημός.ὑος.ἡ. Et est nouitas sine certo autore; quid verò differat à fama, vide suprà in Fama.

Sacerdos græcè ἱερεύς.εος.ὁ. & ἱερωσύνη.ης.ἡ. sacerdotium dicitur. Est autem sacerdos is, qui Deo dicatus est ad sacrificia facienda. A quo sacerdotiũ ipsum sacerdotis munus officiumq;.

Exodi cap. 19.

Sacerdotes qui accedunt ad dominum sanctificentur, ne fortè percutiam eos.

Leuitici cap. 21.

Qui habuerit maculam, panes nõ offerat Deo suo, nec accedat ad ministerium eius, si cęcus, si claudus.

Numeri cap. 21.

Homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non offerat panes coram domino, nec accedat ad ministerium eius.

Paralypomenon cap. 29.

Vos elegit dominus, vt stetis coram eo & ministretis, colatisq; eum, cremetisq; ei incensum.

Matthæus cap. 8.

Vade & ostende te sacerdoti.

Lucas cap. 17.

Ite ostendite vos sacerdotibus.

Ioan. cap. 20.

Quorum remiseritis peccata, remittunt eis.

Paulus 1. ad Corinthios 4.

Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorũ Dei. Hic iam quęritur inter dispẽsatores, vt fidelis quis inueniat.

Paulus 1. ad Timoth. cap. 3.

Diaconos pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.

Ibidem.

Constitues per ciuitates presbyteros.

Idem cap. 5.

Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborãt in verbo doctrinæ. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti: &, dignus est operarius mercede sua.

Ibidem.

Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

Idem ad Timoth. 2. cap. 2.

Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit.

Augustinus libro de corpore domini & hab. 1. quæst. 1 cap. Intra.

Intra catholicam ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute spiritus sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christũ pertineret. Nunc autem sicut qui baptizat, ipse Christus est, ita ipse est, qui per spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit in sanguinem. Credendum est enim quòd in verbis Christi sacramenta conficiãtur, cuius prius creantur imperio, eius vtiq; verbo recreantur ad melius.

Idem & hab dist. 38. cap. Quæ ipsis.

Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sint ad discendum. i. sacramentorum liber, lectionarius, antiphonarius, baptisterium, computus, canones pœnitentiales, psalterium, homiliæ per circulum anni in dominicis diebus & singulis festiuitatibus aptæ, ex quibus omnibus si vnum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valde periculosæ euangelicæ minæ sunt, quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum prętet, ambo in foueam cadunt.

Idem, & hab. dist. 83 cap. Nemo.

Nemo quippe nocet in ecclesia Dei amplius, quàm qui peruersè agens, nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentem nanque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quãdo pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Episcopus itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quã episcopus.

Idem in glo. super illud pri. ad Timoth. 5. Qui benè præsunt.

Presbyteri qui benè præsunt vita & doctrina, digni habentur à subditis duplici honore. s. vt spiritualiter eis obediant, & exteriora bona ministrent. Boni enim dispensatores & fideles, non solùm honore sublimi præmiari debent, sed & terreno, vt non contristentur indigentia sumptuum, & gaudeant obedientia spiritualiũ. Instantior enim fit, si non humiliatur inopia, & crescit in illo autoritas, cùm videt se etiam in

præsenti, laboris fructum percipere, non vt abundet, sed vt non deficiat.

Idem ad Marcellinum.

Illi nanq; in hac vita positi ligandi atq; soluẽdi potestatẽ habent, qui apostolorũ exempla & documenta sequuntur. Ideo soli Petro cõcessa est, & omnibus suam doctrinã & vitam seruãtibus. Magna est ergo sacerdotum dignitas, quia ꝑpter eorũ vnctionẽ & dignitatẽ, multi ex ipsis virtutes & mirabilia operati sunt, & vsum prophetandi habuerunt, de quorum numero Caiphas pontifex Iudęorũ fuit, qui cùm pontifex in die vicis suæ à seipso locutus non fuit, sed ꝑ gratiam sacerdotalis ordinis, ac sanctę vnctionis, alta voce clamauit: Expedit vobis, vt vnus moriatur ꝑ populo, ne tota gens pereat, hoc autem à seipso non dixit.

Idem lib. de pœniten. & habetur ibidem dist. 6. Qui uult ẽ. Sacerdos.

Sacerdos itaq;, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quę in alio iudicare est ꝓmptus. Iudicans enim alium qui est iudicandus, condẽnat seipsum. Cognoscat igitur se, & purget in se, quod alios videt sibi offerre. Caueat, & à se proijciat, quicquid damnosum in alio reperit, animaduertat quod dicitur: Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.

Ibidem.

Caueat spiritalis iudex, sicut non cõmisit crimen nequitię, ita nõ careat munere scientię. Oportet vt sciat cognoscere quicquid debet iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicari, discernat. Diligens igitur inquisitor, subtilis inuestigator, sapiẽter & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare.

Hieron. & hab. dist. 32. cap. Hosp.

Hospitiolum tuum aut rarò aut nunquã mulierum pedes terant. Vide suprà in Mulier.

Idem ad Damasum Papam, de filio prodigo, & hab. dist. 37. cap. Sacerdotes.

Sacerdotes Dei omisis Euangelijs & prophetijs videmus comœdias legere. Vide infrà in Scriptura sacra.

Idem super Malach. & habetur dist. 50. cap. Sacerdotes.

Sacerdotes nomen domini despiciunt, & quãtum ad se panem pollutum offerunt, qui ad altare indignè accedunt, quiq; dato munere sacerdotium præsumunt.

Idem ad Nepotianum, & habetur. 12. quæst. 1. cap. Cler.

Clericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primum vocabulũ suum, & nominis diffinitione ꝓlata, nitatur esse, ꝙ dicitur. Si enĩ cleros gręcè, latinè sors appellatur, ꝓpterea clerici dicũtur, quia de sorte domini sunt, vel quia ipse dominus sors, i. pars clericorũ est, & quia vel ipse pars domini est, vel domini partem habet, talem se exhibere debet, vt ipse possideat dominum, & ipse possideatur à domino. Qui dominũ possidet, cum propheta dicit: Pars mea dominus, nihil extra dominum habere potest: quod si quippiam aliud habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus nõ dignatur dominus fieri pars eius, si autem ego pars domini sum & funiculus hæreditatis eius, non accipio partes, inter cæteras tribus, sed quasi leuita & sacerdos viuo decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, & his cõtentus ero, & nudam crucem, nudus sequar.

Idem in Hierem. & hab. dist. 45. cap. Sed illud.

Sed illud nõ otiose trãseundũ est, quod vno peccante, ira Dei super omnẽ populum venit, hoc quomodo accidit? quãdo sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquẽte, beneuoli videri volunt, & verentes peccãtiũ linguas, ne fortè male de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores, nolunt complere quod scriptum est: Peccantẽ corã omnibus argue, vt cæteri metum habeãt, & iterum: Auferte malum à vobis ipsis: nec zelo dei succensi, imitantur apostolũ dicentem: Tradidi huiusmodi hominẽ Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat: Neq; illud euãgelij implere studẽt, vt si viderint peccantem, primo secretò eum conueniant, post, etiam duobus vel tribus adhibitis testibus, qui contempserit, & post ecclesiæ correctionẽ non fuerit emẽdatus de ecclesia expulsum, velut gẽtilem habeant & publicanum: & dum vni parcunt, vniuersæ ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est ista misericordia? quæ ista bonitas? vni parcere, & omnes in discrimẽ adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut vna oue morbida, vniuersus grex inficitur, sic vel vno fornicãte, vel aliud quodcunq; scelus cõmittente plebs vniuersa polluitur. Hinc etiam alibi dicit: Rectorẽ subditis, pietas matrẽ, disciplina verò patrem exhibeat.

Idem Damaso Papæ, & habetur 16. quæst. 1. Quoniam quicquid.

Quoniam quicquid clerici habent, pauperũ est. Vide suprà in Hospitalitas.

Idem super Ezechielem lib. 2.

Grãdis dignitas sacerdotũ, sed grauior ruina, si peccant: lætemur ad ascensum, sed timeamus lapsum. Nõ est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris, de sublimioribus corruisse. Nec enim solùm pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti.

Idem

Idem super Aggæum Prophetam.

Considera, sacerdotum esse officium de lege interrogatos, respõdere. Si sacerdos est, sciat legem domini: si ignorat legẽ domini, ipse se arguit non esse sacerdotem domini. Sacerdotis est enim scire legem, & ad interrogationem respondere de lege.

Idem epist. ad Nepotianum.

Conuiuia tibi vitanda sunt secularium, & maximè eorum qui honoribus tument. Turpe est enim, ante fores sacerdotis domini, & pauperis crucifixi, & qui cibo quoq; vescebatur alieno, lictores consulum, iudicemq; prouinciæ & milites excubare: melius est apud te prandere quàm in palatio.

Ambrosius in Epist. ad Vercellen. & hab. dist. 26. cap. Qui sine.

Qui sine crimine, vnius vxoris est vir, tenetur ad legem sacerdotij suscipiendi: qui autẽ iterauerit coniugium, culpam quidẽ nõ habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur sacerdotis.

Idem in epist. ad Theodosium imperat.

Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quã quòd sentiat veritatem non liberè pronuntiare.

Gregorius Andreæ Tarentino episcopo, & hab. dist. 33. Habuisse.

Habuisse te concubinam manifesta veritate comperimus & te illius criminis participationem habere, de qua etiam cõtraria est quibusdã innata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutũ nõ debet esse iudiciũ, hoc tuę conscientię cõmittendũ eligimus. Qua de re si in sacro ordine cõstitutus, eius te recolis permixtione maculatũ, sacerdotij honore deposito ad ministrãdũ nullo modo pręsumas accedere, sciturus in animę tuæ periculo te ministrare, & deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huius sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem permanere volueris.

Idem omnibus per regnum Italicum & Teutonicorum, & hab. dist. 81. cap. Si qui presbyteri.

Si qui presbyteri sunt, diaconi, vel subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei patris omnipotẽtis, & sancti Petri authoritate ecclesiæ introitum, vsque quò pœniteant & emẽdent. Si verò qui, in peccato suo perseuerare maluerint, nullus vestrũ eorum præsumat audire officium, quia benedictio eorum vertetur in maledictonẽ, & oratio in peccatũ, testante domino per prophetã: maledicã inquit, benedictionibus vestris. Qui verò huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatũ incurrẽt. Samuele testante & beato Gregorio instruente. Peccatum ariolandi est non obedire, & scelus idololatrię nõ acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quisquis dum Christianũ se esse asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit.

Idem Symmacho, & hab. ibidem, cap. Volumus.

Volumus vt sacerdotes prohiberi debeãt, nè cum mulieribus conuersentur, excepta duntaxat matre, vel sorore, vel vxore, quæ castè regenda est.

Idem in Registro, & hab. ibidem, cap. Legitur.

Legitur quod beatus Augustinus nec cũ sorore habitare cõsenserit, dicẽs: quę cum sorore mea sunt, sorores meæ nõn sunt: docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio.

Idem Ianuario episcopo & habetur dist. 81. cap. Archidiaconum.

Archidiaconũ tuum, vt audio, habitare cum mulieribus prohibuisti, & nunc vsq; in ea prohibitione despiceris: qui nisi iussioni paruerit, cum sacro ordine volumus esse priuatum.

Idem ad Hermannum Meten. episc. & hab. dist. 96. cap. Quis dubitet.

Quis dubitet sacerdotes Christi, regum & principum omniumque fidelium patres & matres censeri? nónne insanię miserabilis esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrũ sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit non solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solui?

Idem lib. 24. Moralium.

Penset ergo sacerdos, quia ad satisfaciendũ districto iudici de sua tantummodò anima fortasse vix sufficit, & quod regendis subditis pręest, reddendæ apud Deum rationis tempore (vt ita dicam) tot solus animas habeat.

Idem in homil. Dignus est mercena. &c.

Pensate fratres, quantæ damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris: quanti criminis, pretia peccatorum accipere, & nihil contra peccata prædicando dicere.

Idem homilia sexta.

Semper sacerdotali pectore, cum terrore seueritatis, custodiri debet virtus mansuetudinis, vt & iram mansuetudo custodiat, & ira mansuetudinem (ne fortè dissoluta sit) zelus discretions accendat.

Idem homil. 17.

Nullum ab alijs præiudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quãdo eos quos ad aliorum correctionẽ posuit, dare se exempla prauitatis cernit. Plerunq; quod est grauius, sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerunq; si quos humiliter, si quos continenter viuere conspiciunt, irrident.

Ibidem.

Ingrediuntur electi sacerdotũ, manibus expiati cæleste patriam & sacerdotes Christi per viam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi

aquæ baptiſmatis? quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleſte mittit, & ipſa in cloacas deſcendit.

Idem ſuper Ezechielem hom.11.

Nos qui ſacerdotes vocamur, qui ſupra ea mala quę propria habemus, alienas quoq; mortes addimus, qui tot occidimus, quot ad mortẽ ire quotidie, tepidi & tacentes videmus.

Idem in Regiſtro.

Cauſa ſunt ruinæ populi, ſacerdotes mali. Quis enim ſe pro populi peccatis inteceſſor obijciat, ſi ſacerdos qui orare debuerat, grauiora committat?

Ioannes Chryſoſt. ſuper Matthæum.

Verè magna confuſio ſacerdotum, & omniũ clericorum, quando laici inueniuntur fideliores eis & iuſtiores. Quomodo non ſit confuſio eſſe inferiores illos laicis, quos & æquales eſſe confuſio eſt?

Idem ſuper illud Matthæi 23. Amen dico uobis, ſuper omnia.

Benè agente populo, vnuſquiſq; pro ſuo merito remuneratur, ſacerdos autem pro bonis omnium. Habet enim pro ꝓprijs auream, & pro acquiſitione aliorum, aureolam.

Idem ſuper Matthæum 23. tractans illud: Super cathedram Moyſi.

Multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes: multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo quomodo ſedeatis ſuper cathedram, quia cathedra non facit ſacerdotem, ſed ſacerdos cathedram: nõ locus ſanctificat hominem, ſed homo locũ. Qui benè ſederit ſuper cathedram, honorẽ accipit ab illa: qui malè ſederit, iniuriam facit cathedræ. In iudicio enim ſedens, ſi benè vixeris quidem & benè docueris, omniũ iudex eris. Si autem benè docueris, malè vixeris, tui ſolius. Nam benè viuendo & benè docendo populum inſtruis, quomodo debeat viuere: benè autem dicendo & malè viuendo: inſtruis Deum quomodo te debeat condemnare.

Iſidorus lib.7. Etymologiarum cap.12. & habetur diſt.21. cap. Cleros.

Cleros & clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primùm per apoſtolos legimus ordinatum: cleros enim græcè ſors, latinè hæreditas dicitur. Propterea ergo dicti ſunt clerici, qa de ſorte domini ſunt, vel quia domini partem habent. Generaliter autẽ clerici nuncupantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſeruiunt, quorum gradus & nomina ſunt hæc: Oſtiarius, pſalmiſta, lector, exorciſta, acolytus, ſubdiaconus, diaconus, preſbyter, epiſcopus.

Beda ſuper Lucam & hab. diſt.31.c. Sacerdotibus.

Sacerdotibus vt ſemper valeant altari aſsiſtere, ſemper ab vxoribus eſt abſtinendũ, ſemperque caſtitas obſeruanda præcipitur.

Ariſtoteles libro 6. Politico.

Oportet in ciuitate aliquos eſſe, curam deorum habentes, ſcilicet ſacerdotes.

Plautus in Rudente.

Quis eſt homo tanta confidentia, qui ſacerdotem uiolare audeat?

Ouid. epiſt. Didonis ad Aeneam.

Pone deos, & quæ tangenda ſacra prophanas,
Non benè cœleſtes impia dextra colit.

De hac materia habes ſuprà vbi Prælatus & Religio.

Sacellum græcè ἱερόν.οῦ.τὸ. dicitur. Et eſt locus paruus deo ſacratus cum ara, ſecundùm Caium Trebatium lib.2. de religio. Eſtq; diminutiuũ de ſacrum, ſecundùm A. Gellium lib.6. cap.7. Noct. Attica.

SAcramentum à ſacrum venit, quod græcè ἱερόν.οῦ.τὸ. dicitur. Eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ſecundùm Auguſtinum.

Sacramentũ eſt materiale elementũ, extrinſecus oculis ſuppoſitũ, ex inſtitutione figurans & ſimilitudinem repræſentans, & ex ſanctificatione aliquam gratiam inuiſibilẽ conferens, ſecundũ Hugonẽ de ſacramentis lib.6. par.9. c.2.

Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum, in quo ſub tegmento viſibilium diuina virtus ſalutẽ ſecretius operatur.

Sacramentum etiam eſt, quod iuſiurandi ſacratione interpoſita geretur, vnde ſacramentum militare dicitur.

Sapientiæ cap.2.

Neſcierunt ſacramenta Dei.

Auguſt. contra Peti. & hab.1. quæſt.1.c. Neq; in homine.

Neq; in homine bono aliquis Dei ſacramenta fugiat, neq; in homine malo.

Idem contra epiſt. Parmeniani, & hab. ibidem, cap. Omnia ſacramenta.

Omnia ſacramenta obſunt indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Dei. Vnde dictũ eſt: Quę dicũt facite: quæ autem faciunt, facere nolite.

Idem libro contra Donatiſtas.

Scio quia lapis ex aqua fructũ ferre non poteſt, & per lapideos canales tranſit aqua ad areolas, & in canali lapideo nil generatur: ſed hortus plurimum fructum affert. Spiritalis verò virtus ſacramẽti, vt lux pura ab illuminãdis recipitur: ſed cũ per immundos trãſit, nõ coinquinatur.

Idem lib. de Doctrina Chriſtiana.

Intra Catholicam Eccleſiam, in miniſterium corporis & ſanguinis Domini, nil à bono maius, nil à malo minus perficitur ſacerdote, vide ſuprà in Sacerdos.

Gregorius, & hab.1.q.1. Multi ſecularium.

Multi ſecularium hominum cùm plus ſacerdotis vitam quàm ſuam diſcutiunt, in magnũ

contem-

contemptionis diuinorum sacramentorũ crimen incurrunt. Magna enĩ trabe habentes vulneratos oculos, eamq; negligentes, festucam tenuem in aliorum conspiciunt oculis: quam dũ incautè festinant auellere, erroris in foueã dilabuntur, minus quidem cõsiderantes, ꝙ nõ eos sacerdotum vita lęderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aures accõmodarent. Sed dum hypocritarum more, plus illorũ famam quàm ꝓpriam vitam, vel vitæ negligentiam dijudicant, spernunt sancta monita & spiritualia dona. Vnde fit, vt non solùm ab eis dicta respuant, sed ꝙ est deterius: diuina etiã mysteria cõtemnant, vt nec corporis communionem, nec sanguinis domini nostri Iesu Christi eorum ministerio confectã assumant, putantes hanc minus esse sanctificatã, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quàm magnum laqueum incidunt, vt diuina & occulta mysteria plus ab alijs sanctificata posse fieri credant, cùm vnus idemq; spiritus sanctus in ecclesia diffusa per totum orbem terrarum incõprehensibiliter ea mysteria & occulta atq; inuisibiliter, & operando sanctificet, & benedicendo benedicat. Mysterium itaque fratres ob hoc dicitur, ꝙ secretam & reconditã habet dispensationem. Sacrificiũ aũt quasi sacrum factum, quia prece mystica cõsecratur ꝓ nobis in memoriam dominicæ passionis. Sacramentum verò est in aliqua celebratiõe, cùm res gesta ita fit vt aliquid sanctificatè accipiamus, quod sanctè accipiendũ est. Sunt aũt sacramenta baptisma, chrisma, corpus & sanguis Christi, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporaliũ rerum, diuina virtus secretius salutem eorundem sacramentorũ operatur effectum, vnde à secretis virtutibus vel sacris, sacramenta dicuntur: quæ ideo fructuose penes ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus, eorundem sacramentorum sapienter operatur effectum.

Idem & habetur 1.q.1.Non nocet.

Non nocet malitia episcopi, neq; ad baptismũ infantis, neq; ad ecclesię cõsecrationẽ, qa baptisma à Deo dat̃, non ab homine: sic & eucharistia & omnia quæ in altari ponuntur, non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipiunt.

Sacrificium græcè θυσία. ας.ἡ. & θύω sacrifico dicitur. Est autem sacrificiũ ꝓpriè aliquid factum in honorem debitũ soli Deo ad eum placandum, B.Tho.sec.secun.q.80.art.4.

Sacrificiũ & oblatio differunt. Quia oblatio est omnẽ quod exhibet̃ in cultu Dei. Sacrificiũ si inde fiet aliquod sacrum consumendum, ex B.Thom.sec.sec.quæst.85.

Sacrificium à sacrifico venit, quod ita differt à lito: vt sacrificare sit veniam petere, litare verò propitiare & votum impetrare. Plaut. Si hercle istuc vnquã factũ est, tũ me Iuppiter faciat vt semper sacrificem, nunquam litem. Ista tamẽ sæpe confunduntur, & vtrunq; sumitur pro sacrum facere. A sacrifico venit sacrificulus, rex sacrorum.

SAcrilegium græcè ἱεροσυλία. ας.ἡ. & ἱερόσυλος. ου.ὁ. sacrilegus dicitur. Est autem sacrilegiũ, sacræ rei violatio seu vsurpatio. Et accipitur ibi violatio, pro quacunq; irreuerentia aut dehonoratione. Et dicitur secundũ Inno. sacrilegiũ quasi sacrilædium.

Sacrilegium omne est quod fit ad irreuerentiam rei sacræ, sec.B.Tho.1. sec.q.99.o.

Sacrilegus est qui rem sacram, aut è sacro loco furatur, à quo tale furtum sacrilegiũ dicitur.

Augustinus super Ioan. & hab.23.q.4.cap. Quid ergo uoluit.

Non vndecunq; tollere hoc est sacrilegium committere, sed de ecclesia qui aliquid furatur, Iudæ proditori comparatur.

Hieron.epist.34.

Amico rapere quicquam furtum est, ecclesiã fraudare sacrilegium est. Accepisse aliquid, erogandum pauperibus & esurientibus, apertissimi sceleris est. Aliquid inde subtrahere, omniũ prædonum cupiditatem superat.

Idem Damaso Papæ. & hab.16.q.1. cap. Quoniam quicquid.

Clericos aũt illos conuenit ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parentum & amicorum nulla suffragantur stipendia. Qui autẽ bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperũ est accipiunt, sacrilegiũ ꝓfectò incurrunt & committunt, & per abusionẽ talium iudiciũ sibi manducant & bibunt.

Idem epist.5.

Sufficit ergo hoc quod vidimus, quod diuinitas nosse nos voluit. Nec vltra cognitio porrigenda est, ne sacrilegus vnusquisque teneatur, quia concessos terminos fuerit cognitione egressus.

Greg. Sabi. subdia. & hab.17. q.4.cap. Sacrilegi.

Sacrilegium & cõtra legem est, si quis ꝙ venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studijs tentauerit suis compendijs retinere.

Idem uniuersis episcopis Hispanis & hab.1.q. 3.cap. Audiuimus.

A sacrilegio quoq; hoc facinus non dispar dixerim, cùm id quod sponte & sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur.

Cicero lib.1. de legibus.

Sacrum sacróue commendatum qui dempserit rapueritq;, parricida esto.

Ibidem.

Sacrilego pœna est, neq; ei soli qui è sacro abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum, quod & nunc multis fit fanis.

Iustinus histor. lib. 4.

Philomenes primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegij pœnas impio sanguine luit.

Aulus Gellius noct. atti. lib. 3. cap. 9.

Nam cùm oppidum Tolosanum in terra Italia, Quintus Cepio cõsul diripuisset, multumq́; auri in eius oppidi templis fuisset: quisquis ex ea direptione aurũ attigit, misero cruciabiliq́; exitu perijt.

Lucanus lib. 3.

Quis enim læsos impunè putaret,
Esse deos? *Iuuenalis Satyra 4.*
Nemo malus fœlix, minimè corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper uittata iacebat,
Sanguine adhuc uiuo terram subitura sacerdos.

Sæuitia græcè χαλεπότης. ητος. ἡ. & χαλεπός. οῦ. ὁ. dicitur. Est aũt sæuitia idem quod crudelitas, hęc & sæuitudo dicitur, hinc & sęuè crudeliter.

Sæuus quandoq; idem quod magnus. Virg. Maternis sæuus in armis Aeneas. Quandoq; ꝓ crudeli, nonnunquã pro irato. Item sęuio irascor, vt crudelitatem exerceo. Seuũ sine diphthongo, pinguedo est cornigerorum dũtaxat, qui in vna parte dentata sunt, & qui in pedibus tales habent. Bisulca vero, quęq; scissos pedes in digitos habent, & carent cornibus, non seuũ sed adipem habent qui concretus est: & cum refrixit, facile frangit, semperq́; est in fine carnis sine sensu: quia nec arterias habet neq; venas.

Sanctificatio græcè ἁγίασμα. ατος. τὸ. dicitur. Et est munditia à peccato, vel cõfirmatio in bono, vel deputatio ad cultum Dei. Et tertiũ conuenit irrationalibus rebus, vt ecclesiæ, vestibus & huiusmodi, se. B. Tho. 2. 2. q. 81. art. 8. c.

SAnctitas græcè ἁγιωσύνη ης ἡ. ἅγιος. ου. ὁ. sanctus dicitur. Est autem sanctitas scientia colendorum deorum, secundùm Ciceronem lib. 1. de natura deorum.

Sanctitas est virtus faciens homines fideles, & seruantes ea quæ ad Deum sunt iusta, secundùm Andronicum.

Sanctitas est ab omni immunditia, libera & perfecta, & omnino immaculata munditia, secundùm Dionysium de diuinis nominibus ca. 12. & B. Tho. 1. sent. dist 10. q. 4. art. 4.

Sanctitas à sancio venit. Sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ, vnde sanctum dicitur quasi sanguine consecratũ, & sanctio propriè vocatur lex cum terrore pœnæ.

Sanctitas, sanctitudo, sanctimonia, eiusdem significationis sunt.

Leuitici cap. 19.

Locutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel & dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester.

Paulus ad Hebræos cap. 12.

Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Ad Thessal. 1. cap. 4.

Hęc est voluntas Dei & sanctificatio vestra.

Idem 2. ad Corinth. cap. 11.

Gloria nostra est testimoniũ cõscientię nostrę.

August. de diffinitione Ecclesiæ dogmatum.

Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem.

Idem lib. de doctrina Christiana.

Ille iustè & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendũ, aut minus diligat quod amplius est diligendũ, aut minus aut amplius quod æquè diligendum est.

Ibidem.

Ista sunt quæ sanctitatis causa seruanda sunt, pudicitia corporis, castitas animæ, & veritas doctrinæ.

Hieroni. super epist. Pauli ad Phil. & hab. 11. q. 3. cap. Si quis dixerit.

Si quis dixerit iustum iniustum, & iniustum iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Similiter qui sanctũ dicit non sanctum, & rursus non sanctum asserit sanctum, abominabilis est apud Deum.

Ibidem.

Si quis hominem qui sanctus non est, sanctũ esse crediderit, & Dei eum iunxerit societati, Christũ violat, cuius membra sumus. Et infrà: Omnes credentes secundùm Apostolum, Christi corpus efficimur. Qui in Christi corpore errat & labitur, asserens membrũ eius esse sanctũ cùm non sit: vel non esse sanctum cùm sit, vide quali crimine obnoxius fiat.

Esaias enim dicit, dulce amarum, & amarum dulce: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: dulcem puto esse sanctimoniam, amarum quod sanctimoniæ contrarium est.

Idem in epistola ad Nepotianum.

Nec rusticus, nec tantùm simplex frater ideo se sanctum putet si nihil nouerit, nec peritus & eloquens in lingua æstimet sanctitatem, multo quẽ melius est de duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.

Idem in epistola ad Paulinum.

Non Hierosolymis fuisse sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est, quia & Hierosolymis, & de Britania ęqualiter patet aula cœlestis.

Idem epistola ad filiam Mauritij.

Sancta magis esse, quàm videri, stude. Nihil prodest æstimari ꝙ non sis, & duplicis peccati reatus

reatus est, non habere quod crederis & vt habueris simulare.

Ambrosius libro de Ioseph.

Discamus ergo & sanctorũ inuidiam, vt imitemur patientiam, & cognoscamus illos nõ naturæ præstantioris fuisse, sed obseruantiæ maioris; nec vitia nescijsse, sed emendasse.

Gregorius in Moralibus.

Sancti viri quò altius apud deum virtutum dignitate proficiũt, eò subtilius indignos se esse deprehendunt, quia dùm proximi luci fiunt, quicquid eos in seipsis latebat, inueniunt.

Ibidem.

Sancti viri nec elatione sunt liberi, nec ex timore submissi, cùm rectitudo eos ad libertatẽ non erigit, consideratio infirmitatis, ipsa in humilitate custodit.

Idem Moralium 24.

Viua enim lectio est vita sanctorum.

Ioannes Chrys. super Matth. cap. 24.

Sanctorum virorum est, non inquirere mansionem, vbi clariores sunt viri, sed vbi fideliores. Nec gaudent vbi epulæ largæ sunt, sed vbi sanctitas floret.

Ibidem.

Quæ est ista iustitia, sanctos colere, & sanctitatem contemnere. Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere.

Idem in sermone de Confeßionibus.

Qui sanctorũ merita religiosa charitate miratur, quicunque iustorum glorias, frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iustitiam imitetur. Quoniam quem delectat alicuius sancti meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium: quare aut imitari debet si laudat, aut laudare non debet, si imitari detrectat, vt qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur.

Idem in Ioanne Baptist. serm. 8.

Ioannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitię titulus, castitatis exemplũ, pœnitentiæ via, peccatorũ venia, fidei disciplina, legis summa, euangelij actio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, officium preconis, preco iudicij, domini testis, totius medius trinitatis.

Petrus Rauen. in sermone de Ioanne Bapt.

Nascitur Ioannes maior homine, par angelis, tuba cœli, preco Christi, arcanum patris, filij nuntius, signifer superni regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium, & (vt proprie dicam) legis gratiæ fibula.

Origenes homilia 42. super illud Leuitici: De sanctis non exiqit, &c.

Qui peccat de sanctis exit, non enim in locis sancta quærenda sunt, sed in actibus & vitę moribus: quę si secundùm deum sint, & secundùm præceptum Dei habeantur, etiam si in domo sis, etiam si in foro, & quid dico in foro, etiam si in theatro inuenairis verbo dei deseruiens, in sanctis te esse non dubites.

Iuuenalis Satyra 13.

Egregium, sanctumq́; uirum si cerno, bimembri:
Hoc monstrum puero, uel miranti sub aratro
Piscibus inuentis, & foetæ comparo mulæ.

Galenus, de sanitate tuenda lib. 1.

AMANTIVS.

Dignitate & tempore sanitas morbum præcedit, esse autem ostendimus similarium, quas vocant, partium sanitatem, calidi, frigidi, humidi, & sicci symmetriam, id est, conuenientiam inter se quandam esse: instrumentalium verò similarium ipsarum compositione, numero, magnitudine, figuraq; constare.

Ibidem.

Primùm ad præsentium contemplationem, pro hypothesi præsumptum esto: sanitatem nõ esse absolutè elementorum, ex quibus constamus, temperamentum (quam symmetriam appellant) quemadmodum omnibus ferè, qui ante nos scripserunt, visum est, sed eam duntaxat, quæ similarium est partium: deinde instrumentalium sanitatem in figura, numero, magnitudine, ac compositione similarium consistere. Tertiò, functionibus secundũ naturam obeundis sanitatis habitum discerni. Postremò sanitatem quandam optimam esse, (& vt sic dicam) consummatam, atque summam quandam, ceu deficientem ab hac, nec planè absolutam perfectámue, atq; hanc etiam latitudinem habere non paruam.

Cornelius Celsus lib. 1. cap. 1.

Sanus homo, & qui benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neq; medico, neq; alipta egere: hũc oportet variũ habere vitę genus, modò ruri esse, modo in vrbe, sępiusq́; in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa naturam senectam, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti, modò vngi, modò idipsum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur, &c.

Ex regimine sanitatis.

Magninus medicus Mediolanensis author est.

Sanitas est vna bona dispositio corporis humani, per quam agit vel patitur actionem vel passionem ei debitam, secundùm naturam, absque notabili læsione: atq; hæc dispositio est primùm in membris homogenijs, vt in osse, & carne, & consimilibus, & vocatur commensuratio in quatuor primis qualitatibus, puta in calido, frigido, humido, & sicco. secundò est in membris heterogenijs, seu officialibus: puta in manu, pede, cerebro, & corde.

Quot

Quot modis sanitas dicatur.

Sanitas autem non consistit in indiuisibili: id apparet primò, inducentib⁹ in diuersa membra, quorum non est eadem sanitas, cùm constet habere diuersas sanitates, quod rationi etiã conuenit, ex quo habent diuersas operationes: quæ omnia arguunt diuersam sanitatem. Galenus tertio de Morbo. Siquidem sanitas dispositio est factiua actus, atq; hoc idem patet in cõsideratione diuersitatis ætatum.

Alcmeon asserebat continentẽ sanitatis causam in æqualitate facultatum inesse, nempe humidi, sicci, calidi, amari dulcis, & reliquorum: vna autem ex ipsis præpollente, morbum fieri.

Plutarchus in salubribus præceptis.

Sanitatem, ait, maximè diuinum, longeque blandissimum esse condimentum, id est. Τὴν ὑγείαν, ἥδυσμα θεϊότατον εἶναι καὶ προσκυνέστατον.

Idem.

Cibi viliores appetentiam intra naturæ modum cohibent, cæterùm artes istorum, qui obsoniorum sunt opifices, atq; architecti & operosæ istæ cupediæ, ac ingeniosa condimenta, semper (vt inquit comicus) voluptatis fines lõgiùs promouent, ac vitiant vtilitatem.

Ibidem.

Fertur & Alexander dixisse, postquàm solitos obsoniorum artifices adiecisset, se lõgè cõmodiores secum posse ducere, nempe nocturnã profectionem ad condiendum prandium, ad cœnam verò, prandij tenuitatem.

Ibidem.

Expendere non oportet, num recens sit piscis, num purus panis, num caleat balneum, nũ formosum scortum, sed seipsum quis consideret, fastidiosus ne sit, aut parum tranquillus, aut marcidus, aut perturbatus. Quod ni fiat, non secus ac si commessatores ebrij in ædes irrumpant luctu funestas, nihil hilaritatis, neque voluptatis sint allaturi, quin eiulatum potius excitaturi: sic etiam venus, obsonia, balnea, vinum, siquidem in corpore malè præterque naturam affecto misceãtur, his etiam humoribus, qui non certum vitium, aut coruptionem acceperunt, phlegma bilemque mouent, exagitant magis ac magis excitant. Igitur exacta quidem illa, & vehemẽter ad vnguẽ, vt dici solet, obseruata vitæ ratio, simul & corpus formidolosum reddit, ac periculis obnoxium, & animi frangit vigorem, & alacritatem, dum omnia negocia refugit, dumque non audet nec in voluptatibus, nec in laboribus versari, dum omnem rerũ administrationem suspectam habet, nec quicquã confidenter & intrepidè aggreditur. Verùm oportebit corpus non aliter quàm nautæ velum, neque contrahere sereno cælo, neque vehemẽter premere; neque rursus luxatis vti linteis, & negligenter ac supinè agere, cùm suspicio sit tempestatis, sed obsequi conuenit, ac leue corpus reddere: vnde non in cibis solùm, & exercitationibus conueniet obseruare corpus, num præter solitum illis grauatim & illibenter vtatur, aut contrà: num siticulosius magisque famelicum sit, quàm consueuerit: sed etiam illud obseruandum erit, si quando somnus nec perpetuus fuerit, nec placidus, sed inæqualis & interruptus: quin etiam insomniorum absurditatem conueniet annotare: nam si nepharia, & insueta visa occurrerint, aut crassis humoribus plenum corpus, aut spiritus intus turbatos declarant. Quin & animi affectiones indicant, corpus ad morbum esse propensum: nam sæpè occupat quosdam tristitia, nullam ob causam idoneam suborta, aut metus repente spes extinguens: idque cùm nihil appareat, cur sit metuendum. Redduntur autem & iracundi, sic vt facilè commoueantur, & ob rem quamlibet leuem indoleant, lachymantur ac mœrent, quoties mali vapores, & exhalationes amaræ condensatæ, animi circuitus (vt inquit Plato) præpediunt, occupantque: vnde optimè dicitur, non satiare cibo, non refugere laborem, seminis substantiam conseruare, hæc tria saluberrima esse: nam incontinentia circa Venerem, dum vires maximè reuoluit, per quas alimentum elaboratur, magis excrementa & plenitudinem auget.

Pythagoras.

Corpus requirit, ne famem, ne sitim, ne frigus patiatur.

Socrates monebat, vt cauerent, sibi homines à cibis, qui non esurientes ad edendum, & à potibus, qui non sitientes ad bibendum alliciunt.

Gorgias Leontinus interrogatus quónam vsus genere victus, in tantam senectutem progressus esset: nihil vnquam voluptatis gratia se aut comedisse aut fecisse dixit.

Hyppocrates.

Σιτία, ποτὸς, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια, id est.

Cibi, potus, somni, Venus, omnia moderata sint.

Plato lib. 7. de Legibus.

Corporibus omnibus motus agitatioq; non laboriosa prodest, siue à seipsis, siue in vehiculis, seu naue, siue equis, siue quomodocunque aliter moueantur, & horum motuum beneficio, ciborum, potus, quæ alimentum superantia, sanitatem, pulchritudinem & vires nobis præbere possunt.

De pædia Cyri Xenophon lib. 1.

Mutatio, quæ fit paulatim, efficit vt omnis natura mutationes ferat: docet prætereà Deus ipse,

ipſe, qui paulatim nos deducit ex hyeme ad vehementes æſtus tolerandos, ex ęſtu in hyemem vehementem: quem imitantes, ad quod eundũ eſt aſſueſacti antea, ire nos debemus.

Antyllus.

Auxiliorum genera quatuor ſunt: primùm facienda, quæ vtilitatem in ægrotantis actione ſitam habent: Alterum, ſumenda, quæ pro cibo aut potu capiuntur: Tertium, euacuanda, quæ aliquid educendo è corpore iuuant. Multi ſanè circa hoc nomen otioſi quidam homines occupantur, dum curioſius inquirunt, cur euacuanda potiùs, quàm euacuãtia nominata ſint. Poſtremùm genus auxiliorum forinſecus accedentia conſtituunt.

Xenophon, de factis & dictis Socratis.

Tantum laborandum, quantum animus libenter ſuſcipit, eamque exercitationem ad ſanitatem admodum conducere, animiq; diligentiæ non eſſe impedimento, conſtat.

Pythagoras in aureis carminibus.

Sed nec deſpicias ſeruandi corporis arteis:
Iuſta cibi potusq;, & ſit menſura laborum,
Menſuram dico, quæ non queat eſſe dolori.

Paulus Aegineta, de victus ratione: quolibet anni tempore utitur.

Hyeme quidem & fortiori exercitatione, & pleniore cibo vtendum eſt, præcipuè ſi tempeſtas aquilonia fuerit, ſi verò auſtralis, ſimiliter exercitari oportet, ſed cibo potioniq; aliquid demere, atque in totum per tempus humidum omninò aridum reddere corpus: per frigidum verò, calidius, ac tum carnes eſſe, oleraque calidiora, atq; vinum bibere meratius. Aduentante vere alius quidem per vomitũ, alius per ventrem vacuetur, alius ſecta vena ſanguinem mittat, prout cuiuſq; fuerit vel conſuetudo vel animi promptitudo. Aeſtate confert quies, exercitatio remiſsior, atq; cibus exiguus, qui quidem ex frigdiore genere deligendus eſt: tum verò potioni adijcere, atque quicquid refrigerare humectareq; poſſit, adhibere oportet. Per autumnum maiori cautela opus eſt, quippe qui vſquequaq; & inequalis & inordinatus eſt, multiformesq; inducit morbos: itaque ne circa refrigerationem quid peccetur cauendum eſt: à venere quoque & frigada potione abſtinendũ, neque verò aëri quis ſe credat, vel per matutinum frigus, vel per ardorem meridianum: pomis impleri noxium eſt, nõ ob ſocietatem tantùm, verùm etiam, quoniam vitioſi humores inde naſcuntur, atq; flatum quoque excitant, ſiquidem omnium fructuũ optimi ficus vuaq;, & flatum pariunt, & alimenta corrumpunt: niſi ante alios cibos aſſumantur, prælumpti verò neque inflant neque corrumpunt: quum frigeſcere cœperit aër, corpus pro frigoris ratione calefacere oportet, atque omnia facere, vt cùm hyems iam proceſſerit, nec ab re fuerit, reuoluto ęquinoctio, vacuare corpus ex aliquo eorum, quæ diximus, ne redundantia quædam per hyemem retenta moleſtiam inferat.

SApientia græcè σοφίς. ας. ἡ. & σοφός. οῦ. ὁ. ſapiens dicitur. Eſt autem ſapientia multarum & mirabilium rerum ſcientia, ſecundùm Ariſtotelem lib. 1. Rhetoricorum. NANVS

Sapientia eſt cognitio primarũ & altiſſimarum cauſarum, ſecũdùm Ariſt. lib. 1. Metaphy.

Sapientia eſt ſcientia ſempiternorum, ſecundùm Alpharabium lib. de Diuiſione philoſ.

Sapientia eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia cognitioq;, quę cauſa cuiuſque rei ſit, ex quo efficitur, vt diuina imitetur, humana omnia virtute inferiora ducat, ſecundùm Ciceronem lib. Tuſcul. quæſt.

Sapientia qua formaliter ſapientes ſumus, eſt quædã participatio diuinę ſapientię, quę Deus eſt, ſecundùm B. Thomam 2. 2. quæſt. 23.

Omnis ſapientia eſt ſcientia inquantum eſt de concluſionibus, ſed differt à cæteris ſcientijs inquantum eſt de principijs, ſecundùm B. Thomam prima ſecundæ quæſt. 57. art. 2.

Sapientia à ſcientia differre videtur, quia ſapientia eſt rerum diuinarum cognitio, ſcientia verò humanarum. Quare Auguſt. ſuper 1. ad Corint. ca. 12. ait. Sapientia eſt in cõtemplatione ęternorum, ſcientia verò in occupatione tẽporalium. Itẽ Auguſt. lib. de Trin. Hæc eſt ſapientiæ & ſcientiæ recta diſtinctio, vt ad ſapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad ſcientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis.

Sapientia à ſapio dicitur, quod eſt rectè ſentio. Et qui eam profitẽtur, σοφοί, hoc eſt ſapientes appellantur, quo nomine illi ſeptem clariſſimi viri vocati ſunt, ſcilicet Thales Mileſius, Solon Solaminius, Chilon Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lyndius, Periander Corinthius. Sed poſteà Pythagoras primus nõ ſe ſophum ſed philoſophũ appellauit, hoc eſt, non ſapientem, ſed ſapientiæ amatorem. Ita ſcientiam ipſam non ſophiã, ſed philoſophiam nuncupandam exiſtimauit, quoniam nullus hominum ſapiens eſſet, quod ſoli Deo contingit.

Tobias cap. 4.

Conſilium ſemper à ſapiente perquire.

Iob cap. 28.

Sapientia verò vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentiũ. Abyſſus dicit non eſt in me: & mare loquitur, non eſt mecum.

Idem cap. 32.

Sperabam enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorũ multitudo doceret ſapientiã.

Sed

Sed vt video spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiã. Non sunt longęui sapiẽtes, nec senes intelligunt iudiciũ.

Dauid Psalm. 110.

Initium sapientiæ timor domini.

Prouerb. cap 1.

Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula posidebit, animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum.

Ibidem.

Timor domini principium sapientiæ.

Ibidem.

Sapientiam atq; doctrinam stulti despiciunt.

Ibidem.

Sapientia foris prędicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsq; quò paruuli diligitis infantiã, & stulti ea quę sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam?

Ibidem capite 3.

Beatus hõ qui inuenit sapientiam, & q̃ affluit prudẽtia. Melior est acquisitio eius negotiatiõe aurĩ & argenti, primi & purisimi fructus eius, ꝑtiosior est cunctis opibus sapientia, & omnia q̃ desiderantur huic non valent comparari.

Ibidem.

Gloriam sapientes posidebunt, stultorũ exaltatio ignominia.

Ibidem cap. 4.

Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi illam, quia illa est vita tua.

Ibidem cap. 7.

Dic sapientiæ soror mea es, & prudentiã voca amicã tuam.

Ibidem cap. 8.

Accipite disciplinam meam, & non pecuniã. Doctrinam magis quã aurũ eligite. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosisimis, & omne desiderabile ei non potest cõparari. Ego sapientia habito in cõsilio, & eruditis intersum cogitationibus.

Ibidem.

Meum est consiliũ & æq̃tas, mea est prudẽtia, mea est fortitudo. Per me reges regnãt, & legũ conditores iusta decernunt. Per me principes imperant & potentes decernunt iustitiã. Ego diligentes me diligo, & q̃ mane vigilauerint ad me, inuenient me. Mecum sunt diuitię & gloria opes supernę & iustitia. Melior est fructus meus auro & lapide prętioso, & genimina mea argento electo. In vijs iustitię ambulo in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

Ibidem cap. 10.

Filius sapiens lętificat patrem, Filius verò stultus mœstitia est matris suæ.

Ibidem.

Labia iusti erudiunt plurimos. Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

Ibidem cap. 11.

Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia.

Ibidem. cap 13.

Astutus omnia agit cum consilio. Qui autem fatuus est, aperit stultitiam.

Ibidem cap. 16.

Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argẽto.

Ibidem cap. 24.

Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus.

Ibidem cap. 29.

Vir sapiens si cum stulto cõtenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.

Eccles. cap. 1.

Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & pręcesi omnes sapientia q̃ fuerunt antè me in Hierusalẽ, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici: dedique cor meum vt scirem prudentiam atq; doctrinã, erroresq́; & stultitiã, & agnoui quòd in his quo que esset labor & afflictio spiritus, eò quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.

Ibidem cap. 2.

Et vidi quod tantum pręcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

Ibidem cap. 4.

Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit præuidere in posterum.

Ibidem cap. 9.

Melior est sapientia quàm arma bellica. Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

Ibidem cap. 10.

Post industriam sequetur sapientia.

Sapien. cap. 1.

Quoniam in maleuolam animã non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

Ibidem cap. 3.

Sapientiam enim & disciplinam qui abijcit, infœlix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

Ibidem cap. 5.

Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis.

Ibidem cap. 6.

Clara est quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam, præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, asidentem enim illam foribus suis inueniet.

Ibidem

Ibidem cap. 7.

Præposui illã regnis & sedib. & diuitias nihil esse dixi in cõparatione illius. Nec cõparaui illi lapidẽ prætiosum, quoniam omne aurum cõparatione illius harena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum, in conspectu illius. Super salutem & speciẽ dilexi illã, & proposui pro luce habere eam, quoniã inextinguibile est lumen illius. Venerunt aũt mihi oĩa bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas p manũ illius, & lętatus sum in omnib. quoniã antecedebat me ista sapientia, & ignorabã, quoniam bonorum omniũ mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius nõ abscõdo. Infinitus enim thesaurus est omnibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitię dei, propter disciplinę dona commendati.

Ibidem.

Neminem enim diligit deus, nisi eum qui cũ sapientia inhabitat. Est enim hęc speciosior sole, & super omnem dispositionẽ stellarum. Luci comparata inuenitur prior.

Eccle. cap. 6.

Cor sapiẽtis intelligetur in sapiẽtia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiã.

Ibidem.

Sapiẽs cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.

Ibidem cap. 6.

Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

Ibidem cap. 10.

Seruo sensato liberi seruient, et vir prudẽs & disciplinatus non murmurabit correctus & inscius non honorabitur.

Ibidem cap. 38.

Vnusquisque in arte sua sapiens est.

Ibidem cap. 40.

Vinum & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ. Tibiæ & psalteriũ suauem faciũt melodiam, & super vtraque lingua suauis. Gratiam & speciem desiderabit oculus tuus, & super hoc virides sationes.

Paulus ad Corin. cap. 3.

Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiẽs esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiẽs. Sapiẽtia enim huius mundi, stultitia est apud deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus.

Iacobus in epist. cap. 1.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hęsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à domino. Vir duplex animo, incõstans est in omnibus vijs suis.

Aug. de ciui. dei, & hab. 26. q. 2. c. Qui sine.

Qui sine saluatore salutẽ vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentẽ fieri posse, nõ sanus sed æger, nõ prudens, sed stultus, in ægritudine assidua laborabit, & in ciuitate noxia stultus & demens permanebit.

Idem in li. q. Euang. & ha. di. 41. c. Quòd dicit.

Quòd dicit dominus in Euang. Iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis, vide suprà in Abstinentia.

Idem de uera religione.

Qui se diligit stultum, non proficiet ad sapiẽtiã: nec fiet quisq; qualis esset cupit, nisi se oderit qualis est.

Idem lib. de libero arbitrio.

Non aliã putes esse sapientiã nisi veritatem, in qua tenetur & cernitur summũ bonũ, nullo loco est, nusquàm deest, foris admonet, intus docet dementes, in se omnes in melius cõmutat, à nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat, nullus sine illa benè iudicat.

Idem de uita beata.

Maior & miserabilior egestas nõ est, quàm egere sapientia. Et qui non eget sapientia, nulla re omninò egere potest. Est ergo animi egestas, nihil aliud quàm stultitia.

Idem 9. de ciuit. cap. 2.

Homini nulla est causa philosophandi nisi vt beatus sit.

Hiero. contra Iouinianum.

Sapiẽs nusquàm solus esse potest. Habet secũ oẽs qui sunt, & fuerũt boni, & animũ liberũ, & quodcũq; vult trasferre: & quod corpore nõ potest, cogitatione complectitur, & vbi hominum inopia fuerit, loquitur cum deo.

Amb. in epi. ad Simpli.

Sapiens nõ metu frangitur, nec potestate mutatur, nõ attollitur prosperis, nõ tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo. Sapiens semper idem est, non minuitur, non augetur rerum mutationibus. Nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens igitur defectus rerum ignorat, & varios animi nescit affectus, sed fulget sicut sol iustitiæ, qui in regno patris sui fulget.

Idem epist. ad Constan. epis. 59.

Sapiẽti nihil alienũ nisi ꝙ virtuti incõgruũ. Quocunq; accesserit, sua omnia secum fert.

Totius ei mundus possessio est, quoniam toto eo quasi suo vtitur.

Greg. in Mora. & ha. dist. 38. ca. Qui ea.

Qui ea quę dei sunt sapiunt, à domino sapiũtur. Et q̃ ea quæ dei sunt nesciũt, à domino nesciũtur

sciuntur, Paulo attestante, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur.

Idem lib. 9. Moralium.

Ad veram sapientiam peruenire nō possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur.

Idem lib. 10. Moralium exponens illud Iob 12. Deridetur iusti simplicitas.

Huius mundi, inquit, sapientia est, cor machinationib. tegere, sensum verbis velare: quę falsa sunt, vera ostendere: quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hanc qui sciunt, cæteros superbiē do despiciunt: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in alijs ipsam mirantur: hæc sibi obsequētibus, præcipit bonorum culmina quærere: adepta, temporalis glorię vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multiplicius reddere. Cū vires suppetunt, nullis resistentibus cædere: cùm virtutib. posibilitas deest, quicquid per malitiā explere non valet, hoc in pacifica bonitate simulare.

Ibidem.

Iustorum, inquit, sapientia est, nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare: bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate cōtumeliam lucrum putare. Hæc iustorum simplicitas deridetur, & à mundi sapientibus fatuitas reputatur.

Idem lib. 27. Moralium.

Summa cura prouidendum est, ne accepta sapientia, cùm ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, & iam sapientia esse nequeat: quæ etsi locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat.

Bernardus super Cant. serm. 23.

Sol non omnes quibus lucet, etiam calefacit: sic sapientia, multos quos docet quid sit faciendum, non continuò & accendit ad faciendum. Aliud est multas diuitias scire, aliud est posidere. Nec notitia diuitem facit, sed possesio.

Hugo de claustro animæ lib. 3, cap. 16.

Ab omnibus libenter disce quę nescis, humilitas enim tibi cōmune facere potest, quod natura cuique proprium facit. Sapiētior omnib. eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, ditiores sunt.

Boëtius de conso. philo lib. 1. pro. 3.

Nunc enim primùm censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sapientiam. Nōne apud veteres quoq; ante nostri Platonis ætatem, magnū sæpè certamen cum stultitiæ temeritate certauimus? Eodemq; superstite præceptor eius Socrates iniustè victoriam mortis, me astante promeruit.

Idem lib. 1. prosa. 4.

Atqui hāc sententiā Platonis ore sanxisti, beatas fore resp. si eas vel studiosi sapiētię regerēt, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. Tu eiusdem viri ore, hanc sapientib. capessendæ reip. necessariam causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisq; ciuibus, vrbium relicta gubernacula, pestem bonis ad perniciem inferrent.

Boëtius lib. 4 prosa. 2.

Veramq; illam Platonis esse sententiam liquet, solos quod desiderant, facere posse sapientes. Improbos verò exercere quidem quod libeat, quod verò desiderant, explere non posse. Faciunt enim quælibet, dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant. Sed minimè adipiscūtur, quoniā ad beatudinem probra non veniunt.

Lactan. Fir. diui. insti. aduer. gen. lib. 1. cap. 1. prin.

Magno & excellenti ingenio viri cùm se doctrinæ penitùs dedissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis, & priuatis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium se contulerunt: existimātes multò esse præclarius, diuinarum humanarumq; rerum inuestigare, ac scire rationē, quàm struēdis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæq; sunt, & ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo iustior effici potest. Erant quidem illi veritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupierunt, atque ita, vt cunctis rebus omnibus anteponerent.

Idem Firmianus ibidem.

Non ergo pigeat ad percipiendam sapientię disciplinam audiendi vel legendi patientiam commodare.

Idem lib. 1.

Non enim religio vlla sine sapientia suscipienda, nec sine vlla religione probanda sapientia.

Ibidem.

Primus sapientiæ gradus est, falsa intelligere, Secundus verò vera cognoscere, qua cognitione veri, nulla est hominum iucundior voluptas, ad quam cognoscendam nunc propius accedamus.

Ibidem.

Falsum intelligere est quidem sapientiæ, sed humanæ: vltra gradum hunc, ab homine procedi non potest.

Ibidem.

Omnis sapientia hominis in hoc vno est, vt deum cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, hęc summa est. Quanta itaque voce possum testificor, proclamo, denuntio: Hoc est illud, qđ philosophi omnes, in tota sua vita quæsierunt, nec vnquam inuestigare, comprehendere, tene-

tenere valuerunt: quia religionem aut prauam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt.

Ibidem.

Qui vult igitur sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ noscat, humana contemnat, diuina suscipiat, vt summum illud bonum, ad quod natus est, poscit adipisci.

Seneca ad Lucil. epist. 9.

Nihil sapienti necesse est.

Idem epist. 17.

Non conturbat sapiens publicos mores, nec populum in se, vitæ nouitate conuertet.

Idem ad Lucil. epist. 17.

Hoc scio neminem posse benè viuere, sed nec tolerabiliter sine sapientiæ studio. Cùm omnia habueris, tunc & habere scientiā voles & sapientiam, hæc erit vltimum vitæ instrumentum.

Idem epist. 20.

Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle, licèt illam exceptiunculam non abijcias, vt rectum sit quod velis.

Idem epist. 60.

Sapiens ad omnem incursum inuictus, & interritus est, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum facit, pedem refert: interritus contra illa ibit, & inter illa sapiens plenus est gaudio, hilaris & placidus, & inconcussus, cum dijs ex pari viuit.

Idem epist. 72.

Non enim viuere bonum est, sed benè viuere. Itaque sapiens viuit quantum debet, non quantum potest: videbit vbi victurus sit, cum quib. quomodo, quid acturus, cogitat semper qualis vita, non quanta sit.

Idem epist. 73.

Sapiens enim vincit virtute fortunam.

Idem ad Lucil. epist. 77.

Præcogitati mali mollis ictus venit, ideò stultis fortunæ cędentibus, omnis videtur noua rerum inopinata facies. Sapiens autem assuescit futuris malis, & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando.

Idem epist. 86.

Sapientia rectrix dominaque est.

Idem epist. 92.

Sapientis facilis victus est.

Idem de tranquil. animi.

Puto multos ad sapientiam potuisse peruenire, nisi putassent se peruenisse. Onerat discenté turba librorum, non instruit, multoq; sanctius est paucis authoribus te trdere quàm errare per multos.

Cicero li. 2. de finibus bonorum & malorum.

Quid turpius quàm sapientis vitam, ex insipientium sermone pendere.

Ibidem.

Sapientem ipsa natura locupletat.

Ibidem.

Sapiens autem beatus est.

Idem lib. 1. de legib.

Quid est autem non dicam in homine, sed in omni cęlo atque terra ratione diuinius? quę cùm adoleuit, atque perfecta est, nominatur ritè sapientia.

Idem lib. 2. de natura deorum.

Sapientia & ratione nihil melius est.

Idem lib. 1. de finib. bonorum & malorum.

Non paranda nobis solùm, sed & fruendum sapientia est.

Ibidem.

Sapiētia enim est vna, quę mœstitiā pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua pręceptrice, in tranquillitate viui potest, omnium cupiditatum ardore restincto.

Ibidem.

Sapientes bona præterita renouatā, grata recordatione delectant.

Ibidem.

Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus inducitur, finitas habet cupiditates, negligit mortē, de dijs immortalibus sine vllo metu verè sentit: non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus semper est in voluptate. Neque enim tempus est vllum, quo nō plus habeat voluptatum quàm dolorum. Nam & præterita gratè meminit, & præsentibus ita potitur, vt animaduertat quanta sint ea, quamque iucunda. Neque pendet ex futuris, sed expectat illa, fruitur pręsentibus, ab hisque vitijs quæ paulò antè collegi, abest plurimum, & cū stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluptate. Dolores autē si qui incurrūt nunquam vim tantam habent, vt non plus habeat sapiens quòd gaudeat, quàm quòd angatur.

Aristotel. lib. 1. Metaphysic.

Omnes homines naturâ scire desiderant.

Ibidem.

Conueniens est, quamlibet artē *inuenientē vltra omnes sensus ab hominibus admirari, nō solùm propter aliquam inuentorum vtilitatē, sed tanquam sapientem & ab alijs differentem.

*aliâs inuentam.

Ibidem.

Ad sapientem, pertinet scire omnia in vniuersali, & scire difficilia, & habere scientiam certiorem de his, & scire reddere causas eorum, quæ sunt, & habere scientiam quæ suijpsius sit tantùm, & non alterius est causa, & habere scientiam quæ ordinat alios sibi subseruientes.

Ibidem.

Sapientem ordinare & non ordinari oportet, id est regere & non regi.

Idem libro primo Posteriorum.

Sapientes & insipientes opinantur se scire, illi quidem opinantur & sciunt, & causam habent, isti vero minimè.

Idem libro 2. Topicorum.

Loquendum est vt plures, sapiendum vt pauciores.

Idem lib. Elenchorum.

Imperiti veluti longè distantes speculantur.

Ibidem.

Quibusdam magis est operæpretium videri sapientes & non esse, quàm esse & non videri.

Ibidem.

Duo sunt opera sapientis, quorum vnum est, non mentiri de quibus nouit, alterum verò mētionem manifestare posse.

Idem lib. Magnorum Morali. lib est 1. 37.

Sapientia est ex intellectu & scientia composita, quia erit circa hæc, circa quæ & intellectus & scientia.

Idem cap. 75.

Sapientia quidem est circa perpetuum & diuinum. Prudentia autem est circa conferens hominum.

Laert. Dioge. de Vita & moribus philosoph.

Viaticum tibi, dicebat Bias, ab adolescentia ad senectutem sapiētiam compara, ea quippe sola est certa veraque possessio.

Ibidem.

Si sapientiæ forma oculis videri posset ad amorem sui omnes maximè excitaret.

Ibidem.

Interrogatus Plato, quomodo quis sapientiā adipisci posset, ait: in non expectando, quæ euenire non possunt, nec de præteritis recordari.

Ibidem.

Interrogatus per quod cognoscitur, sapiens, ait: Sapiens cùm vituperatur nō irascitur, & nō extollitur cùm laudatur.

Cic. Tusc. quæ. lib. ultimo.

Quid melius quàm fortunam exiguam interuenire sapienti?

Ibidem.

Sapientis est enim proprium, nihil quod pœnitere posit facere, nihil inuitum: splendidè, constāter, grauiter, honestè omnia nihil ita expectare, quasi certò futurum, nihil cùm acciderit admirari, vt inopinatum ac nouum accidisse videatur, omnia ad suum arbitrium referre, suis stare iudicijs.

Idem libro de amicitia.

Sapiens est ille, qui oīa sua in se posita esse ducit, humanosq; casus virtute inferiores putat.

Idem Rhetoricorum veterum lib. 1.

Me quidem cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, vt æstimem sapientiam sine eloquentia parùm prodesse ciuitatibus, eloquentiam verò sine sapientia nimiū obesse plerunque, prodesse nūquam. Quasi qui dimissis rectissimis atque honestissimis studijs rationis & officij, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, pernitiosus patriæ ciuis alatur. Qui verò ita se armat eloquentia, vt nec oppugnare commoda patriæ, sed pro his pugnare posit, is mihi vir & suis & publicis rationibus vtilissimus atque amicissimus ciuis forè videtur.

Idem de Oratore libro 2.

Semper statui neminem sapientiæ laudem & eloquentiæ, sine summo studio & labore & doctrina consequi posse.

Lucius Apuleius de dogmate Platonis.

Sapientem perfectè esse non posse dicit Plato, nisi cæteris ingenio pręstet, & artibus, & prudentiæ partibus imbutus sit. Denique sapiens nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis, cùm se ornamentis suis instructum sciat, vt ab his nulla vi segregetur, hunc talem nō solùm inferre, sed nec quidē referre oportet iniuriam.

Valerius Maximus lib. 3.

Immensa illa sapientia, quę nec ipso quidem vitæ excessu, obliuisci sui potest.

Periander.

σοφοῖς χρῶ id est, sapientibus vtere. Hesiodus

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ.
φρασσάμενος τὰ κ' ἔπειτα, καὶ ἐς τέλος ἦσιν ἀμείνω.
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται,
ὃς δέ κε μήτ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

Hic quidem optimus, qui per se omnia cognoscit,
Intelligens sequentia, & quæ in fine futura sint meliora.
Bonus autem rursus & ille, qui benè monenti paret:
Qui uerò neque per se cognoscet, neq; alium audire
In animo proposuerit, hic sanè inutilis uir.

Phocylides.

τὴν σοφίην σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος. id est

Sapientiam sapiens dirigit, artes autem coartifex.

Idem.

τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος. id est

A deo inspiratæ sapientiæ sermo est optimus. Idem.

βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σεσοφισμένος ἀνήρ. id est
ἀγροὺς καὶ πόλιας σοφία, καὶ νῆα κυβερνᾷ.

Melior forti est sapiens uir,
Agros enim & ciuitates sapientia & nauem gubernat.

Palladas.

οὐ τὸ ζῆν χαρίεσσαν ἔχει φύσιν, ἀλλὰ τὸ ῥίψαι
φροντίδας ἐκ στέρνων, τὰς πολιοχροτάφους.
πλοῦτον ἔχειν ἐθέλω τὸν ἐπάρκιον, ἡ δὲ περισσὴ
θυμὸν ἀεὶ κατέδει χρυσομανὴς μελέτη.
ἔνθεν ἐν ἀνθρώποισιν ἀρείονα πολλάκι δήεις. καὶ πενίη

καὶ πενίην πλούτῳ καὶ θάνατον βιότῳ.
Ταῦτα σὺ γιγνώσκων, κραδίης ἴθυνε κελεύθους,
εἰς μίαν εἰσοράων ἐλπίδα τὴν σοφίην.
Non uiuere gratiosam habet naturam, sed abijcere
Curas ex pectoribus cana tempora facientes.
Diuitias habere uolo sufficientes, superflua
Animum semper rodit auro furens meditatio.
Hinc inter homines meliorem sæpe inuenies,
Et paupertatem diuitijs & mortem uita.
Hæc tu cognoscens cordis dirige itinera.
In unam inspiciens spem, sapientiam.

Menander.

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον, id est
Non est sapientia possessio pretiosior. Idem.
σοφία γάρ ἐστι καὶ μαθεῖν ὃ μὴ νοεῖς.
Sapientia enim est & discere quod nescis.
σοφῷ παρ' ἀνδρὶ πρῶτον εὑρέθη λόγος.
Sapientem apud uirum primùm inuentus est sermo.

Idem.

σοφὸς γὰρ οὐδεὶς ὃς τὰ πάντα προσκόπτει.
Sapiens enim nullus qui omnia offendit. Idem.
σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον.
Sapientia diuitijs possessio pretiosior. Idem.
σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς χρὴ σοφόν μανθάνειν.
Sapientem à uiro oportet sapientem quid discere. Idem.
σοφοὶ δὲ συγκρύπτουσιν οἰκείας βλάβας.
Sapientes autem occultant propria damna. Idem.
ἄριστόν ἐστι πάντ' ἐπίστασθαι καλά.
Optimum est omnia scire pulchra. Idem.
μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
Odi sapientem, qui non sibijpsi sapiens.

Agricius de Ebrietate.

Τῆς ἀρετῆς σεμνῆς σοφίας καὶ δῶρα φυλάττει,
Ταῦτα διδοὺς εὔνοις χάρματα εὐκλεᾶ βροτοῖς. id est
Præclaræ uirtutis, sapientiaq; dona custodi
Hæc dant beneuolis gaudia optabilia mortalibus.

Plautus in Epidico.

Plus scire satius est, quàm loqui seruum hominem, ea sapientia est.

Idem in milite glorioso.

Nemo solus sapit.

Terent. in Eunucho.

Labore alieno magnam partam gloriam, uerbis sæpè in se transfert, qui habet salem quod in te est.

Ouidius libro 1. de arte amandi.

Pectoribus mores tot sunt quot in orbe figuræ,
Qui sapit innumeris moribus aptus erit.

Horatius in arte Poëtica.

Syluestres animos sacer interpresq; deorum
Cædibus & uictu fœdo deterruit Orpheus.
Vide suprà in Poëta.

Idem Ser. lib. 2. satyra 7.

Quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque uincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus.
Externi ne quid ualeat per leue morari:
In quem manca ruit semper fortuna, potes ne
Ex his ut proprium, quid noscere: quinque talenta
Poscit te mulier: uexat: foribusq; repulsum
Perfundit gelida: rursus uocat: eripe turpi
Colla iugo: liber, liber sum, dic age, non quis.
Vrget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subiectat lasso stimulos, uersatq; negantem.
Vel cum Pausiaca torpes insane tabella.

Idem epistolarum lib. 1. epistol. 1.

Ad summum sapiens uno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipuè sanus, nisi cùm pituita molesta est.

Iuuenalis Satyra 13.

—Plurima fœlix
Paulatim uitia atque errores exuit omnes
Prima docens rectum sapientia.

Dantes inferni cap 9.

O voi c'hauete l'intelletti sani,
Mirate la dottrina che s'asconde
Sotto'l uelame de le uersi strani. Id est.
O uos, qui habetis sanos intellectus,
Attendite doctrinam, quæ absconditur
Sub uelamine uersuum allegoricorum.

SApientia est multarum & mirabilium rerũ scientia. Arist. lib. 1. Metaphi. est cognitio primarum, & altißimarum causarum. AMANTIVS.

Cicero lib. 4. Quęst. Tuscul. sapientiam definit, rerum diuinarum ac humanarum scientiã, cognitionemque, quæ causa cuiusq; rei siet, ex quo efficiatur, vt diuina immitetur, humana verò omnia virtute inferiora ducat.

Seneca definit, perfectum esse bonum mẽtis humanæ: prudentiam vero scientiam esse rerũ expetendarum fugiendarumque.

Aristoteles 10 Ethicorum, sapiẽtiam, inquit, nihil aliud esse significamus, nisi artis virtutem & præstantiam: & paulò pòst, perspicuum est, reliquis scientijs perfectione & absolutione præstare sapientiam: ergo sapientis est, non solùm ea intelligere, quæ principijs concludũtur, sed rerum etiam causas tenere: vt sit sapientia, intelligentia & scientia, quasi caput continens eorum scientia, quæ in maximo honore sunt & pretio.

Viues lib. 2. de anima, vocat sapientiam lumẽ supernaturale. Architas Pythagoreus in libro de Viro bono & beato, definit sapientiam, cognitionem numinis, rerumque humanarum: prudentiam verò humanarum rerum, & eorũ quæ ad vitam spectant.

Perictyone Pythagorica, de sapientia.

Conditus verò & compositus est homo in hoc, vt contempletur naturæ, rerum, ipsiusq́; sapientiæ rationem: eidéq́; labor iniunctus est cõparandi, contemplandiq́; rerum, quę extant, sapientiam.

Idem, circa quæ uersetur sapientia.

Geometria & Arithmetica, reliquaque in speculatione sita, & scientiæ sunt, & circa entia versantur: At sapiẽtia circa omnia quæ sunt, ceu visus circa omnia q̃ sunt, & auditus circa omnia audibilia. Accidentium verò entium, alia quidem in vniuersum omnibus accidunt, alia verò eorũ pluribus, alia verò singulis. Ea itaq;, quæ in vniuersum omnibus accidũt, cognouisse & perspexisse, sapientię munus est: ea verò, quæ plurib. Physicæ est sciẽtiæ. Propria uerò cuiq; rei accidentia nosse, & circa quid separatũ, scientię. Ideoq; sapientia entium omniũ principia indagat: Physica verò eorum quæ natura produxit: Geometria verò & Arithmetica & Musica, quantitatis & consonantiæ. Quisquis igitur resoluere potis est omnia genera ad vnũ idemq́; principium, iterumq́; ex eo componere, & enumerare, hic & sapientissimus esse, & verissimus uidetur: Quum & pulchram speculam inuenisse, in qua poterit & deum contemplari, omniaq́; quæ in eadem serie sunt, & ordine ab ipso seiuncta.

Stobæus in sermo. de virtute

Antiphon.

Sapientem virum non rectius alium iudicaueris, quàm illũ, qui sese contramomentaneã iræ titillationem munierit, & potuerit ipse refrenare, ac vincere seipsum. Cõtrà qui iræ voluerit indulgere, huic sanè deteriora pro melioribus placent. id est.

Vincere iram, est summæ sapientiæ.

Ανεφάνησαν ἀυτοὶ σωφροσύνην δὲ ἀνδρός ὀυκ ἂν ἄλλως ὀρθότερον τις κρίνειεν, ἢ ὅσις τοῦ θυμοῦ ταῖς παραχρῆμα ἡδοναῖς ἐμφράσει ἀυτὸς ἑαυτὸν, κρατειν τὲ καὶ νικᾶν ἠδυνήθη ἀυτὸς ἑαυτὸν, ὅς δὲ θέλει χαρίσασθαι τῷ θυμῷ παραχρῆμα θέλει τα κακαίω ἀντὶ τῶν ἀμεινόνων.

Nullus sapiens nostro tempore.

Celtis 4. Amorum, Elegia 4.

Quod si castigant fido me in amore sodales,
illis responsum carmina nostra dabunt.
Græcia septenos habuit quondam sapientes,
Qui patriam ingenijs erudiêre suis.
Italo adhuc nullus nobis numeratus in orbe est,
Et neq; Germanis inuenietur agris.
Ibis ad Hispanos, Gallos in orbe Britannos,
Extremos Dacos, Sarmaticosq; uiros.
Inuenies paucos, quos φρόνησις *alma tenebit,*
Et quos naturæ sollicitaret opus.
Diuinas atq; humanas qui pectore caussas
Versarent, raro sydere proueniunt.
Ergo senex fugiam sapientis nomen & arteis,
Stultitia plenus cùm uagus orbis eat.

Ob benè uiuendi rationes philosophatur
Iam nemo, aut quæ sit uita beata, petit.
Propter diuitias solùm nunc discitur, orbe
Turpius & nihil est, quàm modo habere nihil.

Erasmus lib. 3. Apophtegmatum.

Diogenes dicebat, faciles esse Deos ad donãdum hominibus vitam: cæterùm hanc ignorari ab his, q quærunt dulciaria, vnguenta, aliasq́; dhoc genus delicias: his enim qui fruũtur, credunt se viuere, cùm veram vitam, tranquillam, ac suauem sola pręstet sapientia. Non igitur dij sunt incusandi, sed homines, qui per stultitiã non postulant ab illis vitam, sed voluptates.

Idẽ sapienti nihil deesse hoc syllogismo colligebat: Deorũ oĩa sunt, Deorũ aũt amici sunt sapientes & amicorum communia oĩa sunt, sapiẽtum igitur sunt omnia. Ibidem Erasmus.

Idem Erasmus lib. 7. Apopththeg.

Anthistenes dicebat sapientem sibi sufficere, eò quòd quæ sunt aliorum, sunt & huius, q cum omnib. habet amicitiam, & amicitia facis omnia communia.

Epicharmus Siculus.

Οὐ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν. id est. Nõ re facta, sed multò ante deliberãdum est viro sapienti.

Socrates.

Τοῦ σοφοῦ σόματως ἀνιχθέιτως, κατάπερ ἱερ, οὗ τὰ τῆς ψυχῆς καταβλέπεται ὥσπερ ἀγάλματα. id est.

Quum sapiens os suum aperuerit, tanquàm templum ibi animæ pulcherrima, simulachra perspiciuntur. Ioannes Stobæus in sermo. 1. de virtute.

Quæ sapientiæ studium impediant. Isocrates in epistola ad Dionysium.

Satellites, lictores, caduceatores, & altissimi solij adeptio sapientiæ studio tenebrás offundunt: nec ulla res est, qua virtus facilius & celerius exterminetur.

Isocrates ad Demonicum.

ὄυτω γὰρ τὰ τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς ἑυρημνα συμβήσεται σοι ῥαδίως μανθάνειν.

ἡγοῦ τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν ἐιναι χρημάτων κρέιττω, τὰ μὲν γὰρ ταχεώς ἀπολείπει, τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμένει: Σοφια γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον. id est.

Multas vtiles doctrinas multis pecunijs prędstare ducito: nam hæ facilè amittuntur, illæ nũquàm deserunt: Sola enim inter omneis possessiones sapientia immortalis est.

Cicero in lib. 5. Quæst. Tuscu.

At nos virtutem semper liberam volumus, semper inuictam, adeò vt nulla re vnquàm terreamur: semperq́; simus inuicti, ita vt nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet. Etenim vt stultitia, etsi adepta est quod cócupiuit, nunquàm se tamen satis consecutam putat: sic sapientia semper

ſemper eo contenta eſt, quod adeſt, neque vnquam ſui pœnitet.

Ludouicus Viues lib. 3. De anima, cap. de affectionibus.

Actiones naturales nõ ſunt ex limitibus voluntatis noſtræ, ſed ex facultatis cuiuſque ſumma vi, ac potentia. In ſapiente multò ſunt oĩa diuerſa: is enim nec in eligendo bono fallitur, & vnum aliquod ſibi proponit, paucaſque ad illud vias, easque exploratas ac certas, nec permittit ſe regendum negocijs, ſed regit ipſe negocia, habetque ſe in ſuo iure ac poteſtate, vt ſurgentem vi naturæ affectum ſtatim rationis fræno compeſcat, cogatq; recto iudicio cędere.

Iſocrates ad Nicoclem, de regno.

Sapientes exiſtima non eos, qui de rebus minutis curioſe rixantur, ſed qui de maximis rebus egregiè dicunt: nec eos, qui alijs felicitatẽ pollicentur, cùm ipſi in maximis anguſtijs viuant, ſed qui mediocria de ſe profitentur, verùm & negocia dextrè obire, & inter homines verſari commodè poſſunt, nec in vitæ mutationibus perturbantur: ſed pulchrè & moderatè res tam ſecundas, quàm aduerſas ferre norunt.

Sapientibus nulla præmia conſtituuntur,
Iſocrates in Panegyrico.

Sæpè admirari ſoleo, quid in mentem illis venerit, qui celebritates haſce congregarũt, & ludos gymnicos inſtituerunt, vt corporum viribus tanta præmia proponerent: eos verò qui reipu. ſtudio labores capiunt, & animis ita ſeparant, vt alijs quoque proſint, nullo prorſus honore dignarentur: quorum vtique ratio maior habenda fuiſſet: nam etſi robur pugilũ duplicaretur, nullus tamẽ ex eo fructus rediret ad cęteros: at vnius viri prudentia fruũtur omnes, qui aptis eius conſilijs parére voluerunt.

Lucretius lib. 2. de natura rerum.

Sed nil dulcius eſt, quàm benè munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa uirorum,
Deſpicere unde queas alios, paßimq; uidere
Errare, atq; uiam palantis quærere uitæ:
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atq; dies niti præſtante labore,
Ad ſummas emergere opes, rerumq; potiri.

Iuuenalis Satyra. 13.

Magna quidem ſacris quæ dat præcepta libellis
Victrix fortunæ ſapientia, dicimus autem
Hos quoq; felices, qui ferre incommoda uitæ,
Nec iactare iugum uita didicère magiſtra.

Horatius, epiſtola 1. ad Mecœnatem.

Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

SAPIENTIA PROXIMA DEO.

Horatius libro 1. Oda, 12. de laudibus Deorum.

Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

CANITIES NON FACIT SAPIENtem, *ſed candor uitæ, morumq; grauitas.*

Vir ſapiens, ex Heſiodo.

Vir ſapiens eſt ille quidem, qui cuncta uolutat,
Omnia perpendens inſpiciensq; modum.
Proximus huic, qui conſilio parére fideli
Geſtit, & huic paret, qui benè cuncta monet.
Sed qui non paret, neq; conſulit optima factu,
Extremi crede hunc ingenij eſſe uirum.

Græca.

οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσας,
φρασσάμενος τ᾽ ἄκ, ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ἦσιν
ἀμείνω,
ἐσθλὸς δὲ αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται,
ὃς δέκε μήτ᾽ αὐτὸς νοέῃ μήτ᾽ ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὅδ᾽ αὖτ᾽ ἀχρήιος ἀνήρ. id eſt.

Optimus ille quidem, qui per ſe omnia nouit,
Expendens ſecum quæ ſint meliora futura:
Nec minus iſte bonus fuerit, qui recta monenti
Obſequitur, uerùm qui per ſe nil tenet unquam,
Nec reliquos audire uelit, ſceleratus habetur.

Menander comicus.

οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
Ἀλλ᾽ ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων. id eſt

Cani capilli non parant ſapientiam,
At uita, candidiq; mores & graues
Quorundam, hic optimè ſenium præſeferunt.

Idem.

ἰσχὺς καὶ τεῖχος καὶ ὅπλον σοφοῦ ἡ φρόνησις.

Robur ſapientis, murus & ſcutum prudentia.

Stephanus niger in expoſitio. Carm. Pythag. Ex Heſiodo ſuperiora uertit, ut ſequitur.

Omnium ſapientiſſimus ille non iniuria nũcupandus eſt, cui, quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere, qui alterius benè inuẽtis obſequatur. Qui verò nec quid ſibi maximè conueniat excogitare poterit, nec aliorũ benè inuentis obtemperauerit, is in fimo ac teterrimo hominum genere collocandus eſt.

Architas Pythagoricus in libro de uiro bono.

Θεῶ μὲν εὐδαιμοσύνα, καὶ βίος, ἄριστος, τῶ δὲ ἀνθρώπω ἐξ ἐπιστάμας καὶ ἀρετᾶς, καὶ βίτω εὐτυχίας σωματοῦ μενα παραγίνεται: λέγω δὲ ἐπιστάμαν, σοφίαν μὲν τῶν θείων καὶ δαιμόνων, φρόνασιν δὲ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν περὶ τὸν βίον. id eſt

Dei quidem felicitas atque vita optima eſt, at hominis & ſcientia & virtute, tertiaque proſpera fortuna coaleſcens prouenit. Appello autẽ ſapientiam cognitionem numinis, rerumque diuinarum: at prudentiam rerum humanarum & eorum, quæ vitam ſpectant. Vide Stobæum in collectanæis, ſermone primo de virtute.

SAPOR græcè χυμός ου ὁ dicitur. Eſt autẽ ſapor paſsio humidi à ſicco, mediante calore, alteratiua guſtus de potentia ad actum, ſecundùm Ari-

NANVS.

Aristotelem libro de Sensu & sensato.

Sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto, sicut odor consistit in sicco aëreo aliqualiter contemperato, secundùm b. Tho. super li. de Anima secundo, lec. 19. col. 4.

Sapor à sapio venit. Sapere autē propriè ad sensum corporis pertinet, & significat saporē habere, & ferè semper in bonam capitur partē. Hinc deducitur sapidus, id est, gratus, saporem habens, vndè sapidè aduerbium. Quorum contraria sunt insipidus & insipidè, hoc est, sine sapore. Sapio interdum transfertur ad animum, & idē est quod rectè sentio, Ouid. His ego si saperē, pauloq; audacior essem Vterer, vtcū si qua puella sapit. A sapio fit sapiētia, de quo suprà.

Satisfactio græcè πληροφορία. ας. ἡ. πληροφορέω satisfactio dicitur. Est autē satisfacere, deo debitū honorem pro commissa culpa impendere, secūdùm Aug. ex b. Tho. 4. Sent. di. q. ar. 1. Satisfactio est redditio equiualentis, aliâs indebiti.

Satisfactio est causas peccatorum excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere, secundùm Augustinum, & habetur de Pœniten. di. 3. cap. Satisfactio.

Satisfactio est iniuriæ illatæ recōpensatio, secundū æqualitatē iustitiæ, secun. Theologos.

Satisfactio est actus virtutis materialiter & formaliter: electiuę quidem iustitiæ, vindicatione, imperatiuę verò est actus charitatis, secūdùm b. Thom. 4. Sen. di. 15. q. 1. ar. 1.

Tobias cap. 4.

Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.

Augustinus in Enchiridion cap. 72.

De quotidianis, breuib. leuibusq; peccatis, sine quib. vita hęc nō ducitur quotidiana fideliū oratio satisfacit. Eorū .n. est dicere: pater noster q es in cælis, qui iā regenerati sunt ex aqua & spiritu sancto. Delet hęc oratio minima & quotidiana peccata. Dęlet etiā illa à quibus vita fidelium scelerate gesta, sed permittendo melius mutata discedit.

Gregorius in Pastorali.

Nequaquā satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoq; quas dileximus è contrario oppositis lamentis insequamur.

Leo Papa in sermone de ieiunio.

Oratione propitiatio dei quæritur, ieiunio cōcupiscētia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur, simulq; per omnia dei imago in nobis renouatur.

Scabiēs græcè ψῶρα. ας. ἡ. & ψωράλεως. ου. scabiosus dicitur. Dicitur autē à scaber q est asper, quoniam scabies asperitatē in cute faciat. Vir. *Exesa inueniet scabra rubigine pila.*

Hinc etiā scabricies, asperitas, scabrè asperè.

Scandalū græca dictio est σκάνδαλον, ου, τό. ita & σκανδαλίζω. Et est dictū aut factum minus rectē præbens alteri ruinæ occasionem secūdùm be. Tho. secunda secundæ. q. 43.

Scandalum largè sumitur pro quolibet impedimento alicui præstito in via aliqua quam prosequi intendit, secundùm eundem secunda secundæ, q. 43. articulo 1.

Scenopegia græcè σκηνοπηγία, vox cōposita, dicta est à figēdis tabernaculis, nam σκῆνος tabernaculū significat, & πήγνυμι figo, perperā quoq; additur aspiratio. Et erat festū tabernaculorū per dies septem, propter beneficium deductionis & protectionis in deserto. Et significat peregrinationem sanctorum in mundo. Cui nunc succedit festum consecrationis eccesiæ, secundùm b. Tho. prima secundæ. q. 102. art. 4.

Sciētia græcè ἐπιστήμη. ης. ἡ. & ἐπιστήμων. ονος. ὁ sciens dicitur. Est autē scientia habitus demōstratiuus, secundùm Arist. li 6. Ethicorum.

Scientia est determinatio intellectus ad alteram partem cum certitudine.

Scibile dicitur secundùm potentiam, scientia uerò secūdùm actū vel habitum, ideo nō sunt simul natura, ex b. Tho pri. parte, q. 13. art. 7.

Scientia à scio dicitur. Scire autē propriè est rem ratiōe & per causam cognoscere. Quid autem à sapientia sciētia differat, vide supra in Sapientia.

Ecclesiastes cap. 1

Qui addit scientiam, addit & laborem.

Paulus 1. ad Corint. cap. 1.

In multa scientia multa indignatio.

Ibidem.

Scientia inflat, charitas verò ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.

Ibidem.

Sed in omnibus non est scientia.

Aug. li. quæst. & habetur di. 37. ca. Non omnis.

Non omnis qui ignorat, immunis est à pœna. Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui quod disceret non inuenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt.

Idem, & hab. di. 38. Quamuis errare.

Quamuis errare quanta possumus cura cauendum sit, vide suprà in Ignorantia.

Idem super Psalm. 70.

Hæc tota scientia magna hominis scire, quia ipse nihil est per se, & quoniam quicquid est, ex deo est, & propter deum est.

Idem in sermone de Ascensione.

Qui se dicit scire quod nescit, temerarius est; qui se negat scire quod scit, ingratus est.

Idem libro 3. de Libero arbitrio.

Animæ non imputatur ad reatum, quod naturaliter scire non potest, sed q scire non studuit, &

duit, & quod dignam facultati comparandæ, ad recta facienda operam nõ dedit. Loqui enim non posse, & scire non posse, infanti naturale est, qa ignorantia illo modo inculpabilis, est sed & humanis affectibus blanda atq; grata. Nõ enim vllo vitio illam facultatem cõparare neglexit, aut vllo vitio quã cõparauerat, amisit.

Gregorius lib 3. Moralium.

Vera scientia afficit, non extollit, nec superbientes, quos impleuerit, sed lamentantes facit, quę quisque cùm repletus fuerit, priori loco se scire appetit, & iam sui conscius tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius recognoscit.

Ioan. Chrysost. de Cognoscibilibus ab homine.

Magna virtus boni est cognoscere malos, & firma tutela salutis scire quod fugias.

Idem in Politica, libro 3.

Præcedit enim sciẽtia virtutis cultum. Quia nemo potest fideliter appetere qd' ignorat, & malum nisi cognitum sit, non timetur.

Isidorus libro 2. de summo bono.

Ad maioris culpæ cumulũ pertinet, scire quẽq; quid sequi debeat, & sequi nolle qd' sciat

Idem libro 3. de summo bono.

Pleriq; accepta scientia literarum, nõ ad dei gloriam, sed ad suam laudem vtuntur, dum de ipsa extolluntur, & ibi peccãt vbi peccata emẽdare debuerunt.

Bernardus super Cantica.

Sunt qui scire uolũt eo fine tantũ, ut sciant, ea turpis curiositas est. Et sunt q scire volunt, vt scientiam suã vendant. Verbi gratia pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Et sunt qui scire volunt vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Sed sunt qui scire volunt, vt ardentius ædificẽt, & charitas est. Et sunt, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est.

Idem super Cantica sermone 27. exponens illud ad Corinthios 8. c. Si quis existimat se scire.

Vides quod non probat multũ scientes, si modum sciendi nescierunt: vides quomodo fructum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi cõstituit. Quid ergo dicit, nisi vt scias, quo ordine, quo studio, quo fine vnumquodq; scire oporteat. Quo ordine, vt illud prius, quod maturius mouet ad salutem. Quo studio, vt illud ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine, vt non ad inanem gloriam & ostentationẽ, sed ad tuam & aliorum salutem.

Idem libro Meditationum.

Scientia parit cognitionem amoris, amor frẽquentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem impetratorem.

Sanctus Thomas de Aquino in epistola de modo acquirendi scientiam.

Quia quæsiuisti à me in Christo mihi charissime Io. qualiter te studere oporteat in thesauro sciẽtiæ acquirendæ. Tale à me tibi sup hoc traditur consilium, vt per riuulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc est ergo monitio mea & instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo, & tardè ad locutorium accedentem. Conscientiæ puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas. Cellam frequẽter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibusq; te familiarẽ exhibe. Nihilq; te penitus de factis aliorum intromittas. Nemini te multum familiarem ostendas: Quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis subitò materiam subministrat. De verbis & factis seculariũ nullatenus te intromittas. Discursus super oĩa fugias. Sanctorum & bonorum vestigia imitari non desinas. Non respicias à quo audias, sed quicquid boni dicatur memoriæ recõmenda. Et quæ legis & audis, fac vt intelligas: De dubijs te certifices, & quicquid poteris, in amario lo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Ita sequens vestigia, frondes & fructus in vinea domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam habueris, profeːres ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.

Hugo de instructio. nouitiorum.

Via ad deum est scientia, quæ ad institutionẽ rectè & honestè viuendi pertinet. Et est disciplinæ bonitas & beatitudo. Per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatm ad beatitudinem.

Idem in Didascalicon. lib. 3.

Si quis familiariter scientiam amare didicerit, & ei sępius vacare voluerit, iucundam valdè reddit vitam, & maximam in tribulationẽ præstat consolationem.

Lactantius Firmia. Diuina. instituti lib. 3.

Quis enim scire contentus est, non expetẽs aliquem fructum scientiæ.

Idem lib. 6. cap. 5.

Scientia est deum noscere: virtutes colere: in illo sapientia, in hoc iusticia continetur.

Seneca ad Lucilium epistola 77.

Tandiu discendum est quandiu viuas.

Idem Tragœdia 4.

Pudor est secundus, nosse peccandi modum.

Idem Tragœdia 7.

Didiscit animus serò quod didicit diu.

Idem Tragædia 4.

Incertum est nescire quid liceat sibi.
Id facere laus est, quod decet, non quod licet.

Aristoles libro 1. Metaphisicæ.

Omnes homines naturã scire desiderant.

Ibidem.

Tunc vnumquodq; scire dicimur, cùm primam causam scire putamus.

Idem

Idem libro 2.

Finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ verò opus.

Ibidem.

Tunc ſcire putamus, cùm ipſas cauſas cognoſcimus.

Ibidem

Abſurdum eſt, ſimul ſcientiam quærere & modum ſciendi.

Commentator ſuper 2. Metaphyſicæ.

Nullus poteſt per ſe inuenire artes ſpeculatiuas vel practicas in maiori parte, quia non completur niſi per iuuamentum prioris ad ſubſequentē, & ſi prior non fuiſſet, ſubſequens non eſſet.

Idem libro 3. Metaph.

Magis dicimus illum ſcire, qui ſcit rem affirmatiuè, quàm qui ſcit negatiuè.

Idem libro 4.

Eiuſdem ſcientiæ eſt oppoſita conſiderare, hoc eſt, oppoſitorum eadem eſt diſciplina.

Ibidem.

Primum principium in aliqua ſcientia debet eſſe notiſsimum in ea & firmiſſimum.

Commentator ibidem.

Vna ſcientia non eſt tantùm vnius vniuoci, ſed etiam vnius analogi.

Ariſto. lib 6. Metaphy.

Nulla ſcientia particularis probat ſubiectum ſuum eſſe, ſed ſupponit ipſum eſſe.

Ibidem.

Omnis ſcientia vel eſt actiua vel factiua, vel theorica, id eſt, ſpeculatiua.

Ibidem.

Naturalis ſcientia nō eſt practica, ſed ſpeculatiua.

Commentator ſuper 11. Metaphyſicæ.

Scientia dei cauſat res, ſed noſtra cauſatur à rebus.

Ariſto libro 1. Phyſicorum.

Scire & intelligere cōtingit circa omnes ſciētias, quarum ſunt principia, cauſæ, & elementa ex eorum cognitione.

Commentator ſuper 1. Phyſic.

Ariſtoteles per principia intelligit cauſas efficientes, & per cauſas intelligit cauſas finales, & per elementa materiam & formam.

Idem ſuper 2. de cœlo & mundo.

Melius eſt modicum ſcire de rebus nobilioribus, quàm multum de vilioribus.

Ariſt. li. 2. de cœlo & mundo.

Magis diligimus illa ſcire, de quibus maximam dubitationem habemus, & per paruas debiles rationes, quàm notiora quidem & per rationes efficaces.

Idem libro 3. de cœlo & mundo.

Prima conſideratio ſcientiæ naturalis, eſt de corporib. corruptilibus.

Commentator ſuper 3. de cœlo & mundo.

Tria fecerunt Auicennam errare frequenter in naturalibus, ſcilicet inexperientia, & confidentia proprij ingenij, & ignorantia logicæ.

Ariſtoteles libro 1. de Anima.

Scientia eſt de numero bonorum & honorabilium.

Idem.

Vna ſcientia dicitur nobilior altera, vel nobilitate ſubiecti, vel propter certitudinē. Et ſcientia de anima propter vtrumq; eſt nobilior alijs naturalibus.

Ibidem.

Cognitio libri de anima vtilis eſt ad veritatē, & maximè ad ſcientiam naturalem.

Commentator ſuper 1. de Anima.

Subiectū ſcientiæ de anima eſt nobilius ſubiectis aliarum ſcientiarū, & demonſtratio eius magis firma, & ideo ipſa præcedit alias ſciētias.

Ariſtoteles libro 2. de Anima.

Eadem eſt ſcientia contrariorum.

Ibidem.

Intellectus & ſcientia ſemper ſunt verorum.

Themiſtius ſuper 2. de anima.

Ea quæ ſcimus, ſunt minima pars eorum quę ignoramus.

Ariſtoteles libro 3. de Anima.

Secantur ſcientiæ quemadmodum & res de quibus ſunt ſcientiæ.

Ibidem.

Neceſſe eſt intelligentem quemcunq; phantaſma ſpeculari.

Cōment. ſuper 3. de Anima.

Cùm homo copulatus fuerit intellectui per ſcientiam omnium rerum completè, tūc eſt deus in humano corpore hoſpitatus.

Themiſtius ſuper 3. de Anima.

Prius eſt ſcire actiones animæq; eius ſubſtantiam.

Ibidem.

Scientia de anima neceſſaria eſt ad ſciendum philoſophiam primam.

Ariſtoteles libro 11. de Animalibus.

Magis concupiſcimus ſcire modicum de rebus honorabilibus & altiſſimis, licet non probabiliter id ſciamus, quàm ſcire multū, & per cetitudinem de rebus minus honorabilibus & vilioribus vel vulgaribus.

Idem lib. 1. Ethicorum.

Conſcij propriæ ignorantiæ, admirantur homines ſcientes.

Idem libro 6. Ethicorum.

Non ſufficit ad ſcientiam alicuius, vt ſciat in vniuerſali & confuſè, ſed oportet ſcire determinatè & diſtinctè.

Ibidem.

Scientia

Scientia est de his quæ non possunt se aliter habere & de æternis.

Idem libro de Regimine principum.

Cuncta sunt scibilia via rationis.

Idem libro de bona fortuna.

Quid melius intellectu & scientia nisi deus.

Idem epistola ad Alexandrum.

Multò melius est habere animam habentem scientias, quàm habitu corporis videre benè indutum.

Ibidem.

Sicut vita sine tristitia delectabilis est, ita sciẽtia rationalis & sensata amabilis est.

Ibidem.

Sicut conseruamentum corporis est sanitas, ita conseruatiuum animæ est eruditio.

Idem libro 2. Rhetoricorum.

Turpe est ignorare, quod omnibus scire cõuenit.

Ex libro 1. Porphyrij.

Infinita dicit Plato relinquenda sunt ab arte, hisce neq; posse fieri disciplinam, id est, scientiam. Vndè de indiuiduis, quia infinita sunt, nõ est scientia.

Boëtius.

Scientia est in anima sicut accidẽs in subiecto.

Idem.

Multa sunt scibilia, quorum nõ est scientia.

Ibidem.

Scibile est prius quàm scientia, & sensibile quàm sensus.

Idem.

Scientia est de numero permanentium, & discibile mobilium.

Idem.

Si quis mediocriter sciuit scientiam, nisi grãdis fiat permutatio ab ægritudine, vel aliquo huiusmodi, non recedit.

Idem.

Quod scientia festinata non crescit, mediocriter autem sumpta augmentatur & crescit.

Idem libro Diuisionum.

Quàm magnos fructus affert scientia diuidẽdi studiosis hominibus.

Ibidem.

Scientia diuidẽdi, reddit dociles auditores.

Arist. lib. 2. Priorum.

Nullũ sensibiliũ, cùm extra sensum sit, scim⁹.

Ibidem.

Nihil prohibet scire & decipi circa idem.

Idem libro 1. Posteriorum.

Omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua, ex præexistenti fit cognitione.

Ibidem.

Aliqua necessaria sunt præcognoscere dupliciter, scilicet quia sunt & quid dicitur p nomẽ.

Ibidem.

Quod aliquis addiscit hoc ipsum scit, quodautẽ non, & idipsum nescit. Nescit enim ipsum in forma propria, i. actu, benè scit ipsum potentiali virtute.

Ibidem.

Scire opinamur vnumquodq; simpliciter & non sophistico modo, quod est secundùm accidẽs, cùm causã arbitramur cognoscere, ꝓpter quã res est, & non contingit se aliter habere.

Ibidem.

Necesse est demonstratiuam scientiam esse ex veris & primis & immediatis, & prioribus, & notioribus, causisq; cõclusiõis vbi includitur proprium.

Ibidem.

Quod nõ est, non contingit scire, ex quo habemus, ꝙ de non ente non habemus scientiam.

Ibidem.

Scientia est illorum quorum est demonstratio, & nõ est secundùm accidens, habere demonstrationem.

Ibidem.

Tũc scimus cùm causas cognoscimus, & priores si verę sunt & notiores, nõ solùm altero modo intelligendo, sed sciendo quoniam sunt.

Non omne quod scitur, per demonstrationem scitur.

Ibidem.

Principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus.

Ibidem.

Scire aut demonstratio est duplex, scilicet simpliciter & secundùm quid.

Ibidem.

Scientia demonstratiua est necessariorum.

Ibidem.

Simpliciter scibilia sunt per se: aut sicut in esse prædicantibus, aut sicut inesse propter ipsa quæ sunt ex necessitate, id est, propositiones secundi modi & quarti scibiles.

Ibidem

Quod scitur, non potest se aliter habere.

Ibidem.

Accidens contingit non esse, scilicet per se, propter quod scire est, per causam cognoscere.

Ibidem.

Scire propter quod, est per causam scire.

Ibidem.

Nec demonstratio nec scientia corruptibilium, sed perpetuorum est.

Ibidem.

Eorum quæ sæpè fiunt, nõ vt sępe fiunt, sed vt semper sunt demõstratiões & scientiæ vt defectus lunæ.

Ibidem.

Alterũ est genus subiectũ scientiæ subalternãtis, à genere subiecto scientiæ subalternatæ.

Ibidem.

Ibidem.

Qui ex superioribus causis magis sciuit, ergo illa magis & maximè erit scientia.

Ibidem.

Difficile est cognoscere si aliquis sciuit vel non.

Ibidem.

Difficile est enim noscere si ex vniuscuiusq; principijs proprijs scimus aut non, quod verè est scire.

Ibidem.

Si ex veris & primis habemus syllogismum, opinamur scire, sed hoc non est sufficiens, sed oportet esse ex quibus scitur, vt sint proxima primis.

Ibidem.

Omnes scientiæ communicant, secundùm communia principia, sed non communia principia ex quibus demonstrant.

Ibidem.

Vnaquæq; sciẽtia, habet suas proprias interrogationes & responsiones & disputationes.

Ibidem.

Duplex est scire, scilicet scire quia erit, & scire propter quod est.

Idem libro 1. Posteriorum.

In scientijs diuersis sæpè dicit vna scientia propter quod: vt medicina dicit, quod vulnera circularia tardiùs sanãtur, quàm longa: sed propter quod, dicit Geometria.

Ibidem.

Scientes vniuersale sæpè nesciunt ipsum singulare.

Ibidem.

Figurarum maximè faciens scire, est prima figura.

Ibidem.

Si aliquis sensus deficit, necesse est deficere scientiam, quæ secũdùm illum sensum est, quã etiam impossibile est accipere sine sensu.

Ibidem.

Aut addiscimus per demonstrationem, aut per inductionem.

Ibidem.

Non contingit aliquid scire, nisi per demonstrationem.

Ibidem.

Altera scientia est ab altera, quarum nõ sunt eadem principia, vel ex alterius nec eisdem.

Ibidem.

Entis quod est à fortuna, non est scientia per demonstrationem, quia nec semper est, nec frequenter.

Ibidem.

Sensus est singularium, scientia verò vniuersalium.

Ibidem.

Scientia est necessariorum, opinio verò contingentium, & aliter se habentium.

Aristoteles libro 2. Posteriorum.

Vnius inquantum vnum, vna est scientia.

Ibidem.

Impossibile est scire quod quid est, & ignorare si est ipsius quod quid est.

Ibidem.

Scire opinamur, cùm causam rei scimus.

Ibidem

Principium habitus non est scientia, sed intellectus.

Idem libro 2. Topicorum.

Scire non est reminisci, quia scimus præsentia & futura: reminiscimur verò non nisi præterita.

Idem libro 8. Topicorum.

Vna disciplina melior est altera, vel quia certior, vel quia de meliori subiecto.

Idem libro Elenchorum.

Quod scimus, sæpè transpositum ignoramus.

Idem lib. Magnorum moral. li. 1. ca 7.

Intellectus est circa principia intelligibiliũ entium. Scientia est rerum quæ sunt cum demõstratione. Principia autem intelligibilia sunt: quare non vtiq; erit circa principia scientia, sed intellectus.

Idem in Problematibus.

Omnes excellentes viri, aut secundùm philosophiam, aut politiam, aut poëim, aut artes, videntur melancholici esse.

Laertius Diog. de Vita & morib. philosoph.

Interrogatus Thales Milesius, quid difficile, ait, seipsum agnoscere.

Ibidem.

Potiùs est doctum esse, quàm pecuniæ confidentẽ, dicebat Theophrastus. Doctus enim solus ex omnibus nec in alienis peregrinus, neq; amissis familiaribus & necessarijs, inops est amicorum, sed in omni ciuitate ciuis est.

Cicero. li. 1. de Finibus bonorum & malorum.

Sublata cognitione & scientia, tollitur omnis ratio, & vitæ degendæ & rerum gerendarũ.

Idem libro 2. de Diuinatione.

Philosophia vir bonus efficitur & fortis.

Ibidem.

Sunt enim hæc propria philosophorum respõdere, aut consuli, quid bonum, quid malũ, quid neutrum.

Idem Tusculan. quæst. libro 3.

Neq; insipientia vllum malum est maius.

Macrobius libro 1. Saturnalium.

Apes enim quodammodò debemus imitari, quæ vagãtur & flores carpũt, deinde quæ quid attulerunt disponunt, ac per fauos diuidunt, et succum varium in vnum saporem, mixtura quadam & proprietate spiritus sui mutant. Nos quoq;

quoq; quicquid diuersa lectione quæsiuimus, committamus stylo, vt in ordinem eodem diri gente coalescat. Nam & in animo melius distin cta seruantur, & ipsa distinctio nō sine quodā fermento, quo panditur vniuersitas in vnius saporis vsum varia libaméta confundit, vt etiā si quid apparuerit, vnde sumptum sit, aliud tamen esse quàm vnde sumptum noscatur, appareat.

Ibidem lib. 6.

Multa ignoramus, quæ non laterent, si veterum lectio nobis esset familiaris.

Ibidem lib. 7.

Velut paucę literę mutę, dispersæ inter multas vocales, in societatem vocis facilè inasluescunt: Ita rariores imperiti, gaudentes consortio peritorum aut consonant, si qua possunt, aut rerum talium capiuntur auditu.

Isocrates ad Dæmonicum ser. admonitorio.

ἐὰν ἧς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. id est.

Si eris cupidus discendi, eris multa discens. Ibidem.

ἃ μὲν ἐπίςασαι διαφύλαττε ταῖς μελέταις, ἃ δὲ μὴ μεμάθηκας, προσλάμβανε ταῖς ἐπιςήμαις. ὁμοίως γὰρ αἰσχρὸν ἀκούσαντα χρήσιμον λόγον μὴ μανθάνειν· καὶ διδόμενον τι ἀγαθὸν παρὰ τῶν φίλων, μὴ λαβεῖν. id est.

Quæ quidem scis, conserua meditationibus, quæ autem non didicisti, cape doctrinis. Similiter enim turpe audienti utilem sermonem nō discere, & datum aliquod bonum ab amico non capere.

Ibidem.

ἡγοῦ τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν εἶναι χρημάτων κρείττω. τὰ μὲν γὰρ ταχέως ἀπολείπει. τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμένει σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον. id est.

Existima disciplinas multas, multis esse pecunijs præstantiores. Istæ quidem citò deficiunt, illæ uerò per totum tempus permanent. Scientia enim sola possessionum immortalis

Plautus in Amphytrione.

Haud æquum facit, qui quod didicit, id dedidiscit.

Virgilius Georgicorum lib. 2.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum —
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.

Horatius carminum lib. 4. Ode. 4.

Nec scire fas est omnia. Idem in arte poetica,
Cur nescire pudens praue, quàm discere malo?

Math. ...ricius ...laude ...entiæ.

Te propter dulce est immani mole labores
Carpere perpetuos, & tristes uoluere casus.
Te propter docti quorum trans æquora fama
Per populos it longè, & toto æquatur Olympo,
Patria desertis liquêre penatibus arua,
Curuaq; semotæ raserunt litora terræ,
Errantes orbem totum, & nemora omnia circum,
Vmbris qua terror syluestris inhorruit atris.
Aut specus excisis lapidosum palluit antris:
Aut laté fremitum multū circumfluus amnis,
Aedidit: Oceanus tumidis ceu Atlanticus undis
Voluitur: aut uastum campis feruentibus æquor,
Torquet confusos spumātis marmoris æstus:
Nec reuocare gradum, quibus ingens lumen & æquus
Iuppiter immisit, sacrosq; afflauit honores.
Te propter duris assueta laboribus ætas
Florens, contexta secuit uada cærula pino,
Velaq; protendit mersis aptanda carinis,
Iactatasq; niues, perpessa famemq; sitimq;,
Vrgentesq; hyemes & turbida frigora, & imbres:
Vix quoque composuit placido caua lumina somno,
Omne adeo pecus exhaustum dum nocte silenti
Languida procubuit sparsa per membra quiete,
Laxauitq; graues curas sopitaq; corda.
Te propter multi, quorum genus eminet altè
Extructas epulas tempsêre, & dona Lyæi.
Non placuit Tyrio uestis bis lauta colore.
Non tecta ornatis usquam supposta columnis,
Atque alto uicina polo, quin omnium egeni
Res inopes colerent, humiles tua numina fusis
Poscentes uotis, & summa laude ferentes,

Idem de Ebriet.

Κτᾶσθε ἐπιςήμην, δειλοῖσι μέγ' ἀνδράσι κτῆμα
τοῦ σώζειν ψυχὴν κ' εὐτυχίαν τε ἔχειν.
Οἱ δ' ἔθ' ἑοῦ δωρεῖσθαι ἐπήρατον ὄννομ' ἐπαίνου
Τιματαῖτ' ἀρεταῖς παντοδαπαῖσι φίλους.

Comparate eruditionem amplas miseris mortalibus opes
Vt animam seruetis, fortunateq; agatis.
Nouit suæ laudis dare peroptabile nomen,
Ornareq; sui studiosos omnis generis uirtutibus.

De hac materia habes suprà vbi Doctrina, Eruditio, Prædicatio, Prudentia & Sapiétia & infra vbi Studiū.

Schisma cum ch. & i. latino scribi debet. Est enim græca dictio σχίσμα. τος. τὸ. & idē est, quod scissura, venitq; à σχίζω quod est scindo, Est autem schisma separatio, propria sponte & intétione ab vnitate ecclesiæ, renuens subesse Papę, & communicare membris ecclesię, se. b. Tho. 2. 2. q. 36. art. 1. o.

Schismatici propriè dicuntur, qui propria sponte & intentione separant se ab vnitate ecclesiæ, renuentes subesse Papæ, & communicare membris ecclesiæ. Vt ibidem.

Scortum græcè πόρνη. ης. ἡ. & πορνεύω scortor dicitur. Est autem scortum meretrix, vel quod sicut pelliculæ subigatur cùm solum calceamētorum omnibus subiectum sit, vel quod in grabatulis pelles stratas tenere consueuissent. Hinc scortor meretricor, & scorteū quicquid ex pelle est.

Scriptura sacra græcè ἱερογραφὴ. ῆς. ἡ. dici potest. Sacra scriptura dicitur sancta tripliciter, s. à spiritu sancto, à materia, & ab effectu secundùm b. Tho. super epi. ad Roma. lect. 2. col. 1.

Scripturæ sacræ effectus quadruplex. s. docere veritatem, arguere falsitatem, eripere à malo, inducere ad bonum, & perducere ad perfe-

perfectum, secundùm eundem super secundã ad Timo.3.fin.

Paulus 2. ad Timoth.3.

Oĩs enim scriptura diuinitùs inspirata, vtilis ẽ ad docendum vel arguendum, ad corripiendũ ad erudiendũ in iusticia, vt perfectus sit homo dei ad omne opus bonum instructus.

Idem ad Romanos ca.15.

Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Matthæi cap. 11.

Abscondisti hæc à sapienbus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis.

Augustinus in epistola ad Volutianum.

Quę disputationes, quę literæ, quorumlibet philosophorum, quę leges quarumlibet ciuitatum, duobus præceptis sunt comparandę? Ex quibus Christus dicit totam legem & prophetas pendere, huiusmodi: Diliges dominum deũ tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum. In his enim duobus mandatis lex pendet & prophetæ.

Ibidem.

Hîc philosophia, quoniã omnes omnium naturarũ causæ in deo creatore sunt. Hîc ethica, quoniã bona vita & honesta non aliundè formatur, quoniam cùm ea quæ diligenda sunt, & quemadmodum diligenda sunt diligũtur, hoc est deus & proximus. Hîc logica, quoniam veritas lumenque animę rationalis non nisi deus est. Hic laudabilis reip. salus. Neque enim optimè custoditur ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei firmęq; cõcordiæ, cũ bonũ cõmune diligitur, quod summũ atq; verissimũ deus est.

Idem lib.2. de trinitate.

Scriptura & creatura ad hoc sunt, vt ipse quęratur, ipse diligatur, & qui ipsam creauit & illã inspirauit.

Idem lib.3. de doctrina Christiana.

Hæc scientia nihil præcipit nisi charitatẽ nihil culpat, nisi cupiditatem. Quicquid ergo ad hoc pertinet, propriũ eius est, quicquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas.

Idem super Genesin.19.

Sic loquitur scriptura, vt altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate paruulos nutriat.

Idem de doctrina Christiana cap. ult.

Quicquid homo extrà didicerit, si noxium est, hîc damnatur, si vtilè, hîc inuenitur, & cùm ibi quisque inuenerit, omnia quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inueniet, ea quæ nusquàm alibi inueniri potuit.

Idem de Ciui. dei. lib 11. ca.1.

Ciuitatẽ dei dicimus cuius scriptura testis est, quæ non in fortuitis animorum motib. sed planè summa prouidẽtiæ dispositione, super oẽs oĩm gẽtiũ literas oĩa sibi genera humanorũ ingeniorum diuina excellẽs autoritate subiecit.

Idem lib.2. super Genesim ad litteram.

Maior est huius scripturæ autoritas, quàm omnis humani ingenij perspicacitas.

Idem lib. de baptismo paruulorum.

Sanctarum scripturarum autoritatibus colla subdenda sunt, vt ad intellectum quisque perueniat.

Idem de doctrina Christiana.

Titubat fides, si diuinarum scripturarum vacillet autoritas. Porrò fide titubante & ipsa charitas languescit.

Idem lib. de unico baptismo, & habetur dist. 9. cap. Quis nesciat.

Quis nesciat sacrã scripturã canonicã, tã veteris quàm noui testamẽti, certis terminis suis cõtineri, cumq; posterioribus oĩm episcoporũ literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari nõ possit, vtrum verũ vel vtrũ rectũ sit, quicquid in ea scriptũ sit, vel constiterit esse.

Idem in Prologo lib.3. de Trinitate, & habetur ibidem, cap. Noli meis.

Noli meis literis quasi Canonicis scripturis deseruire, sed in illis & quæ non credebas cùm inueneris, incunctanter crede. In istis autẽ quod certum habemus, nisi certum intellexeris noli firmum tenere.

Idem ad Vincentium victorem, & habetur ibidem. cap. Negare.

Negare nõ possum nec debeo sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quę possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari.

Idem ad Hieron. epist. 8. & habetur ibid. cap. Ego.

Ego solis eis scriptorũ qui iã canonici appellãtur didici, hunc timorẽ honoremq; referre: vt nullum eorũ scribendo errasse audeã credere: aut si aliquid in eis offẽdero, quod videatur cõtrariũ veritati, nihil aliud existimẽ quàm mendosum esse codicẽ, vel nõ esse assecutũ interpretẽ quod dictum est, vel minimè intellexisse nõ ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáue doctrina polleant, nõ ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non aberrent, persuadere potuerunt.

Idem ad Hiero. epist.1. & hab. di.9. Si ad scripturas.

Si ad scripturas sacras admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? quæ tandẽ de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosę falsitatis obteretur improbitas?

Idem de Vera religione, & habetur 38 dist. cap. Locutio.

Locu-

Locutio diuinarum scripturarum secundùm cuiusque linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua quædam propria locutionum genera, quæ cùm in alia transferuntur, videntur absurda.

Idem ad Alexandrum episcopum, & habetur dist. 38. ca. Indignum.

Indignum vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati.

De custodia uirginitatis.

Cùm antè annos plurimos, domo, parentibus, sorore, cognatis (& quod his difficilius est) cõsuetudine lautioris cibi me castrassem, miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctiũ crebras vigilias, post lachrimas peccatorũ, Plautus sumebatur in manus. Si quando autem prophetas legere cæpissem, horrebat sermo incultus. Dum me itaque serpens antiquus sic illuderet. In media quadragesima fermè medullis infusa febris, sic mẽbra depasta est, vt ossibus vix hærerent. Interim parabantur exequiæ. Tunc subitò in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, vbi tantùm erat luminis ex circunstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, & iudex, mẽtiris (ait) Ciceronianus es, non Christianus. Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Illicò obmutui, et inter verbera (nam me cedi iusserat) clamare cæpi eiulans: Miserere mei domine, miserere mei. Tandem ad præsidentis genua prouoluti, qui astiterant præcabantur, vt veniam tribueret adolescentię, & errori locum pœnitentiæ commodaret. Ego verò qui tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere; deierare cœpi, & nomen eius obtestãs dicere: Domine si vnquam habuero codices saeculares, si legero, te negaui. In hæc sacramene verba dimissus, reuertor ad superos, & mirantibus cunctis, oculos aperio, tãto lachrymarum imbre perfusos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sępè deludimur. Testis est tribunal illud ante quod iacui. Testis iudicium triste quod timui: Ita mihi nunquàm cótingat in talem incidere quęstionem, liuentes habuisse me scapulas, plagas sensisse per somnum, & tãto dehinc studio diuina legisse, quanto mortalia antè non legeram.

Idem in epist. ad Paulinum.

Nostræ diuitiæ sunt in lege Dei meditari die ac nocte. Pulsare ianuam & seculi fructus domino præeunte calcare. Præparemus igitur nobis fortitudinem, assumamus nobis perfectum robur, vt inter errorum tenebras, & confusionem noctis scientia Christi lumen aperiat, diesque & noctes lucem habeant protegentẽ, vt his ducibus ad terram sanctam peruenire valeamus. Quid enim eruditione meliùs? Quid suauius disciplina? Quid cũ dulcius domino? Sit autem nobis conuiuium Christus. Quid enim potest esse vita sine scientia scripturarum? per quam ipse Christus cognoscitur, qui tibi? Quæ mella sunt dulciora? quàm dei scire prudentiam, qui nunquàm solus est. Discamus ergo in terris, quorum scientia perseueret nobiscum in cælis.

Hieron. in epist. ad Damasum Papam.

De scripturis disputantem non decet Aristo. argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquentię ducendus est riuulus. Nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ, sed pedestris & quotidianæ similitudinis & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quę rẽ explicet, sensum edisserat, obscura manifestet.

Idem super Esaiam in Prologo.

Si iuxta apostolum Paulum, Christus dei virtus est, & dei sapientia. qui nescit scripturas, nescit dei virtutem, eiusq; sapientiam. Ignorãtia scripturarum ignorantia Christi est.

Idem super illud Psal. 147. Et adipe frumenti satiat te.

Pinguissimus sermo diuinus est, omnes in se habet delicias, quicquid volueris ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudęi, quod mãna quando comedebant, secundùm voluntatẽ vniuscuiusque sapiebat in ore.

Idem super epist. ad Galat.

Non putemus in verbis scripturarum esse euãgelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.

Hiero. ad Damasum Papam de filio prodigo & habetur dist 37. Sacerdotes.

Sacerdotes dei omissis euangelijs & prophetijs videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum cantare verba.

Idem ad Demetriadem uirginem.

Sint scripturæ diuinæ semper in manib. & iugiter mente voluantur, nec sufficere tibi putes mãdata dei memoria tenere, & operib. obliuisci, sed imò illa cognosce, vt facias quicquid didiceris. Nõ enim auditores legis iusti sunt, &c.

Ibidem

Diuinas scripturas sępius lege, imò nunquã de manib. tuis sacra lectio deponatur, in scripturis diuinis per quas solas potes planè dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quędam, concedi aliqua, suaderi nonnulla, prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, persuadentur perfecta.

Idem in Esaiam, & hab. di. 37. cap. Vino,

Vino inebriãtur qui scripturas sacras malè intelligunt, atq; peruertunt syncera, qui abutun

tur singulari sapientia, & dialecticorum tendiculis, quæ non tam tendicula sunt appellanda, quàm phantasmata.i.vmbræ quædam & imagines, quæ citò pereunt & resoluuntur. Idem secundùm Tropologiam pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter scripturarum verba accipiunt, quàm spiritus sanctus sonat, & diuinos eos, qui coniectura mentis suę incerta futurorum quasi vera pronuntiant absque diuinorum autoritate verborum.

Ibidem.

Quicunque scripturas non intelligunt, vt rei veritas habet, vuam acerbam comedunt.

Hier. epi. ad Galat. & hab. 24. q. 3. ca. Hæresis.

Hæresis græcè ab electione dicitur, quod s. eam sibi vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunque igitur aliter scripturam intelligit, quã sensus spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est eligens, quę peiora sunt.

Hieron. super Esaiam libro 7.

Non sic adulãdum est principibus, vt sanctarum scripturarum veritas negligatur.

Ambros. in lib. de Cain & Abel.

Cælestium scripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, vt succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat.

Gregor. lib. 2. Moralium.

Sacra scriptura oẽs scientias, locutionis suę more transcendit: qui in vno eodemque sermone, dum narrat textũ, prodit mysterium, & sic vt mysterijs sapientes exercet, sic superficie simplices refouet. Habet in publico vnde paruulos nutriat, & seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspẽdat, quasi quidam fluuius (vt ita dixerim) planus & altus, in quo agnus ambulet, & elephas natet. Mirabilis fluuius est iste, qui est ita planus, quod ibi agnus.i. & illiteratus potest siccis pedibus transire, & elephas.i. magnus & subtilis potest natare, imò potest se summergere.

Idem lib. 1. Moralium.

Scriptura sacra aliquãdo nobis cibus est, aliquãdo potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & manducando glutitur, potus est in locis apertiorib. quia ita sorbetur sicut inuenitur.

Idem lib. 20. cap 1.

Omnem scientiam atque doctrinam sacra scriptura transcendit, vt taceam, quòd vera predicat, quòd ad cælestem patriam inuitat, quòd à terrenis desiderijs cor legẽtis reuocat, quòd dictis obscurioribus fortes exercet, & paruulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, vt pauesci debeat, nec sic patet vt vilescat, sed vsu fastidium tollit, & tanto plus diligitur quanto amplius meditatur.

Gregor. super Ezech. homilia 6.

Scriptura sacra in vtroque testamẽto, & monendo recta est, & promittendo alta, & minãdo terribilis.

Ibidem.

Quod de scripturis sacris authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Basil. in Hexameron lib. 9.

Psalmus dæmones fugat, angelos ad adiutorium salutis inuitat, scutũ est in nocturnis terroribus, diuturnorum requies laborum, tutela pueris, iuuenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor. Deserta habitari facit, vrbes sobrietatem docet, insipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamẽtum.

Ibidem.

Si quis intentat ita animam suam in singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste est qui complet, quod dicitur: Psallite sapienter.

Isidorus lib. 1. de summo bono.

Omnis latitudo scripturarum in oratione dominica, & symboli breuitate concluditur.

Ibidem lib. 2.

Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, siue quia mentis intellectum erudit, seu quòd à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem dei perducit.

Ibidem.

Quanto magis quisque in sacris eloquijs assiduus fuerit, tanto ex eis vberiorem intelligentiam capit.

Scurrilitas græcè βωμολοχία. ας. ἡ. & βωμολόχος scurra dicitur. Est autem scurrilitas iocularitas, ex defectu rationis non volentis cohibere gestus exteriores, secundùm b. Tho. 2 2. q. 88. art. 6. cap.

Scurra is dicitur, qui magis quàm oportet risum mouet & onerosus est. Nam risum secutus magis cogitat, quemadmodum mouere illum quemadmodum honestè loquatur, nec quemquam offendat, secundùm Arist. lib. 4. Ethico.

Scurrilitas differt à stultiloquio, quia scurrilitas refertur ad lasciuiam affectionis: Stultiloquium verò ad indiscretioem rationis. Et propriè accepta est filia Luxurię. De hac Paulus ad Eph. ca. 5. Non nominetur in vobis turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. i. nullius est vtilitatis, ex Alex. 2. ti eo.

Scurrilitas pertinet ad verba ratione inhonestatis. Multiloquiũ verò ratione superfluitatis

tis, secundùm b. Tho. 2.2. q. 35. art. 5.

Scurra à sequẽdo dici videtur, quòd domos diuitum sequatur, & est qui risum ab audientibus captat non salua dignitate personæ, à scurra dicitur scurrile, quod est riduculũ cum turpitudine, & scurrilitas turpis & procax dicacitas, & scurriliter procaciter.

Secularis græcè βιοτικός.ου.ὁ. & αἰώνιος.ου.ὁ. æuum dicitur. Seculũ nihil aliud est quàm periodus cuiuslibet rei, pro quo aliquando ponitur æuum vel æuiternum, secũd. b. Tho. prima parte q. 10. art. 2. Seculum propriè tempus & ætatem significat longam, quam æuum dicimus, & per syncopam seclum dicimus. A seculum venit secularis.

Paulus ad Tim. cap. 2.

Nemo militans deo, implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit.

Ambro. super illud Beati immaculati.

Nõ mediocre periculum est, cùm habeas tanta eloquia dei, & dei opera quę fecit, illis pręter missis loquaris quæ seculi sunt. Incumbit virtuti seculi, qui desperat de adiutorio dei.

Gregor. lib. 5. Moralium.

Hunc mundus accepit, qui ad desideranda inuisibilia non surgit: seculares enim mentes, quanto magis per secularia desideria se dilatãt, tantò magis sinum cordis ab eius receptione angustant.

Ioan. Chrysost. super illud Matthæi 6. Si lumen quod in te est.

Sicut homo graues habens oculos, meliùs in loco tenebroso, quàm in sole positus videt, sic homo terrenus in terrenis astutus, & in spiritualibus cæcus.

Securitas græcè ἀσφάλεια ας.ἡ & ἀσφαλής.έος.ὁ ἡ securus dicitur. Est autem securitas, perfecta quies animi à timore, secundùm b. Thom. secũda secundæ quæst. 129. articu. 7.

Securitas opponitur timori priuatiuè tamẽ. Audacia verò contrariè, secũdùm eundem, primæ secundæ quæst. 45. articu. 1.

Securitas non est idem quod fortitudo, sed est conditio eius, & magnanimitatis, si sit quãdo, & in quibus debet, secundùm eundem, 2.2. q. 129. artic. 7.

Securus dicitur quasi sine cura, quasi seorsum à cura. Hinc aliquando pro contemptore accipitur.

Virg. Securus amorum Germanæ. Hinc securè aduerbium, & securitas tranquillitas & quies.

Prouerbio. cap. 15.

Secura mens, quasi iuge conuiuium.

August. ad Secundinum Manichæum, & habetur 11. quæst. 3. cap. Senti.

Senti de Aug. quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.

August. lib. Confession.

Nemo securus debet esse in vita ista, quæ tota tentatio nominatur: vt quæ fieri potuit ex deteriori melior, non fiat etiam ex meliore deterior.

Idem lib. 2. de libero arbitrio.

Nemo securus est in his bonis, quæ potest inuitus amittere. Veritatem autem atq; sapientiã nemo amittit inuitus.

Hiero. de Cohabitatione clericorum & mulierum.

Nunquàm securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec infrà vnam cauernam habitãs cum lupo, tutus est agnus: ipse voluit periculum qui hostem proprium in suas partes induxit: & intestinum sibi gladium ipse supponit, qui locum habitationis suæ, aduersarij ingressibus reseruauit.

Gregor. lib. 9. Moralium.

Sæpè mens dum virtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario, inopinatę culpę telo perforatur, & inde à deo in ęternũ longè fit, vnde ei ad tempus sine cautela custodia propinquauerit.

Idem Homilia 40.

Quid paradiso iucũdius? quid cælo securius? & tamen homo ex paradiso, & angelus cælo peccando cæcidit.

Idem in Pastorali.

Quibusdam sæpe magnitudo virtutis, occasio fuit perditionis, vt cùm de cõfidentia viriũ inordinatè securi essent, per negligentiam inordinatè morerentur. Mater enim negligentiæ, solet esse securitas. Videndo ergo meretricem .i. Magdalenam, de tua liberatione non desperes, sed etiã Iudam iudicãdo, securus esse nõ debes.

Idem lib. 2. Moralium.

Sæpè quẽ tentationis certamen superare nõ valuit, sua deterius securitas strauit.

Ibidem lib. 10.

Incassum munita sunt cætera, cùm locus vnus de quo hosti patet aditus, non est munitus.

Ibidem lib. 29.

Vę nobis miseris, qui de electione nostra nullam adhuc dei vocem cognouimus, & iam in otio, quasi de securitate torpemus. Debet profectò in spe esse securitas, sed etiã timor in cõuersatione, vt & illa certantes foueat, & hic torpentes pungat.

Cassiodo. super Psal. 72.

Nihil potest esse securius, quàm illi omnia committere, qui nouit suis cultoribus, cõgruè profutura præstare.

Hugo libro 3 de Anima.

Sic comedo, bibo, & dormio securus quasi iã transierim diem mortis, & euaserim diem iudicij, & tormenta inferni. Sic ludo & rideo, quasi

iam regnem tecum in regno tuo.

Seneca in epist. 106.

Securitatis magna portio est, nihil inqui facere. Confusam vitam & perturbatam potentes agunt, tamen metuunt, quantum nocent.

Idem in epist.

In ipsa securitate animus ad difficilia se preparet, & contra iniuriam fortunæ inter beneficia firmetur, qui enim in ipsa re trepidare noluerit, ante rem exerceat.

Franc. Petrar. Soneto 272.

O che leue inganar chi sa secura.

O quàm leue est decipere confidentem.

Seditio græcè στάσις. ιος: ἡ. στασιώδης. εος. ὁ. ἡ. seditiosus dicitur. Est autem seditio speciale peccatum, i. mutua impugnatio inter partes multitudinis, vel præparatio ad pugnam. Rixa verò est vnius ad vnum, vel paucorum ad paucos. Sed bellum est inter diuersas multitudines. Et vtrunque est pugna in actu, nō præparatio, ex beat. Thom 2.2. qu. 42. art. 10.

Seditio est semper de se peccatum mortale. Et est grauius rixa. Et principaliter est in procurantibus, secundò in sequentibus, non autem in defendētibus bonum commune, se. b. Tho. 2.2. q. 42. art. 2. o

Seditio dicitur à seorsum se dando, vel vt Ciceroni placet à seorsum eundo.

Seditio est cùm populo secum discordante res ad manum vocatur, qualem ciuitatis statum. Virgil. describit 1. Aeneidos: Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta est Seditio.

Factio verò est diuisio ciuium in diuersa studia, vnde factiosi qui primates ciuitatis discordantes sectantur. Cicero: Inter bonos amicitia, inter malos factio est.

De hac materia habes suprà, vbi Discordia, vbi Pax.

Segnities græce ῥαθυμία ας, ἡ, ῥαθυμός οῦ ὁ. segnis dicitur. Est autem segnities timor futuræ operationis, secundùm Ioan. Damascenum.

Segnities est fuga operationis ex timore laboris, secundùm b. Tho. 1.2. q. 41. art. 4.

Segnities vnde & segnis dicitur, quasi sine igne. Differtque à socordia, vt vult Donatus super Terent. Nam segnities dicitur ad agendum, socordia autem ad considerandum, & dicitur quasi sine corde. Terent. Enimuerò Daue nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ. Est autē socordia cùm quod animo agi oportuit, animi ipsi subueriti temerè ac inscitè quo minus id efficiant, retinentur.

Languida segnities lento demissa sopore.

Matth. *Non sentit faciles ad sua uota deos.*

Agric. *Perdit enim summi, quæ sunt data munera patris.*

Hinc quoscunque premit non leuis ira pigros.

De hac materia habes supra vbi Acedia,

Senectus græcè γῆρας. ατος. τὸ, γέρων. οντος ὁ. senex & γηράσκω senesco dicitur. Est autem senectus occasus vitæ, secundùm Ciceronem in Topicis.

Senectus est vltima ætas durans aliquando tantum quantum omnes aliæ ætates, secūdùm b. Thom. 4. Sent. di. 43. art. 3

Senex dicitur quasi seminex, hoc est semimortuus, quod acta maiore ætatis suæ parte iā morte propinquior sit. Nam nex mortē significat. Sisenna. quoniā neq; mea nex, neq; intercessio posse videtur illorū dementē reprimere audaciam Hinc deducitur neco, quod est interficio. A sene senectus, senecta & senium veniunt eius dē ferè significationis. A sene senat⁹ dicit, q & locū significat in quo senatores cōueniūt, & ipsos senatores. A senator senatorius deducitur, vt senatoria maiestas.

Leuitici cap. 19.

Coram cano capite consurge, & honora personam senis.

Iob cap. 12.

In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.

Prouerb. cap. 16.

Corona dignitatis senectus, quæ in vijs iustitiæ reperietur.

Ibidem.

Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neq; annorū numero cōputata. Cani aūt sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.

Eccl siast. cap. 8.

Ne spernas hominē in sua senectute, etenim ex nobis senescunt.

Ibidem cap. 25.

Tres species odiuit aīa mea, & aggrauor valde animę illorum. Pauperē superbum, diuitem mendacem, & senem fatuum & luxuriosum.

Ibidem.

Quę in iuuētute tua nō congregasti, quomodo in senectute tua inuenies? *Ibidem.*

Quàm speciosum caniciei iudiciū, & presbyteris cognoscere consilium. *Ibidem.*

Quā speciosa veteranis sapiētia, & gloriosus intellectus & consilium. *Ibidem.*

Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor dei. *Ibidem.*

Loquere maior natu, decet enim te.

Esaiæ cap. 65.

Puer centum annorum morietur.

Paulus ad Hæb. cap. 8.

Quod autē antiquatur & senescit, prope interitum est.

Aug. de Catechisandis rudibus.

Cùm sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem.

Aug super Psal. cap. 13. Si

Sit senectus nostra puerilis, & pueritia senilis.i.vt nec sapiētia nostra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia.

Hiero.in epist.ad Nepotianum.

Omnes penè virtutes corporis minuuntur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cætera, ieiunia, peregrinorum susceptio, pauperum defensio, orationum instātia, labor manuum, & cuncta quæ per corpus exercentur, fracto corpore minuuntur. Sola Abisaac Sunamitis senem Dauid calefecit, quia amor sapientiæ, marcescente corpore, dilectorem suū non deserit.

Ibidem.

Senectus eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu certior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum fructus dulcissimos metit.

Ambrosius in Hexameron libro 1.

Quid naturam accusas o homo? habet illa impedimenta quædam, senectutem & infirmitatē, sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consilijs subtilior, ad constantiam subeundę mortis potior, ad reprimēdas libidines fortior. Infirmitas corporis, sobrietas mentis.

Idem in serm. de Pascha.

Pascha hebraicæ dicitur trāsitus, scilicet per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est de peccato transire ad iustitiam, de vitijs ad virtutes, de senectute ad infantiam, dico non ætatis, sed simplicitatis.

Ibidem.

Aetates quædam sunt meritorum. Nam & senectus morum inuenitur in pueris, innocentia infantium inuenitur in senibus.

Ambrosius de Iacob. lib. 2.

Beatus quidem iuuenis, qui benè viuit, sed & beatus senex qui vixit. Quod enim iuuenis sperabat, adeptus est senior: quod senex fuit, optat hoc esse qui iuuinis est. Certè hic inquieti maris, longiore sibi adhuc cursu manente, iactatur fluctibus: Senex verò sicut in portu, ita in statione est senectutis.

Idem in epistola contra Simmachum.

Nulla ætas ad discendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum. Nullus pudor est, ad inferiora transire.

Gregorius lib. 30. Moralium.

Iuuenes dici solent, qui nulla consilij grauitate deprimuntur. Senes verò non eos sacra scriptura vocare consueuit, qui sola temporū quātitate, sed qui morum grauitate maturi sunt vnde li. Sa. Senectus honorabilis est, nō diuturna neq; annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senecta, vita immaculata.

Gregorius in Registro.

Paulus dicit seniorem ne increpaueris. Hæc regula in eo seruanda est, cùm culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuuenum. Vbi autem senior ad interitum iuuenibus exemplum præbet, ibi discreta increpatione feriendus est.

Ioan. Chrysost. super episto. ad Hebræos ser. 7.

Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit quæ canitiem decent, cùm vero iuueniliter senex cōuersa(?)ipsis iuuenib. ridiculus erit.

Hugo de claustro Animæ libro 2.

Inter abusiones huius seculi, sola maior est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum: qui quasi ad ostium huius mundi positus foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futura cōsiderat. Audit nūtios mortis, & cedere nō vult eis. Tres enim sunt nuntij mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nuntiat. Casus nuntiat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Ex multitudine, mortis timor. Ex infirmitatis grauitate, dolor. Ex certitudine senectutis, nō obstinatio, sed afflictio & humilitas sequi debet.

Cypria. de 12. Abusionibus.

Plus omnibus religioni operam dare senibus conuenit, quos præsentis seculi florida ætas trāsacta deseruit.

Ibidem.

Quid stolidius fieri potest? si mens ad perfectionem festinare non contendat? quoniam totius corporis habitu, senectute cōfectus homo, ad interitum properat, dum oculi caligant, aures grauiter audiūt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dētes lapsi, numero minuūtur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat. Homo interior qui nescit, his omnibus aggrauatur, & hæc omnia ruituram iam domum nostri corporis citò pronunciant.

Seneca ad Lucil. epi. 12.

Iucundissima est ætas deuexa iam, non tamē præceps.

Ibidem.

Amplectenda est & amanda senectus, plena est voluptatis, si illa scias vti. Gratissima sunt poma cùm fugiūt. Deditos vino potatio extrema delectat. Quod in se iucundissimum hominis voluptas habet, in finem suum differt.

Ibidem.

Nihil turpius quàm senex, viuere incipiens.

Idem in epistola.

Numera annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueris..Moriantur ante te vitia.

Idem in epistola.

Turpis & ridiculosa res est elementarius senex. Desine eadem velle senex, quæ voluisti puer. Hoc opus sit, hoc cogitato imponere veteribus malis finem.

Idem in epistola.

Quisquis senex ad sapientiam peruenit, annis peruenit.

Idem in epistola.

Benè agitur cum senectute, si ad illam lógo studio intentoq; peruenerit.

Idem. li. de Beneficijs.

Iuueni parendum, seni optemperandum.

Idem. Tragœdia 4. Actu. secūdo.

Propria describit deus officia, & æuum per suos ducit gradus.

Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Aristoteles libro 7. Physicorum.

Infantes ita benè sentire. i. iudicare non possunt sicut senes.

Idem libro 1 de Anima.

Si senex haberet oculum iuuenis, videret vtique vt iuuenis.

Idem li. de Memoria & reminiscentia.

Puer, & multùm senes sunt immemores, propter nimium motum accidentem corporibus eorum.

Idem li. de causa longitudinis & breuitatis uitæ.

Senectus est frigida & sicca.

Ibidem.

Labor exiccat & senium inducit, vnde multùm laborantes senescunt magis.

Ibidem.

Animalia multùm coëuntia citò senescunt, quia sperma est superfluitas nutrimenti, & amplius quàm sustineri possit emissum exiccat. Et propter hoc mulus, est longioris vitæ quàm asinus & equus, ex quibus fit, quia ipse non generat.

Commentator super Arist. de Causa longitudinis & breuitatis uitæ.

Complexio iuuenum calida est & humida, senum verò frigida est & humida.

Idem libro 3. de Animalibus.

Propriū hominis est canescere in senectute.

Ibidem ca. 25.

In prima ætate & in seniori, & infirmis sperma non est.

Aristoteles Ethico. libro 2. ca. 16.

Senes increduli sunt, quia multis annis vixerunt, & in pluribus decepti fuerunt, & peccauerunt.

Ibidem.

Senes mali suspiciosi propter incredulitatē.

Ibidem.

Senes neq; amāt valde, neq; odiunt, propter inexperientiam. Sed secundùm Biantis additionem, & amant vt odituri, & odiunt vt amaturi.

Ibidem.

Senes sunt pusillanimes, quia humiliati sunt à vita.

Ibidem.

Senes formidolosi sunt omnia pertimescētes.

Ibidem.

Senes seruiunt lucro.

Idem libro 2. Ethicorum.

Verecundia non conuenit omni ætati, sed tātùm iuuenili. Vnde iuuenes verecundos laudamus, senem aūt verecundum nullus laudabit.

Idem libro 6. Ethicorum.

Multitudo temporis facit experientiam.

Idem libro 5. Politicorum.

Si sint plures fratres, senior debet semper principari.

Idem libro 7. Politicorum.

Potentia autem est in iunioribus, prudentia in senioribus.

Ibidem.

Iuuenum coitus paruus est ad puerorum procreationem, similiter senum, virorum verò est bonus.

Idem libro 8. Ethicorum.

Senes non fiunt amici citò.

Laert. Diogenes de Vita & moribus philosopho.

Interrogatus Solon philosophus, qua spe freus tam audacter resisteret Pisistrato tyranno, ait: senectute.

Macrobius libro 2. Saturnalium.

Vt hedera serpens, vires arboreas necat, ita vetustas amplexu annorum necat.

Ibidem lib. 3.

Vetustas quidem nobis, si semper sapimus, adoranda est.

Cicero libro de Senectute.

Non sunt in senectute vires, nec postulantur quidem vires à senectute.

Ibidem.

Quid mirū igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando? cùm id ne adolescentes quidem effugere possint.

Ibidem.

Nec verò corpori solùm subueniendum est, sed menti atq; animo multò magis. Nam hæc quoq; nisi tanquàm lumini oleū instilles, extinguūtur senectute. Et corpora quidem exercitationum defatigatione ingrauescunt, animi autem exercitando leuantur.

Ibidem.

Ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senum leuium est, non omnium.

Ibidem.

Pythago-

Pythagoreo more, exercẽdæ memoriæ gratia, quodcunq; die dixerim, audiuerim, egerim commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis. Semper enim in his studijs laboribusq; viuẽti, non intelligitur, quãdo obrepat senectus.

Ibidem.

Nihil est otiosa senectute iucundius.

Ibidem.

Habet senectus honorata, præsertim tantã authoritatem, vt ea plus sit quàm omnes adolescentiæ voluptates.

Ibidem

At sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes, si quærimus etiã auari. Sed hęc morum vitia sunt, non senectutis. Contemni se putant, despici, illudi.

Ibidem

Quis est tam stultus, quàmuis sit adolescens cui sit exploratum, se ad vesperũ esse victurũ.

Quin etiam illa ætas multò plures, quàm nostra mortis casus habet. Facilius in morbos incidunt adolescentes, grauius ægrotãt, tristius curantur. Itaq; perpauci veniunt in senectutem.

Ibidem.

Mens enim ratio & consiliũ in senibus est, qui si nulli fuissent, nullæ omnino fuissent ciuitates.

Ibidem.

At sperat adolescens diu se victurum, quod sperare idem senex nõ potest: insipienter sperat. Quid enim stultius, quàm incerta pro certis habere, falsa pro veris?

Cicero ibidem.

At est meliore conditione quàm adolescens, cùm id quod ille sperat, hic consecutus est. Hic vult diu viuere, ille diu vixit.

Ibidem.

Omnia verò quæ secundùm naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid autem tam secundùm naturam, quàm emori senibus?

Cicero li. de Senect.

Itaq; adolescentes mihi mori sic videntur, vt aquæ multitudine flammæ vis opprimitur. Senex autem, sicut sua sponte nulla vi adhibita, vt cõsumptus ignis extinguitur: & quasi poma ex arboribus cruda si sunt, vi velluntur, si matura & cocta, decidunt.

Ibidem.

Sicut vitam adolescentibus vis aufert, senibus matturitas.

Ibidem.

Omnium ætatum certus est terminus, senectutis autem nullus est certus terminus.

Idem de Senectute.

Ergo vt superiorum ætatũ studia decidũt, sic etiam occidunt senectutis.

Ibidem.

Leuis est senectus, non solùm non molesta; sed etiam iucunda.

Ibidem.

Moderati autem senes, nec difficiles, tolerabilẽ senectutem agunt.

Ibidem.

Neque enim in summa inopia leuis esse senectus potest.

Ibidem.

Aptissima sunt omninò arma senectutis, Scipio & o Læli artes exercitationesq; virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cùm diu multumq; vixeris, mirificos afferunt fructus, nõ solùm quia nũquàm deserunt hominem, nec extremo quidem tempore ætatis (quanquàm id quidem maximum est) verùm etiam, quia conscientia benè actæ vitæ, multorumq; benefactorum recordatio iucundissima est.

Ibidem.

Est etiam quietè, purè & eleganter actæ ætatis placida ac lenis senectus.

Idem li. de Senectute.

Sua enim vitia insipientes, & suam culpam in senectutem transferunt.

Ibidem.

Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant.

Ibidem.

Non viribus aut voluptatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: sed consilio, autoritate & sentẽtia, quibus non modo orbari, sed etiam augeri senectus solet.

Ibidem.

Consilium, ratio, sententia, constant in senibus, qui nisi in illis essent, summum consilium maiores nostri non appellassent senatum.

Idem de Senectute.

Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senectutis.

Ibidem.

At memoria minuitur credo, nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior.

Ibidem.

Neq; verò quenquam senem audiui oblitũ, quo loco thesaurum obruisset. Omnia quæ curant, meminerunt.

Ibidem.

Manent ingenia senibus, modò permaneat studium & industria. Neq; ea solùm in raris & honoratis viris, sed in vita etiã priuata & quieta.

Ibidem.

Nemo est tam senex, qui se adhuc annum nõ putet viuere posse.

Cicero libro de Senect.

Aedepol

Aedepol senectus si nihil quicquã aliud vitij apportes, vnum cùm aduenis, vnum id sat est, quod diù viuendo, multa quæ non vult, videt.

Ibidem.

Facit persæpè ipsa sibi audientiam, diserti senis copiosa & mitis oratio.

Ibidem.

Quid enim iucundius senectute, stipata studijs iuuentutis.

Ibidem.

Libidinosa enim & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.

Idem libro de Senectute

Potest igitur exercitatio & intemperantia, etiam in senectute conseruare aliquid pristini roboris.

Cicero Rhetor. nouo. libro 4.

Non omnia concedenda sunt antiquitati.

Salust. in Iugurtha.

Omnia orta occidunt, aucta senescunt.

Valerius Maximus libro 2.

Senectuti iuuentus ita cumulatum & circũspectum honorem reddebat, tãquàm maiores natu, adolescentium communes patres essent.

Ibidem.

Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, qui nam ei cõuiuio essent interfuturi. Ne senioris aduentum discubitu præcurrerent, sublataq; mensa, priores consurgere, & abire patiebantur. Ex quibus apparet, cœnæ quoq; tempore quàm parco, & quàm modesto his præsentibus, soliti sint vti.

Idem libro 4.

Validior enim ætas imperium Romanum rexit, & duplicauit. Senectus excellentissimis iuuamentis decorata, in altissimo maiestatis fastigio fulsit.

Idem libro 8.

Gorgias Leontinus cùm centesimum & septimum annum ageret, interrogatus, quapropter tamdiù viuere vellet, quia nihil inquit habeo, quod senectutem meam accusem. Quid isto tractu ætatis aut longius aut beatius? Iam alterum seculum ingressus, neq; in hoc querelam illam inuenit, neq; in illo reliquit.

Homerus in δ. Iliados uerba sunt Agamemnonis ad Nestorem.

ὦ γέρον, εἴθ' ὡς θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν,
ὥς τοι γούναθ' ἕποιτο, βίη δέ τοι ἔμπεδος εἴη. id est,
O senex utinam ut animus in pectoribus amicis.
Sic tibi genua responderent, uisq; tibi firma esset.

Idem in eodem uerba Nestoris.

κελεύσω.
βούλῃ, καὶ μύθοισι, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων. id est,
Adhortabor consilio & sermonibus, hoc enim munus est senum.

Phocylides.

αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους, εἴκειν δὲ γέρουσιν,
ἕδρῃ, καὶ γεράων πάντων, γενεῇ δ' ἀτάλαντον. id est,
Venerare cana tempora habentes, cede senibus in sedendo, & in officijs omnibus, nobilitatiq; æqualiter.

Idem.

πρέσβυν ὁμήλικα πατρὸς ἴσαις τίμαισι γέραιρε. id est.
Senem coætaneum patris æqualibus honoribus honora.

Menander.

ἅπαντ' ἀφανίζει γῆρας ἰσχὺν σώματος. id est,
Omnem delet senectus uim corporis. idem.
γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων. id est,
Sententiæ autem meliores sunt seniorum. idem.
καλὸν τὸ γηρᾶν, καὶ τὸ μὴ γηρᾶν πάλιν. id est,
Pulchrum senescere, & non senescere iterum.

Idem.

σκληρὸς ἀνήρ ἐστιν ἐν νέοισι γέρων. id est,
Modestus uir est inter iuuenes senex. Idem.
πολιὰ χρόνου μήνυσις οὐ φρονήσεως. id est,
Canities temporis indicium non prudentiæ.

Idem.

φοβοῦ τὸ γῆρας οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. id est,
Time senectutem: non enim uenit sola.
χαλεπὸν τὸ γῆράς ἐστι ἀνθρώποις βαρός. id est,
Difficile senectus est hominibus onus.

Philo.

αἱ πολιαὶ σὺν νῷ γεραρώτεραι αἱ γὰρ ἄτερ νοῦ,
μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσιν ὄνειδος ἐτῶν. id est,
Canities cum mente honorabiliores. Quæ enim sine mente, magis multorum sunt uituperium annorum.

Lucilius.

εἴ τις γηράσας ζῆν εὔχεται ἄξιός ἐστι
γηράσκειν πολλῶν εἰς ἐτέων δεκάδας.
Si quis senescens uiuere precatur: dignus est
Senescere multorum in annorum decadas.

Menecrates.

γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ πᾶς εὔχεται ἢν δ' ἄρα ποτ' ἔλθῃ
μέμφεται: ἔστι δ' ἀεὶ κρεῖσσον ὀφειλόμενον. id est,
Senectus dum quidem abest, quilibet optat. Si uerò unquam accesserit, accusatur. Est autem semper melius debitum.

Plautus in Epidico.

Profectò deliramus interdum senes.

Idem in Bachi.

Non omnis ætas ludo conuenit.

Teren comœ. ult.

Senectus ipsa morbus est.

Virg. Buco. Eclog. 9.

Omnia fert ætas, animum quoq;.

Ouidius Tristium libro 5. Elegia 2.

Scilicet exiguis prodest annosa uetustas.
Grandibus accedunt tempore damna malis.

Ouidius Metamor. lib. 6 fabula 1.

Non omnis grandior ætas.
Quæ fugiamus habet, seris uenit usus ab annis,
Plura tamen memini.

Idem libro 4 fabula 4.

Tremuloq; gradu uenit ægra senectus.

Quæ patienda diu est. Horat. in arte poetica.

Multa senem circumueniunt incommoda, uel quòd
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quòd res omnes timidè, gelidéq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidúsq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatórq; minorum.
Multa ferunt anni uenientes commoda secum:
Multa recedentes adimunt. Iuuenalis satyra 10.

Vna senum facies, cum uoce trementia labra,
Et iam leue caput, madidiq; infantia nasi.
Frangendus misero gingiua panis inermi,
Vsque adeo grauis uxori, natisq;, sibiq;,
Vt captatori moueat fastidia Cosso.

Ibidem.

Non eadem uini, atq; cibi torpente palato
Gaudia, nam coitus iam longa obliuio: uel si
Coneris, iacet exiguus cum ramice neruus,
Et quamuis tota palpetur nocte, iacebit.

Ibidem.

Clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat uenisse puer, quot nuntiet horas.

Ibidem.

Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet, huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis. Ibidem.

Sed omni.

Membrorum damno maior dementia, quæ nec
Nomina seruorum, nec uultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnauit nocte.

Iuuenalis satyra 13.

Improbitas illo fuit admirabilis æuo,
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis uetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer, licet ipse uideret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam uenerabile erat præcedere quatuor annis,
Primáq; par adeò sacræ lanugo senectæ.

Francis. Petrar. Triumpho mortis c. 1.

Eglie pur il megliore
Fugir uechiezza, & suo multi fastidi.

SENECTVS OMNIBVS HOMINIBUS exosa Ex Mimnermo poëta, de quo Gyraldus de poëtis meminit.

Κρυπταδίη φιλότης, καὶ μείλιχα δῶρα καὶ εὐνὴ
ἄνθεα εἰ ἥβης γίγνεται ἁρπάλεα
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν, ἐπὶ δ' ὀδυνηρὸν ἐπέλθῃ
Γῆρας, ὅτ' αἰσχρὸν ὁμῶς καὶ καλὸν ἄνδρα τιθεῖ,
αἰεί μὲν φρένας ἀμφὶ κακαὶ τείρουσι μέριμναι
οὐδ' αὐγὰς προσορῶν τέρπεται ἠελίου,
ἀλλ' ἐχθρὸς μὲν παισίν, ἀτίμαστος δ' γυναιξίν:
οὕτως ἀργαλέον γῆρας ἔθηκε θεός. id est.

Amor, inquam, occultus & blanda domus, & lectus,
Rapidè carpendi sunt iuuentutis flores
Viris & mulieribus: ubi uerò molesta ingruerit
Senectus, quæ pulchrum etiam uirum reddit informem,
Semper tum graues animum rodunt curæ:
Nec solis aspectu delectatur senex:
Oderunt illum pueri, contemnunt mulieres:
Adeò miseram Deus senectam fecit.

EVRIPIDES IN PHAENISSIS.

Laus Senectutis.

O fili non omnia mala senectuti
Adsunt: sed experientia senum
Plus sapientiæ demonstrare potest, quàm iuuenes.

Græcè.

ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ
Πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία.
Ἔχει τὶ δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Idem in Bellerophonte.

O fili, manus quidem iuueniles ad agendum robustæ sunt,
Seniorum autem sententiæ sapientia præstant:
Tempus enim multam & uariam doctrinam parit. i.

Ὦ παῖ, νέων τοι δρᾶν μὲν εὔτονοι χέρες.
Γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων:
ὁ γὰρ χρόνος δίδαγμα ποικιλώτατον.

Idem in Erechtheo.

Colloquia uerò senilia diligas,
At amores lasciuos, qui solùm ridendo splendent,
Oderis: Non diu durat malæ uoluptatis delectatio.
Ἀκόλαστα δὲ ἤθη μίσει, βραχεῖα τέρψις ἡδονῆς κακῆς.

Menander comicus.

Quamuis cetera longum tempus nobis auferre
Soleat, prudentiam tamen firmiorem facit.

Euripides in Menalippe.

Παλαιὸς αἶνος, ἔργα μὲν νεωτέρων,
βουλαὶ δὲ ἔχουσι τῶν γεραιτέρων. id est.
Vetus hoc dictum est, opera quidem iuniorum,
Consilia autem seniorum uim habere.

Idem in Peleo.

Senectus ô fili iuuenilibus annis
Sapientior est atq; tutior.
Experientia uincit imperitiam. id est:
Ἐμπειρία τι τῆς ἀπειρίας κρατεῖ.

Sophocles in Tyrone.

Γῆρας διδάσκει πάντα καὶ χρόνου τριβή. id est.
Senectus omnia docet, moráq; temporis.

Crates ex Antiphane.

Exprobrasti mihi senectam ceu magnum malum,
Quam qui non assecutus fuerit morte mulctatur,
Quam omnes desideramus: At si quando uenerit
Acgrè ferimus: adeò ingrati naturæ sumus:
Nullus enim tam diligit uitam, quàm qui nescit.

Antiphanes ex Philocteta.

Sapientiæ nonnihil ad consultationes habet
Senectus, ut quæ multa uiderit, atq; didicerit. Græcè
Σοφόν γε τοι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει,
τὸ γῆρας, ὡς δὴ πολλ' ἰδόν τε καὶ μαθόν.

Sophocles in Thyeste.

Κἄπερ γέρων ὤν: ἀλλὰ τῷ γήρᾳ φιλεῖ
καὶ ὁ νοῦς ὁμαρτεῖν, καὶ τὸ βουλεύειν ἃ δεῖ. id est.

Quamuis senex sit. solent enim senilem ætatem
Mens etiam & opportuna consilia sequi.

Phauorinus de Senectute.

Nam hoc etiam non tacebo, quod Platoni et Pythagoræ videatur, senectutem non tam esse iuxta finem vitæ, quàm iuxta principium benè beateq; viuendi.

Plutarchus.

Iuuenes decet, vt æmulentur seniores: iuxta Simonidem,

Vt lactés pullus cursum comitatur equai. i.
Νέοις δὲ ζηλωτέον τοὺς γέροντας κατὰ σιμονίδην,
ἄθηλος ὕππῳ πῶλος ὥς ἅμα τρέχειν

Et, vt Plato inquit, de mero aquæ miscédo, deum furentem ab alio deo sobrio temperari.

Democritus.

Robur & forma corporis bona sunt. Senectus autem flos est temperantiæ & prudentiæ. id est. ἰσχὺς καὶ εὐμορφίη νεότητος ἀγαθὰ, γῆρας σωφροσύνης ἄνθος.

Phauorinus de Senectute.

Beotius quidam cùm iam natus annos plusquàm septuaginta thesaurum reperisset, sublato crure, ipsum contempsit & pręteriuit, vt qui non amplius vsui sibi futurus esset: Ita senectus animum & tranquillum reddit, & multæ pecuniæ studium & impensas adimit.

Aeschines contra Demarchum.

Diligenter considerandum est (vt legislatori videtur) quod seniores prudentia quidem vigent: audacia verò iam ipsos destituere incipit, propter experientiam rerum.

Iuncus de senectute.

Ad meam sententiam explicandam me confero: existimans senes propter longum tempus & rerum per vitam actarum experientiam erroribus nõ obnoxios esse: iuuenibus autem impedimento esse ad bona, tũ vires corporis, quibus illi freti, temerè bellum capessunt, & maiora appetunt, tum in considerationem rerum vtilium. Atqui fuerit mihi testis illorum, quæ dixi, Solon Atheniensis, qui legẽ sanxit, ne quis admodum iuuenis ad magistratum, aut consultationes admitteretur, quamuis prudẽtissimus esset visus.

Cæterùm quoad cupiditatibus, senes immunes, & nihil amplius ab eis turbantur. Hoc maximum & pulcherrimum à Dijs donum hominibus datum esse reor, per quod diuinæ naturę quodammodo similes fiant. Nam dij non comedunt fruges, non potant feruida vina. οἱ μὲν γὰρ οὐ σῖτον ἔδουσιν οὐ πίνουσιν αἴθοπα οἶνον.

Senes autem superfluis & molestis abstinentes, ipsorum vsu nihil egent, indigentiæ molestijs liberati, & frugalis animi, rebusq; contenti, voluptate fruentes: etenim ab impetu & appetitu in Venerem ruente seiunctum esse, Dij boni, quanta vtilitas & furoris molestiæq; amissio dicenda est, quo tempore bruta & cupiditatibus obnoxia pars animæ pulchritudinis voluptate fruitur: deinde inutilium & lasciuarum rerum mentionem omninò facit nullam.

Archytas Pythagoricus Philosophus in libro de uiro bono & felice.

Similiter & senectus ad iuuentutem se habet: hæc aggrediendo quippiam præualet, illa prouidendo nunquàm seipsum sine mentis custodia relinquit, sed quid agat, aut quid egerit considerat, vt futura præsentium, pręsentia autem pręteritorum collatione trutinans, ipsa sese rectè dirigere possit, ad præteritum tempus memoriam accõmodans, ad præsens sensum, ad futurum verò prouidentiam. Semper enim memoria nobis adest præteriti temporis, prouidẽtia futuri, præsentis autem sensus. Propterea hominem benè beateq; victurum nõ sensu solùm & memoria, sed etiam prouidentia valere oportet.

Themistius de anima.

Atqui Sophocles de senibus eleganter dixit:
Vetusta paruo corpora momento lapsa uiuunt,
Χαρίεντος σμικρὰ παλαιὰ σώματ᾽ εὐνάζει ῥοπή.

Mors enim senilis diuersorio similis est, iuuenilis autem tanquam eiectio & naufragium est: elabitur enim anima violenter contrito corpore.

Parmenides.

Γῆρας γίγνεσθαι παρὰ τὴν τοῦ θερμοῦ ὑπόληψιν.
Senectutem ob caloris defectum fieri.

Euripides in Aeolo.

Papè quàm benè uetus hoc dictum celebratur:
Nos senes aliud nihil quàm turba sumus,
Et figura tantùm somniorumq; simulachra serpimus.
Mens autem non est amplius, putamus
Verò nos rectè sapere.

Idem in Bacchis.

Ὡς δύσκολον τὸ γῆρας ἀνθρώποις ἔφυ. id est,
O quàm difficilis senectus est hominibus.

Idem in Aenomao.

O senectus qualem uoluptatis spem de te præbes,
Et omnes homines ad te cupiunt peruenire:
At qui iam experitur, pœnitentia ducitur:
Siquidem nullum est graui senectute grauius malum.

Menander.

Quid aliud est vir senex, quàm vox & vmbra? molesta res est tempus longum: grauis ô senex es: nihil enim boni, multa verò habes difficilia & dolorifica hominibus: nihil minus tamẽ omnes ad te studemus & optamus peruenire.

Sensus græcè & αἴσθησις. ιος. ἡ. & αἰσθητὸς. οῦ. ὁ. sensibilis dicitur. Est autem sensus potentia passiua, sec. b. Tho. prima parte q. 79 art. 3.

Sensus exteriores sunt tantùm quinq; secundùm modos immutationis ab obiectis. s. visus, auditus,

auditus, olfactus, gustus & tactus, secundùm b. Tho. prima parte q.78. arti.3.

Sensus interiores, secundùm Aristo. sunt tantùm quatuor, secundùm quatuor modos operationum, s. Sensus communis, imaginatiua, æstimatiua in alijs animalibus, siue cogitatiua in homine, & memoratiua, sensitiua: licet sint quinque secundùm Auicennam, s. sensus communis, imaginatiua, phantasia, æstimatiua, & memoratiua, sensitiua secundùm eundem, prima parte, q.78. art.4. De his sensibus tam interioribus quàm exterioribus, vide suprà in arbore Animæ. A sensu dicitur sententia, de qua infrà.

Sensibile proprium est, quod non contingit altero sensu sentiri, & circa quod non contingit errare, secundùm Aristo. libro 2. de Anima.

Sensualitas dicitur à sensu, & est vis appetitiua sensitiuæ partis, secundùm beatum Thomã prima parte, q.81. arti.1.

Sensualitas propriè nominat potentiã appetitiuam tantùm. Sensibilitas verò comprehendit omnes vires sensitiuas, scilicet apprehẽsiuas & appetitiuas, secundùm eundem. sen 2. dist.24. q.2. art.1.

Sententia græcè διάνοια. ασ. ἡ. & διανοέω animaduerto dicitur. Est autem sententia determinata acceptio alterius partis contradictionis, secundùm beatum Tho. 3. sen. dist.23. q.3. artic.2.

Sentire vnde sententia deducitur, propriè est sensu percipere, quod ad corpus duntaxat pertinet, vnde quinque corporis sensus sunt appellati, de quibus suprà. Interdum sentire ponitur pro intelligere. Nonnunquam iudicare. Hinc etiam sententia deriuatur, & quę sic diffinitur:

Sententia est iudicialis diffinitio, quę controuersijs finẽ imponit, pronuntiatiõe competẽtis iudicis, cõdemnationem uel absolutionẽ continens, secundùm Gofre.

Sententia est appellatio iuris ad particulare factum, secundùm beatum Thomam prima secun. q.96. art.1.

Sententia est non de singularibus sed de vniuersalibus enuntiatio, nec de omnibus uniuersalibus, sed de quibuscunq; operationes sunt quę ad agendum eligenda uel fugienda sunt, secundùm Aristotelem libro 2. Rhetor.

Sepultura græcè τάφος. ου. ὁ. & θάπτω sepelio dicitur. Est autem sepultura locus concauus in loco ecclesiastico, vel cæmiterio factus, in quo corpus catholici conquiescit, vel sepulchrum est locus concauus, in quo ossa defunctorũ cõduntur.

Sepultura inuenta est ne horror & fœtor sit viuis, & ad fidem resurrectionis futurę, & vt oretur pro defunctis ex b. Tho. 4. sen. di. 15. q.2. ar.3. Sepultus non dicitur, quasi sine pulsu, vt quidã volunt, sed à sepeliẽdo. Sepelio uerò à sepiendo, quia cadauer terra vel lapide, vel alio genere materię circũsepitur. sepultura modò ipsum sepulchrum significat, modò actum ipsum sepeliendi.

August. de cur. agenda pro mortuis.

Nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum corporib. sepultura, nec si exhibeatur, aliquid infidelibus prodest.

August. & habetur 23. q.2. cap. Quibus peccata.

Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortẽ adiuuari nõ possunt. Quia quos peccata grauiora deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant.

Hieron. contra Iouinianum cap.36.

Massagetæ & Derbites miserrimos putant, qui ægrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad senectam venerint, iugulatos deuorant: rectius esse dicẽtes, vt à se potius, quàm à vermibus comedantur. Tibareni quos dilexerint senes suspendunt in patibulis. Hircani volucribus & canibus semiuiuos proijciunt. Capsi bestijs mortuos proijciunt. Scythe eos qui à defunctis amati sunt, viuos infodiũt cum ossibus mortuorũ. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obijciunt senes. Quod cùm Alexandri præfectus Nicanor emendare voluisset, penè amisit prouinciam.

Grego. & hab. 13. q.2. c. Cùm grauia.

Cùm grauia peccata non deprimunt, tunc prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur: quia eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt, sacramq; sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundunt. Nã quos peccata grauia deprimunt, ad maiorem cumulũ damnationis, quàm ad solutionem eorum corpora in ecclesijs ponuntur.

Ioannes Chrysostomus.

Vbicunq; sepeliamur, domini est terra & plenitudo. Secundùm quod oportet fieri, efficiatur. Legere autem, & deplorare, & lamentari eos qui ab hac vita decedunt, ex pusillanimitate contingit: hoc autem ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur.

Cicero libro 2. de Legibus.

At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontẽ Cyrus vtitur? Redditur enim terræ corpus & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur, eodẽq; ritu in eo sepulchro, quod procul ad fontis aras regem nostrum Numam conditũ accepimus: gentemq; Corneliam vsq; ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse vsam.

Ibidem.

Hominem mortuum inquit lex in 12. tabulis in vrbe

in vrbe ne ſepelito, neue vrito.

Cic. Tuſc. q. lib. 1.

Quid Cyrenęum Theodorum philoſophũ non ignobilem, nónne miramur? Cui cùm Lyſimachus rex crucem minaretur. Iſtis quæſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis, Theodori quidẽ nihil intereſt, humi ne an ſublimè putreſcat.

Cicero ibidem.

Pręclarè Anaxagoras, qui cũ Lampſaci moreretur, quęrentibus amicis vellet ne Clazomenas in patriã, ſi quid accidiſſet, auferri. Nihil neceſſe eſt inquit. Vndiq; enim ad inferos, tantũdem vię eſt.

Ibidem.

Sed quid ſingulorũ opiniones animaduertã, nationũ varios errores proſpicere cùm liceat? Condunt Aegiptij mortuos, & eos domi ſeruant. Perſę etiam cęra circumlitos cõdunt, vt quàm maximè permaneant diuturna corpora. Magorum mos eſt, non humare corpora ſuorũ niſi à feris ſint antè laniata. In Hircania plebs publicos alit canes: optimates domeſticos. Nobile autem genus illud canum ſcimus eſſe. Sed pro ſua quiſq; facultate parat, à quibus lanietur. Eamq; illi optimam eſſe cenſent ſepulturam.

Lucanus libro 7. Pharſaliæ in fine.

Libera fortuna mors eſt, capit omnia tellus
Quæ genuit: cœlo tegitur qui non habet urnam.

Agricius in Aurora.

Væ tibi ceßator, demens uecordia mentem
Franget, & incultum fœda ſepulchra prement.

Serenitas grece αἰθρία ας. ἡ & αἴθριος. ου. ὁ ſerenus dicitur. Eſt autẽ ſerenitas quies aëris, ſecũdũ B Tho. ſuper lib. Met. 3. lec. 6. fi. A ſerenus fit ſereno verbum, hoc eſt trãquillo, clarifico. Vergil. Vultu quo cœlũ, tẽpeſtateſq; ſerenat. Trãſfertur nõnunquã ad animũ, vnde mẽtis ſerenitas. Serenus, vt quibuſdam placet, à ſero, ris, deducitur: quoniam tempus tranquillũ, ſine nubibus, ſine imbre, ſationi maximè aptum eſt.

Sermo gręce λόγος. ου. ὁ. Et eſt idẽ quod loquela. Dicitur autẽ, à cõſerendis ſimul cõpoſitis & cõtextis verbis. Hinc ſermocinor loquor. Et ſermocinatio collocutio.

De hac materia vide ſuprà in Lingua. & infrà in Taciturnitas.

SEruitus gręce δουλεία ας. ἡ & δοῦλος. ου ὁ. ſeruus dicitur. Eſt aũt ſeruitutis inſtitutio iuris gẽtiũ, quia quaſi dño alieno contra naturã ſubijcitur, vt hab. inſt. de iure perſonarũ. §. Seruitus. Dicit aũt ſeruus, quod in bello ſerui nõ necabãtur, ſed viui ſeruabãtur. Eius diminutiuũ eſt ſeruulus, & ab hoc ſeruilis, & aduerbiũ ſeruiliter: ſeruitus de qua ſuprà, & ſeruitium, quod in ſingulari eſt ipſa ſeruitus. Terent. Ego hoc tibi pro ſeruitio debeo, cõnari manibus & pedibus. In plurali verò interdũ ipſi ſerui. Saluſt. Interea ſeruitia repudiabat.

Exodi. cap. 21.

Qui percuſſerit ſeruum ſuum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. Si autẽ vno die vel duobus ſuperuixerint, non ſubiacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt.

Prouerbiorum cap. 19.

Non decent ſtultum delitiæ, nec ſeruum dominari principibus.

Eccle. cap. 33.

Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.

Paulus ad Coloſſ. cap. 3.

Serui obedite dominis carnalibus per omnia, non ad oculum ſeruiẽtes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timẽtes dominum.

Idem ad Ephe. cap. 6.

Serui obedite dominis carnalibus in timore, et tremore, & ſimplicitate cordis ſicut Chriſto.

Ioannis cap. 8.

Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Petrus apoſtolus 1. cap. 1.

Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis.

Auguſt. libro 4. de ciui. dei.

Bonus etiam ſi ſeruiat, liber eſt: malus autem ſi regnat, ſeruus eſt: nec eſt vnius hominis, ſed ꝙ grauius eſt, tot dominorum, quot vitiorum.

Auguſtinus ibidem libro 20.

Conditio ſeruitutis, iure intelligitur impoſita peccatori.

Hiero. in epiſt. ad Simplicianum.

Eſt ſapienti ſeruire libertas. Ex quo colligitur, quod ſtulto imperare ſeruitus eſt: & quod peius eſt, quod paucioribus præſit, pluribus dominis & grauioribus ſeruit. Seruit enim proprijs paſſionibus, ſeruit ſuis cupiditatibus: quarum dominatio, nec nocte nec die fugari poteſt, qa intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitium patitur intolerabile.

Hieronimus epiſt. 92.

Querulum enim genus ſeruorum eſt.

Ambro. de Iacob & uita beata libro 2.

Seruit, quicunq; vel metu frangitur vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel morte deijcitur, ſeruilis enim eſt omnis paſsio.

Gregorius in Regiſtro cap. 17.

Liquet quod omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios alijs culpa præponit. Iſta quidẽ diuerſitas quæ acceſsit ex vitio, diuino iudicio diſpenſatur: & quia omnis homo ęquè ſtare nõ valet, alter regatur ab altero.

Greg. ſuper illud Gene. 9. Terror ueſter & tre-

mor sint super cuncta animalia terræ.

Homo animalibus irrationalibus, non cæteris hominibus natura prælatus est. Idcirco dicitur ei, vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur. Quia contra naturam superbire, est ab æquali velle timeri.

Seneca, epist. 47. alloquens imperatorem.

Cum seruis familiariter viuere decet prudétiam tuá. Serui sunt? imò homines. Serui sunt? imò cótubernales. Serui sunt? imò humiles amici. Serui sunt? imò cóserui, si cogitaueris tãtúdé in vtrosq; licere fortunæ. Itaq; rideo istos, quia turpe existimant cũ seruo cœnare. Quare? nisi quia superbissima cósuetudo cœnãté dominũ stantium seruorũ turba circumcingi, maiestatis suæ diminutionem putat, ad eandé mensam cum seruo accedere.

Seneca ibidem.

Vis tu cogitare istum, quem seruum dicis ex eisdem seminibus ortum, eodé frui cœlo, æquè spirare, æquè mori? Noli ergo de vsu seruorum disputare, in quo superbissimi & amarissimi & crudelissimi sumus. Hęc tamé pręcepti mei sũma est, vt sic cum infimo viuas, quemadmodũ superiorem tecum viuere velis.

Seneca ibidem.

Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, quá Diogenes? viue cum seruo clementer, viue comiter. In sermonem istum admitte, in consiliũ & conuictum.

Ibidem.

Colant te serui tui potius, quàm timeant.

Seneca Tragœdia 3.

In seruitutem cadere de regno, graue est.

Aristoteles libro Oeconomi.

Oportet seruis dare operá & victũ sufficientem, quia sine mercede impossible est dominari. Victus autem est merces seruo.

Ibidem.

Impossibile est negligentibus dominis, seruos solicitos esse.

Arist. libro 1. Politic.

Dupliciter dicitur seruus, vno modo secundùm naturam, alio modo secundùm legem positam.

Cicero libro Paradoxorum.

Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes deniq; improbos esse seruos? An ille liber mihi videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, pręscribit, vetat, iubet quod videtur, qui nihil imperãti negare potest, nihil recusare audet? Si poscit, dandum est, si vocat, veniendum: si eijcit, abeundum: si minatur, extimescendũ. Ego verò non istum modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. An etiam eorum seruitus dubia, qui peculij cupiditate nullá conditionem recusant durissimę seruituti? hęreditatis spe, quid iniquitatis in seruiendo non suscipitur? quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? Loquitur ad eius voluntatem, quicqd denuntiatũ sit, facit, assentatur, assidet, inuitat. Quid horum est liberi? Quid deniq; serui nó inertis? quid iá illa cupiditas, quę dicitur esse liberalior honoris, & imperij prouinciarum, q̃ dura est domina, quàm imperiosa, quàm vehemens. Iudex verò quantũ habet dominatũ, quo timore nocentes afficit. An nó est omnis metus seruitus omnis? an debilitas? an humilis & fracti timiditas seruitus est?

Phocylides.

γαςρὸσ ὀ φειλόμενον δασμὸν παρέχȣ θεράπȣσι. id est,
Ventris debitam mercedem præbe seruis. Idem.
δούλῳ ταχτὰ νέμοις. ἵνα τοι καταθυμιόσ ἔιη. id est,
Seruo pacta tribuas, ut tibi beneuolus sit. Idem.
στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα. id est,
Notas ne inuras uituperans seruum. Idem.
λάμβανε καὶ βουλὴν παρ᾽ οἰκέτȣ εὐφρονέοντος. id est,
Cape etiam consilium à famulo benè sentiente.

Menander.

μακάριοσ ὅστισ μακαρίοις ὑπηρετεῖ. id est,
Beatus qui beatis seruit. Idem.
ὡσ ἡδὺ δούλῳ δεσπότȣ χρηστοῦ τυχεῖν. id est,
Quàm suaue est seruo dominum bonum nancisci?

Terentius comœdia 5.

Seruum hominé caulas orare leges non sinunt. Csau.

Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iura tenebis:
Si poteris rex esse tui. Iuuenalis.
Maxima quæq; domus seruis est plena superbis.

Cœlius Rhodig. lib. 13. cap. 47.

SERVITVS esse ex ijs videtur, quę pręter naturam sũt. Ita sancit imperator, item & iureconsultus Pomponius. ff. de ver. & rerum significatione, Florentinus. ff. de statu hominum. Seruitus est constitutio iuris gẽtium, qua quis domino alieno contra naturam subijcitur. Serui ex eo appellati, quod captiuos vendi imperatores iuberent, ac per hoc seruare, nec occidere: qui & mancipia dicuntur, eò quod ab hostibus manu caperentur. Seruos porrò nasci tradũt, aut fieri: nasci quidem ex ancillis nostris: fieri autem iure gentium, hoc est, captiuitate, aut iure ciuili, cùm homo liber maior 20 annis, ad pretiũ participandũ sese venundari passus est. Instit. de iur. person. §. Seruitus. AMANTIVS.

Præclara D. Ambrosij sententia.

Manebat, inquit, ante vini inuentionem omnibus incócussa libertas, nemo sciebat à cósorte naturę suę obsequia seruitutis exigere. Nó esset hodie seruitus si ebrietas non fuisset.

Aristoteles 1. Politico. inquit.

Τοῖς δὲ παρὰ φύσιν δοκεῖ τὸ δεσπόζειν· νόμῳ

 γὰρ

γὰρ τὸν μὲν δοῦλον εἶναι, τὸν δ' ἐλεύθερον, φύσει δ' οὐδὲν διαφέρειν· διόπερ οὐδὲ δίκαιον βίαιον γάρ. id est

Videtur nõnullis esse dominatio prẹter naturã. Lege namq; institutũ est vt serui habeãtur aliqui, liberi autẽ alij: at natura nullũ prorsus discrimẽ: proinde nec esse iustũ quidẽ, quando nõ obstat violentia. At enim cũ sine necessarijs impossibile sit viuere & benè viuere: nam & in artibus necessarium est propria subesse instrumenta, si opus modò confici debeat. Equidẽ in re familiari idẽ contingere in cõfesso est. At τῶν ὀργάνων, τὰ μὲν ἄψυχα τὰ δὲ ἔμψυχα. i. Instrumenta autẽ alia inanimata sunt, alia animata: vt enim gubernatori clauus inanimatus est, is autẽ qui prorã gubernat animatus (minister enim instrumenti speciẽ gerit in artibus) sic opes in instrumentis sunt, quæ ad vitam sunt necessaria, & possessio. Commoditatum copia, & seruus animata est possessio, & minister omnis est quasi instrumentum, modò munus quod iuberetur, aut quod presentisceret exequi posset, vt quemadmodum aiunt. Dedali statuas aut Vulcani tripodes (quos inquit poẽta spõtẹ sua ad prelia Deorũ venisse) sic & pectines texerent & plectra lyram pulsarent: haud esse sẹnè quod vel architecti ministros, vel dñi seruos requirerent.

Seruitus malum abominandũ valdè.

Seruitutem esse omniũ malorum postremũ, non modò bello, sed etiã morte fugiendã, à celeberrimis autorib. pronunciatũ est. Spinosa vita est, & multis obicibus præpedita: quoniã, vt inquit imperator, libertas incõparabile prẹtiũ est, cõtemptibilis quoq;: nam & iure ciuili serui pro nullo habẽtur, nec caput habent, immò verò etiã miserrima. Etenim quid miserius, aut infelicius, quàm addici alicui, qui & vitæ, & necis in te habeat potestatem, & si quid acquiras, domino acquiras. Sed & vates nobilissimus libro Odiyssẹę 7. & 10. ita canit: ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς, ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι. id est. Quibus dimidiũ ei virtutes perire cõfirmat, quem seruilis obuallarit necessitas. Inde factũ puto, ceu premente vi, cũ qua ne Dij quidẽ (sicuti dicitur) pugnarint: siue educatione praua, ceu vtroq; potius, vt parte plurima serui de prima maliciæ ac vafriciẹ nota sint & habeãtur, quod furciferi appelatio indicarit: & quia malis moribus homines, & lingua proterua, ab hoc ferè genere vernaculi nuncupãtur. Hinc dira excogitata supplicia, ad reprimendam ẹstuantis mali, & increscentis audaciæ vim proruptam, nimio plus grassantem, ac in domini perniciẽ subinde assultantẽ: quæ cum materno lacte vitiorum (ut sic loquar) segetem hausisse videri potest. Cœlius Rodiginus lib. 4. lectionum antiquarum.

Libertas incomparabile pretium.

Serui pro nullis habentur

Seruus dimidius homo.

Necessitas.

Quod serui mali plerumq;

Menand. Stobæus sermone 60.

ὅταν τύχῃ τῆς εὐνοοῦντος οἰκέτου, οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίῳ. Id est: Quũ quis incidit in seruũ bonum, nulla est possessio melior.

Euripides in Alexandro.

Magis seruum oportet habere sapientẽ, quàm vt ipse sapias.

Idem.

οὐκ ἔχθρις μείζων οὐδὲ δόμασιν κτῆσις κακίων, οὐδὲ ἀνωφελέστερος οἰκέτου. i: Domi nullus maior inimicus, neq; peior possessio, neq; inutilior seruo.

Democrites.

δοῦλος ἀναγκαῖον κτῆμα οὐχ ἡδύ.. i. Seruus necessaria possessio, non autem dulcis.

Plautus in Pseudolo.

Plagigera hominum genera, quorum haud quicquam in mentem venit, vt rectè faciãt: At cũ est occasio data, tene, clepe, rape, hoc est eorum opus: vt malis lupos apud oues relinquere, quàm hos domi custodes.

Eleganter expressæ sunt naturæ seruorum.

SENTENTIAE DE DOMINIS ET
seruis. ex Stobæo & alijs discerptæ.

Euripides in Helena.

κακὸς γὰρ ὅστις μὴ σέβει τὰ δεσποτῶν
καὶ ξυγγέγηθε καὶ ξυνωδίνει κακοῖς:
ἐγὼ μὲν εἴην κοινὴ πεφυκ' ὅμως λάτρις
ἐν τοῖσι γενναίοισιν ἠριθμημένος
δούλοισι τοὔνομ' οὐκ ἔχων ἐλεύθερον
τὸν δὲ νοῦν, κρεῖσσον γὰρ τόδ' ἢ δυοῖν κακοῖν
ἐνδόντα χρῆσθαι τὰς φρένας ὄντα τῶν πέλας Id est.

Malus est quicunque domini res non colit,
Et simul cum ipsis gaudet, uel propter incommoda dolet.
Ego sanè, licet seruus sim, idq; à natiuitate, ueruntamen
Inter eximios numerandus
Seruos, nomen quidem non habeo liberum,
Sed animum: hoc enim præstat, quàm duobus malis
Victum inuolui, ac tum improbæ mentis esse:
Tum alijs obedire seruitutem proximis.

Idem in Meleagro.

ὡς ἡδὺ δούλοις δεσπότας χρηστοὺς λαβεῖν, καὶ δεσπόταισι δοῦλον εὐμενῆ δόμοις. Id est.

Quàm iucunda res est seruis bonos dominos nancisci,
Et dominus seruum in ædibus beneuolum.

Idem in Antiope.

οὐ χρὴ ποτ' ἄνδρα δοῦλον, ἐλευθέρας
γνώμας διώκειν, οὐδ' εἰς ἀργίαν βλέπειν. Id est.

Nunquam oportet seruum ingenua
Studia tractare, nec ocium sequi.

Menander. Id est.

λυπεῖ δοῦλος, μεῖζον οἰκέτου φρονῶν.
Molestus mihi seruus est, qui altius famulo sapit.

Idem.

ὅταν τύχῃ τίς εὐνοοῦντος οἰκέτου
οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίῳ. Id est.

Non est ulla possessio melior in uita,
Quàm beneuolum sibi famulum adipisci.

Philemon.

ὡς κρεῖττόν ἐστι δεσπότου χρηστοῦ τυχεῖν
ἢ ζῆν ταπεινῶς καὶ κακῶς ἐλεύθερον. Id est:
Multò potius est bonum dominum esse nactum,
Quàm uiuere liberum, humiliter, & malè.

Euripides in Antiop.

τὸ δοῦλον οὐχ ὁρᾷς ὅσον κακόν. Id est:
Non uides, quantum sit malum seruile genus.

Idem in Archelao.

κρεῖσσον γὰρ οὔτε δοῦλον, οὔτ' ἐλεύθερον
τρέφειν ἐν οἴκοις ἀσφαλὲς τοῖς σώφροσι. Id est:
Melius est neq; seruum, neq; ingenuum
Alere domi tutum est sapientibus.

Idem in Alexandro.

Σοφὸς μὲν οὖν εἶ Πρίαμ' ὅμως δὲ σοὶ λέγω
δούλου φρονοῦντος μᾶλλον φρονεῖν χρεὼν
οὐκ ἔστιν ἄχθος μεῖζον οὐδὲ δώμασι,
κτῆσις κακίων, οὐδ' ἀνωφελεστέρα. Hoc est:
Sapiens tu quidem es Priame, ueruntamen tibi dico:
Seruo sapiente magis, quàm sapere conuenit,
Nihil est molestius, neq; in ædibus
Deterior, aut inutilior possessio.

Ibidem.

ἔλεγχον οὕτω γὰρ κακὸν δοῦλον γένος
γαστὴρ ἅπαντα, τοὐπίσω δὲ οὐδὲν σκοπεῖ. Id est.
Reprehendebam, usq; adeò malum est seruorum genus,
Nihil præter uentrem sunt, nec futurum quisquam prospiciunt.

Menander.

τὸ δὲ εὖ κελευόμενον μὲν ἐστιν ἀσφαλέστατον
δούλῳ ποιεῖν ὡς φασιν. Id est:
Tutißimum est seruo, benefacere quod uulgo fertur, ut cùmquid rectè iubetur, perficiat.

Euripides in Alcmæone.

μέτεστι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσου:
δούλῳ γὰρ οὐκ οἶόν τε τ' ἀληθῆ λέγειν,
εἰ δεσπόταισι μὴ πρέποντα τυγχάνοι. Id est:
Serui dominorum morbis infi.iuntur,
Seruo enim non fas est uerum dicere,
Quod hero fuerit incommodum.

Idem in Eurystheo.

πιστὸν μὲν οὖν εἶναι χρὴ τὸν διάκονον
τοιοῦτον τὰ εἶναι, τὸ στέργειν τὰ δεσποτῶν. Id est:
Fidum oportet esse ministrum,
Et talis cùm sit, res heriles amat.

Sophocles.

εἰ σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ νοῦς ἐλεύθερος. Id est:
Etsi corpus seruum sit, mens tamen est libera.

Euripides.

Ἀεὶ δ' ἀρέσκειν τοῖς κρατοῦσι: ταῦτα γὰρ
δούλοις ἄριστα κ' ἀφ' ὅτῳ τεταγμένος
εἴη τὺς ἁνδάνοντα δεσπόταις ποιεῖν. Id est:
Semper placere oportet dominis. Hoc enim
Optimum est seruis, ut cuicunq; rei aliquis destinatur,
In ea gnarum se & placentem domino præbeat.

Idem in Hecuba.

αἰαῖ τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πέφυκ' ἀεὶ
τολμᾷ θ' ἃ μὴ χρὴ τῇ βίᾳ κρατούμενον. Id est:
Heu heu quàm semper improbi sunt serui,
Gaudent illicita necesßitate adacti.

Idem in Ione.

ἓν γάρ τι τοῖς δούλοισιν αἰσχύνην φέρει
τοὔνομα, τὰ δ' ἄλλα πάντα τῶν ἐλευθέρων
οὐδεὶς κακίων δοῦλος ὅστις ἐσθλὸς ᾖ. Id est,
Solùm enim seruis dedecorosum est
Nomen. In cæteris uerò omnibus liberis,
Nullus est deterior seruus, si probus fuerit.

Menander in Pedio.

ἅπαντα δουλεύειν ὁ δοῦλος μανθάνῃ
πονηρὸς ἔσται μεταδίδου παῤῥησίας
βέλτιστον αὐτὸν τοῦτο ποιήσει πολύ. Id est:
Si seruus nihil quàm per omnia seruire discat,
Malus erit: At si libertatem ei permittas loquendi,
Id eum efficiet longè optimum.

Philemon.

καὶ ἂν δοῦλος ἦν τις, οὐθὲν ἧττον δεσπότα
ἄνθρωπος οὗτος ἐστὶν ἂν ἄνθρωπος ᾖ. Id est:
Et si quis seruus sit: nihilominus, ô here
Homo est, si saltem homo fuerit.

Idem in Exœcizomeno.

κακὸν ἐστὶ δούλῳ δεσπότης πράσσων κακῶς:
μετέχειν ἀνάγκη τῶν κακῶν γὰρ γίνεται. Id est:
Malum est seruo herus malè agens,
Necessarium enim est, ut participet malis.

Sophocles in Acrisio.

δοῦλον γὰρ ἐν δεσμοῖσι δραπέτης ἀνὴρ
κῶλον πεδησθεὶς πὰν πρὸς ἡδονὴν λέγει. Id est:
Procul dubio enim uir fugitiuus in uinculis
Pede detentus, omnia ad uoluptatem dicit.

Menander.

ἐμοὶ πόλις ἐστὶ καὶ καταφύγμ' καὶ νόμος
καὶ τοῦ δικαίου τοῦτ' ἀδίκου παντὸς κριτὴς
ὁ δεσπότης: πρὸς τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν ἐμέ. Id est:
Mihi ciuitas est, & confugium, & lex,
Et iustorum iniustorumq; omnium iudex,
Dominus meus: Huic soli uiuere oportet.

Theognides poëta.

οὔποτε δουλείη κεφαλὴ εὐθεῖα πέφυκεν,
ἀλλ' αἰεὶ σκολιή, καὐχένα λοξὸν ἔχει. Id est:
Nunquam rectum est seruile caput,
Sed semper intortum & obliquum collum habet.

Euripides. in Medea

χρηστοῖσι δούλοις ξυμφορὰ τὰ δεσποτῶν
κακῶς πίπτοντα καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται. Id est:
Boni serui calamitatem dicunt si res heriles,
Sinistrè eueniant, & mens ipsorum percellitur.

Idem in Menalippe.

πολλοῖσι δούλοις τοὔνομ' αἰσχρὸν ἡ δὲ φρὴν
τῶν οὐχὶ δούλων ἐστ' ἐλευθερωτέρα. Hoc est:
Multis seruorum turpe nomen est, animus uerò
Magis est ingenuus, quàm non seruientium.

Idem in Phryo.

δοῦλον γὰρ ἐσθλὸν τοὔνομ' οὐ διαφθείρει
πολλοὶ δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν ἐλευθέρων. Id est

Nomen sanè non corrumpit bonum seruum,
Sed multi meliores sunt, quàm ingenui.

Alexides.

ἀλλ' ἐπὶ τὸ πλῆθος ἐμφερεῖς τοῦ τὸ οἰκέταις
ἔχοντας ὄψει τοῦτο τρόπους τοῖς δεσπόταις·
τοῖς ἤθεσιν γὰρ τοῖς ἡ πονηροῦ σικαὶ
προσέχουσα τούτοις ἡ φύσις κεράννυται.

Cæterùm erga uulgus seruos similes
Habere uidebis mores dominis,
Ingenio enim ad seruiendum idoneo, etiam
Præfectis alijs natura commiscetur.

Euripides in Antiope.

φεῦ φεῦ τὸ δοῦλον ὡς ἅπαντα χρὴ γένος
πρὸς ζῆν ἐλάσσω μοῖραν ὥρισεν θεός. Id est:

Papè, quàm ubiq; seruile genus
Deteriori sorti destinauit Deus.

Bion in libro de seruitute.

οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι, οἱ πονηροὶ ἐλεύθεροι δοῦλοι πολλῶν ἐπιθυμιῶν. Id est:

Boni famuli liberi sunt, improbi verò liberi multis cupiditatibus seruiunt.

Metrodorus.

δοῦλος ἀναγκαῖον μὲν κτῆμα οὐκ ἡδὺ δέ. Id est:

Seruus quidem necessaria possessio est, sed non iucunda.

Democritus.

οἰκέτῃσιν ὡς μέρεσι τοῦ σκήνεος χρῶ ἄλλῳ πρὸς ἄλλο. i.
Seruis vt partibus corporis, alio ad aliud vtere.

Dion in Oeconomico.

χρὴ οὖν δεσπόζειν ἐπιεικῶς, καὶ ἀνεθῆναι ποτὲ βουλομένοις ἐπιτρέπειν· αἱ γὰρ ἀνέσεις παρασκευάσουσι, καὶ πόνων εἰσὶ καὶ τόξον, καὶ λύρα, καὶ ἄνθρωπος ἀκμάζει διαναπαύσεως. Id est:

Dominari igitur oportet moderatè, & recreari cupientibus id permittere. Remissiones enim ad nouos labores præparant, et arcus, & lyra, & homo, quietè vigent.

Seruius in Moralibus.

Γελλίας ἀκραγαντῖνος ἐπὶ ξενωθεὶς ἀνδρὶ σκληρῷ, καὶ ἀπὸ παντὸς πορίζοντι ὃς οὐδὲ καθεύδειν τοῖς οἰκέταις ἐπέτρεπεν, ἀλλ' ἄλλος ἄλλο τι ζῆν νύκτα εἰργάζετο ὑποδεξάμενος μετὰ δεῖπνον συνεκάλει τὰ παιδία τῶν οἰκετῶν, τὰ δὲ ἦν πάμπολλα καὶ τοῖς μὲν ἐδίδου κάρια, τοῖς δὲ σῦκα ξηρὰ ἐρομένου δ' ἐκείνου πόθεν παιδία τοσαῦτα, ταῦτα, ἔφη οἱ ἐμοὶ οἰκέται ἐν νυξὶ ποιοῦσι. Id est:

Gellias Agrigétinis hospitio exceptus apud hominem durum, & vndecunque facientem quæstum, qui ne dormire quidem famulis permittebat, qualius aliud operabatur noctu. Eúdem & ipse postea, cùm Agrigentiam venisset suscepit, et congregatis famulorum pueris (qui permulti erant) nuces & caryeas distribuit. Interrogante autem hospite, vnde tot pueri? Hæc famuli mei, dixit, noctu faciunt.

Plato in Legibus.

Δουλεία γὰρ καὶ ἐλευθερία ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκατέρα, πάγκακος, ἔμμετρος δὲ οὖσα πανάγαθον, μετρία δὲ ἡ θεῶν δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις θεὸς δὲ ἀνθρώποις σώφροσι νόμος. Id est:

Tam libertas enim, quàm seruitus, si modū excedat, pessimæ sunt: moderatę verò perquā bonę. Est autē moderata seruitus, quę Dijs obnoxia fuerit: immoderata, quę hominibus. Deus verò hominibus sobrijs lex est.

Idem legum 6.

ὁ μὴ δουλεύσας, οὐδ' ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου. Id est:

Qui nunquam seruiuit, etiam dominus laude dignus fieri nequit.

Herodotus lib. 8.

Πρὸς δὲ ὦ βασιλεῦ, καὶ τόδε εἰς θυμὸν βάλλε, ὡς τοῖσι μὲν χρηστοῖσι τῶν ἀνθρώπων, κακοὶ δοῦλοι φιλέουσι γίνεσθαι τοῖσι δὲ κακοῖσι χρηστοί. Id est:

Præterea, ô rex, & istud considerabis, quod bonis hominibus mali serui obtingere solent: malis verò boni.

Plato in sexto de Legibus.

Qui circa mores actionesq; seruorum nihil vnquā facit impiè, nihil iniquè, atq; ita in ijs se seruat immaculatum, ad producendas virtutis fruges erit aptissimus. Idem quoque de Domino & tyranno omniq; potentiore aduersus imbecilliores rectè dici potest. Castigandi, cędendiq; sēper iure sunt serui, neque ita monendi vt liberi, ne molliores fiant. Alloquutio omnis ad seruos quodammodo imperium sit, neque iocus vllus cum ipsis, ceu fœminis siue masculis habeatur: quod multi stultè facientes, dum delicatius eos nutriunt, dificiliorem vitā, & sibi ad imperandum, & illis ad obidiendum reddunt.

Euripides in Archelao.

οἱ γὰρ ἥσσονες τοῖς κρείσσοσι φιλοῦσι δουλεύειν βροτῶν. Id est:

Inferiores libenter inseruiunt præstantioribus hominibus.

COMMODA DE SERVIS, ITEM
& incommoda.

Volaterranus lib. 30. Philologiæ, de dominis & seruis.

C. Marius, qui vitas imperatorum scripsit, ait eos omnes probos fuisse principes, qui, quāquam ipsi mali, probos apud se libertos ac seruos administratores haberent: contrà verò, bonos natura principes nequaquam benè regere, vbi malis rem committerent. Quod etiam proximis accidit temporibus, Bonifacio 9. & deinde Eugenio 4. & Calixto 3. optimis viris omnia pessum ibant. At sub Paulo postea nequaquam cum illis vita conferenda. Quod M. S. Marci cūcta disponeret, omnia melius.

Bias bonos omnes, quanquam seruos, liberos esse dicebat: Improbos, etsi liberi sunt, seruos esse multarum cupiditatum.

Aristoteles

Eos esse seruos in Republica, qui inscitia rerumq; ignoratione tenentur: qui verò ingenio præstant

præstant naturaliter dominos, insuper nonnullorũ fides egregia memoratur. Paduanos quódam dominos, teste Valerio, ob imperatã à Pallione pecuniam, latitantes, proposita libertate qui proderet vellet, ne vnus quidem inuentus.

M. Antonium oratorem accusatum stupri, seruus captus minimè prodidit, ex quo Plautus ait, superbum esse decet fidelem seruum apud dominum suum.

Populus Romanus in Clade Cannensi captos redimere nullo modo voluit: Cumque in summam penuriam esset redactus, ergastula soluit seruorum vndecim milia, auxilium quæsiuit ciuiũ contempsit & existimauit eos potius tueri libertatem, qui nunquam habuissent.

Contrà, ex infidelibus multa incommoda, Volsinenses cùm seruos temerè omnes manumitterent, ab eis postea oppressi sunt, multáque indigna passi: quib. auxilia petentibus, missus Decius Muræna libertinos omnes partim necauit, partim dominis in seruitutem pristinam restituit.

Seruile bellum in Sicilia terrorem Romanis attulerat, nisi celeriter per Pennam, & rursus renouatum per M. Aquilianum confectũ fuisset.

Cicero.

Dignitate domini minùs turpis est fortuna serui: Stultum est in eum locum venire scientem, vbi libertatem sis amissurus, vt Platoni in Sicilia contigit, et Callistheni apud Alexandrũ, Demetrio item Phalereo in Aegypto.

Quomodo serui seu ministri tractandi.

Plato de legibus, seruos, ait, minus afficere contumelijs debemus, quàm patres, quod illi recompensare iniuriam, aut vindicare se nequeant, deinde ob metum & obscuritatem magis iustitiam colunt. Quapropter in iudicio eorum castigatio fieri debet.

Aristoteles in Politicis, seruorum misereri oportere, ait, quòd quanquam ingeniosi natura, minis assiduis, & cõtinuo metu, vim ingenij consiliumque amittunt.

Seneca in epistola 47. plurimis verbis commendat eos, qui familiariter cum seruis viuũt, illósque & cum filijs, & sermonibus, tum mensæ adhibent, ac tanquam cõtubernales putant, & humiles amicos, vituperatque eorum arrogãtiã, qui prouerbiũ hoc iactant: Totidẽ hostes domi habemus, quot seruos. Non habemus hostes, inquit, sed facimus, dum magis timeri: quàm coli volumus, dum eis vt iumentis vtimur, & immoderatè imperamus. Sic igitur cum inferiore viuamus, quemadmodum nobiscum superiorem viuere volumus.

Prouerbium planè tyrannicũ

Dominatio apud latinos haud aliud quàm tyrannidem notat, cùm maiores nostri patres olim dicerentur: seque ita appellari iuberent. Legimusque domini nuncupationem, & Romanis quódam rerum dominis inuisam fuisse, Augustumque ita abhorruisse, vt ne dominum etiam se vel à domesticis vocari pateretur.

Obserua de Augusto Cæsare.

Dion grecus Author, inter præcepta de principe, cauendam ante omnia inter subditos huius nominis insolentiam dicit: patremque potius ac pastorem populorum sese princeps vocet, more Homerici Agamemnonis, quem ille ποιμένα λαῶν appellat.

De regno & gloria.

Paulus 1. Timoth. 6.

Quicunque sunt sub iugo seruitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Ibidem.

Domini quod iustum est & æquum, seruis præstare: scientes, quoniam & vos dominum habetis in cælo.

FAMVLVS, ET MORES ILLIVS *quales esse oporteat.*

Ioannes Campanus.

Scis mihi qua, Polidore, potes ratione placere,
Si quæ præscribam præcipiamq; facis.
Lex igitur sit prima: Fidem seruato: deinde
A domini mundas rebus habeto manus.
Odi mendacem, non possum ferre proteruum,
Nec tu lusorem crede placere mihi.
Odi qui multum sese mihi iactat, & odi
Alterius famam qui lacerando premit.
Displicet indocilis nimium, mihi displicet ille,
Qui multo semper murmure iussa facit.
Non est quòd durum, non est quod litis amantem,
Contactum non est inuidia, quod amem.
Assentatorem non planè diligo, nec qui
Desidiæ fuerit deditus atq; gulæ.
Quis toleret famulum domini secreta uolentem
Scire: quis elatum, multiloquumq; feret.
Fallacem fugio ceu tartara, deniq; cultum
Ingenuis hominem moribus esse uolo.

NANVS

Seueritas græcè αὐθηρότης, ατ. ἡ & αὐθηρος. ου ὁ seuerus dicitur. Est autem seueritas virtus inflexibilis circa inflictionem pœnarũm, quando recta ratio requirit hoc. secundùm bea. Th. 2.2. q 157. art. 2.

Seuerus aliquando significat grauem & censorium & dicitur quasi semper verus, nec vlla gratia, aut illecebris mutabilis. Virg. Curibusq; seueris. Aliquando asperum, trucem. Interdum sæuum, implacabilem. Vir. Amnemque seuerũ Eumenidum aspicies. Nõnunquam tristem, sollicitum. A seuerus fit seueritas, hoc est grauitas, constantia, asperitas, tristitia. Hinc etiam asseuero verbũ, quod est cum vi quadam ac motu animi, quasi cum seueritate aliquid affirmo, à quo asseueratio deriuatur. Itẽ perseuero, quòd est cum quadam constantia & quasi pertinacia duro. Hinc perseuerantia, hoc est constantia & pertinacia, de quibus suprà.

Signum græcè σημεῖον. ου. το. & σημαίνω significo dicitur.

dicitur. Signum quantum est in se importat aliquid manifestum quoad nos, qui manuducimur in cognitionem alicuius occulti. sec. b. Tho. 4. sen. di. 1. q. 1. ar. 1.

Signum propriè est quædam parua significatio indicans totius rei qualitatẽ. Ter. Vide nũ eius color pudoris signum vsquam indicat. Est etiã signum opus sculptibile, & ad alicuius animalis effigiem formatum, vnde & signa & tabulas procçlatis operibus atque depictis dicimus. Hinc duodecim signa cælestia, quæ in zodiaco sunt, quia notæ quorundam animalium sunt, & quę in his versibus continentur:

Sunt aries taurus gemini, cancer, leo, uirgo,
Libraq;, scorpius, arcitenens, caper, amphora, piscis.

Significatio græcè σημασία. ας. ἡ & σημαντικός. ου. ὁ significatiuus dicitur. Est autẽ significatio excogitationis formatę per signa, per verba demonstratio. Et fit potissimè per locutionẽ, quæ est vocalis prolatio cum intentione significandi vel proferendi, quare non est irrationalium.

Similitudo græcè ὁμοιότης. τος. ἡ & ὅμοιος. ου. ὁ similis dicitur. Est autẽ similitudo relatio ęquiparantiæ; non tamen semper denominat vtrũque extremorum, sed tantùm quãdo forma est æqualiter & eadem ratione in vtroque extremorum, ex b. Tho. 1, parte q. 4. art. 3.

Similitudo ab imagine quid differat, vide suprà in Imago.

SImonia græcè ἱεροπωλεία. ας. ἡ dici potest. Et est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexũ, opere subsecuto, secundùm Panor. in c. Nemo, extra eo, & b. Tho. 2. 2. q. art. 3.

Simonia dici videtur à Simone mago, qui donum spiritussancti emere voluit, vt ea venditione signorum, quæ per eum fierent multiplicatã pecuniam lucraretur. Et sic illi qui spiritualia vendunt conformantur Simoni mago in intentione, in actu verò illi qui emere volunt. Illi autem, qui in actu vendunt, imitantur Giezi discipulũ Helisęi, de quo legitur 4. Reg. ca. 5. quòd accepit pecuniam à leproso mundato. Vndè venditores spiritualium possunt dici, non solũ simoniaci, sed etiam giezitæ, ex b. Tho. 2. 2. q. c.

August. & hab. 1. q. 1. c. Sicut.

Sicut Eunuchus fuit qui Ioseph comparauit, ita qui gratiam mercatur, viuũ semen nõ habet siccis genitalibus: sic quoq; ignis sacrificij qui per 70. annos Babylonicę captiuitatis, sub aqua vixerat, extinctus est, Antiocho Iasoni vendẽti sacerdotium, quod significauit spiritus sancti ignem non lucere in simoniacorum sacramentis.

Hiero. in epist. & hab. 1. q. 1. Nunquam.

Sæpè sinistra principia ad felices perueniunt exitus, vt Iacob per supplantationẽ peruenit ad benedictionem: vt seges quæ leprosa manu seritur, munda tamen metitur, & ex adulterino cõcubitu pulcha soboles nascitur, sic & pecunia, quæ per simoniam acquiritur, fœlicẽ habet exitum, cùm pauperibus profutura erogatur: sed nihil horum simoniacis patrocinatur.

Amb. in li. Past. & hab. 1. q. 1. c. Reperiuntur.

Reperiuntur quàm plurimi negocitatione muneris mercari velle gratiam spiritussancti, dum illi pretium donant, vt pontificalis ordinis sublimitatem accipiãt, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: Pecunia tua tecũ sit in perditionem, quia existimasti donum dei pecunia possidere.

Amb. de mysterijs, & ha. 1. q. 1. c. Cùm ordina.

Cùm ordinaretur episcopus, quod dedit, aurũ fuit: quod perdidit, anima fuit. Cùm alium ordinaret, quod accepit, aurum fuit: quod dedit, lepra fuit.

Grego. in Registro, & hab. 1. q. 1. ca. Presbyter.

Presbyter si per pecuniam ecclesiã obtinuerit, non solùm ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotij honore spolietur, quia altare & decimas, & spiritum sanctum emere vel vẽdere, simoniacã hæresim esse, nullus fidelium ignorat.

Gregor. ibidem ca. Quicunq;.

Quicunque sacros ordines vendunt aut emũt, sacerdotes esse nõ possunt, vnde scriptum est: Anathema danti, anathema accipienti, hæc est simoniaca hæresis. Quomodo ergo si anathema sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? & cùm in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere vel accipere possunt? qui maledictus, benedicere quomodo potest?

Ibidem cap. Cùm omnis.

Cùm omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc (& maximè in dandis ecclesiasticis honoribus) vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subijcitur: etiam si tenere fidem verbis, quàm negat factis, videatur.

Gregorius in tractatu Euangeliorum, & ha. 1. q. 1. Sunt nonnulli.

Qui ergo saros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit: quãdo in diuinis rebus non solùm pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit.

Dantes inferni Cant. cap. 19

O Simon mago, o miseri seguaci:
Che le cose de Dio che di bontate
Deuono essere spose, uoi rapaci
Per oro & per argento adolterate:
Hor conuien che por uoi soni la tromba,
Pero che ne la terza boglia state. *id est,*
O Simon mage, miseri sequaces
Qui res diuinas quæ bonitatis
Debent esse sponsæ, uos rapaces
Ob aurum & argentum adulteratis

Nunc

Nunc opus est, ut uobis tuba sonet,
Quoniam in tertia uoragine sitis estis.

Simplicitas græcè ἁπλότης. ητος ἡ & ἁπλοῦς, οῦ. ὁ: simplex dicitur. Est autē simplicitas virtus ad quā pertinet directè præseruare se à deceptione, secundùm beat. Thom. secunda secundæ q. 3 art. 3.

Simplicitas duplex est. Quędā enim est contraria discretioni, quę reprobatur. Quędā contraria dolositati, quæ bona est, de qua in euangelio: Estote simplices sicut columbæ.

Iob. cap. 8.

Deus non proijciet simplicem.

Prouerb. cap. 2.

Simplices permanebunt in terra.

Prouerb. cap. 10.

Qui ambulat simpliciter, ambulat cōfidenter.

Ibidem cap. 11.

Simplicitas iustorum diriget eos.

Prouerb cap. 20.

Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos pòst se filios relinquet.

Ibidem cap. 28.

Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus.

Prouerb. cap. 29.

Viri sanguinum oderunt simplicem, iusti autem quærunt animam eius.

August. super Ioan. homilia 2.

Simplex eris si te mundo nō implicaueris, sed explicaueris. Explicando enim te à mundo simplex, implicando duplex eris.

Hieron. ad Rusticum Monachum.

Habe simplicitatē columbę, ne cuiquā machineris dolos, & astutiam serpentis, ne aliorū supplanteris insidijs: quia nō multū distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse.

Hieronymus super Oseæ.

Prudētia absq; simplicitate malitia est, & simplicitas absq; ratione stultitia nominatur.

Ibidem

Nihil diuitius viro simplici. quid enim simplicitati diuitius? quę sicut bonus paterfamalias satis sibi abundat, & sua puritate cōtenta nō querit alienū, nec abrodit: sed de cæteris fingit, nec se in artes varias sæpe commutat, sicut astutia, quæ vt quoquomodo sit cauta, timet omnia: nec suis consilijs credit, versat ipsa suas sententias: simplicitas autem, timere non nouit.

Gregorius libr. 1. Moralium, tractans illud:
Estote prudentes.

Vtraq; benè in admonitione cōuertit, vt simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret: & rursus serpentis astutiā, columbę simplicitas temperaret.

Idem lib. 12. Moralium.

Nihil simplici corde fœlicius, quia innocentiam erga alios exhibet. Nihil est quod pati ab alijs formidet: habet enim quasi artem quandā simplicitatē suam, nec suspectus est pati quod se fecisse, non meminit. At contrà mens praua, semper in laboribus est, quia aut molitur mala quæ inferat aut metuit, ne sibi hæc ab alijs inferantur.

Bernardus sermone 25.

Omnibus vobis in conuersionis initio nulla virtus magis necessaria est, quàm simplicitas humilis, & grauitas verecunda

Beda de templo Salomonis libr.

De beato Iob dicitur, quod erat simplex & rectus. Simplex videlicet per innocentiā mansuetudinis, rectus cautela discretionis. Simplex, quia nullū ledere, imò prodesse desiderabat rectus quia se à nullo corrumpi permittebat.

Beda ibidem.

Simplicitas sine rectitudine dissoluta est & stulta: rectitudo autē sine simplicitate austera nimium existit & dura: verū, vtraq; virtus cōiuncta, perfectum reddit hominem.

Simulatio grecè ὑπόκρισις. εως. ἡ & ὑποκριτής. οῦ ὁ. simulator dicitur. Est autē simulatio propriè mendacium, in signis factorum exteriorum, ideo semper est peccatum. Sed large sumitur pro fictione, secundùm beat. Thom. secunda, secundæ. quest. 3. art. 1.

Simulo & dissimulo, ita differūt. Simulamus eē esse ea, quę nō sunt. Dissimulamus ea nō esse quę sunt. A simulo fit simultas, hoc est odiū, quod qui simultates exercent, inter se simulata loquūtur, vel dicitur à contrario, quia minimè sunt simul. Hinc simulto verbū, hoc est simultatē exerceo & odium. A simulo fit etiam simulachrū, quod sit ficta imago alicuius.

De hac materia uide suprà in Hypocrisis

Synesis grecadictio est, σύνεσις. εως. ἡ. Et est virtus benè iudicatiua de agibilibus, secundū legē communē: Gnome verò secundū altiora principia. s. iuris naturalis, ideo est altior, secundùm beat. Thom. 2. 2. quest. 4. cap. fi.

Synteresis græca dictio est, συντήρησις εως ἡ. Et est pars animę quę semper aduersatur vitijs, & perpetrata mala cōtinuò arguit, quā latini Theologi corrupto vocabulo synderesim vocāt, cū synteresin penult. product. dicendū sit. Huius autē erroris causa fuit, quod græci literā. T. si N. præcesserit in D, quantum ad pronuntiationem pertinet, mutant. Diciturque synteresis à συντηρέω conseruo, quod semper cupiat sese à peccato seruare immaculatum.

Synteresis nō nominat rationem superiorem, nec inferiorem, sed aliquid communiter se habens ad vtranq;, secundùm beat. Thom. in qu. de veritate q. 16. artic. 1.

Actus synteresis est remurmurare malo, & inclinare ad bonū, secundùm eundem ibidem.

Sitis grecè δίψα ης ἡ & διψάω sitio dicitur. Est autem

autem sitis appetitus frigidi & humidi, secundùm Aristo. lib. 2. de ánima. Ponitur etiam pro nimia auiditate cuiuscunq; rei. Maior famæ sitis est, quàm virtutis. Hinc dicitur sitio uerbũ & siticulosus, qui semper sitit: & sitibundus, hoc est, sitiẽs, & situla vas ad hauriendã aquam, quod aquam sitiat.

Sobrietas græcè σωφροσύνη. ης ἡ. & σώφρων. ονος. ὁ sobrius dicitur. Sobrietas propriè est circa potũ inebriatiuum: largè verò est circa omnem materiam, secundùm b. Tho. secun. secun. q. 143 ca. princ.

Sobrius est qui in cibo & potu temperans est, quasi sine ebrietate. Sobrietatis nomine etiam Temperantia significatur.

Matthias Agricius de Ebrietate.

Σωφροσύνη θνητοῖσι θεῶν παρὰ δῶρον ἄριστον,
Καλλίστη τε φέρειν γίγνεται ἀνδρ' ἀγαθῷ. id est.
Sobrietas deorum donum præstantissimum est,
Hæc uiro bono pulcherrimum ornamentum.

De hac materia habes suprà vbi Ebrietas, & infrà vbi Temperantia.

SOcietas græcè ἑταιρία. ας ἡ. & ἑταῖρος ου ὁ. socius dicitur. Est autem societas duorũ pluriúmve cõiunctio contracta ob commodiorem vsum & vberiorem quæstum.

Societas est adunatio hominum ad aliquid perficiendum, ideò multiplicatur se. illud ex b. Th. opusculo contra religionis impugnatores c. 5. col. 3. fi.

Socius propriè dicitur, qui in re seria ac laboriosa alicuius pars est, vnde socij populi Romani dicebantur, ita cum his fœdere coniuncti, vt pacis & belli participes essent. Dicitur autẽ socius ꝙ secet & diuidat laborem alterius, vel ꝙ eum in re laboriosa sequatur.

Socius, comes, & sodalis ita differunt, quod comes est qui cum alio simul it, & tanquàm ducem sequitur, sodales in rebus leuioribus & ferè in conuiuijs: dicunturq; sodales quasi simul edales, sicut comites quasi simul euntes. Vel sodales, quasi simul in mensa sedeant. vel quod inter se suadeant, quod commodum est.

Prouerb. ca. 18.

Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit quàm frater.

Ecclesiast. cap. 18.

Melius est duos esse quàm vnũ, Habẽt enim emolumẽtum suæ societatis, si vnus ceciderit, ab alio fulcetur.

Ecclesiastes. cap. 18.

Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui cõmunicauerit superbo, induet superbiam: pondus super se tollit, qui honestiori se communicat: & ditiori te ne socius fueris.

Paulus 2. ad Corin ca. 1

Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

Au. li. contra Parme. & ha. 23 q. 4. ca Ita planè.

Ita planè sociatur quis malis, si mali aliquid cũ eis committit, aut committentibus fauet.

Hiero in Hiere. & hab. di. 45. c. Sed illud.

Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficiatur: sicut & vno fornicante vel aliud quodcunque scelus committente, plebs vniuersa polluitur.

Ambro. li. 2 de Off. & ha. 23. q. 3. cap.
Non inferenda.

Nõ in inferẽda sed in depellẽda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriã si potest, tã est in vitio, quàm ille qui facit. Vnde s. Moyses hinc priᵘˢ orsus est tentamenta imbecillis fortitudinis, nam cùm vidisset Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem, defendit ita, vt Aegyptium prosterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum qui ducitur ad mortem.

Idem super Lucam li. 4. & 24. q 1. c.
Non turbatur.

Non turbatur nauis quæ petru habet, turbatur illa quę Iudam habet: & si multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen adhuc eã proditoris perfidia agitabat. In vtraque Petrus sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidiam, caueamus proditorem, ne per vnum fluctuemus plurimi.

Ibidem libro 6.

Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo suo tradi: vt cũ his desertus à socio, proditus ab ipso, moderatè feras tuum erasse iudicium, perijsse beneficium.

Gregorius super Ezechielem hom. 9.

Infirmi debent vitare societatem prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari.

Gre. Mora. 1. super illud Iob:
Vir simplex & timens deum.

Non multum laudabile, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis.

Ibidem super Ezechielem hom. 9.

Tolerandi vbiq; sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quẽ Cain malitia non exercet. Vnũ verò est potentia qua vitari societas malorum debeat, ne si fortasse corrigi nõ valeat, ad imitationem trahant: & cũ ipsi sua malitia non mutantur, eos qui sibi coniuncti fuerint, peruertant.

Ioan. Chrysost. super Matthæum.

Bonus malo si connectitur, aut pares redduntur, aut citò ab inuicem separantur. Amicitiæ enim pares, aut quærunt aut faciunt.

Ioannes Chrysostomus ibidem.

Rerum natura sic est, vt quoties bonus malo coniungitur, nõ ex bono malus melioretur, sed ex malo bonᵘˢ cõtaminetur. Diuersitas enim rerũ nunquam

nunquam potest habere concordiam, & multos solicitat societas nephanda.

Seneca de benefi.

Hominem non vnguium vis, nec dentiũ, terribilem cęteris fecit: nudum & infirmum societas munit. Duas enim res dedit ei deus, quę cęteris obnoxium validumq; faceret, scilicet rationem & societatem.

Ibidem.

Societas ei dominium omnium dedit, societas terris gentiũ in alienæ naturæ trãsmittit imperium, & dominari etiam in mari iussit.

Idem epist. 7.

Vnum exemplũ aut luxuriæ, aut auaritiæ multũ mali facit. Cõuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatẽ irritat: malignus comes, quamuis candido & simplici rubiginem suam affricuit.

Seneca ibidem.

Necesse est aũt imiteris tales aut oderis. Et vtrũque deuitandum, ne vel similis malis fias, quia multi sunt: ne vel inimicus multis, quia dissimiles sunt.

Idem.

Hærebit tibi auaritia, quandiu auaro sordidoq; conuixeris: hęrebit tumor, quandiu cum superbis conuersaberis, incendunt libidines adulterorũ sodalitia.

Seneca Tragœdia. 8.

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Cicero de Senectute.

Pares enim cum parib. veteri prouerbio facillimè congregantur.

Arist. libro 1. Politico.

Homo solitarius aut deus, aut bestia, aut nullo indiget, aut nulli conuenit.

Commentator super 8. Ethicorum.

Homo est animal non solitarium, sed politicum & communicatiuum.

Sodomia est turpitudo in masculum facta, vt hab. 22. q. 2. c. Vsus.

Sodomia, id est, coitus masculorum, est spẽs luxuriæ contra naturam ex b. Tho. 2. 2. q. 142. artic. 4.

Sodomia & idololatria simul inceperunt, & simul creuerunt, secundùm eundem 4. sen. di. 1. q. 2. art. 1.

Leuitici cap. 30.

Qui dormierit cũ masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nefas, morte moriantur, sit sanguis eorum super eos.

Paulus 1. ad cor. cap. 6.

Neq; masculorũ cõcubitores regnũ dei possidebunt.

Aug. lib. de adulterinis coniugijs, & ha. 32 q. 8. cap. Adulterij.

Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu, peius est enim cum matre quàm cum aliena vxore concũbere, sed omniũ horum est pessimum quod cõtra naturam fit: vt si quis membro mulieris non ad hoc concesso voluerit vti, vsus enim naturalis si vltra modum prolabitur, in vxore quidem veniale peccatũ est, in meretrice dãnabile. Sed istud, quod cõtra naturã est, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. Tantũ enim valet ordinatio creatoris & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum cõcessis, & cùm modus exceditur lõgè tolerabilius sit, quàm in eis quæ concessa non sunt, vel vnus vel rarus excessus.

Idem contra Iouinianum lib. 1. & habe. ibidem. cap. Vsus.

Vsus naturalis & licitus est, sicut in coniugio, & illicitus sicut in adulterio, contra naturam verò semper illicitus: & proculdubio flagitiosior atque turpior, quem sanctus apostolus & in masculis & in fœminis arguebat: damnabiliores volens intelligi, quàm si in vsu naturali, vel adulterando, vel fornicando peccarent.

Idem confessio. lib. 3. & hab. ibi. cap. Flagitia.

Flagitia, quæ sunt contra naturam, vbiq; semper repudianda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt, quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cuius ipse autor est, libidinis peruersitate polluitur.

Ambro. lib. de Patriar. & hab. 32. q. 7. c. Offerebat.

Offerebat S. Lot. filiarum pudorem. Nam & si illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundùm naturam coire, quàm aduersus naturam delinquere, pręferebat domus suæ verecũdiæ hospitalem gratiam, & apud barbaras gentes inuiolabilem.

Lactan. Firm. lib. 6. cap. 23. De uero cultu.

Quid potest sanctum esse ijs, qui ætatẽ imbecillam & præsidio indigentem libidini suæ depopulandam, fœdamque substrauerint? Nõ potest hęc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possũ, quàm impios, & parricidas: quib. nõ sufficit sexus à Deo datus: nisi & suum prophanè, ac petulanter illudant: hæc tamen apud illos leuia, & quasi honesta sunt. Quid dicam de ijs, qui abominandã nõ libidinem, sed insaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his fore credamus, quos nõ piget facere? & tamen dicendum est, quia fit. De istis loquor, quorum deterrima libido & execrabilis furor, ne capiti quiẽ parcit. Quib. hęc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar? Vincit officiũ linguæ sceleris magnitudo:

do: Cùm igitur libido hæc edat opera, & hęc facinora designet, armandi aduersus eam virtute maxima sumus. Quisquis affectus illos fręnare non potest, cohibeat eos intra prescriptũ legitimi thori, vt illud, quod auidè expetit, assequatur, & tamen in peccatum non incidat.

Ouid. de Arte amandi.

Odi concubitus qui non utrinque resoluunt:
Hoc est cur pueri tangar amore minus.

Tibullus.

O fuge te teneræ puerorum credere turbæ,
Nam causam iusti semper amoris habent.

SOlennitas græcè ἑορτή ἧσ.ἡ. dici potest. Diciturque solenne, quod est quod omnib. annis præstari debet, à solus & annus, hoc est anniuersarium. Quare solénes cęremonias dicimus, quę sunt anniuersario sacrificio religiosę. t em sacra solennia, quæ in certis & statutis temporibus fiunt.

August. in quodam sermone.

Toties enim dies natalitios sanctorũ celebramus, quoties virtutes eorum recolimus, quibus claruerunt in terris, vt ad gloriam illius à quo totum habuimus, referamus.

August. lib. 1. de decem chordis.

Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm in thesauro seditiosus existeret, & melius fœminę eorũ die sabbathi lanã nerẽt, quã tota die in neomenijs suis impudicè saltarent.

Idem contra Faustum lib. 3.

Si quæras cur Christianus non obseruat otiũ sabbathi, cùm dominus non venerit soluere legem, sed adimplere. Respondeo: Istud no obseruat Christianus, quia quod ea figura profitebatur, iam ipse impleuit. In isto habemus sabbathũ qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & inuenietis requiem animabus vestris.

Idem super Ioan. ser. 20.

Sacrum sabbathum est antiquis patribus pręceptum, quod nos Christiani spiritualiter obseruamus, cũ ab omni seruili opere. i. ab omni peccato abstinemus, & habemus quietem in corde, & spiritualem tranquillitatem.

August. de uera innocentia.

Male celebrant sabbathum, qui à bonis operib. cessant. Otium. n. ab iniquitate debet esse, quia bona conscientiæ non inquietum, sed tranquillum faciunt animum.

Hieron. epist. ad Eustoch.

Valde absurdũ est nimia saturitate velle honorare martyrẽ, quẽ sciam deo placuisse ieiunijs.

Gregor. in Registro.

Dominico die labore terreno cessandũ est, atq; omni modo orationib. insistendũ, vt si quid negligétię per sex dies agitur, per diẽ resurrectionis dominicæ precibus expietur.

Ibidem.

Si quis pro luxuria & voluptate die dominico lauari appetit, hæc fieri nõ concedimus, si autẽ pro necessitate corporis, hoc nec die dominico prohibemus. Nã si dominica die lauare corpus peccatum est, igitur quotidie lauari nec fas cies debet. Si autem in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate in toto corpore negaretur.

Greg. super Euan. homilia. 23.

Quid prodest interesse festis hominũ, si deesse contingat festis angelorum? vmbra venturæ solennitatis, est solénitas præsens. Idcirco hanc annuè colimus, vt ad illam quæ non est annua, sed continua perducamur.

Origines super Exod. homilia 69.

Si desinas ab omnib. secularib. operibus, & nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad ecclesiam conuenias, lectionibus diuinis aurem prębeas, de cælestibus cogites, de futura spe solicitudinem geras, vẽturum iudicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad inuisibilia & futura, hęc est obseruatio sabbathi Christiano.

Macrobius lib. 1. Saturna.

Scæuola consultus quid ferijs agi liceret, respondit: quod prætermissum noceret. Quapropter si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias adhibitis operarijs liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem tecti fractam, fulciendo ab imminẽti vindicauit ruina. Inde & Maro oĩm disciplinarũ peritus, sciẽs lauare ouem, aut lanę purgandę, aut scabiei curandæ gratia, pronuntiauit tunc ouẽ per ferias licere mersari, si hoc remedij causa fieret, Balantumq; gregẽ fluuio mersari salubri. Adijciendo. n. salubri, ostẽdẽdit auertendi morbi gratia tãtum modo, nõ etiã ob lucrũ, purgandæ lanæ causa fieri cõcessum. Vnde si per sacra solénia, salubri fluuio mersare oues fas & iura permittũt, si riuos deducere religio nulla phibet: cur non religionis honor putetur, sacris dicare diebus, sacrum studium literarum?

Vergilius georgicon libro 1.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus,
Fas & iura sinunt, riuos deducere nulla
Religio uetuit: segeti prætendere sepem:
Insidias auibus moliri, incendere uepres,
Balantumq; gregem fluuio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis lapidemq; reuertens
Incussum, aut atræ massam picis urbe reportat.

Ouid. de Ponto lib. 1. Elegia. 1.

Dij quoq; ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa iubent.

Tibullus lib. 2 Elegia. 1.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso uomere cesset opus,
Soluite uincla iugis, nunc ad præsepia debent

Plena

Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata Deo, non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoq; abesse procul iubeo, discedite ab aris
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum ueste uenite:
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Solertia græcè πανουργία. ας. ἡ. & πανοῦργος. ου. ὁ. solers dicitur. Est autē solertia subtilitas quędā in non perspecto tēpore inueniendi medij, secundū Arist. vel est habitus ex repentino inueniens ꝙ conuenit sec. B. Tho. 3. sen. dist. 33. q. 3. art. 1. Solertia est quædam subtilis & facilis & prōpta coniecturatio medij, propter ꝙ aliquid euenit, & hoc quando non habet magnū tempus ad perspiciendum & deliberandū secundū B. Tho. super Post. lect. 4. circa finem.

Solers, qui est in omni tempore prudens, quasi totus ars. Vnde solertia, quorum contraria sunt iners, quasi sine arte, & inertia.

Solicitudo græcè ἀκρίβεια. ας. ἡ. & ἀκριβὴς. έος. οῦ. ὁ diligens dicitur. Est autem solicitudo ęgritudo animi cum cogitatione, secundùm Ciceronem lib. Tuscul. quæstionum.

Solicitudo est rationabile studium adhibitum ad aliquid consequendū, quod maius est, vbi est timor, minus est vbi est securitas, ex B. Tho. secunda secundæ q. 55. art. 6. ca.

Solicitudo temporalium futurorum est irrationabile studium, quo quæruntur futura tanquam fines, & vltra necessitatem pręsentis vitę, de qua Christus Matth. 6. Nolite soliciti esse in crastinum.

Solicitudo temporaliū, tripliciter est illicita. Primò, cùm temporalia quærimus tanquam finem. secundò, cùm in eis procurandis adeò superfluum adhibetur studium, vt homo retrahatur à spiritualibus, quibus principaliter inseruire debet. Tertiò, cùm faciēdo quis quod debet, timet ne sibi necessaria desint. De qua Christus Matth. 6. Nolite soliciti esse, dicentes: Quid mādúcabimus aut bibemus, &c. Ex B. Thom. se. secundæ quæst. 55. art. 6.

Solicitudo venit à solicito verbo, quod dicit à solo & cito, quasi solo cito, hoc est loco dimoueo. Est enim solū quicquid alicui rei subiacet. Virgilius nauium solum dixit esse mare, cùm dixit: Subtrahiturque solum.

Solitudo græcè ἔρημος. ου. ὁ. dicitur, & non est de essentia perfectionis, sed est instrumentū congruum contemplationi, non autem actioni, secundùm B. Tho. se. secun. q. 188. art. 8.

Esaias cap. 35.

Exultabit solitudo & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.

Aug. in lib. de singularitate clericorum.

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est vbi frequentia est voluptatum, & minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt.

Hieronimus contra Iouinianum.

Sapiens nunquā solus esse potest, habet enim secum omnes qui sunt & qui fuerunt boni, & animū liberū, & quocunq; vult, profert & trāsfert, & quod corpore non potest, cogitatione cōplectitur: & si hominum inopia fuerit, loquitur cùm Deo: nunquam bonus solus erit.

Hieronymus epistola 72.

Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Mihi enim oppidū carcer est, & solitudo paradisus.

Gregor. lib. 30. Moral.

Qui corpore remotus viuit, sed tumultibus cōuersationis humanæ, terrenorū desideriorū cogitatione se inserit, nō est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter, popularibus turbis, & tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in vrbe.

Bernardus ad Sophiam uirginem.

Malū quod nemo videt, nemo arguit: vbi aūt non timetur reprehensor, securus accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In cōuentu verò si qua bona agis, nemo ꝓhibet: malum aūt facere si vis, non licet. Si ergo de fatuis virginibus es, congregatio tibi necessaria est: si de prudentibus, tu congregationi.

Ioannes Chrisost. super Ioannem.

Ioannes est princeps monachorū, ipse monachus statim vt natus est, in eremum iuit, in eremo nutritur, Christū expectat in solitudine.

Idem super Matthæum.

Sicut difficile est, arborem iuxta viam positā fructus vsq; ad maturitatē seruare: sic difficilè est virum iuxta hunc modum viuentem. i. in actibus mundi, iustitiam immaculatam vsque ad finem tenere. Recede ergo de via, & planta te in loco secreto, vt nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cùm mundo.

Seneca.

Omnia nobis mala solitudo persuadet: nemo est cui non sanctius sit cum quolibet esse, quā secum.

Seneca in Tragœdijs.

Non alia magis est libera & uitio carens, ritusq; melius uita, quæ priscos colat, quàm qui relictis mœnibus syluas amat.

Arist. lib. 9. Ethicorum.

Solitario difficilis est vita.

Idem lib. Politicorum.

Homo solitarius, aut Deus, aut bestia.

Francis. Petrar. de uita solita. lib. 1. cap. 2.

Surgit occupatus, infelix habitator vrbiū, nocte media somno vel suis curis, vel clientiū vocibus interrupto. Sępe etiā lucis metu: sępe nocturnis visis exterrit⁹, mox infelici scāno corp⁹ applicat, animū mēdacijs. In illis est tot⁹, seu ille merci-

mercibus pretium facere, seu socium, seu pupillum fallere, seu vicini coniugem pudicitia armatam, expugnare blanditijs, seu litigio iniusto iustitiæ, vel nephando prætendere: seu denique publici priuatiq; aliquid corrumpere meditatur. Nunc ira præceps, nunc ardens desiderio, nunc desperatione gelatus. Ita pessimus artifex, ante lucem diurni telam negotij orditur, qua se sæpe atq; alios inuoluat.

Ibidem.

Surgit solitarius, atque felix otiosus, modico quiete recreatus, somnoq; breui nō fracto, sed expleto, & interdū pnoctantis philomenæ cantibus experrectus, thoroq; vix dum leniter excussus, pulsisq; tēporibus, quietis horis psallere incipiens ianitorem suorum laborū, vt aggressuris inde matutinis laudibus aperiat, deuotus exposcit, & cordis sui dominum in adiutorium vocat. Nihilq; iam viribus suis fidens & imminentium conscius metuensq; discriminū, vt festinet, obsecrat, nullis texendis fraudibus intētus, sed Dei gloriam & sanctorum laudes nō indies tantùm, sed in horas, & indefesso linguę famulatu, & pio mentis obsequio repetēs, ne quādo forsan ingrato animo, diuinorū munerū memoria euanescat. Et sæpe interea (mirū dictu) securi timoris, ac tepidæ spei plenus, memorq; pteriti, ac futuri puidens, læto dolore, & felicib⁹ lachrymis abundat: quem statum nulla voluptas occupatorum, nullæ vnquam vrbanę delitiæ, nulli regnorum fastus ęquauerint. Inde suspiciens cœlum ac stellas, ac illic habitantē dominum Deum suum, tota mente suspirans, & patriam cogitans, de exilij sui loco protinus ad honestę, cuiuspiam iucundęq; lectionis studiū cōuertitur. Atq; ita cibis pastus amœnissimis, multa cum pace animi, venturæ lucis initium præstolatur.

Ibidem cap. 4.

Vita pculdubio singularis ac solitaria, nō modò tranquillior, sed altior est atq; securior.

Matth. Agrici. in altc. æditio. Aurore.

Solitudo verę lætitiæ alumna videtur. In hac bonæ mentes senserunt delectationem sitam esse: In hac Tullio omnis sermo cum literis erat, in qua mentem à mœrore & solicitudine recreabat: extra hāc sibi dolores intestinos quasi fouere visus.

SOmnus græcè ὕπνος.ȣ.ὁ & ἐνύπνιον somnium dicitur. Est autem somnus primi sensitiui cōprehensio, vt homo possit agere in necessitate quidem facta, secundùm Arist. lib. de somno & vigilia.

Somnus est ligamentum omnium sensuum, secundùm Arist. lib. de somno & vigilia.

Somnus est impotentia sentiendi propter excessum vigilandi.

Somnus est passio naturalis, & conuentus caloris intrinsecus, vel naturalis reciprocatio, facta ex euaporatione vaporū, à nutrimento, ingrossata à frigiditate cerebri, propter salutem animalis tuendam.

Somnus est quies animalium virtutū, cum intentione naturalium, sec. Auicen. Vel est priuatio dispositionis animæ imperantis sensibus & virtutibus exterioribus in qua anima conuertitur ab exterioribus ad interiora.

Somniū etiam græcè ὄναρ.ρος.τὸ dicitur. Et est phantasma in somno factum, id est apparitio phantastica somno facta, secundùm Aristo. lib. de somno & vigilia.

Somnium à Chrysippo sic diffinitur: Somniū est vis cernens & explanans, quę à dijs hominibus significātur in somnis, ex Cice. lib. 2. de diuinatione.

Prouerb. cap. 3.

Custodi legem atq; consilium & sequitur. Si dormieris, non timebis, quiesces & suauis erit somnus tuus.

Ecclesiastes cap. 5.

Somnus suauis in homine perito.

Iob. cap. 11.

Securus dormiens requiesces, & non erit qui te exterreat.

Hieron. lib. illustrium uirorum epistola 87. loquens de seipso.

Consuetudinem meam nosti, breuissimo somno vtor, & quasi interuigilo, satis est mihi vigilare desiuisse, aliquando dormiuisse me sentio, aliquando suspicor.

Gregor. Mora. 8. super illud Iob. Terrebis me per somnia.

Cùm somnia contingunt, aut ventris repletione, aut inanitione, aut illusione, aut cogitatiōe, aut reuelatione, cogitationes sanctiores cœlestiores, virtuosiores, sequunt somnia blandiora & delectabiliora.

Bernardus ad fratres de monte.

Iturus in somnum, aliquid tecum deferin memoria & cogitatiōe, in quo placidè obdormias, ꝙ etiam somniare iuuet. Sic tibi nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio tua in delicijs tuis. Placidè obdormies, in pace quiesces, facile euigilabis, & surgens facilis eris ad redeundum in diem, vnde non totus discessisti.

Ibidem.

Caue serue Dei quantum potes ne totus quassoq; dormias: ne sit somnus tuus, non quies lassi, sed sepultura corporis suffocati: non reparatio, sed spiritus extinctio.

Ibidem.

Quantum ad debitum continui processus, nihil temporis tam perit de vita nostra, quàm ꝙ somno deputatur.

Cicero lib. 1. de diuina.

At multa somnia falsa, imò obscura fortasse nobis, sed sint falsa q̄dam: cōtra vera q̄d dicimus? quæ

quę quidē multo plura euenirent, si ad quietē integri iremus, nūc onusti cibo, & vino, perturbata, & cōfusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis politia loquatur. Dicit enim: Cùm dormientibus ea pars animi, quæ mentis, & rationis particeps sit, sopita langueat: illa autē, in qua feritas quędam sit, atq; agrestis immanitas, cùm sit immoderato obstupefacta potu, atq; pastu, exultare eam in somno, immoderateq; iactari. Itaq; huic omnia visa obijciuntur à mēte ac ratione vacua, vt aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quouis alio vel homine, vel Deo, sæpe belua, atq; etiam trucidare aliquem, & impiè cruentari, multaq; facere impurè, atq; tetrè, cum temeritate, atq; impudentia. At qui salubri, & moderato cultu, atq; victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & consilij est, agitata, & erecta, saturataq; bonarum cogitationū epulis, eaq; parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, quorū vtrūq; præstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat, atq; effluit. Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata, atq; restincta, tum eueniet, duabus animi temerarijs partibus cōpresſis, vt illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & se vegetā ad somniandū, acrēq; prębeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla, atq; veracia.

Ibidem.

Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit, quod errorē animis perturbationemq; afferat, ex quo etiā Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quòd habet inflationē magnam is cibus, trāquillitati mentis quærenti vera contraria. Cùm ergo est somno seuocatus animus à societate, & contagione corporis, tū meminit præteritorū, pręsentia cernit, futura præuidet: iacet enim corpus dormientis, vt mortui, viget autē, & viuit animus, quòd multò magis faciet post mortem, cùm omnino ex corpore excesserit.

Arist. lib. de somno & uigilia.

Necesse est omne quod vigilat dormire.

Ibidem.

Melancholici maximè vera somniant.

Ibidem.

Somnus causatur ex vaporatione cibi, quę vadit ad cerebrum, & infrigidata descendit, & fit somnus, vnde post cibū fortem sunt somni.

Ibidem.

Animalia magis nutriuntur & augmentātur dormiendo, quàm vigilando.

Ibidem.

Somnia non sunt missa à deo, quia alia animalia somniant. Ibidem.

Si deus emitteret somnia, euenirent sapientibus in die.

Arist. lib. 19. de animalibus.

Somnus videtur esse medium inter viuere & non viuere.

Homerus in α Iliados.

Καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. id est.

Etenim somnium à Ioue est. Idem in ξ Iliados.

ὕπνε ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων δ' ἀνθρώπων. i.

Somne rex omniumq; deorum, omniumq; hominum.

Idem in υ Odyssea.

ἥδιστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. id est.

Suauiſsimus morti proximæ similis.

Menander.

ὕπνος δὲ θανάτου τις προμελέτησις πέλει. id est.

Somnus mortis præmeditatio est. Idem.

ὕπνος δὲ πᾶσιν ἐστιν ὑγίεια βίου. id est.

Somnus autem omnibus est ualetudo uitæ. Idem.

ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια. id est.

Somnus parua mortis mysteria. Idem.

ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία. id est.

Somnus est corporis salus. Idem.

ὕπνος δὲ πείναν τὴν κακίσχατον δαμᾷ. id est.

Somnus autē famē malæ finis domat. Plaut. in Rudēte.

Nā qui dormiunt libenter, sine lucro et cū malo quiescūt.

Virg. Aeneidos lib. 6.

– Presſitq; iacentem
Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti.

Ouidius Amorum lib. 2. Elegia 9.

Infœlix tota quicunq; quiescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna uocat.
Stulte quid est somnus? gelidæ nisi mortis imago,
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Horatius lib. 3. carm. Ode 1.

Somnus agrestium
Lenis uirorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamq; ripam.

Matthi. Agrici.

Quid proflas molles sopito pectore somnos?
Non habitat tepido sacra Minerua toro.
Sordida nec positis traxerunt otia curis,
Quos pia per durum gloria uexit iter.

Dii melius uenere, quàm in hac qua somnia nocte AMANTIVS.
Tota semel mundi machina uersa fuit.
Nec sua lux Phœbo constabat, nec sua Phœbe:
Iamq; tumens omnem strauerat æquor humum.

DE SOMNO, E GRAECO.

Sententia Aristotelis.

Fermè dimidium uitæ dormitur in illo,
Aequales spacio diues inopsq; iacent.
Ergo Crœse tibi regum ditiſsime uitæ,
Fermè dimidio par erat Irus egens.

ALIVD. *Thomas Morus.*

Non es, dum in somno es, dum nec te uiuere sentis
Fœlix: at somnus ni ueniat, miser es.
Qui felix igitur sorte indulgente superbit,
Inflatusq; leui prosperitate tumet:
Nox quoties uenit, aut toties iam desinit esse,
Fœlix, aut toties incipis esse miser.

DE SOMNO *æquante paupe-
rem cum diuite.*

Somne quies uitæ, spes & solamen egenis,
Diuitibus noctu quos facis esse pares.
Tu animi demulcens læthæo pectora rore,
Excutis & sensum totius inde mali,
Læta benignus opes inopi per somnia mittis:
Quid falsas rides diues opes inopis?
Diuitibus uerè curas, tormenta, dolores,
Pauperibus falsè gaudia ferunt.

Thomas Morus.

Venator defessa thoro cùm membra reponit,
Mens tamen ad siluas, & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis,
Gaudet amans furto, permutat nauita merces,
Et uigil elapsas quærit auarus opes.
Blandaq; largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoq; Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assiduis sollicitare solet:
Namq; poli media stellantis in arce uidebar
Ante pedes summi carmina ferre Iouis.

Tibullus lib. 3. eleg. 4.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Ouidius 6. Fastorum.

Alliciunt somnos tempus, motusq;, merumq;.

Idem lib. 11. Metamorph.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasq; labori.

Seneca in Hercule furente.

Tuq; ô domitor somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior uitæ:
Volucre matris genus Astrææ, frater duræ, languidæ mortis,
Veris miscens falsa, futuri certus, & idē pessimus autor.
Pater ô rerum, portusq; uitæ, lucisq; requies, noctisq; comes,
Qui par regi, famuloq; uenis:
Placidus fessum, lenisq; foues pauidum:
Totum genus humanum lentam cogis discere mortem.

SAEPE QVAE VIGILES TRACTA- *mus, inter somnum obueniunt. Claudianus, in præfatione de raptu Proserpinæ.*

Omnia quæ sensu uoluuntur uota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Seneca in Octauia.

Quæcunq; mentis agitat infestus uigor,
Ea per quietem sacer & arcanus refert
Veloxq; sensus.

NANVS Soror græcè ἀδελφή ῆς ἡ. dicitur. Hocq; nomē sortita est, quasi seorsum nascatur, separatur enim, ab ea domo, in qua nata est, & in aliā familiam trāsgreditur, sec. Aul. Gel., li. 12. noct. at. cap. 10.

Sorores duæ scienter admittētes eundē hominem ad coitū, nunquā nubere possunt. c. si quis cum duabus 34. q. 1. Et idem est in matre & filia scienter admittentibus eund. vt in c. Si qs cum matre, subsequenti. Et idem est in patre & filio accedentib. scienter ad eandem fœminā, vt in c. sequēti, ex quo infertur, ꝙ si tales cōtrahunt matrimonium peccant mortaliter, quia cōtrauenīunt legi c. 2. cum glo. de maio. & obedien.

Sorores duę duobus fratribus possunt copulari, de consang. & affini. c. Quod super his.

Sortilegium grecè κληρομαντεία. ας. ἡ. & κλῆρος. ου ὁ. sors dicit. Sortilegi. sunt qui sub nomine fictę religionis per quasdam quas sanctorū seu apostolorū vocant sortes, diuinationis scientiam ꝓfitentur, aut quarumcunq; scripturarū inspectione futura promittunt, sec. Isidorum lib. 4. Etymolo. & habetur 26. q. 1. Sortilegi.

Sortilegiū est per sortes diuinatio. Sortilegi verò, qui per sortes futura pronuntiant, vel qui aliquid eligunt per sortem (sortē em̄ fortuitum alicuius rei euentum dicimus) à quo fit verbū sortior, quod est sortes facio, siue sortes recipio, seu per sortem aliquid decerno, vel eligo.

Sors propriè dicitur cùm aliquid fit, vt eius euentu cōsiderato aliquid occultum innotescat, sec. B. Tho. sec. sec. q. 95. art. 8. cap.

De hac materia vide suprà in Incantatio.

Specialis græcè εἰδικός. οῦ. ὁ. & species εἶδος εος. τὸ. dicitur. Speciale mādatum exigitur in causa suspecti tutoris. Item vbi sunt duo ꝓcuratores omnium rerum alicuius, tunc em̄ non potest vnus ab alio sine speciali mādato exigere. Item in interdicto de liberis exhibendis. Item in acceptilatione. Item in rescriptorum impetratione. Item in causa matrimoniali. Item in voto transmarino. Item in consumptorū instrumentorum exēplatione. Item in his q̄ sedes apostolica sibi specialiter reseruauit. Item in contrahendo matrimonio. Item in compromisso. Itē in absolutione petenda ab excōmunicatione. Item in cōtrahenda excommunicatione. Item in præstatione iuramenti de calumnia. Item de transactione, de his glo. est in c. corā, de resti. in interg. & in c. Qui ad agendū, de ꝓcura. li. 6.

Speciale præceptum plus tenet quàm generale, de hæreticis c. si aduersus nos.

Species gręcè εἶδος εος. τὸ. & εἰδικός οῦ. ὁ. specialis dicitur. Est aūt species, ꝙ prędicatur de pluribus differentibus numero, in eo quod quid, secundùm Arist. lib. Prædicam.

Spectaculū gręcè θεά. ᾶς. ἡ. & θεάομαι specto dicitur. Inde theatrum & amphitheatrum deducuntur.

Spectacula saltantium, clerici debent vitare 34. distinct. Presbyteri.

Spectacula custodientes die solenni, & ecclesiam contemnentes sunt excommunicandi. de conse. dist. 1. Qui die.

Plautus in Mustella.com 10.

Insperata, accidunt magis sæpè quàm quæ speres.

Plautus in Rudente comœ.17.

Nam multa præter spem scio multis bona euenisse.

Statius in Thebaide lib.1.

-Spes anxia mentem

Extrahit, & longo consumit gaudia uoto.

Speculū græcè εἴσοπτρον. ου. τὸ & εἴδω cognosco, & θεωρητικός οῦ. ὁ. speculatiuus, θεωρέω speculor dicitur. A speculum dicitur speculatio, non autem à specula. Et reducitur ad meditationem, quia est visio causæ per effectum, secundùm B. Thomam secunda secundæ, c. q. 180. art. 3.

Speculum est in quod aspicimus, ac speciem, hoc est effigiem nostram contemplamur: quod datum nobis à natura fuit, non vt pilos è superciliis, aut barbam velleremus, non vt faciem coloribus inficeremus, sed vt nosmetipsos nosceremus, & formosi deuitaremus infamiam, & deformes remediū sciremus esse virtutibus, quicquid corpori deesset. Quapropter Socrates hortari adolescentes solebat, vt sese frequenter in speculo intuerentur. Nam si formosi estis, elaborandum est, vt digni ea specie sitis: sin autem deformes, vt eam deformitatem virtute ac bonis artibus tegatis.

Sphęra græca dictio est, σφαῖρα. ας. ἡ. & σφαιρόομαι rotundus sum. Est autem sphæra prima figura corporea, cõtinens tantùm vnam superficiem. Circulus verò est prima figura plana habens tantùm vnam lineam, secundùm B. Tho. super 2. de Cœlo. lect. 5. Circulus est figura plana vna tantùm linea contenta, in cuius medio punctus est, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ, inter se sunt æquales. Et ita à globo differt, quòd circulus est rotunda planities, globus verò corpus solidum vndique rotundum, quia à græcis sphæra dicitur.

Spes, cuius
- *Subiectum est uiatorum tantùm, siue sint in præsenti uita, siue in limbo patrum, siue in purgatorio. Non autem uoluntas, nec beatorum, nec puerorum in originali decedentium, nec damnatorum, quæst. 18.*
- *Obiectū, quod est bonum, arduum, futurum, & possibile.*
  - *Principale.*
    - *Formale, auxilium diuinæ potestatis et pietatis, perducentis in beatitudinem speratam.*
    - *Materiale, beatitudo æterna, siue fruitio Dei in patria.*
  - *Secundariū.* *Omne bonum ordinatum ad beatitudinē & auxiliū hominis, uel cuiuslibet creaturæ, quo adiuuamur ad quæcunq; bona consequenda in beatitudinem ordinata.*
- *Causa efficiens.*
  - *Perfectiua.* *Sola gratia Dei causans habitum spei ex infusione.*
  - *Dispositiua*
    - *Fides.*
    - *Fiducia secundùm B. Thomam prima 2. quæst. 40. artic. 2.*
    - *Confeßio sacramentalis, & inquantum actus meritorius, & inquātum pars sacramenti.*
    - *Tribulatio, quæ causat spem per experimentū propriæ uirtutis, & per purgationem à pœna B. Tho. 4. Sent. dist. 17. q. 3. art. 5. fi.*

  Ex B. Thoma secunda secundæ.
- *Effectus.*
  - *Generat charitatem Glo. Matthæi 1. Fides gignit spem, spes gignit charitatem.*
  - *Causat delectationem inquantum habet existimationem consequendi, uel adipiscendi summum bonum. Roman. 12. Spe gaudentes.*
  - *Affligit, cùm differtur bonum speratum. Prouer. 13. Spes quæ differtur affligit animam.*
  - *Perficit orationem cùm consideratur expectatum 1. Corinth. 9. Qui arat, arare debet in spe fructus percipiendi, id est, propter spem. Hieron. in epist. Omne opus leue fieri solet, cum eius pretium cogitatur, & spes præmij solatium fit laboris.*

SPes græcè ἐλπίς. ίδος. ἡ. & ἐλπίζω spero dicitur. Est autem spes certa expectatio futuræ beatitudinis proueniens ex Dei gratia, & ex meritis nostris, secundùm B. Thom. 3. Sent. di. 26. & B. Thom. ibidem.

Spes est, qua quis ad id quod credit se peruẽturū pręsumit, secundùm Aug. li. de Ciuit. Dei.

Spes est extensio appetitus in appetibile, secundùm B. Tho. 3. Sent. di. 16. q. 1. art. 1. o.

Spes est appetitus excellentis boni, cum fiducia obtinendi.

Spei obiectum habet 4. conditiones. s. bonū, arduum, futurū & possibile, secundùm B. Tho. prima secundæ q. 40. art. 1. o.

Spes quid à fiducia differat. Vide suprà in Fiducia.

Dauid Psalmo 7.

Domine Deus meus in te speraui.

Idem Psal. 15.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.

Idem Psalmo 33.

Gustate & videte quoniā suauis est dominus, beatus vir qui sperat in eo.

Idem Psal. 35.

Beatus vir cuius est nomen domini spes eius, & non respexit ad vanitates & insanias falsas.

Idem Psal. 54.

Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Psalmo 55.

In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.

Dauid Psalmo 83.

Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Psalmo 117.

Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Psalm. 146.

Beneplacitum est domino super timentes eũ & in eis qui sperant super misericordia eius.

Prouerbiorum cap. 3.

Habe fiduciam in domino, ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

Esaiæ cap. 25.

Factus es fortitudo pauperi, spes à turbine, vmbraculum ab æstu.

Idem cap. 40.

Qui autem sperant in domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & nõ deficient.

Paulus 1. ad Corinth. cap. 9.

Qui arat, debet arare in spe fructus percipiẽdi

Idem ad Romanos cap. 5.

Spes non confundit.

Ibidem cap. 12.

Spe gaudentes.

Ibidem cap. 15.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio.

Aug. super. Psalm. 104.

Qui gaudet in spe, tenebit & rem; qui autem spem non habet, ad rem non poterit peruenire.

Idem de Spiritu & litera.

Mihi magis videtur fidei filius, qui nouit à quo speret, quod nondum habet, quàm qui sibi tribuit quod habet.

Idem in Enchiridio.

Fides credit, spes & charitas orant, sed sine fide esse non possunt, at per hæc & fides orat.

Hieron epist. 5. primæ partis.

Est igitur spes expectatio rerum omniũ quas in fide habemus per quam saluamur, Paulo scribente: spe enim saluati sumus.

Ambrosius in Hexameron.

In grauissimis passionibus spem deponimus, fractiq; animo resoluimur. Improuidi & inhærẽtes iacemus, cùm de diuina misericordia tũc sperandũ amplius sit, cùm præsidia humana deficiunt.

Idem super Psal. 12.

Spes commodi furatur labores, & metum abscondit periculi.

Gregorius Moralium lib. 19.

Non solùm in spe debet esse securitas, sed etiã timor in conuersatione, vt illa certãtes foueat, & ista torpentes pungat, vnde propheta: Qui timent Dominum sperent in eo, ac si apertè dicat: De spe incassum pręsumit, qui timere Dominum in suis operibus renuit.

Idem 30. Moralium.

Nobis non securius, quã sub spe timere, ne incauta mens aut desperando se in vitijs deijciat, aut extollendo de donis ruat. Ante districti em̃ iudicis oculos, iquanto sub spe humilius trepidat, tanto in illo robustius fiat.

Ibidem.

Tanto spes in Deum solidior surgit, quanto ꝓ illo quisq; grauiora ꝑtulerit, quia nequaquã retributionis gaudiũ de æternitate colligitur, quod nõ hîc prius pia tribulatione seminatur.

Idem 6. Moralium.

Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exterius quæ tolerat, sentit.

Idem lib. 22.

De creatore desperare, est spem in creatura ponere.

Origenes super Exodo homilia 9.

Futurorum spes laborantibus requiem parit, sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ.

Seneca Tragœdia 7.

Spes nullam monstrat rebus afflictis viam.

Idem Tragœdia 6.

Qui nihil potest sperare, desperet nihil.

Periander.

ἐλπίδας νέμε. id est. Spes tribue. Idem.

ἔλπιζε ὡς θνητὸς, φείδου ὡς ἀθάνατος. id est.

Spera ut mortalis, parsimonia utere tanquã immortalis.

Menander.

ἀνὴρ ἀτυχῶν μὲν σώζεται ταῖς ἐλπίσιν. id est.

Vir infœlix quidem saluatur spebus. Idem.

αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι τοὺς κενοὺς βροτῶν. id est.

Spes pascunt uanos mortalium. Idem.

ἔλπιζε πάντα μέχρι γήρως θνητὸς ὤν. id est.

Spera omnia usq; ad senectutem mortalis existens.

Hesiodus.

ἐλπὶς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει. id est.

Spes non bona indigentem uirum sequitur.

Theocritus.

θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσι, ἀνέλπισον δὲ θανόντες,
χ' ὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει, id est.

Fidere amice decet, melius cras forsan habebit.
Sperandum est uiuis, non est spes ulla sepultis.
Nunc pluit, & clarus nunc Iuppiter æthere surgit.

Iulius Polyenus.

ἐλπὶς ἀεὶ βιότου κλέπτει νόον, ἡ πυμάτη δὲ
ἠὼς, τὰς πολλὰς ἔφθασεν ἀσχολίας. id est.

Spes uitæ semper furatur mentem, extrema autem
Aurora multa præuenit negotia.

Terentius comœdia 4.

Spe incerta certum mihi laborem sustuli.

Idem

Idem comœdia 6.
Commodius esse opinor, duplici spe utier.
Virgilius Aeneidos lib. 2.
Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.
Idem lib. 19.
Spes addita suscitat iras.
Ouidi. de Ponto lib. 1. elegia 7.
Spes igitur menti pœnæ Græcine leuandæ,
Non est ex toto nulla relicta meæ.
Hæc dea, cùm fugerent sceleratas numina terras,
In dijs inuisa sola remansit humo.
Hæc facit, ut uiuat fossor quoq; compede uinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut uideat cùm terras undiq; nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit:
Nec spes huic uena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atq; aliquis pendens in cruce uota facit.
Hæc dea quàm multos laqueo sua colla ligantes,
Non est proposita passa perire nece.
Ouid. epist. Phillidis ad Demophoonta.
Quæcunq; ex merito spes uenit, æqua uenit.
Idem epist. Helenæ ad Paridem.
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.
Lucanus libro. 8 Pharsaliæ.
Causa iubet melior superos sperare secundos.
Tibullus lib. 2. elegia 7.
Iam mala finissem læto, sed credula uitam
Spes fouet, & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo uolucres, hæc captat arundine pisces,
Cùm tenues hamos abdidit antè cibus.
Spes etiam ualida solatur compede uinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Horatius Carminum libro 4. Ode 11.
Terret ambustus Phaëton auaras
Spes, & exemplum graue præbet ales
Pegasus terrenum equitem grauatus
Bellerophontem. Ibidem epist. 5.
Mitte leues spes, & certamina diuitiarum.
Dantes Florent. paradisi can. ca. 20.
Regnum cælorum uiolenza pate
Da caldo amore & da uiua speranza,
Che uince la diuina uoluntate,
Non aguisa che lhom sobranza,
Ma uince lei, per che uol esser uinta,
Et uinta uince cum sua benignanza. Id est,
Regnum cælorum uiolentiam patitur
A calido amore, & uiua spe,
Quæ superat diuinam uoluntatem:
Non sicut homo luctans uincit hominem,
Sed uincit eam, quoniam uult uinci,
Et uicta uincit sua benignitate.
Dantes Florent. paradisi. can. 25.
Speme di sio e uno attender certo
De la gloria futura, che produce
Gratia diuina, & precedente merto. id est.
Sed desiderium atq; attentio certa
Gloriæ futuræ, quæ producit
Gratiam diuinam, atq; præcedens meritum.

PRessus ab exemplo, discat sperare secunda, AMANTIVS.
Cuncta ubi spes stabili supplicat ore Deum:
Liuius Poëta.
ἔλπεσθαι χρὴ πάντα, οὐκ ἔστ' οὐδὲν ἄνελπτον κακόν,
ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἄνυυτον οὐδέν. id est.
Speranda sunt omnia: nihil non enim sperari potest.
Omnia Deo factu facilia sunt, & nihil impoßibile.
Apollodorus.
οὐδὲ ποτὲ ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράττοντα δεῖ·
ἄνδρες τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἀεί, id est.
Nunquā oportet animū despōdere hominē infortunatū:
Viri meliora uerò semper expectate.
Euripides in Inone.
ἐν ἐλπίσιν χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον, id est.
Sapientibus uita spe confirmanda.
Idem tragicus, ibidem.
μήτ' εὐτυχοῦσα πᾶσαν ἡνίαν χάλα,
κακῶς τε πράσσ' ἐλπίδος κεδνῆς ἔχου. id est.
Neq; bona aspirante totam laxes habenam:
Et in malo successu bonam spem concipias.
Menander
ἄνθρωπος ἀτυχῶν σῴζετ' ὑπὸ τῆς ἐλπίδος. id est.
Homo infortunatus à spe seruatur.
Hesiodus, in operibus.
μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς, ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν
ἔνδον ἔμιμνε, πίθου ὑπὸ χείλεσιν οὐδὲ θύραζε·
ἐξέπτη· πρόσθεν γὰρ ἐπέμβαλε πῶμα πίθοιο. id est.
Sola autem spes illic in domo firmißima
Intus remansit dolij sub labris, neq; foras
Euolauit: prius enim operculum iniecit dolo.
Euripides in Hercule furente.
Fatigantur enim & mortalium calamitates,
Et uentorum flatus non semper ualidi sunt,
Et fortunati non perpetuò habent fauentem fortunam:
Discedunt enim inuicem omnia à priore statu.
Optimus autem ille uir est, qui spe
Semper fretus fuerit, desperare uerò mali uiri est.
οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ἐλπίσι
πέποιθεν ἀεί, τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ.
Menander in Nauclero.
ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ' οἷον ἐστὶ ἐλπὶς κακόν,
οὕτω τι πρᾶγμ' ἐστὶν ἐπίπονον τὸ προσδοκᾶν. id est.
O Iupiter colendißime, quantum malum spes est,
Adeo molesta res est, expectare.
Archilochus Poëta.
Nulla res non speranda vel abiuranda est, vel admiratiōe digna: Iuppiter enim Deûm pater ex meridie noctem fecit, abscondita luce, quū sol splenderet. Tristis autem timor homines inuasit. Hoc argumento nihil non credi & sperari debet hominibus: nullus posthac nostrum

admiretur, si videat Delphinis cum feris mutare pascua marina, & maris argutos fluctus bestijs gratiores continente fieri, Delphinis autē placere mentem.

Theognis.

ἐλπὶς καὶ κίνδυνος ἐν ἀνθρώποισιν ὁμοῖα·
οὗτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι, id est.
Spes, & periculum inter homines similia sunt:
Sunt enim utriq; difficiles dæmones.

Idem.

ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστι, id est.
Sola spes inter homines bonum est numen.

Euripides, in Supplicibus.

Spes enim est res pessima mortalibus, quæ multas ciuitates
Commisit, nimis efferens animos.

Sophocles.

ἐλπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν. id est.
Spes enim alit homines plurimos.

Theocritus in Eclogis.

θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον,
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες:
χ' ὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. id est.
Bono animo, amice Batte, uiuendum est, fortè cras melius
se res habebit:
Spes est inter uiuos, extra spem uerò sunt defuncti:
Et Iuppiter aliâs serenat, aliâs pluit.

Euripides in Hypsipyle.

ἄελπτον οὐδὲν, πάντα δ' ἐλπίζειν, id est.
Nihil insperatum, omnia uerò speranda sunt.

Bion in Bucolicis.

At ego benè procedens, meumq; iter in loco decliui isto,
apud arenam & littus cantillo,
Duram obsecrans Galateam: dulcem uerò
Spem ad extremam usq; senectutem non relinquā, id est:
τὰς δὲ γλυκείας
ἐλπίδας ὑστατίω μέχρι γήραος οὐκ ἀπολείψειν. id est.

Democritus.

ἐλπίδες αἱ τῶν ὀρθῶς φρονεόντων ἐφικταί, αἱ δὲ τῶν ἀξυνέτων, ἀδύναται, ἄλογοι τῶν ἀξυνέτων αἱ ἐλπίδες. id est.

Spes rectè sapientium voti compos fieri potest: incipientium verò præter rationem sunt, vel ἀδύνατοι. i. spes impossibilis.

Diogenes interrogatus, quid nam in vita extremum esset, spes, dixit.

τί τῶν κατὰ τὸν βίον ἀκερότατον, εἶπεν ἐλπίς.

Socrates in Tomarijs Aristonymi.

αἱ πονηραὶ ἐλπίδες ὥσπερ οἱ κακοὶ ὁδηγοί·
ἐπὶ γὰρ τὰ ἁμαρτήματα ἄγουσιν. id est.

Spes mala, sicut malus viæ dux, ad peccata ducit.

Epictetus Philosophus.

οὔτε ναῦν ἐκ μιᾶς ἀγκύρας, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ἁρμοστέον. id est.

Neque nauim vna solùm anchora, neque vitam vna spe muniri oportet.

Idem.

Καὶ τοῖς σκέλεσι καὶ τοῖς ἐλπίσι τὰ δυνατὰ δεῖ διαβαίνειν, id est.

Vt cura, sic spem quoq; non amplius extēdere conuenit, quàm fieri commodè potest.

Thales.

ἐρωτηθεὶς, τὸ κοινότατον, ἀπεκρίνατο, ἐλπὶς καὶ γὰρ οἷς ἄλλο μηδὲν αὐτὴ πάρεστιν, id est.

Interrogatus, quid maximè commune esset, spes, respondit: hanc enī illi habēt, q aliud nihil.

Socrates Philosophus.

οὔτε γυνὴ χωρὶς ἀνδρὸς, οὔτε ἐλπὶς ἀγαθὴ χωρὶς πόνου γεννᾷ τὸ χρήσιμον. id est.

Neque mulier sine viro, neque bona spes absque labore vtile quicquam parit.

Xenophon, in lib. de Cyri expeditione.

ἀλλὰ πάντα μὲν ἄνθρωπον ὄντα προσδοκᾶν δεῖ. id est.

Atqui hominem natum expectare oportet omnia.

Statius 2. lib. Thebaid.

Et qua non grauior mortalibus addita cura,
Spes ubi longa uenit.

Spes uigilantium somnia sunt.

Plato dicere solebat, spes esse vigilantium somnia. Ad quod allusisse videtur Vergilius, cū ait: an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? nam dictu mirum est, quàm varias imaginationes patiantur in animo suo, qui vehementer sperant aliquid: atque his inanibus simulachris perinde semet oblectant, ac si iam tenerent, quę sibi pollicentur. Erasmus Apophthegmatum lib. 4.

Spes boni futuri.

Apelles cùm Laidem adhuc virginem vidisset, ex Pireao ferentem aquam, admiratus insignem formam, duxit illam in conuiuium sodalium: Cæterùm irrisus ab illis, quod pro meretrice virginem adduxisset in conuiuiū, ne mirēmini, inquit, ego eam alo, vt aliquando fruar: nam priusquam totum excesserat triennium, eā formosam reddam. Eras. 6. Apophthegmat.

Cato senior de spe prædicasse narratur, autore Plutarcho, quod, quæ magna essent, pusilla faceret, quæ pusilla, prorsus nulla: sentiēs opinor de periculis. Victoriæ spes extenuat omnia, quę solent à bello deterrere.

Scipio minor, cuidam scutum pulchrè ornatum ostentanti: scutum quidem, inquit, ô iuuenis, bellum est, at decet virum Romanū in dextera potius, quàm leua spem collocare. Clypeus enim sinistra geritur, gladius dextera.

Rhodius quidam ob intemperantiam libertatem à tyranno coniectus in caueam, in qua more noxiis bestiæ alebatur ad cruciatum & ignominiam, amputatis manibus, ac fœdata vulneribus facie, cum ab amicis admoneretur vt inedia sibi malorum finem quæreret: cuncta, inquit, homini, quoad viuit, sperāda sunt. Citius illum laudarim, quàm istos, qui ob causas non admo-

admodum graues confugiunt ad laqueum, aut præcipitium Erasmi. lib. 8. Apophthegmatum.

Spes fallax, Sillius Italicus lib. 7.

Spes heu fallaces, oblitaq; corda caducum
Mortali quodcunq; datur.

Menander comicus.

αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι τοὺς κενοὺς βροτῶν, id est.
Spes pascunt uanos mortales.

Idem.

ἐλπιζε πάντα μέχρι γήρως, θνητὸς ὤν. id est.
Spera omnia usq; ad senectutem mortalis existens.

Iulius Polyenus.

ἐλπὶς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει, id est.
Spes non bona indigentem uirum sequitur.

Idem.

ἐλπὶς ἀεὶ βιότοιο κλέπτει νόον, ἢ πυμάτη δὲ
ἠὼς τοῖς πολλοῖς ἔφθασεν ἀσχολίας, id est.
Spes uitæ semper fruatur mente, extrema autem
Aurora multa præuenit negocia.

Phillis ad Demophronta.

Quæcunq; ex merito spes uenit, æqua uenit.

Helena ad Paridem.

Fallitur augurio spes bona sæpè suo.

Lucanus lib. 8. Pharsaliæ.

Causa iubet melior, superos sperare secundos.

Plautus in Rudente.

Trachalio. Nam multa præter spem scio multis bona euenisse.

Ampelisca mul. At ego etiam, qui sperauerint spem decepisse multos.

Ouidius, ad Græcinum lib. 1. de Ponto.

Quamuis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Horatius lib. 1. Ode. 11. ad Leuconen.

Tu ne quæsieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem dij dederint Leuconoe: nec Babylonios
Tentaris numeros, ut melius quicquid erit pati:
Seu plures hyemes, seu tribuit Iupiter ultimam
Et spacio breui,
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit inuida
Aetas, carpe diem, quàm minimum credula postero.

Euripides.

Tu uolucres ô fili spes persequeris,
Non fortuna te: non unus autem fortunæ modus est. i.
Πτωνὰς διώκεις ὦ τέκνον τὰς ἐλπίδας
οὐχὶ τύχη σε· τῆς τύχης δ' οὐχ εἷς τρόπος.

Idem.

Ne mihi spem profer, qua lachrymæ
Prohibeantur: grauiora enim quæ insperata ueniunt. i.
Μὴ μοὶ προτείνων ἐλπίδ' ἧς ἄδου δάκρυ
γένοιτο τῶν πολλῶν δάκνεις οὐκ ἐνὶ.

Ibidem.

Et nunc ista tam grauia, multaq; uerba
In adeò breue uas fortuna collegit.
Quid tandem mortales multa temerè minamur?
Dum alter aduersus alterum uehemens est dicendo:
Et omnia manu nos effecturos animo concipimus,
Longè prospiciens: uicinam autem fortunam
Infelicis fati non scimus, neq; uidemus.

Idem in Protesilao.

πολλ' ἐλπίδες ψεύδουσιν αἱ ἄλογοι βροτούς. id est.
Spes temerariæ plerumq; fallunt homines.

Idem in Oedipo.

ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
φανεῖσα, μᾶλλον ἢ τὸ προσδοκώμενον, id est.
Ex rebus insperatis gratia maior hominibus
Apparet, potius quàm expectatis.

Idem in fine Medeæ.

πολλ' ἀέλπτα κραίνουσι θεοὶ,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη
τῶν δὲ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός. id est.
Multa præter spem faciunt Dij,
Et sperata finem non attigerunt,
Insperatorum autem exitum Deus adinuenit.

Idem in Alcumena.

θάρσει τάχ' ἂν γένοιτο πολλὰ τοῖς θεοῖς
κ' ἂν τῶν ἀέλπτων εὔπορ' ἀνθρώποις πέλει, id est.
Bono sis animo, fortaßis ita fiet: multa Dijs
Facilia sunt, etiam quæ desperant homines.

Idem in Alexandria.

O Hecuba, quàm insperatum accedit numē mortalibus, & fortunas nunquàm eodem modo secum trahit.

Idem in Bellerophonte.

Viden quàm infinitæ res insperatæ contingant?
Multi tempestates effugere marinas,
Multi suis hostibus in pugna præstantiores,
Postea uicti ab illis, meliorem fortunam nacti sunt.

Menander.

οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ζῶντα τοῦτ' οὐ πείσομαι. id est.
Nemini, dum uiuit, dicere licet, hoc uel illud non patiar.

Idem in Enchiridio.

πάντα δὲ τὰ μὴ προσδοκώμενα ἔκστασιν φέρει. id est.
Omnia non expectata reddunt attonitos.

Pindarus dicebat, spes esse vigilantium somnia, id est.
εἶπε τὰς ἐλπίδας εἶναι ἐγρηγορότων ἐνύπνια.

Dionysius amisso imperio, in Corintho agens, si quis ipsi molestus esset, dicebat: quàm beati sunt, qui à puero infelices fuēre.

Homerus in Odyssea.

πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου, id est.
Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.

Theognis poëta.

Sæpe fit, ut præter opinionem ac spem fine potiantur.
Opera hominum, consilijs ue hominum finis nō obtigit.

Idem.

Rebus omnibus imminent pericula, neq; nouit aliquis
Quorsum euasurus sit in principio negotij:
Sed alius, dum conatur fieri clarus & assequi laudem, non prospiciens
In magnum & difficile incommodum cadit:
Alij malè ac temerè agenti Deus ubiq; indulget
Prosperum euentum, quo insipientiæ malum soluitur.

πᾶσιν

πᾶσιν τοὶ κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν οὐδὲν τῖς οἶδε
πῇ σχήσειν μέλλει πρήγματος ἀρχομένου;
ἀλλ' ὁ μὲν εὐδοκιμεῖν πειρώμενος οὐ προνοήσας
εἰς μεγάλην ἄτην καὶ χαλεπὴν ἔπεσεν,
τῷ δὲ καλὸν ποιοῦντι θεὸς καλὰ πάντα τίθησι
συντυχίην ἀγαθῶν ἔκδισιν ἀφροσύνης.

NANVS: Spiritus græcè πνεῦμα.ατος.τὸ.& πνέω spiro & πνευματικός.οῦ.ὁ spiritualis dicitur. Spiritus dicitur septupliciter s. aêr vel ventus, corpora beatorum, animæ beatorũ, virtus imaginatiua, mens, Deus, secũdùm B. Tho. prima parte, q.41. art.3.& 1.Sentent. dist.10.q.4.c.

Spiritussanctus est tertia persona in diuinis à patre filioq; procedens: competit autẽ ei diffinitio personæ: Nam persona est secundùm Boëtium lib. de duabus naturis, rationalis naturæ indiuidua substantia.

Sapientiæ cap.12.

O quàm suauis est Domine spiritus tuus.

Matthæus cap.12.

Quicunq; dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra spiritum sanctũ, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.

Paulus 1.ad Corinthios cap.2.

Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

Ibidem cap.12.

Hæc omnia operatur vnus atq; idem spiritus diuidens singulis prout vult.

Paulus 2.ad Corinthios cap.5.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas.

Idem ad Romanos cap.2.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Ibidem cap.8.

Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Ibidem.

Accepistis spiritum adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus, abba pater.

Idem ad Ephæsios cap.1.

Signati estis spiritu sancto promisionis, qui est pignus hæreditatis nostræ.

Lucas cap.12.

Spiritussanctus docebit vos in ipsa hora q̃d oporteat vos dicere.

August. super epistolam Ioan. & hab. de Pœni. dist.2.cap.Vnctio.

Vnctio inuisibilis spiritussanctus est, quæ in quocunque fuerit, tanquàm radix illi erit, quæ quamuis ardente sole arescere nõ potest, nutritur calore solis, non arescit.

Gregor. super Ezechiel. hom.10.

Mentem quam spiritussanctus replet in amaritudine temporalium & æternorũ dilectione cõmonet. Dulce enim est esse in reb⁹ humanis, sed ei, qui adhuc de cęlestibus gaudia nulla gustauit, & quantò minùs æterna intelligit, tantò delectabilius in temporalibus requiescit.

Augustinus ad spiritumsanctum de vtilitate eius.

Recolo quòd tu aliquãdo adulterium & homicidam tetigisti, & Psalmistam fecisti: Susannam innocentem liberasti: Magdalenã septem dæmonibus plenã respexisti: & multa dilectione reum in cruce visitasti, & socium Christi eadem die in paradiso statuisti: flere cœpisti apostatam, & ordinasti in summũ pontificem: vocasti publicanũ, & euangelistã cõsecrasti: percussisti persecutorem, & erexisti in summũ doctorem: descendisti in timidos metu Iudæorũ inclusos, & emisisti eos audacissima doctrina inflammatos. Nihil ergo peto, nisi te, quia tu es doctor & doctrina, medicus & medicina, pfector & pręparator mentis, amor & amator, tu es donum, tu es dator, vita & vitæ conseruator.

Gregorius homil. penultima.

In linguis igneis spiritussanct⁹ apparuit, quia oẽs quos repleuit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia Deum prædicando, & amãdo, corda audientiũ inflammant. Nam & otiosus sermo docentis est, si præbere non valet incendium amoris.

Idem in Pastorali.

Idcircò spiritussanctus in columba & igne monstratus est, quia omnes quos implet & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Nequaquàm igitur spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mãsuetudinis feruorem æmulationis non sensit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit.

Idem lib.2. Moralium.

Spiritussanctus contra singula tentamenta erudit, & in septem virtutibus temperat, vt contra stultitiam sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra pręcipitationem cõsilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiem pietatem, contra superbiam Dei timorem.

Idem super Ezechielem.

Cõsidero patres Noui & Veteris Testamenti Dauid, Danielem, Amos, Petrũ, Paulum, & Matthæum, & apertis oculis, fide intueor. Implet nanq; spiritussanctus puerum citharœdum, & psalmistam facit abstinentem, implet puerum, & iudicem senum facit. Implet pastorẽ armentarium, & prophetã facit. Implet piscatorem, & principẽ Apostolorũ facit. Implet persecutorẽ, & doctorem gentium facit. Implet publicanũ, & Euangelistã facit, quàm ergo insani sumus, qui hunc spiritum non quærimus?

Gregorius super illud Matthæi 4. Ductus est Iesus à spiritu.

Absq; vlla dubitatione cõuenienter accipit, vtà

vt à spiritusancto ductus credatur, vt illuc eum suus spiritus duceret, vbi eum ad tentandum spiritus malignus inueniret.

Idem homilia 23.

In terra datur spiritus, vt diligatur pximus. E cælo datur spiritus, vt diligatur Deus. Sicut ergo vna est charitas, & duo præcepta, ita vnus spiritus, & duo dona.

Ioannes Chrisost. super Matthæum.

Ideò spiritussanctus specimē columbę suscepit, quoniam post omnibus animalibus hęc cultrix est charitatis. Omnes species iustitiæ, quas habēt serui Dei in veritate, possunt habere serui Dei in simulatione, solam autem charitatem spiritussancti, nō potest immundus spiritus immutare. Hanc igitur priuatam speciem charitatis seruauit sibi spiritussanctus, quia per nullius testimonium cognoscitur, vbi est spiritussanctus, sicut per gratiam charitatis.

Bernardus sermone 74.

Spiritus Iesu spiritus bonus, spiritussanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, quicquid in hoc seculo nequam videtur difficilè & angustùm, leue facit, & hic illatum opprobrium, gaudium iudicat, despectionem exaltationem esse persuadet.

Beda homilia 9. super illud Lucæ.

Exurgens Maria, abijt in montana.

Nulla in discendo mora est, vbi spiritussanctus doctor adest.

Dantes paradisi cant. 22.

Quæsti altri fuo chi, tutti contemplanti
Homini accesi furon di quel caldo,
Che fa nascere li fiori & frutti santi. Id est.
Hi alij ignes, omnes contemplantes
Homines accensi fuerunt ex eo calore,
Qui causa est, ut oriantur flores, & fructus sancti.

Dantes Florent. Paradisi cant.

Per Moyse, per propheti, e per psalmi,
Per leuangelio & per uoiche scriuesti
Poi che si ardente spirito, ui fe almi. Id est.
Per Moysen, per prophetas, atq; per psalmos,
Per euangelium, & uos scriptores horum,
Postquàm sic ardens spiritus uos sanctos facit.

Spissitas græcè δασύτης. ητυς. ἡ. & δασύς. έος. ὁ. spissus & densus dicitur. Est autem spissum id cuius partes ipsæ sibi propinquę sunt, secundū Aristot. lib. prædicamentorum.

Spissum à sæpium densitate dicitur. Spissum enim propriè densum significat. Hinc spissitas, & spissitudo pro densitate. Item spissè aduerbium, & spisso verbum.

Sponsa græcè νύμφη. ης. ἡ. & νύμφιος. ȣ. ὁ. spōsus ac νυμφικὸς. οῦ. ὁ. sponsalis dicitur. Sunt eñ spōsalia promissio futurarum nuptiarum, & fiunt absolutè quadrupliciter s. Nuda promissione, datis arris spōsalitijs, annuli subaratione, & interueniente iuramento. Et fiunt cū conditione quadrupliciter s. quia aut conditio honesta de bonis simpliciter, aut de bonis vtilibus per modum dotis, aut de bonis vtilibus per modū pœnæ, aut conditio inhonesta contraria bonis matrimonij, secundū B. Tho. Sent. dist. 17. q. 1. ar. 2.

Sponsalia sunt futurarum nuptiarū promissio, vt hab. 30. q. 5. c. Nostrates, dicta à spondeo. Vnde sponsus quasi promissus, & sponsa quasi promissa. Quare post contractum matrimoniū per verba de præsenti dicūtur vxor & maritus, non sponsus nec sponsa.

Spurius græce νόθος. ȣ. ὁ. à nonnullis putatur, sed nō est qui græco vocabulo dicitur nothos, hoc est ex adulterio natus, nam is latinum vocabulum nō habet, ideoq; vtimur peregrino, sed incerto patre natus, quē Modestinus vulgò conceptum appellari scribit, siue qui eum patrem habet, quem habere non licet. Vnde spurios etiam versus dicimus alterius ac incerti authoris Ausonius de Aristarcho: Quique notas spurijs versibus apposuit.

Spuo gręcè πτύω dicitur. Venitq; à pus, quòd est sanies, & quicunque humor in putredinem versus. Hinc etiam sputum, hoc est saliua. Hinc etiam expuo, respuo, repudio & quasi cū sputo per cōtemptum reijcio, & per metaphoram cū contemptu expello. Terent. Vbi illam expueret miseriam ex animo. A spuo spurcū deducitur, hoc est impurum, obscœnū. Vnde spurcitia venit, hoc est immūditia, & spurius, de quo suprà.

Stabilis græcè βέβαιος. ȣ. ὁ. & βεβαίωσις. ιος. ἡ. stabilitas dicitur. Est autem stabilis qui potest, vel natura aptus est diu stare.

Stadium spatium centum vigintiquinq; passuum, & dicitur à stando, quia Hercules tantū currens postea stabat & respirabat, ex B. Tho. super 1. ad Corint. 9. lect. 2. col. 4. Diciturque à græcis στάδιον. ȣ. τ. & latinè curriculum, in quo equi currunt.

Status græcè στάσις. ιος. ἡ. & στατός. ȣ. ὁ. firmus dicitur. Status propriè pertinet ad libertatem vel seruitutem in temporalibus, vel spiritualibus, qua significat immobilitatem & obligationem personæ hominis secundùm B. Tho. secunda secundæ q. 183. art. 10.

Status à sto stas dicitur. Stare autem significat positionem naturalem hominis cum immobilitate secundùm eundem ibidem.

Sternutatio gręcè πταρμός. ȣ. ὁ. & πτάρνυμι sternuto dicitur. Causatur aūt sternutatio ex commotione cerebri, quod est principalis pars capitis, secundùm B. Thom. super Iob. 42. lect. 2. prin.

Sternere propriè est de statu deijcere, & quasi in terram extendere. Hinc sterno & sternuto, sternutatio, sternutamentum, sternutorium medicamentum, à quo ad sternendum excitamur. Etenim qui sternunt quodammodo toto

corpore extenduntur. Licet enim sternutatio à capite præcipuè sit, fit tamen sternuendo quædam totius corporis extensio.

Stipendium græcè μισθοφορία.ας.ἡ. & μισθοφόρος.ου.ὁ. stipendiarius miles dicitur. Est autem stipendium æs militare, dictum à stipe, hoc est nummo pendenda.

STudium græcè σπουδή.ῆς.ἡ. & σπουδαῖος.ου.ὁ studiosus, & σπουδάζω studeo dicitur. Est autem studiũ vehemens applicatio animi cum magna voluntate, ad aliquid agendum, secundùm Ciceronem lib.1. Rhetoric.

Sudium importat vehementem applicationem mentis ad aliquid, & principaliter ad cognitionem. Secundario autem ad ea, in quibus homo per cognitionem dirigitur, secundùm B. Thomam secunda secundæ q.166. artic.1.c.

Studiositas est virtus cuius principalis materia est cognitio, secundario autem alia, secundũ eundem, ibidem quæst.160. artic.2. Dicuntur autem hæc à studeo, quod est do operam, incumbo.

Hieremias cap.7.

Hæc dicit dominus exercituum Deus Israël: Bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto.

Augustinus in lib. de Cathechizandis rudibus.

Sedulò monendi sunt scholastici, vt humilitate induti Christiana discant non cõtemnere, quos cognoscunt morum vitia, quàm verborũ, amplius deuitare. Sed casto cordi linguã exercitatam non cõferre audeant, quam & proferre consueuerant. His enim maximè est vtile nosse, ita esse præponendas verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit, vt ita malle debeant veriores, quàm disertos magis inuenire sermones, sicut malle debent prudentiores, quàm formosiores habere amicos.

Idem lib.9. de Trinitate.

Quid est inuenire, nisi in id venire, quod quęritur? Quæ autem vltrò occurrunt menti, non dicuntur inuenta, quamuis dicuntur cognita, quia tendebat anima ad illa quærenda.

Hieron. ad Demetriadem Virginem.

Sit ista lectio temperata, cui finem cõsilium, non lassitudo imponat. Nam vt immoderata ieiunia, & ardor abstinentiæ, & inordinatæ vigiliæ, intemperantia coarguũtur, & nimietate suã pariunt, vt hæc ipsa posteà quidem, nec mediocriter fieri possint: ita studium intemperans lectionis, in reprehẽsionẽ cadit, & quod laudabile est in genere suo, fit nimietatẽ sua culpabile.

Ambrosius super Lucam libro 1.

Legimus aliqua ne negligantur, legimus ne ignoremus, legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus.

Gregorius lib.6. Moralium.

Idcircò & desidiosus ingenium sępè accipit, vt de negligentia iustius puniatur. Quia quod sine labore assequi potuit, scire contempsit. Et ideò nonnunquam studiosus tarditate negligentiæ præmitur, vt eò maiora præmia retributionis inueniat, quò magis in studio inuentionis elaborat. Nihil est in terra sine causa, quando & studioso tarditas ad præmium proficit, & desidioso velocitas ad supplicium crescit.

Ioan. Crysost. de Curialium nugis, & uestigijs philo.

Omninò iniquum est, nobiliora ingenia studijs dehonestari minoribus, & eos quos ardua & grauiora expectant officia, voluptatis & vanitatis occupationibus agitari.

Isidorus lib.3. de Summo bono.

Omnis profectus ex meditatione & lectione procedit. Quę enĩ nescimus, lectione discimus, quæ didicimus, meditatione conseruamus.

Hugo libro 1. Didascalicon.

Tria sunt quæ præcipuè studijs legentium obesse solent, negligentia, imprudentia, fortuna. Negligentia est, quando ea quæ discenda sunt, vel prorsus pretermittimus, vel minùs studiose discimus. Imprudentia est, quando congruum ordinem in his quæ discimus non seruamus. Fortuna est in euentu casuum, siue naturaliter contingente, quando vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, siue etiã doctorum raritate, à proposito nostro retrahimur. In his autem tribus de primo, id est, negligentia lector admonendus est, de secundo verò, id est, prudentia instruendus, de tertio, id est fortuna adiuuandus.

Ibidem lib.3.

Tria sunt studentibus necessaria: Natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur, vt facilè audita percipiat, & percepta firmiter retineat. In exercitio, vt labore & sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, vt laudabiliter viuens, mores cum scientia componat.

Ibidem.

Sapiens ille vir Græciæ Demosthenes, cùm expletis centum & septem annis, se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere quod egrederetur de vita, quandò sapere cœpisset. Plato 80. anno scribens, mortuus est. Socrates 98. in docendi & scribendi labore cõpleuit. Refert Homerus, quòd de lingua Nestoris iam vetuli & pene decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit.

Ibidem.

Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit, non scripturam, non doctrinam spernit, ab omnibus indifferenter, quod sibi deesse videt, quærit. Nõ quantum sciat, sed quantum ignorat, considerat.

Aristoteles lib.8. Politicorum.

Commmune omnium debet esse studium.

Seneca epistola 2.

Certis

Certis ingenijs innutriri & immorari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.

Idem.

Studio me dabo, omnia alia negligéda sunt, vt huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiã si à pueritia vsq; ad longissimos ætatis terminos vita producatur, resistendũ est occupationibus.

Idem epistola 21.

Studia te clarũ & nobilem efficiant, sine studio æger est animus.

Idem.

Studijs & diuitijs pariter vacare non potes. Nec animã illã dignatur habitare sapientia, quã videt infectam desiderijs, & curis temporalibus inuolutam.

Idem de Breuitate uitæ.

Studia optimè fœlicitatem extollũt, & facillimè calamitates minuunt.

Idem libro de 7. artibus liberalibus.

Quid refert prouidere quod effugere nõ possumus? Plus scire velle quã satis, intẽperãtiæ genus est. Audi quantũ malum facit nimia subtilitas, & quàm infesta virtuti sit.

Idem epistola 17.

Si vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis. Multis enim ad philosophãdũ obstitere diuitiæ: paupertas autẽ expedita est & secura.

Idem.

Studia aũt saluti corpori sunt. In remedium enim cedũt honesta solatia, & quicquid aĩm erexerit, etiã corpori prodest. Cogito quã multi corpora exerceãt, ingenia quã pauci. Quãtùs ad spectaculũ nõ fidele, & lusorium, fiat concursus, quãta sit circa artes bonas solitudo, quã imbecilli animo sunt, quorũ lacertos humerosq; miramur.

Idem epistola 83.

Otiũ sine literis mors est, & viui hominis sepultura: Alit lectio ingenium & studio fatigatum, non sine studio tamen reficit.

Salustius in Catilinario.

Studium cuiusq; ex ætate flagrat.

Hesiodus.

εἰ γὰρ κὲν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθεῖο,
καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο .i.

Si enim paruum supra paruum addideris,
Et frequenter hoc facias, forte magnum & hoc fiet.

Ouidius de Ponto libro 4. elegia 2.

Excitat auditor studium, laudataq; uirtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

De hac materia habes suprà vbi Eruditio, Diligẽtia, Prudentia, Sapientia & Scientia.

Stultiloquium græcè μωρολογία, ας ἡ. dicitur, significatq; peruersam sententiam verborum, per quæ quis præfert delectationes luxuriæ alijs bonis, secundùm b. Tho. secunda secundæ, q 53. articulo. 5.

Stultitia græcè μωρία, ας ἡ. & μῶρος, ου ὁ stultus dicitur. Est autem stultitia in factis dictisq; per ignorãtiam recti ac boni erratio, secundùm Lactan. lib. 2. di. insti. Stultitia importat hebetudinem sensus spiritualis. Fatuitas autem totalẽ priuationem eius. Ideo prima opponitur contrariè sapientiæ, secũda verò priuatiuè, ex bea. Tho. secunda secundæ q. 8. ar. 6.

Stultitia dicitur à stupore, de quo suprà. Quia stultus est, qui propter stuporem nõ mouetur, secundùm Ari. li. 2. Ethicorum, & b. Tho. secunda secundæ q. 46. ar. 1.

Prouerbiorum ca. 1.

Sapientiam atq; doctrinam stulti despiciũt.

Idem cap. 10.

Filius sapiens lætificat patrem. Filius verò stultus mœstitia est matris.

Idem cap. 15.

Stultus irridet disciplinam patris sui. Qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

Idem cap. 17.

Plus proficit correctio apud prudentẽ, quàm centum verbera apud stultum.

Ecclesiastes cap. 1.

Stultorum infinitus est numerus.

Idem cap. 7.

Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.

Ecclesiastici cap. 22.

Arenam & salem & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuũ & impium.

Matthæus cap. 15.

Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

Augustinus de Vera religione.

Qui se diligit stultũ, non pficiet ad sapientiã.

Gregorius in Moralibus, & habetur dist. 38. cap. Qui ea.

Qui ea, quæ dei sunt sapiunt, à domino sapiuntur: qui ea quæ dei sunt nesciunt, à domino nesciuntur: Paulo attestante, qui ait: Si quis ignorat ignorabitur, idem: Quicũq; stultus est in culpa, erit sapiens in pœna.

Idem libro 27. Moralium.

Tanto quisq; intus amplius stultior fit, quanto conatur exterius sapiens videri.

Seneca in epist.

Stulto nulla re opus est. Nulla enim vti scit, sed omnibus eget. Omnis stultitia laborat fastidio sui. Nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat.

Idem epistola 13.

Inter cætera mala hoc quoq; habet stultitia, semper incipit viuere.

Idem in epist.

Humilis est stultitia, res abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus & sequissimis abdita. Ibid.

Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me video.

Cicero libro de Natura deorum.

Miserius enim stultitia quid dicere possumus?

Ibidem.

Multa sunt incómoda in vita, vt ea sapientes cómodorum cópensatione leniant: stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre præsétia.

Idem libro 1. de Legibus.

Quid abiectius stultitia, & tarditate dici potest?

Idem lib. de Finibus bonorum & malorum.

Stulti malorú memoria torquentur. Ibidem Igitur nec stultorú quisq; beatus, neq; non sapientum, non beatus.

Sophocles in Aiace.

οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι, τ' ἀγαθὸν χεροῖν ἔχοντες, οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ. Id est,

Homines enim malæ mentis bonum præ manibus Habentes non cognoscunt antequam amittatur.

Horatius lib. 1. Epistolarum, epist. 1.

Virtus est uitium fugere. & sapientia prima, Stultitia caruisse.

Idem Sermonum lib. 1 satyra 2.

Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt.

Persius satyra 1.

Auriculas Asini quis non habet?

De hac materia habes suprà, vbi Prudentia, Sapientia, & Scientia.

Stupor græcè θάμβος. εος. τὸ. & θαμβέω. stupeo dicitur. Est auté stupor admiratio vehemés secundùm Arist. libro Topicorum.

Stupor est timor inconsuetę imaginationis, secundùm b. Tho. 3 Sen. q. 26. ar. 3.

Stupor à stupeo venit, stupeo autem à stupa. Dicitur auté stupor eò, quòd sésus constipentur. Est enim stipare rimas obturare: quia in hoc stupa vti solemus, stipare pro densare & componere ponitur. Virg. Stipatq; carinis ingens argétum Dodoneosq; lebetes.

Stuprum græcè διακόρευσις ιος. ἡ. & διακορεύω stupro dicitur. Est autem stuprum illicita virginú defloratio sub parentum cura existentium, secundùm b. Tho. secunda secundæ q. 154 ar. 1. c.

Stuprum propriè virginum defloratio, vt habetur 36. q. 1. Lex illa.

Stuprum aliquãdo pro incestu ponitur. Propriè enim stuprum est coitus lege vetitus, qui duplex est: Vnus cum nupta, quod & adulteriú dicitur, aut cum puero, aut cum sanguine coniunctis, siue sacris virginibus. Aliter cùm vim afferimus cuilibet personæ, etiam si ancilla sit. Vnde stuprare in vtrunq; sensum accipitur. Quintil. Vxor marito dicit appellatú se de stupro à priuigno.

Suauitas græcè ἡδύτης, ητος. ἡ. & ἡδύς. έος. δ. dicitur. Est autem suauitas dulcedo, & suaue dulce. Hinc fit suauium, quod vt quidam volunt, sic ab osculo & basio differt, quod osculum officij est, vt cùm è longinquo redeuntes, salutamus atq; osculamur. Basium, pudicorú est, vt patris in filium: suauium verò voluptatis. Sanè osculum est diminutiuum de os. Ouid. Videt oscula, quę nó est vidisse satis. Ponitur tamen frequéter ꝑ basio, quoniã basiando os coartamus atq; minuimus, & quasi ex ore osculum facimus. Hinc osculor verbú, osculator, osculatio, sicut à basium, basio, basiator & basiatio.

Subare est propriè porcorum cùm luxuriantur. Quare D. Hiero. li. Satyrico contra Iouinianum ca. 49. Núc restat, vt Epicurum nostrum, subantem in hortulis suis, inter adolescentulas & mulierculas, alloquamur. Licet in plerisq; codicibus sudantem legatur, & mendosè.

Subarratio fit multipliciter. Nam fit quandoq; ꝑ immissionem annuli, quandoq; per donationé aliarum rerum, vel aliorú insignium, & quandoq; interueniente consensu expressè, vt in loquente, & quandoq; nó, vt in muto, dúmodò constet de subarratione, præsumitur matrimonium, donec probetur contrarium, glo. ca. vl. de sponsa impube. in ver. subarrauit.

Subdelegatus alij subdelegare non potest, quia sic & illi possent iterum subdelegare, quod esse non debet. Et est simile in excómunicatione, quæ non transit in tertiam personam, glo. est in capi. Cùm causam, de appella.

Subdelegator à principe solus valet alteri causam delegare, de appella. ca. Cùm causam.

A subdelegato si fuerit appellatum, delegatus potest procedere, si aliquid iurisdictionis sibi retinuit, de offi. de lega. ca. Super quæstionum.

Subdelegatus à collega, præoccupante iurisdictionem, præfertur alteri collegæ, glo. in cap Cùm plures, de offi. delega. libro 6.

Subdiaconi appellantur qui subiacent officijs & præceptis Leuitarum 21. di. Cleros.

Subdiaconus & diaconus, simili gaudent priuilegio, de ser. non ordi. ca. Miramur.

Subdiaconi officium est calicem & patenam ad altare Christi deferre. & Leuitis tradere 25. dist. perfectis. In subdiaconum nullus debet ordinari, nisi promissa castitate, 28. di. de Siracusanæ. §. ecce. & 2. c. se.

Subdiaconus à Papa ordinatus priuilegium habet, quia per alios episcopos non potest compelli ad ordines recipiendos, de tépo. ordi. ca. Cùm in distribuendis.

Subdiaconus potest eligi in episcopú, & qui habet curam animarum, de ætate, & quali. cap. A multis, & cap. Præterea.

Subdiaconus nō potest eligi in Archidiaconū 60.di.Innouamus &c.Nullus in episcopū.

Subdiaconatus nō erat sacer ordo tēpore apostolorū, 21.di.§.1.in fi.60.di. Nullus in episcopū.Subreptio differt à falsitate, quia per subreptionem tacetur veritas, per falsitatē mēdaci um exprimitur,tex.est in ca.Porrecta de confirma.& inut.

Subditus grecè ἀρχόμενος ȣ.ὁ.& subdo. ὑποτάσσω dicitur.Subditi propriè dicuntur, qui ratione domicilij subijciūtur glo.in Cle.vna. de foro cōpe.de ver.subditos.

Subsannatio grecè μυκτηρισμός.ȣ.ὁ.& μυκτηρίζω subsanno dicitur.Hæc autē & irrisio cōueniunt in fine, sed differūt in modo:quia prima fit naso rugato.Secunda verò fit ore.i.in verbo & cachinnis,secundū beatum Thomam secunda secundæ q.73.

Subsannatio à subsanno venit.Subsanno autem à sanno.Sanna enim solutus risus,dicitur à narium sonitu. Persi. posticę occurrite sannæ.

Subsidium grecè ἀλκή.ῆς.ἡ. & ἀλκω adiuuo dicitur.Subsidium est, quod laborantibus periculo,mittitur: Sicut pręsidiū, ꝙ ad tutelā loci ponitur, à pręsidendo dictū; quod antè ponatur quàm periculum adueniat.

Substantia grecè ὑπόστασις ιος.ἡ. dicitur. Est autē substātia quę propriè & principaliter, & maximè substare dicitur, & quę neq; in subiecto est,neq; de subiecto dicitur, secundū Arist. li.Predicam.

Substantia est res habens quidditatē, cui debetur esse per se & nō in alio scilicet subiecto, secundum b. Tho. prima parte q. 3.articulo 5.

Substantia est,quę per se stat nullis adminiculis fulta, vel quæ accidenti seu qualitati substat, atq; subsistit & quasi illi subiacet,siue quia illā contineat.Substātia etiam pro facultatibus ponitur.Quintilianus:Vt plus substantię filio relinquerem.Et in Euangelio: Qui consumpsit omnem substantiam.

SVfficientia græcè ἱκανότης:ητος. ἡ & ἱκανός.οῦ ὁ sufficiēs dicitur.Venit autē à sufficio quod interdum significat satis sum. Vergil. Nec nos obniti contrà nec tendere tantū Sufficimus.Interdum subministro. Virg.Ipse pater Danais animos,viresq; secundas Sufficit.

Crates philosophus.

χαῖρε θεὰ δέσποιν᾽, ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἀγάπημα
ἐυτελίη,κλ[illegible]τῆς ἔκγονε σωφροσύνης.
σὴν ἀρετὴν τιμῶσιν,ὅτοι τα δίκαι᾽ ἀσκοῦσιν. Id est

Salue dea domina,uirorum bonorum oblectamentum,
Sufficientia,inclytæ proles temperantiæ.
Tuam uirtutem honorant,qui iusta exercent.

Theognis.

οὐκ ἐθέλω πλουτεῖν,οὐκ εὔχομαι,ἀλλὰ μοὶ εἴη
ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων.μηδὲν ἔχοντι κακόν.

Nolo ditescere,neq; opto.Sed mihi sit
Viuere à paucis,nihil habenti malum.

Alphæus Mitylenæus.

οὐ στέργω βαθυλήιȣς ἀρούρας,
οὐκ ὄλβον πολύχρυσον,οἷα γύγης.
αὐτάρκȣς ἔραμαι βίου μακρῖνε,
τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν,ἄγαν μὲ τέρπει.

Non amo profundæ segetis terras,
Non beatitudinem multi auri,qualia Gyges.
Sufficientem amo uictum Macrine.
Illud nihil nimis ualde me delectat.

Ex primo Epigrammatῶν

ἐλθὼν εἰς ἀΐδην ὅτε δὴ σοφὸν ἤνυσε γῆρας,
διογένης ὁ κύων, κροῖσον ἰδὼν ἐγέλα
καὶ στρώσας ὁ γέρων τὸ τριβώνιον ἐγγὺς ἐκείνου,
τοῦ πολὺν ἐκ ποταμοῦ χρυσὸν ἀφυσσαμένȣ.
εἶπεν,ἐμοὶ καὶ νῦν πλειὼν τόπος,ὅσσα γὰρ εἶχον
πάντα φέρω σὺν ἐμοὶ κροῖσε,σὺ δ᾽ οὐδὲν ἔχεις.

Veniens in infernum,quando iam sapientem compleuerat senectutem,
Diogenes canis Crœsum uidens ridebat.
Et sternens senex pallium propè illum,
Qui multum ex flumine aurum hauserat,
Dixit, mihi & nunc plus loci, quæcunq; enim habebam,
Omnia porto mecum Crœse,tu uerò nihil habes.

De hac materia vide suprà in Mediocritas.

SVffragium grecè ψῆφος.ȣ.ὁ. & ψηφιστής. οῦ ὁ. suffragator dicitur. Est autem suffragium aliquando idem quod auxilium, nōnunquàm significat illas (vt ita dicam) voces,quę in comitijs dicebantur, & in tabellis describebantur, quibus vnusquisq; voluntatem suam de aliquo in magistratu eligendo declarabat.

Suffragium dicitur à suffrago.ginis, quæ ἰγνύα ας.ἡ.dicitur, & est id in posterioribus pedibus animalium,quod in prioribus genua.Dicūtur autem suffragines, quod suffragantur, hoc est,in altum frāgantur. Nam sub aliquando suprà significat,vt sublatum id est suprà in altum latum.Constat sanè genua animalium quæ animal generant, ante se flectere, suffraginū verò artus in aduersum.quemadmodum poplites dicti sunt,quod pòst plicentur, ita suffragines ꝙ suprà frangantur.Plin. Victimarum probatio in vitulo, vt cauda articulū suffraginis contingat.Hinc suffragor id est adiuuo,auxilio sum:sicut enim suffragines sunt,quæ in primis animal sustinent quibus se colligit, se sustinet, se tuetur,ita suffragor à iumentorum suffraginibus deriuatur.

Machabeo.li.2 ca.12.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare,vt à peccatis soluantur.

August.li.de Agenda cura pro mortuis,& habetur 13.q 2.c.Non æstimemus.

Non æstimemus ad mortuos,pro quibus curam gerimus peruęnire, nisi quod pro eis siue altaris,siue orationum, siue eleemosynarum sa

crificijs solenniter supplicamus, quãuis enim, non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantũ pro quibus dum viuunt cooperantur vt prosint.c.

Idem libro 83. quæst.

Tẽpus quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem positum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaqueq; digna est, vel requie vel ęrũna, pro eo quod sortita est in carne, dum viueret. Neq; negandũ est defunctorum animas, pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynę in ecclesia fiunt, sed eis hęc prosunt, qui cùm viuerẽt, hęc sibi vt postea possent prodesse meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortem, nec tam malus vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt hæc non requirat, & rursus talis in malo, vt ne his valeat, cùm ex hac vita transierit, adiuuari.

Ibidem.

Cùm ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcũque eleemosynarũ, pro baptizatis defunctis omnibus offerũtur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valdè malis etiam, si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; sunt consolationes viuorum.

Ibidem.

Monumenta nõ ob aliud dicũtur, nisi quod hi qui viuentiũ oculis morte subtracti sunt, ne obliuione etiã cordibus subtrahãtur, in memoriam reuocent, & admonendo faciant cogitari. Vnde monumentũ eò, quod moneat mentem nuncupatur. Ad hoc ergo sunt monumẽta mortuorum, vt dum homines recolũt eorũ quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquã patronis susceptos, apud dominum adiuuando & orando commendent.

Ibidem.

Cùm igitur recolit animus, vbi repositũ sit charissimi corpus & occurrit, animam dilectã commendat recordantis affectus: quod igitur ad sepulchrum fidelis mater recurrit, & filium precibus magisq; commendat, adiuuat defuncti spiritum, non mortui corporis locus, sed loci ex memoria viuus matris affectus.

Ambrosius in lib. Theodosij imperatoris, & habetur. 13. q. 2. ca. Quia alij.

Quia alij tertium diem, alij tricesimum, alij septimum, alij quadragesimum obseruare consueuerunt, in offitijs mortuorum quid doceat lectio consideremus. Defuncto, inquit, Iacob, pręcepit Ioseph pueris suis sepultoribus, vt sepelirent eum, & sepelierunt sepultores Israel, & repleti sunt quadraginta dies (sic enim dinumerauerũt dies sepulturę) & luxit eum septẽ diebus: hæc ergo sequenda solennitas est, quã pręscribit lectio. Sic etiam in Deuteronomio scriptum est, quia planxerũt filij Israel Moysen 30 dies, & consummati sunt dies luctus, vtraq; ergo obseruatio habet authoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium.

Gregorius & hab. 13. q. 2. cap. Animæ.

Animę defunctorum, quatuor modis soluũtur, aut oblationibus sacerdotum, aut pręcibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorũ. Curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quã subsidia mortuorũ. Si aliquid prodest impio sepultura pręciosa, oberit pio vilis aut nulla. Non ideo tamen cõtemnenda aut abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeq; iustorum, vbi illud & dicitur salubriter, quanta potest esse remuneratio pro eleemosynis, quas viuentibus & sentientibus exhibemus, si neq; hoc apud deum perit, quod exanimis hominũ mẽbris officij diligentia persoluit.

Superbia

SVPERBIA. (prima secundæ q. 84. art. 2.)

- *Inclinatio ad superbiendum ex flexibilitate naturæ & fomitis corruptione.*
- *Actualis contemptus præceptorum dei, uel diuinæ legis, per quam prohibemur à peccando.*
- *Inordinatus appetitus propriæ excellentiæ & est peccatum* (secunda secundæ quæst. 162. articulo 2.)
  - *Generale, per redundantiã in alia peccata quæ ex ea oriri possunt* (secunda secũdæ q. 162. artic. 2.)
    - *Directè & per se, inquantũ potest appeti in quolibet bono, aliqua excellentia, quæ inordinatè appetitur* (prima secũdæ quæst. 84. art. 4.)
      - *Prosequendo inordinatè bonum*
        - *Interius*
          - *Animæ, quod consistit in sola animæ apprehensione, ut laus honor, gloria, quam inordinatè appetit.*
          - *Corporis pertinens ad cõuersationẽ.*
            - *Indiuidui. ut cibus et potus, quos inordi appetit.*
            - *Speciei, ut actus uenerei quos inordinatè appetit.*
        - *Exterius ut diuitiæ quas inordinatè appetit*
      - *Fugiẽdo inordinatè bonũ, propter aliquod annexum malum*
        - *Proprium & spirituale, quod inordinatè fugit.*
        - *Alienũ.*
          - *Sine insurrectione quod inordinatè fugit.*
          - *Cum insurrectione, quod inordinatè fugit.*
    - *Indirectè, & quasi per accidens remouendo prohibens inquantum, s. homo per superbiam Dei legem contemnit, per quam prohibetur à peccando. articu. 2.*
  - *Speciale propter specialẽ rationẽ obiecti, quæ est propria excellẽtia. Cuius inordinatus appetitus est peccatum* (secunda secũdæ. q. 162.)
    - *Mortale de genere suo semper. Quia quandocunq; deliberatè, & secundũ consensum rationis quis se extollit, suprà id quod est sibi præfixum, secundùm diuinã regulam uel mensuram, est peccatum mortale.* articulo 5.
    - *Veniale. Quando est actus imperfectus, quia præuenit iudicium rationis, dum eius ratio nõ consentit.*
    - *Distinctum a.b.Gre.13.*
    - *Moral. in species 4. Dicente: Quatuor quippe sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur.* articulo 4.
      - *Quando bonum à semetipsis habere se existimant.*
      - *Quando etsi sibi datum desuper credunt, pro suis hoc accepisse meritis putant.*
      - *Quando iactant se habere quod non habent.*
      - *Quando despectis cæteris, singulariter uideri appetunt habere quod habent.*

SVperbia græcè ὑπερηφανία.ας.ἡ. & ὑπερήφανος. ὁ. superbus & ὑπερηφανεύομαι superbio dicitur. Est autem superbia peruersæ celsitudinis appetitus. secũdùm Aug. lib. 14 de Ciuitate dei Superbia est amor propriæ excellentiæ secundùm Hugonem li. 2. de Sacramẽtis & Isidorum bro Etymo.

Superbia propriè est inordinatus appetitus excellentiæ cui debetur honor & reuerentia. Vel superbia propriè respicit defectum subiectionis hominis ad deum, secundùm quod aliquis se extollit supra id quod est sibi præfixũ, secundùm diuinam regulã vel mensuram. Ex b. Tho. prima secundæ q. 84. ar. 2. o. & 2. 2. q. 77 ar. 5. c.

Appetitus excellentiæ rectus est magnanimitatis, excedens est superbiæ, biæ, deficiens est pusillanimitatis, se. b. Tho. in. q. de Malo. q. 8. ar. 2. co. 1.

Superbia deriuatur à superbio quod est efferor, extollor. Item superbè aduerbium, hoc est elatè, arroganter, & superbiloquens quod est superbè loquens, & soperbiloquentia. i. elatus & superbus sermo. Superbum etiam significat altum. Virgilius:

Ceciditq; superbum Ilium.

Superbire est quasi suprà ire.

Prouerbiorum cap. 13

Inter superbos semper iurgia sunt.

Ecclesiastici cap. 10.

Odibilis coram Deo & hoĩbus est superbia.

Ibidem.

Quid superbis terra & cinis?

Ibidem.

Initium superbiæ hominis apostatare à deo.

Ibidem.

Initium omnis peccati est superbia.

Iob, cap. 15.

Cunctis diebus suis impius superbit.

Iacobus Canonicæ cap. 4.

Superbis deus resistit humilibus aũt dat gratiã

August. super Matth. sermone, 57.

Audeo dicere superbis continentibus: expedit cadere, vt in eo ipso in quo extollunt humilientur. Quid enim prodest cui est continentia, si dominetur superbia?

 Idem

Id. in lib. de Natura & gratia.

Cætera vitia in malefactis valent, sola superbia etiam in rectè factis est cauenda.

Idem super illud Psal. Et emundabor à delicto maximo.

Quo alio nisi superbiæ? Non est enim maius peccatum quàm apostatare à Deo, quod est initium superbiæ hominis. Et verè iste immaculatus est qui & hoc delicto caret, quia hoc est vltimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.

Idem lib. 3. de Verbis domini.

Medicina timoris omnis humilitas est Christi. Non enim homo perisset, nisi superbiam suscepisset. Initium enim (sicut scriptura dicit) omnis peccati superbia: vnde sanaretur tumor superbiæ, nisi deus dignatus esset humilis fieri? Erubescat ergo homo superbus esse, quia factus est humilis deus.

Idem super Genesin lib. 11.

Initium omnis peccati est superbia, cui etiam non incõuenienter aptatur quod dicit Apost. Radix omnium malorum est auaritia. Si auaritiam generalẽ intelligimus, qua quisq; appetit aliquid amplius quàm oportet, vel excellentiã propriam, vel propriæ rei priuatũ honorem. Specialis autẽ est auaritia, quæ dicitur amor pecuniæ. De generali auaritia, intelligitur quod ait Apostolus: Radix omnium malorũ est auaritia. Hac enim & diabolus cecidit, qui non amauit pecuniã, sed propriam voluntatem.

Idem super Ioannem sermo. 5.

Quare patimur multa à creatura quam fecit deus? Quia offendimus per superbiã. Ad domãdam igitur superbiam instituit deus vt creatura minima & abiectissima nos torqueret, vt homo superbus qui se iactauit aduersus deum, & proximũ nõ agnouit, plurib. pulicibus subdat.

Idem de uerbis domini sermo 54.

Prior est in vitijs superbia. Non enim inuidia parit superbiam, sed superbia parit inuidiã. Nõ enim inuidet nisi amor excellentiæ. Amor autem excellentiæ superbia vocatur.

Hieronimus super Marcum.

Multo illo deformior est, superbia quæ subquibusdã humilitatis signis latet. Nescio enim quõ turpia sunt vitia, cũ virtutũ specie cœlant.

Gregorius lib. 17. Moralium.

Oĩs superbia eoipso in imo latet, quo in alio se erigit: vt inde magis suppolita cũctis sit, vnde cunctis appetit superesse.

Idem 33. Moralium.

Vitium superbiæ ab ipsa radice secandũ est, vt cùm latenter oritur, tunc vigilãter abscindatur, ne prouectu vigeat, ne vsu roboretur.

Ibidem libro 31.

Radix quippe cuncti mali & regina omnium vitiorũ superbia est, de qua, scriptura attestante, dicitur: Initium omnis peccati superbia. Septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice proferũtur: Inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, & luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitijs nos captos diabolus tenuit: idcirco redẽptor noster ad spirituale liberationis bellum septiformis gratiæ plenus venit.

Ibidem.

Ipsa vitiorum regina superbia, cùm deuictũ plenè cor cœpit, mox illud septem principalibus vitijs suis ducibus deuastãdũ tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.

Idem lib. 34. Moralium.

Euidentissimum signum reproborum est superbia, ac contrà humilitas electorum.

Ibidem.

Cunctis nanq; superbia apud sese cogitatiõe tumentibus inest, clamor in locutione, amaritudo in silendo, dissolutio in hilaritate, furor ĩ tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione.

Homerus in α. Iliados.

ἧς ὑπεροπλίῃσι τάχ᾽ ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ. Id est:

Suis superbijs forte aliquando animam perdet.

Ibidem.

οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι. Id est:

Non quidem honestum superbè gloriari.

Periander.

μὴ ἐπ᾽ αἶνον ἔπι δόξῃ. Id est:

Noli te extollere ob famam.

Cleobul.

μὴ ὑπερήφανος γίνου. Id est:

Ne superbus sis unquam.

τὸν ἐλάττω μὴ ἀποσκυβαλίσῃς. Id est:

Minorem ne despicias. Phocylides

μὴ γαυροῦ σοφίῃ μήτ᾽ ἀλκῇ, μήτ᾽ ἐνὶ πλούτῳ
εἷς θεός ἐστι σοφὸς, δυνατὸς δ᾽ ἅμα καὶ πολύολβος. i.

Ne sis superbus sapientia, neq; fortitudine neq; diuitijs
Vnus deus est sapiens, potens & beatus.

Palladas.

βελτερόν ἐστὶ τύχης καὶ θλιβομένης ἀνέχεσθαι,
ἢ τῶν πλουτούντων τῆς ὑπερηφανίης. Id est:

Melius est fortunam & prementem tolerare,
Quâm diuitum superbiam. Menander.

ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην. Id est.

Superbiæ nullus euitat pœnam. Idem.

ὅτ᾽ εὐτυχεῖς μάλιστα, μὴ μέγα φρόνει Id est:

Quando fortunatus es maximè, ne superbias.

Sophocles in Aiace.

ἀλλ᾽ ἄνδρα χρὴ, κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
δοκεῖν πεσεῖν ἄν, ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ. Id est:

Sed uirũ oportet, & si corpus natura fortiius sit magnũ.
Existimare posse cadere, etiam à paruo incommodo.

Plautus in Asinaria.

Non decet superbum hominem esse seruum.

Idem

Idem in Sticho.

Secundas fortunas decent superbiæ.

Terentius comœdia 8.

Profectò hoc est, ut puto: Omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni atq; humiles sumus. Ibidem.

Quia paululum nobis accessit pecuniæ, sublati sunt animi.

Vergilius Aeneidos libro 1.

Tantá ne uos generis tenuit fiducia uestri?
Non ea uis animo, nec tanta superbia uictis.

Idem libro 6.

Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes,) imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Ouidius Artis libro 3.

Odimus immodicos (experto credite) fastus,
Sæpe tacens odij semina uultus habet.

Idem Tristium libro 1. elegia 1.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icareas nomine fecit aquas.

Tibullus elegia 3.

Atqui nec diuis homines componier æquum est.

Iuuenalis satyra 5.

Maxima quæq; domus seruis est plena superbis.

Dantes Florenti. inferni cant. 15.

Gente auara: inuida & superba
Da lor costumi fache tu ti forbi. Id est
Gens auara, inuida, & superba,
Ab eorum moribus fac te absterseas.

Idem Purgatorij canti. ca. 10.

O superbi Christian miseri lassi:
Chi de la uista: & de la mente infermi
Fidanza hauete ne ritrorsi passi.
Non uacorgieti uoi che noi siam uermi
Nati a formare langelica farfalla.
Che uola ala iustitia senza schermi. Id est,
O superbi Christiani miseri & lenti,
Qui uisione & mente ægroti
Fidutiam ponitis in uitiosis passibus,
Non aduertitis uos esse uermes:
Nati formare angelicam naturam,
Quæ tendit ad iustitiam absq; defensione.
Or superbite, & ui a col uiso altero Ibidem.
Figlioli deua, & non chinati il uoluto,
Si che uegeati il uostro mal sentero. Id est,
Iam superbitis & hinc cum uisu elato
Filij Euæ, & non flectitis uultum,
Vt uideatis uestrum malum iter.

Idem paradisi cant. cap 9.

Principio dal cader fu il maledetto
Superbir di collui, che tuuedesti
Da tuti pese del mundo constretto. Id est,
Principium cadendi fuit maledicta
Superbia illius, quem tu uidisti
Omnibus ponderibus mundi co. ctũ.

Francis. Petrar. Soneto 270.

A cadarua chi trcpo sale. id est:
Vt cadat tendat is, qui minus salit.

GREGORIVS VALLA DE EXpetendo bono & fugiendo malo.

SVPERBIA, ὑπερηφανία, est cupiditas fastus & excellétiæ, atq; incessu p̄ se insolentiā ferens, socij & æqualis impatiens, inani de se existimatione ab aliorũ cõsuetudine se seiungēs. AMANTIVS.

Descriptio superbiæ elegans.

Culmen ad superos niti, cœlóq; propinquum
It grauis, & rato incessu uestigia profert,
S rimoniæ de more gruis, quæ semina campis
Iacta legens, æquæ tepido sub sydere libræ:
Si uicina ferat gressum per rura uiator,
Tela ferens, arcumq; manu, caput ardua tollens
Clangit, & ingenti mouet internodia passu,
Paulatimq; uiam suspenso gutture carpit.
Quum bellator equus domini frenatus habenis
Ostentans pectus latum, ceruice sub alta,
Cùm glomerat bibulo lentos in puluere gressus,
Nunc hàc nunc illac oculos & colla retorquens,
Spectari gaudet: Lybicosq; æquare leones
Viribus, albanósue canes, dum se putat annis,
Colligit, & latis imitatur naribus Eurum.
Non secus hæc rabies uentoso inflatior utre,
Cùm graditur uibrans alternis motibus armos,
Ardua sublatæ circumfert lumina frontis,
Vanáq; proceri miratur corporis umbram,
Et tacitis ardens curis, sublimia semper
Mente agitat, tumidóq; sedet sub corde uenenum:
Contemptrix inopum, uultus elata seueros:
Inflatóq; rotans turgentia gutture uerba,
Ferre nequit iuga, maiorem indignata, paremq;:
Imperia usurpat, regniq; libidine feruet.
Immansueta, ferox, miseris aduersa, minaxq;
Mitibus, elatis contraria, nescia pacis,
Nescia amicitiæ, rixarum & litis origo,
Dura, ingrata, duplex animo, uiolenta, rebellis,
Improba: quid pietas, quid sit clementia nescit.
Perfida, fœdifragam dubio sub pectore mentem
Versat, ab excelso fugientia culmine semper
saxa mouet: laudum semper uesana libido,
Sollicitum pectus curis flammantibus urget.
Nec uitæ ratio, nec opum, nec honoris, in omne
Sponte scelus præceps ruit implacabile monstrum.

Radix est malorum omnium superbia, & superbos omneis perdit Deus.

De malo superbiæ 2. Reg. 6.

Michol nõ est natus filius propter superbiã cordis, quod derisit Dauid ante arcã ludentem.

Eccl. siast. 10. cap.

Radices gentiũ superbarum arefacit Dominus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus.

Memoriam superbarum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.

Non est creata hominibus superbia.

In uem

In uersus superiora traducta.

Nam domino res est exosa superbia cœli,
Nec minus his quotquot terrea regna tenent. Idem.
Heu mihi quid iactas, quid puluis & umbra superbis
Immundum, in uiuis dum datur esse, lutum.
Sæpe licet medicus quassata resarciat herbis
Membra, uelut fumi præterit umbra tamen.
Et qui rex nuper uario fulgebat amictu,
Mox iacet iniecta uile cadauer humo.
Viperios nutrit defuncto corpore dentes,
Grataq; fit pastu uermibus esca feris.
Prouenit ex prima scelerata superbia caussa,
Diuina si quis de bonitate cadit.
A factore suo declinans, perdita corda
Desciscit, uerum deserit atq; Deum.
Illaq; cunctorum radix est prima malorum,
Ex illo uitium prouenit omne lacu.
Plenaq; sunt cuius tumido præcordia fastu,
Multis damna dabit, maxima dira feret.
Inde superborum turbā regnator Olympi
Priuauit, nullo passus honore frui.
Deiecit fastum quibus ipse agnouit inesse,
Destruxit solitos nil nisi magna loqui.
Grandia spirantes summa de sede tyrannos
Rex summus pœna præcipitauit acri:
Illorumq; uices humili concessit habendas.
Submissis animo sceptra gerenda dedit.
Sic extirpauit gentes radicitus omnes,
Nulla quibus dominum noscere cura fuit.
Ipse suis humiles dextris inseuit & illos
Crescere iussit humo luxuriante nimis.
Euertit populos, & prorsus perdidit omnes,
A se compositos. qui coluêre Deos.
Ex domini nutu gens hæc exaruit almo,
Nomen & in terris non licet esse malum.
Non etenim ad fastum genus est mortale creatum,
Præcipuum nec opus trux decet ira Dei.
Humano cuncti exornantur semine nati,
Qui puero dominum corde timere solent. Iaco. 4 cap.

Nunc autem exultatis in superbijs vestris, omnis exultatio talis mala est: quid est vita vestra? vapor est, qui ad exiguum tempus apparet, & & deinde euanescit.

Grecè.

Νῦν δὲ καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν· πᾶσα καύχησις τοιαύτη πονηρά ἐστιν: ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν: ἀτμὶς γάρ ἐστιν, ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη.

1. Ioan. 2. cap.

Omne quod est in mundo, veluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo est.

Græcè.

μὴ ἀγαπᾶτε τὸν κόσμον μὴ δὲ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἐάν τις ἀγαπᾷ τὸν κόσμον οὐκ ἔστιν ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ, τὶ πᾶν ὅτὸ ἐν κόσμῳ ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς. καὶ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν. καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί: καὶ ὁ κόσμος παράγεται, καὶ ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ, ὁ δὲ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

Baptista Mantuanus, in 1. lib. de calamitatibus temporum sic scribit.

Euolat horrisono rapidi Plegetontis ab amne,
Ingenti alarum stridente superbia ductu:
Sic illam dixere, super quia cætera sese
Tollit, & extenso socios supereminet ore,
Omnia conuoluens cæca de sede Barathri:
Crimina nigrantem post se trahit omnia pompam.
Huius ab ardenti uitiosus anhelitus ore
Fumat, & obscuris oriens à faucibus humor
Defluit, hippomanes, aconyta, canisq; uirentem,
Tænarij spumam superans, omnemq; ueneni
Mortiferam rabiem: Stigij lex ima profundi:
Se superum genus esse putat, ueterumq; Deorum
Semen & à magno se iactat Apolline natam.
Ardua frons, unoq; oculo uelata, rotundi
Circuitus, medioq; sedens in luminis orbe,
Discessit spatijs æqualibus undiq; centum.
Hoc insigne patris Phœbiq; ardentis imago,
Difficili uultu graditur: gestuq; maligno.
Innocuos mitesq; animos irridet, & odit,
Quem uidet æternis illustrem laudibus altum,
Per uirtutis iter ueri conscendere honoris.

Superbus minores despicit, maioribus inuidet, ab æqualibus dissentit.

Prudentius Poeta.

Desine grandi loqui, frangit Deus omne superbum:
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:
Disce supercilium deponere, disce cauere
Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris:
Peruulgata uiget nostri sententia Christi:
Scandere celsa humiles, & ad ima redire uoraces.

Laertius scribit: Planci Numatij Ciceronis discipuli oratoris insignis Romani, hanc fuisse sententiā: naturā supbi scilicet esse minores despicere, maiorib. inuidere, ab æqualib. dissentire.

Petracha, de remedijs aduersæ fortunæ.

D. superbia extollor. R. Cur quæso an non te mortalem, an non assiduè fatiscentem, an nó mille calibus expositum, an non morti incertæ obnoxium an non denique tu te miserum meministi? scire velim quid te potissimum ad superbiam coarctet, an fragilitas membrorum, exercitusque morborum: an vitæ breuitas, an cæcitas animi inter species vtilissimas, metusque perpetuos fluctuantis, an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum & præsentium, an hostium insidiæ, an mortes amicorum, an aduersitas perseuerans, an fugitiua prosperitas? hæ nó sunt aliæ vobis ad superbiam scalæ, his ascenditis ad ruinam. Atqui cætera huiusmodi in pericula, etsi iniustam, aliquam tamen excusationem, superbia & inuidia nullam habent.

Quid de-

Quid denique superbis terra & cinis? Nihil est odiosius Deo, quàm superbia: per hanc ille pulcherrimus creatus raptim corruit, per quam tu peccator vis ascendere, si sic illum sarcinis tuis cumulum super imposuisti.

Mantuanus de calamitatibus.

Scilicet omne Deo contra nitente superbum
Euanescit opus: sicut cùm surgit in auras
Eructantis aquæ fluctus, mox uertice presso
Decidit, & spumas alto demergit in amne,
Atq; humiles inter sine nomine præterit undas.

Ibidem.

Hæc scelerum dux atq; parens, sublime nitentis
Imperium cœli, summamq; ambire tonantis
Ausa potestatem, quantum tentauit in altum
Surgere: Tenarios tandem descendit ad amnes.

Superbia pestiferum est quoddam calamitatum uariarum semen.

Valerius Maximus. lib 9. cap. 5. de superbia & impotentia.

Xerxes in cuius nomine superbia & impotẽtia habitat, suo iure tam insolẽter vsus est, quòd græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus: ne viderer, inquit, meo tantummodo vsus consilio, vos contraxi: cæterùm memento te parendum magis vobis esse quàm suadendũ. Arrogãter etiam, si victori ei petere regiam cõtigisset, tam deformiter victi, nescias vtrum insolentius dictum, an imprudentius.

Ex quadam oratione.

Primùm scimus parẽtem nostrum primariũ ob superbiam è paradiso eiectum fuisse, vitaq; beata priuatum esse: deinde constat, hoc vicij societates sanctissimas diremisse, multa bella inter homines excitasse, infinitas domos euertisse, & vrbes quàm plurimas, denique & fuisse & esse quasi pestiferum quoddam calamitatũ nostrarum semen.

Arrogantia.

Eras. lib. 1. Apophteg.

Archidamus Agesilai filius, post conflictum apud Cheroneam habitum, cùm à Philippo rege Macedonum literas accepisset acerbius scriptas, hunc in modum rescripsit: si metieris vmbram tuam, haud quaquam reperies illam factã maiorem, quàm erat ante victoriam: grauiter admonens, non esse prudentis ob fortunæ successum intumescere, cùm ipse sit nihilo maior. Aequum autem est, vt homo se suis ac proprijs bonis metiatur, potiùs quàm externis, quę fortuna, cùm libet, dat, cũ visum est, adimit.

Idem Erasmus 8. lib. Apophtheg.

Demonax ad Agathoclem peripateticum arroganter iactantem se se, & solùm, & primum esse dialecticorum: si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus?

Idem, Cynico cuidam arroganter iactanti pallium, peram, & baculum, ac subinde vociferanti, se Anthistenis, Cratetis, ac Diogenis sectatorem esse: impudenter, inquit, mentiris, cùm sis hyperide discipulus alius sit ad vocẽ ὑπερορᾶν quod est, per arrogantiam despicere.

Menander.

Ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην. Id est,
Nullus superbiæ pœnam euitat.

Euripides.

Βαρὺ τὸ φρόνημ᾽ οἴησις ἀνθρώπου κακοῦ. Id est.
Grauis fastus ex improbi hominis opinione nascitur.

Idem in Glauco.

ὅστις γὰρ ἀστῶν πλέον ἔχειν πέφυκ᾽ ἀνὴρ φίλοις τ᾽ ἄμικτος ἐστί καὶ πάσῃ πόλει. Id est.

Quicunque ciuium vir arrogans fuerit, is nec amicis, nec toti ciuitati familiarem se præbet ac affabilem.

Idem.

Quum uideris in sublime quempiam elatum,
Splendidis gloriantem opibus, ac genere,
Superciliooq; supra sortem suam fastuosum,
Illius celerem diuinitus expecta breui uindictam.

Idem in Andromache.

Qui ualdè sunt inflati, superiorum sermones
Aegrè ferunt ab inferioribus audire.

Demonactes.

Θνητοὶ γεγῶτες μὴ φρονεῖθ᾽ ὑπὲρ θεούς. Id est.

Mortales cùm nati sitis, ne supra deos vos erexeritis.

Menander.

Quàm stulti sunt homines superciliosi,
Qui dicunt, considerabo: buasi si quis hominum
In infortuniũ inciderit aliquid, cõsilio tuo efficere queas,
Quia res sua sponte in utiliorem partem
Fluunt, & si dormierit, aliquis itidem in contrariam.

Cheremon.

ὅλως τὸ κρεῖσσον οὐκ ἐᾷ φρονεῖν μέγα. Id est.
Omnino pars superior non sinit superbire.

Menander in Gubernatoribus.

O miserrimi ter q; quaterq;
Omnes, qui de sese magnificè sentiunt, inflati:
Ignorat enim illi hominis conditionem.

Grecè.

Ὦ τρισάθλιοι ἅπαντες οἱ φυσῶντες ἐφ᾽ ἑαυτοῖς
μέγα: αὐτοὶ γὰρ οὐκ ἴσασιν ἀνθρώπου φύσιν.

Idem.

Πᾶς ὁ μὴ φρονῶν
ἀλαζονείᾳ μὲν ψόφοις ἁλίσκεται. Id est.
Omnis insipiens
Arrogantia & plausibus capitur.

Menander.

Μηδὲ αὐτὸς εἰ σφόδρ᾽ εὐπορεῖς,
Πίστευε τούτῳ μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν
ἡμῶν καταφρόνει, τοῦ δὲ γ᾽ εὐτυχεῖν ἀεὶ
Πάρεχε σεαυτὸν τοῖς ὁρῶσιν ἄξιον. Id est.
Neque tu si fueris ditissimus.

Nihil

Nihil argento crede, neque etiam pauperes
Nos spreueris: sed felicitate tua semper
Exhibeas teipsum spectantibus non indignum.

Sophocles in Aiace flagelli fero.

Video nos nihil aliud esse, præter
Simulachra quædam, quotquot uiuimus, aut umbrã leuẽ.
His igitur consideratis, fastuosum
Nullum unquam dixeris in deos uerbum,
Nec aliquo modo superbieris, si quidpiam amplius
Aut polles manibus, aut copia diuitiarum.

Euripides in Alcmeone.

Ταπεινὰ γὰρ χρὴ τοὺς κακῶς πεπραγότας
Λέγειν, εἰ ὄγκον δ' οὐκ ἄνω βλέπειν τύχης. id est,

Oportet eos, quibus aspirauit aura fortunæ sinistra, humiliter loqui, nõ factum superioris vsurpare sortis.

Socrates Atheniensis Comicus.

Quamuis rex natus fueris, audi tamen ut mortalis,
Quid tum: quòd procul expuis, multa abundas pituitá:
Vestem elegantem fers, at hanc ouiculæ prius habuit:
Aurum geris, hæc fortunæ inconstans est potentia:
Opibus affluis, hæc uis est unius temporis:
Superbis, huiusmodi est stultitiæ iactantia uel hinnitus:
At si temperantiam sectèris, diuinum donum est:
Fit autem temperantia, si teipsum metiaris.

Menander in ερυπραmene.

ἐφ' ᾧ φρονεῖς μέγιστον ἐπολεῖ τοῦτό σε
Τὸ δοκεῖν τίν' εἶναι· καὶ γὰρ ἄλλους μυρίους. id est,

Quo tibi maxime places, id ipsum te pessundabit,
Nempe opinio, qua tibi aliquis esse uideris:
Perdidit enim alios etiam infinitos.

Isiodorus philosophus & Orator.

Θνητὸς πεφυκὼς τὰ ὀπίσω πειρῶ βλέπειν. id est,

Quum sis mortalis, operam da, ut quæ retrò sunt uideas.

Idem

Humilitas tua, si qua grauitas accesserit, pulchra
Apud alios uidebitur, ô chare uir, si in tute feceris
Abiectum teipsum, & pro nihilo duxeris,
Domesticis contemptui, & ludibrio apparebis.

Idem.

εὐδαιμονί' εἴωθεν ὑπερηφανίας ποιεῖν, id est,

Felicitas solet excitare superbiam.

Euripedes.

Σὺ δ' εἴκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου,
Τόλμα δὲ προσβλέπειν με καὶ φρονήματος,
Χάλα· τὰ τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς
Ταπείν' ἔθηκε, καὶ συνέστειλεν πάλιν, id est

Concede necessitati, & deos non impugna,
Quum aspicere me sustineto, & elationem animi
Remitte: maxima quæq; persæpe numen
Humilia reddidit, iterumq; contraxit.

Elianus in Historia.

Socrates Alcibiadẽ intuitus ob diuitias inflatum, & superbientẽ opibus prædijsque, in quẽdam ciuitatis locum duxit ipsum, in quo suspẽsa erat tabula terræ circuitum complexa, iussit igitur Alcibiadem Atticam in ea inquirere, quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit, quæ cùm Alcibiades nusquã esse picta diceret: cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt.

Socrates.

Apud superbum ceu apud malum figulum aut statuarium peruersas rerum imagines videre est. Grecè.

Παρὰ τῷ τύφῳ καθάπερ παρὰ κακῷ πλάστῃ διεστραμμένας τὰς τῶν πραγμάτων εἰκόνας ἰδεῖν ἐστί.

Idem.

ἡ δεισιδαιμονία καθάπερ πατρὶ τῷ τύφῳ πείθεται. i.

Superstitio superbiæ tanquam parenti est morigera.

Demosthenes.

Tantum abest vllum illorum, qui solidè docti sunt, quicquam de se gloriosius dicere, vt alio etiam dicente erubescant: qui verò lõgius à vera, quam sibi vendicãt, doctrina absunt, propter inscitiam verba molestissima audienda de seipsis proferunt. Diogenes in arrogantia, quẽ admodum in armis inauratis, non similia sunt interiora exterioribus, &c.

Superbia insigne uitium est, ingrataq; uirtutum comes.

Claudianus de consulum honore.

His tamen effectis nec fastidere minores:
Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

Idem lib. 2 in laude Stiliconis

Quum ipsa superbia longe
Discessit, uitium rebus solenne secundis
Virtutumq; ingrata comes.

Arrogantes, superbi, gloriosi ac ambitiosi fuerunt subsequentes.

Dares uergilius lib. 5. Aeneidos.

Nec mora continuo uastis cum uiribus effert
Ora Dares, magnoq; uirum se murmure tollit.

Idem.

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Ostenditq; humeros latos, alternaq; iactat
Brachia protendens, & uerberat ictibus auras.

Numanus Romulus, Rutulus. Vergilius.

Is primam ante aciem, digna atque indigna relatu
Vociferat, tumidusq; nouo præcordia regno
Ibat & ingentem sese clamore ferebat.

Murrhanus.

Vergilius lib. 12. Aeneid. meminit.

Murrhanum hic atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina, per reges actum genus omne latinum,
Præcipiti scopulo, atq; ingenti turbine saxi
Excutit.

Narcissus puer. Ouidius. lib. 3 Metamor.

Multi illum iuuenes, multæ cupiére puellæ,
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuuenes, nulli tetigére puellæ.

Sosibianus

Martialis

Martialis.

E seruo te scis genitum, blandeq; fateris,
Quum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Appion Grammaticus Alexandrinus tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem pollicere tur, cui opera sua nuncupasset.

Demetrius Poliorcetes Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit arrogantia, & insolentia, vt Atheniensium legatos biennium suspensos tenuerit, sine colloquio, ac demum re infecta re uerti iusserit.

Menecrates Medicus nullam ab his mercedem solebat accipere, quibus medebatur, sed hoc tantùm petebat, vt libertatis se ipsius seruos esse faterentur, eumque Iouem dicerent.

Nestorius hæreticus factus, præsul Constantinopolitanus, orationem postero die habuit ad populum, arrogantiæ plenam & superbiæ, quæ cælum se vnicuiq; daturum promittebat.

Neuius comœdiographus superbiam suam testatus est Epitaphio, quod sepulchro suo inscribi iussit:

Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent diuæ Camœnæ Neuium poëtam:
Ita postquam Orci traditus est thesauro,
Obliti sunt Romæ latina loquier lingua.

Arrogantes, urbani, faceti qui.

Socrates.

Τοὺς μὲν κενοὺς ἀσκοὺς τὸ πνεῦμα διΐστησι, τοὺς δὲ ἀνοήτους ἀνθρώπους τὸ δόγμα. id est,

Vtres quidem inanes spiritus distendit, stultos autem opinio.

Σωκράτης.

Ἐρωτηθεὶς, τίνες βάναυσοι εἰ τῶν ὁμοίου, ἔφη, καταφρονοῦντες. id est,

Interrogatus, Mechanici qui essent, qui sui similes spernunt, respondit.

Phauorimus.

Φρονήσεις μὲν οὖν μὴ δέ ποτε ἐπὶ σεαυτῷ μέγα,
ἀλλὰ μὴ δὲ καταφρονήσεις σεαυτοῦ, id est.

Nunquam quidem de te superbam opinionem concipies, neque contrà nimium de te humiliter senties.

Democritus iam senex ascendens in arcem Athenis perquàm anhelosus: idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensiũ soleret, nempe se magnum quidem spirare, parum autẽ valere.

Diogenes.

Στῦφος ὥσπερ ποιμὴν οὗ θέλει τοὺς πολλοὺς ἄγει. i.
Fastus tanquam pastor quoquo libet uulgus hominum dicit.

Opinionibus regitur mundus.

Xenophon. Arrogantis nomen vsurpari mihi rectè videtur in illis, qui se simulant esse ditiores & fortiores, quàm sint: & ea se facturos promittunt, quæ præstare nequeunt, idque manifestè facere videntur, accipiendi quippiam, & lucrandi gratia. Cæterùm ij, qui risum moliuntur inter conuersantes, neque suum ob quæstũ, neque auditorũ iacturam, aut vllum aliud damnum, quo pacto illi non vrbani potiùs & faceti, quàm arrogantes nominabuntur?

Herodotus lib. 1. Historiarum.

Vides, eximia animalia vt fulminet deus, neque suis opinionibus vti sinat: exigua verò faciIe fert. vides enim, vt in ædificia maxima semper & celsissimas arbores cœlestia tela ingruãt: solet enim deus eminentia quæuis castigare, ideoq; magnus exercitus ab exiguo quoq; sternitur, cùm deus inuidens, aut metum ipsis iniecerit, aut tonitrua, vnde condignam se perditionem incidunt. non sinit enim deus alium, præter se altùm sapere.

Ibidem.

οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι. id est.
Non quidem honestum superbè gloriari.

Cleobolus.

μὴ ὑπερήφανος γίνου. id est.
Ne superbus sis unquam.

Phocylides.

Μὴ γαυροῦ σοφίῃ μήτ' ἀλκῇ μὴ τ' ἐνὶ πλούτῳ εἷς θεός ἐστι σοφὸς δυνατὸς ἅμα καὶ πολύολβος. id est.

Ne sis superbus sapientia, neque fortitudine, neque diuitijs. Vnus deus est sapiens, potẽs & beatus.

Pallades.

βέλτερον ἐστὶ τύχης καὶ θλιβομένης ἀνέχεσθαι ἢ τῶν πλουτούντων τῆς ὑπερηφανίης. id est.

Melius est fortunam & prementem tolerare, quàm diuitum superbiam.

Sophocles in Aeace flagellifero.

ἀλλ' ἄνδρα χρὴ κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα
Δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ. id est.

Sed virum oportet, & si corpus natura fortitus sit magnum, existimare posse cadere, etiam à paruo incommodo.

Xenophon in lib. 8. de Pædia Cyri.

Δοκεῖ δέ μοι ὦ κύριε, χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τ' ἀγαθὰ καλῶς ἢ τὰ κακὰ φέροντα: τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ, id est.

Videtur autem mihi, ô domine, difficilius inueniri vir, qui secundam fortunam benè ferat, quàm qui aduersam: illa enim in plerisque contumeliam, hæc autem temperantiam in omnib. gignit.

Menander.

ὅτ' εὐτυχεῖς μάλιστα μὴ μεγαφρόνει, id est.

Quando fortunatus es maximè, ne superbias.

Nomina superborum arrogantiumq; hinc inde ex autoribus collecta.

Rhemnius Palemon grammaticus gloriabatur secum natas esse literas, ac demum secum morituras: Idem Marcum Varronem principem

linguæ

linguæ latinæ porcum appellare solebat. Crinitus lib. II. cap. eodem.

Paulus Samosatenus hęreticus diues factus è paupere, excreuit in superbiam intolerabilem: nam incedens per vicos & compita, doctrinam & literas ostentabat publicè, & notarijs in propatulo quicquid primùm in buccam venisset dictabat.

Athila rex Pannoniæ superbus incessu, huc atque illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipso corporis motu appareret.

Domitianus iactabat in senatu patri se & fratri imperiũ dedisse, illos sibi reddidisse: gaudebat appellatione domini atque etiam dei, vnde Eusebius: prim⁹, inquit, Domitianus dominũ se & deũ appellari iusſit, hinc fluxerunt duo versiculi cuiusdam poëtæ assentatoris.

Edictum domini deiq; nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Vnde institutũ est ab eo, Vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit. Septembrem & Octobrem mẽses ex appellationibus Germanicum, Domicianumque transnominauit, quòd altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Maximinus iunior tanta fuit arrogantia, vt manus ac pedes senatorib. pręberet osculãdos.

C. Princeps.

Seipsum inter diuos retulit, & Iouis maximi nomine statuas erigi sibi imperauit.

Sapor rex Persarum vocauit se regem regũ, participem syderum, fratrem solis & lunæ. Herodotus lib. 2. historiarum. Plinius 6. natura. histor.

Salmoneus tonitrua mentitus est, vt deitatis opinionem sibi vendicaret, sed à Iouis fulmine ad inferos demersus.

Vergilius. 6. Aeneid.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas.

Iulius Cęsar dicebat, debere homines pro legibus habere quæcunque diceret: eoque arrogantiæ progressus est, vt aruspice tristia, & sine corde exta quõdam nunciante futura, diceret lætiora cùm vellet.

Zeusis pictor adeò sibi placuit in Helena, quã pinxit, vt non expectato aliorũ testimonio hos versus ipse adiecerit:

Haud turpe est Troas, fulgentesq; ære Pelasgos
Coniuge pro tali diuturnos ferre labores
Aeternis facies nimis est æquanda deabus.

Marcus Drusus tanta fuit arrogantia, vt L. Philippum consulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat, obtorta gula, per cliẽtem suum adeò violenter in carcerem detruserit, vt multus è naribus eius cruor profunderetur: porro cùm senatus ad eum misisset, vt in curiã veniret, quare non potius, inquit, ipse ad me venit.

Gneus Pompeius balneo egressus, ante pedes suos prostratum Hipseum ambitus reum, ac sibi amicum, iacentem reliquit contumeliosa voce, ad hoc etiam proculcatum.

Hannibal Cannensis pugnæ successu elatus factus ita est, vt neminem suorum ciuium in castra admitteret, nec vlli responsum daret, nisi per interpretem.

Hanno Carthaginensis aues capere solebat, quas hanc edocebat vocẽ: Deus est Hãno: adultas demũ & doctas quaquà versum emittebat, vt eandem emitterent vocem. Eras. hoc in quẽdam Psaphonem refert.

Nero Cæsar ducebatur maxima æternitatis perpetuæque famæ cupiditate: vnde & mẽsem Aprilem Neroneum appellauit, & Romam Neropolim constituit appellare, autor Suetonius.

Eras. lib. 4. Apoph.

Alexander Macedo Ammonis filius dici voluit, imò à vate sic dictus, interpretatus est, nihil mirum inquiens, cùm Iuppiter omnium natura esset pater.

Callipedes tragicus histrio Gręcus sui maximus admirator cùm Agesilao regi occurrisset, arrogantius eum salutauit, subindè illi se ostentãs, & inter astantes sese intrudens, arbitratus fore, vt comiter à rege exciperetur: verùm is cũ grauioribus intenderet, ac ne Callipedem respectaret, non admodum, inquit, nosse me videris, ô rex, nec qui sim, inaudisse: ridens Agesilaus, an non inquit, mimus ille? adeo rex nullo honore dignatus est histrionẽ quamuis insignẽ, cuius ars ad solam parata voluptatem, corrumpendis ciuium moribus esset accommodata, quàm erudiendis.

Superficies græcè ἐπιφάνεια, ας. ἡ. Estque lõgitudo cum latitudine, sine profũditate, cuius extremitates sunt duæ lineæ. Dicitur autem superficies quasi superior facies. A superficie fit superficiarius, qui, vt Paulus iurecõsultus ait, in alieno solo superficiem ita habet, vt certam pẽsionem præstet: & superficiarias ædes Caius appellat, quę in conducto solo positæ sunt, quarũ proprietas & ciuili & naturali iure eius est, cuius & solum.

SVperfluitas græcè περιττότης, ητος. ἡ. & περισσος, ου. ὁ. superfluus dicitur. Venit autẽ superfluitas à superfluo, quod est superabũdo, estq; super abundantia quædam.

Sapient. cap. 4.

Superfluitas enim hominum; hęc adinuenit in orbem terrarum.

Aug. lib. de doctrina Christiana, & hab. dist. 41. cap. Quisquis rebus.

Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur

tur, quàm ſeſe habent mores eorum, cum quibus viuit, aut intemperans, aut ſuperſtitioſus eſt. Vide ſuprà de Abſtinentia.

Idem ſuper epiſt. Ioannis, & hab. ibid. cap. Deliciæ.

Deliciæ quælibet ſi abſque deſiderio percipiantur. Vide ſuprà de Abſtinentia.

Idem libro de Verbis domini, & hab. ibidem. cap. Non cogantur.

Non cogantur diuites pauperum cibis veſci. Vide ſuprà in Abſtinentia.

Hieron. ſuper illud Matthæi. 10. Neq; duas tunicas.

Simplex veſtimentum dicitur, quicquid neceſſarium eſt alicui, ſecundùm qualitatem loci vel temporis. Duplex autẽ, quod extra neceſſitatem eſt. Non enim duas dicit, vt quis in locis Scotię glaciali niue rigentibus vnica tunica debeat eſſe contentus, ſed quomodo in tunica veſtimentũ intelligamus, ne alio veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus.

Idem epiſt. ad Fabiolam.

Quicquid corpora noſtra defendere poteſt & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hæc vna appellanda eſt tunica; & quicquid in pręſentibus alimentis eſt neceſſarium, hîc vnius Dei victus appellatur.

Ambroſius de eo quod ſcriptum eſt in euang. Hominis cuiuſdam diuitis fructus uberes ager attulit, & hab. diſt. 47. cap. Sicut hi.

Quis enim tam iniuſtus, tam auarus, quã qui tam multorũ alimenta nõ ſuum vſum, ſed abundantiam & delicias facit. Neq; enĩ minùs eſt criminis, habenti tollere, quàm cùm poſſis & abũdans ſis, indigentibus denegare. Eſurientiũ panis eſt quem tu detines. Nudorum indumentũ eſt, quod tu recludis. Et miſerorum redemptio eſt, & abſolutio pecunia, quam in terra defodis. Tantorum te ergo inuadere ſcias bona, quantis negligis præſtare quod poſſis.

Ioan. Chryſoſt. de conſ. diſt. 55. cap. Nihil enim ſic.

Abundantia verò morbum facit, & moleſtias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo ciborum. Magis autem, & multò peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat eum de hac vita pœnali, exceſſus verò ciborum, conſumit & cõputreſcere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc eum morte crudeli conſumit.

Valer. Max. li. 4. de Abſt. & cont. de Qu. Tube.

Nunc quo ventum eſt? A ſeruis vix impetrari poteſt, ne eam ſupellectilem faſtidiant, qua vti conſul non erubuit.

Iſocrates ad Dæmonicum.

ἀγάπα τῶν ὑπαρχόντων, μὴ τὴν ὑπερβάλλουσαν κτῆσιν, ἀλλὰ τὴν μετρίαν ἀπόλαυσιν. id eſt.

Ama exiſtentium bonorum non excedentem poſſeſſionem, ſed mediocrem fruitionem.

Lucanus Pharſal. lib. 4.

–O prodiga rerum
Luxuries, nunquàm paruo contenta paratu,
Sed quæſitorum terra pelagoq; ciborum
Ambitioſa fames: & lautæ gloria menſæ,
Diſcite, quàm paruo liceat producere uitam,
Et quantum natura petat? Matthi. Agricius.

Τερψιφόνῳ πλέονες θνήσκουσιν λαιμῷ ἄσωτοι
ἢ σφάζει ἀκμὴ σφάργανος ἀμφιτόμος. id eſt.

Funeſtò plures intereunt luxu intemperantes,
Quàm acie iugulat gladius anceps.

Superſtitio græcè δεισιδαιμονία. ας. ἡ. & δεισιδαίμων. ονος. ὁ ſuperſtitioſus dicitur. Eſt autẽ ſuperſtitio vitium religioni oppoſitum ſecundũ exceſſum, ſecundùm B. Tho. 2. 2. q. 92. art. 10.

Superſtitio eſt vitium cõtrarium religioni, non quia plus exhibeat in cultum diuinũ quàm vera religio: ſed quia exhibet cultum diuinũ, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Cicero de Diuinatione, in fine libri.

Non habeo deniq; nauci Marſum augurem, non aruſpices Vicanos, nõ de circo aſtrologos, nõ Iſiacoſcõiectores, nõ interpretes ſomniorũ: non enim ſunt ij aut ſcientia aut arte diuini, ſed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli, aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat: Qui ſibi ſemitam nõ ſapiunt, alteri monſtrant viam: Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmas ipſi petunt: vt de his diuitijs ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Ibidem lib. 2.

Ad rem agendam non ſuperſtitionẽ habeas, ſed rationem ducem.

Idem lib. 2. in fine.

Nec enĩ ſuperſtitione ſublata religio tollitur.

Ibidem.

Quamobrem vt religio propaganda etiam eſt, quæ eſt iuncta cum cognatione naturæ, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes eijciendæ.

Idem lib. 1. de Finibus bono. & malorũ.

Superſtitione qui imbutus eſt, quietus eſſe nunquam poteſt.

Idem lib. 2. de Natura deorum.

Nõ enĩ philoſophi ſolũ, verum etiã maiores noſtri ſuperſtitionẽ à religione ſeparauerunt: nã qui totos dies precabantur, & immolabãt, vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſẽt, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomẽ patuit poſtea latiùs. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo, vt elegantes ex eligendo.

Valerius Max. lib. 2. de inſtit. antiquis de Maſſilia.

Omnibus autem qui per aliquam religionis ſimulationẽ alimenta inertiæ quærunt, clauſas portas habet, & mendacem & fucoſam ſuperſtitionem ſubmouendam eſſe exiſtimans.

Suppoſitũ græcè ὑποβολιμαῖον. ου. τὸ & ὑποβάλλω ſuppono

suppono dicitur. Estq; suppositū nomen secūdæ intentionis, significans habitudinem particularis ad naturam communē in quantum in ea subsistit secundū B.Tho.3.sen. dist.6.q.1.art.1.

Suspicio ὑποψία,ας.ἡ. & ὑπόψιος.ὁ.ὁ. suspectus dicit. Est autem suspicio acceptio vnius partis cum formidine alterius, secundùm Ciceronē.

Suspicio est opinio mali ex leuibus signis, sec. b.Tho. secunda secundæ q.60.art.4.c.

Suspensio græcè κρέμασις.ιος ἡ. & κρεμαστός.ὁ.ὁ. pensilis, & κρεμέω. suspendo dicit. Est aūt suspensio q̄dam ecclesiastica censura, qua interdicitur aliquod exercitium vel officium competens certæ personæ ecclesiasticæ, aliquando à iure, aliquando à iudice prolata.

Susurro, onis gręcè ψιθυριστής.ὁ.ὁ. & ψιθυρίζω susurro, ras, dicit. Hinc susurratio, q̄ est oblocutio mala de ꝓximo facta occultè, ad diuidendā amicitiam aliquorū. Susurrones enim sunt genus hominum maledicorum & linguacium, q nó apertè loquuntur, sed voce dimissa in aures homīm obstrepunt potius q̄ loquantur. Suntq; susurro, nis, & susurrare verba factitia: ita & susurrus, ri, hoc est vox ipsa susurronis, quę & susurrium dici posit. Differunt aūt susurro, detractor, contumeliator, derisor & conuitiator. Quia susurro, intendit discordiam serere. Detractor, bona minuere vel negare. Contumeliator, quod est contra honorē alicuius, deducere in notitiam eius & aliorum per signa vel verba. Derisor, malum vel defectum alicuius personæ vt erubescat, in ludum vel risum ponere. Conuitiator, dicit importantia defectū culpę & pœnæ, sicut contumeliator solū culpæ. Quare, si qs dicat alicui iniuriosè, eum esse cęcum aut claudum cùm sit, conuitium dicit, sed non cōtumeliam. Si autem iniorioſè dicat eum furem, non solùm conuitium, sed & cōtumeliam dicit. Sępe tamen vnum pro alio ponitur.

Rhytmicôs.

AMANTIVS. *Dira susurronum summis fuge nomina curis.*
Ne capiat certis te tua lingua plagis.
Turpius Harpijs cùm nil furacibus extet,
Turpior his multo corde bilinguis erit.

Maledicentia, Benedicentia.

Cherondas Cataneus in prooemio legum βλασφημήτω δ᾽ μηδεὶς ἐπ᾽ ἀδίκῳ βλάβη ἐπὶ μηδενός· θειότερον γὰρ εὐφυΐα κακηγορίας, id est.

Nullus autem damnum iniustè passus vlla in re conuitijs agat, benedicentia enim multò diuinior est, quàm maledicentia.

Aristoteles.

Τὴν κακολογίαν ἡ ὀργὴ φαίνεται ἀπογεννῶσα, ὥστε ἡ μήτηρ οὐκ ἀστεῖος. id est.

Apparet iram parere maledicentiam: itaque mater est inciuilis.

Ouidius.

Eximia est uirtus præstare silentia rebus:
At contrà, grauis est culpa, tacenda loqui.

D. August. hos uersus in sua mensa habuisse fertur.

Quisquis amat dictis absentum rodere uitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Erasmus, lib.6. Apophthegmatum.

Maledicus malè audit. M.Seruilius dissuasurus legem, quam ferebat: dic mihi M.Pinari, inquit, si contra te dixero, num mihi malè dicturus es, vt cæteris soles? vt sementem, inquit, Pinarius, feceris, ita & metes: Per allegoriam minitans illum malè auditurum, si malè diceret.

Idem lib.1. Apophtegmatum.

Leontychidas Aristone natus, cuidam ipsi dicenti, quod Demarati amici malè de eo loquerentur: Per deos, inquit, nihil miror, quandoquidem nullus illorum de quoquam benè loqui posset. Docuit contemnendam esse maledicentiam, quæ non à iudicio, sed ab animi morbo proficiscitur. Qui verò pasim malè dicunt omnibus, eos palam est id naturæ vitio facere, non ex eorum merito, quibus obtrectant.

Idem, lib.5. Apophthegmatum.

Memnon Dux, quo tempore bellum gerebat aduersus Alexandrum pro Dario rege, militem quendam mercenarium, multa conuitia petulanter iacientem in Alexandrum, hasta percusit: Ego, inquiens, te alo, vt pugnes cum Alexandro, non vt illi maledicas.

Idem eodem libro.

Agathocles figulo patre natus fuit. Is cùm obsideret vrbem quandam, quibusdam è muro conuitia in ipsum iaculantibus, dicentibusque, figule, vnde militibus tuis persolues stipendium? Ille placidus ac ridens respondit, quum hanc cæpero. At cùm vrbe vi potitus fuisset, venderetq; captiuos: Si me, inquit, denuo conuitijs affeceritis, apud heros vestros querar de vobis: ciuiliter illis exprobrans, & intempestiuam maledicentiam, & seruitutem, maledicentiæ præmium.

Eodem libro.

Cato senior à quodam infami multis nominibus vexatus: Impar mihi, inquit, tecum certamen est. Nam vt tibi & malè audire, & malè dicere facilimum, ac promptisimum est; ita mihi maledicere insuaue, malè audire insolitum.

Idem, lib.8. Apophthegmatum.

Proteo Cynico fine fine Herodem Sophistam cōuitijs incessante: Consenuimus, inquit, ambo: tu quidem malè loquens, ego malè audiens. Sensit immedicabile malum esse, cui ille tam diu assueuerat, & se moderatius ferre, q iam nouum non esset.

Eodem libro, Erasm.

Zoilus interrogatus, quamobrem ita studeret omnibus maledicere: quoniam, inquit, malefacere cùm cupiam, non possum. Expedita malitia morbum ingenuè confitentis amantis.

Obtrecta-

Obtrectatio grauißimum est peccatum, & contra compendium legis, & Prophetarum.

Hypocrita eijce primùm trabem ex oculo tuo, & tum prospicies, vt eijceas festucam, quæ est in oculo fratris tui. Hæc obiurgatio seuerissima est, qua Christus grauissimè in eos inuehitur, qui alienam famam obtrectationibus suis sordidant, & sua quidem errata negligunt: aliena autẽ errata in immẽsum amplificãt, ac seueriter condemnant. Festuca enim leue proximi peccatum est, trabs autem graue nostrum peccatum. Iam hæc est genuina hominum natura, quod trabes suos non animaduertunt, alienas festucas statim perspiciant, hoc est, grauissima sua peccata & delicta diligenter excusant, ac interdum ne requirunt quidem: leuiora autem aliorum errata mirum in modum accusant & exaggerant: ac in dijudicandis suis peccatis cęci, in alienis autem oculatissimi, & planè Lyncei sunt. Vnde maiores nostri dixerunt: Vnumquemuis gestare in humero suo manticam, cuius alia pars à fronte, alia à tergo propendeat: ac in posteriorem quidem partem manticæ sua ipsius delicta, in priorem verò aliena delicta reponere. Qua re significatum, hoc esse hominum ingenium, quod sua peccata à conspectu suo reijciant, in aliena autem totam oculorum aciem nunquàm non intendant. Sunt qui scribant Momum in hominis conditione, præter alia etiam hoc reprehendisse, quòd homo haberet oculos forinsecus tantùm versos: quibus aliena duntaxat delicta videret: non item inuersos, quibus & sua propria delicta intueri posset. Sed quid multis opus? vulgaris & notissimus hominum morbus est, in alieno oculo festucam videre, in suo autem oculo trabem non animaduertere. Num igitur dicemus, ipsum tantò minus periculosum esse, quantò vulgarior est? minimè omnium, sed quantò vulgarior est, tantò etiam perniciosior est & tantò grauius, quantò frequentius peccatur. Primùm enim, qui aliena delicta exaggerant, peccant contra compendium legis, & Prophetarum, quod est: Omnia quæcunque volueritis, vt faciant vobis homines, sic & vos facite illis: &, dilige proximum tuum sicut teipsum: vnusquisque enim naturaliter hoc desiderio affectus est, vt cupiat peccata sua aut extenuari, aut excusari, cùm igitur hoc ipsum naturæ ductum violat, & in figura hominis feritatẽ & immanitatem beluæ exercet. Deinde qui aliena delicta traducunt & amplificant, peccant cõtra legem: Non occidas. Homicidium enim non tantùm manu, sed etiam lingua comittitur. Et obtrectatio, si probè contempleris, nihil aliud est, quàm dilaniatio & deuoratio proximi. Etenim quemadmodum in familiaribus conuiuijs anser quispiã aut gallus gallinaceus assatus & mensæ appositus à famelicis conuiuis ita delaniatur, vt vix ossa reliqua maneant: ita in colloquijs obtrectatorum absens quispiam in medium abripitur, & obtrectationibus ita diripitur & deuoratur, vt ipsi vix mica bonæ famæ, aut honesti nominis reliquum fiat. Quid ergo obtrectatio à dilaniatione proximi, & homicidio differet? nam obtrectatio genus homicidij haud obscurè significat. Hub. cap. 31. Si dixerunt, inquiens, viri tabernaculi mei, quis det, vt non de carnibus inimici saturemur? hoc est: non sum passus, vt neque domestici mei malè de inimico loquerentur, & ad ruinam eius gauderent. Paulus ad Galatas 5. Si alius alium, inquit, vicissim mordetis, & deuoratis, videte, ne vicissim alius ab alio consumamini. Psal. 56. ait, filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & linguæ eorum gladius acutus. Solomon in Prouerb. 25. Iaculum, gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Reliquum igitur est, quòd non hi tantum sint homicidæ, qui proximo vitam gladio auferunt, sed etiam ij, qui proximo bonam famam, quæ honesto viro vita potior est, obtrectationibus auferunt. Cæterùm obtrectatio non solùm peccatũ est grauissimũ aduersus Deum & proximum, sed etiam longè maius incommodum adfert ipsi obtrectatori, quàm ei cui obtrectatur. Nã qui aliena delicta traducit, & exaggerat, is seipsum palàm prodit, quod nondum sua errata agnoscat. Si enĩ grauitatem peccatorũ suorum rectè agnosceret, tantum negocij haberet, vt planè non vacaret ei de alienis delictis cogitare: vbi autem non est agnitio peccatorum suorũ, ibi nec est fides, nec Christus, nec salus. Quare obtrectator cùm aliena delicta traducit & exaggerat, sese suo ipsius iudicio prodit, quod ipse ignoratione suorum scelerũ, nec fidem, nec Christũ, nec salutem habeat, sed perpetuæ internetioni obnoxius sit. Adhæc obtrectator etiam precationem dominicam, quam ad Deum patrem orat, obtrectationibus suis sibi ipsi incommodam reddit, atque contra seipsum orat: cùm enĩ precatur: remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: quid obsecro obtrectatori aliud significat, quàm si diceret: ego nulli hominũ sua delicta remitto, sed bonę omniũ famæ detraho. Ac vbi in proximo meo nulla sunt delicta, ibi fingo: vbi aũt inuenio parua delicta, ea in immensum exaggero. Precor igitur, vt nulla mihi delicta nec coram Deo, nec corã hominibus remittantur, & omnes malè de me loquantur, adeoq; minima mea delicta longè omnium maxima indicent: q̃d hac precatione horribilius? Accedit huc, q̃ Obtrectator prodat obtrectatione sua animũ suũ, omni malitia & iniquitate plenissimũ esse: sic enĩ sequitur.

Non est arbor bona, quæ facit fructum malum, neque arbor mala, faciens fructum bonum: vnaquæq; enim arbor ex fructu suo cognoscitur: Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant vuam. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum: ex abundantia enim cordis loquitur os eius. Homo ex sermone cognoscitur. Cordis boni thesaurus quis sit, quæ item abundantia cordis mali: audi quid Paulus ad Galatas scribat cap.5. Fructus, inquit, spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. In Matthæo cap.15. commemorat Christus thesaurum cordis mali: Ex corde, inquiens, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia. Obtrectator maximus sui ipsius proditor est: propterea quòd alienā famam detrahendo palam declaret, se maximum in sinu nebulonem gestare. Matthi. Agrici.

Σεῖο δόχον ταχέως ἀποβαλλ᾽ ὀφθαλμοῦ ἀλιτρὸν
Τῆμος ἑλοῦ γλάφυρὸν βλέμμασι κάρφος ἐμοῖς.

NANVS. Vide suprà Detractio & Lingua

Suum græcè ἴδιον.οῦ.τὸ.dicitur. Suum autem cuiuscunq; dicitur, quod ei secundùm proportionis æqualitatem debetur, ex B. Tho. secun. secundæ q.58. articulo 11.

TAbellio græcè πιναχογράφος.ȣ. ὁ.dicit. Et est publica persona habens officium scribendi instrumenta, ad faciendam fidem. Dicitur à tabella, quę gręcè πινάχιον.ȣ.τὸ & πινχίδιον.ȣ.τὸ.pugillaris dicitur.

Tabellionatus officiū est, fideliter vniuersa iudicij acta conscribere, videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorū productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones &c. quæ occurrerint competenti ordine conscribenda &c. de probat. c. quoniam contra falsam.

Tabellionatus officium per clericos exerceri potest, dummodo abstineant à sęuis scripturis, siue sententijs, glo. c. sicut te. Ne clerici vel mo.

Tabellio dicitur seruus publicus. glo. in c. quanquam vsurarij, de vsuris lib.6.

Tabelliōis autoritas videtur æquiualere duobus testibus, de proba. c. quoniam contra glo. in c. cùm Ioannes, de fide instru.

Tabellio rogari debet glo. in Cle. vna de iureiur. in ver. Requisitis.

Tabellio qui morte præuentus, non perfecerit instrumentum, authoritate ordinarij per alium tabellionem potest nota prioris in formā publicam redigi, de fide instru. c. cum P.

Taberna dicitur à tabulis quæ mercibus substernunt, & eadem dicitur domus in qua panis, vinum & carnes coctæ venduntur, & talia loca nedū tenere, sed nec ingredi debent clerici, de vi. & hone. cleri. c. Clerici. & 44. di. c. Clerici. & glo. in Cle. præ. de Vita & hone. cleri.

Tabernas nisi necessitate peregrinationis clerici ad comedendum, vel bibendum nō debēt intrare, 44. di. cleri.

Tabernam frequentans clericus si admonitus non cessat, debet deponi. 44. di. Nulli.

Tabula græcè σανίς.ίδος.ἡ.dicitur. Tabula secunda post naufragium peccatorum, est pœnitentia & verecundia, secundùm B. Tho. tertia parte, q.84. articulo 60.

Taciturnitas græcè σιωπηλοτής.ητος.ἡ.& σιωπάω.taceo dicitur. Est autem taciturnitas qua mentes circunspicientes quid deceat & quid non, silent cogitabundæ, nec putant proferendum, antequam maturè cuncta examussim disputarint, ne ex ore magis quā ex pectore erumpat oratio. Huius oppositū est linguacitas. Vnde dicaces, locutelei, blaterones, linguaces, bāballones & futiles à veteribus sunt nominati.

Taciturnitas in dicendis, & locutio in tacendis est peccatum, secundùm B. Tho secun. secūdæ q.73. art.1.

Taciturnitas est bona & mala 44. di. si rector.

Taciturnitas est bona in consilio, vel in capitulo, & mala, tumultuosa verb. 5. q. 4. in loco.

Tacens in ipsa obligatione, ex ipsa taciturnitate sibi præiudicat. 28. di. Diaconi.

Taciturnitas mala est, in veritatis defensione, 11. q.3. Quisquis, &c. nolite eos timere.

Item in subditorū correctione, propter quod prælatus canis mutus dicitur. 43. di. Sit rector.

Taciturnitas siue bona siue mala, quandoque trahitur ad consensum, videlicet propter fauorem ordinis 54. di. Si seruus. Sciente dicitur, quod dominus si scit seruum ordinari, & tacet, videtur consentire.

Item ꝓpter fauorem religionis 20. q. 2. c. 1. & 2. vbi dicitur, quod si anno & die vno in religiōe steterit, etiā si voce professus nō sit: videtur, ex taciturnitate in professionem consensisse.

Item propter fauorem matrimonij 29. q. 2. Si quis ingenuus, vbi dicitur quod ducens ancillā in vxorem scienter, non potest eam dimittere, quia tacendo videtur in eam consensisse.

Item propter fauorē castitatis 17. di. Diaconus, vbi dicitur, quod sacrū ordinem recipiens, etiam tacēdo, de conseruāda castitate cōsentit.

Tacere debet nec reuelare quis, eū quem solus scit deliquisse nominatim, text. est in c. Si sacerdos, de off. iud. or. vbi allegatur exemplū Christi, qui noluit reuelare Iudam nominatim. Et propterea licet parochianus, vel curatus sciat aliquem esse excommunicatū vel criminosum, non debet sibi denegare sacramenta, quando crimen probari non potest, ita glo. & Panor. ibi.

vbi etiam dicit per dictum textum, quòd licet curatus ſciat aliquem eſſe excommunicatum, tamen non debet ceſſare, vel deſiſtere à celebratione diuinorum, quando peccatũ eſt occultũ.

Tacere interdum melius eſt, quàm non perfectè loqui, glo. in Cle. Conſtitutionem in ver. de nouo in fin. de elect.

Tacens in appetibilibus, ſeu fauorabilibus ſibi habetur pro conſentiente, ſecus in dãnoſis vel præiudicialibus, gloſſa eſt in ca. ſicut elect. libro 6. in ver. per vnum.

Hieron. lib. 2. contra Ruffinum.

Hirundinem in domo non ſuſcipiendam, id eſt garrulos & verboſos ſub eodem tecto non habendos, dicebat Ariſto.

Prouerbiorum cap. 25.

Sicut vrbs patens, & abſq; murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.

Iacobus in epiſtola cap. 1.

Sit autem omnis homo velox ad audiẽdum, tardus autem ad loquendũ, & tardus ad iram.

Gregorius lib. 30. Moralium.

Ille ſcit rectè dicere, qui & ordinatè nouit tacere.

Ioannes Cryſoſt. ſuper Matthæum.

Malum hominem, melius poteſt tacendo aliquis vincere, quàm reſpondendo. Quia malitia non inſtruitur ſermonibus, ſed excitatur. Ideò dominus recedendo, compeſcere ſtuduit, quos reſpondendo non compeſcuit.

Iſidorus Solilo. cap. 31.

Sint tua verba pauca. Tolle verboſitatem ſermonis ſuperflui. Multiloquium non effugiet culpam. Linguoſus homo imperitus eſt. Sapiẽs verò paucis vtitur verbis.

Ibidem 2.

Qui otioſa verba non reprimit, ad noxia citò tranſit. Sic ſermo tuus irreprehenſibilis, ſic expectatione audientium vtilis eſt.

Boëtius de conſo. philoſo. libro. 1.

Nec mihi Socratico decreto fas eſſe arbitror, vel occuluiſſe veritatem, vel conceſsiſſe mendacium.

Cicero Tuſcu. q. libro. 2.

Zenon perpeſſus eſt omnia antequam conſcios delendæ tyrannidis indicaret.

Seneca epiſt. 16.

Nihil æquè proderit quàm quieſcere, & minimum cum alijs loqui, & plurimum ſecum.

Idem epiſt. 39.

Tardiloquum te eſſe iubeo.

Idem epiſtola 107.

Nemo quod audierit tacebit. Nemo quantũ audierit loquetur.

Ibidem.

Qui rem non tacuerit, non tacebit authorem.

Idem in Hippolito.

Alium ſilere quod uoles, prius ſile.

Ariſt. lib. 1. Politicorum.

Silentium præſtat ornatum.

Macrobius lib. 7. Saturnalium cap. 1.

Hæc eſt vna de virtutibus philoſophiæ. Quia cùm orator non aliter niſi orando probetur: philoſophus non minus tacendo pro tempore quàm loquendo philoſophatur.

Valerius Max. lib. 3. tit. de inſtitutis antiquis.

Nunquam enim patreſconſcripti taciturnitatem optimum ac tutiſsimum adminiſtrandarũ rerum vinculum labefactari volebant.

Ibidem lib. 2. cap. 1.

Adeò magna patriæ charitate tenebantur, vt arcana patrum conſcriptorum, multis ſæculis nemo ſenatorum enuntiauerit.

Iſocrates ad Dæmonicum ſermone admonitorio.

ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν. i.
Quæ factu turpia, hæc puta neq; dictu eſſe pulchra.

Ibidem.

μᾶλλον τήρει τὰς τῶν λόγων, ἢ τὰς τῶν χρημάτων παρακαταθήκας. Id eſt
Magis ſerua ſermonum quàm pecuniarum depoſita. Idẽ.
δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶσθα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ἐν τούτοις γὰρ μόνοις, ὁ λόγος τῆς σιγῆς κρείττων, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις, ἄμεινον σιγᾶν, ἢ λέγειν. Id eſt:

Duo fac tempora dicendi, vel de quibus ſcis manifeſtè vel de quibus neceſſe eſt dicere. In his enim ſolis ſermo ſilentio melior. In alijs verò præſtantius facere quàm loqui.

Periander.

καλὸν ἡσυχία. Id eſt:
Pulchrum taciturnitas.

Bias.

λάλει ὀλίγα, Id eſt:
Loquere pauca.

Idem.

ὃ μέλλεις ποιεῖν μὴ προύλεγε, ἀποτυχὼν γὰρ γελασθήσῃ, id eſt.

Quod futurus es facere, noli prædicare: ne ſi conſilium non ſuccedat deridearis.

Euripides in Hippolyto.

σιωπῆς οὐδὲν ἔργον ἐν κακοῖς. id eſt.
Silentio non eſt opus in malis.

Lucianus.

ἀῤῥύτων ἐπέων γλώσσῃ σφρηγὶς ἐπικείσθω,
κρεῖσσων γὰρ μύθων, ἢ κτεάνων φυλακή. id eſt.
Arcanorum uerborum linguæ ſigillum imponatur,
Præſtantior enim ſermonũ quam poſſeßionũ cuſtodia.

Palladas.

ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι, σιωπή,
μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω.
ὃς λαλέειν εἰδὼς ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν,
φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς εὑράμενος. id eſt.
Magna eruditio inter homines ſilentium.
Teſtem Pythagoram ſapientem ipſum habeo,
Qui loqui ſciens, alios docebat tacere:
Remedium quietis potens inueniens.

Idem.

πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατος ἐστι σιωπῶν.
τὸν λόγον ἐγκρύπτων, ὡς πάθος αἴσχρότατον. id eſt.
Quilibet indoctus prudentiſsimus eſt tacens,
Sermonem occultans, ueluti paſsionem turpiſsimam.

Menander.

γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν. id eſt.
Linguæ maximè ubiq; conare imperare. idem.
γλώσσης ματαίας ζημία προσέρχεται. id eſt.
Linguam ſtultam damnum ſubſequitur. Idem.
διὰ γὰρ σιωπῆς πικρότερον κατηγόρει. id eſt.
Per ſilentium autem amarius accuſas. Idem.
ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστὶ κρεῖττον τοῦ λέγειν. id eſt.
Nonnullis tacere eſt præſtantius quàm loqui. idem.
ἔστι καταφρόνητόν ἐστι σιγηρὸς τρόπος. id eſt.
Contemptibile quid eſt taciturnus mos. idem.
ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν id eſt.
Lingua multos ad perniciem attraxit. idem.
ἢ λέγε, τὶ σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε. id eſt.
Vel dic aliqd ſilentio præſtantius, uel ſilentiũ habe. Idẽ.
πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει. id eſt.
Multis reſponſum ſilentium eſt. idem.
ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστι αἰτία κακῶν. id eſt.
Lingua multorum eſt cauſa malorum. idem.
ἢ δεῖ σιωπᾶν, ἢ λέγειν ἀμείνονα. id eſt.
Vel oportet tacere, uel dicere meliora. idem.
κρεῖττον σιωπᾶν ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει. Id eſt.
Melius tacere quàm loqui quæ non decent. idem.
οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον. id eſt.
Nihil ſilentio eſt utilius. idem.
σιγή ποτ' ἐστὶν αἱρατωτέρα λόγου. id eſt.
Silentium interdum eligibilius ſermone. idem.
οὐ δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν ὅπου χρέων. id eſt.
Eſt ubi oporteat tacere & loqui ubi oportet. idem.
νοεῖν γάρ ἐστι κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχειν. id eſt.
Conſiderare melius quàm ſilentium habere.

Plautus in Ciſtellaria.

Tacere nequeo quod tacito uſus eſt.

Idem in Rudente.

Tacita mulier eſt bona, ſemper quàm loquens.

Terentius comœdia 5.

Tua quod nihil refert percunctari deſinas.

Ouidius Artis libro 2.

Eximia eſt uirtus præſtare ſilentia rebus,
At contrà grauis eſt culpa, tacenda loqui.

Idem lib. 3. Amorum.

Quis furor eſt, quæ nocte latent in luce fateri?
Et quæ clam facias facta referre palàm?

Idem lib. 3. Triſtium.

Crede mihi benè qui latuit benè uixit, & intra
Fortunam debet quiſq; manere ſuam.

Martialis lib. 5 ad Poſthumum.

Quæ mihi præſtiteris memini, ſemperq; tenebo,
Cur igitur taceo Poſthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, dixerat ipſe mihi:
Non bellè quædam faciunt duo, ſufficit unus
Huic operi, ſi uis ut loquar, ipſe tace.
Crede mihi, quamuis ingentia Poſthume dones,
Authoris pereunt garrulitate ſui.

Horat. Epiſt. lib. 1. 18. ad Lollium.

Protinus ut moneam, (ſi quid monitoris eges tu)
Quid de quoq; uiro, & cui dicas ſæpe uideto,
Percontatorem fugito: nam garrulus idem eſt.
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures,
Et ſemel emiſſum, uolat irreuocabile uerbum. Ibidem.
Qualem commendes etiam atq; etiam aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus, ergo
Quem ſua culpa premet, deceptus omitte tueri.

Idem ſermonum lib. 1. Satyra 4.

Abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamq; dicacis,
Fingere qui non uiſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Dantes Floren. inferni Cant. c. 16.

Sempre quel uer cha facia di menzogna,
Del hom giudere la labra quanto puote:
Per che ſenſa colpa fa uergongna.
Altra riſpoſta (diſſe) non ti rendo
Se non lo far, che dimanda honeſta:
Si de ſeguir, collopra tacendo. Id eſt.
Semper ei uerò quod habet mendacij ſpeciem,
Hominis claudit labia quantum poteſt,
Quoniam ſine culpa facit ruborem.
Alterum reſponſum (dixit) non do tibi
Quàm factum ipſum honeſtam enim petitionem
Sequi par eſt, opera taciturna.

Idem Florent. paradiſi cant. c. 32.

Ma per che tempo fuge che taſſonna.
Qui farem puncto come bon ſartore,
Che come egli ha del panno fa la gonna. Id eſt.
Verùm quoniam tempus fugit quod tibi ſomnum affert,
Hîc finem faciam, inſtar boni ſutoris,
Qui ſecundùm panni quantitatem ueſtem præparat.

Taciturnitas eſt, qua mẽtes circumſpiciẽtes quid deceat, & quid nõ, ſilent cogitabũdę: nec putant proferendũ antequàm maturè cuncta examuſsim diſputarint, ne ex ore magis, quàm ex pectore erumpat oratio. AMANTIVS.

Vel, eſt obſeruantiæ genus, in ſilentio ac ſecreta ſeruando cõſtituta. Terentius in Andria: Sed ijs, quas ſemp in te intellexi ſitas, fide & taciturnitate. Gręcis dicta σιωπηλότης, à σιωπάω quòd eſt taceo. Tacitus, qui tacet, & ſcit tenere ſecreta. Taciturnus, qui natura facilè tacet. Diminutiuum, taciturnulus.

Dogma Pythagoræ philoſophi excellentiſsimi fuit, præter Palingeneſiã & μετεμψύχωσιν, id eſt, regenerationem & tranſanimationem; item abſtinentiam ab eſu carniũ & fabarum: de quibus Ouidius lib. 15. Metamorph. & Vergilius in 6. ſcribunt, & ἐχεμυθία, id eſt, taciturnitas illa, qua

qua discipulos elinguabat toto quinquennio, vt apud se tacere discerent, & loqui dediscerēt. Philippus Beroaldus in comment. in Quęst. Tuscul. lib. 5. Diogenes Laërtius lib. 8. de vitis Philosophorum, Raphael Volateranus lib. 28. Philologiæ. Rauisius textor refert, triennium præscriptum fuisse silentium, in. 2. parte c. Taciturnitas, in officina.

Maximus Martyr in sermone 41.

Socrates admonebat suos discipulos, vt tria præcipuè in omni vita haberent: in animo prudentiam, in vultu verecundiam, & in lingua silentium.

Silentium non semper amicitiam dirimit.

Angelus Politianus ad N. Barbarum.

Quod ad te iam diu nihil dederim literarū, non tam meis velim, quàm tuis occupationibus adscribas. Occupationes autem, non minus equidem studia ipsa literarum & sapiétię, quibus vsque adeò inuigilas, quàm istos accipio discursus obeundæ legationis, & rei gerendæ publicæ. Quod igitur vel ineptius, vel inhumanius, quàm aut musarum sacris operanti obstrèpere? aut agenti rem seriam tricas veluti intempestiuas obijcere? Neque verò causa fuit cur timuerim, ne (quod est apud Aristotelem tuum) nostram quoque amicitiam silentiū dirimeret: non enim sic in amore mutuo languemus, vt simus inter nos machinis retinēdi. Sed nec silentium quispiam interpretetur, vbi neuter cessat honorificè de altero & loqui & scribere. Caue enim putes, non diem dixerim, sed horam penè vllam preterire, in qua nō ego de ingenio, de literis, de prudentia, de consilio, de humanitate, de candore, de studijs deniq; tuis propè declamitem: testis Medices Laurentius meus.

Elegans silentij excusatio, per Angelum Politianum, ad Cæsarem Carmentum.

Ignosce occupationibus Cæsar, neq; me vel superbū crede, vel in officiosum, quod ad tuas hactenus literas nōn rescripserim: melior diei pars lectionibus varijs mihi teritur, reliqua datur amicis opera. Noctem sibi quies & somnus cum precibus, horario, & stylo diuidūt. Ac (vt manifesta disimulē) recrastinator quoq; natura sum maximus, nec ad diem facilè soluo, quāquam omnino aliquando soluo, quod debui: quorum alterum dum redditur (vt verum fatear) nonnihil dolet ob ignauiam, alterū quoniam redditum est, semper excruciat.

Silentij tutum premium.

Σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας Aristides in defensione Periclis ex Cio quopiā poëta citat. Plutarchus in Apophtegmatis Augusto cæsari adscribit. Vsurpat Horatius odarum lib. 3. Est & fideli tuta silentia merces: silendo nemo peccat, loquēdo persæpè.

Iam olim in prouerbio est, nobilis illa Simonidis sententia, quæ cælebratur & apud latinos prouerbij loco. Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Etiam si Valerius Maximus lib. 7. cap. 2. sententiam hāc tribuit Xenocrati: Quid, inquit, Xenocratis respōsum, quàm laudabile? Quum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, vno ex ijs quærente, cur solus linguam cohiberet: quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquàm. Erasmus in Chiliad. 3. cent. 8.

Idem Eras. lib. 3. cent. 10.

Alia committenda, alia cælanda.

Non temerè quiduis apud quemuis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia proferenda sunt: verùm alia communicare conuenit cum amicis, aut vxoribus, alia celare. Ad hanc sententiam quadrat illud ex Odysseæ. λ. ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δ' αὖ κεκρυμμένον εἶναι. id est. Dicendum est aliud, contrà, est aliud reticēdum.

Quod scis, nescis.

Terentius in Eunucho, & seipsum excruciāte. Tu pol si sapis, quod scis nescias: hoc prouerbio certam in tacendo fidem significamus, dum quis quod scit, perinde continet ac dissimulat quasi nesciat. Eras. 3. cent. 6.

In continentem arcana sibi commissa, & nō effutientem cuiquam, quadrat illud Odysseæ. χ. τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος, id est. Huic pennis dicta vacabant, hoc est: haud longius auolabāt. Eras. Chiliad. 3. centuria decima.

Ex Carcino, de Taciturnitate περὶ σιωπῆς.

Πολλοῖς ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν σιγὴ μάλιστα
ἐστὶ σώφρονος τρόπου. id est.
Multis enim hominibus pharmacum malum est
Taciturnitas, quæ peculiaris est frugi moribus.

Menander comicus.

οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον. id est.
Nihil vtilius quicquam est silentio.

Sophocles.

Ω παῖ σιώπα πόλλ' ἔχει σιωπὴ καλά.
γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν. id est.
O puer, multa continet bona silentium,
Linguam in primis ubique moderari coneris.

Silentium & continentia linguæ omni uacant periculo.

Chares.

Καὶ γέροντι καὶ νέῳ τιμὴν φέρει
ἡ γλῶσσα σιγὴν καιρίαν κεκτημένη. id est.
Tum seni, tum iuueni conciliat honorem,
Compos silentij lingua tempestiui.

Athenodorus.

ἔστι καὶ τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. id est.
Silentij præmium periculo uacat.

Ampis.

οὐκ ἔστι κρεῖττον τοῦ σιωπᾶν οὐδὲ ἕν. id est.
Nihil est quicquam præstantius quàm tacere.

Philonides.

Κρεῖττον σιωπᾶν ἐστὶν ἢ λαλεῖν μάτην. id est.

Satius est tacere, quàm temerè loqui.

Plutarchus in lib. Quomodo quis fructum ab inimicis capiat.

Præter hoc, continentia linguæ non exigua virtutis pars, rationi subijci & morigera fieri nõ potest, nisi quis multo studio, cura, & industria pessimos affectus, qualis ira est, deuicerit.

Quum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset: tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari, iucundum quidem, respondit Cleanthes, sed quò iucundius est, eò magis in hoc amicis oportet concedere.

Ξενοκράτης.

Διαιρῶν ἕκαστον τῆς ἡμέρας εἰς πρᾶξιν, τίνα καὶ τῇ σιωπῇ μέρος ἀπένεμε. id est.

Xeno: Singulas diei partes certis negocijs assignans, silentij quoq; suam partem dabat.

Apollonius ad familiares.

Simonides aiebat nunquam se pœnituisse silentij, dictorum autem sæpius.

Græcè.

Μηδέποτε αὐτῷ μεταμελῆσαι σιγήσαντι, φθεγξαμένῳ δὲ πολλάκις.

Idem.

Πολλὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι περὶ τοῦ μὴ λέγειν, ἃ μὴ δεῖ· παντελῶς γὰρ ἀπαιδεύτου τινός ἐστι τὸ μὴ δύνασθαι σιωπᾶν, ἀλλ' ἐκλαλεῖν τὰ μὴ καλῶς ἔχοντα. i.

Adnitendum est sedulò, vt nihil indecens, eloquamur: Est enim viri planè imperiti, non posse tacere, sed quæ non decet efferre.

Dion aliàs Demosthenes.

Ne me existimetis, Athenienses, ignorare, quã tutum sit silentium ἀσφαλὲς τὸ σιγᾶν ἐστί.

Diogenes ad quendam, qui se Philosophum profitebatur, interrogabat verò cõtentiosè, vale miser, dixit, cùm id, quod optimum est in vita Philosophi, corrumpas, verbis tamen audes te Philosophum iactare.

Theocritus à blaterone quodam interrogatus, vbi cras visurus esset ipsum: illic, dixit, vbi ego te non videam.

Græcè.

ἐρωτηθεὶς, ὑπὸ ἀδολέσχου ὅπου αὐτὸν αὔριον ὄψοιτο, ὅπου, ἔφη, ἐγώ σε οὐκ ὄψομαι.

Plutarchus.

Quantum commendauerit Homerus taciturnitatem, per hæc luculenter ostenditur, inquit enim: Θερσίτ' ἀκριτόμυθε λιγύς περ ἐὼν ἀγορητὴς ἴσχεο, μηδ' ἔθελ' οἶος ἐριζέμεναι βασιλεῦσι. id est. O Thersita loquens sine iudicio, etsi vehemens concionator sis, desine, ac solus contendere cum rege noli.

Hessius Poeta sic eleganter uertit lib. 1. Iliad.

Garrule Thersita, quanquam tibi multa loquendi
Copia suppeditet, nec sis non uoce suaui,
Nec tamen hic solus reges incessere, neue
Friuolus esse uelis, qui sis teterrimus inter
Tot talesq; uiros, quicunq; Agamemnona magnum
Ipsius auspicijs sumus ad Troiana secuti
Mœnia, quod nequeas linguæ dare frena loquaci,
Nec moderere tuis ducibus maledicere uerbis.

Zenon ab Antigoni legatis Athenas missis unà cùm alijs Philosophis ad conuiuiũ vocatus est, & cum reliqui inter pocula sua, quisq; eruditionem ostentaret, ipse tacebat: cùm autem legati interrogarent, quid Antigono de ipso deberent renunciare: hoc ipsum quod videtis respõdit: Oratio enim omnium est difficillima moderatu, id est: δυσκρατέστατον γὰρ πάντων ὁ λόγος.

Quum Thelemachus apud Homerũ dixisset ἦ μάλα τίς θεῶν ἔνδον, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν. id est. Nimirum aliquis intus est, qui cœlum incolũt amplum: deprehendens pater subiecit σίγα καὶ κατὰ σὸν νοῦν ἴσχανε μηδ' ἐρέεινε. id est. Tace cõtineq; animum, nec interrogaueris: αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι. id est. Hic equidẽ mos est diuorum cœlicolarum: Hoc interpretationẽ Pythagorici nominantes, nihil respondebant de diuinis rebus, quoquo modo interrogarentur.

Παλλαδᾶ.

ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή, μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸς ἔχω· ὃς λαλέειν εἰδὼς, ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν, φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς εὑράμενος.

Incertus interpres.

Non mediocre bonum seruata silentia præbent,
Huius Pythagoras non leuis autor erat.
Qui fari callens, alios reticere docebat,
Inueniens monitis corda quieta suis.

τοῦ αὐτοῦ.

Πᾶσιν ἀπαίδευτος φρονιμώτατός ἐστι σιωπῶν
Τὸν λόγον ἐγκρύπτων ὡς πάθος αἰσχρότατον.

Alciatus expressit.

Quum tacet haud quicquàm differt sapientibus amens:
Stultitiæ est index linguaq; uoxq; suæ.
Ergo premat labia digitoq; silentia signet,
Et sese Phariam uertat in Harpocratem.

Borbonius.

Nobile lingua bonum, si fari in tempore nouit:
Nobile lingua malum, si fari in tempore nescit.

Ex lingua propagantur plerunq; bona, sæpe etiam mala.

Cœlius lib. 7. cap. 26. lectionum antiqua. Idẽ lib. 11. cap. 80. Quantum insitę præferat prudentiæ lingua præparca, græcanicum illud declarat:

Græcum distichon Palladæ.

ἀῤῥήτων ἐπέων γλώσσῃ σφραγὶς ἐπικείσθω·
Κρείσσων γὰρ ἐπέων, ἢ κτεάνων φυλακή. id est.

Arcanorum uerborum linguæ sigillum imponatur.
Præstatior enim sermonum, quàm possessionũ custodia.

Καλὸν ἡσυχία. id est.

Pulchrum, taciturnitas.

Pittacus.

Pittacus.

ὃ μέλλεις ποιεῖν μὴ προύλεγε·
ἀποτυχὼν γὰρ γελασθήσῃ. id est.
Quod facere uolueris, ne prædices,
Ne, consilium non succedat, & ridearis.

Menander.

ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν. id est.
Lingua multos in perniciem egit.

Isocrates ad Dæmonicum.

Diligentius tuere deposita verborum quàm pecuniarum: nam boni viri officium est, ita se gerere, vt eius mores plus fidei, quàm aliorum deierationes mereantur.

Ibidem.

Ne cui arcana tua dixeris, nisi illa taceri non minùs audientib' ipsis, q̃ tibi dicenti expediat.

In Echemythiam Pythagoræ, è Græco.

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
Nempe loqui doctos, reliquos docet ille tacere.
Magnum hoc ad requiem pharmacon inuenies.

Tactus græcè ἁφή.ῆς.ἡ & ἅπτομαι, tango dicit. Est aũt tactus sensus eorum ex quibus cõponitur animal, & per quæ corrumpitur, secundùm B. Thomam in quæst. de veritate q.26. art.3.c.

Tact' à tango venit, vnde & tangibile, quod quomodo à palpabili differat, vide suprà in Palpabile.

Temeritas græcè ἀβουλία.ας.ἡ & ἄβουλος.ου.ὁ temerarius dicitur. Est aũt temeritas, cum inconsiderata dolorũ perpessione gladiatoria periculorum susceptio, secundũ Cicer. lib.4. Rhetor.

Temeritas siue præcipitatio, est defectus cõsilij, & species imprudentię, secundùm B. Tho. secunda secundæ q.35. art.25. c. fi.

Temeritas est per quam fieri dicuntur, quæ ratione nõ geruntur, vel propter impetum voluntatis vel passionis, vel ex contẽptu, quę causatur ex superbia. Ideò continetur sub pręcipitatione, quæ respicit vtrunq; sed magis primũ, ex B. Tho. secunda secundæ q.53. art.3.

Temerarius est ille, qui nihil omninò formidat, sed aduersus omnia vadit, secundùm Aristotelem lib.2. Ethicorum.

Temperantia uirtus, Ex Bea. Thoma secunda secundæ

- *Specialis ut refrenat à maximè allicietibus.*
  - *Materia*
    - *Circa quam* — *Obiectum, & est bonum delectabilium in cõcupiscentijs tactus, secundùm modum rationis, uel legis diuinæ.*
    - *In qua* — *Subiectum, & est appetitus sensitiuus, uel concupiscibilis & irascibilis.*
  - *Partes. Prima secundæ quæ.26. art.4. q.143.*
    - *Integrales*
      - *Verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinẽ temperantiæ contrariã.*
      - *Honestas, per quam aliquis amat pulchritudinem temperantiæ.*
    - *Subiectiuæ.*
      - *Abstinentia in cibo.*
      - *Sobrietas in potu.*
      - *Castitas, quantum ad delectationem principalem coitus.*
      - *Pudicitia, quantum ad circumstantes delectationes, ut in osculis, tactibus & amplexibus.*
    - *Subiectiuæ.*
      - *Continentia, quæ refrenat motum uoluntatis, commotæ ex impetu passionis, ex qua fit, ut licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, uoluntas tamen non uincatur.*
      - *Humilitas, quæ refrenat motum spei & audaciæ.*
      - *Mansuetudo siue Clementia, quæ refrenat motũ iræ tendentis in uindictã.*
      - *Modestia, quæ refrenat motus & actus corporales.*
      - *Bona ordinatio, ad quam pertinet discernere quid sit faciendũ, quid dimittendum, & quid ordine sit agendum, & in hoc firmiter persistere.*
      - *Ornatus, quo homo obseruat decentiam, in eo quod agit.*
      - *Austeritas, in colloquijs amicorum, uel quibuscunq; alijs.*
      - *Parcitas secundùm Macrobium, uel per se sufficientia, secundùm Andronicum, qua superflua non requiruntur.*
      - *Moderatio secundùm Macrobium, uel simplicitas secundùm Andronicum, qua homo non nimis exquisita requirit.*
  - *Actus duplex,*
    - *Principalis et propius, qui est moderari cõcupiscentias delectabiliũ tactus.*
    - *Secundarius, qui est moderari alias concupiscentias.*
- *Generalis dicitur, quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, id est, moderationem, quam ponit in humanis operationibus & passionibus, quòd est commune, & in omni uirtute morali.*

Temperan-

TEmperātia gręcè σωφροσύνη.ης.ἡ. & σώφρων.ονος.ὁ. tēperatus dicit. Est autē tēperantia, rationis in libidinem, atq; alios non rectos impetus, animi summa & moderata dominatio, secundùm Ciceronem libro Rhetor.

Temperantiæ partes sunt: Continentia, Clementia & Modestia, secundùm eundem.

Temperantia est moderatio cupiditatū rationi obediens, secundùm eundem libro 2. de finibus bonorum & malorum.

Temperātia est mediocritas circa voluptates corporis, secundùm Aristo. lib. 3. Ethicorum.

Temperantia est affectio coërcens & cohibēs appetitum ab his quæ turpiter appetuntur, secundùm Augustinum de libero arbitrio.

Temperantia est virtus specialis: si sumatur antonomasticè, vt refrenat à maximè alliciētibus. Sed est virtus generalis cōmuniter, sec. B. Tho. secunda secundæ. q. 141. articulo 1. 2. 0.

Temperantia quid à continentia differat, vide in Continentia.

Temperantiæ partes quæ sint, vide suprà in arbore Temperantiæ.

Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ.

Munus temperantiæ est, in coercēdis sedādisque cupiditatibus, quibus contrariamus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius, cuius officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemq; popularem.

Ibidem.

Vir temperatus, in rebus huius vitæ, habet regulam vtroq; testamento confirmatā, vt eorū nihil diligat, nihil per se appetendum putet.

Hieron. & hab. de consec. dist. 5. c. Legimus.

Legimus quosdam, morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, ꝓscriptione bonorum, ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, conualuisse.

Idem contra Ruffinum lib. 3.

Fuganda sunt omnibus modis & abscindēda, languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à ciuitate seditio, à domo discordia, & in commune à cunctis rebus, intemperantia.

Ambrosius lib. de Offic.

In temperantia maximè, honesti cura, decoris consideratio spectatur & quæritur.

Idem de Virgin. lib. 3.

Iuuenem veteres fabulę ferunt, cùm propter admirandam oris pulchritudinem, in amorem incenderet fœminas, vultum exarasse stigmatibus, ne qua eum amare posset.

Seneca in epist.

Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atq; abigit, alias dispensat, & ad sanum modum dirigit, nec vnquàm ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modū cupidorum, nō quantum velis, sed quantum debeas sumere.

Cicero lib. 1. de Finibus bono. & mal.

Temperantia est enim, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem vt sequamur monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum, nō faciendúmue sit: sed stare etiam oportet in eo, quòd sit iudicatum. Plærique autem, quòd tenere, atq; seruare id, quod statuerunt, non possunt, victi & debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec quid prouenturum sit, prouident, ob eamq; causam propter voluptatem, & paruam, & non necessariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt. Sæpè etiā legum, iudiciorumq; pœnis obligantur. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, vt nulli propter eas dolores consequantur, & qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiunt nō esse faciendū: hi voluptatem maximā adipiscuntur prętermittenda voluptate. Ijdem etiam dolorem sæpè perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter se fugiendā esse, temperantiamq; expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur.

Idem lib. 3 de Natura deorum.

Temperantia cōstat ex prætermittendis voluptatibus corporis.

Aristot. lib. 3. Topicorum.

Temperātia magis est ligenda in iuuenibus, quàm in senioribus: quia iuuenes plus quàm senes concupiscentijs molestantur.

Pythagoras.

κρατεῖν δ᾽ εἰθίζεο τῶνδε,
γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης.
καὶ θυμοῦ. id est.

Imperare assuesce te his:
Ventri quidem primum, & somno, libidiniq;
Et iræ.

Plautus in Pœnulo.

Hoc vnum tamen cogito: Modus omnibus rebus optimus est habitu. Nimia omnia nimiū exhibent negotium hominibus ex se.

TEmpus græcè χρόνος.ου.ὁ. & χρονικός.οῦ.ὁ. temporalis dicitur. Est autem tempus numerus motus, secūdùm priùs & posteriùs, Aristoteles lib. 4. Physicorum.

Tēpus est in primo motu cœli, sicut in subiecto & primo mensurato, secundùm B. Thom. prima parte quæst. 10. art. 6.

Ecclesiast. cap. 3.

Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est. Tempus occidendi & tempus sanandi.

Idem cap. 8.

Omni negotio tempus est & opportunitas.

Paulus ad Galatas cap. 5.

Dum

Dum tempus habemus operemur bonum.

Idem ad Collossenses cap.4.

In sapientia ambulate redimentes tempus.

Idem ad Ephæsios cap.5.

Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimētes tēpus.

Actuum Apostolorum cap.1.

Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in potestate sua, sed accipietis virtutē spiritusancti superuenientis in vos: & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.

Augustin. de uerbis Domini, sermone 1.

Fragiliores sumus vase vitreo. Quia etsi casus vitro timeatur, non tamen senectus aut febris.

Idem lib.1. de Doctrina Christ.

Inter tēporalia & æterna hoc interest, quòd temporale plus diligitur antequàm habeatur, vilescit autem cùm aduenerit: non enim satiat animam, cui verax & certa fides æternitas. Aeternum autem ardentiùs diligitur adeptum quàm desideratum. Nulli enim desideranti cōceditur plus de illo æstimare quàm se habet, ne vilescat cùm inuenerit: sed quantum quisque veniens æstimare potuerit, plus perueniens inuenturus est.

Hieronymus super Hieremiam lib.2.

Nil longum quod finem habet, æternitati comparatum omne tempus breue est.

Idem super illud Ecclesiastici 29. Non est dicere hoc nequius illo.

Omnia enim in tempore suo comprobantur.

Ibidem.

Ne dicas priora tēpora meliora fuêre quàm nunc sunt, virtutes faciunt dies bonos, vitia malos.

Seneca epist.67.

Fluunt oīa, & in assidua diminutione sunt, corpora nostra rapiuntur fluminū more. Quicquid vides, currit cum tempore, fluida est materia & caduca, & omnibus obnoxia casibus.

Idem in Prouerbijs.

Omnia aliena sunt, tempus tantùm nostrum est, quotidie deterior posterior dies.

Cicero lib.5. de Fin. bono. & malorum.

Omnium rerū principia parua sunt, sed suis progressibus vsa augentur.

Idem lib. de Senectute.

Horę quidem cedunt & dies, menses & anni, nec præteritū tempus vnquàm reuertitur, nec quid sequatur sciri potest.

Isocrates ad Dæmonicum sermone admonitorio.

τὸ γὰρ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν. id est.

Intempestiuum enim ubiq; molestum.

Sophocles in Aiace.

ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τ' ἀνθρώπεια. id est.

Dies deprimit & extollit rursus
Omnia humana.

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος, *Ibidem.*
φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται. id est.

Omnia longum & innumerabile tempus
Producit in lucem occulta, & manifesta occultat.

Ibidem.

πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε καὶ φλέγει, id est.

Omnia longo tempore flaccescunt & consumuntur.

Idem in Oedipode.

χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος. id est.

Tempus iustum uirum ostendit solùm.

Ibidem.

πάντα γὰρ ἐν καιρῷ καλά. id est.

Omnia enim in tempore bona.

Periander.

μὴ πίστευε χρόνῳ. id est.

Ne credas tempori.

Menander.

ἤθους δὲ βασανός ἐστιν ἀνθρώποις χρόνος. id est.

Moris autem iudex est hominibus tempus. *Idem.*

ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. id est.

Ducit autem ad lucem ueritatem tempus. *Idem.*

μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς ἔχει. id est.

Longum enim æuum calamitates multas habet.

Idem.

πάντ' ἀκαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει. id est.

Omnia detegens tempus ad lucem fert. *Idem.*

σύμβουλος οὐδείς ἐστι βελτίων χρόνου. id est.

Consiliarius nullus est melior tempore. *Idem.*

χρόνῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται. id est.

Tempore omnia fiunt & iudicantur. *Idem.*

χρόνος δὲ ἀναιρεῖ πάντα καὶ λήθην ἄγει. id est.

Tempus autem aufert omnia, & obliuionem inducit.

Plato.

αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν
οὔνομα, καὶ μορφήν, καὶ φύσιν, ἠδὲ τύχην, id est.

Tempus omnia fert, longum tempus nouit mutare
Nomen & formam, & naturam & fortunam.

Ex primo Epigrammaton.

τῆς ὥρας ἀπόλαυε, παρακμάζει ταχὺ πάντα,
ἓν θέρος, ἐξ ἐρίφου χαιτήεντ' ἔθηκε τράγον, id est.

Pulchritudine fruere, deflorescunt cito omnia.
Aetas ex hœdo asperum facit hircum.

Ibidem.

τὸ ῥόδον ἀκμάζει βαιὸν χρόνον, ἢν δὲ παρέλθῃς
ζητῶν εὑρήσεις οὐ ῥόδον, ἀλλὰ βάτον. id est.

Rosa uiget breue tempus. Si autem præterieris,
Quærens inuenies non rosam sed spinam.

Virgil. Aeneid. lib. 10.

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ, sed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus.

Horat. carminum lib.3. Ode 6.

Damnosa quid non imminuit dies?

Idem Epist. lib.1. epist.2.

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones,

Vt teipsum serues, non expergisceris? atqui
Si nolis sanus, curres hydropicus, & ni
Posces ante diem librum cum lumine: si non
Intendes animum studijs, & rebus honestis,
Inuidia uel amore uigil torquebere, nam cur
Quæ lædunt oculos festinas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet, sapere aude,
Incipe, uiuendi qui rectè prorogat horam.
Rusticus expectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne uolubilis æuum.

Terentius comœdia 3.

Dies adimit ægritudinem hominibus.

Ouidius Artis lib. 1.

Tempore difficiles ueniunt ad aratra iuuenci,
Tempore lenta pati frena docentur equi.
Ferreus aßiduo consumitur annulus usu:
Interit aßidua uomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Idem Tristium lib. 4. Eleg. 5.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore pœnorum compescitur ira leonum:
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet.
Quæq; sui iußis obtemperat Inda magistri,
Bellua, seruitium tempore uicta subit.
Tempus ut extentis tumeat facit uua racemis
Vixq; merum capiant grana, quod intus habent,
Tempus & in canas semen producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore, facit.
Hoc tentem tenuat terram renouantis aratri.
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sæuas paulatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœstaq; corda leuat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa uetustas,
Præterquàm curas attenuare meas.

Idem in Ponto lib. 3. Eleg. ult.

Læta ferè lætus cecini, cano tristia tristis,
Conueniens operi tempus utrunq; suo est.

Idem lib. 4. Elegia 8.

Tabida consumit ferrum, lapidemq; uetustas,
Nullaq; res maius tempore robur habet.

Idem Metamor. lib. 9. fab. 11.

Forsitan & mißi sit quædam culpa ministri,
Non adijt aptè, nec legit idonea, credo,
Tempora, nec petijt horamq; animumq; uacantem.

Tibullus lib. 1. Elegia 4.

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uuas,
Annus agit certa lucida signa uice.

AMANTIVS. *Aristot. in libello de Virtutibus.*

Illiberalitatis quoq; genera tria sunt: Turpilucrium, Parcitas, & Tenacitas.

Turpilucrium, quo querere, lucrumq; ex rē qualibet facere nō pudet, plurisq; lucrū quàm ignominiia est. Græcis αἰσχροκέρδεια.

Parcitas autem, qua honestas necessariasque ad res nostra minimè sustinemus impendere, id est. Φειδωλία δ' ἐστι καθ' ἣν ἀδάπανοι γίνονται τῶν χρημάτων εἰς τὸ δεῖν.

Tenacitas, qua impendunt quidem, tenuiter verò maligneque, adeò plus vt incommodent, dum sumptus in tempore non faciunt. Græcis vocatur κιμβεία.

Appollodorus Atheniensis comicus.

O di fortunam iunctam infortunato corpori: Si quis enim per diuitias suauiter agere potest, miserè tamē viuit: quid aliud quàm fortunā accuses, quod se homini infortunato sociauerit?

Idem.

Ego non opes, quantæ sint, aspexerim, sed hum, qui ipsas posſidet, superior: vt dominus sit possessis.

Euripides in Antiope.

Si quis fortunatus & opulentus,
Nihil egregium domi instituat,
Hunc ego nequaquam beatum nominauerim,
Sed potiùs felicem diuitiarum custodem:
Inhumana est imperitia, in statu miserabili quidē lachrymas
Fundere: hæc uerò est malitia, cū opes affatim suppetāt,
Neminem mortalium beneficijs demereri, parcitate uictum improba.

Idem in Danae.

Quisquis domi rem gaudet abundare,
Et uentrem intereà defraudans, corpus miser macerat,
Is mihi sacrilego melior non esse uidetur,
Neq; parricida, aut sanguine iunctis inimico.

Philemon.

Si præsentibus non utimur,
Absentia quærimus: his quidem nostra culpa,
Illis uerò per fortunam priuabimur.

Menander.

Nunquam prædiuitem felicem existimaui
Hominem, bonis qui non uteretur suis. *Idem.*
Ne lucrum undiq; captes, sed pudor adsit,
Quò minùs per nephas cōquiras opes, semper sibi timet.
Te miser ille, qui præ parcitate
Odium sibi peperit, partis opibus duplo maius.

Theocritus in εἰδύλλοις.

Κάλλιον ὦ πιμελητὰ φιλάργυρε τὸν φακὸν ἕψειν,
μὴ πιτάμνης τὰν χεῖρα διὰ πρίων τὸ κύμινον. id est:
Decoque lenticulam, satiùs tibi pastor auare,
Quàm læsisse manus resecas dum fasce cyminum.

Menander in pseudo Hercule.

ἀτοργίαν ἔχει τινὰ ὁ σκληρὸς βίος. id est.
Inhumana res est duritas uitæ.

Apollodorus in Apocarterante.

ἀλλὰ σχεδὸν καὶ τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
εἴρηκας. ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ' ἔνι. id est:

propes

Propemodum caput malorum nominasti.
Auaritiæ etenim insunt omnia.

Antiphanes.

O infœlices illos, quibus lucri ergò
Turpia uidentur honestis præferenda:
Quippe prudentia accipiendo obnubilatur. Id est
ὦ δυστυχεῖς ὅσοισι τοῦ κέρδους χάριν,
ἔπειτα προσθε τἀισχρὰ φαίνετ᾽ εἶναι τῶν καλῶν,
ἐπισκοτεῖ τῷ φρονεῖν τὸ λαμβάνειν.

Menander in Dyscolo Comœdia.

Diuitias rem instabilem commemoras:
Eas si tibi mansuras censes,
Perpetuò custodi, neq; cuiquam
Hominum communices, solus ipsarum tibi dominus:
Si uerò ne teipsũ quidẽ, licet omnia fortunæ bona habeas,
Quid est, ô pater, quod inuideas alicui?
Fortuna enim alij fortaßis alicui indigno,
Omnia quæ tute nunc habes, te spoliato donabit:
Quapropter sentio oportere te quàm diu
Dominus es, & ipsis liberaliter uti pater,
Omnibus opem ferre, dites efficere
Per te quàm plurimos ut possis amicos:
Hæc enim uirtus immortalis est: atq; si fortẽ
Exutus omnibus fortunis fueris,
Iterum ab illis, quos antè beasti, capies.
Longè præstantior est aperta uiri amicitia.
Quàm opertæ auari diuitiæ, quales tu defodisti.

Eusebius Sardus.

Vir, cui magnæ sunt opes reconditę, quibus pro suo arbitrio ad res necessarias vti non audeat, similis est ærario questori, publicum thesaurum suum esse persuaso: quantum enim ad opinionem, ex æquo vterq; diues est, vsum verò diuitiarum, qui proprius est possidenti, non hic magis quàm ille habet.

Theopompus.

Si dominus amplissimæ fortunę tristem vitã transigat, ne ille mihi omniũ qui sunt, quiq; futuri sunt hominum, est miserrimus. Id est
εἴ τις πλεῖστα τῶν ἀγαθῶν κεκτημένος μετὰ τοῦ λυπεῖσθαι διάγοι τὸν βίον ἁπάντων ἂν εἴη καὶ τῶν ὄντων, καὶ τῶν ἐσομένων ἀθλιώτατοι.

Democritus philosophus.

οἱ φειδωλοὶ τῶν τῆς μελίσσης σίτον ἔχουσιν ἐργαζόμενοι ὡς ἀεὶ βιωσόμενοι Id est

Qui parci prę er modum sunt, instar apicularum operantur, tanquam perpetuò victuri.

Idem.

φειδὼ δὲ καὶ λιμὸς χρηστὴ ἐν καιρῷ δὲ καὶ δαπάνη γινώσκειν δὲ ἀγαθοῦ. Id est.

Parsimonia & esuries, bona, suo aũt tempore: sumptus etiam porrò vir bonus discernet.

Idem.

Stolidi Parthorum filij, vbi quid à patria consuetudine exquisita, & illa tenaci deciderint, perire solent, non secus quã qui inter gladios saltant, si vel semel aberrauerint in vnico gladio, vbi pedibus niti debeant, intereunt. Est verò difficilimum ne in vno quidem aberrare, cùm sola pedum angusta vestigia relinquantur.

Antiphon.

εἰσὶ τινὲς οἱ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι, οὐ τὸν παρόντα καὶ ἐν τούτῳ περιλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται. Id est.

Non desunt, qui pręsentem vitam non viuunt, sed magno studio se parant, ceu vitam quandã aliam victuri: interea tempus ipsos deserit.

Methodorus.

Aliqui in vita pręparant, quę ad vitam pertinent, victuri post id, quod viuere dicimus: non aduertentes lęthale nobis omnibus ipsam generationis infusum esse pharmacum.

Democritus.

βίος ἀνεόρταστος μακρὰ ὁδὸς ἀπανδόχευτος. Id est.

Vita sine festiuitatibus, longa est sine diuersorijs via.

Plutarchus Cheronensis.

Veruntamen auaritia & tenacitas cogit aliquos domi repressis cupiditatibus apud alios ingurgitari sumptuosis alimonijs, iisq; frui, ceu bello partis strenuè cómessando: Deinde malè affecti, postridianam cruditatem pro mercede ingurgitationis habentes.

Socrates.

ὁ τοῦ φιλαργύρου πλοῦτος ὥσπερ ὁ ἥλιος κατὰ δυσμὸν εὐφραίνει οὐδένα τῶν ζώντων. Id est.

Hominis auari diuitiæ, quemadmodum sol post occasum, neminem viuentium exhilarant.

AVARI SVNT TVTORES ET CV*stodes, non domini pecuniarum, & uita illorum similis est conuiuio Funerali.*

Theocritus.

Τοὺς πολλοὺς τῶν πλουσίων ἔλεγεν ἐπιτρόπους εἶναι, ἀλλὰ μὴ δεσπότας τῶν χρημάτων. Id est.

Dicebat multos diuites, non dominos rerum suarum, sed tutores esse.

Eusebius sardus.

Virum, qui magnas opes reconditas habuerit, nec aliam ob causam, quàm vt reponat, conquirentem, quo semper aliquid præsẽtibus addat, etsi locupletẽ, nihil tamẽ neq; sui, neq; alterius vtilitatis gratia insumentem, haudquaquàm diuitem esse dixerim, sed custodem, & alienis cõparandis natum, qui sæpenumerò sibi labores creet, & res nihil ad se pertinentes augeat.

Xenophon Orator.

Vt autem & hoc scias, ô Crœse, ego non illos, qui plurima habent & custodiunt plurima, fœlicissimos existimo: nã hoc pacto, qui mœnia tuentur felicissimi forent, vt qui omnia in ciuitatibus custodiãt: sed eum, qui tum plurima iure possederit, tum plurimis honestè fuerit vsus, quòd ad pecunias attinet, felicissimũ esse statuo.

Socrates philosophus.

Auarorum vita ſimilis eſt funerali conuiuio: omnia enim cùm habeat, hominem, qui præſentibus hilariter fruatur, non habet.

Epicurus philoſophus.

Semel nati ſumus, bis naſci nõ licet, ſed neceſſarium eſt ætatem finiri: Tu verò, qui ne craſtinũ diem quidẽ in tua poteſtate habes, tẽpus differs. Omnium verò vita cunctãdo perit. Et hinc eſt, quòd vnuſquiſq; noſtrũ inter negotia moritur.

Antiphon.

Fama eſt, quòd cùm vidiſſet quidam alterum argenti multum ferre, rogauerit eũ, vt ſibi mutuò daret, cum fœnore reddẽdum: ille verò noluit, vt qui diffideret omnibus, & neminem iuuaret: Itaq; quodam in loco argentum recondit & cũ animaduertiſſet quidã quid egiſſet, ſuffuratus eſt. Reuerſus igitur ille poſteà, qui pecuniam abſconderat, nihil inuenit, vnde magno dolore motus eſt, ob calamitatem, tum & aliâs, tũ quia roganti non mutuò dederat pecunias, quę quidem ei ſalua mãſiſſet, & inſuper attuliſſet fœnus: Cumq; incidiſſet in virũ, cui mutuare antè noluerat, infortunium ſuum deplorauit, vtpote qui peccaſſet, & pœnitere ſe dixit, quòd ei non obſequutus, ſed ingratus fuiſſet, & prorſus ei omne argentum interijſſe. Ille autem bono animo ipſum eſſe iuſsit, atq; exiſtimare lapidem eodem loco depoſitum fuiſſe: omnino enim ne cũ habebas quidem argentũ, eò vtebaris: quam obrem etiam nunc ne putaueris te vlla re priuari. illud enim quo quis nec vſus, nec vſurus eſt, nihil ſiue præſens, ſiue abſens magis minuſúe lædit. Nam cũ Deus alicui non perfectè bona largiri inſtituit, exhibita pecuniarum copia, bonæ mentis inopem facit, atq; ita ablato altero vtriſq; priuat.

Iouianus Pontanus de auaritia, & auaris, in libr. de liberalitate.

Illud autem de auaris rectè dictũ conſtat, eos nec ſibi cõmodos eſſe, nec alijs: quibus tametſi comparandis conſeruandiſq; pecunijs nimium ineſt ſtudium, dandi autem voluntas minima: non ęquè tamen habendum ad rem idem conſilium eſt omnibus. ſunt enim qui rebus ſuis parcentes, ſummo etiam ſtudio rei familiari conſeruandę intendi, & quàm poteſt minimum de ſuo impendentes, ab alienis contineat, bonitate quadam naturę ita victi, vt re ſua contenti, nihil turpè, nihil contra leges, contraq; humanitatem habendi gratia faciant. Hos nominare parcos conſueuimus, eamq; animi inſtitutionem maiores noſtri dixêre parſimoniam, quę in priuatis quibuſdam tenuiq; in re conſtitutis, ac laborantibus multitudine liberorum, humaniſq; neceſsitatibus circumuentis, laudari meritò poteſt. In regibus verò ac principibus & ijs ciuibus, quorũ res eſt opulentior, atq; auctoritas maior, quo modo laudari poſsit tam minuta diligentia, quę panis etiam miculas colligit, nequaquã video.

Sergium Galbam quanquam alieni nõ appetẽtem, iure tamen ætas illa plurimũ carpſit, quòd ſuę quidem pecunię parcus cùm eſſet, publicè etiam auarus foret: neq; enim aut ſęcula illa, dignitaſq; ſenatoria, aut opulẽtum Galbę patrimonium, eam parcendi ac conſeruandi diligẽtiam, nec aurea ſella tantam è publico auaritiam patiebatur.

Didij Iuliani maximi & potentiſsimi viri ſordes quis ferat? qui porcellum, leporemúe dono ad ſe miſſũ in triduanas partiretur cęnas, ſæpè etiam, cùm nulla religio aut abſtinendi cauſa ſubeſſet, leguminibus obleribuſq; ſolis contẽtus cænaret.

Pertinax Auguſtus dimidiatas lactucas & carduos apponere conuiuis eſt ſolitus: ac ſi quando ad amicos de cęna mitteret, binas tantũ offulas, aut paucula poma: atq; vbi opiperè magis egiſſe videri vellet, gallinaceos lũbos mitteret.

Iouianus Pontanus de liberalitate.

Plura eſſe auarorum genera. Inter cęteros tenaces maximè fuiſſe ſordidum Martinum Pontificem: hunc enim clanculum cereos ſolitũ extinguere, qui in diuerſis Baſilicę locis ſuccenſi à miniſtris eſſent, nocturni luminis gratia. Porrò eundem, vt oleo parceret, inſtituiſſe, vt crudi familiaribus piſces à diſpenſatore in ſportula traderentur, quos antea coctos prębere mos fuiſſet: Vnde hodie quoq; decantari familiaris cuiuſdam eius verſiculum:

Vnam quiſq; ſuam digitis contrectat arengam.

Quam autem ridicula ac miſera talium virorũ vita ſit, Euclio ille Plautinus docet, qui aquam plorat effundere, qui vnguium præſegmina à tonſtrina domum referat.

Bentinus uertit.

Aurum qui reperit, laqueum abijcit, alter amiſſo
Auro, collo aptat, quem reperit, laqueum.

Auſonius.

Theſauro inuento, qui limina mortis inibat,
Liquit ouans laqueum, quo periturus erat:
At qui quod terræ addiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum inuenit, nexuit & perijt.

Εις φειδώλους ἄδηλον.

πλουτεῖν φάσι σε πάντες, ἐγὼ δὲ σε φημὶ πένεσθαι·
χρῆσις γὰρ πλούτου μάρτυς ἀπολλόφανες
ἂν μετέχῃς αὐτῶν σὺ τὰ γίγνεται, ἂν δὲ φυλάττῃς
κληρονόμοις, ἀπὸ γῆν γίγνεται ἀλλότρια. Id eſt:

Te ditem appellant omnes, ego planè inopem te,
Nam facit uſus opes teſtis Apollophanes:
Si tu utare tuis, tua fiunt, ſin tua ſerues
Hæredi, tu iam nunc aliena facis.

Εις φιλαργύρους.

πλάτωνος οἱ δὲ Ἀντιπάτρου.

Χρυσὸν ἀνὴρ, ὁ μὲν εὗρεν, ὁ δ᾽ ὤλεσεν ὧν, ὁ μὲν εὑρὼν
ῥίψεν, ὁ δ᾽ οὐχ εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Στατυλλίου φλάκκου.

χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπε βρόχον, αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
ὃν λίπεν

ἐν λίπεν οὐχ εὑρὼν ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Laërtius interpres.

Deposuit laqueos aurum uir nactus: at aurum
Non nactus, laqueis tristia colla ligat. *Ausonius.*
Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum.
Thesauriq; loco deposuit laqueum.
At qui condiderat postquam non reperit aurum,
Aptauit collo quem repperit laqueum.

Erasmus in Chiliadibus, in prouerbio: Sera in fundo parsimonia, ita vertit:

Plena ubi dolia sunt, aut iam propè inania uini
Tum satiare, sed in medio fac parcior esto:
Absurdum siquidem & graue in imo parcere fundo.

Allusit huc Persius Satyricus 2. satyra.

Donec deceptus & expes
Nec quicquam fundo suspiret summus in imo.

Theocritus in Charitibus.

κενεᾶς ἐπὶ πυθμένι χηλοῦ. Id est: Vacuæ fundo capsæ: Scrinium inane significans.

Seneca hanc prouerbialem sententiam in 1. epistola refert: Sera in fundo parsimonia: digna profectò quæ omni scrinio, omni cado, omni cellæ penuariæ inscribatur. Admonet in tempore parcendum rebus necessarijs, neq; imitandum profusorum vulgus, qui tum deniq; incipiunt parcere, postquam viderint minimũ superesse.

Cicero in paradoxis, cap. Quod solus sapiens sit diues.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.

Dij immortales, non intelligunt homines, quàm parsimonia magnum sit vectigal.

Salomon in prouerb cap. 13.

Opes prodigalitate minuuntur, & parsimonia augentur.

Lucianus.

ὡς τεθνηξόμενος, τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
ὡς δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶν κτεάνων.
ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας
φειδοῖ, καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο. Id est:

*Tanquam morit*urus *tuis bonis fruere,*
Tanquam autem uicturus, parce tuis possessionibus.
Est autem uir sapiens hic, qui ambo hæc cognoscens,
Parsimoniæ et sumptui mensuram parauit.

Thomas Morus ita reddidit uersibus Elegiacis.

Vtere diuitijs tanquam moriturus, & idem
Tanquam uicturus parcito diuitijs.
Parcere diuitijs qui tempore nouit & uti,
Ille modum seruans inter utrunq; sapit.

TEMPORIS IACTVRA grauißima.

Seneca lib. 9. epistolarum.

ITA fac ergo, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serua. Persuade tibi hoc sic esse, vt scribo, quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædã effluunt: turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit, etsi volueris attendere, maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, tota vita aliud agẽtibus. Quem mihi dabis, qui aliquod precium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus, magna pars eius iam præterijt, quicquid ætatis retrò est mors tenet. Fac ergo mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno manũ inieceris: Dũ differtur, vita trãscurrit. Oĩa mi Lucili aliena sunt, tempus tantũ nostrũ est, in huius rei vnius fugacis ac lubricæ possessionẽ natura nos mittit: ex qua expellitur quicunque vult, & tanta stultitia mortalium est, vt quæ minima & vtilissima sunt, certè reparabilia imputari sibi cùm perire patiantur. Nemo se iudicat quicquam debere, qui tempus accepit: cùm interim hoc vnum est, quod nec gratus quidem potest reddere &c.

M. Varro dicere solebat, nullam iacturam esse grauiorẽ, præsertim scienti, quàm temporis.

AETATE FRVENDVM.

Seneca in Hippolyto Tragœdia.

Aetate fruere, mobili cursu fugit.
Optimos uitæ dies
*Effluere prohibe, propria des*cribit *Deus*
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Idem in eadem Tragœdia.

Dum licet, utere: tempus sed tacitum subruit, horaq;
Semper præterit deterior subit.

HODIE VIVENDVM.

Marcialis lib. 1. ad Iulium.

Non benè distuleris, uideas quod posse negari,
Et solùm hoc ducas, quod fuit esse tuum.
Expectant curæq; catenatiq; labores,
Gaudia non remanent, sed fugitiua uolant.
Hæc utraq; manu complexuq; assere toto
Sæpè fluunt, immò sic quoq; lapsa finit.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, uiuam,
Sera nimis uita est crastina, uiue hodie.

Virgil. in 3. Georgicorum.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui.
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus.
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Eodem libro.

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Idem 10 Aeneidos.

Ouidius lib. 15. Fabula 4.

Plenaq; uentis
Vela dedi, nihil est toto quod perstet in orbe:
Cuncta fluunt, omnisq; uagans formatur imago:
Ipsa quoq; assiduo labuntur tempora motu,

Non secus ac flumen, neq; enim consistere flumen:
Nec leuis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
Vrgeturq; eadem ueniens, urgetq; priorem:
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur,
Et noua sunt semper, nam quod fuit antè relictum est,
Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta nouantur.
Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas
Omnia destruitis, uitiataq; dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Ouid. lib. 6. Fastorum.

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Eodem libro.

Eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præterijt, hora redire potest.
Vtendum est ætate, citu pede labitur ætas:
Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Idem lib. 3. de sine titulo.

Labitur occultè, fallitq; uolatilis ætas,
Et celer amissis labitur annus equis.

Seneca in Hippolyto.

Chorus uolat ambiguis mobilis al s
Hora, nec ulli præstat uelox fortuna fidem.

Ausonius ad Gallam puellam.

Senescimus, effugit ætas,
Obrepit non intellecta senectus
Nec reuocare potes, qui periêre dies.

Idem.

Miramur perijsse homines: monimenta fatiscunt.
Mors etiam saxis nominibusq; uenit.

Erasmus Centuria 2. Chiliadis primæ.

Seruire scenæ prouerbialiter dicitur, pro eo quod est seruire tēpori, & rebus præsentibus sese accommodare. Translata ab histrionibus fabularum metaphora, qui non suopte ingenio agunt, sed hoc vnum spectant, vt quouis modo populi oculis placeant, alioqui explodendi, exibilandique.

Cicero in epist. ad Brutum, cuius initium:
Fungerer eo officio &c.

Tibi nūc populo & scenæ, vt dicitur, seruiendū est: nā in te nō solū exercitus tui, sed omniū ciuium ac penè gentium coniecti sunt oculi.

Porrò seruiendū esse tempori viro sapienti, monuit & Phocylides.

καιρῷ λατρεύειν μηδ᾽ ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν. Id est:

Temporibus semper cautus seruire memento,
Nec restare uelis aduersum flamina uenti.

Metaphora hæc ducta est à nauigātibus, quos necesse est semel ingressos mare, ventorū atq; æstus arbitrio ferri, frustra conaturos si velint aduersus ista pugnare. Huic affine est: vti foro, pro eo quod est præsentem rerum statum boni consulere, & vtcunque sese obtulerit fortuna, ita animum applicare.

Terentius in Phormione.

Scisti vti foro. Donatus vulgare prouerbiū admonet esse, ductamq; metaphorā à mercatoribus, qui nō ante locū commertij præscribūt quāti vendūt, quæ aduehūt, sed secundū annonā fori, quam deprehenderint, consiliū de nō vendendis, aut vendendis mercibus sumunt.

Seneca.

Vtamur foro, & quod sors feret, æquo feramus animo.

Polypi mentem obtine.
πουλύποδος νόον ἴσχε.

Prouerbium, quo iubemur pro tempore, alios atq; alios mores, alium atq; alium vultū sumere: Quod in Vlysse videtur Homerus laudare, qui eū πολύτροπον appellat, id est, moribus versatilibus. Adagiū natū à piscis huius ingenio, de quo meminit Plinius li. 9. ca. 29. Lucianus in sermone Menelai ac Prothei, scribunt illū mutare colorē, maximè in metu: nā persequētibus piscatoribus, petris affigit sese, & cuicunq; petræ adhæserit, eius colorē corpore imitatur, videlicet ne queat deprehēdi. Sumptū hoc prouerbiū ex Theognide, cuius hoc est distichon de Polypo, quē citat Plutarchus in libello περὶ πολυφιλίας, id est, de multorum amicitia.

πουλύποδος νόον ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
τῇ προσομιλήσει, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη. Id est:

Mentem habeat uafri Polypi, qui protinus illa,
Si quibus admouit saxis, colore refert.

Clearchus in prouerbijs, teste Athenæo, citat hoc distichon tacito autoris nomine.

πουλύποδός μοι τέκνον ἔχων νόον Ἀμφίλοχ᾽ ἥρως
τοῖσιν ἐφαρμόζων ὧν καὶ πρὸς δῆμον ἵκῃς. Id est:

Polypi ingenio mihi sis nate Amphiloche heros,
Vt temet populo quemcunq; accesseris aptes.

Citat idem carnem Plutarchus ex Pindaro, vnde & versus ille prouerbialis celebratur.

ἄλλοτε δ᾽ ἀλλοῖον τελέθειν καὶ χώρου ἕπεσθαι. Id est:
Proq; loco nūc hunc fieri, nunc expedit illum.

Qui nos admonet, vti nos ad omnem vitæ rationem accommodemus, ac Protheum quendam agamus, prout res postulabit, in quamlibet formam transfiguremus. *Plutarchus.*

ἀλλοῖος γίνομαι. Id est: In diuersam sententiā eo.

Aristophanes in Phito, monet viuendum esse, τρόποις ἐπιχωρίοις, id est, moribus, regioni ac vernaculis. Eodem pertinet & illud: νόμος καὶ χώρα, id est: Lex etiam ipsa regio.

Philippi filius Alexāder in Calisthenē philosophū, nequaquā sese accōmodantem aulæ regiæ moribus, sed & dictis & gestu p[ræ] se ferentē nihil ibi placere, dixit hunc versiculum.

μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Id est:
Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil.

Erasmus lib. 4. Apohpthegmatum.

Referunt historici in Alcibiade felicissimā quandam & admirandam fuisse morum & ingenij dexteritatē, qui si Polypū agebat, vt Athenis dicterijs & salibus luderet, equos aleret, comi-

comiter & eleganter viueret, Idem apud Lacedæmonios radebatur, pallium gestabat, frigida lauabat, apud Thraces belligerabatur ac potabat: vbi verò peruenisset ad Tisaphernem, delicijs, mollicie, fastuq; iuxta gentis morem est vsus.

Est quædam difficilis ac præfracta morosaq; simplicitas imperitorum, qua postulant, vt omnes vbiq; ipsorum duntaxat moribus viuãt, & quicquid alijs placet, id damnant: immemores adagij illius, νόμοσ καὶ χώρα. quo significat̃, vnicuiq; regioni quædam peculiaria esse instituta, quę hospites nõ damnare, sed pro virili nostra imitari debeamus: neq; autem quisquam existimet hoc adagio doceri fœdam adulationẽ, qua quidem omnibus omnia assentantur, aut vitiosam morum inęqualitatem, quam Horatius eleganter taxat in sermonibus: quanquam historici notant in Catilina, atq; in Anedio Cassio imperatore, deniq; licère diuinę, in quouis improbo, cùm aiunt: Stultum perinde ac Lunam immutari, cùm sapiens Solis exemplo sui semper sit similis.

Rursum est honesta quędam ratio, quam boni viri nonnunquam moribus alienis obsecundant, ne vel odiosi sint, vel prodesse nõ possint, aut vt è magnis periculis semet aut suos eximãt: Quemadmodũ fecit Vlysses apud Polyphemũ multa simulans, apud Procum mendicũ agens. Item Brutus adsimulata stoliditate: David etiã simulata insania. Quin & D. Paulus Apostolus sancta quadam iactãtia gloriatur, hac pia vafricie sese vsum esse, atque omnia factũ omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret.

Nihil tamen vetat in notandis vitijs vsũ Adagij latius trahere, nempe in homines versatili quodam ingenio natos, qui talem vbiq; personam induunt, quales sunt ij, cum quibus contigit agere, quod genus eleganter describit Plautus in Bacchidibus.

Nullus, inquit, frugi esse potest homo,
Nisi qui & bene & malè facere tenet.
Improbus cum improbis sit, harpager
Furibus furetur quod queat:
Versipellem frugi conuenit esse hominem.
Pectus cui sapit, bonis sit bonus, malis sit malus:
Vtcunq; res sit, ita animum habeat.

Eupolis apud Athenæum

Ἀνὴρ πολίτησ πουλύπουσ τον τοῦτον. Id est.
Vrbanus Homo, qui moribus sit Polypus.

Plutarchus in causis moralibus causam reddit cur hoc accidat pisci, vt sese subinde mutet: atque similem quendam Metaphoram duxit à Chameleonte Aristoteles li.1. Moralium: ait enim si quis à fortuna pendeat, cũ illa subinde mutetur, futurũ, vt veluti Chamęleon quispiam identidẽ varietur, nũc felix, nunc miser, vtcunq; sors alio atq; alio vultu respexerit: ita hunc quoq; vultũ atq; animũ mutare. De Chamæleonte meminit Plinius lib.28. cap.8. Scribens hoc animal magnitudine fermè par esse Crocodilo, cæterum spinis acutioribus curuatura & caudæ amplitudine distare: nullum, inquit, animal pauidius est, & ideo versicoloris esse demutationis Plutarchus in comment. de adulatione scribit Chamæleontem quamuis imitari colorem, præterquã candidũ.

Philippides in Philippo.

ὁ κοινὸσ ἰατρὸς σε θεραπεύσῃ χρόνοσ. Id est:
Tempus te sanabit, qui communis est medicus.

Menander Comicus.

πάντων ἰατρὸσ τῶν ἀναγκαίων κακῶν
χρόνοσ ἐστὶν οὗτος καί σε νῦν ἰάσεται, Id est:
Medicus omnium necessariorum malorum
Tempus est, quod tibi quoq; nunc medebitur.

Diphilus.

λύπησ δὲ πάσης γίνετ' ἰατρὸς χρόνος, Id est:
Tempus omni mœstitiæ medetur.

Philetas in Cerere.

ἀλλ' ὅτ' ἐπὶ χρόνος ἔλθῃ. ὅς ἐκ διὸς ἄλγεα πέπτον
ἔλλαχε, καὶ πενθέων φάρμακα μοῦνος ἔχει
καὶ γὰρ τίς πελέσιο κορεσσάμενος κλαυθμοῖο
κήδεα δειλαίων εἷλεν ἀπὸ πραπίδων, id est,
Quum tempus aderit, quod à Ioue ut dolores concoquat
Destinatum est, & solum luctus remedia continet:
Nam qui miserabili fletu satur fuerit,
Ille miseras curas expectorat.

Dies adimit ægritudinem.

Menedemus in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ Terentiana nominatim adagij vice refert, inquiens: profectò ingenio egregiè ad miseriã natus sum, aut illud falsum est, quod vulgò audio dici: diem adimere ægritudinem hominibus, Eodem spectasse videtur, Sophocles in Aiace Flagellifero χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός, Id est: Tempus enim facilis deus, videlicet q̃ omnia leniat, molliatque.

Ouidius.

Quod male fers, assuesce, ferre bene multa uetustas
Lenit. *Euripides in Alcestide.*

χρόνος μαλάξει σε, Id est: Tempus dolorẽ leniet. Erasmus in Chiliad.2. Centuria. 5.

Virgilius in elegia de obitu
Mæcenatis.

Tempora dispensat usus, & tempora cultus,
Hæc homines, pecudes, hæc moderatur aues.

Ouidius lib. 1. de remedio amoris.

Temporibus medicina ualet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore uina nocent.
Quin etiam accendas uitia irritesq; uetando,
Temporibus si non aggrediare suis.

Celtis lib. 4. Amorum, elegia 14. ad Barbaram.

Sed uelut à libræ descendens sydere Phœbus,
Mundus habet cœlo languidiore dies
sic mea iam uergens sub sydera pigra Bootes
Aetas, iam teneris uiribus ægra caret.

Nec Triuges sic pellit equos per Pannonis oras
Vngarus, ut celeri tempora nostra fluunt.
Omnia tempus alis, rapis omnia nata per orbem,
Omnia perpetuo cardine sæcla ferens.
Tempore languescunt flores, & tempore surgunt,
Tempore mammosum pectus abire solet.
Pratorum spoliatur honos, cum tempore pallent
Gramina, & effœta terra fatiscit humo.
Sic mihi iam solidæ tenuantur tempore uires:
Enecat Herculeos curua senecta uiros.

Epithaphium Diogenis Philosophi.

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπὸ χρόνου, ἀλλὰ σοῦ δυτι
κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν διόγενες καθελεῖ
μοῦνος ἐπεὶ βιοτᾶς αὐτάρκεα δόξαν ἔδειξας
θνητοῖς καὶ ζοῆς οἶκων ἐλαφρότατον, Id est:
Aera quidem absumit tempus, sed tempore nunquam
Interitura tua est gloria Diogenes.
Quandoquidem ad uitam miseris mortalibus æquam,
Monstrata est facilis te duce, & ampla uia. Laërtius lib. 6. de uitis philosophorum.
De edacitate temporum, Conradus Celtis li. 3. odarum 26. de antiquitate Treueris ad ciues.

O quanta uestris mœnibus inclytis
Obliterata est gloria principum,
Viri Treuerenses, Mosellæ
Qui gelidum bibitis liquorem.
Romam uidebar cernere conrutam,
Rursus ruina dum ferret impiger
Per porticus, portas, & aulas,
Perq; palatia priscorum regum:
Passim, per agros quæ modo concidunt
Feruntq; celsis culminibus suis,
Tholisq; summis atriorum
Arboreos frutices & herbas.
Idola diuûm uidimus inclyta
Inscripta sacris sub titulis suis,
In plateis heu nullo honore
Marmoris recubare saxis.
Sepulchra Græcis uidi Epitaphijs
Inscripta busta & stare sub hortulis,
Et mœnibus sacrata sanctis,
Vrna suprema reperta in ægro est
Auara quid non tempora deuorant?
Tulere metas Herculis Aeneas,
Nos nostraq; inuoluunt ruinis
Perpetuo rapiente cœlo. Luscinius.
In sex procedat labor horas, septima lucis
Graios Zethi monet, uiuere post Genio.

Pictorius.

Dum longum tibi polliceris æuum,
Differs præcipitem referre gressum,
Ne tandem in foueam ruas, memento
Solum temporibus Deum iubere.

Idem ad Laurentium:

Quo te cunq; die nil sancti egisse uidebis,
Hunc tibi Laurenti deperijsse puta.
Ista nec in minimis, ponas dispendia damnis,
Aere potest nullo uel breue tempus emi.

Nulla dies sine linea, Faustus Andrelinus.

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit,
Non decet ignauum præterijsse dies.

Plato de tempore.

αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρονὸς οἶδεν ἀμείβειν
οὔνομα καὶ μορφὴν καὶ φύσιν ἠδὲ τύχην, id est,
Omnia fert ætas: quid enim non deterat æuum?
Fortunam, faciem, nomen & ingenium.

Aliter B. Amantius Doctor.

Omnia fert ætas, fortunasq; formaq; nomen,
Ingenij & dotes quam subito intereunt? Vel sic.
Omnia fert ætas mutant quoq; secula nomen,
Et genus & formam diuitiasq; simul.

ἄδηλον.

τῆς ὥρας ἀπόλαυε παρακάζει ταχὺ πάντα
ἓν θέρος, ἐξ ἐρίφου τρηχὺν ἔθηκε τράγον, id est,
Horis perge frui labentibus, en breuis æstas,
Ex hœdo rigidum perficit una caprum. Aliter.
Aestas una potest hœdum mutare tenellum,
Hircus ut existat, gaudia carpe puer.

εἰσ ὥρας ἄδηλον.

ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετὰ αὐτὰς
γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς

Volaterranus.

Sex horæ tantùm rebus tribuuntur agendis,
Viueq; post illas, littera Zetha monet.

Vincentius Obsopæus.

In sextam labor usq; horam: nam quæ inde notantur
Litterulis, uitæ commoda habere iubent.

Alciatus.

Sex horas iusto constat satis esse labori
Viuere, sed reliquæ Grammata Zytha docent.

TEntatio grecè πειρασμός. ου. ὁ. & πειραστὴς ου ὁ. tentator & πειράζω tento dicitur. Est autẽ tentatio experimẽti sumptio de eo quod tentatur, an sciat vel possit, vel velit, sec. beat. Thom. secũda, secũdę. quest. 97. art. 1. o.

Tentare à teneo deducitur. Et est experiri, exquirere, & verbo & quasi manu tenere. Vel à tendo, vt alij volunt venit. Nam qui tentant, quasi manum, aut aliam corporis partem tendunt.

Paulus ad Corinth. cap 10.

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cũ tentatione prouentũ vt possitis sustinere.

Iacobus in epistola cap. 1.

Beatus vir qui suffert tentationẽ, quoniã cũ probatus fuerit accipiet coronã vitę, quam repromisit Deus diligentibus se.

Augustinus super Psalm 32.

Iustus ex fide viuit, fides tua. iustitia tua, quia vtiq; si credis caues, si autem caues conaris, & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem

tem suam insp cit, & luctam eum carne considerat,& hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certantem spectat, & deficientē subleuat, & vincentem coronat.

Idem super Psalm.60.

Vita nostra in hac peregrinatione nō potest esse sine peccato,sine tentatione, quòd profectus noster per tentationem nostrā fit, nec sibi quisquā innotescit nisi tentat⁹,nec potest coronari nisi vicerit,nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare nisi inimicum & tentationes habuerit.

Idem psalmo 41.

Tantum admittitur diabolus tentare,quantū tibi prodest vt exercearis, vt proberis:vt qui te nesciebas,à te ipso inueniaris.

Idem de uerbis domini sermone 6.

Bonus si fuerit qui tibi pręest, nutritor tuus est,malus si fuerit tentator tuus est.Et nutrimēta libēter accipe,& in tentatione approba te.

Idem in homel. & hab.14.q.5.Forte.

Forte aliquis cogitat & dicit.Multi sunt christiani diuites,auari, cupidi, non habeo peccatū si suū illis abstulero,& pauperibus dedero.Vnde enim illi nil boni agunt, mercedē habere potero.Sed homini cogitatio à diaboli calliditate suggeritur.Nā si totū tribuat pauperibus quod abstulerat, addit potius peccatū quàm minuat.

Gregorius lib.1. moralium.

Antiquus hostis ex proprio certamine dum se succūbere consyderat,ad alia tentationū bella restaurat.Intuet humani generis vniuscuiusq; mores, cui vitio sint propinqui & illa opponit ante faciem, ad quę facilius nouit inclinare mentem.

Idem lib.24.moralium.

Hostis noster quanto magis sibi rebellare cōspicit,tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare neglegit, quos quieto iure se possidere sentit.

Idem lib.31.moralium.

Multos sua peius fœlicitas strauit.Multos diuturna pax victos reddit,eóq; illos inopinatos hostes grauius pertulit, quò longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri cū multa se proficere virtutum prosperitate cōsyderant, quodā supernę dispensationis moderamine exerceri se etiam tentationibus exultant.Quia tāto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt,quanto tentationis impulsu concussi,infirmitatem suam humilius agnoscunt.

Ioannes Chrysostomus super illud Matth.4.

Mitte te deorsum.

Non impulit,non tetigit,sed tantū dixit.Mitte te deorsum, vt intelligamus, quod qui obedit diabolo,ipse se deponit.Diabolus enim suggerere potest,cogere non potest.

Bernardus sermone.39.

Potest inimicus excitare tentationis motū, sed in te est si volueris dare seu negare cōsensum.

Leo papa in sermone.

Non desinit antiquus hostis tentationum laqueos vbiq; prætendere,vt quoquo modo fidē credentium valeat corrumpere.Nouit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virus inuidiæ infundat,cui incitamenta luxuriæ apponat;nouit quem mœrore conturbet,quem gaudio fallat, quē metu opprimat, quē admiratione seducat; omniū discutit mores, omniū ventilat causas, omniū scrutatur affectus,ibi quęrit causas nocēdi, vbi viderit quenquā diligentius occupari.

Idem sermone 35.

Nulla sunt sine tentationū experimēto operā virtutis,nulla sine perturbationibus fides,nullum sine hoste certamen,nulla sine congressione victoria.

Hugo de claustro animæ lib.1.

Quatuor sunt causæ tentationum. Prima est loci amœnitas,vt ciuitates & oppida,quę nō tantùm ex situ loci amęnitatem recipiunt,s.ex habitantium gratia. Secunda verò causa est locus diuitiarum. Vbi enim diuitiæ, ibi periculum. Tertia verò causa est prætiosus ornatus, vt est equorum cura pinguium,& vestimētorum exquisitę varietates.Quarta aū ē mulierū species, quarū vox blandit auribus,& facies oculis.

Theologia gręca dictio est,nā θεός ου ὁ Deus dicitur.& λόγος ου ὁ.sermo,oratio,ratio,verbū studium.Quare theologia est sermo de deo vel diuinis.

Theologia est dignior cæteris scientijs,propter nobilitatem,materiæ certitudinem, & altiorem finem,ex b.Tho. 1 parte.q.1. ar.1.c.

Theologia est doctrina necessaria homini pręter scientias naturaliter inuentas ab eo. secundū eūdem prima parte.q.1.ar.1 o.

De hac materia uide supra in scriptura Sacra.

Tergiuersatio gręcè πανȣ̃ργία ας.ἡ. & πανοῦργος,ȣ ὁ.tergiuersator dicitur. Est autē tergiuersari ab accusatione omnino desistere inordinatè,secun.b.Tho.scūda secūdę.q.66.art.3.c.

Terminus gręcè ὅρος ου.ὁ.& ὁρίζω termino dicitur Est autē terminus propriè signum quo ager ab agro diuiditur. De quo Oui.lib. Fast. Omnis erit sine te litigiosus ager.Quare Numā Pompiliū statuisse ferunt. Si quis terminū exarasset,& ipsum & boues sacros esse. Terminus nonnunquam pro fine accipitur. Cice.Cū nullam tot calamitatibus atq; ęrumni. terminum inueniremus. Hinc termino verbum,cuius cōposita determino, quod est delibero, & quasi cogitationi terminum impono. Et extermino quod est expello, eijcio, & veluti extra terminos mitto. Et distermino quod est diuido. Terminalis lapis est terminus lapidius. Vocant dia

dialectici terminos dictiones ex quibus orationes constituűtur, dicuntq; quòd Terminus est signum orationis constitutiuű, vt pars propinqua eiusdem.

Terra græcè γῆ.ης.ἡ. vel γέα.ας.ἡ & γήϊνος.ου.ὁ. terrenus dicitur. Est autē terra vnű quatuor elementorum: siccum & frigidű & graue & immobile, à Deo ex nő ente ad esse prima die deductű. secundű Ioannē Damasc. lib.2.cap.10.

Terremotus græcè σεισμόσ.ου.ὁ. & causatur principaliter à Deo: secundariò autem à vento impellente alium ventum intra terram. secundùm bea. Tho. super psal.12.col.6.

Terror grçè φόβος.ου.ὁ. & φοβέω terror dicitur. Est autē terror metus cőtingens, ex quo fit vt pudorē rubor: sic ruborē pallor, & tremor, & dentiű crepitus cősequitur. A terreo fit terror. Est enim terrere timorē alicui incutere, & quasi in terrā prosternere, quare à terra dictű terreo quidā volűt. Hinc terrificus, terrorem faciens & terribilis, id est, formidabilis atq; horrendus.

De hac materia habes infrà ubi Timor.

Testamentű grç. è διαθήκη ης.ἡ. & διαθητής testator dicitur. Est autē testamētű propriè percipiendæ hæreditatis institutio filijs à patre. Ideo primò pertinet ad promissiones, secűdò ad mandata, quę se habent sicut via ad cősequēdam hereditatē promissam, ex bea. Tho. 3. parte. quęst. 78. artic. 3.

Testamentű dicitur, quòd volűtatis nostræ veluti testimoniű sit, vnde vltima voluntas & suprema voluntas appellatur. Quare Vlpianus sic illud diffinit, quòd sit voluntatis nostrę iusta sententia de eo quod post mortē nostrā fieri voluerimus. Testamētű falsum illud dicitur, quod non est secundű testatoris voluntatem scriptum, sed habet aliquid additum, vel diminutum, vel mutatum, vel aliud pro alio suppositum. Irritum autem testamentum est, quod de iure inualidű, vt si is qui testatur sit capite diminutus, vel si alia requisita defuerint &c.

Testis gręcè μαρτύρ.υρος.ὁ. & μαρτυρία.ας.ἡ. testimonium dicitur. Testes antiquitùs superstites vocabantur, eò quia supra causarű statum proferebant. Nűc parte nominis ablata testes vocātur. de ver. sig. forus. §. Testes. Testis dicitur quasi antestis, hoc est antestans: vel vt aliqui volunt, quasi tenens statum. In testibus sex sunt attendenda. Versus.

Aetas, conditio, sexus, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requiras.

A testis venit Testatio & Testimonium, quę propriè dicta testium sunt.

Exodi cap.20.

Non falsum testimonium dices.

Deutrono.17 & Matth.18.

In ore duorum vel trium stat omne verbű.

Prouerbiorű cap.14.

Liberat animas testis fidelis.

Ibidem cap.18.

Testis falsus non erit impunitus.

Ibidem cap.21.

Testis mendax peribit.

Hierony. contra Ruffinum epi. 11.

Vni testi, neq; Catoni credendum est.

Ambros. de spiritu sancto lib. 1.

Tres testes vnum sunt, sicut Ioannes dixit: aqua, sanguis, & spiritus. Vnum in mysterio, non in natura. Aqua igitur testis est sepulturę, sanguis verò testis est mortis, spiritus testis est vitæ: si qua ergo in aqua gratia, non ex natura, sed ex præsentia spiritus est.

Idem epistola 66.

Duobus aut tribus testibus stat omne verbű, sed illis testibus qui ante hesternű aut nudius tertius non fuerűt inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci se velint. In offensus igitur affectus testium quæritur, ita tamen vt accusator proprius in medium procedat.

Isidorus de summo bono lib.3.cap.59.

Testis falsidicus tribus est obnoxius: Deo quem contemnit, iudici quem decipit, innocēti quem lædit.

Ibidem.

Testibus falsis coniunctis tardè veritas reperitur, quòd si separati fuerint, examini iudicis citò manifestantur. Nam sicut vnitate prauorű grandis est fortitudo, ita in separatione maior infirmitas.

Phocylides.

μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαι᾽ ἀγορεύειν. Id est: *Testimonium falsum fuge, sed uera loquere.*

Hesiodus.

καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι. Id est: *Et fratri ridens testem adhibe.*

Iuuenalis satyra 8.

Ambiguæ si quando citabere testis,
Incertæq; rei: Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus: & admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter uitam uiuendi perdere causas.
Dignus morte perit.

Timor græcè φόβος.ου. ὁ & φοβέομαι timeo dicitur. Est autem timor metus mali impendentis: secundű Cicer. lib. Tus. quęst. *Timor est expectatio mali, secűdű Aristot. lib.2. Ethi.*

Timor est ex imaginatione futuri mali corruptiui, ac dolorē inferentis perturbatio quędā ac dolor, secűdű Aristot. lib. 2. Rethori.

Timor inter cæteros animi motus post tristitiam magis obtinet rationem passionis, & est specialis passio: secund. beat. Thom. prim. secundæ. quest. 12. art. 1 2. 0,

Timor diuidit in sex: in segnitiē, erubescētiam

tiam, verecundiam, admirationem, stuporem, & agoniam, ex Ioan. Damasceno li. 2. c. 15.

Timor à pauore quid differat, vide suprà in uor.

Timidus est qui cuncta fugit, & formidat, nulliq; resistit, secundùm Arist. lib. 2. Ethic.

Timidus est qui naturaliter timet, timens vero qui timet ob causam.

Deutero. c. 31.

Viriliter agite & cōfortamini, nolite timere.

August. contra Pelagium lib. 2.

Quando timore pœnæ, nō amore iustitiæ fit bonum, nondum benè fit bonū, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, q̄ mallet homo non facere, si posset impunè.

Hiero. super Matthæum.

Timor dei corrigit, timor hominum differt actionem, sed voluntatē non aufert, sed audiores reddit ad crimen, quos aliquando suspendit à crimine.

Greg. li. 1 Moral.

Qui timet deum, nihil negligit. Timere deū, est nulla quæ facienda sunt bona præterire.

Ibidem.

Cùm quis timore adhuc bona agit, à malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat quo peccare vellet, si impunè potuisset.

Idem libro 2.

In via dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via seculi, audacia fortitudinem, ita in via dei, audacia debilitatē parit. Et sicut in via seculi, timor debilitatem, ita in via dei, timor fortitudinem gignit.

Idem in Pastorali.

Si adhuc à praua actione formidata pœna prohibet, & profectò formidantis animum, nulla spiritus libertas tenet. Nam & si pœnā non metueret, culpam proculdubio perpetraret.

Idem super illud Iob. 3. Quare non in uulua, &c.

Cùm ex peccato præsens pœna metuitur, & annexa dei facies non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate.

Ioan. Chrys. in serm. Ioannis Baptistæ.

Facilè deuiat à iustitia, qui in causis non deum, sed homines pertimescit, hic timor peccandi facultatem differre potest, voluntatem auferre non potest. Solus est dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, & omnis boni tribuit facultatem.

Cass. super Psal. Dulcis & rect. do.

Cùm audis quod dominus tuus dulcis est, attende quid diligas. Cùm audis quòd rectus, attende quid timeas, vt amore & timore Dei excitatus, legem eius custodias.

Cic. li. 1. de Legibus.

Quid contemptius timiditate.

Ibidem lib. 2.

Quàm multos diuini supplicij metus à scelere reuocauit.

Idem lib. Paradox.

Tu dies noctesq; cruciaris, cui nō sat est quod est, & ipsum quod habes, ne diuturnū sit futurū times.

Idem Rhetor. nouo. li. 2.

Tres pestes sunt quę omnes homines solicitāt metus, cupiditas & ægritudo. Satis enim fuerat dixisse metum, cupiditatem. Quoniam, ægritudinem cū vtraq; re coniunctā esse necesse est.

Lactantius Firmia. diuina. institut. li. 2.

Timiditas in sapiente esse non debet.

Plautus in Mustellaris.

Qui homo timidus erit in rebus dubijs, nauta nō erit.

Lucanus Pharsaliæ libro 4.

Audendo magnus tegitur timor.

Ibidem li. 7.

Multos in summa pericula misit,
Venturi timor ipse mali fortißimus ille est,
Qui promptus metuenda pati.

Iuuena. saty. 10.

Quid enim ratione timemus?
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, uotiq; peracti?

ARISTOTELES IN LIBELlo de uirtutibus.

AMANTIVS.

Δειλία δ᾽ ἐστὶ κακία τοῦ θυμοειδοῦς καθ᾽ ἣν ἐκπλήττονται ὑπὸ φόβων τῶν περὶ θάνατον, Id est:

Ignauia vel timiditas vitiū est animosæ partis, quo cōsternātur periculis pręsertim mortis

Ibidem.

Ignauia autem est, quouis metu facilè percelli, & mortis maximè, & noxarū corporis, & arbitrari præstabilius esse, quomodocunq; seruari, quàm pulchrè mortē obire. Comitatur autē ignauiam mollities, effœminatio, torpor, vitæ studium, subest etiam quędam timiditas, & cōtentionis detractio.

Sophocles in Acrisio.

Clamatiue hic aliquis: heus, heus,
Audite, sed timere forsan gannio:
Homini enim timido nihil non obstrepit

ἅπαντα γὰρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ.

Euripides in Meleagro.

δειλοὶ γὰρ ἄνδρες οὐκ ἔχουσιν ἐν μάχῃ
ἀριθμὸν, ἀλλ᾽ ἄπεισι, κ᾽ ἂν παρῶσ᾽ ὅμως, Id est,
Viri timidi nullum habent in pugna
Numerum, sed præsentes absunt.

Sophocles in Phrygibus.

τοὺς εὐγενεῖς γὰρ κ᾽ ἀγαθοὺς, ὦ παῖ φιλεῖ
ἄρης σουαίρειν, οἱ δὲ τῇ γλώσσῃ θρασεῖς
φεύγοντες ἄτας ἐκτός εἰσι τῶν κακῶν:
ἄρης γὰρ οὐδὲν τῶν κακῶν λογίζεται, Id est,
Generosos & fortes, ô fili, solet
Occidere Mars: qui uerò lingua sunt audaces,

Cladem

Cladem fugientes, securi sunt à malis:
Mars nanq; timidos pro nihilo reputat.

Euripides in Iphigenia, in Tauris.

Haud sanè sapientem esse illum iudico, qui moriturus
Misericordia metum mortis superare uult.

Idem in Phryxo.

ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φὴς ἀνέρος οὐκ ἄξιον
δειλὸν κέκλῆσθαι, καὶ νοσεῖν αἰσχρὰν νόσον, Id est:
Tu quidem uirum te esse dicis, sed indignum est uiro
Timidum uocari, & morbo laborare turpi.

Theognis Poëta.

πολλὰ παρέσωθε λόγος θνοιτοῖσι βροτοῖσι
πλάσματα τῆς γνώμης κύρνε ταρασσομένης. Id est:
Multa proferre solet oratio mortalibus hominibus
Errata, ô Cyrne, cùm animus perturbatus est.

Philemon in Enchiridio.

κακὰ μὲν ὄψις ἐν ᾗ δειλαῖαι φρένες, Id est:
Est trepidus uultus, & latent intus præcredia timida.

Sophocles.

οὐ τοῖς ἀθύμοις ἡ τύχη ξυλλαμβάνει. Id est:
Timidos fortuna non iuuat.
Degeneres animos timor arguit.

Animus metu cupiditateue pressus suis bonis
haud frui ualet. Horatius in epistol.
lib. 1. epistola ad Lollium.

Qui cupit aut metuit, iuuat illum sic domus aut res:
Vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram:
Auriculas cytharæ collecta sorde dolentes:
Syncerum est nisi uas, quodcunq; infundis acescit.

Seneca in Troade.

Miserrimum est timere, cùm speres nihil. Item.
Leuius solet timere, qui propius timet.

Laodomia Protesilao apud Ouidium Epist. 1.

Nos sumus incertæ, uos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare timor.

Idem 6. Fastorum.

Abstulerat uires corporis ipse timor.

Epistola 14. Hypermestra Lino.

Vires subtrahit ipse timor.

Octauo Aeneidos Vergilius.

Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamq; petit, pedibus timor addidit alas.

Ouid. lib. 3 Fastorum.

Exilit & uelox humili super aula fenestra
Te iacit: audacem fecerat ipse timor:
Cumq; metu rapitur tunica uelata recincta
Currit ut auditis territa dama lupis.

Martialis lib. 11. in Thelespho.

Quid si me tonsor cùm stricta nouacula supra est,
Tunc libertatem, diuitiasq; roget,
Promittam? nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat, res est imperiosa timor.

Statius lib. 3. Thebaid.

Inuigilant animo, sceleris q; parati
Supplicium exercent, curæ tunc plurima uersat
Pessimus in dubijs augur timor.

Ouidius de Ponto, ad amicum innominatum.

Desine mitem animum uano infamare timore,
Sæua quid in placidis saxa uereris aquis?

Seneca in Hercule furente.

Turbine magno spes solicitæ
Vrbibus errant, trepidiq; metus.

Vergilius lib. 12. Aeneid.

Illi membra nouus soluit formidine torpor,
Arrectæq; horrore comæ, & uox faucibus hæsit.

Idem 3. Aeneidos.

Tum uerò ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui: steteruntq; comæ, & uox faucibus hæsit.

Ouidius lib. 6. fabula 1. de Aragne.

Quid mihi tunc animi miseræ fuit, anne quod agnæ est,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut leporis? qui uepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullos audet dare corpore motus.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Ceruleæq; cadunt toto de corpore guttæ.

Idem lib. 1. Fastorum.

Tum sacer ancipiti mirandus imagine Ianus,
Bina repente oculis obtulit ora meis.
Extimui, sensiq; metu riguisse capillos,
Et gelidum subitò frigore pectus erat.

Lucianus lib. 1. belli Pharsal.

Diriguere metu. gelidos pauor occupat artus,
Et tacito multos uoluunt in pectore quæstus. Idem li. 4.
Tum frigidus actus.
Alligat, atque animum subducto robore torpor.

Plautus in amphytrione.

Timeo, totus torpeo:
Non ædepol nunc ubi terrarum sim scio, ubi roger.
Nec miser me commouere possum præ formidine.

Idem in truculento.

Neque uiuus neque mortuus sum,
Nec quid nunc faciam scio, neq; ut hinc abeam, neq; ut ad
hanc adeam scio, timore torpeo.

Terentius in Andria.

Pamphilus. Vix sum apud me, ita animus commo-
tus est metu. Statius lib. 2. Thebaid.

Solue metus animo, dabitur mihi crede merentum
Consilijs tranquilla dies.

Idem 5. Thebaidos.

Talia cernenti mihi, quantus in ossibus horror,
Quisue per ora color? qualis cum serua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & inuolucri tenuis fiducia cursu,
Præcipitat, suspensa fugā iam iamq; teneri.
Credit, & illusos audit concurrere morsus.

Socrates.

ὁ μὲν δειλὸς καθ' ἑαυτοῦ τὰ ὅπλα ἔχει, ὁ δὲ ἀνόητος τὰ χρήματα, Id est:
Timidus quidem arma contra seipsum habet, stultus autem pecunias.

Plutarchus de animi tranquillitate.

Quem-

Quemadmodũ timidi, & qui nauseæ nauigãdo obnoxij sunt, existimantes se melius culè habituros, si ex acatio in gaulã, rursumq; si in triremen cõmigrarint, nihil tamen proficiũt, bilẽ timiditatẽq; secũ circumferentes: ita aliud vitę genus non eximit animo ea, quibus grauatur & perturbatur: hoc est, rerũ inscitiam, & rationis imperfectionẽ, ac id vitiũ quod nõ potest, neq; callet rectè præsentibus vti: hæc sunt quę diuites grauant, ac pauperes.

Sophocles Tragicus.

Timiditas, ubi quid periculi de uita
Locum habens dicendi contrariam causam,
Et os ipsum coràm hominibus obstupefactum reddit
Et animum, ea quæ lubet, dicere non permittit:
Nã qui secus fecerit, periclitat, hic uero manet illæsus:
Atq; hoc periculi subterfugere me oportet:
Præmium enim uitam meam proponi uideo.

Idem in Archelao.

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία
οὔτ' οἶκον, οὔτε πόλιν ὀρθώσειεν, Id est,
Vita mollis & mala timiditas
Neq; domum neq; ciuitatem rectè gubernauerint.

Antisthenes Philosophus.

ὅστις δ' ἑτέρους δέδοικε, δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτὸν, Id est:
Quisquis alios metuit, seruus est, licet nesciat.

Diogenes Cynicus.

Omnia sanè mala plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectãt, quàm, vbi iam acciderint, molestare. Metus enim tã improbus est, vt multi rem, quã metuunt, ipsimet anticipent: vt qui in naui tempestate periclitantur, non expectata submersione nauis, manus sibi prius inferũt.

ὑπερίδης ὁ ῥήτωρ ἔφησε τὴν ἀγωνίαν τοῦ λέγειν πέδην εἶναι, Id est:
Hyperides orator, timorem esse vinculum orationis, aiebat.

Antiphon.

Morbus timidis hominibus est loco facti: ægrotantes enim ad agendũ prodire nõ cogunt.

Hierocles in lib. de Iustitia.

Age videamus, an vt homines timidi iusti sint, fieri possit: nam qui animo ipsis contrario sunt, hoc est, audaces, iniustos esse deprehendimus, eò quòd plurima per vim faciant. Est autem timiditas corruptio legitimi iudicij de rebus metuendis aut nõ metuendis: aut ignorãtia terribilium, nõ terribilium & neutrorũ. Quomodo igitur, q corruptis & illegitimis opinionibus in vita detinentur, iusti esse possent? Nõ enim quas vis res rectè æstimabunt, nõ permittente ipsos animi timore quamlibet quęstionẽ aggredi.

Demetrius.

Fingamus exempli caussa, belligeranti & in acie stanti, hinc fortitudinẽ, illinc timiditatem assistere, quantum putas diuersas orationes habebunt? Nónne fortitudo quidem permanere iubebit, & ordinem suum conformare? sed ingruunt tela, sustinendum est: at vulnerabor, tolerato: sed moriar, morere potius, quàm relinquas aciem. Hæc oratio dura videtur, & immitis: contra verò timiditatis, humana profectò, atq; mollis, nimium enim recedere iubet trepidãtem: sed scutum ægrè fero: abijcias, molestat me thorax: ergo resolue. Cui nõ hęc verba benigniora viderentur, quàm illius? viden vt hîc magnum sit vtrinque discrimẽ, sed quis nescit huiusmodi quidem minus perniciosum suscipientibus esse: contrarium verò salutare.

Seneca in Octauia.

Iustum esse facilè est, cui uacat pectus metu,
Magnum timoris remedium clementia est.

Pontanus in libello de fortitudine Bellica & Heroica.

Qui verò minus extimescit, eum timidum ac meticulosum dicimus: qui nec in eo solùm peccat, quod etiã non metuẽda paueat, sed quod ea, quæ timenda sunt: nequaquam vt oporteat timeat: itaque trepidat, horrescit, pallet, fugit animus, metu membra quatiuntur: quæ res efficit, vt quàm hic à metu vincitur, tam illicò fiducia deseratur: nec solùm virib. defectus, verumetiam spe destitutus. Si quidem cuncta nimium formidantem, necesse est spe quoq; destitui. Habet metus animi fractionem, & quasi fugam: itaque meticulosus non res solùm atq; pericula, verùm rumores ipsi etiam incerti & vani, & rosæ (vt dicitur) vmbra persæpe terret.

Tyrannis græca dictió est, τυραννὶς, ίδος, ἡ. Et est dominatus vnius ad proprium cõmodum, secundùm Aristot. lib. 4. Politicorum.

Tyrannus est, qui quod sibi conferens est, intendit. Rex verò, quod est vtile subditorum, ex Aristotele 8. Ethicorum.

Tyrannus apud antiquos, etiam pro bono principe accipiebatur. Virg. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. Vsus deinde obtinuit, vt pro eo demum poneretur, qui dominatu crudeliter abuteretur. A tyrannus fit, tyrannicida, qui tyrannum interficit.

Iob. cap. 15.

Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrãnidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndiq; gladium. Cùm se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eũ tribulatio, & angustia vallabit eum.

Prouerb. cap. 25.

Aufer rubiginẽ de argento, & egredietur vas purissi-

purissimum. Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius.

Ibidem cap. 26.

Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

Idem cap. 29.

In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus: cùm impij sumpserint principatum gemet populus.

Sapientiæ cap. 16.

Oportebit enim illis sine excusatione quidē superuenire interitum, exercentibus tyrannidem.

Greg. Moral. 13. super illud Iob. 10. Numerus annorum tyrannidis eius incertus est.

Tyrannus est, qui in communi republi. non verè principatur.

Boetius de philosophica Conso. lib. 1. Metro. 4.

Quid tantum miseri feros tyrannos
Mirantur, sine uiribus furentes?
Nec speres aliquid nec extimescas,
Exarmaueris impotentis iram.
At quisquis trepidus pauet uel optat,
Quod non sit stabilis, suiq; iuris
Abiecit clypeum, locoq; motus,
Nectit qua ualeat trahi cathenam. Cic. lib. de Amici.

In vita tyrannorum nulla fides.

Idem lib. 3. Offic.

Nulla nobis est societas cum tyrannis, sed potius summa distinctio. Neque contra naturam est spoliare eum si potes, quē etiam honestū est necare. Atq; hoc genus pestiferū, & impium ab hominum communitate exterminandum. Etenim vt membra quædam amputantur, si ipsa sanguine & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: Sic in ista figura hominis, feritas, & immanitas beluæ à communitate, tanquam humanitate corporis segreganda est.

Seneca Tragœd. 1.

Quod ciuibus tenetur inuitis, scias
Strictus tuetur ensis. Idem Tragœdia 4.
Sollicito bibunt auro superbi.
Quàm iuuat nuda manu captasse frontem?

Idem de ira libro 2.

Periculosius est timeri quàm despici. Necesse est vt multos timeat, quem multi timēt.

Idem Trag. 1.

Victima haud ulla amplior
Potest magisq; opima mactari Ioui,
Quàm rex iniquus. Idem in Tragœd. 2.
Iniqua nunquam imperia retinentur diu. Idem Trag. 6.
Violenta nemo imperia continuit diu, moderata durant.

Aristotel.

Tyrannus sibijpsi conferens intendit. rex autē quod subditorum. Prauitas monarchiæ tyrannis. In tyrannide nihil vtile, parum amicitiæ est.

Idem.

Ciues custodiunt armis reges, tyrannos haud extranei.

Sophocles in Aiace furente.

τὸν τυραννὸν εὐσεβεῖν, οὐ ῥάδιον. id est.
Tyrannum benè colere non facile.

Iuuena. saty. 4.

Sed quid uiolentius aure tyranni?
Cum quo de pluuijs, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi, fatum pendebat amici. Ibidem.
Quicquid conspicuum pulchrumq; ex æquore toto est.
Res fisci est, ubicunque natat.

Dantes inferni Cant. cap. 12.

Noi ci mouemo colla scorta fida.
Longo la proda del color uermiglio,
Doue bolliti faceano alte strida.
Io uedi gente sotto in fin al ciglio,
El gran centauro dixe, e son tyranni
Che dier nel sangue & nel hauer di piglio.
Quiui se piangon li spietati damni:
Quiui e Alexandro, e Dionysio fero,
Che se Sicilia auer dolerosi anni. id est.
Nos discessimus cum fido ductore
Iuxta proram coloris rubri,
Vbi elixi homines altè stridebant.
Vide gentem infra usq; ad cilium:
Magnus Centaurus dixit hi sunt tyranni
Qui spoliarunt sanguinem & opes alias
Hic plorantur crudelia damna:
Hic est Alexander & Dionisius ferox,
Quo factum est ut Sicilia duceret mœstos annos.

Titulus græcè ἐπιγραφὴ, ῆς, ἡ vel ἔλεγχος, ου, ὁ, dicitur. Est autem titulus propriè, index cuiuscunque operis. In statuis enim & picturis titulū dicimus literas, quæ vel artificis, vel eius cuius statua, siue imago est, nomen demonstrat, vel tempus quo factum est declarat. Dicitur autem titulus à tuendo, quasi tutulus, quod tuetur factum autoris.

Tolerantia græcè καρτερία, ας, ἡ & καρτερέω tolero dicitur. Est autem tolerantia idem quod patientia, venitq; à tolero, quod est patiēter fero.

De hac materia habes suprà in Patientia.

Tonitruum græcè βροντὴ, ῆς, ἡ & βροντάω tono dicitur. Est autem Tonitruum sonus, factus in nubibus, ex violenta percussione exhalationis calidè & siccæ ad latera nubis. Vel sic: Tonitruū est son⁹ exhalationis siccę, quę intercluditur in transmutatione infrigidati aëris, & cōuenientib nubib. segregatur, vi aūt lata & offendens ad continentes nubes facit percussurā.

Tonitruum non est extinctio ignis in nube, sed fit ex percussione vaporum intra nubem, secundum b. Tho. super l. 17. col 14.

Tormentū græcè βάσανος, ου, ὁ dicitur. Et significat

ficat omnem machinam ad torquendum saxa, quod veteres etiam tortum appellauêre. Significat etiam dolorem corporis, ad eruendam veritatem. Veteres etiam posuêre tormentũ pro quocunque cruciatu. Venit autem à torqueo, cuius frequentatiuum est torto, & eius passiuũ tortor, hoc est vehementer torqueo. hinc venit tortor qui torquet, hoc est cruciat, vel lapidem tormento iacit.

Torpor græcè νάρκη.ης.ἡ & ναρκία torpeo dicitur. Est autem torpor remissio in executione boni & est filia acediæ. Quomodo autem à pigritia differat & negligẽtia, vide suprà in Negligentia. De hac materia vide suprà in Accedia, Negligentia, Otium & Pigritia.

Totum græcè ὅλον.ου.τὸ dicitur. Estq; cui nihil deest. Differunt autem totus & omnis, quod totus ad quantitatem refertur, vt tota domus, tota vrbs, totum corpus, aliquod integrum. Omne de vniuersis dicimus numero distinctis, vt omne pecus, omnis grex. Confunditur tamen nonnunquam proprietas à poetis.

Totus à tot dicitur, sicuti quotus à quot.

Toxicum grçca dictio est, τοξικόν.ου.τὸ. dicitur. Sunt aũt toxica quibus sagittę tinguntur. Aliqui volunt dictum toxicum, quasi taxicum, à taxo arbore, quæ abieti similis, sed minus virés gracilisq; & tristis, nullo succo, baccas fert, quibus læthale venenũ inest, pręcipuè in Hispania. Ego verò potius crediderim taxum dici à toxico. Differt aũt toxicũ à veneno: Quia venenum quod græcè φάρμακον.ου.τὸ. dicunt, generale nomen est, ad omnia quæ naturam eius cui adhibita sunt mutant: toxicum aũt veneni species est. Qui verò dicit venenũ, debet addere bonũ vel malum. Nam & medicinæ venena sunt, quia eo nomine omne cõtinetur, ꝙ adhibitum, naturã eius, cui adhibeť mutat. Ita & gręci φάρμακα tam medicamenta, quã quæ nocent vocant.

Tranquillitas græcè γαλήνη.ης.ἡ. & γαληνός.ου.ὁ. tranquillus dicit. Est autem tranquillitas quies maris, se. B. Tho. super li. Mataphy. 5. lect. 6. fi.

Tranquillitas est, qua mites ac sedati sunt animi ab omni perturbatione, sumpta à fluctibus translatione. Cuius contrarium est atrocitas, & fluctuatio.

AMANTIVS.

Lodouicus lib. 3 de enumeratione affectuum.

Affectus sunt animorum motus, vel actu vel potestate: ac vi non haberi pro affectibus æquanimitatem & tranquillitatem cordis, vt mansuetudinem, securitatem: quippe quæ non sint motus: nec opera affectus nuncupari, nec nasci ex iudicio, sed esse naturalia, prout quisque est animi habitus: vt fletum in mœrore, exanimationem in metu, exultationem & gesticulationem in lætitia immodica.

Euripides in Antiope.

ὅςις δὲ πράσσει πολλὰ μὴ πράσσειν παρὸν
μωρός, παρὸν ζῆν ἡδέως ἀπράμονα. id est.
Quisquis multa agit ubi cessare liceret,
Stultus est, cùm iucundè posset tranquillus uiuere.

Idem in Iphigenia.

ζηλῶ σε γέρον, ζηλῶ δὲ ἀνδρῶν ὅς ἀκίνδυνον βίον
ἐξεπέρας ἄγνωςος ἀκλέης.
τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ἐπαινῶ. id est.
Felicem te senex prædico, & unumquemq; qui uitam pe-
Transegit ignotus, obscurus: (riculis uacuam,
Minus autem laudo in honoribus constitutos.

Idem in Heraclidis.

Quamuis remoti ætherem habitantes,
Inspiciunt tamen res mortalium cælicolæ.

Græcè.

ἀλλ' ὅμως αἰθέρα ναίοντες
ὁρῶσι τὰ βροτῶν οὐράνιδα.

Idem in Oenomao.

ὁ πλεῖςα πράσσων, πλεῖσθ' ἁμαρτάνει βροτῶν. id est.
Qui plurima facit, is & plurimum peccat.

Epicharmus in Antomalo.

Quies & tranquillitas gratiosa res est,
Et uicina temperantiæ.
ἁδ' ἡσυχία χαρίεσσα,
καὶ σωφροσύνης πλάτιον οἰκιεῖ.

Menander in hydria.

Quàm iucunda res est ei, qui malos mores odit,
Solitudo, & cogitanti nihil
Mali satis magna possessio est ager benè nutriens:
Cæterùm æmulatio uulgi, & urbana uoluptas, splen-
dida quidem est, sed breue tempus durat.

Pindarus in hymnis.

Communem ciuium statum aliquis in tranquillitate situ
relinquens,
Diligenter inquirat per mortem quietis
Sacrum lumen, seditionem à pectore
Tollens paupertatis caussam
Liberorum educationi infensam.

Cercides in Hemianidis

Immemor huius dicti, rugosæ testudinis.
Vere enim domus chara est & optima.
Τὸ τᾶς ῥικνᾶς χελίονας ἀμνάμονα
οἶκος γὰρ ἄριςος ἀλαθέως καὶ φίλος.

Bion in Bucolicis.

Ignoro, neq; enim conuenit quæ non dicimus agere,
Si pulchra mea carmina sunt, uel illa sola
Gloriam mihi adferent, quæ iam anteà fatũ mihi dedit.
Sin illa non probantur, quid est, quod amplius laborem?
Nam si uobis uiuendi duo tempora dedisset
Siue Iuppiter, siue Parca uersuta, ita ut ageretur
Alterum cum lætitia & gaudio, alterum cum labore,
Liceret post labores aliquando bonis frui:
si uerò Dij unum duntaxat tempus uiuendi annumerant
Hominibus, idq; breue & perquàm angustum,
Quàm diu uah miseri labores, & opera insumimus?
Quousq; animum ad lucra & artes

Applicamus, semper desiderando multò maiores opes?
Omnes sanè obliti sumus mortales nos esse natos,
Et breue tempus fato nobis concessum.

Apollonius ad Dionysium.

καλόν πρὶν παθεῖν διδαχθῆναι πηλίκον ἐστὶν ἡσυχία, id est.

Pulchrum ante malum acceptum, cognoscere quantum bonum sit quies.

Aeschilus in uinculis Promethei.

τὰ μηδὲν ὠφελοῦμενα μὴ πόνει μάτην, Id est.
In rebus inutilibus noli frustra laborare.

Plutarchus in lib. de Tranquillitate.

Commodissima est trãquillitas cùm ad alia, tum ad scientiam, & prudentiæ exercitationẽ: non cauponariam, sed magnam illam, quę Deo similem reddit sui participem. Exercitia enim quæ ciuitatibus, & inter hominum turbas fiũt, dicendi facultatem acriorẽ, quæ nihil aliud est, quàm calliditas, augẽt: ita, vt qui in ipsa excellunt, vrbanis negocijs veluti à coquis farciti & variati, in ministeria quæuis absurda abeãt. Solitudo autem gymnasiũ existens sapientię, benè instituit mores, format, & dirigit hominum animos, nihil enim impedimenti habent, quò minùs promoueant: neque ad leges multas, & paruas offendentes à rectitudine inflectuntur, vt animi ciuitatibus inclusi: sed in aëre puro, & vt plurimum extra hominum consuetudinem agentes in rectum surgunt, & pennas producunt, limpidissimo, & leuissimo liquore tranquillitatis irrigati, in quo diuiniores mẽtis disciplinæ puriores conspiciuntur: hanc ob causam Deorum quoque delubra antiquitus consecrata, in locis maximè solitarijs, primi homines cõstituerunt, vt in primis Musarum, Panis, Nympharũ, Apollinis, & omnium, qui musicæ præfecti sunt Dij, vtpote separãtes disciplinas, à molestis & nefarijs quibusdam rerum vrbanarum negocijs.

Idem in opere eodem.

Ille qui dixit ad vitam tranquillè agendam non multum agere oportere, nec priuatim nec publicè, hic primò magno nobis parabilem animi tranquillitatem facit, vtpotè inertia venalem, & tanquàm ęgrotum vnumquemque hortans versu illo tragico:

Mane miselle tuis in lectis immotus, id est.
Μένε ὦ ταλαίπωρε ἀτρέμας σοῖς ἐν δεμνίοις.

Erasmus lib. 7. Apophtegmatum.

In somnis visus est Stilponi philosopho Neptunus iratus, quòd non immolasset Hecatomben, quemdmodum mos erat: at philosophus hoc viso nihil perturbatus, respondit, quid ais Neptune? Itáne veluti puer huc venisti cum tua quærimonia, quòd pecunia mutuo sumpta nõ expleuerim nidore ciuitatem? atque pro rei familiaris modulo sacrificaui tibi apuas aliquot: ad hæc arridens Neptunus, visus est illi arrepta dextra dixisse, in tuam gratiam ingentem apuarum prouentum largiar ciuitati Megarensium, quod & euenisse tradunt.

Ibidem.

Demetrius Antigoni filius cùm Megaram cœpisset, iussit Stilponis domum seruare indẽnem: admonitus igitur Stilpon, vt libellum daret rerum omnium quas amisisset: Ego, inquit, nihil bonorum meorum amisi, nam eruditio & eloquentia mihi sunt incolumes, quòd hæc verè sunt οἰκεῖα, hoc est, domestica ꝓpriaq; bona.

Euripides Tragicus.

Quisquis enim uictum poßidens abundè,
Rem quidem domesticam socordia sua neglexerit,
Cantibus autem delectatus, id unum secutus fuerit,
Vir ille in domo quidem & ciuitate otiosus erit,
Amicis uerò nullus: perit enim natura, ubi quis à dulcedine uoluptatis uincitur.

Idem in Hyppolyto.

Quæ bona sunt scimus, & cognoscimus,
Sed opere non facimus, alij propter pigritiam,
Alij uoluptatem honestati præponentes
Aliquam aliam, sunt enim multæ uoluptates uitæ,
Et longæ confabulationes, ac ocium iucundum malum.
Τὰ χρηστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν
οὐκ ἐκπονοῦμεν δ' οἱ μὲν ἀργίας ὕπο,
οἱ δ' ἡδονὴν προθέντες ἀντὶ τοῦ καλοῦ,
ἄλλοιτίνι εἰσὶ δ' ἡδοναὶ πολλαὶ βίου
Μακραί τε λέσχαι καὶ σχολὴ τερπνὸν κακόν.

Philemon.

O Cleon, desine nugari, si discere distuleris.
Vitam tuam ope destitutam omni imprudenter efficies:
Neq; enim nauta, si non per undas uectus apprehenderit terram,
Vnquàm seipsum seruare poterit, neq; uir pauper,
Qui nullam didicit artem, tuto uiuere potest.
Sed pecunias poßidemus, at illæ citò pereunt.
Sunt enim prædia & domus: an ignoras fortunæ uices,
Quæ diuitem hodie, mendicum facit in crastinum?
Quod si nostrum aliquis ad portum fortunæ appulerit,
Demittit anchoram, securitatis gratia:
Sin temerè iactatus inepto flatu feratur,
Nullam in senectute paupertatis auxiliarem habebit salutem.
Sed fortè dices, sodales, amici, et familiares mihi per Iouẽ
Collationem conferent: quin tu potiùs opta non periculum facere de amicis:
Sin minùs nosces teipsum, aliud nihil esse quàm umbram.

Hesiodus in operibus, & diebus.

τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἀνέρες ὅσις ἀεργὸς ζώῃ
Κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργὴν ὅντε μελισσάων
κάματον τήπουσιν ἔδουσι. id est.
Illi pariter indignantur & Dij, & homines, quisquis ociosus
Vixerit, fucis absq; aculeis similis studio,
Qui apum opus sine labore comedunt.

Soph-

Sophocles in Iphigenia.

τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκεῖα σχολή
Θεὸς δ' τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται, id est.
Nihil boni parit otium inane:
Deus enim ociantibus haud adsistit.

Menander in Epitrep.

ἀργὸς δ' ὑγιαίνων τοῦ πυρέττοντος πολὺ
ἐσ' ἀθλιώτερος διπλάσια γοῦν ἐσθίει μάτην. id est.
Homo sanè ociosus, quàm febricitans multò
Miserior est: bis enim tantùm comedit inutiliter.

Alexis poëta.

Quicunq; gaudet edere quotidiè semper,
At facere nullum opus dignum, sed circuire in ocio
Ferians, insensißimum est uitæ malum.

Græcè.

ὅσις ἥδεται γὰρ ἐσθίων ὁ σημέραι ἀεὶ, καὶ ποιεῖν τῶν σιτίων,
ἔπάξων μηδὲν περινοσεῖν δ' σχολὴν
ἄγοντα τῷ ζῆν πολεμίωτον κακόν.

Eusebius.

Σῶμα ἀργία τήκει ψυχὴν δια μελετησία ἄσκησιος τὴν αὐτὴν ἀγόντων πρὸς τὸ θεοδίστατον. id est.

Ocium tabefacit corpus, animã verò socordia: exercitatio verò ad speciem Deo simillimam ipsam euehit.

Euripides in Antiope.

Multi mortalium hoc uitij habent,
Vt quamuis mente sapiant, nolint tamen obsequi
Animo suo, ut plurimum ab amicis uicti.
Πολλοὶ δ' θνητῶν τοῦ τὸ πάσχουσιν κακὸν
γνώμη φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν
ψυχῇ, τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι.

Hesiodus in operibus.

Multa vir ociosus vana spe ductus, dum eget victu, mala secum ipse meditatur.
Spes autem inutilis indigentem uirum fouet,
Sedentem in conuenticulis, cui non satis uictus suppetit.

Idem in Menalippe.

ἀργὸς πολίτης κεῖνος ὡς κακῶς γ' ἀνήρ·
ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς θεοὺς ἔχων ἀνὰ σόμα
βίον δύναιτ' ἂν συλλέγειν ἄνευ πόνων, id est.
Idem est ociosus & malus ciuis.
Nullus enim ociosus, quamuis ore Deos prædicans,
Colligere uictum sine laboribus potest.

Anaxarchus inquiebat, si quis alterũ audiret imprecãtem sibi manus & pedes inutiles, iratũ illi proculdubio forè: diuites autẽ, cùm re ipsa manus suas pedesq́; faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare.

Xenophon lib. 3. de factis & dictis Socratis.

Quum verò de ocio, quidnã sit consideraret, vt plurimum dicebat se deprehendere omnes aliqd facere: etenim pro tesseris, quiq́; risu excitando vacant, aliquid faciunt, nihilominùs huiusmodi omnes ociosos dicebat: liceret nanque istis demissis meliora agere: à melioribus verò ad peiores migrare, nulli ociũ esse: si quis autem migret, hunc id malè facere negotijs implicitum.

Idem libro 4.

Socrates asserebat operarium esse vtile ac bonum homini, ocium verò esse damnosum & malum: præterea boni quippiam facientes operari dicebat, & opifices bonos esse: aleatores autem, vel aliud quippiam prauum & noxium agentes ociosos nominabat. Quare Hesiodus rectè dixisse videri debet.

Nequaquam dedecet operari, sed ocia probrosa sunt.
ἐκ δ' τούτων ὀρθῶς ἂν ἔχει ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος ἀεργίη δ' τ' ὄνειδος.

Plutarchus in lib. de animi tranquillitate.

Cùm noxium est medicamentum corpori sepulta illa segnicies, tum nihil melius animæ medicus est ægritudinis & turbulentiæ torpor & mollitia, socordiaq́; amicorum necessariorũ, patriæq́; desertrix. Itaq; ne Epicurus quidem hominibus ambitiosis auidisq́ue gloriæ, vt se ocio dedant, autor est, sed vt ad gerendam Rempub. natura duce accedant: tales enim nequaquam æquo animo inturbidoq́; laturos, se ea re orbatos esse, quã in primis concupierint.

Bacchilides.

ἀνάπαυσις ἐσί τῶν κακῶν ἀπραξία. id est.
Quies est omnium malorum ocium.

Trapezita græca dictio est, τραπεζίτης.ου.ὁ. Estq́; campsor pecuniarum, qui à nostris argentarius dicitur, vel mensarius, vel nummularius. Nam τράπεζα.ας.ἡ. mensa dicitur. NANVS.

Transgreßio græcè ὑπερβασία.ας.ἡ. & ὑπερβατής.ου.ὁ. transgressor, & ὑπερβαίνω. trãsgredior dicitur. Est aũt ꝓpriè transgreßio, agere cõtra præceptum negatiuum. Et est cõmunis omni peccato materialiter. Sed formaliter est speciale peccatũ dupliciter, scilicet vt dicit contẽptum præcepti, & vt differt ab omißione, ex B. Tho. secunda secundæ q. 79. artic. 20.

Tremor græcè τρόμος.ου.ὁ. & τρέμω tremo, & τρομερός.οῦ.ὁ. tremendus dicitur. Est autem tremor affectus timoris, propter debilitatem virtutis ex defectu caloris, ex B. Thom. prima secun. q. 44. art. 1.

Tremit cor maximè timentibus, & quæ connectuntur pectori, vt vox labium inferius, mandibula inferiora, brachia, manus: quia calor deserit cor, & descendit ad inferiora, vel quia hæc membra sunt mobiliora, sicut & genua, ex B. Thom. ibidem art. 3.

Trepidatio græcè δειλία.ας.ἡ. & δειλός.οῦ.ὁ. trepidus, δειλιάζω trepido dicitur. Est autem trepidatio, animo effusus horror, gestu motuq́; corporis festinando, vltro citroq́; in cursando demonstratus.

Tribulatio propter quę; scilicet
- Vt Christus glorificetur. Exemplum cæci à natiuitate. Ioannis cap. 9.
- Vt meritum ei cumuletur. Exemplū Iob c. 2. In omnibus his non peccauit Iob.
- Vt fastus nō dominetur. Exemplum Pauli 2. ad Corinthios 12. Ne magnitudo reuelationum, &c.
- Vt Pœnis culpa expietur. Exemplum Mariæ leprosæ. Numeri 12. cap.
- Vt dupliciter crucietur. Exemplum Herodis Ascalonitæ. Actuum cap. 13.

TRribulatio græcè συμφορά. ας. ἡ. dicitur. Et est idem quod calamitas aduersitatis.

Tribulatio à tribulo venit. Est enim tribulus, herba pungitiua secundùm beat. Thom. super Psalm. 3. col. 2.

Tribula etiam, sunt genus vehiculi quo terū tur frumenta. Virg. Tribulaq; traheæq;, & iniquo pondere rastri.

Actuum Apostol. cap. 14.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei.

Augustinus in sermone ad Lippium.

Noli admirari frater si postquā Christianus effectus es, mille te vndiq; tribulationes vexant, vide suprà in Patientia.

Idem super Psalmum 60.

In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur. Fornax, mundus: aurū, iusti: ignis, tribulatio: artifex, deus. Quod vult ergo artifex facio, vbi ponit me artifex tolero: iubeor ego tolerare, nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incēdendum me, & quasi cōsumendum me, illa quasi in cinerem vertitur, ego sordibus careo.

Idem super Ioannem.

Quòd te Dominus permisit pati flagellum, corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur.

Hieronymus in epist. ad Heliodorum.

Quis non tribulari velit? quis se nō maledici desideret, vt mereatur Christi voce laudari & cęlesti copiosaque mercede munerari? Vtinam contra domini mei nomen atque iustitiam, cūcta in fidelium turba, me persequatur & tribulet. Vtinam in opprobrium meum, solidius hic mundus exurgat, tantùm vt merear à Christo laudari, & ad suæ pollicitationis properare mercedem: grata atque desiderata tētatio est, cuius præmium perpetratur à Christo in cælo.

Idem in epistola ad Cyprianum.

Quanto in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum crudelitate fuerimus afflicti, tanto post resurrectionē, in futuro maiora præmia cōsequemur.

Ambrosius lib. de morte Satyri.

Quid in hac vita nō experimur aduersi? Quas non procellas tempestatesq; pepetimur? Quibus non exagitamur incommodis? cuius parcitur meritis?

Idem de Isaac.

Multi sunt qui in otio quærunt Christum, & non inueniunt: & sunt qui quærunt in persecutionibus, & citò inueniunt. In periculis fideliū suorum adest.

Grego. sup. Ezech.

Donis suis deus flagella permiscet, vt nobis omne quod nos in seculo delectabat amarescat, & illud incendiū surgat in animo, quod nos semper ad cęleste desiderium inquietet, & excitet, atq; (vt ita dicam) delectabiliter mordeat, suauiter cruciet, hilariter contristet.

Idem in Pasto. cap. 51.

De spe æternæ hæreditatis gaudium, sumāt, quos aduersitas vitæ tēporalis humiliat. Quia non saluādos in perpetuum cerneret, si erudiēdos, sub disciplinæ regimine, diuina dispēsatio non frenaret.

Idem lib. 1. Moralium.

Virtus, inquit, per quietē se exercuit. s. in Iob, sed virtutis opinio cōmota per flagella fragrauit. Sicut, inquit, aromata fragrantiam suam, nō nisi cùm incenduntur expandunt, ita sancti viri omne quod virtutibus redolet, in tribulationibus innotescunt.

Idem lib. 2. Moralium.

Afflicti terrena perdimus, sed afflictionem humiliter sustinentes cœlestia multiplicamus.

Idem lib. 23.

Secreto Dei cōsilio agitur, vt eius peregrinationis tēpore electorū vita turbetur. Via quippe est vita præsens, qua ad patriā tendimus, & idcircò hîc occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viā pro patria diligamus.

Idem lib. 26. Moralium.

Aurem cordis tribulatio aperit, quam sępè prosperitas huius mundi claudit. Ibidem.

Sanctorū mētes æternitatis præmia præstolātes, vires ex aduersitatibus sumunt, quia crescēte pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Electorum desideria dum premuntur aduersitate, proficiūt. Sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur.

Idem Homil. 40.

Mala Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit fœlicitas transeuntis vitæ: illum paupertas afflixit & torsit.

Idem in Registro.

In omnipotente Deo: tūc certa est fiducia, quando pro bono opere aduersitas additur. In hoc mūdo recipitur, vt pulchrior merces in retributione æterna seruetur.

Isidorus lib. 2. cap. 1. de summo bono.

Iust⁹ in pœnis gaudere debet, & impius in prosperi-

ſperitatibus timere debet. Neq; à iuſto neq; à reprobo, Deus miſericordiam ſuam abſtrahit. Nā & bonos, hîc per afflictionē iudicat, & illic per miſericordiam & miſerationē remunerat. Malos autem, hîc remunerat per temporalē clementiam, & illic punit per æternam iuſtitiam.

Idem Solilo. libro 1. cap. 4.

Semper deos hîc eos vulnerat, quos ad ſalutem perpetuam præparat.

Bernard. lib. de Conſcien.

Quoſdam ſciens deus, multum peccare poſſe in ſalute, flagellat eos infirmitate corporis ne peccent: cernens vtilius eis languoribus frangi ad ſalutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.

Lactan. Firm lib. 5. ca. 23. diuin. inſtit. ad gen.

Vnde nemini mirum debet videri, ſi pro noſtris ſæpè delictis caſtigamur à Deo. Imò verò, cùm vexamur, ac præmimur, tum maximè gratias agimus indulgentiſſimo patri, quod corruptelam noſtram non patitur longius procedere, ſed plagis, & verberibus emēdat. Ex quo intelligimus, nos eſſe Deo curæ, quibus quoniam peccamus, iraſcitur.

Macrobius lib. 1. Saturnalium.

Non omninò dijs exoſos eſſe, qui in hac vita cum ærumnarū veritate luctantur, ſed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorum poterit venire curioſitas.

Paulus Oroſius de Orme ſta li. 4.

Tribulationes & plagæ, etſi plerunq; per aëreas poteſtates fiunt, tamen ſine arbitrio omnipotentis dei omninò non fiunt.

De hac materia habes ſuprà vbi Aduerſitas, Patientia & Proſparitas.

Tributum græcè τέλος, εος, τὸ. & τέλων ωνος, ὁ. tributorum collector dicitur. Eſt autem tributum quod principi tribuitur pro generali regimine. Vectigal verò quod tribuitur pro reparatione & cuſtodia de mercimonijs, ex b. Tho. ſuper epi. ad Rom. 13. lect. 1. fin.

Tributum à tribus dicitur, quòd ea pecunia quæ populo imperata erat, tributim ſoluebatur. Liuius tamen putat, quòd tribus dicatur à tributo: Tribus autem dicta eſt, quoniā ager Romanus in tres partes primò diuiſus fuit, & tres populi partes factę.

Vna Tatienſium à Tito Tatio rege Sabinorū amico populi Romani. Alia Ramniū, ſiue Ramnienſium à Romulo. Tertia Lucerum à Lucumone. Sed poſteà aliæ quoque vrbis partes factæ, quæ ſimiliter tribus appellatæ ſunt.

Trinitas græcè τριάς άδος ἡ & τριάκοντα triginta dicitur: Trinitatis nomen ſignificat vnitatem eſſentiæ in recto, & numerum perſonarum in obliquo, quoad etimologiā: ſed quoad ſignificationem eſt è conuerſo, ex b. Tho. 1. parte q. 31. art. 1.

Trinitatem, non eſt in diuinis eſſe impoſsibile, vt ibidem.

Ioan. 1. cap. 5.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnū ſunt.

Auguſt. lib. de Trinitate.

Vbi quæritur vnitas trinitatis, patris, filij, & ſpūs ſancti, nec periculoſius alicubi erratᷣ, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur. Non pigebit me ſicubi hæſito diſcere.

Quiſquis ergo audit vel legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum: vbi pariter hæſitat, quærat mecum: vbi errorem ſuū cognoſcit, redeat: vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur ſimul charitatis viam, tendentes ad eum de quo ſcriptum eſt: Quærite faciem eius ſemper.

Idem lib. 6. de Trinitate.

Qui hoc, id eſt, trinitatis myſteriū vel ex parte, vel per ſpeculum & in ænigmate videt, gaudeat cognoſcens Deum, & gratias agat. Qui verò non videt, tendat per pietatem ad videndū, non per cęcitatem ad calumniandum, quoniam vnus eſt Deus, ſed tamen trinitas.

Ibidem.

In ſumma trinitate tantum eſt vna, quantum tres ſimul ſunt, & nec plus aliquid ſunt duæ, quàm vna res, & in ſe infinita ſunt in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.

Idem de uerbis Domini.

Videmus ſolem in cælo currentem, fulgentē, calentem. Similiter ignis tria habet, hoc eſt motum, lucem & feruorem. Diuide ergo ſi potes Arriane ſolem, vel ignem, & tunc demum deinde trinitatem.

Gregorius lib. 3. Moralium.

Apertè hoc videbimus, quomodo & vnū diuiſibiliter tria ſunt, & indiuiſibiliter tria vnū.

Bernardus in ſermone de Trinitate.

Inquirere de trinitate, peruerſa curioſitas eſt: & credere & tenere ſicut ſancta eccleſia tenet, fides & ſecuritas eſt. Videre autem eā ſicuti eſt, perfecta & ſumma fœlicitas eſt.

Iſidorus lib. 1. Etymologiarum.

Trinitas dicitur quaſi triū vnitas, quia pater, filius, & ſpiritus ſanctus ſunt trinitas & vnitas. Idē enim & vnū ſunt per maieſtatis communionem, & tres per proprietatem perſonarum.

Dantes purgatorij cap. 3.

Matto e chiſpera che noſtra ragione
Poſſa transcorrer linfinita uia:
Che tene una ſubſtantia in tre Perſone. id eſt.
Stultus is eſt, qui ſperat ut noſtra ratio
Poſsit tranſcurrere immenſam uiam.
Quæ tenet unam ſubſtantiam in tribus perſonis.

Tristitia græcè λύπη, ης. ἡ. & λυπηρός. ὁ. ὁ. tristis & λυπέομαι tristor dicitur. Est autem tristitia, apprehensio disconuenientis in appetitu intellectiuo vel volitiuo, nobis nolétibus euenientis.

Tristitia est passio animalis, media inter duas passiones irascibilis, quia sequitur timorem, & prior est ira, quam etiam causat, secundùm bea. Tho. prima secundæ q.20.art.1.c.

Tristitia inter omnes animę passiones maximè corpori nocet, secundùm eundem prima, secundæ q.27.art.40.

Tristitię species sunt quatuor s. acedia, achos & misericordia, secundùm Ioan. Damas. lib.2.

Tristis mœstum significat: diciturque à tero quòd est cõsumo. Tristis quasi tritis, hinc tristitia, hoc est mœstitia deriuatur. Tristis capitur etiam pro docto, vt tristis philosophus. Significat etiam amarum. Virg. Tristesq; lupini.

Prouerb.cap.15.

In mœrore animi deijcitur spiritus.

Ibidem cap.17.

Spiritus tristis exiccat ossa.

Ibidem cap.25.

Tristitia nocet cordi.

Eccle.cap.7.

Cor sapientium vbi tristitia, & cor stultorũ vbi lætitia.

Eccle.cap.14.

Fœlix qui nõ habuit animi sui tristitiã, & nõ excidit à spe sua.

Ibidem cap.30.

Tristitiam non des animæ tuæ. Ibidem.
Multos occidit tristitia.

Ibidem cap.28.

A tristitia festinat mors. Ibidem.
Ne dederis in tristitiam cor tuum.

August.lib.Confeßion.

Memoria quasi venter est animi. Lætitia verò atq; tristitia, quasi cibus dulcis & amarus.

Ioan. Chrysost. & hab 13.q.2 cap.
Vbicunq; sepelimur.

Lugere aũt, deplorare & lamẽtari eos q̃ ab hac vita decedũt, ex pusillanimitate contingit. Hoc autẽ ex desperatione futurę resurrectionis intelligitur. Vnde Apostolus nõ simpliciter ait: Nolumus vos ignorare de dormientib. vt non contristemini, sed addidit: Sicut & cæteri qui spem non habent. Pietatis nanque affectu, humanitatis intuitu, mortuos lugere non prohibemur: sicut nonnullos sanctorum, aliorũ exequijs pias lachrymas impendisse legimus.

Hugo lib.3.de Animo.

Vis nunquàm esse tristis? benè viue: bona vita semper gaudium habet.

Cypria. & hab.13.q.2.cap. Quàm præposterum.

Quàm præposterum est, quamq; peruersum, vt cùm voluntatem dei fieri postulamus, quando vocat nos & accipit nos de hoc mundo, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & pertinacium more seruorum ad conspectum dominicum cum tristitia & mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non voluntatis obsequio. Et volumus ab eo præmijs cælestibus honorari, ad quẽ venimus inuiti.

Seneca lib.de Moribus.

Tristitiam si potes, non admiseris, sed si nõ potes, omnibus non ostentes.

Arist.lib.8.Ethico.

Delectationi intellectuali non est admixta tristitia.

Menander.

ἀεὶ τὸ λυποῦν ἐκδίωκε τοῦ βίου. id est.
Semper aliquid tristitia afficiens persecutũ est uitã. Idẽ.
ἄρ᾽ ἐστὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος. id est.
Nam est consanguineum quid tristitia & uita. Idem.
βιοῦν ἀλύπως θνητὸν ὄντ᾽ οὐ ῥάδιον. id est.
Viuere sine tristitia mortali existenti non facile. Idem.
λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσι νόσους. id est.
Tristitiæ enim hominibus pariunt morbos. Idem.
οὐκ ἔστι λύπης χεῖρον ἀνθρώποις κακόν. id est.
Non est tristitia peius hominibus malum. Idem.
τὸ ζῆν ἀλύπως, ἀνδρός ἐστιν εὐτυχοῦς. id est.
Viuere sine tristitia uiri est fortunati.

Ouid. de Ponto lib.1.Elegia ult.

Vnda locusq; nocent, & causa ualentior istis
Anxietas animi, quæ mihi semper adest.

Menander.

Οὐκ ἔστι λύπης, ἐάνπερ ὀρθῶς τις σκοπῇ
ἄλγημα μεῖζον τῶν ἐν ἀνθρώποις φύσει. id est. AMANTIVS.

Nulla est, si quis rectè consideret, quàm tristitia maior ægritudo suapte natura inter humanas res.

Euripides.

Λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσιν νόσους. id est.
Mœrores morbos pariunt hominibus.

Idem in Antrope.

οἰκτρὰ γὰρ τὰ δυστυχῆ
Βροτοῖς ἅπασι, κἂν θυραῖος ὢν κυρῇ. id est.
Omnes calamitates misericordiam cient
Cunctis hominibus, & si quis externus fuerit.

Ibidem.

ἄνθρωπος ὢν οὐδεὶς ἄλυπος τὸν βίον διήγαγεν, id est.
Homo existens nullus sine molestia uitam transegit.

Antiphanes.

Λύπη μανίας ὁμότοιχος εἶναι μοὶ δοκεῖ. id est.
Tristitia insaniæ uicina mihi esse uidetur.

Tristitia siue mœror est animi de malo præsenti contractio: vel de eo quod iam habetur, pro præsenti perturbatio: est hæc omninò lætitiæ contraria, eadem à Cicerone ægritudo nominatur: comites mœroris seu tristitię sunt: fletus, planct⁹, gemitus. Affectio hæc frigida est & sicca, idcircò inualescit in frigidis tẽporibus &

& locis, omninoq; in ijs quæ ingeniũ obtinent melancholicũ, vt in autumno & hyeme & tempore nubilo, & de nocte, tum ad septentrionẽ, in quibus regionibus plures absumit mœstitia, quàm in Hispania, vel Italia: tollitur mœror vel tristitia vel malo sublato, vel reddito amisso bono, aut rebus lætis maioribus affluẽtibus, quas non pluris æstimemus, quàm illas, quarum absentia dolebamus.

Diluitur ijs etiam, quæ tepefaciunt atram bilem, vt cibis calidis & humentibus, vino potissimum, de quo est in sacris literis, da vinũ mœsto. Item oblectamentis quoque visus vel auditus, vt cœlo aperto, campis & pratis patentibus, musica, item auersione cogitationis, vt in negotijs & narratiunculis lepidis, recto iudicio, nempe reputatione non esse tantum malum, nec tanti esse, vt sic nos affligat. Viues lib. 3. de anima.

Menander aliâs Philemon.

Multorum malorum causa omnibus est suapte natura
Tristitia: propter hanc etiam insania oboritur
Multis, & ægritudines incurabiles:
Interficiunt etiam aliqui seipsos præ tristitia.
Quum quod infert mœrorem maius est, quàm unde speratur salus.

Seneca de moribus.

Tristitiam, si potes, ne admiseris: sed si non potes, omnibus non ostentes.

Menander.

βιοῦν ἀλύπως θνητὸν ὄντ' οὐ ῥάδιον, id est.
Viuere sine tristitia mortali homini non est facile.

Cleænetus poëta, qui scripsit Argonautica.

λύπη γὰρ ὀργή τ' εἰς ἕνα ψυχῆς τόπον
ἐλθόντα μανία τοῖς ἔχουσι γίνεται. id est.
Tristitia & ira ubi in unum animæ locum
Conuenerint, furorem sibi obnoxijs pariunt.

Philemon Syracusanus Poëta.

Heu mihi: nam ipsa tristitia hanc uocem
Statim ut uidetur tristanti extorquet:
Quod si quis tristanti obuius illum iusserit
Saluere, re ipsa, & necessariò flere ipsum iubet.

Idem.

νόσον πολὺ κρεῖττον ἐστὶν ἢ λύπην φέρειν. id est.
Morbum ferre multò satius est, quàm tristitiam.

Euripides in Oenomao.

Istud ante omnia discendum est primùm,
Vt euentus rerum non ægrè aut iracundè feramus:
Huiusmodi uir optimus est, & calamitates ipsum minus mordentes.
Verùm hæc dicere quidem nouimus, re ipsa autem præstare difficillimum est.

Alexis poëta.

λύπη μανίας κοινωνίαν ἔχει τινί, id est.
Tristitia nonnihil cum insania commune habet.

Euripides in Oreste.

λύπη μάλιστα γ' ἡ διαφθείρουσα με:
δεινὴ γὰρ ἡ θεὸς, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος, id est.
Tristitia potißimum perdor:
Grauis enim Dea est, ueruntamen curabilis

Apollodorus in Paralogismenis.

οὐ δεῖ λέγειν μακάριον τὸν χρήματα
ἔχοντα πλεῖστα, τὸν δὲ μὴ λυπούμενον. id est.
Non appellandus est felix, qui pecunias
Habet plurimas, sed qui non tristatur.

Menander Comicus.

πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις κακῶν
ὄντων μέγιστον ἐστὶν ἡ λύπη κακῶν, id est.
Quum natura cunctis hominibus mala multa
Hæreant: maximum est tristitia malum.

Philemon poëta.

ἀγαθὴ γὰρ λύπη καθ' αὑτοῖς ἀναπλάσαι
ἀτεχνῶς διπλάσια τῆς ἀληθείας κακά.

Tristitia per se reddere potest duplo sanè maiora quàm reuera sint mala.

Pindarus in Olympionicis.

αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ παρέπλαξαν καὶ σοφόν. id est.
Animi perturbationes uel sapientem uirum seduxerunt.

Amphis in Philadelphis.

ἄπολλον, ὡς δυσάρεστόν ἐστι ἀνιώμενος
ἄνθρωπος ἐφ' ἅπασίν τε δυσχερῶς ἔχει: Id est.
O Apollo, quàm morosus est tristitia captus
Homo, & in omnibus difficilis.

Apollodorus in Galatis.

Vbi quis dolet, illuc animum conuertit:
Tristantibus enim & solicitis hominibus
Quælibet nox uidetur diu durare.

Græcè sic sonant.

ὅπου τις ἀλγεῖ κεῖσε καὶ τὸν νοῦν ἔχει:
τοῖς γὰρ λυπουμένοις τε καὶ μεριμνοῦσιν
ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά. Id est.

Alexis.

Tristitiæ plusquam mediocres
Exturbare mentem solent.

Posidippus in Myrmicè.

οὕτω τι πολύπουν ἐστὶν ἡ λύπη κακόν, Id est:
Adeo multiplex uanumq; malum est tristitia.

Idem in similibus.

ἔργον γε λύπην ἐκφυγεῖν ἐδ' ἡμέρα,
ἀεὶ τι καινὸν εἰς τὸ φροντίζειν φέρει. id est.
Difficile est tristitiam effugere, dies autem
Perpetuò secum nouas curas adfert.

Antiphanes.

ἅπαν τὸ λυποῦν ἐστὶν ἀνθρώπῳ νόσος,
ὀνόματα δ' ἔχουσα πολλά. id est.
Omne tristificum morbus est homini:
Multis autem uarijsq; nominibus appellatur.

Euphrautes Syrus amissa vxore dicebat, ô philosophia, tyrannica sunt præcepta tua, amare iubes, & si quis amiserit quod amabat, dolere prohibes. *Græcè sic.*

τὴν γυναῖκα ἀποβαλὼν ἔλεγεν ὦ φιλοσοφία,
τυραννικὰ σου τὰ ἐπιτάγματα, λέγεις φιλεῖν,
κ' ἂν ἀποβάλῃ τις λέγεις μὴ λύπου.

Socrates interrogatus quomodo quis sine molestia vitam ageret, negauit id vllo modo fieri posse, non enim licet, dixit, ciuitatem aut domum inhabitanti, & hominibus conuersanti sine molestijs degere.

Πῶς ἄν τις ἄλυπος διάγοι τοῦτο ἀδύνατον, εἶπεν· οὐ γάρ ἐστι πόλιν ἢ οἰκίαν οἰκοῦντα, καὶ ἀνθρώποις ὁμιλοῦντα μὴ λυπεῖσθαι.

Sophocles in Eriphyle.

Quomodo mortalis ego fortunam impugnabo diuinam,
Vbi calamitas nihil spe iuuatur.

Idem in Aiace.

Sua intueri mala,
Vbi alius nemo similiter patitur,
Ingenteis ciet dolores.

Græcè hæc eadem.

Τὸ γὰρ ἐσλέοσσιν οἰκεῖα πάθη
Μηδενὸς ἄλλου παρὰ πράξαντος
Μεγάλας ὀδύνας ὑποτείνει.

Euripides in Antiope.

Intelligo autē quæ patior, ut hoc ipsum nō leue malū est.
Ignorantia enim uoluptatis aliquid habet
In hoīe ægrotante, & inscitia lucrū est in rebus aduersis.

Græcè ita habent.

Φρονῶ ἃ πάσχω καὶ τὸ δ᾽ οὐ σμικρὸν κακόν.
τὸ μὴ εἰδέναι γὰρ ἡδονὴν ἔχει τινά.
Νοσοῦντα κέρδος δ᾽ ἐν κακοῖς ἀγνωσία.

VANVS. Tumor græcè οἴδημα ατος τὸ & οἰδέω. tumeo dicitur. Tumor mentis est filia iræ, & est quidam conatus seu audacia hominis intentantis vindictam, & est quando quis implicat mentem deliberare in varijs modis & vijs, quibus possit proximum offendere.

Tumor mentis, obstaculum est veritatis, secundùm B. Tho. super Esaiam 9. lect. 2. col. 1.

Tumultus græcè θόρυβος. ου. ὁ. θορυβέω tumultuor dicitur. Est autem tumultus locutio confusa, & præcipuè locutio multorum simul, secundùm B. Thomam super Esaiam 17. lect. 2. col. 1.

Tumultus est (vt cū Cicerone Quintilianus inquit) timor multus, vt autem Zeno, vocis cōplosæ per metum eruptio.

Turpiloquium græcè αἰσχρολογία. ας. ἡ. & αἰσχρός. έος. ὁ. turpis dicitur. Est autem turpiloquiū filia luxuriæ, quia luxuriosi quorū est cor turpibus delectationibus plenum & concupiscentijs, de facili ad turpia verba prorumpunt, ex B. Tho. secunda secundæ q. 153. art. 1.

Matthi. Agric. de Ebrietate.

Ἄμμιγα βωμολόχοι γλώσσαις φιλοπαίγμονές εἰσι
ῥήτουσιν φωνὰς τ᾽ ἀμφαδίην μιαράς.
Φεῦ φέρεται ῥυπαροῖς ἀκόλασος γλῶττα ἔπεσσιν
Μηδ᾽ εἴωθ᾽ ἄνευ τοῦτ᾽ ὀλίγην θέμεναι.

Simul scurræ iocorum amatores suis linguis,
Palàm uoces ædunt spurcas.
Vah fertur impuris effrenis lingua sermonibus,
Neq; hoc exiguam adferre solet pœnam.

VAcuum græcè κενόν οῦ. τὸ & κενόω vacuo dicitur. Est autem vacuū locus priuatus corpore, secundùm Arist. lib. 4. Physicorum.

A vacuum vaco dicitur. Est enim vacare, propriè vacuum esse. Vacare si impersonaliter accipitur, significat vacuum tempus esse. Vaco si cū ablatiuuo sine præpositione iungatur, pro careo accipitur, vt vacas sapientia, hoc est cares, quanquā carere est vacare his, quibus indiges, vel quę aptus natus sis habere. Quare non rectè dicitur homo carere alis. Cicero. Satiatis & expletis, iucundius est carere, quàm frui. Quāuis non caret is qui non desiderat. Impropriè dicimus, careo damno, culpa, periculo. Si verò iungatur ablatiuo cum præpositione ab, eodē modo significat vacuus sum, vt vaco à studijs, vaco ab agricultura. A vaco pariter fit vacatio, quæ græcè σχολή. ῆς. ἡ. dicit. Item vacillo & vacillatio, superuacuum superuacaneū, & vanus, na, num. & vanitas differunt. Vanum autem quidam sic distinguunt à falsum & fictum vt falsum loqui, mendacis sit: fictum, callidi: vanū, stulti: falsum loqui, culpæ sit: fictum, virtutis: vanum, vecordiæ: falsis decipiamur, fictis delectemur, vana speremus.

Vagatio græcè πλανητεία. ας. ἡ. & πλανήτης. ου. ὁ. vagus & πλάνομαι vagor dicitur. Vagi propriè dicuntur, qui sine negotio, modò huc, modò illuc, inutiliter discurrunt, dicti quod vacui, hoc est sine negotijs agantur. Hinc vagari inutilirer peragrare, & vagabundi, qui modò huc modò illuc discurrētes tempus inutiliter consumunt.

Seneca epistola 2.

Bonam spem de te concipio, nō discurris, nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi est ista vagatio.

Idem epistola 70.

Mutare te loca, & de alio in alium transilire nolo. Primū quia tam frequens mutatio instabilis animi est. Coalescere otio non potest, nisi desinat circumspicere & errare. Vt animū possis continere, prius corporis tui fugā siste, deinde plurimum remedia cōtinuata proficiunt.

Ibidem.

Quoties processeris, in ipso transitu, aliqua quæ renouent cupiditates tuas, tibi occurrent.

Idem in epistola.

Nihil æquè prodest quàm quiescere, & minimum cum alijs loqui, secum plurimum.

VAletudo græcè ὑγίεια. ας. ἡ. & ὑγιεινός. οῦ. ὁ. sanus & ὑγιαίνω valeo dicitur, valere autē propriè significat posse. Hinc valens, potens, Ouid. Nessus adit, pedibusq; valens, scitusq; vadorum. Hinc validus pariter potens, robustus, firmus, cuius contrarium est inualidus. Hinc etiam validè, & per syncopen valdè, hoc est multum. Hinc benè valere, sanum esse, quasi benè posse,

posse, & malè valere, ægrum esse atque infirmũ quasi malè posse. Qui enim potentes, & validi sunt, sani etiam sunt: econtrà impotentes & inualidi ægrotare dicuntur, quare valere simpliciter capitur pro eo quod est saluũ esse. Martialis: Ne valeam, si nõ totis Daciane diebus, Et tecum totis noctibus esse velim. Hinc vale vox salutantis est, cũ ab aliquo recedimus, quo verbo & qui recedit vtitur dicens, vale, & qui remanet respondens, vale & tu. Sicuti salue & aue salutantium sunt, & eorum qui salutati resalutant. Et quoniam absentes per hæc verba saluta re solemus, vale & salue, consuetudo inualuit, vt hæc duo verba, sæpè pro eo quod est abi & discede, vsurpemus, etiam si cum stomacho & indignatione loquamur. Ter. Valeãt qui inter nos dissidium quærunt, hoc est, abeant & à nobis discedant. Cic. Multam salutem dixi foro & curiæ, hoc est reliqui forum & curiam, & ab his discessi. Nec valere simpliciter acceptum, properire aut malè habere vsurpat, vt nonnulli putant. Ab hoc valeo valetudo venit, quę pro languore accipitur. Cic. Valetudinem tuam cura diligenter, hoc est, languorem, infirmitatem. A qua valetudinarij dicuntur, qui malè sani sunt, & frequenter ægrotant. Aliquando valetudo sanitatem significat. Cic. Sed nunc valetudini tribuamus aliquid. A valeo fit conualeo & conualesco, quod est sanitatem recupero. Item inualeo, quod significat robur & firmitatem acquiro. Vnde inualuisse consuetudinem, inualuisse mores dicimus, & ab eo valeo videtur deductum, quod significat possum.

Gregorius in Pastorali lib. 7. cap. 23.

Admonendi sunt incolumes, vt salutem corporis exerceant ad salutem mentis. Ne, si acceptæ incolumitatis gratiam, ad vsum nequitiæ inclinent, dolo deteriores fiant, & ne opportunitatem salutis, pro mercede euacuent.

Cicero lib. de Finibus bon. & malorum.

An id exploratũ cuiq; potest esse, quomodo se habiturus sit, nõ dico ad annũ, sed ad vesperã.

Aristot. lib. de Sensu & sensato.

Odorabile inquantum odorabile, non confert ad nutrimentum, sed benè ad sanitatem.

Menander.

οὐκ ἔστ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. id est.
Non est ualetudine præstantius aliquid in uita.

Idem.

ὑγίεια, καὶ νοῦς, ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύω: id est.
Valetudo & mens, bona in uita duo.

De hac materia habes suprà in Infirmitas.

Vnitas græcè ματαιότης ητος. ἡ & μάταιος. ου. ὁ vanus, de quibus suprà vbi Vacuum.

Vana gloria græcè κενοδοξία. ας. ἡ. dicitur. Et vno modo dicit appetitum dignitatis & excellentiæ, & sic est idem cum superbia, & est vitiũ capitale: quia animus directè mouetur ad dignitatem & excellentiam appetendã. Alio modo dicit appetitum laudis, & sic est filia superbiæ, ex S. Bona. sen. di. 42. q. 2.

Vana gloria, est voluptas stultè ostentãdo quę sua non sunt, aut iactando quæ minimè vera sint, & imprudenter mentiendo: quod sanè vitium est summæ stultitiæ argumentum.

De hac materia vide suprà vbi Inanis gloria.

Vaporatio græcè ἀναθυμίασις. ιος. ἡ & ἀναθυμιάζω vaporo, & ἀτμίς. ίδος. ἡ vapor dicitur. Est autem vapor, aquæ disgregatio, & natura eius humida est & calida, exhalationis aũt natura calida & sicca sec. Arist. lib. 1. Metheororum.

Vapor est substantia calida & humida, vi solis ab aqua vel aqueo educta.

De hac materia vide suprà in arbore Corporis.

VArietas grecè ποικιλία. ας. ἡ. & ποίκιλος. ου. ὁ. varius dicitur. Est autem varietas vel variatio, idem quod diuersitas. Hinc variabile. i. mutabile. Venit autem varius à varus. ita & vario verbũ, varus enĩ ille propriè dicitur, qui pedes obtortos habet. Quare pro obtorto aliquando ponitur. Persius. Et non fallit pede regula varo. Hinc varices illæ venæ in cruribus, & ferè grandiores dicuntur, quæ frequenter tumidæ sunt atq; obtortæ, à quib⁹ varicosus appellatur, qui tumidiores habet huiusmodi venas. Iuuenalis: *Varicosus fiet haruspex.*

Paulus ad Cor. 1. cap. 12.

Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secũdùm eundem spiritum, alteri fides in eodẽ spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonum. Hæc aũt omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

Idem ad Timoth. 2. cap. 2.

In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quędam in cõtumeliam.

Aristoteles lib. 21. Politicorum.

Non idem vnicuique delectabile est secundùm naturam, sed altera alterius.

Cicero lib. 1. de Natura deorum.

Quid inter ipsos homines, nónne & simillimis formis dispares mores, & moribus figura dissimilis.

Valer. Max. lib. 6. tit. de Varietate casuum, cap. 11.

Piget Themistoclis adolescentiam attingere, siue patrem aspiciam, abdicationis iniungẽtem notam, siue matrem, suspendio sui finire vitam, ptropter filij turpitudinem coactã, cùm omnium posteà Graij sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediumq; Europæ & Asiæ,

vel

vel spei vel desperationis pignus fuerit. Hæc enim salutis suæ patronum habuit, illa vadem victoriæ assumpsit.

L. Apuleius de asino aureo lib. 3.

In cœtu turbulento variæ fuére sententiæ.

Paulus Orosius de Ormesta lib. 1.

Assolent humanę mutabilitati omnia sordere præsentia.

Teren. Com. ultima.

Verum est, quot homines tot sententiæ.

Horatius Carminum lib. 3. Ode. 1.

Est ut uiro uir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendit in campum petitor
Moribus, hic meliorq; fama.
Contendit, illi turba clientum,
Sit maior.

Horatius in arte Poetica.

-Tristia mœstum
Vultum uerba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem, lasciua: seuerum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit,
Post effert animi motus interprete lingua.

Ibidem.

Intererit multum Dauusne loquatur, an heros,
Maturúsue senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercatórne uagus, cultórne uirentis agelli,
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.

Ibidem.

Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores:
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis,
Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper.
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amara relinquere pernix.
Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis,
Quærit opes, & amicitias, inseruit honori.
Commisisse cauet quod mox mutare laboret.

Idem serm. lib. 1. satyra. 4.

Quem uis media erue turba:
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat:
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum:
Hunc capit argenti splendor, stupet Albius ære,
Hic mutat merces surgenti sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio: quin per mala præceps
Fertur, uti puluis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.

Horatius Serm. lib. 2. saty. 2.

Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem
Pugnis, quot capitum uiuunt totidem studiorum
Millia.

Horatius epistolarum lib. 1. epist. 8.

Quæ nocuêre sequar, fugiam quæ profore credam.
Romæ Tybur amem uentosus, Tybure Romam.

Idem lib. 1. epist. 19.

Oderunt hilarem tristes, tristemq; iocosi,
Sedatum celeres, agilem gnauumq; remissi.
Potores bibuli media de nocte Falerni,
Oderunt porrecta negantem pocula, quamuis
Nocturnos iures te formidare uapores.

Idem lib. 2. Epist. 2.

Denique non omnes eadem mirantur, amantq;,
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.
Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur,
Poscentes uario multum diuersa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu quod iubet alter:
Quod petis, id sanè est acidum, inuisumq; duobus.

Persius Satyra 5.

Mille hominum species & rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec uoto uiuitur uno.

Dantes paradisi. Canti. 11.

O insensata cura de mortali,
Quanto son defectui i Syllogismi,
Quei che ti fano in basso bater l'ali.
Chi dietro ad iura, & chi ad Amphorismi,
Sengiua, & chi se quendo sacerdotio,
E chi negar per forza e per sophismi.
E chi regnar & chi ciuil negotio,
Chi nel dilecto de la carne inuolto
S'affaticaua, & chi si daua al otio. Id est.

O amens cura mortalium,
Quam defectiui sunt hi syllogismi,
Qui efficiunt ut infrà alas moueas.
Quidam post iura, & quidam post Amphorismata.
Ibant, & quidam sequentes sacerdotium,
Nonnulli ut regnarent ui & sophismatibus,
Alij furtis, alij ciuili negotio,
Plures rebus Venereis inuoluti.
Conabantur, alij indulgebant otio.

Vaticiniũ græcè μαντεία, ας. ἡ & μαντεύομαι vaticinor dicitur. Est autem vaticinium diuinatio futurorum, & dicitur quasi faticinium. Ita & vates qui vaticinatur, dictus quasi faticinor. Sunt tamen qui velint vates dictos à viendis, hoc est, colligendis verbibus, vel à vinciendi carminibus. Significat enim vates etiam poëtam, qui quidem graue carmen nõ fundit sine numinis instinctu.

De hac materia vide suprà in Diuinatio, Poëta, Sortilegium.

Vbi græcè ποῦ dicit. Et est proportio locati ad locum, secun. b. Tho. 3. Sen. di. 16. q. 3. ar. 1.

Vectigal græcè τέλος, εος, τὸ dicitur. Et est id quod præstatur ex his rebus, quæ venduntur. Quid autẽ differat à tributo, vide suprà in Tributum. Est etiã vectigal quod soluit portitori.

Vehementia græcè σφοδρότης, ητος. ἡ & σφοδρός vehemens & σφόδρα vehemẽter dicitur. Est autem.

tem vehementia quędam acritudo, dicta à vi & impetu mentis, secundùm Gellium.

Velocitas græcè ταχύτης.ητος.ἡ. & ταχύς.έος.ὁ velox dicit, cuius comparatiuum velocius. Est autem velocius, quod in ęquali tempore maius spatium pertransit, vel in minori maius, vel in minori æquale, secundùm Arist. lib. 6. Pylitico.

Venundo græcè πωλέω. dicitur, vnde venditio deducitur. Venditio verò & emptio non solùm consistit in datione & acceptione pecunię, sed omnium quorum pretium potest numisma te mensurari, secundùm B. Thom. 4. sent. dist. 25. q. 3. art. 3.

Veneficium græcè φαρμακεία.ας.ἡ. & φαρμακὸν venenū & φαρμακοῦργος.ȣ.ὁ veneficus dicitur. Venefici autem dicuntur, qui veneno homines extinguunt. Dicuntur etiam venefici, qui malis artibus & fascinationibus ac poculis amatorijs vtuntur. Horum artes veneficia appellantur.

VEnia græcè συγγνώμη.ης ἡ. dicitur. Et est debitæ pœnæ remissio, secundùm Senecam li. de clementia. Dicitur autē venia, quòd optanti eueniat. Venia aliquando capitur pro indulgētia. Est autem indulgere obsequi, & aliquid delicatè concedere. Quare indulgentia est mollis, & delicata permissio. Terent. Demea nimium indulges filio.

Matthæus cap. 18.

Accedens Petr' ad Iesum, dixit: domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsq; septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsq; septies, sed vsque septuagesies septies.

August. de uerbis Domini, tractans illud apost. Donantes uobismetipsis.

Auditis formam. Si septuagesies septies Christus peccata tibi donauit, si hucusq; ignouit, & vltra negauit, pone & tu limitem, & vlterius noli ignoscere.

August. de Agone christiano.

Debet ecclesia catholica correctis & firmatis filijs libēter ignoscere. Cùm ipsi Petro personā eius gestanti, & eum in mari turbasset & cùm Deum carnaliter à passione reuocâsset, & cùm aurem serui gladio præcidisset, & cùm ipsum dominum etiam negasset, & cùm in simulationem posteà superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eumq; correctum atq; firmatū vsq; ad dominicæ passionis gloriā peruenisse.

August. de uerbis Domini, tractans illud apost. Donantes uobismetipsis.

Dicit dominus: Dimitte, & dimittetur tibi. Si ego prior dimisi, dimitte illis posteà. Nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid dimiseram, replicabo tibi.

August. de uerbis domini sermone 16.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ne dicas in lingua ignosco, & corde differas, nouit em̄ cùm dicas, vocem tuam audit homo, conscientiam tuam Deus inspicit. Melius est enim dum non clamas ore, & dimittis corde, quàm blandus ore, crudelis in corde.

August. super Matth. 6. Et dimitte.

In hac petitione si mentitur, totius orationis nullus est fructus. Pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debitam peccatorum petenti veniam, nunquam iustè negatur.

Augustinus lib. 2. Confeßionum.

Gratiæ tuę deputo & misericordiæ, q̄ peccata mea tanquā glaciē soluisti: gratiæ tuę deputo & quęcunq; non feci mala: quæ em̄ facere non potui: & omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.

Hieronymus super Matth. lib. 3.

Non vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. i. quadringentis & nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ipse peccare non posset.

Hieron. super illud Matth. 24. Si peccauerit in te frater tuus.

Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos lęserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem, quia dominus præcepit, vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si aūt in Deum quis peccauerit, nō est nostri arbitrij, vt dicit scriptura: Si aūt peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos: si autem peccauerit in Deum, quis rogabit ꝓ eo? Et nos econtrario in Dei iniuria benigni sumus, & in nostris contumelijs odia exercemus.

Idem super illud: Si nō remi. de cor. uestris.

O formidolosa sententia? Si parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittuntur.

Ambrosius lib. 1. de Officijs & hab. 13. q. 4. cap. est iniusta.

Est iniusta misericordia, vide suprà in Miseri.

Gregorius lib. 4. Moralium.

Si hoc quod in nos delinquitur ex corde nō dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

Ibidem lib. 10.

Apud misericordem iudicem, nequaquam sine venia culpa relinquitur, cùm per feruorē zeli, ex eius amore peccatur. Sæpe nanq; magis hoc doctoribus mirandis contingit, quò vt [illegible] charitate feruent, modum correctionis exaggerent, & lingua aliquid quod non debent, dicāt: Quia mentem dilectio quantum debet, inflammat: sed verbū prolatæ cōtumeliæ tanto citius patiť, quanto & ex qua radice ꝓdeat, pensatur.

Isidorus lib. 3. de summo bono.

Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt, & cùm ipsi maximis criminibus obnoxij tenean-

teneantur, peccata minora fratribus non dimittunt.

Ventus græcè ἄνεμος.ου.ὁ.& ἀνεμώδης.εος.ὁ.ἡ. ventosus dicitur. Est autem ventus impetus aëris in vnam partem flantis, vel sic: Ventus est magna multitudo exhalationis calidæ & siccæ motę lateraliter super terram ad multam distantiam, secundùm Arist. lib.3. Meteoro. dicitur autem à venio. Hinc ventosus, hoc est plenus vento, vt regio ventosa: vel inanis, vt verba ventosa, oratio ventosa, hoc est sine pondere, sine effectu. Hinc etiam ventositas, hoc est inanis iactantia & vanitas. Hinc etiam ventilare, quod est mouendo ventum captare.

Venustas græcè σεμνότης ητος.ἡ. & σεμνός.οῦ.ὁ. venustus dicitur. Est aūt venustas pulchritudo quædam, à qua venustus pulcher, venustè, pulchrè, & venusto, orno. Vnde venusta oratio, est quæ cum gratia quadam ac venere dicitur.

Verbum gręcè λόγος.ου.ὁ. dicitur, & πολυλόγος ου.ὁ verbosus. Est autem verbum, quod consignificat tempus, cuius pars extra nihil significat: & est semper eorum quæ prædicantur nota, secundùm Arist. lib.1. Perihermenias, & tunc à Græcis ῥῆμα.ατος.τὸ dicitur.

Verbum vocale, in nostra lingua impositum est à corporali motu, s. ab aëris verberatiōe, sed ad significandū omne quod dicit, interius vel exterius. Verbum mentis nihil aliud est, quàm conceptio intellectus, quę est operatio. i. ipsum intelligere, vel species intellecta, ex b. Tho. 1. Senten. dist. 27. q.2. art.2. & 3.

Verecundia gręcè αἰδος.εος.τὸ & αἰδέομαι verecundor dicitur. Est autem verecundia timor neglectionis vel dedecoris, secūdùm Aristotelem lib. 4. Ethicorum.

Verecundia est dolor quidam atq; perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut futuris, quę infamiam inferunt proueniens, secundùm eundē lib. 2. Rhetoricorum.

Verecundia est timor turpitudinis exprobrabilis, & principaliter respicit vituperium, sed respicit culpā consequenter, & hoc dupliciter, s. cessando & cęlando. ex b. Tho. secunda secundæ, q.116. articulo 2.

Verecundia à vereor quod est timeo, dicitur. Quid autem ab erubescentia differat, vide suprà in Erubescentia.

Ecclesiastici cap. 7.

Gratia enim verecundiæ illius super aurum.

Ambrosius lib. 2. de Officijs.

Pulchra virtus est verecundia, & suauis gratia, quæ non solū in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquēdi, ne quid indecorum sermo resonet tuus: Speculum enim mētis plerunq; in verbis refulget, ipsum vocis librat modestia, ne cuiusq; offendat aurem vox fortior. Deniq; in ipso canēdi genere, prima disciplina verecundia.

Ibidem.

Tacebat in periculis Susanna, & grauius verecundię quàm vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris, tuendam salutē. Soli deo loquebatur, cui poterat casta verecundia loqui: refugiebat ora intueri virorum.

Ibidem.

Est enim verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Nónne hęc prætulit publicanum, & commendauit eū, qui nec oculos suos audebat ad cælum leuare? Paulus orationem deferre præcepit, cum verecundia & sobrietate.

Ibidem.

Verecundia cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta, tamen adolescētes iuueniles q; annos maximè decet. Vt artifex in materia cōmodiore melius operari solet: sic verecundia in ipso quoq; corporis decore plus eminet, ita tamen, vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm ornatus vel cultus vel expeditus.

Ambrosius de morte Abel & Cain.

Erubescere debemus & condemnare peccatum, nō defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur.

Hieron. ad Pammachium de morte Pauli.

Ingenia liberaliter educata, facilius verecundia quàm metus superat, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor.

Ibidem.

Quicquid pudet dicere, pudeat & cogitare.

Gregor. super Ezechielem homil 10.

Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malū, sapientiæ est: bonum verò erubescere, fatuitatis est. Qui erubescit mala pœnitendo quæ fecit, ad vitæ libertatē peruenit: qui verò erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, itaq; ad damnationem tendit, sicut per redemptorem dicitur: Qui erubescit & meos sermones, &c.

Bernardus super Cantica sermone 78.

Quid amabilius verecundo adolescente? Quā pulchra & quàm splendida gemma morum est verecundia in vita & vultu adolescētis? quàm vera & minimè dubia bonæ spei, nuntia bonæ indolis, virga disciplinæ, inexpugnatrix malorū, propugnatrix puritatis innatę, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti.

Ibidem.

Verecundia soror est continentiæ. Nullum æquè manifestum est indiciū columbinæ simplici-

plicitatis: & ideo etiam testis est innocentiæ, lāpas pudicitiæ mentis iugiter lucens, vt nil in ea turpe vel indecorum residere attētet, quod non illa ilicò prodat.

Hugo de institutione nouitiorum.

Hæc dicentibus erubescenda essent, si à faciētibus præsumpta non fuissent: nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui volui in faciendo habere disciplinam.

Seneca epistola 11.

Vbi se colligebat verecundia, bonum in adolescente signum, vix potuit excutere, adeo illi ex alto suffusus est rubor. Magis in iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frōs veteranos nihilominus & senes tangit, quidam nunquam magis quàm cùm erubuerint timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint.

Idem.

Artifices scenici, hoc indicio imitantur verecundiam: Deijciunt vultum, verba submittūt, figunt in terram oculos & deprimunt, ruborē sibi exprimere nō possunt: nec prohibetur hic, nec adducit. Nil aduersus hæc sapiētia ꝓficit: sui iuris sunt, iniussa veniunt, iniussa discedunt.

Seneca epistola 25.

Nutriendus est pudor: qui quandiu in animo durauerit, aliquis erit bonæ spei locus.

Seneca in Prouerbijs.

Recta ingenia debilitat verecūdia, praua cōfirmat audacia.

Ibidem.

Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor per verba discutitur.

Aristot. lib. 4. Ethicorum.

Verecundia non conuenit omni ætati, sed tantùm iuuenili.

Ibidem.

Iuuenes verecundos laudamus.

Ibidem.

Senem verecundum nullus laudabit.

Cicero in epistolis.

Sed tamen qui semel fines verecundiæ pertrāsierit, eum benè & grauiter oportet esse impudentem.

Homerus in ε Iliados.

αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι, ἠὲ πέφανται Id est

Verecundantium uirorum plures salui ꝙ interficiuntur.

Idem in ω Iliados.

οὐδέ οἱ αἰδδώς.

γίνεται ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησι.

Neq; ipsi uerecundia,

Est quæ uiros ualde lædit, atq; iuuat.

Idem in ρ Odysseæ.

αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.

Verecundia non bona indigente uirum comitatur.

Pythagoras.

πρήξῃς δ' αἰσχρόν ποτε, μήτε μετ' ἄλλου,

μήτ' ἰδίῃ πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.

Facies autem turpe unquam nihil, neq; cum alio,

Neq; solus. Omniū autem maximè uerecundare teipsum.

VEritas græcè ἀλήθεια. ας. ἡ. & ἀληθής. έος. ὁ. ἡ. verus dicitur. Est autem veritas per quam immutata ea quæ sunt aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur, secundùm Cic. lib. Rheto.

Veritas est adæquatio rei ad intellectum, secundùm Arist. lib. 2. Meta. Veritas dicitur à verum, quod est, solidum, syncerum, non falsum. Venit enim verum à ver veris, quoniam verno tempore sole arietem ingresso, omnia verè nascuntur, partusq; ad maturitatem perueniunt, cùm alijs temporibus nata sæpè deficiant. Hinc verifico, verisimile, & veridicus deducuntur.

Esdræ primi cap. 4.

Veritas magna est, & fortior præ omnibus.

Omnis terra veritatem inuocat. *Ibidem.*

Ibidem.

Non est cum ea quicquam iniquum.

Dauid Psalm. 11.

Diminutæ sunt veritates à filijs hominum.

Idem Psalm. 25.

Vniuersæ viæ domini, misericordia & veritas.

Hieronymus ad Celantiam.

Mentiri atq; iurare lingua tua prorsus ignoret: tātusq; in te sit veritatis amor, vt quicquid dixeris, iuratum putes.

Idem super Ezechielem.

Non meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat.

Gregorius li. 10. Moralium.

Bonorum mens quò duriora pro veritate tolerat, eò in æternitatis præmia certius sperat.

Ioan. Chry. de laudibus Pauli, homilia 3.

Talis est conditio falsitatis vel erroris, vt etiam nullo sibi assistente consenescat ac defluat: Talis autē ediuerso veritatis status, vt etiā multis impugnantibus suscitetur ac crescat.

Idem super Mathæum.

Non potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inueniēdi facultas, si fuisset quęrendi se voluntas. Nam si veritas, salus & vita cognoscentium se dicitur, magis quæri debet quàm pecunia.

Boetius libro 1. prosa 4. de philosoph. consol.

Sed si semper mentiens imprudentia rerum merita non potest immutare, nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritates vel concessisse mendacium.

Idem libro 3. metro 1.

Tu quoq; falsa tuens bona, prius
Incipe colla iugo retrahere,
Vera dehinc animum subierint.

Lact. Firm. diui. inst. aduersus gentes, lib. 1. in præfa.

Magno, & excellēti ingenio viri cùm se doctrinę penitius dedissent, quicquid laboris po

terat impendi, cōtemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium contulerunt: existimantes multò esse præclarius humanarum, diuinarumq; rerū inuestigare, ac scire rationē, quàm aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles, terrenæq; sunt, & ad solius corporis pertinēt cultum, nemo melior, nemo iustior effici potest. Erant quidem illi veritatis cognitione dignissimi, quàm scire tantoperè cupiuerunt, atq; ita, vt eā rebus omnibus anteponerent. Nam & abiecisse quosdam res familiares suas, & renuntiasse vniuersis voluptatibus constat, vt solam, nudamq; virtutem nudi, expeditiq; sequerētur: tantum apud eos virtutis nomen, atq; autoritas valuit, vt in ipsa summi boni præmium iudicarēt. Sed neq; adepti sunt id quod volebant, & operam simul, atq; industriam perdiderunt: quia veritas: i. arcanū summi Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac proprijs nō potest sensibus comprahēdi: alioqui nihil inter Deum, hominemq; distaret: si consilia, & dispositiones illius maiestatis æternæ cogitatio assequeretur humana.

Ibidem.

Veritas licet possit sine eloquentia defendi, vt est à multis sæpè defensa, tamen claritate, ac sermonis nitore illustranda, & quodammodo disserenda est, vt potentius influat in animo, & vi sua instructa, & luce orationis ornata.

Idem libro 2.

Veritas à vulgo solet varijs sermonibus esse dissipata. *Ibidem.*

Quid igitur profuit te vidisse veritatē, quam nec defensurus es, nec secuturus.

Ibidem.

Verum autem scire, diuinæ sapientiæ est.

Lactan. Firmian. diuina. institu. lib. 6.

Qui veritati studet, abijciat inimicas ac anxias voluptates, quæ animum sibi vinciūt: præferat vera falsis, æterna breuibus, vtilia iucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod iustè, & piè fieri videas: nihil auditu suaue, nisi quod animam meliorem teq; reddat.

Cicero libro 1. de Natura deorum in princi.

Quid tā temerariū tamq; indignū sapiētis grauitate atq; cōstantia, quā aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit & cognitum, sine vlla dubitatione defendere.

Ibidem.

Vtinam tam facilè vera inuenire posśim, quàm falsa conuincere.

Cicero lib. 2. de diuina.

Ex falsus verum effici non potest.

Seneca epistola 5.

Veritas simplex oratio est, ideoq; illam implicare non oportet.

Seneca de formula vitæ.

Cogitatio tua nunquam recedat à vera.

Aristoteles libro 3 Metaphysicæ.

Dubitationū solutio, est veritatis inquisitio.

Ibidem.

Veritatem inquirentes sine dubitatione, similes sunt nescientibus quò ire debent.

Ibidem.

Nō omne quod videtur & apparet, hoc verū est.

Ibidem libro 1.

Duobus amicis existentibus, sanctum est honorare veritatem.

Ibidem libro 4.

Verū bonū est & laudabile. *Ibidem.*

Verax est laudādus, sed mēdax vituperādus.

Ibidem lib. 7.

Non oportet tantū verum dicere, sed etiam causam falsi assignare.

Ibidem lib. 1 Periher.

Circa cōpositionē & diuisionē est veritas vel falsitas: igitur nomina & verba similia sunt sine cōpositione & diuisione intellectus, vt homo vel albus. *Ibidem.*

Nulla affirmatio erit vera, in qua prædicatur vniuersale vniuersaliter sumptum.

Ibidem.

De futuris singularibus. s. in materia contingenti, non est determinata veritas.

Ibidem.

Non est necesse omnes affirmationes vel negationes oppositorum, hanc quidem veram, illam autem falsam.

Aristoteles libro 1. Priorum.

De omni affirmatio vel negatio vera est.

Idem li. 2.

Ex falsis benè sequitur verum, sed ex veris nūquam sequitur falsum, sed semper verum: nam ex falso verum, ex vero nil nisi verum.

Aristo. libro 1. Posteriorum.

Omne de quo cōtingit, aut affirmare, aut negare, verum est, quia est.

Ibidem

Ex veris & nō, demonstratiuè est syllogizare, ex necessarijs autem non, sed demonstratur.

Ibidem.

Ex veris semper sequitur ipsum verum.

Porphyrius in uniuersalibus.

Ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa.

Cicero Tusc. quæst. libro 3.

Quid enim laboro, nisi vt veritas in omni quæstione explicetur. Verū dicētibus facile cedā.

Cicero Rheto. nouorum libro. 4

Et qui in sermonibus & cōuentu amicorū verum non dixerit, nunquā eum sibi in concionibus, credas à mendacio temperaturum.

Periander.

ἀλήθειαν ἔχου, id est. Veritatem habe.

Menan-

ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα, ἀληθῆ λέγει. Menāder.
Lingua aberrans uera dicit.

Plautus in Amphytrione.

Miserrima isthæc miseria est seruo bono apud herũ qui uerba loquitur, si id uerum uincitur.

Terentius in Andria.

Veritas odium parit. *Ibidem.*
Potin mihi uerum dicere? nihil facilius:

Veritas Deo gratißima.

AMANTIVS. Quod autē veritas sit optima, & apud Deũ maxima, cùm plurimi demonstrant, tum Homerus his versibus:
Οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον οὐδ' ἀπατηλὸν.
Οὐδ' ἀτελεύτητον ὅτι κε κεφαλῇ κατανεύσω.

Iupiter loquitur.

Non equidem nostrum est, aut detractabile uerbum
Decipiens ue aut imperfectum quod probo nutu.

In quę carmina eius enarrator hęc dicit: tres sunt caussę, ob quas promissis non stamus, aut enim animo fallēdi dicimus, vel nos posteà pœnitet, seu certè, volenti præstare quod promisit, deest facultas.

Prima est malæ voluntatis, secunda infirmi iudicij, tertia impiæ facultatis. Hæc omnia minimè deo conueniunt, qui ob bonitatem nō decipit, ob stabilitatem non retractat, ob potentiam imperfectum non relinquit.

Aeschylus.

ἁπλᾶ γάρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἔπη. Id est:
Simplicia sunt uerba ueritatis.

Euripides.

ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Id est:
Simplex est sermo ueritatis.

Menander.

ἔρχεται ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτε οὐ ζητούμενον. Id est:
Venit in lucem veritas non quęsita.
Sacri quoq; libri idem dicere videntur, nihil occultum, quod non reueletur: quapropter poetæ filiam temporis veritatem dixêre.

Sophocles.

Loquaris semper uera, nec unquam dubita:
Mortalium nemo ob id decipiet,
Nam iusta lingua robur immensum habet: uertit hos senarios Volaterrnus.

Apollonius Delio.

ψεύδεσθαι ἀνελεύθερον ἀλήθεια γενναῖον. Id est:
Mentiri illiberale, veritas generosa: vide Stobęum de Veritate.

Serenus in commentarijs, uel memorabilibus dictis.

Plato dulcissimum auditorium veritatē dicebat. i. ἥδιστον εἶναι τῶν ἀκουσμάτων τὴν ἀλήθειαν.

Polemon autem longè dulcius dicere, quàm audire veritatem, id est:
πολὺ ἥδιον εἶναι τοῦ ἀκούειν τὸ λέγειν τ' ἀληθῆ.

Plato de legibus.

Veritas apud Deum, hominesq; bonorũ omnium potissima est, cuius inprimis eũm participem esse oportet, qui futurus est fœlix. Infidelis est autem, cui mendaciũ voluntariũ existit amicum, cui inuoluntariũ, stultus: vtrumq; igitur fugiendum, cùm vterq; tam infidus, quàm imprudens non sit amandus.

Menander in Nannis.

Ἀλήθεια θεῶν ὁμόπολις μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη. Id est:
Veritas cœli ciuis est, & solo fruitur conuictu deorum.

Theophrastus Chius (vt scribit Aelianus de va. Histo.) venit legatus Lacedæmoniā vir alioquin iactator & lasciuus, vt qui senectutē dissimulans canos infecerat: Archidamus igitũ surgēs in senatu quid, inquit, veri hic dicet, qui etiam capillis mentitur? Magi apud Persas maximum Deum colunt, quem vocant Oromagden, corpore quidem homini similē, anima veritati.

Pythagoras interrogatus quidnā homines potissimũ similes dijs faciā: cũ vera, inquit, loquentur. Thales Milesius interrogatus, quantũ mendacium à veritate distaret: quantũ, ait, oculi ab auriculis: planè inferens occulatam fidem præstantiorē esse, quàm auratam est: ex Stobęo. Legitur & in sacris libris Zorobabelis Iudæi apud Darium regem sententia omnibus pręlata, qui veritatem omnium fortissimā dixit.

Nullæ duæ res inter se tam amicę & concordes sunt, quàm virtus & veritas, nempe germanæ à deo genitę, & humanis mentibus sicut vtilissimę, ita etiam integris iucundissimę. Viues lib. 2, de anima.

Viues de contemplatione lib. 2.

Veritas maximę conuenit men[illegible]

Idem lib. 2. cap. de Ratione.

Rationis meta in cōtemplatione veritas est, in agendis autem bonum. Posterior hæc ex collatione verorum & bonorum profert iudiciũ, collatione hac verorum & bonorum carent beluæ, vt quæ ad primum oblatum bonum rapiũtur, nostrũ porrò iudicium cunctatur atq; ambigit, & sistit, & reuocat sese.

Vir verus quis? in quo nihil effœminatũ, nihil efferatũ, nihil mendax, nihil quod non virtutis vim pręseferat, & intra se ferat. Marsilius Ficinus lib. 1. Epist. ad Bartholomæũ Fontium.

Idem lib. 5. epist. ad Franciscum Sodernium.

Veritas uirum reddit dignitate dignum.

Veritas liberè proferenda.

Syrus in Heauton timor. q in nolo mentiare;
Apertè ita ut res se habet narrato.

[V]eritas nunquam latet.

ἄγει δ' πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. Id est:
Veritatē tempus in lucē eruit Matthæi ca. 10.

Nihil opertum quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur.

Menander in Nannis.

Adsit autem ueritas
Tibi ac mihi res omnium iustissima.
Veritas cœli ciuis est, & sola fruitur conuictu deorum.

Græcè.

Ἀλήθεια δὲ παρέστω
Σοὶ καὶ ἐμοί, πάντων χρῆμα δικαιότατον,
Ἀλήθεια θεῶν ὁμόπολις, μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη.

Pindarus Lyricus.

Veritas principia magnæ virtutis promouet, ne itaq; pactum meum aspero mendacio labefactes.

Ex Gnomis Monastichis.

Ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρός, τ' ἀληθῆ λέγειν, Id est:
Ingenui uiri est uera dicere.
Ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει,
Πίστιν δ' ἐν πᾶσι φυλάσσειν, Id est:
Lingua aberrans uerum loquitur.
Fidem ubiq; seruato.

Bachylides.

Lapis Lydius aurum indicat, hominem verò virtus, & omnipotens sapientia est veritas.

Menander in Rhapizomeno.

Venit veritas in lucem non quæsita. id est:
Ἔρχεται τ' ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτ' οὐ ζητούμενον.

Idem in Hypobolimæa.

Semper est optimum, uera loqui
Quouis tempore: hanc ego moneo
(Ad tuto uiuendum) præcipuam esse partem, Id est:
Ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τ' ἀληθῆ λέγειν
Ἐν παντὶ καιρῷ τοῦτ' ἐγὼ παρεγγυῶ
Εἰς ἀσφάλειαν τῷ βίῳ πλεῖστον μέρος.

Euripides in Phœnissis.

Simplex est ueritatis oratio.
Nec uarijs eget interpretationibus, bifariam
Est enim opportuna per se: contrà sermo iniustus
Cùm æger in seipso sit Pharmacis indiget iniustis.

Græcè eadem hæc.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ κ' οὐ ποικίλων
δεῖτ' ἄδιχ' ἑρμηνευμάτων·
Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν· ὁ δ' ἄδικος λόγος
Νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Iamblichus philosophus.

Veritas quidem, vt græcũ eius ethymon indicat, circa deos & incorruptam deorum actionem versatur: ista verò, quæ sequitur opiniões idolopœia (vt inquit Plato) hoc est, immaginaria quædã persuasio circa res prophanas & obscuras oberrat: & illa quidem formis intelligibilibus, diuinis, & reuera entibus ꝑficitur: hæc verò ad informe non ens & aliâs aliter se habẽs respicit, ac hallucinatur circa ipsa: item illa id ipsum quod est contemplatur, hæc verò qualis vulgo homini videtur, talem subit apparentiã: ideo illa menti cõuersatur & quod intellectus in nobis est particeps auget: hæc verò sua opinione stultitiam venatur & fallit.

Serinus in memorabilibus dictis.

Plato suauissimam narrationum veritatem esse dicebat: Polemon verò multò suauius esse vera dicere, quàm audire. Græcè.
Πλάτων μὲν ἥδιστον εἶναι τῶν ἀκουσμάτων τὴν ἀλήθειαν ἔλεγε· πολέμων δὲ πολὺ ἥδιον εἶναι τοῦ ἀκούειν, τὸ λέγειν τ' ἀληθῆ.

Aeschines contra Timarchum.

Vos autẽ suspitionibus moti, ipsum eiecistis: Scimus, ô Pyrandie, contra hęc non ridendum, sed adeo valida res est veritas, vt omnes humanas cogitationes superet.

Græcè sic.

ἀλλὰ οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν.

Plato libro 5. de legibus.

Veritas sanè tum Dijs, tum hominibus ad omnia bona dux est: hac quilibet, q felix beatusq; futurus est, ab initio statim particeps sit oportet, vt quàm plurimum temporis verax in vita degat: sic enim fide dignus erit, indignus autẽ, qui mendacium spõte eligit: demens, qui inuitus: ex quibus neutrum optandum est. Amicis enim destituitur, quisquis fide indignus ac imperitus fuerit. Idem.

Veritate autem duce procul dubio nũquam malorum dicemus chorũ consequi.

Vernus græcè ἐαρινός.ου.ὁ. dicitur. Vnde verna deducitur. NANVS. Verna enim seruus dicitur ex ancilla nostra in nostris ædibus natus: vnde vernaculum appellamus, quicquid in domo & patria nostra natũ est, & vernaculam linguã, communẽ atq; vulgarẽ. Dicitur autẽ verna à vere, quoniam tempus veris ad gerendum maximè est idoneum, & domini ancillarum cõsuetudinem verno tempore habebant.

Versipellis græcè πανοῦργος.ου.ὁ. dicitur. Hi autẽ versipelles dicũtur, qui modò vnũ modò aliud ostendunt, & quolibet se fraudulenter cõmutant. Plautus: Versipellẽ se facit, quando lubet. Est autem hoc verbum tractum ab his hominibus qui in lupos verti, rursusq; restitui sibi dicuntur. Vergilius:
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris.

Versutia gręcè πανουργία.ας.ἡ. & πανοῦργος.ου.ὁ. astutus dicĩ, qdquid sit, vide suprà in Astutia.

Versutus est cuius celeriter mens versatur, secundùm Ciceronẽ lib.3 de Natura deorũ.

Versus gręcè στίχος.ου.ὁ. Est autẽ versus aliqñ nomẽ, & significat carmen à quo diminutiuũ fit versiculus, modò ordinẽ. Vir. Ille etiam seras in versum distulit vlmos. Aliquando est aduerbium, & accusatiuum vult, & ferè semper postponitur, vt Italiam versus. Differt autẽ versus à carm-

à carmine, quia versus solus est: carmen verò significat modò vnum versum, modò duos, modò plures, etiam totum poëma, & dicitur carmen quasi canimen. Est igitur carmē quicquid pedibus continetur. Significat etiam carmen incantationem. Virgilius:

Carmina uel cælo possunt deducere lunam.

Vestigiū grecè ἴχνος εος. τὸ. dicitur. Et est, propriè impressio pedis. i. signū quod à pede relinquitur, dictum quod veluti indumentū sit pedis. Hinc peruestigo atq; inuestigo, quę significant querendo inuenio, hinc etiā vestigabundus, vestigator, inuestigator fiunt.

Vestis grę̨ca dictio videtur, ἐσθής. ῆτος. ἡ. & ἔνδυμα. τος. τὸ. vestimētum, & ἐνδύω vestio dicitur. Vestem iurisconsulti diffiniunt esse quicquid induēdi, pręcingendi, amiciendi, insternendi, tegendi, accubandi gratia paratū est. Sunt qui velint vestem & vestimentū nihil differre. Alij verò ita distinguunt, quòd vestis generaliter dicatur, vestimentum verò particulariter. Alij dicunt vestimenta esse non modò lanea, linea, bombycina, serica, sed etiam scortea, frondea, scirpea, palearia, & ex quacunq; materia facta sunt ad corpus tegendum. Dicitur autem vestis, teste Varrone, à velando. i. tegendo, quòd corpus velet, id est, tegat. Vnde & inuestes imberbes dicimus.

Via grecè ὁδὸς τοῦ ἡ. & ὁδίτης. ου ὁ. viator dicitur. Est autem via locus per quem habere iter omnibus licet. Aliquādo accipitur pro ipso itinere, hoc est actu ambulādi. Interdū pro ratione. Vir. Inueni germana viam. Hinc viatores, qui magistratibus parebāt, hominesq; ex agris magistratus frequenter euocabant, secundū Cicer. libro de Senectute.

Victima grecè θυσία. ας ἡ. Et est quæ dijs immolatur ob deuictos hostes, quæ & hostia dicitur, eiusdē enim significationis sunt: Nec placet quòd qdā dicunt hostias dici pecudes, quę dijs immolātur, cùm exercitum in hostes ducimus: victimas verò, quæ post victos hostes sacrificantur: nam falsum esse liquet. Ouidius:

Victima quæ dextra cecidit uictrice vocatur.

Hostibus à domitis, hostia nomen habet.

Vicinitas grecè γειτνίασις εος ἡ. & γειτνιάω vicinus sum. Vicini nō tam hi qui eundē incolunt locū, quàm qui prope domū nostrā habitant: hinc vicinia deducitur, et cōuiciniū vbi plures inter se vicini sunt, & vicinitas pro propinquitate vicinorum, & quandoq; pro vicinorū multitudine. Dicuntur autē hęc à vico. Est autem vicus propriè pars vrbis, quippe vrbs in vicos quasi in minora membra diuiditur, vt Romę Suburra, Esquiliæ. Vicus autē à via dicitur, quod vias circum haberent vici. *Hesiodus.*

πῆμα κακὸς γείτων ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

ἔμμορέ τοι τιμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ. i.

Damnum malus uicinus, tantūq; bonus magna utilitas.

Sortitus est honorem, qui sortitus est uicinum bonum.

Victoria grecè νίκη ης ἡ. vel νῖκος εος. τὸ. & νικητής. οῦ. ὁ. victor, & νικάω vinco dicitur. Venit autem victoria à vinco, quod est supero, quasi vim facio, vel animo cōpos fio. Hinc victor qui voti cōpos est, & victrix, & victoriosus. Hinc etiā victima, de qua suprà.

Ioannes in epistola 1. cap. 5.

Omne quod natū est ex Deo, vincit mundū: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundū, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei?

Ambrosius lib. de Officijs.

Non est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina.

Lactan. Firmia.

In arbitrio Dei non tuo, posita est victoria. Et plærunq; improbi & numero & conspiratione sunt potentiores quàm boni, vt ad eos superandos non tam virtus sit quàm felicitas necessaria.

Plato libro de Legibus.

Quoniam libera est anima & domina passionum, vincere autem seipsum omniū victoriarum prima & optima: vinci autem à seipso, & turpissimum est & pessimum.

Valerius Maximus lib. 5.

Ea demum victoria & apud deum & apud homines minimum inuidię habitura est, quę plurimum humanitatis habet.

Lucanus libro 4. Pharsaliæ.

Vincitur haud gratis iugulo qui prouocat hostem.

Ouid. Meta. lib. 9. in principio.

Quis enim sua prælia uictus

Commemorare uelit? referam tamen ordine, nec tam

Turpe fuit uinci quàm contendisse decorum.

Magnaq; dat nobis tantus solatia uictor.

Viduitas grecè χηρεία. ας. ἡ. & χήρα ας ἡ. vidua dicitur. Vidua propriè ex significatione vocabuli, seu secūdū etymologiā dicitur quælibet mulier sine viro, etiam si nunquā virū habuisset, quasi sine duitate. Et dicitur à ve quod est sine, vt vecors & vesanus. ff. de verbo. signi. l. malum. §. Vuluam, vel sic:

Vidua dicitur quasi idua, hoc est à viro diuisa: Iduare enim Hetrusca lingua diuidere est. Hinc viduare pro priuare capitur. Hinc etiam viduitas, calamitas dicta quod viduet, id est, priuet bonis. A viduo pariter diuiduo per cōpositionē deducitur: Veteres enim quod nūc diuido dicimus, diuiduo dicebant: vnde diuiduum quod modò separabile, modò separatū significat, cuius contrarium indiuiduū, quod græci ἄτομον vocant. De quo vide suprà in Indiuiduum.

Exodi cap. 22.

Viduæ & pupillo non nocebis: si lęseris eos, vociferabunt ad me.

Ecclesiastici cap. 35.

Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam ascendunt, & exclamatio eius super deducentes eas? à maxilla quoq; ascendunt in cælum, & dominus exauditor non delectabitur in eis.

Paulus 1. ad Timoth. cap. 5.

Viduas honora, quę veræ viduæ sunt. Si quæ autē vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, mutuā vicem reddere parentibus.

Ibidem.

Vidua in delicijs viuens, mortua est.

Idem 1. ad Corinth. 7.

Dico innuptis & viduis, bonum esse illis si sic permaneant, sicut ego. Quod si nō contineant, nubant, melius est nubere quàm vri.

August. libro de bono coniugali.

Sicut bonum erat. vide suprà in Castitas.

Hieronymus in epistola 96.

Quid facit hæc vidua inter familiæ multitudinē, inter ministrorū greges?

Ibidem.

Caueto omnes suspiciones, & quid de te probaliter fingi potest.

Ibidem.

Nesciat vidua bigamiæ indulgentiam.

Virgilius libro 4. Aeneidos, Didonis uerba de Sichæo marito suo.

Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam,
Antè pudor, quàm te uiolem, aut tua iura resoluam.
Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetq; sepulchro.

Francisc. Petrar. Cant. 35. Stantia 7.

Non saper te aistar fragente alegra,
Vedoua sconsolata in ueste negra. id est:
Non tibi conuenit manere inter gentem lætam,
Vidua mœsta in ueste nigra.

Vigilia græcè αγρυπνία. ας. ἡ. & ἀγρυπνέω vigilo dicitur. Est autem vigilia solutio & remissio sensus, secundùm Aristot. libro de Sensu & sensato.

Vigilia est dispositio, in qua anima impat sensibus & virtutibus exterioribus, & mouet voluntariè ad operandum, secundùm Auicen.

Vigilia dicitur à vigeo, est enim vigere validū & robustū esse, quasi vim agere. Quare vigiles non segnes, non torpentes, quales sunt dormientes, sed qui in vigore suo sunt. Vnde peruigiles non modò assiduè vigilantes, sed diligentes & industrios dicimus. Hinc vigilare, quod est studiū ac diligentiā adhibere, & inuigilare alicui rei incumbere. Peruigilareq;. quod est assiduè vigilare. Martialis:

Nam uigilare leue est, peruigilare graue est.

Vilitas grecè φαυλότης. ητος ἡ & φαῦλος. ου. ὁ. vilis dicitur. Vile autē propriè dicitur, quod parū valet, cuius contrariū est carū. Venit autem vilis à villa, vt quidam volūt, vna litera abiecta, quoniā omnia in villa viliora sunt, & minori pretio vendūtur, quàm in vrbe. Hinc vile pro abūdāti ponitur, quia quicquid nimis abūdat vile est, hoc est paruo venditur pretio. Virg. *Vilemq; faselum.*

Villicus grecè οἰκονόμος. ου. ὁ. & χωρίον. ου. τὸ. villa dicitur. Est autē villicus villę custos, & qui fructibus percipiēdis & colligendis imponitur. Villa verò non ager est, sed domus in agro. A villa fit villula diminutiuū, hoc est parua villa, & villicus & villica, nec nō villicari, quod modò est rusticari, modò villæ præesse. Hinc etiā villanus, qui in villa habitat.

Vindemia grecè τρυγητός. οῦ. ὁ. & τρυγάω vindemio dicitur. Dicta autē est vindemia à vino demendo, vnde fit etiā vindemio verbū, & vindemiator, qui vindemiat, vindemia etiā ad alia trāsfertur. Plin. Prima mellis vindemia melior.

VIndicta grecè ἄμυνα. ας. ἡ. & ἀμυντήριος. ου. ὁ. vltor dicitur. Est autē vindicta iniurię, cōtumelię ve illatę punitio, à vindico quod est vlciscor, quod est cōpositū à vim & dico, vnde vindex vltor iniurię, & vindicatio ipse actus vltionis.

Vindicatio est per quā vis aut iniuria, & omninò omne quod obfuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur, secundū Cicero. Retho. Cuius contrarium est abiectio suiq; contemptio.

Vindicatio est, virtus specialis, quia ad hoc natura inclinat, cōsistit in medio duorū vitiorū, scilicet crudelitatis & seuitię secundū excessum, & remissionis secundùm defectū, ex beat. Thom. secūda, secundę, quęst. 80. artic. 2.

Vendicare est (vt ita dicam) appropiare, & dicitur à venū, quasi cōueniēs mihi dico. Venum autē dicitur quasi veniū, vnde & venūdo & venūdatio, quę est permutatio rerum & contractus ex conuentione proueniens. A venundo fit detractis duabus literis vendo, vnde venditio & venditio, & venditor, & vendibile, quod facilè vendi potest.

Leuitici cap 19.

Ne quæras vltionem, nec memor eris iniurię ciuium tuorum.

Prouerbiorum cap. 24.

Ne dicas quomodo fecit mihi, sic faciam ei, & reddam vnicuiq; secundùm opus suum.

Ecclesiastici cap. 28.

Qui vindicari vult, à domino inueniet vindictam.

Paulus ad Hebræos cap. 11.

Scimus enim quæ dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam.

Cassiodorus epistola 28.

Quid

Quid discrepat à peccante q semper excessū nititur vindicare?

Seneca Tragœdia 1.

Sæpè vindicta obfuit. *Phocylides.*

μὴ μιμοῦ κακότητα, δίκῃ δ' ἀπάλειψον ἄμυναν.
πειθὼ μὲν γὰρ ὄνειαρ, ἔρις δ' ἔριν ἀντιφυτεύει. Id est:
Noli imitari malū uirorū, sed iustitiæ relinque uindictā.
Cōciliatio enim utilitatē, sed cōtentio cōtentionē gignit.

Iuuenalis satyra 13.

An uindicta bonum, uita iucundius ipsa,
Nempe hoc indocti. *Ibidem.*
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium. *Ibidem.*
- Quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguiq; uoluptas
Vltio, continuò sic collige, quòd uindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

VInum grecè οἶνος.ȣ.ὁ. & οἰνοφόρος.ȣ.ὁ.ἡ. vinifer dicitur. Vinū aliqui volūt dictū à vi, quod vim inferat menti, alij verò volunt grecum esse ab οἴομαι quod est putó, quoniā qui copiosius bibunt, multa que nō sunt, imaginātur. A vinum fit vinolentus, hoc est ebriosus, vinosè, ingurgitans, & vinosus eiusdem ferè significationis. Vitis à ferēdo vino, vindemia de qua suprà & vindemio, vinarium quod ad vinum spectat. Vinacea substantiuum plurale, quod significat grana vuæ iam passæ, & vinaceus adiectiuum. Vnde acinus vinaceus.

Homerus in ζ Iliados.

ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι, μένος μέγα οἶνος ἀέξει. Id est:
Viro autem defatigato magnum robur uinum auget.

Idem in β Odyßeæ.

οἶνον καὶ ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν. Id est:
Vinum & farinam medullam hominum.

Idem in ξ Odyssææ.

οἶνος γὰρ ἀνώγει
ἠλεὸς, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι,
καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν.
καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον. Id est:

Vinum enim iubet
Stolidū faciens, quodq; impulit prudentem ualde canere,
Et iterum ridere, & saltare incitauit,
Et aliquod uerbū emittere fecit, quod nō dictū melius erat. Ex primo epigrammatων.

οἶνος καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἔρως,
ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην. Id est:
Vinum & balnea, & circa Venerem amor,
Per ulociorem mittit uiam in infernum.

Niceratus.

οἶνός τι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ
ὕδωρ δὲ πίνων, καλὸν οὐ τέκοις ἔπος. Id est:
Vinum sanè gratioso magnus est equus poëtæ.
Aquam autem bibens bonum non faceres uerbum.

De hac materia habes suprà vbi Ebrietas.

VIrginitas græcè παρθενία.ας.ἡ. & παρθένος.ȣ.ἡ. virgo & παρθένιος.ȣ.ὁ. virginalis dicitur. Est autem virginitas per purám continentiam ab omni concubitu immunis, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, secundùm August. Dicitur autem à viror , qui importat immunitatem à cōcupiscentię adustione circa delectationes venereas, ex b. Tho. secūda secundæ q. 152.

Virgo à viridiori ætate, hoc est validiore appellata est. Virgili⁹ de Pasiphaë matre triū filiorū dixit: Ah virgo infœlix quę te dementia cepit. Adulta virgo aliquādo secundū Ouidiū intactā & rei venereę expertē significat. Ouid. A iuuene & Cupido credatur reddita virgo? Virgo nunc nomē cōmunis generis est, & tam marem quàm fœminā significat rei venereę expertem. A virgo fiunt virginitas, virgineus, quod est aut fuit virginis. Virginalis, dignus virgine, virgunculā veteres paruam virginem dixère.

Genesis cap. 24.

Virginitas enim thesaurus impretiabilis est.

Paulus 1 ad Corinth. cap. 7

De virginibus præceptū domini nō habeo, consilium autem do.

Ibidem.

Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.

Apo. cap. 14.

Nemo poterat dicere canticum, nisi illa quadraginta quatuor milia.

Ibidem.

Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit.

Aug. de Bono uirginali super illud: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunq; ierit.

Agnum sequi quocunq; ierit, est ipsius virginitatem mentis & corporis imitari.

Ibidem.

Gaudia virginum non sunt eadem, cum nō virginibus, quamuis Christi, nam sunt alijs alia, sed nullis talia.

Idem epistola 128.

Beatius est in carne imitare vitam angelorū, quàm ex carne augere numerum mortalium. Hæc est vberior fœcundiorq; fœlicitas, non ventre grauescere, sed mente grandescere, non lacessere pectore, non visceribus terram, sed orationibus cælum parturire.

Idem de bono coniugali.

Sicut bonum erat quod Martha faciebat. Vide suprà in Castitas.

Idem de continentia uiduali.

In coniugali vinculo, si pudicitia conseruatur, damnatio non timeatur, sed in virginali ac viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa & voti debito oblata, iam nō solùm nuptias capessere, sed etiam si non nubant, nubere velle damnabile est.

Idem super Psal. n.

Quæ est virginitas mentis? integra fides, solida spes, syncera charitas.

Idem super Psalm. 29.

Quid prodest integra caro, mēte corrupta? Melius est humile coniugiū, quā superba virginitas. *Hieron. epistola 67.*

Rarus sit egressus in publicū, nunquam causa deerit procedēdi, si semper cùm necesse fuerit, fueris profectura.

Idem ad Eustochium epist. 44.

Caue quæso, ne quando dicat de te Deus, virgo Israel cecidit, & non est qui resuscitet eam. Euidenter loquor. Cùm omnia posit Deus, suscitare non potest virginē post ruinā, valet quidē liberare à pœna, sed non coronare corruptā.

Idem & hab. 32. q. 5.

Hoc solùm non dico. vide suprà in Castitas.

Idem epistola 44.

Si experto creditur, hoc primū moneo, vt spōsa Christi vinū fugiat pro veneno, hęc aduersus adolescentiam prima arma sunt dæmonum.

Ibidem.

Vinum & adolescentia, duplex incendiū voluptatis, quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Moderatus cibus & nunquam venter expletus, sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio saturitatem fugiens.

Hieronymus ad Demetriadem epist. 67.

Sit sermo virginis prudens, modestus, & rarus, non tā eloquentia pretiosus quàm pudore. Mirentur omnes te tacente tuam verecundiā, te loquente prudentiam.

Ibidem.

Nunquā detractio ex virginis ore procedat.

Idem in sermone de assumptione.

Benè angelus ad virginē mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnē viuere, nō terrena vita est, sed cælestis. Vnde in carne angelicā gloriā acquirere, maioris est meriti quā habere. Esse enim angelum fœlicitatis est, esse verò virginē virtutis, dū hoc obtinere nititur cū gratia, quod habet angelus ex natura, vtrunq; tamen & esse virginem, & angelum diuini muneris est officium, non humanum.

Ambro. de uirginitate.

Vbiq; in virgine comes singularū virtutū est pudor. Hic indiuiduus esse debet virginitatis, sine quo non potest esse virginitas, teritur officijs pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia soluitur, dum vrbanitas affectatur.

Idem super Lucam cap. 1.

Trepidare virginū est, ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Disce virgo verborum vitare lasciuiam. Maria etiam tacet in salutatione angeli.

Amb. de Viduitate.

Virgo quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non in foro, nō in plateis, non esse voce querula, gressu lubrica, auditu facilis, vilis aspectu.

Ibidem.

Supergreditur virginitas conditionem naturæ humanæ, per quam homines angelis assimulantur, maior tamen est victoria virginum quàm angelorū. Angeli enim sine carne viuūt, virgines verò in carne triumphant.

Idem de Virginitate.

Claude vas tuum, ne vnguentum effluat, claude virginitatem verecundia loquendi, & abstinentia gloriandi.

Ibidem.

Non est casta quæ metu cogitur, nec honesta quæ mercede conducitur.

Ibidem.

Quis neget hanc vitam esse de cœlo? quam nō facilè inuenimus in terris, nisi postquam dominus in huius corporis membra descendit.

Gregorius in gloss. super illud Genesis 19. In monte saluum te fac.

Virginitas altus mons est, ad quam angelus hortatur, sed qui videt se non posse ascendere, maneat in Segor, id est, in legitimo matrimonio, quia melius est mediocri bono vti, quàm per abrupta libidinum pręcipitari.

Phocylides.

παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι:
μὴ δέ μιν ἄχρι γάμων, πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσσῃς.
κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσσι. id est,

Virginem custodias benè clausis thalamis.
Neq; ipsam vsq; ad nuptias ante domū conspici permittes.
Pulchritudo difficilis custoditu est filiorum parentibus.

Paulus Silentiarius.

καλὰ τὰ παρθενίης κειμήλια, παρθενίη δὲ,
τὸν βίον ὤλεσεν ἄν, πᾶσι φυλαττομένη
τοὔνεκεν εὐθέσμως ἄλοχον λάβε, καὶ τινα κόσμῳ
δὸς βροτὸν ἀντὶ σέθεν, φεῦγε δὲ μαχλοσύνην. Id est:

Pulchri virginitatis thesauri, sed virginitas
Vitam perderet vtiq; omnibus seruata.
Idcirco legitimè vxorem cape, & aliquem mundo da mortalem pro te, fuge autem adulterium.

Plautus in Epidico.

Non minus pot est pudicitiam quisquā seruare filiæ.

Ouid. Metamorph. lib. 5. fabula 3.

-Omnia terrent. Virgineas mentes.

Idem lib. 13. fabula 2. de Iphigenia.

Tunc quoq; cura fuit partes uelare tegendas,
Cùm caderet, castiq; decus seruare pudoris.

Idem libro 14. fabula 16.

Salue uirginei flos intemerate pudoris.

Ouidius

Ouidius epiſtola Oenones ad Paridem.

Nulla reparabilis arte,
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Idem epiſtola Paridis ad Helenam.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Catullus in Epithalamio.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nulli contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ,
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optauêre puellæ:
Sic uirgo dum intacta manet, dum chara ſuis, ſed
Cùm caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Horatius Carminum libro 3. Ode 27.

Leuis una mors eſt,
Virginum culpæ.

Franciſc. Petrar. Sone. 224.

Chara la uita, & doppo lei mi pare
Vera honeſta, chen bella donna ſia,
Lordine uolgi, e non fur madre mia,
Senſa honeſta mhai coſſe belle o chare.
Et qual ſi laſcia dal ſuo honor priuare,
Ne donna e piu, ne uiua. & ſe qua pria
Appare in uiſta, & tal uita aſpra & ria
Via piu che morte, & di piu pene amare.
Ne di Lucretia mi marauigliai,
Se non come a morit ſe biſognaſſe
Ferro, & nor baſſe il doio ſolo
Vengan quanti philoſophi fur mai
A dir dicio, tute lor uie ſien baſſe
Et queſt una uedrem alzar ſi al uolo. *id eſt.*

Chara vita eſt, & poſt eam mihi videtur
Vera honeſtas, quę in pulchra fœmina ſit.
Ordinem volue, & non fuerunt mater mea,
Sine honeſtate vnquam res pulchræ & gratæ.
Et quæ patitur, vt ſuo honore priuetur,
Nec fœı̃a eſt amplius, nec viua, & ſi qualis prius
Videat in vultu, & talis vita aſpera eſt & mala
Multo amplius quàm mors, & pœnis plurimis amarior.
Nec de Lucretia miratus ſum,
Niſi quod moriendo indiguiſſet
Ferro, & non ſuffeciſſet dolor ſolus.
Veniant quot philoſophi vnquam fuerunt,
Et de hac re diſſerant, omnes eorum rationes fient inualidæ,
Et hanc vnam videbimus ſe ſurſum ferre.

Idem Triumpho mortis libro 1.

Poche eran per che e rara uera gloria.

Virilitas gręcè ἀνδρεία. ας. ἡ. & ἀνδρικός. ὁ. virilis dicitur. Eſt autē virilitas idem quod fidutia, ideo eſt pars potentialis fortitudinis, ſecundū beat. Tho. ſecūda ſecūdę q. 128. de qua videre potes ſuprà in arbore Fortitudinis.

A vir venit virilis, fortis, magnanimus, ita & virago mulier fortis, quòd viro ſimilis ſit, & gręcè ἀντιάνδρα. ας. ἡ. dicitur. Iob cap. 37.

Viri perfectæ vitæ homines memorantur.

Paulus 1. ad Corinth. 11.

Vir caput eſt mulieris.

Idem 2. cap. 13.

Quādo factus ſum vir, euacuaui quę erāt paruuli. *Auguſt. lib. 3. Sermonum, ſerm. 13.*

Vir enim dicitur à virtute, eo quod libidines vincere debet.

Greg. Mora. libro 26. ſuper illud Iob 23. De ciuitatibus fecerunt uiros gemere.

Viri ſunt qui perfectis greſsibus per viā Dei non fluxè, & eneruiter currunt, ſed viriliter.

Idem 38. ſuper illud Iob: Accingere ſicut uir lumb os tuos.

Scriptura ſacra viros vocare conſueuit, qui vias Domini fortibus, & non diſſolutis greſsibus ſequuntur.

Grego. Moral 28. ſuper illud Prouerbiorum: O uiri ad uos cla.

Ego non fœminis, ſed viris loquor, quia hi qui fluxa mente ſunt, verba mea percipere nequaquam poſſunt. Carnalis enim voluptas, & fœminea mollities, aut fluxa leuitas, & diſidioſa otioſitas effœminant.

Lact. Fir. libro Diuin. inſti.

Bonus vir nō audet quicquā cogitare aut facere, quod nō audeat prędicare. Semper ita viuamus, vt rationē nobis reddendā arbitremur.

Seneca epiſtola 77.

Ergo in homine quoq; nihil pertinet ad rem quātū aret, quantū fœneretur, à quā multis ſalutetur, quā pretioſo incūbat lecto, quā prælucido poculo bibat, ſed quā bonus ſit. Bonus autē eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ ſuæ volūtatē accōmodata. Hęc vocatur virtus, hoc eſt honeſtū & vnicū hominis bonū. Nam cū ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit, hoc autem vnum hominis bonum eſt, quo vno, beatus efficitur.

Idem libro de Beneficijs.

Vir bonus, non poteſt non facere quod facit, non eſt emim bonus niſi fecerit.

Ariſt. lib. 3. Ethicorū.

Bonus ſingula cum ratione iudicat.

Cicero. lib. Officiorum.

Eſt igitur vlla res tanti, aut cōmodum tam expetendum, vt viri boni nomē & ſplendorem amittas? *Idem lib. ultimo Tuſ. quæſt.*

Iam vero qui poteſt vir bonus nō ad id quod laudabile ſit omnia referre quę agit, quęq; ſentit? Refert aūt omnia ad beatè viuendū, Beata ergo vita laudabilis, nec quicquā ſine virtute laudabile. Beata igitur vita virtute cōficitur.

Lucius Apuleius de deo Socratis.

Nihil eſt enim deo ſimilius & gratius, quàm

vir ani-

vir animo perfecto bonus; qui tam hominibus cæteris antecellit, quàm ipse à dijs immortalibus distat.

Horatius epistolarum lib. 1. epistola 17

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraq́; seruat,
Quo multæ magnæq́; secantur iudice lites.
Quo responsore, & quo causæ teste tenentur.

Horatius lib. 1. Epistola 17. Ad Quintium.

AMANTIVS. *Tu rectè uiuis, si curas esse quod audis.*
Iactamus iam pridem omnes te Roma beatum,
Sed uereor ne cui de te plus, quàm tibi credas,
Neue putes alium sapiente bonoq́; beatum.

BONVS VIR SINE DEO NEMO.

Ad Lucilium Seneca lib. 5. Epistola 44.

Propè est à te Deus, tecum est, intus est, sacer intra nos spritus sedet, malorum bonorúq́; nostrorum obseruator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est: an potest aliquis super fortunã, nisi ab illo adiutus, exurgere? ille dat consilia magnifica & recta, in vnoquoq; virorum bonorum quis Deus incertũ, habitat tamẽ Deus. Deus in nobis habitat.

Horatius lib. 1. Epist. 17.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, iuraq́; seruat,

Eadem Epistola 17. lib. 1. ad Quintium.

Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patiq́;
Indignum coges? adimam bona nempe pecus, rem,
Lectos, argentum, tollas licet. In manicis, &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus simul atq; uolam me soluet, opinor
Hoc sentit, moriar. Mors ultima linea rerum est.

Iambicum Elegans Menandri, De indigno bonorum uirorum contemptu.

εἴτις προσελθών μοὶ θεῶν λέγοι κρατῶν,
ἐπὰν ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ,
ἔσῃ δ' ὅ, τι ἂν βούλῃ: κύων, πρόβατον, τράγος
ἄνθρωπος ἵππος· διαβιῶναι γὰρ σε δεῖ.
εἱμαρμένον τοῦτ' ἐστὶ ὅ, τι βούλει δ' ἑλοῦ:
ἅπαντα μᾶλλον εὐθὺς εἰπεῖν ἂν δοκῶ
ποίει με πλὴν ἄνθρωπον. ἀδίκως εὐτυχεῖ
κακῶς τε πράττει τοῦτο τὸ ζῶον μόνον.
ὁ κράτιστος ἵππος πιμελεστέραν ἔχει
ἑτέρου θεραπείαν, ἀγαθὸς δ' ἂν γένῃ κύων,
ἐντιμότερος εἶ τοῦ κακοῦ γυὸς πολύ.
ἀλεκτρύων γενναῖος ἐν ἑτέρᾳ τροφῇ
ἐστὶν ὅδ' ἀγεννὴς καὶ δέδιε τὸν κρείττονα.
ἄνθρωπος ἂν ᾖ χρηστὸς εὐγενὴς, σφόδρα
γενναῖος οὐδὲν ὄφελος ἐν τῷ νῦν γένει.
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.
ὄνον γενέσθαι κρεῖττον ἢ τὰς χείρονας
ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον. Idest

Quos versusita interprætatus est Georgius Fabricius Chemnicensis, in libello Syntaxeos partium orationis, apud Græcos.

Si quis potens mihi Deorum diceret,
Hunc mortuus rursum intueberis diem,
Erisq́; quod uoles equus, hircus aut ouis,
Aut homo, canisue: nam te oportet uiuere
Fato imperante, tu quod optes elige.
Responsum hoc illi eram daturus oppidò
Me quiduis esse potius, quàm hominem, iube,
Bonis malisq́; solùm hoc animal omnium
Certis rotatur sortis incerta uice:
Equus optimus meliore seruorum manu
Curatur alios: si canis es natus bonus,
Malum canem anteis pretij magnitudine.
Gallus generosus lautiores est cibos.
Præstantiorem se quoq; imbellis timet.
At homo licet sit bonus, excellens, nobilis,
Hoc tempore nihil est, atq; contemptus iacet.
Quæstus Parasiti primùm uberrimus, debine
Sycophantæ locus est fraudulẽti tertius.
Asinum esse præstat, quàm leues & improbos
Te ipso uidere digniores uiuere.

Horatius lib. quarto. Oda nona Ad Marcum Lollium consulem.

Non possidentem multa uocaueris
Rectè beatum, rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramq́; callet pauperiem pati,
Peiusq́; letho flagitium timet.
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Beatus est uir, qui aduersa æquanimiter fert.

Terentius in Phormione.

Beatus es, ni vnũ desit, animus, qui modestè isthæc ferat: Beatus, qui, quod sors fert, fert æquo animo.

VIR BONVS ET PROBVS INtrepidus est, nec fortunam insanissimam formidat. *Pictorius in Epigram.*

Nunquàm adeo furit exiguo fortuna flagello,
Quin consternata mente repentè cadas.
Teq́; bonos inter numeras quo iure? quibusúe
Legibus? intrepidum mens bona pectus habet.
Mars ruat in populos, urbes facer atterat ignis,
Pallida ieiuno sæuiat ore fames:
Vir bonus hæc animo constanti sustinet, ut qui
Norit ad æthereas hinc iter esse plagas.
Per uarias clades, per multa pericula, perq́;
Mortem ipsam, æternam tendimus ad patriam.

Vir bonus, ex Vergilio.

Vir bonus & prudens, qualem uix repperit unum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, quid leno procax, quid opinio uulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus,
Externæ ne quid labis per leuia sidat

Ille

Ille dies, quàm longus erit sub sydere cancri,
Quantaq; nox tropico se porrigit in capricorno,
Cogitat, & iusto trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nil ut deliret amußis.
Sit solidum quodcunq; subest, nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.
Quò prætergressus, quid gestum in tempore, quid non,
Cur isti facto decus affuit? aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quàm melius mutare fuit miseratus egentem.
Cur aliquem fracta præsensi mente dolorem?
Quid uolui, quid nolle bonum foret, utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut deniq; uultu
Perstrictus quisquam? Cur me natura magis, quàm
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortuq; & uespere cuncta reuoluens,
Offensus prauis, dat palmam, & præmia rectis.

Rari boni uiri: Iuuenalis Satyra 13.

Quæ tam festa dies, ut cessat prodere furem?
Perfidiam, fraudes, atq; omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio uel pixide numos?
Rari quippe boni, numero uix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, uel diuitis hostia Nili.

Ex Epodôn libro Horatij Lyrici.

Beatus ille ille qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Neq; excitatur Classico miles truci,
Neq; horret iratum mare,
Forumq; uitat, & superbia ciuium
Potentiorum limina.

Ouidius libro 3. Fabula 2. Metamorphoseon.

Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini est, diciq; beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Solon Atheniensis ex Ausonio.

Tunc dico beatā vitam, cū peracta facta sint.

Seneca lib. 6. Ad Lucilium: Quis sit uerè beatus, Epistola 45.

Si vis vtiq; verborum ambiguitates diducere, hoc nos doce: Beatum nō eum esse, quomodo vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed illum, cui bonum omne in animo est erectum & excelsum, & mirabilia calcātem: qui neminem videt, cum quo se mutatum velit: qui hominem ea sola parte æstimat, qua homo est: qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur, sic viuit, quomodo illa præscripsit: cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit, certus iudicij, inconcussus, intrepidus: quem aliqua vis mouet, nulla perturbat: quē fortuna, cum in eū quod habuit telum nocentissimum vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat, & hoc rarò: nam cætera eius tela (quibus humanū genus debellatur) grandinis more dissultant, quæ incussa tectis sine vllo inhabitatoris incommodo crepitat, ac soluitur. Ecce tota mihi vita mentitur, hanc coargue, hanc ad verum (si acutus es) redige: necessaria iudicat, quorum magna pars superuacua est, etiam quæ non est superuacua, nihil in se momenti habet, in hoc, vt possit fortunatum beatumq; præstare: non enim statim bonum est, si quid necessarium est: at proijcimus bonum, si hoc nomen pani aut polentæ damus, & cæteris sine quibus vita non ducitur. Quod bonum est, vtiq; necessarium est, non statim bonum est: quoniam quædam necessaria, eadem vilissima sunt: Nemo vsq; eò dignitatem boni ignorat, vt illud ad hæc in diem vtilia demittat.

Qui sit uerè beatus & felix uir, ex Psal. 1. Dauidis, quem in uersus transtulit clarißimus poëta Stiglius.

Beatus ille, qui procul congreßibus
Remotus est ab impijs;
Et semitam perosus euagantium
Gradu stat imperterrito:
Deumq; deridentium procacibus
Non adsidet subsellijs.
Sed mente pura uerum qui timet deum,
Eiusq; uerbo obtemperat:
Qui nocte, qui die studet potißimum
Deo probari maximo.
Hic est ut arbor ad fluentem riuulum,
Quam diligens seuit manus:
Quæ publicum fructus in usum diuites
Suo ministrat tempore.
Non huic nocet uel Auster imbre sordidus,
Vel uis sonantis Africi.
Ramis gerit comas semper uirentibus
Lætis decora fructibus.
Non impium sectatur hæc felicitas,
Qui nescit aut negat deum.
Sed sicut uno Apeliotes impetu
Glumas inanes disijcit:
Sic obstinatos uentilat deus impios,
Inutilesq; proijcit.
Idcirco iustam cum feret sententiam
Verbi potestas uindicis:
Nil impijs erit relictum ponderis
Errata quo tegant sua:
Sed exules ab omnibus pijs procul
Pœnas dabunt infamia.
Curæ deo nam sunt uiæ credentium,
Negotijs in omnibus.
At impiorum fallet irritus labor
In omnibus negocijs.

Eobanus Heßus sic eundem Psal. in Elegiacos uersus transtulit.

O felix

O felix nimium felix, qui facta malorum
Impia conspiciens, noluit ulla sequi.
Cui uia displicuit pro ueris falsa sequentum,
Perditus incautum ne graderetur iter.
Qui neq; conscendit damnosæ fulcra cathedræ,
Quam derisor m turba maligna tenet.
Huius erit domini lex infinita uoluptas,
Quam labi ex animo tempora nulla sinet.
Hic erit adsimilis grauidæ sua brachia palmæ,
Quæ stat ad undantis iussa uirere lacus:
Quæ feret opportuna suos in tempore fructus,
Et sua quæ debet munera ferre, feret.
Huic non ulla suos uis perturbabit honores,
Nec folia à uentis illius ulla cadent.
Hæc quæcunque dabit, dabit optima, prodiga ueris
Fœtibus optandas semper habebit opes.
Tam bona non capiet, non impius ista uidebit
Præmia, non tales talia dona decent.
Sed uelut à terra paleæ sparguntur inanes,
Quas quocunque uolet quælibet aura rapit:
Impius instabiles sic euanescit in auras,
Et nullum poterit certus habere locum.
Ergo salutiferæ non stabit in ordine turbæ,
Cum iusto reprobus nec sociandus erit.
Nouit enim dominus iustos, & uota piorum,
Quorum auida iusta percipit aure preces.
Sed cadet, & pœnas dabit impius omnis, & horum
Omne quod instituent dissoluetur opus.

Descriptio uitæ beatæ, autore Stigelio.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Nugacissime Martialis hæc sunt:
Delicti agnitio, pauorq; cordis,
Erroris dolor, alta pœnitudo,
Sola & saluifica fides salutis.
Nam quicunq; fide nutante nusquàm
Apprendit penitus, quod ipse Christus
Humanam induerit Deus figuram,
Et nobis miserisq; perditisq;,
Morti suppliciòq; destinatis,
Aeternam reparauerit salutem.
Exercet q; fidem, piosq; fructus
Adfert in medium, suæq; uitæ
Mutat pietate meliores:
Ille inter meruit beatiores
Heroas statui, fruiq; cœlo.
Sunt hæc barbara uerba forsan inquis:
Nec sic sunt soliti loqui Quirites.
Vitam quæ faciunt beatiorem
Nugacissime Martialis hæc sunt.

Beatè uiuere.

Beatè viuere est verum intelligere, cõsultare benè, velle bonum, agere bona: primum sapientię est, secundum prudentię, tertium iustitiæ, quartum perseuerantię. Primum à Deo est, secundum à primo, tertiũ à Deo simul atq; homine, quartũ est à tertio. Qui ita viuunt, homines: qui viuunt aliter, animalia viuunt. Vale ac viue home. Marsilius Ficinus lib. 2. Epistolarũ ad Hieronymum Pasqualinum.

Eobanus 1. psalmum olim sic uertit.

Beatus ille qui negauit impijs
Causis iniquis congredi:
Nec acquieuit in uijs peccantium,
Nec in cathedra pestili.
Quin lege totus ipse diuina stetit
Immobilis tota die.
Nec maior ulla ei uoluptas extitit,
Quàm lex & imperium dei.
Hic fructuosæ confertur arbori,
Ad profluentem consitæ,
Suos adulta facta quæ fructus facit,
Messemq; tempestiuiter.
Non huius ulla frondium pars defluet,
Semperq; stabit florida.
Quæ procurabit, cuncta crescent omnia
Clementer, & properrimè.
Non sic resurget, aut uirebit impius,
Sed ut leues puluisculi,
Quos undecunq; quæuis aura uentilat,
Peribit à factis suis.
Et ergo non consistet ante iudicem,
A cuius ira corruet,
Nihilq; peccatoribus commercij
Manere cum iustis potest.
Cognouit ille nanq; iustorum uiam,
Qui nouit unus omnia:
Et ipse propter se peribit impius,
Quòd ambulat fallax iter.

Virtus græcè ἀρετὴ ἠθικὴ & est animi habitus naturæ modo, ratione cõsentaneus. Habetq; quatuor partes, prudentiam, iustitiam, temperantiam & fortitudinem. De quibus omnibus vide locis suis. NATVR.

Virtus est affectio animi constans conueniensq;, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata etiam vtilitate laudabilis, secundùm Ciceronem in Rheto.

Virtus est mediocritas duorum vitiorũ, alterius secundùm excessum, alterius secundũ defectũ, secundũ Aristotelẽ lib. 2. Ethico.

Virtus est habitus electiuus in mediocritate cõsistens, quo ad nos ratione terminata, & vt sapiens terminaret, secundũ eundẽ. Ibidẽ.

Virtus ex viro appellata est. Viri autẽ propria maximè est fortitudo: cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorisq; contemptio, secundum Ciceronem Tuscul. quæst. lib. 2.

Vir dicitur eo quod maior vis est in eo quã in fœmina, & hinc virtus nomẽ accepit, secũdùm Lactantiũ Firmia. de opificio. dei. in fine cap. 12.

Virtus est perferendorũ malorũ fortis atq; inuicta patientia: & qm̃ fortitudo cęteris omnibus virtutibus excellit, factũ est vt omnes rectę animi

animi affectiones virtutes appellẽtur, etsi quicquid vitio contrarium est, virtus dicitur, diffiniturq́;: Virtus est affectio animi, vt suprà.

Prouerbiorum cap 3.

Noli prohibere benè facere eum qui potest. Si vales, & ipse benè fac.

Ecclesiastes cap. 3.

Et cognoui quòd non esset melius nisi lętari, & facere benè in vita sua.

Sapientiæ cap. 3.

Bonorũ enim laborũ gloriosus est fructus.

Paulus 2. ad Corinthios cap. 1.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostrę.

Idem ad Galathas cap. 5.

Fructus aũt spiritus est charitas, gaudiũ, pax, patiẽtia, benignitas, bonitas, lõganimitas, mãsuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

Idem 1. ad Timoth. cap. 16.

Sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

Ibidem Cap. 2.

Iuuenilia autem desideria fuge, sectare verò iustitiam, fidem, charitatẽ & pacem, cũ his qui inuocant dominum de corde puro.

Petrus 2. cap. 1.

Fugientes eius quę in mundo est concupiscẽtię corruptionẽ, vos autẽ curã omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiã, in scientia autẽ abstinẽtiam, in abstinentia autẽ patientiã, in patientia autem pietatẽ, in pietate autẽ amorẽ fraternitatis, in amore autẽ fraternitatis charitatem. Hęc enim si vobiscũ assint, & superent, nõ vacuos, nec sine fructu vos constituent in domini nostri Iesu Christi cognitione.

Ioannes epistola 3. cap. 1.

Qui benè facit, ex Deo est, qui malè facit, non videt Deum.

August. in episto. ad Macedonium.

In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligẽdũ est. Id diligere, prudẽtia est: nullis inde auerti molestijs, fortitudo: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est.

August. de lib. arbitrio, lib. 2. cap 2.

Bona magna sunt virtutes, quibus ratione viuitur. Minima sunt, quorũlibet corporũ species, quibus rectè viui potest. Media sunt, potẽtię animi sine quibus rectè viui potest. Virtutib. nemo malè vtitur. Cęteris autẽ bonis. i. medijs & minimis nõ solũ benè, sed etiã malè quisq́ue vti potest. Et ideo virtutibus nemo malè vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus illorũ, quibus benè & non malè vti possumus. Nemo autem benè vtendo, malè vtitur.

August. de Ciuit. Dei libr. 4.

Nõ est vera virtus nisi quę ad eum finẽ tendit, vbi est bonũ hominis quo melius non est. Vnde virtuosus homo res petere non debet.

Ambros. & habet. 32. q. 1. Cùm renuntiatur.

Cùm renuntiatur improbitati, adsciscitur virtus. Egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum: eodemq́; studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.

Boetius de consolatione philosoph. libr. 4. prosa. 1.

Nam imperãte florenteq́; nequitia, virtus nõ solùm prẽmijs caret, verumetiam sceleratorũ pedibus subiecta calcatur, & in locũ facinorũ supplicia luit. Quę fieri in regno sciẽtis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest, nec admirari, nec cõqueri. Tũ illa. Et esset (inquit) infiniti stuporis omnibusq́; horribilius mõstris, si vti tu existimas, in tãta veluti patrisfa. dispositissima domo vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerẽt. Sed non ita est: Nam si ea quę paulò antè conclusa sunt, inclusa seruãtur, ipso de cuius nũc regno loquimur, autore cognosces, semper quidẽ potentes bonos esse, malos verò abiectos semper atq; imbecilles: nec sine pœna vnquam esse vitia, nec sine prẽmio virtutes: bonis fœlicia, malis semper infortunata contingere.

Lactan. Firm. Diuin. instit. libr. 1. cap. 1.

Virtus enim colenda est, nõ imago virtutis, & colẽda nõ est sacrificio aliquo thure aut precatione solenni, sed volũtate sola, atq; proposito.

Ibidem.

Nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo aut tenere?

Ibidem.

Qui enim sic virtutes colũt, vt vmbras & imagines virtutum consectentur, ea ipsa quæ vera sunt, tenere non possunt.

Ibidem libro 3.

Seneca quoq; nullum esse aliud virtutis præmiũ quã immortalitatẽ fatetur. Laudans virtutẽ in eo libro, quem de immatura morte cõscripsit. Vna, inquit, res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, & pares dijs facere. Sed & Stoici, quos secutus est, negãt sine virtute effici posse quenquã beatum. Ergo virtutis prẽmiũ beata vita est, si virtus, vt rectè dictum est, beatã vitã facit: nõ est igitur (vt aiunt philosophi) propter seipsam virtus expetẽda, sed propter vitã beatam, quę virtutẽ necessariò sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, in quo esset summum bonum.

Ibidem.

Virtutem Stoici dicunt, quæ sola efficiat vitam beatam, nihil potest veriùs dici.

Ibidem.

Nullus igitur ex virtute fructus est, vbi virtus mortalis est & caduca. Itaq; vmbram quandam virtutis videbant, ipsam virtutem non videbant.

Idem libr. 6. cap. 5.

Virtus est iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refrenare.

Ibidem.

Omne igitur virtutis officiũ est, nõ peccare, quo profectò fungi nõ potest, qui Deũ nescit. Quoniã ignoratio eius à quo bona oriũtur, im prudentẽ impingat in vitia, necesse est. Itaque vt breuius & significantius vtriusq; rei summa officia determinem, scientia est Deum noscere, virtutes colere, in illo sapientia, in hoc iustitia continetur.

Idem lib. 6. cap. 4.

Vna est igitur virtus, ac bonorum vita, quæ fert non in Elysios campos, vt poetę loquũtur, sed ad ipsam mundi arcem. At læua malorum exercęt pœnas, & ad impia tartara mittit.

Idem libro 7. cap. 1.

Nemo virtuti fauet, nisi qui sequi potest. Sequi autem, facile nõ est omnibus. Hi possunt, quos paupertas, & rerũ indigẽtia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nã si virtus est tolerantia malorũ, nõ capiunt ergo virtutem, qui semper in bonis fuerũt: quia mala nec experti sunt, nec ferre possunt, assuetudine, ac desiderio bonorũ, quę sola nouerũt. Eò fit, vt pauperes, & humiles Deo credãt facilius, qui sunt expediti: quàm diuites, qui sunt impedimentis plurimis implicati, imò nõ cathenati, & cõpediti seruiũt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit: nec possunt in cælum aspicere, quoniã mens eorum in terram prona, humique defixa est. Virtutis autem via non capit magna onera gestantes. Angustus admodum est trames, per quem iustitia hominem deducit in cælũ. Hunc tenere nõ potest, nisi qui fuerit expeditus, ac nudus. Nam isti locupletes multis, & ingentibus sarcinis onerati per viã mortis incedunt, quę latissima est, quoniã latè perditio dominatur. His acerba sunt, his venena, quæ Deus ad iustitiã pręcepit, quęq; nos Dei magisterio de virtute, ac veritate disserimus, quibus si repugnare audebũt, necesse est hostes se esse virtutis, iustitięq; fateantur.

Seneca epistola 89.

Superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus.

Idem epistola 88.

Virtus extollit hominem, & super astra mortales collocat. Nec ea quę bona aut mala vocãtur, aut cupit nimis, aut expauescit.

Idem epistola 110.

Omnibus enim natura dedit fundamenta, semenq; virtutum.

Idem epistola 112.

Quæ est enim virtus superuacua cõtemnere?

Idem epistola 75.

Virtus regna, vrbes, ꝓuincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispẽsat, officia modò arcto fine circũdat, paupertatis, exilij, orbitatis. Non tamen minor est si ex altiore fastigio in priuatũ, ex regio in humilem subducitur, ex publico, ex spatioso rure in angustas domos vel angulos coit.

Idem epistola 67.

Errare mihi videtur qui dixit: Gratior & pulchro veniens in corpore virtus Adiuuat. Non enim vllo honestamento eget. Ipsa magnũ sui est decus, & corpus suum cõsecrat. Potest ex casa vir magnus exire, ex deformi humiliq; corpusculo formosus animus, & liber, & magnus.

Seneca Tragœdia 9.

Pulchrum eminere est inter illustres uiros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa uirtus, petitur hac cælum uia. **Ibidem.**
Sed locum habet uirtus inter astra. **Ibidem.**
Nunquam stygias fertur ad undas
Inclyta uirtus. **Ibidem.**
Viuite fortes ne Lethæos sæua par amnes
Vos fata trahent, sed cùm summas exiget horas
Consumpta dies, iter ad superos gloria pandet.

Aristot. lib. 2. Ethicorum.

Circa voluptates & tristitias est moralis virtus. *Ibidem.*

Circa difficilia ars semper fit & virtus.

Ibidem.

Virtus non est passio, quia secundùm passionem nec laudamur, nec vituperamur.

Ibidem.

Virtus nõ est potentia, quia potentes per naturam sumus, boni autem & mali non sumus per naturam.

Ibidem.

Virtus est habitus qui habentem perficit, & opus eius bonum reddit. Ibidem.

Omnia autem vel rei vel virtuti consonant.

Ibidem.

Omnis virtus consistit in medio.

Ibidem.

Virtus certior est & melior omni arte.

Ibidem lib. 3.

Melius est mori quàm facere contra bonum virtutis.

Idem lib. 4. Ethicorum.

Virtuosus benè vtitur quibuscunq;.

Ibidem.

Virtuti perfectæ non fit condignus honor.

Ibidem.

Maior virtus est bona operari, quã turpia nõ operari. Ibidem.

Optimus est, qui non solùm vtitur virtute ad se, sed ad alios.

Ibidem. libro 3.

Habens vnam virtutem, habet omnes.

Ibidem.

Ibidem libro 7.

Homines dij dicuntur fieri propter virtutum excellentiam.

Idem libro 3. Politicorum.

Oportet bonam ciuitatem de virtute esse sollicitam.

Ibidem.

Virtuosum melius est principari, quàm multos alios.

Idem libro 7. Physicorum.

Virtus est dispositio perfecti ad optimum.

Ibidem.

Vnumquodq; tunc perfectum est, cùm attingit propriam virtutem.

Commentator super 7.

Virtus est quædam perfectio.

Idem super lib. 8.

Sapiens naturaliter est virtuosus.

Aristot. lib. de cælo & mundo.

Virtus actiua terminatur ad maximum, passiua verò ad minimum.

Idem lib. de sensu & sensato.

Operatio non est sine virtute.

Idem lib. 1. Ethico.

In fortunatis virtus refulget. *Ibidem.*

Sicut vna hirundo nõ facit ver, nec vna calida dies, nec modicum tempus facit æstatẽ, nec vna virtus virtuosum hominẽ facit: sic nec vna dies, nec modicum tempus facit hominẽ fœlicem. *Cicero lib. de Amicitia. in princi.*

Qui autem summũ bonum in virtute ponũt, præclarè illi quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiã gignit & continet. Nec sine virtute amicitia esse vllo pacto potest.

Ibidem in fine.

Virtute enim ipsa nõ tam multi præditi esse, quã videri volunt, hos delectat assentatio.

Ibidem.

Nihil virtute amabilius, nihil est quod magis alliciat homines ad diligendũ: quippe cũ propter virtutẽ & probitatẽ, eos etiam, quos nunquã vidimus, quodammodo diligamus.

Ibidem.

Neq; enim isti sunt audiendi, qui virtutẽ duram, & quasi ferream esse volũt. *Ibidem.*

Quid est tã absurdũ quã delectari multis rebus inanibus, vt gloria, vt honore, vt ædificio, vt vestitu, cultuq; corporis: Animo autẽ virtute prædito, eo qui vel amare, vel (vt ita dicã) redamare possit, nõ admodum delectari?

Ibidem.

Fructus enim ingenij & virtutis omnisq; præstantiæ tum maximè accipitur, cùm in proximum quemq; transfertur.

Ibidem.

Sine virtute nec amicitiam nec vllam rem expetendam consequi possumus.

Ibidem.

Maxima culpa est in eo, qui & virtutẽ aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur.

Ibidem.

Omnino est amans sui virtus, optimè enim se ipsa nouit, quãq; amabilis sit, intelligit.

Ibidem in fine.

Vos hortor, vt ita virtutem locetis (sine qua amicitia esse nõ potest) vt ea excepta, nihil amicitia præstabilius esse putetis.

Cicero de senectu.

Sed mihi ne diuturnũ quicquã videtur, in quo est aliquid extremũ, cùm enim aduenit id, tum illud quod præterijt effluxit, tantũ remanet id quod virtute & rectè factis consecutus sis.

Ibidem.

Nec verò clarorum virorũ post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorũ animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus.

Cicero lib. 2. Tuscul. quæst.

Scis igitur si quid de Corinthijs tuis amiseris, posse habere te reliquã suppellectilẽ saluã. Virtutem autẽ si vnã amiseris (etsi amitti nõ potest virtus) sed si vnam confessus fueris te nõ habere, nullam te habiturum.

Ibidem lib. 3.

Etsi hoc quidem commune est virtutum. Omnes enim inter se nexæ & iugatæ sunt.

Ibidem lib. 4.

Pleræq; enim quæstiones, quæ ad vitam, moresq; pertinẽt, à virtutis fonte ducuntur. Quãdo igitur virtus est affectio animi cõstãs cõueniensq;, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata etiã vtilitate, laudabilis, ex ea proficiscũtur honestæ volũtates, sentẽtiæ actiones, omnisq; recta ratio. Quãquã ipsa virtus breuissimè recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas.

Ibidem libro vltimo.

Illa enim si modò vlla est virtus, omnia quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaque despiciens, casus contemnit humanos, culpaq; omni carens, præter seipsam nihil censet ad se pertinere.

Ibidem.

At nos virtutem semper liberam volumus, semper inuictã, quæ nisi sunt sublata virtus est. At qui si in virtute satis est præsidij ad benè viuendum, satis est etiam ad beatè: satis enim certè est in virtute, vt fortiter viuamus: Si fortiter, etiam vt magno animo, & quidem vt nulla re vnquam terreamur, semperque simus inuicti, sequitur, vt nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet, ergo omnia profluenter, absolutè, prosperè: igitur beatè: satis autem ad fortiter viuendum virtus potest, satis ergo etiã ad beatè: etenim vt stultitia, etsi adepta est, quod

concupiuit, nunquam se tamen satis consecutã putat: sic sapientia semper eo cõtenta est, quod adest, neq; eam vnquam sui pœnitet.

Cicero Rheto. ueterum lib. 1.

Qui virtutem habet, is nullius rei ad benè viuendum indiget.

Ibidem.

Sæpè virtus ex magnificentia in quo grauitas & authoritas est, plus proficit ad misericordiã cõmouendã, quã humilitas & obsecratio.

Ibidem libro 2.

Prȩmia virtutis & officia sancta & casta esse oportet, neq; ea aut cum improbis communicare, aut in mediocribus hominib. ꝓmulgari.

Cicero Rhetor. nouorum lib. 3.

Nemo erit q̃ censeat à virtute recedendũ esse.

Ibidem.

Nulla vtilior res est incolumitate: virtutibus vti nemo potest, qui suas rationes in tuto non collocauit.

Ibidem.

Virtus nullo tempore relinquenda est.

Ibidem libro 4.

Difficile est primũ virtutes reuereri: qui semper secunda fortuna sit vsus, liber is existimãdus est, qui nulli turpitudini seruit.

Ibidem.

Omnes benè viuẽdi rationes in virtute sunt collocandȩ, propterea quòd sola virtus in sua potestate est. Omnia prȩter eam subiecta sunt fortunæ dominationi.

Ibidem.

Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quàm in casu præsidium collocauit. Nam si qui spei non multum collocarit in casu, quid est quòd ei magnopere casus obesse possit?

Ibidem.

Diuitias sine diuitum esse, tu verò virtutem prȩfer diuitijs: nam si voles virtutem cũ diuitijs comparare, vix satis idoneæ tibi videbuntur diuitiȩ, quæ virtutis pedissequæ sunt.

Cicero in Paradoxis.

Contentũ verò suis rebus esse, maximȩ sunt, certissimæq; diuitiæ. Etenim si isti callidi rerum æstimatores prata & areas quasdã magno æstimant, quòd ei generi possessionũ minimè quasi noceri potest. Quãti est æstimãda virtus, quȩ nec eripi, nec surripi potest, neque naufragio, neq; incendio amittitur, nec tempestatũ, nec temporũ permutatione mutatur? Qua prȩditi qui sunt, soli sunt diuites: soli enim possident res, & fructuosas, & sempiternas: soliq; (quod est proprium diuitiarum) contenti sunt rebus suis.

Ibidem.

Quod honestum & cum virtute est, id solùm opinor bonum.

Ibidem.

In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beatè viuendum puto.

Ibidem.

Nescis insane quãtas vires habet virtus, nomẽ tantũ virtutis vsurpas, quid ipsa valeat ignoras.

Cicero libro 1. de natura deorum.

Beatus autem esse sine virtute nemo potest.

Ibidem.

Nihil est enim virtute amabilius, quã qui adeptus erit, vbicũq; erit gentiũ, à nobis diligetur.

Salustius in Catilinario.

Virtus, clara æternaq; habetur.

Ibidem.

Quȩ homines arant, nauigãt, ædificãt, virtuti omnia parent.

Salustius in Catilinario.

Vbi diuitiȩ honori sunt, & eas gloria, imperium, potentia sequitur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro maleuolentia duci incipit.

Aul. Gell. noct. atti. lib. 17.

Itidem absurdũ est vna sola virtute vitã fieri beatam dicere, quoniam cùm virtus abest, beata esse vita nunquam potest.

Aulus Gellius ibidem.

Virtus autẽ (vt isti dicunt) nõ accessio neq; supplementum, sed sola ipsa vitæ beatæ instar est: & propterȩ vitam beatam ipsa sola vna cũ adest, facit.

Valerius Maximus lib. 2.

Facilior virtutis ad luxuriam, quã luxuriæ ad virtutem transitus est.

Ibidem.

Virtutis vberrimũ alimentum est honos.

Ibidem.

Eneruos animos odisse virtus solet.

Valerius Maximus lib. 5.

Magno vbiq; prætio virtus æstimatur.

Ibidem.

Apud antiquos maiorum effigies in prima parte ædium poni solebant, idcirco vt eorũ virtutes posteri, non solùm legerent, sed etiam imitarentur.

Idem.

Eleuet aliquis prȩmia virtutis, cũ animaduertat fortes viros fœlicius sepeliri quã ignauos.

Valerius maximus lib. 5. ibidem.

Nihil est igitur excepta virtute quod mortali manu & animo immortali quæri possit.

Valerius Maximus libro 7. Ti. Sapienter dicta aut facta.

Bias autẽ cũ patriã eius Pirenẽ hostes inuasissent, & omnes bona sua exportarẽt, interrogatus quid ita nihil ex bonis suis secũ ferret. Ego verò, inq̃t, bona mea mecũ porto. Pectore enim illa gestabat, nõ humeris, nõ oculis visenda, sed æstimanda animo, quȩ in domicilio mentis inclusa

clusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt, & vt manentibus prælio sunt, fugientes non deserunt.

Iulius Cæsar libro 7.

Laudis cupiditas & timor ignominiæ ad virtutem excitant.

Isocrates ad Demonicum sermo. admonito.

τῆς ἀρετῆς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον, οὐδὲ βεβαιότερον ἐστι. Id est:

Virtuti nulla possessio uenerabilior neq; firmior est.

Hesiodus.

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.
ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον
ῥηίδιη δ' ἔπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα. Id est:

Ante uirtutem Dei sudorem posuerunt
Immortales, longa & ardua uia ad ipsam
Et aspera primũ: postquã ad summũ peruentũ fuerit.
Facilis deinde est, difficilis quãuis fuerit.

Menãder.

ὅπλον μέγιστόν ἐστιν ἀρετὴ βροτοῖς. Id est:

Scutum maximum est uirtus mortalibus.

Paulus Silentiarius.

μήτε βαθυκτεάνοιο τύχης κουφίζεο ῥοίζῳ,
μήτε σέω γνάμψῃ φροντὶς ἐλευθερίην:
πᾶς γὰρ ὑπ' ἀσταθέεσσι βίος πολεμίζεται αὔραις,
τῇ καὶ τῇ θαμινῶς ἀντιμεθελκόμενος
ἡ δὲ ἀρετὴ, στα κερόντι, καὶ ἄτροπον, ἧς ἔπι μούνης
κύματα θαρσαλέως ποντοπόρει βιότου. Id est:

Neq; diuitis fortunæ eleueris impetu,
Neq; tuam flectat cura animi libertatem.
Omnis enim sub instabilibus uita subijcitur auris,
Huc & illuc frequenter exagitata.
Virtus autem firmum quid & immutabile, in qua sola
Vndas audacter transeas uitæ.

Plautus in Amphitryone.

Virtute, dixit, uos uictores uiuere,
Non ambitione neq; perfidia. Qui minus
Eadem histrioni sit lex quæ summo uiro
Virtute ambire oportet, non fauitoribus
Sat habet fauitorum semper, qui rectè facit
Si illis fides est, quibus est, ea res in manu.

Ibidem.

Virtus præmium est optimum.
Virtus omnibus rebus anteit profectò.
Libertas, salus, uita, res, parentes,
Patria & prognati tutantur, seruantur.
Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona, quæ penes est uirtus.

Plautus in duobus captiuis.

Qui per uirtutem perit, non interit.

Plaut. in Triummo.

Vt bene uiuitur, diu uiuitur.

Virg. Aeneid. libro 3.

Ecquæ iam puero est, amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam uirtutem, animosq; uiriles.
Et pater Aeneas, & auunculus excitat Hector?

Virgilius Aeneidos libro 5.

Gratior & pulchro ueniens in corpore uirtus
Adiuuat. *Ibidem.*
Tum pudor incendit uires, & conscia uirtus. Ibidem.
Exigui numero sed bello uiuida uirtus. Ibidem.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem,
Ni teneat, uitamq; uolunt pro laude pacisci:
Hos successus alit: possunt, quia posse uidentur.

Idem libro 6.

Pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus
Dijs geniti potuere. *Ibidem.*
Et dubitamus adhuc uirtutem extendere factis.

Virgilius Aeneidos libro 10.

Nunc prece, nunc dictis, uirtutem accendit amaris.

Ibidem.

Aestuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoq; insania luctu
Et furijs agitatus amor, & conscia uirtus.

Virgilius Aeneidos libro 12.

Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem,
Fortunam ex alijs. nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.

Ouid. Metamorph. libro 6. fab. 6.

Grande doloris.
Ingenium est, miserisq; uenit solertia rebus.

Ouid Metamorph. libro 10. fab. 11.

Nec uirtus citra genus est. Idem fab. 12.
Sed stat monitis contraria uirtus.

Idem lib. 12. fab. 7. & ultima.

Iam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis, Aeacides, caput insuperabile bello
Arserat: armarat, Deus idem, idemq; cremarat.
Iam cinis est, & de tam magno restat Achille
Nescio quid, paruam, quod non bene compleat urnam.
At uiuit, totum quæ gloria compleat orbem.
Hæc illi mensura uiro respondet, & hæc est
Par tibi Pelide, nec inania tartara sentit.

Ouid. lib. 13. fab. 2 uerba sunt Vlyxis contra Aiacem.

Tibi dextera bello
Vtilis ingenium est, quod eget moderamine nostro.
Tu uires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes
Nos animo quantoq; ratem qui temperat, anteit
Remigis officiũ, quantò est dux milite maior,
Tantum ego te supero. *Idem lib. 14. fab. 4.*

Castigata exemplaria habent polles.

Inuia uirtuti nulla est uia.

Ibidem in fine lib. 15. estq; peroratio.

Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetustas,
Cùm uolet illa dies, quæ nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat æui:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenq; erit indelebile nostrum:
Quaq; patet domitis Romana potentia terris,

Ore legar populi, perq; omnia secula fama,
Si quid habent ueri Vatum præsagia, uiuam.

Ouid. Trist. li. 3. Elegia 11.

Subruere est arces & stantia mœnia uirtus,
Quilibet ignaui præcipitata premunt.

Ouid. Trist. lib. 4. Elegia 3.

Hectora quis nosset, fœlix si Troia fuisset?
Publica uirtutis per mala facta uia est.
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus,
Si ualeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet, inq; bonis cessat non cognita rebus,
Apparet uirtus, arguiturq; malis:
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputq;
Conspicuum, pietas quà tua tollat, habet.

Ouidius Tristium lib. 5. Elegia 6.

Scilicet aduersis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus uidisset Vlysses,
Penelope fœlix, sed sine laude foret.
Victor Echionias si uir penetrasset in arces,
Forsitan Euadnen uix sua nosset humus.
Cùm Pelia genitæ tot sint, cur cognita nobis?
Nempe fuit misero nupta quod una uiro.
Effice ut Iliacas tangat prior alter arenas,
Laodameia nihil, cur referatur, erit.

Ouid Trist. lib. 4. Ele. ult.

Si quid habent igitur uatum præsagia ueri,
Protinus ut moriar, non ero terra tuus.
Siue fauore tuli, siue hanc ego carmine famam
Iure tibi grates candide lector ago.

Ouid. de Ponto lib. 1. Eleg. 10.

Si modò non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

Ouid. de Ponto lib. 2. Elegia 2.

Difficilè est fateor, sed tendit in ardua uirtus,
Et talis meriti gratia maior erit.

Idem libro 3. Elegia 12.

Corpora debentur mœstis exanguia bustis,
Effugiunt structos nomen, honorq; rogos,
Occidit & Theseus, & qui comitauit Orestem:
Sed tamen in laudes uiuit uterq; suas.
Vos etiam seri laudabunt sæpè nepotes,
Claraq; erit scriptis gloria nostra meis.

Ouidius de Ponto lib. 4. Eleg. 12.

Excitat auditor studium laudataq; uirtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Ouidius Fastorum lib. 2.

Fraude perit uirtus.

Horatius car. lib. 1. Ode. 22.

Integer uitæ scelerisq; purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec uenenatis grauida sagittis.
Fusce Pharetra.
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, uel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Nanq; me sylua lupus in Sabina
Dum meum canto Lalagen, & ultra
Terminum curis uagor expeditus
Fugit inermem.

Horatius lib. 2. car. Ode 18.

Non ebur, neq; aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultima recisas
Aphrica: neq; Attali
Ignotus hæres regiam occupaui:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientes.
At fides & ingenij
Benigna uena est, pauperemq; diues
Me petit, nil supra
Deos lacesso: nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.

Horatius car lib. 3. Ode. 2.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter uia,
Cœtusq; uulgares, & udam
Spernit humum fugiente penna.
Est & fideli tuta silentio
Merces, uetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub isdem
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Soluat phaselum, sæpè Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum.
Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Idem lib. 3 carm. ad Melpomenen.

Exegi monumentum ære perennius,
Regaliq; situ Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poßit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam usq; ego postera
Crescam laude recens, dum capitolium
Scandet cum tacita uirgine pontifex.
Dicar, quà uiolens obstrepit Aufidus,
Et quà pauper aquæ Faunus agrestium
Regnator populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos, sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge uolens Melpomene comam.

Horatius car. lib. 4 Ode. 4.

Fortes creantur fortibus: & bonis

Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed uim promouet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Vtcunq; defecêre mores
Dedecorant benenata culpæ.

Idem Ode 9. libro 4. carminum.

Non poßidentem multa, uocaueris
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramq; callet pauperiem pati,
Peiusq; letho flagitium timet.
Non ille pro charis amicis
Aut patria timidus perire.

Horatius libro 1. epistola 1.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesq;,
Plebs eris. At pueri ludentes, rex eris, aiunt,
Si rectè facies, hic murus aheneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Ibidem epistola 2.

Rursus quid uirtus, & quid sapientia poßit
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem:
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus, urbes,
Et mores hominum inspexit: latumq; per æquor,
Dum sibi, dum socijs reditum parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis undis.
Syrenum uoces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum socijs stultus, cupidusq; bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors,
Vixisset canis immundus, uel amica luto sus.

Ibidem.

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.
Vide suprà in Tempus.

Ibidem.

Quæritur argentum, puerisq; beata creandis
Vxor, & incultæ pacantur uomere syluæ.
Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet.
Non domus, & fundus, non æris aceruus, & auri
Aegroto domino deduxit corpore febres:
Non animo curas, ualeat poßessor oportet
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, iuuat illum sic domus, aut res:
Vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.
Syncerum est nisi uas, quodcunq; infundis, acescit.
Sperne uoluptates, nocet empta dolore uoluptas.

Horat. epistolarũ lib. 1. epist. 6. ad Numiciũ.

Si latus, aut renes morbo tententur acuto,
Quære fugam morbi, uis rectè uiuere? quis non?
Si uirtus hoc una potest dare: fortis omißis
Hoc age delicijs. Ibidem.
Oderunt peccare boni uirtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Ibidem.

Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patiq;
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum, tollas licet, in manicis, &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse deus simul atq; uolam, me soluet opinor,
Hoc sentit, moriar, mors ultima linea rerum est.

Ibidem.

Virtus est medium uitiorum utrinq; reductum.

Idem epistola 21.

Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Vt quantum generi demus, uirtutibus addas.

Horat. epist. libro 2. epist. 2. ad Iulium.

I bone quò uirtus tua te uocat i pede fausto
Grandia laturus meritorum præmia. Quid stas?

Iuuenalis Satyra 1.

Probitas laudatur & alget. Idẽ Satyra 10.
Maior famæ sitis est, quàm
Virtutis. Quis enim uirtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollis? Fran. Petrar. trium. Castitatis.
La uirtu che da bon non sel compagna
Mostro in quel puncto ben, come ha grã torto
Chi ab andona lei, daltrui se lagna. id est,
Sed virtus, quę à bonis haud dissociatur
Ostendit probè tunc qualiter iniustè
Qui eam deserit, de altero conqueritur,

Idem triumpho mortis cap. 3.

Che ne soco ne ferro a uirtu noce.

Dantes Flore. purga. cant. cap. 7.

Rade uolte resurge per li rami
Lhumana probitate, questo uole
Quei che lada per che da lui si chiama. id est,
Rarò resurgit per ramos
Humana probitas, & hoc vult
Ille qui dat, vt ab eo nominetur.

Ibidem cap. 20.

O bon Fabricio
Cum pouerta uolesti anci uirtuti
Che gran richeza poßider cum uitio. id est,
O bone Fabriti
Cum paupertate voluisti, imò virtute,
Quàm magnas opes posidere cum vitio.

Virtus secundũ Lactãtiũ, lib. 6. est irã cohibere, cupiditatẽ cõpescere, libidinem refrenare. id est. n. vitiũ fugere (vt Horatius inquit) nã ferè omnia, quę fiũt iniustè atq; improbè, ab his oriũtur affectibus. Omne igitur virtutis officiũ est, nõ peccare. Nõ in comparãdis diuitijs virtutis ratio cõsistit, sed in his, quas nobis nec homo vllus, nec mors posit auferre. AMANTIVS.

Virtus secũd. Horatiũ ex epist. 1. ad Mæcenatem, est vitium fugere, primaq; sapiẽtia est, caruisse stultitia.

Senecæ dictũ ex oratione Demosthenis desumptũ.
ἐστὶ γὰρ ἀρετῆς ἁπάσης, ἀρχὴ μὲν σύνεσις, πέρας δὲ ἀν-

δρεία. id est. Vniuersæ virtutis cōsultatio principium est, finis verò constantia. Volateranus lib. 29. Anthropologię.

Laus uirtutis. Antonio Borbonio autore.

Nemo opibus fœlix, nam rerum copia tandem
Quamuis aßiduo parta labore perit.
Perduntur senio uires, & gratia formæ
Effluit, & morbi membra dolore premunt.
Vix benè momento manet illecebrosa uoluptas,
Et fugiens stabilem nescit habere gradum.
Inclita sed uirtus animum perfectius ornat,
Perstat, & auferri mente reposta nequit.
Virtus est senij ignara, & post fata superstes
Durat, & ad cœlum præuia pandit iter.
Nempe Dei donum, uirtus felicitat una.
Post cineres uirtus uiuere sola facit.

Virtus nullis fortunæ incommodis obnoxia est ex Strozæ Eroticon lib. quarto.

Angele si quis erit lachrymosi plena doloris
Qui tua non tristi carmina fronte legat:
Ille feras inter sæuis in rupibus ortus,
Aspera duricie uincere saxa potest.
Non ego talis in hoc, sed amici fletibus angor,
Immeritis quem sors uexat acerba malis.
Certè dignus eras hominum cœliq; fauore,
Nec tali casus conuenit iste uiro.
Fortuna. *In te consumpsit uires fortuna nocendo,*
Nihil super est ut iam poßit obesse tibi.
Sed licet in tenueis concesserit irrita uentos,
Intempestiua spes tua morte ducis,
Nec promissa patris seruet tibi filius hæres,
Abstuleritq; tuas Gallus adulter opes.
Non tamen ista ualent rectam infortunia mentem
Eripere, & uirtus inuiolata manet.
Candidus ille uiget morum tenor, & pia uitæ
Simplicitas nullis est labefacta dolis.
Parsq; tui melior fraudem prædonis iniqui
Despicit, ac ferrum terribilesq; minas.
Namq; sacros inter celebraberis Angele uates,
Seraq; posteritas scripta diserta leget.
Et clarum toto stabit tibi nomen in orbe:
Donec in æquoreas rex Padus ibit aquas.
Et reliqua.

Virtus semper manet.

B.M. in Epigrammatis ad Falconem.

Sed propera, longo Lachesis iam fessa labore
Cogitat immiti rumpere fila manu.
Post obitum benefacta manent, æternaq; uirtus
Non metuit Stygijs ne rapiatur aquis.

Benefacta manēt post obitum.

Hesiodus de uirtute.

Τῶν δ' ἀρετ' ἱδρῶται θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τό πρῶτον ἐπὴν θ' εἰς ἄκρον ἵκητ'
Φηϊδίη δ' ἤπειτα πέλεει χαλεπή περ ἐοῦσα. Id est:

Sudorem uirtuti præposuerunt dij immortales:
Ad hanc in longum porrecta ducit uia & aspera
Primùm, dehinc ubi ad ardua uentum est,
Facilis admodum fit, quæ prius rigebat.

Cic. meminit horū versuū li. 6. Epist. famil. ad Leptā. *Idem eodem libro sexto ad Leptā allegat.*

Τὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι.

Nancisci uitium cumulatim & sumere promptum est,
Quò breuè ducit iter, nihil est uicinius illo,
Virtuti contra sudorem numina diuûm
Opposuêre uiamq; asperam, longamq; dederunt.

Virtus intrepida.

Sicut enim trepidare facit mens conscia culpæ,
Sic animi simplex probitas, & cognita uirtus
Efficit impauidum pectus: fugit impius ultrò,
Indiciumq; pauet, frontem pius audet apertam
Tollere: non regis uultum, non iudicis ora,
Non rigidos lictorum enses formidat: ut acres
Non metuit flammas aurum, non uerbera ferri
Dura potens adamas, nec onustæ pondera palmæ.
Arx est ipsa sibi uirtus, ipsa eruit arces:
Ipsa feras, hominemq; domat, non horret inermis
Ire per hostiles cuneos, inimicaq; castra.
Hoc externa docent, & nostræ plurima gentis
Quæ facerent exempla fidem: cur Scæuola dextram
Misit in ardentes prunas, & brachia flammis
Exurenda dedit? pauor est tot milibus unus,
Quem proprijs uirtus gladijs armauit, & hasta.
Cur tranauit aquas, Tiberinaq; flumina uirgo,
Cui populus statuam posuit Romanus equestrem?
Chlælia quo clypeo Fuscum, quibus ensibus hostem
Vicit: et lorica fuit catapultaq; uirtus:
Fortior una uiris, ducibus præstantior una,
Cautior una fuit mulier, cui prouida uirtus
Præstitit ingentes animos, & ferrea corda:
Quum ducis ausa fuit correpto guttura ferro
Stringere, & in petram caput infertare tyranni.
Regulus ad Lybicas iterum freta nauigat arces,
Impauidumq; ultrò caput ad tormenta reportat.
Prætereo Christi passos immania testes
Funera, Laurentiq; ignes, Pauliq; catenas.
Aspice ridentem Siculi mandata tyranni
Zenonem, & regis uersos in uulnera ciues.
Sed quid rem minimè dubiam fulcire probando
Prosequimur? nihil est uirtute potentius: Ergo &c.

Ex Silio Italico 15. lib. uirtus loquitur.

Mecum honor, & laudes, & læto gloria uultu,
Et decus, & niueis uictoria concolor alis:
Me cunctus lauro perducit ad astra triumphus.
Casta mihi domus, & celso stant colle penates:

Senarij iambici, ex Menandro comico. Quæ ad uirtutem εἰς ἀρετήν.

Ἀνάπαυσις ἐστὶ τῶν κακῶν ἀπραξία
ἃ μὴ προσήκει, μήτ' ἄκουε μήθ' ὅρα,
βέλτιον ἐστι σῶμα γ' ἢ ψυχὴν νοσεῖν.

Dulce ocium est benè feriatis à malis,
Nec cerne quæ parum decent, nec audias.
Corpus magis dolere, quàm mentem uelis.

Nihil est difficile uirtuti. Ouidius libro 14. fab. 4. ubi Sibylla in uocem mutatur.

Pone tamen Troiane metum, potiere petitis,

Elisiasq; domos, & regna nouissima mundi
Me duce cognosces, simulacraq; chara parentis.

Maphæus in Verg. lib. 13.

Vehet super æthera uirtus:
Nunquàm stygias fertur ad umbras
Inclyta uirtus: uiuite fortes,
Nec lethæos sæua per amnes
Vos fata trahent, sed cùm summas
Exiget auras consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

Virtus & probitas solæ immortales, reliqua omnia pereunt. Conradus Celtis in lib. 4. Amorum. Elegia 15

Quantus habet miseros labor, & uaga cura colonos,
Et quantus miles castra secutus habet:
Tantus Palladia labor est faciendus in arce,
Vt tua sub cœlo nomina clara uolent.
Illius effugias iuuenis consortia semper,
Eius & in nullo tempore tecta petas:
Cui placet in longam somnum deducere lucem,
Somnacesq; oculos nox fugit alta suos.
Qui furit, & calidi bacchatur munera Bacchi,
Et Venere, & talis tempora noctis agit.
Qualiter in primis adolescens uixerit annos,
Talem præbebit curua senecta patrem:
Et sequitur natus uestigia sæpè parentum,
Et præceptorem cuncta iuuenta refert.
Vtq; uetus dictum est, cunctorum & uoluitur ore:
Natus adulterio semper adulter erit.
Quisquis ab infami fuerit meretrice creatus,
Scortator spurco corpore semper erit.
Turpibus assuetus turpem feret ille senectam,
Nequitiamq; suam sub sua busta trahet.
Et flos arboreo ueluti de stipite turgens,
Spondet ab autumni tempore dona sui.
Indolis egregiæ iuuenis sic noscitur omnis,
Venturæ uitæ candida signa ferens.
Ergo agite, ô iuuenes, moneo mea tempora uitæ
Aspicite, & studijs inuigilate bonis:
Ne ueniat uobis baculo dum nixa senectus
Inducat uarijs plurima damna modis.
Ipse meam anteactam dum uerso pectore uitam,
Anxius inuenio quàm mea scripta nihil.
Quæ me iam uobis olim uixisse loquuntur,
Nec uitam ignaua deseruisse rota.
Cætera, quicquid erant, tenuis modo cernitur umbra,
Et uelut hesternus, præteriêre dies:
Diuitiæ, luxus, dominatio, gloria, honores,
Forma, genus, mores, & gemebundus amor:
Omnia terra suis sepelit, conditq; cauernis,
Et toto, certum est, constat in orbe nihil.

VIRTVS AETERNA POSSESSIO.

Sola immortalis probitas, uirtusq; sub orbe,
Et quæ posteritas carmina docta probat.
Exemplum uobis imitabile sumite, quæso,
Continuus uobis quo sit in orbe labor.
Nil superest de me, quando omnia terra dehiscit,
Quàm quod nunc uobis mortuus ipse loquor.
Mortuus & uiuus uates æternus in orbe est,
Et qui uirtutis stemmata clara colunt.
Prima ætas puero fuerat mihi flegmate plena,
Sanguineo subijt mox iuuenilis honos:
Tertia deinde uirum fecit prudentibus annis:
Quarta melancholico iam mihi uita uenit.

EXERCENDA VIRTVS.

Pictorius poëta ad Paulum Castellum.

Quomodo scintillam flanti si adiuueris ore,
Continuò magnas elicis inde faces:
Insita sic animis uirtutum semina cùm quis
Excitat, ubertim luxuriare facit.
Dum potes, hæc omni studio cole, sæpè morantem
Agricolam glebas rumpere fallit ager.
Humanæ, formicam imitans, iam consule brumæ:
Bruma hominis uitæ est ultima Paule dies.

Sophocles in Eriphyle.

ἀρετῆς βέβαιαι δὲ εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι. Id est:
Virtutis autem sola constans, perpetuaq; est possessio.

Euripides in Andromache.

ὄυτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
ἀνδρῶν, ἀφαιρεῖται χρόνος,
ἁ δ' ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει,
ὀυ τὸ νόμισμα λευκὸς ἄργυρος μόνον,
καὶ χρυσὸς ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀρετὴ βροτοῖς
νόμισμα κεῖται πᾶσιν ἧ χρῆσθαι χρεών. Id est:
Neutiquam reliquias bonorum uirorum aufert tempus,
Sed uirtus etiam morte peremptis lucet.
Non numisma splendens, argentum solùm
Et aurum est, sed & uirtus hominibus
Moneta recondita est, omnibus qua uti cōuenit. Idem.
ἀρετὴ δ' κ' ἂν θάνῃ, τὶς οὐκ ἀπόλλυται.
ζῆ δ' οὐκ ἔτ' ὄντος σώματος κακοῖσι δὲ
ἅπαντα φρουδοῦ συνθανόντ' ὑπὸ χθόνος. Id est:
Virtus autem, etsi moriatur quis, non interit,
Sed uiuit, corpore non amplius existente: malis autem
Cuncta simul euanida commoriuntur sub terra.

Pictorius in Epigrammatis.

Desine cœlestes tandem incusare meatus,
Insita sunt nullis crimina syderibus.
Quo terrena colis, studium ad cœlestia uerte,
Ac benè formandis moribus inuigila.
Sic proprij nosces animi, non syderis esse,
Siue hominis uitam degere, siue animi. Euripides.
Non est uirtute melior possessio,
Non enim submittit se, neq; pecunijs,
Neq; securitati, neq; adulationi uulgi:
Sed uirtus, quò frequentius ea uti libet,
Eò magis crescit, perfectiorq; fit. Idem.
ἀρετὴ μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις καλόν. Id est:
Virtus maximum rerum humanarum bonum.

Idem in Antiope.

Tres sunt uirtutes, quas te exercere opus est, mi fili:
Deosq; ut colas, & qui te enutriuêre parentes,

Legesq́; communes Græciæ: hæc si feceris,
Pulcherrimam feres coronam bonæ famæ perpetuò.

Ex Iambis Monostichis.

ταμεῖον ἀρετῆς ἐςὶ σωφροσύνη μόνη. id est.
Penus uirtutis est temperantia uel sola. Item.
ὅπλον μέγιςόν ἐςιν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς. id est.
Arma potentißima sunt hominibus uirtus.

Theognides poëta Megarensis.

Boni pauperes, mali diuites. *Plures ditescunt mali, boni paupertatem ferunt:*
Sed nos cum his non permutabimus
Virtutem diuitijs: siquidem illa solida firmaq́; semper,
Opes autem hominum iam hic, iam ille habet.

Græcè ita sonat.

πολλοὶ μὲν πλουτοῦσι κακοὶ ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς τούτων οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεὶ
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Paulus Silentiarius.

Nec opulentæ fortunæ eleuet is æstu,
Nec tuam flectat cura libertatem:
Tota enim mobilibus uita oppugnatur uentis,
Huc atq; illuc subinde in diuersas agitota partes.
Cæterùm uirtus est stabilis, & immutabilis, qua sola fret
Procellas audacter penetres huius uitæ. Id est:
ἡ δ' ἀρετὴ ςαθερόν τι καὶ ἄτροπον, ἧς ἐπὶ μούνης
κύματα θαρσαλέως ποντοπορεῖ βιότου. *Socrates.*
ἀνδρίας μὲν ἐπὶ βάσεως σπουδαῖος δὲ ἀνὴρ ἐπὶ καλῆς προαιρέσεως ἴσως ἀμετακίνητος ὀφείλει εἶναι. id est.
Statua quidé in sua basi, virtutis studiosus aût vir, bono proposito nixus, immotus esse debet.

OB VIRTVTEM MORI, OPTAtißima ac honestißima mors est.

Hymnus Aristotelis in laudem uirtutis.

O virtus ardua, laboriosaq́; generi humano, pulcherrima vitæ inuentio Tuam, ô virgo, ob venustatem etiam mori in Græcia optabilis habetur mors, ac labores vehementes ac indefessos perpeti: talem pectori inseris fructũ immortalem auro potioré, & parentibus & lenissimo somno. Tua verò gratia Hercules Ioue satus, Lædæque filij multa perpessi sunt, suis factis quid possent declarantes.

Idem Aristoteles.

Quemadmodùm vehere laudibus quæ pulchra sunt, sic quæ sunt turpia vituperare decet: sed inter pulchra quidem virtutes, inter turpia verò vitia primatum tenent. Laudari verò non ipsa modò virtus, sed causæ quoq;, & comites, fructusq́;, & opus omne virtutis: vt contrà reprehendi contraria debent. Cùm autem animæ partes, qualiter opinatur Plato, tres sunt: partes illius, quæ de agendis omittédisq́; dispicitur prudétia virtus est: qua sustinentur infesta, mãsuetudo & robur est: qua asciscédis idoneis cupiditas regitur, sobrietas ac cótinentia: communesq́; partium omnium harũ iustitia, liberalitas ac magnanimitas. Totidé rerũ earũ opposita vitia: in despiciendo rectè stultitiã: in arcendo infesto ferociam ac incontinentiam: communesq́; partiũ earũ omniũ iniustitiã, & illiberalitaté, animiq́; prauitaté esse oportet.

Idem.

In vniuersum auté, animus ritè compositus vt sit, placidusq́; ac moderatus, & suis motibus vt feratur, omnesq́; per partes ipsius, quas tres esse dicimus, velut harmonia vt consonet, efficere virtutis est: Itaq; Reipublicę similis virtuosus animi status esse videtur. Est verò virtutis & hoc, beneficijs dignos afficere, bonos amicitia sua dignari, odisse malos, tum nec pœnæ, nec vindictæ cupidũ esse, sed misericordé clementemq́;, ac veniam concedere paratum.

Comites virtutis, probitas, ęquitas, candor, spes bona, & id genus alia sunt: qualis est familiarium, amicorum, sociorum, hospitum, hominum deniq; bonorum præsertim amor: quæ quidem laudatorum de numero sunt omnia. Vitium verò contrarijs per omnia præditum est moribus: comitanturq́; id planè contraria: omnia verò quæ vitio insunt, quaq́; id comitantur, in ordinem eorum, quæ reprehenduntur, referuntur.

Pythagoras Samius.

τὰ ἐπίπονα, τῶν ἡδέων μᾶλλον ἡγοῦ συντελεῖν εἰς ἀρετὴν. id est.

Cum labore coniuncta magis quàm cũ voluptate ducas conferre ad virtutem.

Idem ait, optimam nobis vitam esse deligendam, quam suaué mox ipsa consuetudo sit effectura. Diuitiæ anchora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidé, magistratus, honores, omnia hæc imbecilla, & viribus destituta. Quæ ergo anchoræ sunt firmæ? prudétia, magnanimitas, fortitudo, eas nulla tempestas agitat. Hæc Dei est lex: virtutem solam esse, quę potens, solidaq́; sit, cętera omnia nugas & ineptias.

Isocrates Nicocles, aut Cyprius.

Nolite putare vitiũ plus emoluméti afferre, quã virtuté, nomé auté inauspicatius habere: immò vt nomina res quæq́; sortitæ sunt, ita earum esse vim & effectum existimetis respondere. Id est:

Μὴ τὴν κακίαν οἴεσθαι μᾶλλον τῆς ἀρετῆς ὠφελεῖν, τὸ δ' ὄνομα δυστυχέςερον ἔχειν, ἀλλ' οἵων περ ὀνομάτων ἕκαςα τῶν πραγμάτων τετύχηκε τοιαύτας εἶναι.

Idem ad Dæmonicum.

τῆς ἀρετῆς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον, οὐδ' βεβαιότερον. id est.

Virtute nulla possesio nec honestior, nec durabilior est.

Virtus immortalis.

Discite uirtutem iuuenes: nam sola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis
Fortunæue minas, aut sæui spicula fati:

Quæq; facit tremula curua senecta manu.

Parenesis ad uirtutem ueram.

Heu miseris quicquid misero blanditur in orbe,
Ilicò marcescens ut rosa uerna cadit.
Nec quenquam placidis adeò complectitur ulnis
Sors, ut non aliqua parte molesta premat.
Imbibe uirtutes & inania gaudia sperne,
Sunt animi comites gaudia uera boni.

Thomas Morus Anglus.

VIRTVS:

Quicunq; enim vitæ cursum hoc itinere fecerunt, hi soli ad ipsam virtutē ingenuè adire potuerunt: qua nō res honestior, nō constantior est vlla: pulchritudo enim vel valetudine perit, vel tempore flaccescit: diuitiæ vitiorum sunt potius, quàm integritatis ministræ, facultates nempe desidiā præbentes, & ad voluptates iuuenes excitātes. Robur prudentiæ coniūctum profuit: sine illa verò sæpius eum, qui id habet, offendit, & corpora quidem eorū, qui se exercent, adornat, industriam verò mortis obscurat.

Virtutis autem possessio, quorum bona fide mentibus ipsa coaluerit, sola consenescit: diuitijs potior, vtiliorq; generis splēdore: quęq; fieri nequeunt ab alijs, illa suis viribus subdēs, & multitudini metuenda cōstanter expectans, desidiam, dedecus, laborem, laudem arbitratur. Hoc cognitu perfacilè est ex gloria certaminum Herculis, operumque à Theseo gestorum, quibus morum præstantia tantum laudis insigne operibus adiecit, vt omnis temporum posteritas rebus, quas gesserunt, effundere nequiuerint obliuionē. Socrates ad Demonicū.

Virtus non effertur rebus prosperis ac fœcundis.

Cur te dißimulas? cur non in honore superbis
Falco? Supercilio gloria uera caret.
Sors facit elatos, & rusticitate tumentes:
Et generant mores corda superba feros.
Exhilarans frontem uirtus augusta serenam,
Cor placidum, clemens, mite, piumq; facit.

Mantuanus in Epigrāmatibus ad Falconē.

Virtus etiam à morte manet.

Non uidet obscuros manes, non transtra Charontis
Virtus: non Stygij guttura trina canis:
Sed secum ad Superos animas trahit inclyta sanctas,
Ducit ubi lætos uita beata dies.

VANVS. Vis græcè βία ας ἡ & βιαῖος ȣ ὁ. violentus dicitur. Significat autem aliquando vis virtuté. Vir. Longam multa vi muniet Albam. Nónunquā posśibilitatē. Virg. Nō ea vis animo, nec tāta superbia victis. Interdū violentiā. Idē: Quæ vis immanibus applicat oris. Hinc fit violo ꝙ est corrumpo, contamino, polluo, & quasi vim infero, quod propriè de virgine dicitur.

Vis est omne, ꝙ est principiū operatiōis. Sed virtus importat principiū operationis perfectæ, ex b. Tho. 3. Sent. di. 23. q. 1. ar. 3.

VIsus græcè ὤψ ωπός ου ὁ & ὁρατός οῦ ὁ visibilis, & ὁράω video dicitur. Est autē visus nō forma oculi, sed anima secundū quod ab ea fluit visus, ex b. Tho. super li. de anima 19.

Visionis nomē extenditur ad significandū omnē cognitionē sensuum & intellectus, propter dignitatē visus & certitudinē eius, secundùm eundem prima parte q. 67. art. 1. c.

Psalm 118.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem.

Hieremiæ cap. 9.

Ascendit mors per fenestras.

Thre. cap. 1.

Oculus meus deprædatus est animam meā.

August. Confess libro 10.

Sunt enim oculi principes ad nocendū in sensibus. *Hieronymus.*

Impudicus oculus impudici cordis est nunti⁹.

Grego. Moral. 31. super illud Iob, Pepigi fœdus cum oculis meis.

Nō debet intueri quod nō licet concupisci.

Seneca de remedijs fortuitorum.

Irritamenta sunt oculi vitiorum, duces scelerum: huic adulterium oculi ministrant, huic domum quam concupiscat.

Seneca Trag. 5.

Visu carenti, magna pars veri latet.

Aristot. lib. 1. Metaphysicæ.

Sensus visus multarum rerum nobis differentiam demonstrat.

Arist. lib. de Sensu & sensato.

Visus multarū rerū differentias nobis demōstrat. *Idem libro 1. Rhetor.*

Melius est subtiliter videre, quàm subtiliter odorare, quia visus melior est odoratu.

Plautus in Truculento. Suntq; uerba Stratophanis militis.

Nō laudandus est cum plus credit qui audit, ꝙ qui uidet.

Ibidem.

Non placet cū illi plus laudāt, qui audiūt, quā qui uident.
Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui uident, planè sciunt.
Non placet, quē scurræ laudant, manipulares mußitant.

De visu, organo, obiecto actibusq; eius, vide suprà in arbore Animæ.

VIta græcè βίος ȣ ὁ. & βιοτεύω. viuo dicitur. Est autē mansio animæ in corpore, secundùm Aristotelem libro de vita & morte.

Vita est mansio animæ nutritiuæ in calido, secundùm eundem ibidem.

Vita (vt Dona. affirmat) significat ζωὴν mores. animā, alimentū, spatiū viuendi & fortunā quę viuentibus accidit. *Terentius.*

Nam tua quidē hercle vita hæc expetenda.

Deuteronomij cap. 8.

Non in solo pane. viuit homo. *Iob 5.*

Homo

Homo ad laborem nascitur. Iob 14.

Homo natus de muliere breui viuẽs tẽpore.

Vide suprà in Homo. Ecclesiast.9.

Nemo est qui semper viuat. Ibidem.

Melior est canis viuus leone mortuo.

Ecclesiast.cap.8.

Viuentes sciunt se esse morituros.

Ibidem cap.30.

Melior est mors quàm vita.

August.de uerbis domini ser.16.

Breuis est vita, & ipsa breuitas semper incerta.

Idem de uerbis domini serm.17.

Quid est diu viuere, nisi diu torqueri?

Idem sermone.40.

Diu viuere quid est, nisi ad finem currere?

Idem epistola.47.

Neq; in tempore vtiliter viuitur, nisi ad cõparandum meritum, quo in æternitate viuatur.

Idem super Psalm.6.

Longitudinẽ vitæ huius, nõ facit nisi spes viuendi. Nã nihil videtur esse celerius, quã quicquid in ea iam præteritũ est. Cũ ergo dies iudicij venerit, tunc sentient peccatores, quoniam non sic longanimis vita quæ transit.

August.super Psalm.36.

Si toto tempore illo viueres, ex quo Adã de paradiso emissus est vsq; in hodiernum diem, certè videres vitam tuam non fuisse diuturnã, quæ sic auolâsset. Vnius autem cuiusq; vita hominis quanta est adde quantoslibet annos? duc longissimam senectutẽ, quid ergo? Nõnne aura matutina est, ergo longè sit dies iudicij quãdo erit retributio iustorũ & iniustorũ, tuus certè vltimus dies abesse nõ potest longè. Adhuc te prępara, qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ.

Aug.in original. tractans illud Iacobi 4.

Quæ enim est uita nostra.

Vita hęc, est vita dubia, vita cæca, vita ęrumnosa, quã humores tumidãt, dolores extenuãt, ardores exiccant, aëra morbidãt, escæ inflãt, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coartat, securitas hebetat, diuitiæ iactãt, paupertas deijcit, iuuẽtus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & post hęc omnia mors interimit, vniuersis gaudijs finem imponit, ita cùm esse desierit, nec fuisse putetur.

Hiero.super Amos lib.3.

Nihil fugacius seculo rebusq; seculi, quas dũ tenemus, amittimus: & per infantiam, pueritiã, iuuentutem ac virilem & ingrauescentẽ ac maturã ætatẽ, annosq; vltimos senectutis, per quę vtiq; septem spatia Philo vitam describit humanã, mutamur & currimus & nescientes ad mortis terminos peruenimus.

Hiero.epist.79.

Nihil ita decipit quàm cùm ignorent homines spatia viuendi & longiorem sibi vitam tamen repromittunt.

Ambrosius sermone de quadragesima.

Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non pęna. Nam ideo breuem illam deus facit, vt molestiæ eius quæ prosperitate vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique S. Iob dicit: militia est vita hominis super terram.

Gregorius Moralium libro 13.

Reproborũ mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se hic viuere diutius arbitrantur, iusti verò dum breuitatẽ vitæ suæ considerãt, elationis & immunditiæ culpas declinant.

Idem libro 23.Morali.

Solent nonnulli viatores, cũ amœna fortasse prata in itinere cõspiciunt, pergendi moras innectere, & accepti itineris rectitudinem declinare, eorumq; gradus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis, pergentibus ad se, Dominus, huius mũdi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi vię amenitate pascitur, magis eũ diu pergere, quàm citius peruenire delectet: ne dũ oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria.

Ibidem.

Quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum, tot passibus propinquamus, præsentem vitam quasi viam subigendo transimus.

Greg.17. Mora. super il. Iob 24. Eleuati sunt ad modicum, & non subsistunt.

Gloria iniquorum quasi stabilis æstimatur: sed cùm hanc repentinus finis intercipit, breuem fuisse deprehendit.

Seneca in epist.

Infinita est volubilitas temporis, per quod citissimè currimus.

Gregorius in Registro.

Vita nostra nauiganti similis est. Is enim qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, semper vadit, quia impulsu nauis ducitur: sic & nos siue vigilãtes, siue dormientes, per momẽta temporum quotidie ad finem tendimus.

Greg.Moral.12.super illud Iob 14. Breues dies hominis sunt.

Velut non esse constat, quod cum tanta velocitate transcurrit.

Greg.Mora.7.super illud Iob Expectate.

Parum est quicquid finitur.

Lactantius Firm.diui.instit.libro 6.

Hæc enim vita temporalis, quia breuis est, idcirco & bona eius & mala breuia sint, necesse est. Illa verò spiritualis, quæ huic terrenæ contraria est, quoniam sempiterna est, idcirco & bona eius & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt & bonis

bonis breuibus mala æterna, & malis breuibus bona æterna succedant. Itaq; cùm simul præposita sunt homini bona, & mala, considerare vnumquemq; secum decet, quãtò satius sit pro ppetuis bonis mala breuia pensare, q̃ pro breuibus, & caducis bonis, mala perpetua sustinere.

Seneca epistola 12.

Læti dicamus: Vixi & quem dederat cursum fortuna peregi. Crastinum si adiecerit Deus læti recipiamus.

Idem in epistola.

Nemo quàm benè viuat, sed quandiu considerat, cùm omnibus possit contingere, vt benè viuant, vt diu nulli.

Idem in epistola.

Quidam tunc incipiunt viuere, cùm desinẽdum, imò quidam antè desierunt viuere, quàm incipiant.

Idem epistola 71.

Prænauigauimus Lucili vitam: & quemadmodum in mari, vt ait. Virgilius noster, terræque vrbesque recedunt. Sic cursu rapidissimi temporis primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quicquid est inter iuuenem & senem medium in vtriusq; confinio positum, deinde senectutis optimos annos. Nouissimè, incipit ostendi publicus finis generis humani, Scopulum esse illum putamus? Clementissimus portus est aliquãdo petendus, nunquam recusandus.

Seneca in epistola.

De partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat.

Idem epist. 87.

Quomodo fabula, sic & vita, & non quãdiu, sed quàm benè acta, refert. Nil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocunque voles desine, tantùm bonam clausulam impone.

Cicero Rhetor. nouorum 4.

Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cũ virtute vitam non potest colere.

Valerius Maximus lib. 9.

Humanæ vitæ conditionem primus & vltimus dies cõtinet. Quia plurimum interest quibus auspicijs inchoetur, & quo fine claudatur.

Aristoteles libro de causa longitudinis & breuitatis uitæ.

Gentes quæ in calidis regionibus sunt, longioris sunt vitæ quàm quæ in frigidis sunt.

Aristot. de Iuuentute & senectute.

Vita conseruatur per calidum & humidum.

Aristot. lib. 10. Ethicorum.

Vita contẽplatiua melior est, quàm vita quæ est secundùm hominem communem: quia vita contemplatiua est vita diuina.

Homerus in λ Odysseæ uerba sunt Achillis mortui optantis uitam.

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
ἢ πᾶσι νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν. id est.
Velim potius super terram existens seruire alij
Viro pauperi, cui non uictus sufficiens sit:
Quàm omnibus mortuis corruptis imperare.

Phocylides.

ὁ βίος τροχός. Id est: Vita rota.

ἐργάζευ μοχθῶν, ὡς ἐξ ἰδίων βιοτεύσῃς,
πᾶς γὰρ ἀεργὸς ἀνὴρ ζώει κλοπίμων ἀπὸ χειρῶν.
μὴ δ' ἄλλου παρὰ δαιτὸς ἔδοις σκυβάλισμα τραπέζης,
ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἰδίων βιότων φάγοις ἀνύβριστος.
εἰ δέ τις οὐ δεδάηκε τέχνην, σκάπτοιτο δικέλλῃ.
ἐστὶ βίῳ πᾶν ἔργον, ἐπὰν μοχθεῖν ἐθέλῃσθα.
Ναυτίλος εἰ πλώειν ἐθέλεις, εὐρεῖα θάλασσα.
εἰ δὲ γεωπονίην μεθέπειν, μακραί τοι ἄρουραι. Id est:
Operare laboribus, ut proprijs uitam ducas.
Omnis enim piger homo uiuit furacibus manibus.
Neque ab alicuius conuiuio comedas frustum mensæ:
Sed de proprijs cibis comedas, non affectus conuitijs.
Si uerò aliquis non didicit artem, effodiat bidenti.
Conuenit uitæ omne opus, dummodo laborare uelis,
Nauta si nauigare uis, est latum mare.
Si agriculturam aggredi, longè adsunt terræ.

Ex primo Epigrammaton.

ζῆθι σὺν λογισμῷ καὶ μένεις ἀνενδεής. id est.
Viue cum ratione, & manebis sine indigentia.

Palladas.

γῆς ἐπέβην γυμνός, γυμνός θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι,
καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος. Id est:
Terram ascendi nudus, nudus sub terram ibo:
Et quid frustra laboro? nudum cùm uideam finem.

Lucianus.

Τοῖσι μὲν εὖ πράττουσιν, πᾶς ὁ βίος βραχύς ἐστι.
τοῖς δὲ κακοῖς, μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος. Id est:
Fœliciter quidem agentibus omnis uita breuis est,
Sed malè, una nox immensum est tempus.

Menander.

Καρπὸς δ' ἀγαθός ἐστιν εὔτακτος βίος. Id est.
Fructus autem bonus est benè composita uita. Idem.
λάβε πρόνοιαν τοῦ προσήκοντος βίου. id est.
Cape prouidentiam conuenientis uitæ. Idem.
ἀμελοῦντα τοῦ ζῆν οὐκ ἔνεστ' εὐσχημονεῖν. id est.
Negligentem uiuere non licet benè compositum. Idem.
βιοῖ μὲν οὐδεὶς ὃν προαιρεῖται βίον. id est.
Viuit quidem nullus quam eligit uitam. Idem.
βίος ἐστὶν ἄν τις τῷ βίῳ χαίρῃ βιῶν. id est.
Vita est si quis uita gaudeat uiuens. Idem.
βίος κέκληται δ' ὡς βίᾳ πορίζεται. id est.
Vita uocata est, quia ui paratur. Idem.
βίος βίου δεόμενος οὐκ ἐστὶν βίος. id est.
Vita uictu indigens non est uita. Idem.
ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. id est.
Viuimus enim non ut uolumus, sed ut possumus. Idem.
οὐκ ἔστιν βίον εὑρεῖν ἄλυπον ἐν οὐδενί. id est.
Non est uitam inuenire sine tristitia in aliquo. Idem.
τυφλὸν δὲ καὶ δύστηνον ἀνθρώποις βίος. id est.
Cæcum quid & miserum hominibus uita.

Idem.

τὸ ζῆν ἀλύπως, ἀνδρὸς ἐστὶν εὐτυχοῦς. Id est.

Viuere sine tristitia uiri est fœlicis. Idem.

ὡς ἡδὺς ὁ βίος ἄντις αὐτὸν μὴ μάθῃ. id est.

Quàm suauis uita, si quis ipsam non discat. Idem.

ζῆν βουλόμενος μὴ πράξῃς θανάτου ἄξια. id est.

Viuere uolens ne facias morte digna. idem.

ζῆν αἰσχρὸν οἷς ζῆν ἐφθόνησεν ἡ τύχη. id est.

Viuere turpe est, quibus uiuere inuidit fortuna.

Idem.

πάντες καλῶς ζῆν ἐθέλομεν, ἀλλ᾽ οὐ δυνάμεθα. id est.

Omnes benè uiuere uolumus, sed non possumus. Idem.

ὡς ἡδὺ τὸ ζῆν μὴ φθονούσης τῆς τύχης. id est.

Quàm suaue est uiuere, non inuidente fortuna. Idem.

ζήτει συνάγειν ἐκ δικαίων τὸν βίον. id est.

Quære ducere ex iustis uitam. idem

βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πέλειν. id est.

Firmum nihil in uita uidetur esse. idem.

αὐτά σε διδάσκει τοῦ βίου τὰ πράγματα. id est.

Ipsæ te docent uitæ res.

Sophocles in Aiace furente.

ἀλλ᾽ ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή. i.

Sed uel benè uiuere, uel benè mori generosum oportet.

Ibidem.

ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσι. id est.

Viuere turpe turpiter benè natis.

Horatius Sermone lib. 1. Satyra 9.

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Iuuenalis Satyra 10.

Hæc data pœna diu uiuentibus, ut renouata
Semper clade domus, multisq; in luctibus inq;
Perpetuo mœrore, & nigra ueste senescat.

Hominis vita fragilis & caduca.

Gregorius Tifernas.

AMANTIVS.

Ecce sumus puluis, sumus ecce miserrima tellus,
Et nostri fugiunt, ut leuis aura, dies
Languemus, medio ut fœnum quod cæditur æstu,
Vt rosa Pæstano languet adempta iugo.
Obruimur morbis, aut succedente senecta:
Et mala tantillos undiq; multa premunt.
Soluimur ut nebulæ, surgens ut in aëra fumus,
Et ueluti solui Sole pruina solet.
Carpimur ut stipulæ rapido carpuntur ab igni:
Nec nisi uiuendo somnus & umbra sumus.
Vnde igitur fastus uenit, unde superbia nobis?
Quos fatum (præter tot mala) triste rapit?

Homo bulla, ex prouerbijs Erasmi.

Πομφόλυξ ἄνθρωπος. Prouerbium hoc admonet, humana vita nihil esse fragiliùs, nihil fugaciùs, nihil inaniùs. Est enim bulla tumor ille inanis, qui visitur in aquis, momentò temporis enascens, simul & euanescens. Neq; quicquàm profectò potuit excogitari, quòd melius repræsentaret, quàm nihili sit hæc vita nostra. Primũ quantò discrimine prodimus in lucem, deinde quàm destituta, quantis obnoxia periculis infantia, quàm fugax adolescentia, quàm præceps iuuenta. Aristoteles in libris Politicis. Itemque Rhetoricorum lib. 3. vigorem humani corporis tradit iam euanescere anno fermè trigesimo quinto; animi vndequinquagesimo. Hippocrates extremam hominis ætatem terminat quadragesimo nono. Iam si pueritiam & senectam deducas de ratione æui, quæso quantulum est hoc, quod relinquetur? Et hoc ipsum tantis circunscriptum angustijs, sexcenta morborum genera quotidiè infestant: nec pauciores impetunt casus, ruinæ, venena, naufragia, bellum, terræmotus, lapsus, fulmen, & quid non? Alius acini granum glutiens præfocatus est, est quem potus cum lacte pilus strangularit: neq; defuit, cui stiria gelu durata delapsa tecto subitum attulerit exitum. Et hoc est animal illud, quod tantos molitur tumultus, cuiusque cupiditatibus orbis hic angustus est.

Glaucus in Iliad. 6.

Pyrrho Academicus hoc carmine singulariter est delectatus.

οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν,
φύλλα τὰ μέν τ᾽ ἄνεμος χαμάδις χέει
ἄλλα δ᾽ ὕλη
τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ᾽ ἐπιγίγνεται ὥρη. id est.

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum:
Quorum hæc uentus humi fundit, rursum illa
Virescens
Profert sylua, simul ueris iam afflauerit aura.

Vita humana caduca & fragilis.

Labitur omne quod est, nil stat sub sydere firmum:
Mutantur celeris cuncta sub orbe rotæ.
Sydera nos agitant, ruit irreparabile lethi
Tempus, habet certos flebilis hora dies.
Vt mare quod Scythica Boreas quatit acer ab arcto
Pulsus, & aduerso turbidus axe Notus:
Flectitur huc illuc, nec habet quo lumine sistat
Fluctibus excussi, flumina uasta maris.
Quod genuit proprio capitosum sanguine monstrum,
Concutit humanum pestis acerba genus.
Cogitur Herculeas puppis superare columnas
Nostra, magis placidum cum ruit ære fretum.
Tyndaridas læti celebrant dum carmina nautæ,
Et Neptune tibi soluere uota parant:
Sol tegitur nebulis, nebulis obducitur aër:
Murmure terrisono stridet uterq; polus.
Ad Lybicas Syrtes, ad raucæ saxa Maleæ,
Deniq; turbatis exagitamur aquis.
Vmbra leuis, somnus fallax, insomnia uana,
Tactæ Sole niues, tactaq; cæra foco.
Hæc est uita breuis: mortales nascimur omnes
Ad lachrymas, plorat, cùm uidet astra puer:
Multaq; de primis incommoda suscipit undis,
Mixtaq; cum primo lacte uenena bibit.
Ad finem properat quicquid de semine natum est
Humano: sic uult, rexq; paterq; Deum.

Plinius

Plinius lib. 7. elegantißimè describit fragilem uitæ breuitatem, inquiens.

Incertum ac fragile nimirum est hoc munus naturæ, quicquid datur nobis: malignum verò & breue, in ijs etiam, quibus largißimè contingit, vniuersum vtique æui tempus intuētibus. Quid? quod æstimatione nocturnæ quietis dimidio quisque spatio vitæ suæ viuit. Pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies: nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent: nec senectæ in pœnam viuacis, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius: hebescunt sensus, membra torquentur, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta: & tamen vitæ hoc tempus annumeratur, &c.

Ex Iliad. φ.

οἱ φύλλοισιν ἐοικότες, ἄλλοτε μέν τε,
ζαφλέγεες τελέθουσιν ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες
ἄλλοτε δ' αὖ φθινύθουσιν ἀκήριοι. id est.
Frondibus arboreis similes: nunc ubere fœtu
Exuperant, lætiq; satis uescuntur agrorum,
Nunc rursum intereunt, euanescuntq; caduci.

Prouerbium.

Vita non est uita, sed calamitas.
οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος ἀλλὰ ξύμφορα. id est.

Euripides.

οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἐξεπίσταται, τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται. id est.
Mortalium nemo est, qui crastinum sibi audeat polliceri.

Palladas apud Euripidem.

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω.
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
Ω γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενὲς οἰκτρὸν
Συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον, id est.
Lachrymans sum natus, sed & lachrymans morior,
In lachrymis uniuersam comperi uitam:
O genus hominum lachrymosum, debile, miserabile,
Tractum in terra solutumq;.

Plato.

τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι, id est.
Spes esse vigilantium somnia.

Vitam nostram fabulam esse quid.

Plautus.

Est munijs vitalibus perfungi & abire.

Persij locus.

Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est
Quod uiuis, cinis & manes & fabula fies.

Horatius.

Iam te premet nox, fabulæq; inanes.

Etiam uiri fabula.

Quando vti fabulæ nec vera insunt, nec verisimilia: compari modo vita nostra, nec veritatis quicquam nec certitudinis habet, nisi illud quo certius nihil: Hominem bullam esse.

Horatius 1. Odarum.

Vitæ summa breuis, spem nos uetat inchoare longam.

VITA HOMINIS SIMILIS *ludo taxillorum.*

Terentius in Adelphis.

Ita uita est hominum, quasi cùm ludas tesseris:
Si illud, quod maximè opus est iactu, non cadit:
Illud quod cecidit, fortè id arte ut corrigas.

Vita quid. Ex Laërtio.

Est beatorum lætitia, miserorum mœstitia, expectatio mortis.

Iambi Senarij.

βιοῖ μὲν οὐδεὶς ὃν προαιρεῖται βίον,
τυφλὸν δὲ καὶ δύστηνον ἀνθρώποις βίος. id est.
Nemo usque uiuit ex sententia.
Cæca & parum felix uita est mortalium.

Vita breuis, uana.

Non tibi uiuacem furor est spondere senectam.
Quum non sit uitæ certa uel hora tuæ.
Finge age, Nestorium sis peruenturus in æuum:
Longa tument multis tempora fœta malis.
Omnia ut effugias uiridis quibus angitur ætas,
Tædia longa tibi curua senecta feret.
Tu tamen ad seros (nulli quod contigit) annos
Vt uenias, nullo percitus ante malo:
Hoc tamen exiguum est, ubi nunc tot Nestoris anni?
Ex tanto superest tempore nulla dies.

VITA IPSA CVRSVS *ad mortem est.*

E Græco. Tho. Morus uertit.

Nugamur, mortemq; procul, procul esse putamus
At medijs latet hæc abdita uisceribus.
Scilicet ex illa, qua primùm nascimur hora,
Prorepunt iuncto uitaq; morsq; pede.
Partem aliquam furtim, qua se metitur & ipsam,
Surripit è uita, quælibet hora tua.
Paulatim morimur, momento extinguimur uno,
Vt lampas oleo deficiente perit.
Vt nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est,
Quin nunc interea dum loquimur, morimur.

Vanitas huius uitæ.

Damnati ac morituri in terræ claudimur omnes
Carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit,
Carceris in multas describitur area parteis,
Inq; alijs alij partibus ædificant:
Non aliter quàm de regno, de carcere certant,
In cæco cupidus carcere condit opes.
Carcere obambulat hic uagus, hic uincitur in antro,
Hic seruit, regit hic, hic canit, ille gemit.
Iam quoque dum carcer, non tanquam carcer amatur,
Hinc alius alijs mortibus extrahitur.

Vita hominis nihil est.

Nos tenuem strictis spiranteis aëra fibris
Viuimus, & Phœbi lampada conspicimus.

Quotquot uiuimus hîc sumus omnes organa, quæq;
Viuificis animat flatibus aura leuis.

Quicqd tellus parit hoc idem & recipit:

Quod tua si tenuem restringat palma uaporem,
Eripiens animam miseris usq; Stygem.
Sic sumus ergo nihil: Plutoni pascimur omnes
E flatu minimo, nos leuis aura fouet.

E Græco τοῦ παλλαδᾶ.

Hęc vita ludus & scena est

Scena est hæc uita ac ludus, uel ludere disce,
Abijciens curas uel tua damna pati.

Vita suauis. Ex Thoma More.

Non est cura mihi Gygis,
Qui rex Sardibus imperat:
Aurum non ego persequor:
Reges non miser æmulor.
Curæ est, barba suauibus
Vnguentis mihi perfluat.
Curæ est, ut redolentibus
Cingam tempora floribus.
Curæ sunt hodierna mi:
Nam quis crastina nouerit?
Tornato benè Mulciber
Argento mihi poculum
Iam nunc effice concauum,
Et quantum potes inclytum.
Et fac illud ut ambiant,
Non currus, neq; sydera,
Orion neq; flebilis:
Vites fac uirides mihi,
Botri fac mihi rideant
Pulchro cum Dionysio.

Versus Martialis de uita beata.

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundissime Martialis hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquàm, toga rara, mens quieta:
Vires ingenuæ, salubre corpus:
Prudens simplicitas, pares amici:
Conuictus facilis, sine arte mensa:
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non tristis thorus, attamen pudicus.
Somnus qui faciat breues tenebras:
Quod sis esse uelis, nihilq; malis:
Somnum nec metuas, diem nec optes.

Expositionem eorum uersuum, quos multi quidem legunt, sed pauci intelligunt, quære in libello Augustini Dathi, de uita beata &c.

Beatè uiuere quid sit.

Beatè viuere est verum intelligere, consultare benè, velle bonum, agere bona. Primum sapientiæ est, secundum prudentiæ, tertium iustitiæ, quartum perseuerantiæ. Primum à Deo est, secundum à primo, tertium à Deo simul atque homine, quartũ est à tertio. Qui ita viuũt, viuunt homines, qui viuunt aliter, animalia viuunt. Vale ac viue homo. Marsilius Ficinus lib. 1. Epist. Ad Hieronymum Pasqualinum.

Vita æterna pijs expectanda.

Quisquis flagrat amore ueritatis,
Obseruans fidei, atq; perseuerans
In uera pietate: qui labores
Pro Christo patitur libenter omneis,
Si rerum super est uicissitudo:
Illum regna manent beata cœli.

Vita humana cursus ad mortem.

Fallimur & cæci, mortem procul esse putamus:
Illa tamen medio corpore clausa latet.
Quandoquidem ex illa quàm primùm nascimur hora,
It uitæ iuncto mors comes atra pede.
Partem aliquam uitæ semper furatur & ipsam,
Diminuit uitam quælibet hora tuam:
Et morimur sensim, & momento extinguimur uno,
Non secus ac lampas deficiente oleo.
Mors nihil ut perimat, tamen ipso in tempore præsto est.
Quin nunc ah miseri dum loquimur, morimur.

De fragilitate uitæ, Franciscus Petrarcha Soneto 232.

O nostra uita Chesi bella in uista
Cùm perde ageuol mente in un Matino
Quel chen multi anni à gran pena saquista, Id est.
O nostra uita, quæ tam pulchra est extra,
Quàm facilè amittit die uno,
Id quod multis annis magno labore acquiritur.

Amantius uertit sic.

Vita foris nostra hæc, quæ multis pulchra uidetur,
Sæpe uno perdit commoda multa die:
Quæ conquisiuit quisquam uel pluribus annis
Solicitus noctes perpetuosq; dies.

E Græco ἄδηλον.

Omnia sunt risus, puluis, nihil omnia: nempe
Omnia sunt ex ijs, quæ ratione carent.

Aristotelis sententia è græco.

Hic propè dimidium uitæ dormitur, & ipsum
Per somnum similes diues inopsq; iacent.
Crœse igitur rerum ditissime, num tibi fermè
Dimidio uitæ par fuit Irus egens?

Humanæ uitæ deploratio.

Nũc ubi magnanimi Heroes, Regesq;, Ducesq;?
Cæsar ubi Priamus, Teucrûmq; acerrimus Hector?
Et pius Aeneas? ubi nunc facundus Vlysses?
Et gemini Atridæ? Romanæ conditor urbis
Rhomulus, & totum quamuis pacauerit orbem
Augustus? tantoq; potens ubi robore Sampson?
Nunc ubi Sylla ferox? ubi nunc tam fortis Achilles?
Priamidesq; Paris? ubi princeps ille latini
Tullius eloquij? uatum fons uiuus Homerus?
Musarum princeps Romanæ gloria Musæ
Vergilius? Nasoq; tener? doctusq; Catullus?
Et quos progenuit fatis melioribus ætas?
Nunc ubi inexhausto Crassus ditissimus auro?
Nunc ubi Xerxis opes? hominumq; exercitus ingens
Scipiadæ? Iuliq; gener? quos prisca triumphis
Ornarunt superisq; æquarunt tempora diuis?

Totq; alij egregij proceres, populiq; superbi,
Omnes præcipiti sorpsit mors turbida fato:
Et tulit in cineres: nec tanti roboris unquàm
Extitit horrendo cui mors indulserit arcu.
Quid miser ergo tumes, & inani attolleris aura?
Qur te letifera hic mundus dulcedine ludit?
Nónne uides nostræ breuia ut sint tempora uitæ,
Et misera in quantis iaceat tua uita periclis?
Surge age, & immortale tibi per sæcula nomen
Quære puer, dum sese offert occasio: nec te
Virtus æterna. *Illicitis capiat perituris blanda uoluptas.*
Virtuti indulge: uirtus æterna manebit.

Vita hominis breuis, & misera est, & nauigationi periculosæ quàm simillima. Vita nihil fugacius, morte nihil sequacius.

Petrarcha lib. 4. epist. 40. de rebus familiaribus inquit ad Iacobum Messanensem.

Breuis est equidem in primis vita, & fugacissimum vitæ tempus: rerum humanarum inquietum aduersis flatibus & procellosum pelagus: rari & vix hominibus accessibiles portus: scopuli vndiq; innumerabiles, inter quos difficilis & prorsus ambigua nauigatio est. Iam vix vni contigit ex millibus, vt integer enataret: sic nos fortunæ imperium exercet in omnes gradus hominum pari iure grassantis: ita in quibus obuium cymba fragilis nostræ mortalitatis alliditur: & possumus inter hæc nobis, aut nostris longiusculam vitam (imò vt verius dicam) longius periculũ optare? Fingatur aliquis tam benigno sydere, tam propitia fortuna, tam denique fauente Deo, iter hoc ingressus, vt nihil ei posit asperum, molestumque contingere: rem impossibilem & inauditam sæculis fingi iubeo: nec ideo tamen, quamuis periculum absit, aberit metus. Et idcirco fortasse non infelicius, nec inconsultius foret, modò nostri esset arbitrij: sicut in æquore suspecto nautæ solent circumspecti clauum flectere, diuq; ante solis occasum vela submittere: sic in vita portum petere, & adhuc florenti ætate atque animo virenti, & valentibus membris mori, priusquàm eò peruentum sit, quò saltem vita longior perducit, ad vltimas scilicet angustias senectutis, inter quas arctati quidam & vixisse dolent, & mori metuunt, & toties voti exoptatum tempus accusant: denique quid velint, & quid nolint, nesciunt: tanta est discordia. Hæc & ijs similia cogitantes abstinere decet, ne decretum sceleste, seu mortis festinantiam accusemus: alioquin pro nobis ipsis tantummodo conqueri videbimur.

Mortis festinantia minimè accusanda.

Idem, in præfatione ad Socratem, de rebus familiaribus.

Vicit recordatio vitæ breuis, timui (fateor) insidias: quid enim quæso fugacius vita est, quid morte sequacius?

Philemon.

Τοιοῦτος ὁ βίος ἐστὶν ἀνθρώπου γύνη: εὐφραινόμεθ' ἔλαττον, ἢ λυπούμεθα, id est.

Talis est, ô mulier, humana vita: paucioribus gaudijs fruimur, quàm dolore & molestia.

Petracha de remedijs fortunæ, in præfatione ad Azonem.

Cùm res fortunasque hominum cogito, incertosque & subitos rerum motus, nihil fermè fragilius mortalium vita, nihil inquietius inuenio: ita cunctis animantibus naturam miro remedij genere consuluisse video, ignorãtia quadam sui: nobis solis memoriam, intellectũ, prouidentiam, diuinas ac præclaras animi nostri dotes in perniciem ac laborem versas: tam superuacuis enim semper, nec inutilibus modò, sed damnosis atque pestiferis curis obnoxij, & præsenti torquemur tempore, & præterito futuroque angimur: vt nihil magis metuere videamur, quàm ne quando fortè parum miseri simus: tanto studio miseriarum causas, & dolorum alimenta conquirimus, quibus vitam, quę si ritè ageretur, felicissima prorsus ac iucũdissima rerum erat, miserandum ac triste negociũ efficimus: cuius initium cæcitas & obliuio possidet, progressum labor, dolor exitũ, error omnia. quod ita esse, quisquis vitæ suæ cursum acri iudicio remetietur, intelliget. Quem quietum quæso, quem tranquillum, quem non laboriosum magis diem egimus? quod vnquàm tam securum, aut tam lætum mane vidimus, vt non ante crepusculum solicitudo, mœrorque surriperet? cuius mali etsi ipsis in rebus multa insit occasio, nisi tamen nos fallat amor, nostri causa maior, siue, vt ingenuè fateamur, culpa omnis in nobis est. Vt verò sileam reliqua, quib. vndique trudimur: quod illud est bellum, quãque perpetuum, quod cum fortuna gerimus, cuius nos facere poterat virtus sola victores: nos ab illa volentes scientesq; desciuimus. Soli igitur imbecilles, exarmati non æquo Marte cum implacabili hoste congredimur: quos illa vicissim ceu leue aliquid attollit ac deijcit, & in gyrum rotat, ac de nobis ludit, & vinci tolerabilius foret, nunc ludibrio etiam habemur. Id verò quid aliud fecit quàm leuitas ac mollicies nostra? Idonei visi sumus, qui pilæ in morem huc illuc tam facilè iactaremur. Animalia æui breuissimi, solicitudinis infinitæ: quibus inscijs, cui puppim littori, cui animum consilio applicemus? pro cõsilio interim sit pendere, ac præter præsens malum, & à tergo quod doleat, & ante oculos semper habere quod terreat.

Scena est omnis uita nostra, & ludus: cui aut aptè seruiendum erit, & ludus discendus: aut incommoda uitæ æquo animo ferenda. παλλαδᾶς.

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον· ἢ μάθε παίζειν
Τὴν σπουδὴν μεταθείς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας.

Luſcinius.

Diſce iocos, ſcena eſt, ludus quoque uita: repugnans
Fortunæ triſtis, triſtia damna feres.

Aliter.

Scena eſt hæc uita, ac ludus: uel ludere diſce
Abijciens curas, uel tua damna pati.

Vita humana plena calamitatibus, & miſerijs. Luſcinius.

Fundebam lachrymans genitus, moribundus idem nunc
Plango, uidens luctu tempora cuncta teri.
O Mortale genus, malè firmum, triſte, miſellum,
Seu te habeat tellus, ſeu fera parca ferat.

Ἀρχίου.

Θρήικας αἰνείτω τὶς ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
Μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους
ἔμπαλι δ' ὀλβίζουσιν ὅσους αἰῶνα λιπόντας
Ἀπροιδὴς κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος:
οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ παντοῖα περῶσιν
εἰς κακὰ τοὶ δὲ κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.

D. Andreas Alciatus latinè ſic fecit.

Ecquis non laudet Thracas? qui prodit ut infans
In lucem ex utero fletibus ora rigant.
Quiq; beant cernunt quoſcunque relinquere ſeclum,
Parcarum & quos mors dira miniſtra rapit:
Nam uiui uario iactantur turbine ſemper,
Qui moritur finem repperit ille mali.

D. Luſcinius aliter ſic uertit.

Laudantur Thraces, natos quod uiſcera matrum
Egreſſos gemitu protinus excipiunt.
Quodq; relinquentes uitam ſine fine beatos
Credunt incautos, dum fera parca rapit.
Illos uita malis quia deſtinat omnibus: hinc hos
Pharmaca quod mortem tot reperere malis.

Vita noſtra & luctuoſa, ac ſimul ridicula eſt. Ergo ſimul defleri ac rideri digna: Incerto autore ἄδηλον.

Τὸν βίον ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἤπερ ὅτ' ἔζης
Δάκρυε νῦν ὁ βίος ἐστ' ἐλεεινότερος
τὸν βίον ἄρτι γέλα δημόκριτε, τὸ πλέον ἢ πρίν
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος
εἰς ὑμέας ἢ καὶ αὐτὸς ὁρῶν τὸ μεταξὺ μεριμνῶ
Πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

Bartholomæus Simoncta ſic tranſtulit.

Defle hominum uitam pluſquàm Heraclite ſolebas:
In lachrymas totos ſolue age nunc oculos.
Concute maiori ſplenem Democrite riſu,
Et toto reſonans ore cachinnus hiet.
Vita fuit nunquàm poſt condita ſecula mundi,
Et riſu pariter dignior, & lachrymis.

Homo non eſt, qui non aut gaudet, aut dolet.

Stroza pater lib. 3. in fine.

Aut lapis, aut ferrum eſt, quem nunquã gaudia tangunt,
Nec dolor, aſperitas nec mouet ulla mali:
Quem blando nunquàm uultu ſpes allicit, & qui
Nil timet, in quo non gratia, non odium eſt.
Aſpice læſa ſuos ut ſæpè animalia prodant
Affectus, noſtræ quæ rationis egent.
Triſtè gemit duris inciſa ſecuribus arbor,
Et queritur uiridem ponere mœſta comam.
Saxorum oppoſitis frenati molibus amnes
Indignantur aquas lentius ire ſuas.
Gurgitibuſq; fragor ſpumantibus indicat iram,
Senſibus ut proprijs illa carere neges:
Gaudet ut accenſis ramorum facibus ignis:
Sic ſuperiniecta flere uidentur aqua.
Terra quoq; & cælum modò rident, & modò deflent
Forma nec in rebus permanet una diu.
Si uarios igitur nequeo componere motus
Pectoris, haud facti cauſſa pudenda mei eſt.
Nam natura hominem uoluit mitiſsima naſci,
Non in Caucaſeis rupibus eſſe feram.
Hinc ſequor humanis quæ conuenientia duco
Moribus, ætati non aliena meæ.
At tu, quem ſtudijs ſublimibus euehit ardens
Ingenium, ad uitæ liberioris iter.
Quæ mihi proponit clarorum exempla uirorum,
Tu ſequere, & ſine me fata ſubire mea.

Homo originem à Deo traxit: hinc illa artium & conſiliorum capacitas. Ex Satyra 15. & penultima Iuuenalis.

Terra malos homines nunc educat.
Quis enim bonus, & face dignus
Arcana qualem Cereris uult eſſe ſacerdos.
Vlla aliena ſibi credat mala? ſeparat hæc nos
A grege mutorum, atq; ideò uenerabile ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumq; capaces,
Atq; exercendis, capiendiſq; artibus apti.

Hominum animi opinione de Dijs imbuti ſunt.

Cicero 1. Tuſcul. Quæſtionum.

Nulla gens tam fera, nemo hominum tam immanis, cuius mentem non imbuerit Deorũ opinio. Multi de dijs praua ſentiunt: id enim uitioſo more affici ſolet, omnes tamen eſſe vim & naturam diuinam arbitrantur: nec verò id collocutio aut conſenſus hominum efficit, non inſtitutis confirmata eſt opinio, non legibus: omni autem in re, conſenſus omnium gentium lex naturæ putanda eſt, &c.

Hominis patria cœlum eſt.

Taliter humanas Deus ad cœleſtia mentes
Contemplanda uocat: terramq; infeſtat, ut altum
Aethera quæramus, ratione carentia prono
Quæ uultu paſcuntur, humum: mortalia ſuprà
Nil ſperare licet, nobis domus ultima cœlum.
Nec minus eſt demens, rerum qui in uertice tanto
Vult requiem: quàm qui in medio putat æquore portum.
In ſomnio Romano, B. Mantuanus.

Homo ad gloriam natus eſt, ex eodem authore & libro.

Ad laudes genitum capiat si munera diuûm;
Felix ad laudes hominum genus: huc age paulum,
Aspice, nec longo repetam, modo Roma minanti
Impar Fidenæ, contentaq; crescere Asylo;
Quo se extulerit dextris, &c.

Eiusdem sententiæ, ex Boëtio Metro 5. libro 5.

Quàm uarijs terras animalia permeant figuris.
Namq; alia extento sunt corpore, puluereumq; uerrunt,
Continuumq; trahunt ui pectoris incitata sulcum.
Sunt quibus alarum leuitas uaga, uerberetq; uentos,
Et liquido longi spacia ætheris enatet uolatu.
Hæc præcisse solo uestigia, gradibusq; gaudent,
Vel uirides campos transmittere, uel subire syluas.
Quæ uarijs uideas licet omnia discrepare formis,
Prona tamen facies hebetes ualet ingrauare sensus.
Vnica gens hominum celsum leuat altius cacumen,
Atq; leuis recto stat corpore despicitq; terram:
Hæc (nisi terrenus malè desipis) admonet figura,
Qui recto cœlum uultu petis, exerisq; frontem,
In sublime feras animum quoq;, ne grauata pessum
Inferior sidat mens corpore celsius leuato.

Oculi hominum in cœlum tendunt. Ex 4. Manilij lib.

Iam nusquàm natura latet, peruidimus omnem,
Et capto potimur mundo, nostrumq; parentem
Pars sua conspicimus, genitiq; accedimus astris.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumq; redire animas, cœloq; uenire?
Vtq; sit ex omni constructus corpore mundus,
Aetheris atq; ignis summi, terræq;, marisq;,
Spiritum & in toto rapidum qui iussa gubernat:
Sic esse in nobis terrenæ corpora sortis,
Sanguineasq; animas, animi qui cuncta gubernat,
Dispensatq; hominem: quid mirum noscere mundum,
Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis?
Exemplumq; Dei quisq; est, & imagine parua
An quoquàm genitos nisi cœlo credere fas est
Esse homines. Proiecta iacent animalia cuncta
In terra, uel mersa uadis, uel in aëre pendent:
Omnibus una quies, uenter, sensusq; per artus:
Et quia consilium non est, & lingua remissa,
Vnus & inspectus rerum uiresq; loquendi,
Ingeniumq; capax uarias educit in artes.
Hic partus qui cuncta regit, secessit in orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cœpit,
Imposuitq; uiam ponto, stetit unus in arce
Erectus capitis, uictorq; ad sydera mittit
Sydereosq; oculos, propiusq; aspectat Olympum,
Inquiritq; Iouem: nec sola fronte Deorum
Contentus manet, & cœlum scrutatur in alto,
Cognatumq; sequens corpus se quærit in astris, &c.

Ortus hominis à Deo. Ex 15. Satyra Iuuenalis.

Sensum à cœlesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia mundi.
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet,
Dispersos trahere in populum, migrare uetusto
De nemore, & proauis habitatas linquere syluas,
Aedificare domos, laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos uicino limine somnos,
Vt collata daret fiducia, protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem uulnere ciuem.
Communi dare signa tuba, defendier ijsdem
Turribus, atque una portarum claue teneri.

Nihil crudelius homine. Ex eodem Iuuenali.

Sed iam serpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis similis fera, quando leoni
Fortior eripuit uitam leo? quo nemore unquàm
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam, sæuis inter se conuenit ursis.
Ast homini ferrum læthale infide nefanda
Produxisse parum est &c.
Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, uultum
Crediderint genus esse cibi, quid diceret ergo,
Vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra uideret
Pythagoras? cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquàm homine, & uentri indulsit non omne legumē.

Nihil non tentamus, ut corpore ualeamus: ut autem animo benè sit, nihil ferimus Ex lib. 1. de remed. Amoris.

Dura aliquis præcepta uocet mea: dura fatemur
Esse: sed ut ualeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos quamuis inuitus amaros:
Aeger & oranti mensa negata mihi est.
Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignes:
Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Homini ratio omnium rerum rectrix à Deo data est.

Quot subiecta modis animalia
Paßionibus sunt.
Crudelis leo, tigris & aspera,
Trux aper furore,
Indomitus syluas onager colit,
Vnicornis atrox,
Lasciuit uitulus, petulans caper,
Et equus superbus,
Astus, fraus uulpi, Lepori timor,
Os uorax lupis est,
Liuidus est catulus, sus sordida,
Tardus est Asellus,
Vrsa ferox, prudens elephas, sibi
Castitas amica.
Turdur fida pari simplex quoq;,
Stulta corde perdix,
Pauo glorius & zelotypus,

Est auara cornix,
Felle columba caret, canit omnia
Bubo dira planctu,
Est apis arguta, mira facit
Arte melq; fauos.
Prouida se formica regit, pigra
Vult cicada soles,
Nisus aues, lucius pisces rapit,
Est odor uulturi,
Pugnaci gallus est pectore,
Miluus est inerti.
Quis Philumena modos uestros capiti
Ac alauda uestros?
Tales innumeras animalibus
Inditas uidebis
Conditiones, quas dat natura
Alma cuiq; sparsim:
Omnia per pulchro regit ordine,
Noxia nulla culpat,
Nullus & error inest, industria
Cuiq; mira ualdè.
Ast hominis ratio complectitur
Omne tale sparsim,
Per uarias species rectrix data,
Cui necesse cunctos
Affectus iusto moderamine
Temperet, regatq;.
Si renuit, peccat, fit seruaq;,
Turpiorq; brutis.
Stet ratio, fiat sibi subditus
Eius appetitus,
Et dominetur ei: quod si nequit,
Haud ream putato.

Homerus.

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο,
Nil homine enutrit tellus infirmius alma.

Menander apud Plutarchum in libello ad Appollonium.

Τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων· ἄνθρωπος εἶ
οὗ μεταβολὴν θᾶττον πρὸς ὕψος καὶ πάλιν
ταπεινότητα ζῷον οὐδὲν λαμβάνει
καὶ μάλα δικαίως· ἀσθενέστατον γὰρ ὂν
φύσει μεγίστοις οἰκονομιταὶ πράγμασιν, id est.
Caput atq; summa orationis hæc: homo es,
Quo non aliud est animal usq;, quod modò
Surgat, modò cadat citius atq; crebrius:
Ac iure sanè, quippe debilissimum
Quum sit, negocia administrat maxima.

Pindarus in Pythijs hymno 8.

ἐπάμεροι, τί δέ τις, τί δ' οὔ τις σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, Id est: Diurni, quid autem aliquis? quid autem nullus? vmbræ somnium, homo: nihil inanius vmbra: videtur enim esse, cùm nihil sit, atque hoc quoque reperit quiddam inanius, nimirum vmbræ somnium: vt nemo possit dicere, hic est aliquis: neq; rursum, hic est nullus: quòd tam subita sit rerum humanarum immutatio, vt qui videtur aliquid esse, mox sit nullus, & qui videtur perijsse, mox sit aliquis.

Aeschylus apud Stobæum, umbræ fumi similem facit hominis uitam.

τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφήμερα φρονεῖ
καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ καπνοῦ σκιά, id est.
Caduca molitur genus mortalium,
Neq; certa res est ulla, nec tuta, haud magis,
Atq; umbra fumi.

Sophocles in Aiace.

ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα, καὶ σκιὰ μόνον, id est.
Nil aliud ac umbra, atq; flatus est homo.

Pindarus in Nemeis, hymno undecimo.

εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων, μορφᾷ παραμεύσεται ἄλλων, ἔν τ' ἀέθλοισιν ἀριστεύων ἐπέδειξεν βίαν θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος, id est.

Si quis autem opes possidens, forma præcellat cæteris, & in certaminibus fortiter se gerens ostendat robur, meminerit quòd membra circumfert mortalia, quòd finem omnium terram aditurus est.

Vita mutabilis.

Vide quàm sit varia vita, commutabilis ratio, quàm vaga, volubilisq; fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quantæ ad tempus simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorũ, quãtæ timiditates.

NANVS.

Vitium græcè ἐλάσσωμα ατς.τὸ. dicitur. Videtur quando virtuti opponitur, esse habitus animi naturæ non rationi repugnans.

Nonnunquã sumitur pro errore. Plin. Librũ vitijs plenum. Vitiũ est habitus aut affectio animi, in tota vita inconstans, & à seipsa dissentiẽs, secundùm Tullium, ex B. Tho. prima secundæ, q. 71. art. 1. Dicitur aũt vitium à vito, as, quod est caueo, es. Vitium à morbo differt, quòd morbus est habitus quidam cõtra naturã, qui vsum rei facit deteriorem, vt febris, insania quę phrenesis dicitur. Vitium verò perpetuũ est, vt cæcitas, claudicatio, vecordia. Morbus igitur cum accessu discessuq; est, vitiũ verò perpetuò manet. Vitiositas quid differat à malitia, vide suprà in Malitia.

Hiero. in epist. contra Ruffi & hab. di. 56. cap. Nasci.

Non in seminibus, sed in voluntate nascentis, causa vitiorum est atq; virtutum.

Idem ad Demetriadem uirginem.

Tibi nõ tantùm expellenda sunt vitia, q̃ refellenda, quia vtiq; facilius est non suscipere, quã suscepta semel deponere. Nec eorũ tanta dulcedo est, vt ea debeamus præferre virtutibus, cùm nec in omnib. sit delectationis illecebra, & à plerisq; etiã ea, quę videntur dulcissima, respuantur.

Ibidem.

Quidam superbiã libertatis loco ducunt, adulationem

lationem, pro humilitate suscipiunt, malitiam, prudentiæ vice amplectuntur: & iustitiæ, simplicitatis nomẽ imponũt, atq; fallacia ac pessima similitudine decepti, vitijs pro virtutibus gloriantur.

Gregor. & habetur dist. 41. c. Sæpe se.

Sæpè se vitia ingerunt, & se esse virtutes mẽtiuntur, vt tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iusticiæ, remissio pietas velit videri.

Gregor. lib. 1. Moralium.

Quamuis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia .i. inuidia tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit.

Gregor. lib. 31. Moral.

Prima vitia, deceptæ mẽti quasi sub quadam ratione se ingerunt, sed quę sequuntur dũ mentem ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore mentem confundunt.

Gregorius super Ezechielem hom. 12.

Sunt quædã vitia, quasi per quandã cognationem sibi propinqua, sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ, & immunditia luxuriæ, multiloquium, fallacia atque periurium. Ex dissolutione spiritus mens ad ingluuiem ventris rapitur, & dum cibis venter extenditur, ad luxuriã caro trahitur. Ex multiloquio fallacia generatur, quia difficile est, vt qui multa loquitur, nõ etiam mentiatur, & sępe mendacium etiam periurio tegitur, vt ante humana iudicia veletur.

Seneca in epist.

In vitia alter alterum trudimus, quomodo ad salutem reuocari potest, quem nullus retrahit, & populus impellit?

Idem epist. 10.

Vitia te mercede solicitant: auaritia, pecuniã promittit: luxuria, multas ac varias voluptates: ambitio, purpuram, & plausum, & ex hoc potẽtiam, & quicquid potentiam ponit.

Aristotel. lib. 1. Rhet.

Quicquid fuerit superabundans, & magis quàm esse debet, hoc est malum.

Valerius maximus. lib. 3.

Neq; enim vllum finitur vitium, vbi oritur.

Hesiodus.

τὴν μέν τοι κακότητα, καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι
ῥηϊδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς μάλα δ' ἐγγύθι ναίει. id est.

Vitium quidem & ubiq; est capere
Facilè, breuis quidem uia, ualdè autem propè habitat.

Horatius.

In uitium ducit culpæ fuga.

Iuuenalis Saty. 14.

Fallit enim uitium specie uirtutis & umbra.

Propertius lib. 2. Elegia. 22.

Vnicuiq; dedit uitium natura creato.

Dantes Florent. inferni cant. car. 30.

Maggior difetto men uergogna laua. Id est.
Maiorem culpam minor erubescentia diluit.

Vituperium græcè ψόγος. ου. ὁ & ψέγω vitupero dicitur. Venit autem vituperium siue vituperatio à vitupero. Vituperare enim est vitio aliquid dare. Terent. Nunc quam rem vitio dent, queso animaduertite. Et subiungit: Id isti vituperãt factum. Venit autem vitupero et vituperium à vitium, sec. Aug. quia hoc qualilibet res vituperatur, ex b. Tho. prima secundæ q. 71. artic. 2. c.

Vniuocum græcè συνώνυμον. ου. τό. Dicũtur autem vniuoca, quorum nomen est commune, & secundùm illud nomen substantiæ ratio est eadem, sec. Arist. lib. Prædicamentorum.

Vniuocum quodcunque est vnum de quinque prædicabilibus, secund. be. Thom. contra gentiles 1. cap. 22. fin.

Vniuersale græcè καθολικόν. οῦ. τό dicitur. Et ẽ quod de pluribus aptum natum est prædicari, secund. Arist. lib. 1. Perihermẽ.

Vniuersale est, quod de omni & per se, & secundũ quod ipsum est, secund. Arist. lib. 1. Poste.

Voluntas gręcè θέλημα ατος, τὸ. θέλησις. εως ἡ. dicitur. Est autem voluntas appetitus boni cũ ratione, se. Ari. lib. 1. Rhet. Volũtarium est cuius principium est in ipso sciente singula quæ agit, sec. Arist. lib. 3. Ethicorum.

Voluntarium dicitur, quod est secundùm inclinationem volũtatis, Et hoc dupliciter. s. agẽdum & patiendum, ex b. Tho. prima parte. q. 82 art. 1. cap.

Voluntas cõpleta nõ est nisi de possibili, quod est bonnm volenti. Velleitas verò, secudũ quosdã incompleta de impossibili. Quia. s. aliquid vellet, illud si esset possibile, ex. be. Tho. prima secundæ q. 13. art. 5

Ecclesiastici cap 15.

Deus ab intio cõstituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mãdata & pręcepta sua. Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum, fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam, & ignẽ, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominẽ vita & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi, quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potẽtia, videns omnes sine intermissione. Oculi domini timentes eũ, & ipse agnoscet omnem operam hominis. Nemini mãdauit impiè agere, & nemini dedit spacium peccãdi. Nõ enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

Paulus ad Chrinthios. 2. cap. 8.

Si enim volũtas prompta est secundùm id quod habet, accepta est: non secundùm id, quod non habet.

Iacobus in epist. cap. 1.

Vnus

Vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cùm cōsummatum fuerit, generat mortē.

Iacobus in epist. cap. 4.

Vnde bella & lites in vobis? Nónne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris.

Augu. de uerbis Apostoli. serm. 18. Et habetur. 22. q. 2 capite, Homines falsum.

Interest quemadmodū verbum procedat ex animo, ream linguam non facit nisi rea mens.

August. de libero arbitrio.

Deus est autor meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus applicat voluntati.

August. de uerbis apostoli Petri & Pauli.

Cùm vult, non potest: quia quando potuit, noluit. Ideo per malum velle, perdidit bonum posse.

Ibidem.

Sola voluntate miser quisq; efficitur, sed miserior, cū desyderiū malæ voluntatis impletur.

August. de Trinitate libro 13.

Mala voluntate non solùm quisq; miser efficitur, sed miserior potestate, qua desideriū malæ voluntatis impletur.

August lib. de Libero arbitrio.

Voluntas auersa ab incommutabili bono, & conuersa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad interius, peccat. Ad propriū conuertitur, cùm suæ voluntatis vult esse. Ad exterius, cùm aliorum propria, vel quęcunq; quæ ad se non pertinent, cognoscere studet. Ad interius, cùm voluptatem corporis diligit.

Aug & hab. de pœni. dist. 1. cap. Si propterea.

Si propterea nō facis furtum, quia times ne iudiceris, intus in corde fecisti, reus furti teneris, & nihil tulisti.

August. de lib. arb. & hab ibidem cap. Si cui.

Si cui etiam non contingat concūbendi cum coniuge aliena, tamen planum sit eum aliquo modo cupere, & si potestas detur esse factorū, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.

August. de libero arbitrio.

Voluntas nihil habet, nisi ex se iudicatur Nec quidem tardū ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetit⁹, nec sensus obtusus, nec vita languēs reum per se statuerunt hominem, sicut nec contraria, innocentem. Et hoc nō ob aliud nisi quia & hoc necessario & præter voluntatem posse peruenire probatur.

August. lib. 2 de Ciuit. Dei.

Cùm se voluntas, relicto superiore ad inferiora conuertit, efficitur mala. Non quia malū est, quò se conuertit, sed quia peruersa est ipsa conuersio.

Ibidem.

Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ. Non est efficiens, sed deficiens: quia nec effectio, sed defectio est.

August. super Psalm. 35.

Iustitia Dei est aliquando vt sanus sis, aliquādo vt ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei: & quando ægrotas, amara est voluntas Dei: non recto corde es: quare? quia nōn vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei: sed Dei vis curuare ad tuam, illa recta est, sed tu curuus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curuanda est ad te, & rectum habebis cor.

August. super Psalm. 134.

Quis Deus cor quærit, cor inspicit intus, testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator, sufficit, vt offeras voluntatē. Cùm potes ore cōfiteri ad salutem, cùm aūt non potes ore, corde ad iustitiam, corde laudas, corde benedicis, corde in ara conscientiæ victimas sacras imponis, & respondetur tibi, pax in terra hominibus bonæ voluntatis.

Idem super Psalm. 57.

Quicquid vis & non potes, factum Deus computat.

August. lib. 83. quæstionum.

Qui quærit quare Deus voluit mundū facere, causam quærit voluntatis Dei. Omnis aūt causa efficiens maior est, quàm id quod efficitur. Nihil autem maius voluntate Dei. Non igitur eius causa quærenda est.

August. super epist. Ioan. homilia 7.

Non est considerandū quid homo faciat, sed quo animo & voluntate faciat. In eodē facto inuenimus Deum patrē, in quo inuenimus & Iudam patrem benedicimus, Iudam autem detestamur. Nam traditio Christi: facta est à Deo patre & Iuda. Vna res facta est, quam tamen pater & filius facit in charitate, Iudas in proditione. Diuersa igitur intentio, diuersa facit facta.

Aug. super illud. Matth. 6. Si lumen quod in te est. &c.

Quod non bona intentione facis, nō tibi proderit quia quare feceris, non quomodo illi euenerit, tibi imputabitur.

Hieron. in Amos proph. & hab. 24. q. 1. c Odi & proic.

Odi & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum: quòd si obtuleritis mihi holocausta, & munera vestra non accipiā, & vota pinguium vestrorum respuam. Odit aūt Deus & nō solùm odit, sed proiecit festiuitates eorum, qui nō celebrant festiuitates Dei sed suas. Et post pauca: Odisse aūt, & non odorari & proijcere, humana loquitur similitudine, vt nos affectum Dei, nostris sermonibus agnoscamus: & si holocausta obtulerint & videātur te iuuare, dare eleemosynas, pudicitiam pollice-

polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscipit dominus. Nam non sacrificiorum magnitudines, sed offerentium merita, causasque diiudicat. Vnde & vidua quæ in corbonam duo minuta miserat, omnibus à saluatore prefertur, quia dominus non ea quæ offeruntur, sed volũtatem respicit offerentium.

Hiero. & hab. 18. q. 1. cap. Si quis.

Si quis non iratus, sed propter disciplinam aliquem verberauerit, vel palmam alicui dederit, & casu occiderit, sicut casu fieri solet, quantum ad gratiam innocens est, quia voluntatem non opus hominis deus requirit, quantum autem ad legem reus est, quia opera lex quærit.

Idem super Matthæum lib. 1. cap. 14.

Qui viderit mulierem, &c. Inter passionem & propassionem hoc inter est, quod passio reputatur in vitium, propassio licet vitij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine: ergo qui viderit mulierem & anima eius fuerit titillata, hic propassione percussus est. Si verò consenserit, de propassione transiuit ad passionem, & huic voluptas peccati non deest, sed occasio. Quicunque ergo viderit, i. si sic aspexerit vt cõcupiscat, vt facere disponat, iste rectè mœchatus dicitur eam in corde suo.

Hieron. super illud Matth. 6. [Vbi est Thesaurus tuus.

Cor habet in ventre gulosus, lasciuus in libidine, cupidus in lucris.

Idem ad Demetriadem.

Volens deus rationalem creaturam voluntarij boni munere, & liberi arbitrij potestate dotare, vt boni ac mali capax, vtrunque naturaliter posset, & alterum voluntate deflecteret. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere: nec est quò magis rationalis creatura cęteris præferatur, nisi quòd cum omnia animalia, conditionis tantùm ac necessitatis bonũ habeant, hæc sola habet etiam voluntatis.

Ibidem.

Qui viderit mulierem ad concupiscendã eã &c. Apud eum cui nota sunt omnia antequam fiant, voluntas perfecta faciendi pro opere reputatur facti.

Idem super Amos.

Deus non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causasq; dijudicat: vnde vidua quæ duo minuta in corbonã misit, omnib⁹ pręfertur, qui animalia pinguissima, & hostias modulatas se offerre credebant.

Ambro. de uita beata & hab. 15. q. 1. cap. Non est.

Non est quòd cuiquam nostram ascribamus ærumnã nisi nostræ voluntati. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Nõ habent crimen quę inferuntur reluctantibus. Voluntarium sibi militem eligit Christus: voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictũ possidet, nisi se ei prius peccator ære vẽdiderit.

Ambro. li. de para. & ha. Ibidem cap. Nec is.

Nec is qui inuitus aliquod homicidium fecerit, extra ministerium dei est. Siquidem lex ait de eo, quia dedit eum in manu eius. Manus ergo eius instrumenti modo diuinæ vltioni ministerium præbuerunt. Leuita igitur minister remissionis est, percussor autem qui non ex dispositione, sed præter voluntatem fecerit homicidium, diuinæ minister est vltionis.

Ambro. super Beati immacul.

Plurimum refert, vtrum ex voluntate faceas quod placeat, an necessitate. Deniq; volũtarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium. Vnde Apostolus: Si volens euangelizauero, mercedem habeo: sin autem inuitus: dispensatio mihi tradita est.

Gregor. Moralium lib. 10.

Valdè laboriosum est custodire, ne mala homo faciat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, & intra recta opera sinistra cogitatio illudat.

Ibidem lib. 12.

Deus non intuetur quãtum quilibet valeat, sed quantũ velit: & quia deus corda pensat, iam in eius oculis fecit quod cogitauit.

Gregorius lib. 16. Moral.

Caro cùm concupiscitur, pensetur quid fit ex animis, & intelligitur quid amatur. Nihil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt quisq; quod viuum diligit, quale sit mortuum penset.

Idem lib. 26. Moralium.

Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: diuina verò iudicia talia foris audiũtur, qualia ex intimis proferũtur. Certè nouerit ille qui intentionẽ & volũtatem alterius varijs explicat verbis: quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intẽtionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.

Idem lib. 28. Moral.

Si oculus tuus fuerit simplex, totũ corpus lucidũ erit: quia si rectè intendimus per simplicitatem cogitationis, bonũ opus perficitur, etiã si minùs bonũ esse videatur. Sed cùm peruersa intentione, quid vel rectum agitur, & si splendere coram hominibus videatur, apud examen æterni iudicis obscuratur.

Ibidem.

Omni cura seruandus est à malitiæ puluere oculus cordis, ne hoc quod in actione rectũ hominibus ostendit, apud semetipsum per vitiũ elationis intorqueat.

Gregorius in homil. 5. super Euangelia.

Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Voluntas

luntas aũt bona est, sic proximi aduersa sicut nostra pertimescere, sic de prosperitate proximi, sicut de nostro ꝑfectu gratulari, aliena damna, nostra credere, aliena lucra, nostra deputare, amicũ nõ propter mundũ, sed propter Deũ diligere, inimicum etiam amãdo tolerare, nulli quod pati non vis, facere, nulli ꝗ tibi iustè impendi desideras, denegare: necessitati proximi iuxta vires occurrere, sed prodesse etiã vltra vires, velle.

Idem lib. 7.

Non tam prauè facta Dominus, quã custodiã prauitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sępe negligentia, in studijs verò semper malitiosa intentione peccatur.

Gregorius in Pastorali, lib. 12.

Humanum quid est in corde tentationẽ perpeti, Dæmoniacum verò est tentationis certamine in operatione superari.

Ioannes Chrysost. de tractatu Simboli.

Causa actũ poterit decorare. Si aut necessitate subsistat, aut vtilitate vigeat, aut honestate splẽdescat, aut cum affectu mentis tota valeat substantia operis tolerari: opus nõ ex se, sed ex causa fit crimen. Nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet.

Idem super Matthæum.

Facile deuiat à iustitia, ꝗ in causis non Deum formidat sed hominem. Hic peccandi differt facultatem, sed non aufert voluntatem.

Ibidem.

Apud Deum qui hominem occidere disponit, antequam occidat, homicida habetur. Voluntas aũt est, quæ aut remuneratur pro bono, aut cõdemnatur pro malo. Opera autem testimonia sunt voluntatis. Non igitur quærit Deus propter se, vt sciat quomodo iudicet, sed propter alios, vt intelligant, quia iustus est Deus.

Isidorus soliloquiorum lib. 2. cap. 10.

Tale erit opus tuum, qualis fuerit intẽtio tua.

Isidorus lib. 2. cap. 3.

In initio resiste cogitationi pessimæ, si titubat prona cogitatio, non consentias illi.

Boetius de philosophica conso. lib. 3. prosa. 2.

Nam sæpe mortem cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur.

Ibidem lib. 4. prosa. 2.

Duo sunt, quibus omnis humanorm actuum cõstat effectus, voluntas. s. ac potestas, quorum si alterutrũ desit, nihil est quod explicari queat. Deficiente eñ voluntate, ne aggreditur quidem quisq; quod non vult. At, si potestas absit, voluntas frustra fit, quod fit, vt si quem videas velle adipisci, quod minimè adipiscatur. Hinc obtinendi quod voluerit defuisse valentiã dubitare non possis.

Idem lib. 5.

Diuina prouidentia rebus gerẽdis necessitatẽ nõ imposuit, quia si omnia euenirent de necessitate, præmia bonorum & malorum pœna perirent.

Seneca in hercule furente Tragœd. 1.

Quod nimis miseri uolunt, hoc facilè credunt, imò quòd metuunt nimis, nunquam amoueri posse, nec tolli, putãt.

Aristot. lib. 3. Ethicorum.

Quod primum est in intentione, vltimũ est in executione.

Ibidem.

Bonum voluntarium est id quod simpliciter bonum est.

Arist. lib. 3. Ethicorum.

Nullus est bonus nec beatus, nolens.

Ibidem.

Nos sumus domini operationum nostrarum, à principio vsq; ad finem.

Ibidem lib. 5.

Dico voluntarium quod aliquis in seipso existentium, sciens & ignorans operatur. Iustum operari voluntariũ est. Delinquit vtiq; aliquis volens, & iniusta patitur nullus volens.

Idem lib. 2. Priorum.

Magis eligendum est benè agere, quàm agere. Vnde magis eligenda est voluntas sine actione, quàm actio sine bona voluntate.

Idem Rheto. lib. 1 cap. 19.

Voluntas est cum ratione appetitus. Nullus enim vult, nisi cùm putauerit esse bonum. Irrationales autem appetitus, ira & concupiscentia.

Idem lib. 2. cap. 3.

Nullus ea ꝗ sibi apparẽt impossibilia, appetit.

Ibidem cap. 6.

Acutę sunt voluntates iuuenũ, & nõ magnæ.

Ibidem lib. 28.

Nullus impossibilia affectat neq; concupiscit, vt in pluribus.

Aristoteles de animalibus. lib. 3.

Voluntas appetitus est.

Cic. Rheto. nouo. lib. 2.

Voluntatem in omnibus rebus spectari conuenit, quæ consulto facta non sunt, in eis fraudem esse non oportet.

Ibidem lib. 2.

Quo animo quisque faciat, non quo casu vtatur, ad rem pertinet.

Ibidem.

Voluntario facinori nulla est excusatio imprudentiæ.

Salust. in Catili.

Vincit in auido ingenio, prauum consilium.

Valerius Maximus libro 4.

Locuples est non multum possidens, sed modica desiderans.

Terentius Heautontimor.

Nulla est tam facilis res quin difficilis sit, quam inuitus facias.

Ouid. de Ponto lib. 1. Elegia 4.

Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.
Hæc facit ut ueniat pauper quoq; gratus ad aram,
Et placeat cæso non minus agna boue.

Horat. Epist. lib. 1. Epist. 11.

Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.

Idem epist. lib. 1. epist. 14.

Rure ego uiuentem tu dicis in urbe beatum,
Cui placet alterius sua nimirum est odio sors,
Stultus uterq; locum immeritum causatur iniquè.

Iuuenalis satyra 13.

Has patitur pœnas peccandi sola uoluntas:
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Dantes Florent. inferni canti. cap. 31.

Et doue largomento della mente
Sagiunge al mal uolere, & alla possa,
Nisun riparo ui po far la gente. Id est.
At post quam argumentum mentis
Additur malæ uoluntati, cùm potens fuerit
Nullum obicem adhibere tunc non potest.

Dantes Floren. purgatorij. 2. c. 16.

Voi che uiuete caggion recate
Per suso al ciel commense tutto
Mouesse seco di necessitate.
Se co si fusse in uoi fora distrutto
Libero arbitrio, & non fora iustitia
Per ben latitia, & per mal hauer lutto.
Lo cielo in uostri mouimenti initia,
Non dico tutti, ma posto chil dica,
Lume ue dato a bene, & malitia.
E il libero uoler chi saffatica
Nelle primæ batagilie col ciel dura
Poi uince tutto, si ben si notrica. Id est.
Vos qui uiuitis, omnem rationem affertis
Sic sursum ad cælum, sicut si totum
Moueret secum ex necessitate.
Si sic esset in uobis, adimiretur
Liberum arbitrium, & non foret iustitia,
Pro bono gaudium, & pro malo habere luctum.
Cælum in uestris motibus initium dat,
Non dico in omnibus, sed quamuis dicam,
Lumen datum uobis est ad benè & malè agendum.
Liberum uelle, quid conatur,
In primis certaminibus: cum cælo durat,
Post uincit totum, si beatè nutritur.

Fransc. Petrar. cant. 42. Stantia 8.

Che uo cangiando pelo,
Ne cangiar posso lostinata uoglia, Id est,
Ego mutans pilum,
Nec mutare possum obstinatum uelle.

VOluptas græcè ἡδονή. ῆς. ἡ. & ἡδυσμένος. ȣ. ὁ. voluptuosus dicitur. Est autem voluptas iucundus motus in sensu, secund. Cice. lib. 2. de finibus bonorum & malorum.

Voluptas est cum quadam lubrica suauitate ad illicita sordidę mentis inclinatio, secundùm Isidorum in synon.

Voluptas est motus quid amanimæ, & affectio tota simul & sensibiliter in naturam proficiscens. Cuius contrarium est dolor, sec. Arist. lib. 1. Rhetor.

Voluptas est præter modum elata lætitia, opinione præsentis alicuius magni boni. Diciturque voluptas, quòd talia maximè volumus. Hinc voluptuariũ, hoc est voluptatis plenum, & voluptuosum, eiusdem significationis.

Augustinus de singularitate Clerico.

Minus voluptatibus stimulatur, qui nõ est vbi frequentia est voluptatum. Minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt.

Hieron. epist. ad Damasum Papam.

Semper voluptas famem sui habet, & transacta non satiat.

Ambrosius super Lucam 6.

Nihil prodigæ satis est voluptati. Semper famem patitur sui, quæ alimentis perpetuis nescit impleri.

Isidorus de summo bono lib. 3.

Licet sæpè in medio carnaliũ, Deus protegat vitam electorum, tamen satis rarum est, vt quisque inter seculi voluptates positus, à vitijs maneat illibatus, in quibus etsi nõ citò implicetur, aliquando tamen attrahitur. Nec enim diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus.

Boët. lib. 3. de philosoph. consol.

Quid aũt de corporis voluptatibus loquar? quarũ apperentia quidem plena est anxietatis: satietas verò pœnitentiæ, quarum motus quid habeat iucũditatis ignoro. Tristes verò esse voluptatis exitus quisquis volet reminisci libidinum suarũ, intelliget: q̃ si beatos explicare posset, nihil causæ quin pecudes quoque beatæ esse dicantur.

Ibidem.

Nihil igitur dubium est, quin ad beatitudinẽ deuia quædam sint. Nec perducere quenquam eò valẽt, ad quòd se perducturas esse promittunt.

Seneca epist. 39.

Quis hostis in quenquã tã cõtumeliosus fuit quam in quosdam voluptates suæ? Quidam se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinẽ adductis carere nõ possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò peruenerint, vt illis quæ superuacua fuerãt, facta sint necessaria: Seruiũt vtiq; voluptatibus, non fruuntur: & mala sua (quod malorum est vltimum) amant.

Ibidem.

Indurandus est animus, & blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vitia Annibalem hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus atque alpibus virum exterminauerũt. Fomenta Cãpanię armis vicit, à vicinis vict⁹ est,

Ibidem.

Nobis quoq; militandum est quodam genere militiæ, quo nunquam otium datur. Debellādę sunt in primis voluptates, quæ vt vides, sæua quoque ingenia rapuerunt. Si voluptati cessero, cedendum est dolori.

Ibidem.

Aspice illum, cui somnus laxę domus silentio quæritur, cuius aures ne quis agitet, omnis seruorum turba conticuit, huc nempe variatur atque illuc, somnum inter ægritudines leuem captans. Qui nō audit, audisse se conquerit. Quid in causa putas esse? animus illi obstrepit, hic placandus est, huius seditio compescenda.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Non est consentaneum qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate, & qui inuictum se à labore præstiterit, vinci à voluptate.

Cicero libro 1. de Finibus bonorum & malorum.

Nemo em̃ ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernetur, aut oderit, aut fugiat, sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt.

Ibidem.

At verò eos & accusamus, & iusto odio dignissimos ducimus, qui cùm blanditijs præsentium voluptatum deliniti, atq; corrupti, quos dolores & quas molestias accepturi sint, occæcati cupiditate non præuident.

Ibidem.

Nam libero tēpore, cùm soluta nobis est eligendi optio, cumq; nihil impedit, quo minus id, ꝙ maximè placeat, facere posimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor depellendus. Temporib. aūt quibusdam, aut officijs debitis, aut rerū necessitatibus sæpè eueniet, vt & voluptates repudiandæ sint, & molestiæ nō recusandæ. Itaq; harum rerū hic tenetur à sapiente delectus, aut vt reijciēdis voluptatib. maiores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat.

Idem de finib. bono. & malo.

Voluptates omittuntur maiorum voluptatum adipiscendarum causa.

Ibidem.

Voluptas autem est sola, quæ nos vocet ad se, & alliciat suapte natura.

Ibidem lib. 2.

Quid enim necesse est tanquam meretricem in matronarum cœtum sic voluptatem in virtutum concilium adducere?

Ibidem.

Voluptas sæpius relinquit causas pœnitendi quàm recordandi.

Ibidem.

Maior est animi voluptas quàm corporis.

Ibidem.

Voluptatem bestijs concedamus.

Ibidem lib. 2.

Maximas verò virtutes, iacere omnes necesse est, voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimæ, quæ nisi honestas natura plurimum valeat, cur non cadant in sapientem, non est facilè defendere. At ne plura cōplectar (sunt enim innumerabilia) benè laudata virtus, voluptatis aditus intercludat necesse est, quod iam à me expectare noli.

Idem lib. de Senectute.

Dicebat Architas Tarentinus, nullam capitaliorem pestem, quàm voluptatem corporis, hominibus à natura datam.

Ibidem.

Impedit em̃ consilium voluptas, rationi inimica, ac mentis (vt ita dicam) præstringit oculos, nec habet vllum cum virtutibus commerciū.

Ibidem.

Cupidis enim voluptatū, odiosum fortasse & molestum est carere. Satiatis verò & expletis, iucundius est carere quàm frui, quanquam nō caret is qui non desiderat. Ergo hoc non desiderare, dico esse iucundius.

Idem lib. de Senectute.

Diuinus Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea homines capiuntur, vt pisces hamo.

Cicero lib. Paradox.

Si quis voluptatem esse summum bonum dixerit, eius vox pecudum esse videtur, non hominum.

Ibidem.

Te miseriæ, te ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui florentem putas, tuæ libidines te torquent.

Ibidem.

Tu dies noctesq; cruciaris, cui non sat est ꝙ est, & ipsum quod habes, ne diuturnum sit futurum times.

Cicero. lib. Paradox.

Quomodo aūt hic libero imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrenet primùm libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, auaritiam coerceat, cæterasq; animi labes repellat. Tunc incipiet alijs imperare, cùm ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum verò his obediet, nō modò imperator, sed liber quidem nō habendus erit.

Cicero libro Officiorum.

Nam & voluptates blandissimæ dominæ maiores partes animi à virtute detorquent.

Cicero lib. 4. Tuscul. quæst.

Vt turpes sunt, qui efferunt se lætitia tum cū fruuntur venereis cupiditatibus: sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus verò iste, qui vulgò appellatur amor (nec herculè inuenio, quo nomine alio posit appellari)

lari) tantæ leuitatis est, vt nihil videam, quod putem conferendum. Quem Cæcilius:

-Deum qui non summum putet,
Aut stultum, aut rerum esse imperitum existimat,
Cui in manu sit, quem esse dementem uelit,
Quem sapere, quem sanari, quem in morbum inijci.
Quem contrà amari, quem accersiri, quem experi.

Cicero in orat. ad M. Marcellum.

Quid est hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cùm venerit, omnis voluptas pro nihilo præterita est, quia nulla est futura.

Lucius Apuleius Floridorum libro 3.

Cogitatio voluptate impeditur.

Isocrates ad Demonicum in sermone admonitorio.

ἡδονὰς θήρευε τὰς μετὰ δόξης, id est.

Voluptates uenerare cum dignitate.

Periander.

ἀεὶ μὲν αἱ ἡδοναὶ θνηταί, αἱ δὲ τιμαὶ ἀθάνατοι. id est: *Semper quidem uoluptates mortales, honores uero immortales.* *Idem.*

ἡδονῆς κράτει. id est. *Voluptatibus impera.* *Idem.*

μὴ λάλει πρὸς ἡδονήν. id est. *Ne loquere ad uoluptatem* *Menander.*

ἡ γὰρ παράκαιρος ἡδονὴ τίκτει βλάβην. id est. *Intempestiua uoluptas, parit damnum.* *Idem.*

ὡς πολλὰ διὰ τὰς ἡδονὰς λυπούμεθα. id est. *Quàm in multis rebus propter uoluptates tristamur.*

Terentius comœdia 5.

Qui uoluptati obseruientes uiuunt, haud parum hæredem iuuant. *Ouid. de remedio lib. 2.*

Eneruant animos cytharæ, cantusq;, lyræq;,
Et uox, & numeris brachia mota suis.

Horatius ser. lib. 1. Satyra. 2.

Audire est operæpretium.

Vide suprà in Adulterium.

Iuuenalis satyra 11. in fine.

Voluptates commendat rarior usus.

Dantes Florentinus paradisi cant. 2.

Dietro à sensi.
Vedi che la ragione ha churte l'ale.

AMANTIVS. *Aristoteles de Virtutibus.*

Ἀκολασία δὲ ἐστὶ κακία τοῦ ἐπιθυμητικοῦ καθ᾽ ἣν ὀρεκτικοὶ γίνονται, τῶν περὶ τὰς ἀπολαύσεις φαύλων ἡδονῶν, id est.

Intemperantia est vitium partis concupiscibilis, quo appetunt frui voluptatibus illicitis. Illius est eligere per fruitionem voluptatū perniciosarū, & turpium, & existimare eos vel solos benè ac feliciter agere, qui in talibus voluptatibus viuant, id est, in verbis & factis leuem esse: comites, perturbatio ordinis, imprudētia, luxus, socordia, negligētia, incuria, dissolutio.

Plato in Phædone.

Sanè quidem vocant intemperantiam seu luxum à voluptatibus regi, id est.

Καί τοι καλοῦσί γε ἀκολασίαν τὸ ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι.

Eusebius.

Eorum qui fœdis voluptatibus dediti sunt, nullum tu liberum ducas: hi enim multò sæuioribus dominis quàm sint qui fortuna seruos cōparant, possidentq;, cogentibus eò seruiunt.

Idem.

ἀκολασία ψυχὴν λυμαίνεται, καὶ σῶμα διαφθείρει τὸ περ ἕνεκα τῆς ἡδονῆς, καὶ ὥστε αὐτῷ χαρίζεσθαι τὸν ἔχοντά μιν καταναγκάζει τὰ αἴσχιστα πάντα ποιέειν, i.

Intemperantia animam corrumpit, & corpus perdit, quod sanè voluptatis gratia, vtque ei gratum fiat, coget illum, à quo habetur, turpissima quoque facere.

Alexandrides.

Μηδὲ πώποτε δοῦλον ἡδονῆς σαυτὸν ποίει λάγνης γυναικός ἐστιν οὐκ ἀνδρὸς τόδε, id est.

Nunquam seruum voluptatis teipsum facito, libidinosę mulieris istud est, non viri.

Cleanthes dicebat: quisquis rem turpem appetere sibi indulget, ille eam etiam designabit opportunitatem nactus.

Idem.

Vnde tandem nascitur genus adulterorum ex viro in venereis nimium obæso, & sanguine redundante.

Menander.

Probrum est turpis vita, tametsi suauis sit.

Voluptatis soror est tristitia.

Antiphon.

Vbi dulce est propè, alicubi etiam triste. voluptates enim non ex seipsis progrediūtur, sed sequuntur eas dolores & molestiæ, id est.

ἔνθα τὸ ἡδὺ οὐ πλησίον που, καὶ τὸ λυπηρόν: αἱ γὰρ ἡδοναὶ οὐκ ἐκ σφῶν αὐτῶν ἐκπορεύονται, ἀλλ᾽ ἀκολουθοῦσιν αὐταῖς λῦπαι, καὶ πόνοι, id est.

Solon.

ἡδονὴν φεῦγε, ἥτις ὕστερον λύπην τίκτει. id est.

Voluptatem fuge, quæ in posterum dolorē parit. Idem Menandro adscribitur.

Sophoclem grandem natu interrogabat quidam, num adhuc rem haberet cum vxore: at ille, bona verba, inquit, libentissimè effugi hanc libidinem, tanquam rabidum & ferum dominum.

Eusebius.

Veluti venti nauem correptam huc illuc ferentes quassant, & inobedientem efficiunt gubernatori: itidem animam agitans, & menti immorigeram esse cogens, intemperantia, trāquillam esse, & in trāquillo ac tutissimo ceu portu quiescere non permittit.

Euripides in Antiope.

At quicunque vitam sic agunt, vt carnem saginent, si destituantur pecunijs, mali erunt ciues: necesse enim est, eum, qui assuetus sit ventris ingluuei, sui similem permanere.

Euphro.

Non est adultero ullum maius malum:

In aliorum enim infortunijs delicias quærit. Id est.

οὐκ ἔστι μοιχοῦ μεῖζον οὐδὲ ἓν κακόν:
ἐν ταῖς γὰρ ἑτέρων βούλετ' ἀτυχίαις τρυφᾶν.

Voluptas uirtuti inimica, Sillius Italicus lib. 15. de Scipione.

Quum subito assistunt dextra læuaq; per auras
Allapsæ, haud paulum mortali maior mago:
Hinc uirtus, illinc uirtuti inimica uoluptas.
Altera Achemenium spirabat uertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, & ueste refulgens,
Ostrum qua fuluo Tyrium suffuderat auro.
Fronte decor quæsitus acu, lasciuaq; crebras
Ancipiti motu iaciebant lumina flammas.
Alterius dispar habitus, frons hirta, nec unquàm
Composita mutata coma: stans uultus in ore,
Incessuq; uiro propior, lætiq; pudoris
Celsa humeros niueæ surgebat stamine pallæ.

Ibidem, uoluptatis mala.

Inde aspice latè
Florentes quondam luxus quas uerterit urbes.
Quippe nec ira deûm tantum, nec tela nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa uoluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus. & atris
Circa te semper uolitans infamia pennis.
Mecum honor & laudes, & læto gloria uultu,
Et decus & niueis uictoria concolor alis.

Aristoteles.

Vbi plurimum de virtute, ibi minimum de fortuna.

Petrarcha in lib. Augustali, Licinius, inquit, Valerianus ab exercitu appellatus Augustus, volente populo & gaudente senatu: quia fuit nobilis sanguine, scientia clarus, gloriosus eloquẽtia, sed infœlicissimus fuit omnium: nam captus à Sapore rege Persarum, in misera seruitute consenuit, sustinens semper in tergo regẽ cùm ascenderet equũ: vixit annis 70. imperauit 6. Asinius Pollio in vita Galeni. & Valerianus Volateranus in lib. 23. Anthropologiæ.

Ouidius lib. 7. Fabula 24. Metamorph.

Vsq; adeo nulla est syncera uoluptas,
Solicitumq; aliquid lætis interuenit.

Nulla uoluptas longa. Ouidius lib. 6. Fastorum.

Scilicet interdum miscentur tristia lætis,
Nec populum toto pectore festa iuuant.
Crassus ad Euphratem, aquilas, natumq; suosq;
Perdidit, & letho est ultimus ipse datus.

Menander.

οὐκ ἔστι μοιχοῦ πρᾶγμα ἀτιμότερον θανάτου γὰρ ἐστι ὤνιον, id est.

Non est adultero vlla res contemptior, morte enim est venalis.

Zenon incusabat plerosq;, inquiens, cùm liceat à laboribus voluptates capere, eos à popinis potiùs petere.

Musonius dicebat, extremæ impudentiæ esse, in subeundis vel sustinendis quidem laboribus meminisse corporis imbecillitatis, ergò voluptates autem obliuisci.

Aristoteles in serm. philosophiæ.

Atqui intemperanter agere iam olim vitiò datur, quia in ea relaxantur frena cupiditati, vt libera sit vltra quàm parsit.

Plutarchus in lib. contra uoluptatem.

Fera est mancipans sibi homines voluptas, sed non fera: nam si apertè pugnaret, citò caperetur: nunc autem etiã ideò inuisa magis, quòd celat inimicitiam induta habitum beneuolentiæ: itaq; dupliciter auersanda, & quòd nocet, & quòd fallit.

Seruius in memorabilibus dictis.

Plato dicebat, difficilè esse inuenire intemperantibus quidem bonam voluptatem, ægrotantibus autem salubrem.

Ex Epicteti libris.

Molestos autem philosophos in medium producamus: quib. non videtur secundùm naturã voluptas esse, sed accedere naturæ cõsentaneis: iustitiæ, temperantiæ, liberalitati. quid ergo anima quidem bonis corporis existentibus minoribus gaudet, & tranquillatur? (vt inquit Epicurus) suis autem bonis, quæ sunt maxima, non delectatur? Quin natura largita mihi est verecundiã, & crebrò erubesco cùm quid turpe à me dici puto, &c.

Plutarchus in lib. contra uoluptatem.

Quia corpora resoluit voluptas indies emolliens delitijs, quarum assiduus vsus tollit vigorem, relaxans vires eorum, vnde morborum & lassitudinum copia egregiè proficit, & senectæ rudimenta in iuuentute præludunt.

VOTVM.

VOtum græcè εὐχή ης. ἡ & εὔχομαι voueo dicitur. Est autem votum alicuius boni cum deliberatione Deo facta promissio.

Votum est propositi supererogantis ꝓmissio, Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata. Richar. 4. di. 38. art. 3.

Votum dicitur à voluntate, quasi à primo mouente rationem ad promittendum, secundùm B. Thomam 2. q. 98. art. 1.

Votum est testificatio quędam promissionis spontaneæ, quæ debet fieri Deo de his quę Dei sunt, secundùm eundem ibidem.

Vouere est aliquid Deo sanctè ꝓmittere. Quũ verò ea vehementer desideramus, quæ voto à Deo poscimus, fit vt aliquãdo pro desiderio capiatur: vnde voti compos, qui desideriũ suum assecutus est. Hinc deuoueo hoc est destino, imprecor. Hinc deuotum, quod modò ad prosperum, modò ad aduersum refertur.

Dauid Psalm. 75.

Vouete & reddite.

Idem Psalm. 115.

Vota

Vota mea domino reddam.

Ecclesiastes cap.5.

Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.

August. & hab.17.q.1.cap.Sunt quædam.

Sunt quædam quę etiam nó vouétes debemus, quædam etiam quæ nisi vouerimus non debemus. Sed postquàm ea domino promittimus, necessariò reddere constringimur.

Idem lib. de bono coniugali, & habetur dist. 27.Quidam.

Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse, ego auté dico vobis, quàm grauiter peccant, qui tales diuidunt.

Hiero. & hab.17.q.1.cap.Voventibus.

Vouentibus non solùm nubere, sed etiã velle damnabile est.

Gregorius super Ezechielem, & habetur 17.q.1. cap.Qui bona.

Si post votũ, quisq; necessario cogitur soluere quod vouit, si vouentibus non solùm nubere, sed etiam velle damnabile est, patet ꝙ sacerdos iste ad executionem sui voti cogendus est: non solùm non fieri, sed etiam velle monachum nó fieri, sibi damnabile est. Quod verò inter vouentes iste computádus sit, patet ex verbis Augustini dicentis: Dixi confitebor &c. Magna pietas Dei est, vt ad solam promissionem peccata dimittat. Nondum enim pronunciat ore, & tamen Deus iam audit in corde. Votum enim pro opere reputatur.

Gregorius in Registro, & habetur 17.q.1. cap.Ananias.

Ananias Deo pecunias vouerat, quas pòst victus persuasione diaboli subtraxit, sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachi habitu deuoueras, subtraxisti.

Isidorus in Synonymis, & habetur 22.q 4. cap.In malis.

In malis promissis rescinde fidé, in turpi voto muta decretũ. Quod incautè vouisti, ne facias? Impia est promissio, quę scelere adimpletᷣ.

Leo Papa, & habetur 20.q.1.Puellæ.

Puellę quę non parentũ coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperint, si postea nuptias elegerint, præuaricantur, etiam si nondum eis consecratio accesserit, cuius vtiq; nó fraudarentur munere, si in proposito ꝑmanerent. Ambigi verò non possunt, crimen magnum admitti, vbi propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impunè calcari, quid de eis manebit, qui corruperint fœdera diuini sacramenti?

Seneca ad Lucilium epistola 10.

Quidam turpissima vota dijs insusurrant, si quis admouerit aurem, conticescẽt, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat. Sic loquere cum Deo, tanquàm homines audiant.

In epistola.

O quàm inimica sunt nobis vota nostrorum, eò quidem infeliciora quò cessere fœlicius.

Cicero lib.2. de Legibus.

Cautè vota reddunto.

Valerius Maximus lib.7.cap.1.

Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum à dijs immortalibus arbitrabatur, quã vt bona tribuerent. Quia ij demũ scirent, quid vnicuiq; esset vtile. Nos autem plerunq; id votis expetere, ꝙ non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm late patentem erroré, cęcas precationes tuas spargis? Diuitias appetis, quę multis exitio fuerũt. Honores cócupiscis, quos complures pessunderunt. Regna tecum ipse voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis coniugijs inijcis manus, at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnunquã funditus domos euertunt. Desine igitur stultè futuris malorum tuorum causis quasi fœlicissimis rebus inhiare, teq; totum cælestium arbitrio permittere quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.

Virgilius Aneidos lib.6.

Cessas in uota precesq;
Tros ait Aenea cesses.

Lucanus lib.5.Pharsaliæ.

Noua uota timori
Sunt inuenta nouo.

Ouidius Fastorum lib.5.

Sæpe Iouem uidi, cùm iam sua mittere uellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

Persius Satyra 2.

Haud cuiuis promptũ est, murmurq;, humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto uiuere uoto.

Martialis Epigrammaton libro 8. de columba.

Et dominum mundi flectere uota ualent.

Dantes Florentinus paradisi canti.5.

Lo mogior don che dio per sua larghcza
Fece creando, & illa sua bontade
Piu conformato & quel che piu apprcza,
Fu de la uolonta la libertate,
De che le creature intelligenti
E tute e sole fure, & son dota de.
Hor ti para se tu quinci argomenti
Lalto ualor del urto se e si fatto,
Che dio consenta quando tu consenti.
Che nel fermar tra dio, & lhomo il patto,
Victima fassi di questo thesoro.

Tal qual io dico e fassi col suo otto.
Donche che render possi per ristoro?
Se credi ben usar quel chai offerto,
Di mal Toletto uoi far bon lauaro. Id est,
Maius donum, quod Deus per suam largitatem
Fecit creando, & suæ bonitati
Conforme magis, & id quod maioris facit,
Fuit uoluntatis libertas,
Qua creaturæ rationales,
Et omnes, & solæ fuerunt, suntq; dotatæ.
Iam tibi uidebitur si tu hinc sumas argumentum
Ingens uis uoti, si sic sit.
Vt Deus consentiat, quando tu consentis.
Nam in firmando inter Deum, & hominem pactum
Victima fit huius thesauri
Talis, qualem dico cum sua actione.
Igitur quid reddi potest pro satisfactione
Si credis benè uti (quod obtulisti)
Ex malo acquisito uos facere bonum opus.

Vox græcè φωνή.ῆς. & φωνήεις.ήεντος.ὁ. vocalis dicitur. Est aũt vox percussio aëris inspirati ad vocalem arteriam moti ab anima, quæ est illis partibus, secundùm Aristo. lib. 2. de Anima.

Vox est aëris per linguam percussio, quæ per quasdam gutturis partes quæ arteriæ vocantur ab animali profertur, secundùm Boëtium in principio additionis secundæ super librum Perihermenias.

Vox est sonus cum quadam imaginatione significandi, secundùm Boëtium ibidem.

Vox est sonus ab ore animalis ꝓlatus, naturalibus instrumentis formatus, secundũ Petrum Hispanũ in principio suæ logicæ. Sunt aũt naturalia instrumẽta, qbus vox formatᷓ 9. Vers.
Instrumenta nouem sunt, guttur, lingua, palatum,
Quatuor & dentes, & duo labra simul.

Vox est quicquid sonat, & dicitur ἀπὸ τοῦ βοάω ꝙ est sono. Virg. Fractasq; ad littora voces. Eius diminutiuũ vocula. Hinc vocifero siue vociferor, ꝙ est cum dolore siue indignatione maiorem vocem emitto. Item vocalis. i. sonorus.

Voracitas græcè βορά.ᾶς.ἡ. & φάγος.ου.ὁ. vel βορός.ου.ὁ. edax dicitur. Est aũt voracitas gulositas, dicta à vorando. Vorare enim propriè, est cibũ non confectum dentibus, deglutire, & per metaphoram est auidè sumere.

De hac materia vide suprà in Gula.

Vrbanitas græ. ἀστεισμός.ου.ὁ. & ἀστεῖος.ου.ὁ.ἡ. vrbanᵒ dicitᷓ. Est aũt vrbanitas, qua significamus ꝓpriũ quendam gestum vrbis, & sumptam ex conuersatione doctorum tacitam eruditionem. Quid differant vrbanus & vrbanitas, à dicacitas & dicax, vide suprà in Dicacitas.

Vrbs græcè ἄστυ εος. τὸ dicitᷓ ab vruo aratri curuatura. Antiq enim Hetrusco more iunctis tauro & vacca, quę interior esset, sulcum aratro circunducebant, intra quem vrbem ædificarent. Alij tamen ab orbe dictam volunt, ꝙ sulcus ille in orbem duceretur. Vrbs sunt ipsa ædificia. Ciuitas verò quæ græcè πόλις.εως.ἡ dicitur, significat ipsos ciues, diciturq; quasi ciuium vnitas. Confunduntur tamen hæc quandoq;. Vir. Inuadunt vrbem somno, vinoq; sepultã, quod tamen illic carminis necessitate factum est, cũ in versu hexametro ciuitas, & ciuitatem locare non possumus.

Vrina græcè οὖρον.ου.τὸ. & οὐρέω mingo dicitur. Est aũt vrinare siue vrinari vrinam emittere. Habet & aliud significatum, nam vrinare est in aquam emergi, & natando emergere, dicitur que ab vruo, de quo suprà in Vrbs.

Vruum eñ ita flexum deorsum est, vt redeat sursum, vrinare ergo est quasi ad similitudinẽ vruinare, hoc est natare. Pli. Canicularũ multitudo, circa eas vrinãtes graui periculo infestat.

Hinc vrna dicitur, ꝙ in aqua haurienda vrinat quemadmodum vrinator facit, qui mergitur, & emergit merces è mari extrahendo, leuandi nauigij gratia iactatas, sic dictus teste Callistrato. Vrna autem græcè στάμνος ου ὁ. dicitur, cuius diminutiuum est vrnula.

Vsura græcè τόκος ου ὁ & τοκιστής.οῦ.ὁ. vsurarius dicitur. Est aũt vsura quodcunq; solutioni rei mutuatę accedit, ipsius rei vsus gratia pactione interposita, vel hac intentione habita in cõtractu, vel ex actione habita post contractum, secundùm Hosti, in summa.

Vsura est quicquid præter sortem accedit sine iusto titulo, siue sit in mutis, siue in contractibus alijs, secundùm B. Tho. in quæstionibus de malo, q. 13 art. 4. c.

Vsura est pretium pecuniæ mutuatæ, vel cuiuscunq; rei, cuius vsus est consumptio vel distractio eius, secundùm eundem sec. sec. quæst. 82. art. 1. c.

Exodi cap. 22.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quàm si exactor, nec vsuris opprimes.

Leuitici cap 23.

Pecuniam tuam non dabis ad vsuram.

Deuteronomij cap. 23.

Non fœneraberis fratri tuo.

Dauid Psalm. 14.

Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.

Ecclesiastici cap. 29.

Multi non causa nequitiæ fœnerati sunt, sed fraudari timuerunt.

August. super Psalm. 36 & habetur 14. q. 3. c.
Si fœneraueris.

Si fœneraueris hominem. i. si mutuò dederis pecuniam tuam, à quo plus quàm dedisti expectes, non pecuniam solam, sed aliquid plus quã dedisti, siue illud triticum sit, siue vinum, siue olium, siue quodlibet aliud, si plus quã dedisti expectes accipere, fœnerator es & in hoc improbandus

bandus, non laudandus.

Au. ad Mace. & hab. 14. q. 4. cap. Quid dicam.

Quid dicam de vsuris, quas etiam ipsę leges & iudices reddi iubēt? an crudelior est qui subtrahit aliquid, vel detrahit diuiti, quàm qui trucidat pauperē fœnore? Hæc vtique atq; huiusmodi, malè vtique posſidentur, & vellem restituerentur; sed non est quo iudice repetantur. Iam verò prudenter intueamur quod scriptum est: Fideli homini totus mundus diuitiæ sunt, infideli autem nec obulus, nónne omnes qui sibi videntur gaudere conquisitis, eijsque vti nesciunt, alienum posſidere, conuincimus? Hoc enim certè alienum non est quod iure posſidetur. Hoc autem iure, quod iustè, & hoc iustè, quòd benè. Omne igitur quod malè posſidetur, alienum est, malè autem posſidet, qui malè vtitur.

Hieron. super Ezechielem lib. 6. & habetur.
14. q. 3. cap. Putant.

Putant quidam vsuras tātùm esse in pecunia, quod prouidens diuina scriptura, omnis rei aufert superabūdantiā, vt plus nō recipias quàm dedisti. Item alij pro pecunia fœnerata, solent munuscula diuersi generis accipere, & non intelligūt scripturam vsuram appellare & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo quòd dederint plus reacceperint.

Ambros. lib. 3. Officiorum.

Cur in fraudem cōuertis naturæ industriā? cur affectas inopiam? cur optari facis pauperib. sterilitatem, fles publicā fertilitatē? Exploras qn̄ sterilior prouentus. Hāc vocas industriam, quæ est calliditatis versutia, fraudis astutia. Et quod tu remediū vocas, est commentū nequitiæ. Latrociniū aūt fœnus appellē. Captanē tanquam lotrocinij tempora, quibus in viscera hominū durus insidiator obrepas. Cui conditæ frugis multiplicatur vsura? quid imprecaris mala omnibus? lucrum tuum damnum publicum est.

Ambro. & hab. 14. q. 3. cap. Pleriq;.

Pleriq; refugientes præcepta legis cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam vsurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat. Neq;, inquit, vsuram escarum accipies, neque omnium rerum. Item. Esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcunq; accedit sorti, vsura est: & quod velis nomen ei imponas, vsura est. Item si quis instaurandum conuiuiū puter, ad negotiatorem mittit, vt absynthiaci cupellam deferat sibi gratis; ad cauponē dirigit vt Picenum vinum, aut Cyriacum requirat: ad lanium, vt villam sibi procuret: ad alium vt sibi poma adornet.

Ambr. lib. de Bono mortis, & habetur.
14. q. 4. cap. Si quis usuram.

Si quis vsurā accipit, rapinā facit, vita non viuit.

Ibidem cap. Ab illo.

Ab illo exigit vsuram, cui meritò nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur vsuræ: quem bello vincere non potes, ab hoc vsuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat sine gladio se de hoste vlciscitur, qui fuit vsurarius exactor inimici. Ergo vbi ius belli est, ibi ius vsuræ.

Gregor. & hab. di. 33. ca. Maritum duarum.

Non ordinandos censemus illos, qui vsuras accepisse conuincuntur.

Ioan. Chry. sup. Matthæum.

Mutuò da, ampliores cape vsuras, mutuò da accepturus, scilicet vbi nulla inuidia, nulla accusatio, insidiatio, neque terror. Mutua nullo indigenti, sed Christo, & propter te necesſitatē habenti, esurienti, & omnes nutrienti. Hæ enim vsuræ regnum, illæ gehennam præparant. Hæ sunt pietatis misericordiæ. Illæ crudelitatis & auaritiæ.

Ibidem.

Nihil vsuris turpius, nihil crudelius. Alienas hic negociatur miserias, & lucrum suū alterius aduersitatem facit. Talis est quasi manum suscipiens, & in naufragium impellens.

Idem.

Similis est pecunia vsuarij morsui aspidis. Percussus em̄ ab aspide quasi delectatus vadit in somnū, & per suauitatē soporis moritur, quia tūc venenum latēter per omnia membra decurrit. Sic qui sub vsura accipit sub tēpore quasi beneficium sentit, sed vsura per omnes suas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum.

Leo Papa & habetur. 14. quæst. 4. cap. Nec hoc prætereundum.

Nec hoc prætereundum quoq; duximus esse, quosdā lucri turpis cupiditate captos, qui vsurariam exercere pecuniam & fœnore volunt ditescere, quod nos, vt non tātùm dicamus in eos qui sunt in clericali ordine constituti, sed etiā in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiūt, condolemus: quod vindicari acrius in eos, qui fuerunt confutati decernimus, vt omnis peccādi opportunitas adimatur.

Idem & habetur dist. 46. ca Sicut non.

Sicut non suo, ita nō alieno nomine aliquis clericorū, exercere fœnus attentet. Indecēs est. n. crimen suum cum incommodis alienis impēdere & exercere. Fœnus autem hoc solùm aspicere & exercere debemus, vt quod hic misericorditer tribuemus, à domino qui multipliciter & in perpetuum mansura tribuit, recipere valeamus.

Arist. lib. 4. Ehicorum.

Vsurarij vnde non oportet accipiunt & quantum non oportet.

Cicero lib. 2. Officiorum in fine.

A Catone maiore cũ q̃reretur, quid maximè in re familiari expediret: respondit, benè pascere. Quid secũdum? satis benè pascere. Quid tertiũ benè vestire. Quid quartũ? arare. Et cũ ille, qui quæsierat, dixisset. Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem (inquit) occidere?

Vsus græcè χρῆσις.ιος ἡ.& χράομαι vtor dicit. Est autem vsus ius vtendi rebus alienis salua rerũ substantia, secundùm Azo. in summa.

Vsus nullo modo significat habitum vel potentiã, sed significat actũ cuiuscũque habitus & potentię. se. b. Th. in q. de veritate. q. 17. ar. 1. c.

Vsus ab vtor venit, & aliquando significat ipsam vtendi actionẽ. Vir. Nam neq; erat corijs vsus. Nonnũquam consuetudinẽ, conuersationem. Teren. Sic mihi est vsus. Aliquando opus est. Virg. Nunc viribus vsus. Nunc manibus rapidis omni nunc arte magistra. Nonnunquam vtilitatem significat. Apuleius: Cũ id ex vsu meo non esset. Hinc vtilis, de quo infrà. Vsu venire, est accidere. Plin. Id enim frequenter vsu venit, vt mali bonis præferantur.

Matthi. Agrici. in Episto.

Ραδίως ἡ εὐφυΐα συνεχῆ ἄσκησιν προσλαβοῦσα τελείας τῶν ἐπαινετῶν πράξεων ἀναλήψεως τεύξεται. id est, *Facilè naturæ indoles præstãs perpetuã exercitationẽ nacta, laudabiliũ actio. incrementũ suscipiet, assequeturq́;.*

Vsus fructus est ius alienis rebus vtendi fruẽdiq́;, salua rerum substantia, secundùm Vlpianũ, quia est ius in corpore, quo sublato, & ipsũ tolli necesse est. ff. de vsufru. l. 2. & insti. eo: pri.

Vsufructus dicitur, cùm res aliqua non nostra est, sed perinde ex ea fructum atq; vtilitatẽ capimus, ac si nostra esset.

VTilitas græcè ὠφέλεια.ας.ἡ.& ὄφελον vtinã & ὠφελήσιμος.ȣ.ὁ. vtilis dicitur dupliciter s. sicut via ad finem, vt meritum ad beatitudinẽ & sicut pars ad totum, vt ministeria angelorum ad beatitudinem eorum, ex b. Tho. prima parte q. 62. articulo. 9.

Vtilitas, vtilis & vtiliter, ab vtor ducuntur.

Machabæorum 11. cap. 4.

Communem vtilitatẽ apud te vniuersę multitudinis considera.

Ambros. lib. de Officijs & habetur 14. q. cap. 5. Denique.

Denique si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. Ideoque in causis pecuniarijs interuenire non est est sacerdotale: in quibus non potest fieri, quin frequenier lædatur alter, qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnib. posse autem solius est Dei.

Ioannes Chrysost. super Matthæum.

Hæc dicta sunt de sermone, de virtute, de pecunijs, de om̃i dispensatione, quę vnicuiq; cõmissa est, vnumquemq; enim ad communẽ vtilitatẽ vti oportet his quæ habet, siue sapientia, siue principatu, siue diuitijs, non ad nocumentum conseruorum.

Lactantius Fim. lib. 6. cap. 5. Diuin. insti.

Nihil potest esse vtile vel honestum, quod non idem bonũ sit, nihil inutile ac turpe, quod idem malum non sit.

Cassiodorus epistola 14.

Commodum debet esse cum modo, nam si mensura qualitatis excesserit, vim sui nominis non habebit.

Cicero de Amicitia.

Mihi autem non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quàm qualis hodie sit.

Cicero lib. officiorum 2. in fine.

Sed vtilitatum comparatio sæpè est necessaria. Nam & corporis commoda, cum externis & externa cum corporis, & ipsa inter se corporis, & externa cum externis comparari solent. Cum externis, corporis hoc modo comparantur: valere vt malis quàm diues esse. Cum corporis externa hoc modo diues esse potius quàm maximis corporis viribus vti. Ipsa inter se corporis comparantur sic, vt bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati: externorum autem, vt gloria diuitijs, vectigalia vrbana rusticis. Ex quo genere comparatiõis illud est Catonis senis, à quo cùm quæreretur, quid maximè in re familiari expediret, respondit; benè pascere &c. vide suprà in Vsura. Ibidem.

Hoc aũt de quo nũc agimus, idipsũ est, quod vtile appellatur, in quo verbo lapsa cõsuetudo deflexit de via, sensimq́; eò deducta ẽ, vt honestatẽ ab vtilitate secernẽs cõstitueret honestũ esse aliquid, quod vtile non esset: & vtile, quod nõ honestum: qua nulla pernicies maior hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem authoritate philosophi seuerè sanè atq; honestè hæc tria genera cõfusa, cogitatiõe distinguũt. Quicquid enim iustũ sit, id vtile esse censent: itemq́; quod honestum sit, id esse iustum: ex quo efficitur, quicquid sit honestũ, idẽ sit vtile. Quod qui parum perspiciunt, hi sæpè versutos homines & callidos admirantes, eorum malitiam sapientiam iudicant, quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda, vt honestis consilijs iustisque factis nõ fraude & malitia se intelligant, ea, quæ velint, consequi posse. Ibidem. lib. 3.

Senserunt Stoici, vt quicquid honestum est, id vtile sit, nec vtile esse quicquam, quod nõ est honestum. Ibidem.

Nihil verò vtile quod non sit honestum, nihil honestum quod non idem vtile sit. Ibidem.

Licet dicere, vtilitatem aliquando cum honesto pugnare. Ibidem,

Cùm

Cùm verò vtilitas requirenda est, sic intelligendum, vbi turpitudo sit, ibi vtilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contra naturam quàm turpitudo, recta enim & conuenientia & constantia natura desiderat, aspernaturque contraria, nihilque tam secundùm naturam quàm vtilitas.

Ibidem.

Quod autem bonum, id certè vtile, itaq; quicquid honestum, id vtile.

Ibidem.

Sic quod honestum non est, id vtile vt sit effici non potest, aduersante & repugnante natura.

Ibidem.

Peruertunt homines ea quæ sunt naturæ fũdamenta, cùm vtilitatẽ ab honestate seiungunt. Omnes enim expetimus vtilitatem.

Ibidem.

Nam quis est qui vtilia fugiat? aut quis potius qui ea non perstudiosissimè persequatur.

Ibidem.

Est enim vtile quod idem honestum, nec quia vtile honestum, sed quia honestum, vtile.

Ibidem.

Si vir bonus habeat hanc vim, vt si digitis concrepuerit, possit in testamento nomen suum irrepere, hac vi non vtatur. Intelligat enim nihil expedire, aut vtile esse, quod est iniustum.

Vulgus græcè ἰκῖαος 8. ὁ ἰικαιος. 8 ὁ. vulgaris dicitur. Est autem vulgus & masculino & neutro genere, propriè ignobilior multitudo. vir. Sæuitque animis ignobile vulgus. Diciturque (vt quidam volunt) à voluẽdo, quòd stultè huc atque illuc voluatur. Hinc vulgaris dicit̃, hoc est vilis ac communis. Hinc vulgo, diuulgo. hoc est omitto, ac vile quasi commune omnibus facio, Hinc etiã promulgo, quasi prouulgo. Vnde lex promulgari dicitur, cùm primùm in vulgus educitur.

Virg. lib. 1. Aeneid.

Sæuitq; animis ignobile uulgus.

Idem in 2. Aeneid.

Scinditur incertum studia in contraria uulgus.

AMANTIVS.

Sopater in epistola ad Hemiterium fratrem de regendo magistratu.

NE respexeris ad falsas vulgi opiniones, sed veritatis rationem omnibus praeferto: nec apparentem gloriam cum subditorum damno vsurpes, nec infamiam apparentem, quæ cõiuncta sit subditorum vtilitati, declines: nisi vulgarem phantasiam potius, quàm optimam vitam sequi placeat. Honorem quidem ciuilem superioribus deferri ab inferioribus, ipsa reip. constitutio iubet.

Petrarcha, de remedio utriusque fortunæ.

Et totum vulgus vna voce me laudat. R. Nulla pronior ad errorẽ atq; præcipitiũ via quàm per vulgi vestigia: quicquid penè vulgus laudat, vituperio dignum est.

Ibidem.

Vulgus omne me prædicat. Ratio. Dixi, & repeto: quicquid vulgus cogitat, vanum est: quicquid loquitur, falsum est: quicquid improbat, bonum est: quicquid approbat, malũ est: quicquid prædicat, infame est: quicquid agit, stultum est i. nunc insanorũ sermunculis gloriare.

Ibidem 12. Dialogo. De Sapientia.

Gaudeo. sapiens vulgò dicor. Ratio. vulgus insanos sapientes dicere, & sapientes insanos iure suo didicit: quod quidem est, vt falsa pro veris, veraque pro falsis habeat: nihil est autem virtute vel à veritate remotius, quàm vulgaris opinio.

Idem de rebus familiaribus Epistola 25.

Scire debes populorum voluntates, sicut in ingressu frementes & variæ sunt sic progressu faciles & instabiles fore.

Idem lib. 4. tracta. 3. De rebus Memorabilibus.

Matrona pariendi auida, sed an grauida esset incerta, visa est in sõnijs sigillata genitalia habere: alter ex coniectoribus minimè prægnantẽ, aut parituram asseruit: Fore enim præclusum partus iter: alter contrà, ea enim duntaxat claudi & consignari solere, quæ plena sint. His & horum similibus quid de hac interpretũ arte sentiendum, sperandumque sit, eruditi homines iudicent: vulgus quod tenuit, non relinquit.

Ouidius lib. 1. tristium.

Vtq; comes radios per solis euntibus umbra est.
Cùm latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina uulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit,
Vulgus prosperam fortunam sequitur.

Iuuenalis satyra 10.

Turba tremens sequitur fortunam, semper & odit
Damnatos, idem populus, si Nurtia Thusco
Fauisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum.

Seneca in Octauia.

O funestus multis populi
Diruisq; fauor, qui cum flatu
Vela secundo ratis impleuit,
Vexitq; procul languidus idem,
Deserit alto sæuoq; mari.

Petrarcha de rebus familiaribus, Epist. 15.

Quid

Quidem Pallas, quasi magnum in te ius habet Fortuna? Non illa partes iudicis obtinet, sed testis, qualis sit in tua potestate est: non in suis, quale de te testimonium ferat, sed vt erat, tantùm mentiri non potest, loqui potest. Quis autem, nisi sibi culpæ conscius, testē metuit vera loquuturum? Non est quæ te ad ignauiam cogat, est quæ digressus tuos dinumerat, patientiam exerceat, suspiciat aut despiciat pectoris tui robur: demū populo referat, quicquid inuenerit. Erige animum, discute tenebras errorum popularium, non pateant aures tuæ muliercularijs vocibus: nunquàm lætus eris, nunquàm securus, si te populo regendum tradideris. Quicquid magna pars hominum aut miratur aut metuit, ridiculū est, quicquid prædicat, falsum: committe te paucorum consilijs, non sunt vt videntur ista terribilia, inter quæ vulgus exilium numerat: & si lectio longa non profuit, experientia proderit fortasse.

Idem, de Remedio fortunæ: Dialogo 96.

De regno.

Gaudeo. Iustè regno. Rat. Benè agis, gratissimamq; rem Deo. Scito autem seruire te querelis, & vix tibi ante obitum gratiam relaturis. raro tam iustus quisquam fuit regum, vt non charior populo successor foret: is cùm venerit, alter optabitur. Hi sunt vulgi mores: odisse pręsentia, ventura cupere, pręterita celebrare: quãdo ergo defuerint quærelæ? si omne præsens bonum sordet, nilq; omnium placet, nisi quod cruciat, seu perditum seu speratum.

Ouidius.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Populus consentiens regnum dat,

& aufert.

Quicunq; multis uir uiris unus præest,
Hoc debet his quibus præest:
Præesse debet neutiquàm diutius
Hi quàm uolent, quibus præest.
Quid impotentes principes superbiunt
Quòd imperant precario?

Vulgi laus nulla. Rauisius textor in 2. parte offi.

Hippomachus fuit Tibicen, qui cùm videret à plebe laudari discipulum, quem tamen in arte peccare cognoscebat, baculo tactum desistere iussit, dicens: Maximum erroris argumentū esse, quòd ab ignara turba laudaretur.

Vulgi peruersa iudicia.

In conuentibus cùm de Repub. agitur, quo quisque est sapientior, eò minus autoritatis habet, maioreque inuidia laborat: contrà illos extollitis, quorum pro cōcione maximè se iactat improbitas: & populariores esse ducitis ebrios quàm sobrios, amentes, quàm rectè sentientes, peculatores, quã eos, qui suis opibus rempub. locupletant, ac vestris tum vtilitatibus tum voluptatibus inseruiunt. Quare mirum est, quem quam esse, qui speret, dum hi consultores audiuntur, melius actum iri cum republica. Ego verò, quàm arduum sit aduersari vestris cupiditatibus, non ignoro: & quanquam hîc popularis est respublica, video tamen nemini licere quod sentit liberè loqui, nisi stolidissimis vestriq; contemptoribus in concione, poëtis comicis in Theatro. Hæc Isocrates in oratione de pace.

VXor græcè γυνὴ αιχος. ἡ. & γυναικοφίλης ȣ. ὁ. Vxorius dicitur. Vxor dicit̄ mulier postquam cōtraxit ꝑ verba de præsenti, licet nondum cōsummauerit, & hoc in omnibus fauorabilibus. Sed in odiosis appellatione vxoris venit solùm illa quæ matrimoniū consummauit, in l. non sicut C. de bo. quæ libe. NANVS.

Vxor dicitur ab vnguēdo quasi vnxior. Fuit em̄ veterum mos Romanorum, vt nouæ nuptæ mariti domum intrantes axungia postes vngerent. Est autem axungia adeps suillus inueteratus, aut cum sale, aut syncerus, qui quanto vetustior, tanto vtilior est. Diciturq; axungia ab axe plaustrorum vnguento, quamuis etiā Gręci hoc vocabulo vsi fuerint. Hāc em̄ religiosam habebant, putabantq; mala omnia ab ea domo arceri, propter innumeras axungiæ vtilitates, impressas ei à radicibus, quibus sues vescuntur. Vxorius modò significat ad vxorem pertinens, modò vxori deditum.

Virgilius.

Pulchramq; uxorius urbem
Extruis.

Euripides in Medea.

ἥπερ μεγίςι γίγνεται σωτηρία:
ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατῇ. id est.
Quæ quidem maxima est salus,
Quando uxor aduersus uirum non aduersetur.

XEniū græca dictio est ξένιον. ȣ τὸ. Erant autē xenia munera, quę veteres in Saturnalibus sibi inuicem mittebant, ita ꝙ quę primò mitterentur xenia vocarentur, quasi hospitalia, hoc est ad hospites missa, sicuti & apophoreta quæ remittebant. Quare Martialis duos libros antepenultimum xenia, & vltimū apophoreta vocauit. Quoniam in his distichis singulis descripta sunt munera, quæ Saturnalibus mitti solebant. Et ipsa disticha ꝓ muneribus, hoc est, pro xenijs & apophoretis missa. A xeniū per diminutionē fit xeniolum. Apuleius: Commodum meridies accesserat, & mittit mihi xeniola porcum optimū, & quinq; gallinulas.

Xenodochiū ꝙ & xenodocium dici potest, gręca dictio est ξενοδόχιον, & ξενοδόχειον ȣ. τὸ & est hospitum receptaculū. Cōponitur aūt ex ξένων id est, perigrinorū, & δεχόμενος. ȣ. ὁ. ꝙ est receptiuus. Etenim δέχομαι capio dicitur. Latinè hospitale dici potest, nam ξενοδοχέω idem est, quòd hospites recipio.

Zeloty-

Zelotypia græca dictio est, composita ex ζῆλος.ȣ.ὁ. quod est æmulatio, & τύπος.ȣ.ὁ. forma. Est autem zelotypia ægritudo animi, ex eo proueniens, quòd timeas ne alsit alteri, quod cum nemine velis habere cõmune, secundùm Chrysippum: qui igitur ita amat, vt solicitus sit ne quis amore suo perfruatur, zelotypus est.

Zelotypia oritur ex amore non patiente consortium in re amata, secundùm. be. Tho. prima secund. q.28. art.40.

Zelus græca dictio est ζῆλος.ȣ.ὁ. Et est amor, beatitudo, æmulatio, iusta ira, fœlicitas.

Zelus sumitur aliquãdo porro feruenti dilectione, & quandoq; pro inuidia nõ æquiuocè, quia secundum procedit à primo, secundùm b. Tho. super 1. ad Cor. 14. co. 1. fi.

Zodiacus est circulus cælestis, in quo duodecim signa sunt, quę sol singulis annis percurrit, qui latinè signifer, grecè zodiacus nũcupatur, hoc est, animalis. Nam ζῶον.ȣ.τὸ. animal dicitur. Ipsorum verò signorum nomina sunt: Aries, Taurus, &c. vide suprà in Signum. De hoc circulo Virgilius.

Obliquus qua se signorum uerteret ordo.

Ouidius.

Sectus in obliquum est lato curuamine limes,
Zonarumq; trium contentus fine, polumq;
Effugit australem, iunctamq; aquilonibus arcton.

Habes humanissime Lector, in hoc volumine plurimorũ vocabulorum declarationem, cum diffinitionibus seu descriptionibus Græcarumque dictionum adiectione suis locis apposite, Innumeras sententias Bibl. Quatuor ecclesiæ Doctorum, aliorumque Sanctorum, Philosophorum, Historicorum, Poetarum tam Latinorũ quã Græcorum, & demum Dantis & Petrarchæ, cum Latina interpretatione suis in materiis, & vbi melius quadrare videbantur annotatas, aliquas materias in arborem ramificatas, quò facilius eas memoriæ scrinio commendes. Vale.

lore procura de
ienas obras a exemp
nfessor. de tal man

oor
Ca-
estàs
y asi-

Polyanthe [illegible]


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm